I. N. J.

ROSINI LENTILII

ARCHIATRI WURTEMBERGICI, IN SEDE DUCALI PROTOPHYSICI, ACADEMIÆ LEOPOLDINO-IMPERIALIS NATURÆ CURIOSORUM COLLEGÆ, D. ORIBASII, WALDENBURGO-HOHENLOHICI

ETEODROMUS MEDICO-PRACTICUS

ANNI MDCCIX.

Exhibens

Quid singulis diebus per integrum illum annum in functione sua Medica, tam in praxi, quam rebus ad Physicatum pertinentibus actum sit:

Curationes nempe morborum, Consilia, Litteraria commercia, inspectiones legales, Aperturas corporum demortuorum, Visitationes officinarum, & alia Naturam & Artem illustrantia.

IN USUM PRACTICORUM JUNIORUM

Magno studio, indefesso labore, methodo hactenus non tentata,

ADORNATUS

&

Partitione menstruali editus

Affixo, sub calcem operis, Indice rerum & verborum locupletissimo.

STUTTGARDIÆ,

Impensis AUGUSTI MEZLERI.

ANNO 1711.

J. N. J.

CELSISIMO ET EXCELLENTISSIMO COMITI AC DOMINO

DOMINO

LUDOVICO GODOFREDO,

COMITI AB HOHENLOHE

ET

DOMINO IN LANGENBURG, &c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

PATRIÆ PATRI

PIO, FELICI, ORTHODOXO,

DEI GRATIAM, FIDEI PURITATEM, ANIMI CORPORISQUE SALUTEM

ET

LONGÆVITATEM!

ri meruisti, quanto magis amandus ab eo, qui gloriæ sibi ducit, *Herois* tam incliti Subditus, per nascendi sortem, vocari. Tua, novi, parum interest utrum a servulo abjectissimo ameris, nec ne? Hoc tamen nihil obstante, Te, velis, nolis, amabo. Recordor adhuc, quasi hac ipsa die factum, quum, puer novennis, B. Vitricum matremque meam inviserem, *Celsissimi* COMITIS HISKIÆ, *Patris Tui*, benedictæ memoriæ, celebrata, Ann. 1666. in arce WALDENBURGICA nuptias. E quo, vero *Regis* HISKIÆ, in studio bene placendi DEO Imitatore, & celsissima DOROTHEA ELISABETHA, nata *Comite* WALDENBURGICA, Heroina pientissima [cui vitam DEUS in multos adhuc annos protrahere dignetur.) Tu, CELSISSIME COMES, biennio post, prognatus es. Nec evanidum in *Te* fuit illud *Regii* PSALTIS *Psalm CXII. 2. Generationi rectorum benedicetur*; Etenim educationi tuæ sollicitæ sic benedixit in altis residens & humilia respiciens, DEUS, ut in pietatis & literarum elegantiorum studiis, linguis & equestribus exercitiis, egregie proficeres, &, per hæc adminicula, ad habenas patrii regiminis, olim feliciter moderandas, mature præparareris.

Neque vero *Te* natali sepimento ita vallari patiebare, quin alia Regna, aliasque regiones visendi generoso desiderio tangereris. LACONES olim adolescentulum increpasse ferebantur, quod viam, quæ ducit in PYLEAM, novisset; Adeo studebant suos a peregrinationibus & rerum exoticarum cognitione, servare alienos, ne[, per occasionem, a Patriis institutis degenerarent. Metum equidem istum non semper inanem experientia comprobavit. Salva res erat. Animus ad virtutum obsequia per se comparatus, per educationem paternam, in bono ac honesto sic obfirmatus erat, ut illius ne rimula quidem exoticis pravitatibus pateret. Et, quemadmodum SIMSON, *Archemitheus*, peregrinator in PALÆSTINAM, e cadavere leonis; Ita *Tu*, peregrinator in dissitas oras, vel e cadaveribus hominum, id est, vel ab ipsismet improbis, quibuscum tibi conversandum erat, non venena, sed mella collegisti, domumque egregiis animi dotibus cumulatissimus,

redi-

rediens, in TUÆ, TUORUMQUE emolumenta, convertisti.

Fructum inde percepit uberrimum tota tellus HOHENLOHICA, fidelissimi cumprimis subditi, quibus per hos viginti & aliquot annos, tanta solicitudine, tanta pietatis, amoris & gratiæ ubertate, præfuisti, ut acclamationem encomiasticam *Imperatoris* TITI VESPASIANI dudum merueris, *Amor* nempe dicendus, *ac deliciæ*, *gentis* HOHENLOHICÆ.

Quandoquidem vero fulcrum & fundamentum Reipublicæ merito habetur *Religio*, REINKING. *de Regim. secul. & eccles. lib. III. p m.* 995. *Maleq.*, secundum AUGUSTINUM, *vivitur, si de* DEO *non bene creditur*: Ita *Tibi* nil unquam fuit antiquius, quam, ut in *Tuis* ditionibus orthodoxa, in symbolicis Evangelicæ Religionis libris comprehensa, fides, tecta sartaque servaretur, nec ulla, vel alius cujusvis religionis labecula conspurcaretur, vel modernæ *Hagiomaniæ* serpigine taminaretur. Noveras enim ex FORSTNERI *Not. polit. ad* CORN. TACIT. Veram Religionem esse optimam rectricem vitæ humanæ, justi injustique normam, frenum in prosperis, in adversis solatium, spem in dubiis, unicam denique mentis dominam.

Reddidit autem *Tibi* DOMINUS *pro opere Tuo*, *& plenam mercedem recepisti a* DOMINO DEO ISRAEL. RUTH. II. 12. Admota Tuo lateri cœlitus fuit, omni pietatis ac virtutum genere, *Conjux* ornatissima, LUDOVICA CAROLINA, e stemmate HOHENLOHA-LANGENBURGICO prosata, quacum in gratiam, me quidem sciente, nunquam redisti, modo, ut aliquando *matrem filiorum lætantem* salutare posses, providentiæ divinæ placuisset.

Porro *Te* cum multis gravibus morbis acerrime subinde colluctantem & conflictantem, e mortis quasi faucibus non semel eripuit idem *Sospitator* DEUS. Benedixit ex alto velificationibus *Tuis*, ut in turbulentissimo, per bellicos motus tamdiu ferocientes, totius *Germaniæ*, cumprimis etiam COMITATUS *Tui*, statu, subditi, *Tui* fidissimi, utcumque, & ita servarentur, ut, excidium totale nunquam experti, aris suis atque focis affi-

xi manentes, solum, ad instar aliorum, vertere coacti non fuerint.

In laudes *Tuas*, CELSISSIME COMES, ut uberius effundar, vetat, primiceria facile virtutum Tuarum, humilitas, & animus, qualis est omnium *Heroum*, ab encomiorum pleonasmis alienus. Nam alias vel volumen editurum scribendi laudandiq; materia derelictura non fuerit. Gratulor Patriæ meæ dilectæ de tam pio, felici, ac laudabili *Moderatore*. Gratulor & mihi, qui felicitatis patriæ portionem non minimam ad me quoq; pertinere puto; quæ caussa est unica, ut, aliis declarandæ subjectissimæ mentis adminiculis destitutus, tenuem hanc opellam, *illustrissimo Tuo*, PATER PATRIÆ, nomini dedicare sim ausus.

Accipe, CELSISSIME COMES, ea frontis, quæ neminem a se tristem abire patitur, serenitate, ingenii HOHENLOHICI quantulumcunque fetum, leviculum hunc libellum, qui virtutes Tuas eximias, per tot eruditi orbis angulos, per quot fortasse volitaturus est, ebuccinare sustinet.

DEUS *Ter optimus* porro benedicti *Tui* gubernaculi clavum, in sui gloriam, ac subditorum temporalem æternamque beatitatem, dirigat, omnigenarum prosperitatum cumulis, *Te* ac celsissimam domum Tuam augeat, *Teq;* fidei orthodoxæ, stemmati perantiquo, saluti patriæ, quam diutissime servet incolumem, nec, nisi feris & canis annis, opum, gloriæ, mundi saturum, cœlo suo ac tuo accenseat. Cœlo, inquam, in quo certum ac definitum locum constitutum illis esse, *qui Patriam conservarunt, juverunt, auxerunt*, ubi beati ævo sempiterno fruantur, jam Ethnici crediderunt, ut videre est apud CICERONEM in *somnio* SCIPIONIS, & super illud commentatorem, MACROBIUM *Saturnal. Lib.* I. *cap.* 4. Sic vale, vive, & bene, immo optime, age, CELSISSIME COMES, ad votum

Excellentissimæ Tuæ Celsitudinis

Servi subjectissimi

Rosini Lentilii,

Waldenburgo-Hohenloici.

Ad benevolum Lectorem!

PRÆMONITIO.

QUid ab hoc nostro ETEODROMO lecturi *Philiatri* sibi polliceri debeant, cum in edito nuper PROGRAMMATE INTIMATORIO jam declaravimus, tum in *Præfatione*, opere ad calcem perducto demum conspectui sistenda, plenius declaraturi sumus. Interim pauca tamen præmonere consultum duximus. Nempe, dies *mensis* capiti cujuslibet discursus præfixa, *Lectorem* regredi jubet ad eam diem, ubi, quæ discursum hunc præcesserunt, reperientur. Porro, dies *mensis* calci cujuslibet discursus adjecta, *Lectorem* progredi jubet ad eam diem, ubi, quæ discursum hunc sequuntur, reperientur. v. gr. p.24. Discursus sic incipit: *In* GRAPTERIS *uxore* (d.6. *Jan.*) *metus abortus cessavit*.&c. Ibi notatur: d.6. *Jan.* jam aliquid dictum esse, quod ad hunc discursum per-

tineat.

tineat. Discursus ita finitur: *Æquali portione composita* &c. (d. 15. *Jan.*) Ibi notatur, d. 15. *Jan.* quæ ad hunc discursum pertinent continuatum iri. Discursus autem isti, qui numerum talem in fronte non gerunt, initium sui demum ibi capere, vel die proxime præcedente de hac demum materia dictum esse; qui in calce non ostendunt, finem sui consecuti esse significantur. *C*æterum quisque, qui hos *menses* suis usibus aptiores reddere constituit, *indiculum* sibi super *mensem* singulum negotio non admodum difficili colligere potest, usque ad conspectum *Indicis generalis*, fini Operis adjiciendi. De continuatione *mensium* non est, quod *Lector* dubitet, omnes enim sunt perfecti, neque ad eos edendos quid magis, quam Typothetæ solertia, requiritur. Denique *Lectorem benevolum* totum opus ex primo hoc mense judicare nolim. Major ejus erit utilitas, quo magis menses multiplicabuntur, & vel solo FEBRUARIO excuso potior erit usus JANUARII.





I. N. J.

SALVETE!

MEDICI JUNIORES!

Quotquot per totam Germaniam, cumprimis autem nostram Sueviam, Praxin medicam vel estis auspicati, vel auspicaturi;

VIRI EXCELLENTISSIMI,

AMICI SUAVISSIMI!



PEdes ex utero materno in lucem demum editi afferunt, numeris omnibus absolutos. Afferunt, iis uti non possunt. Uti discunt, hi celerius, illi tardius, hi sua sponte, illi manuductione vel *serperastro* adjuti. Manuductione sive negligente, *serperastro* vel agili, vel inconcinne fabricato. Sponte pedibus uti discentes, id frequenter, immo forsan frequentissime, sine incessus vitio non discunt, per totam vitam *claudi, valgi, vari*.

Adminicula ad *praxin theoretica* noviter editi ex utero academico secum afferunt *juvenes Medici*. Afferunt, iis uti nesciunt. Uti sua sponte raro discunt, &, qui sic vere discunt, ingeniorum plane sublimium catalogo inseri merentur, quamvis nihilominus *αὐτοδιδασκαλίας* perversitas ipsis plerumque per totam vitam inhæreat; plurimi, perfunctorie discentes, in *monstra practica* evadunt, in medicinali quippe cursu *claudi, valgi, vari*; quem autem, qui feliciter decursuri sunt, opus habent aut manuductione fideli cujusdam Antecessoris, *veterani Practici*, cujus, ad

ægrotos excurrentis, calcent indesinenter vestigia, vel *Serperastro* quodam, ad *praxin* prospere exercendam, sine offendiculo, quantum horum per humanam evitari solertiam potest, ducente.

Sed &, cum ipsamet *Serperastra* sint fabricæ plane diversæ, alia scilicet agilia, segnioris motus alia; *Practicum Serperastrum* ultimi fortasse generis, hic, *O boni!* vobis ETEODROMUS commodabit. Ultimi, dico, generis. Me enim inter *Medicos* non esse, qualis fuit inter *Mechanicos* PHIDIAS, lubentissime fateor. Confessio hæc ingenua testabitur, me nulli vestrum hanc machinam, quasi perfectissimam, obtrudere. Solum id vere de ea prædicare audeo, esse novam, talique methodo, a nemine unquam *Practico Medico*, quod sciam, tentatam. An æque sit utilis futura? dies docebit. Certe, si judicio standum, quod de illa nondum visa, sed e solo *programmate intimatorio* æstimata, tulisse perhibetur celeberrimus aliquot mensium *Practicus*, Excellentissimus. Dn.D. MYXODŒDYX, neque nova dici queat, nec utilis. Perinde mihi est. Meam intentionem vestris inserviendi commodis, boni, *O boni!* consulturos esse, confido. Glaciem fregi, si forte *Practicos* me longe doctiores & feliciores incitare valeam, ut prænatantem vel insectentur alacrius, vel commodius & expeditius vadum emergendi contentur & vobis demonstrent.

Rationes hujus instituti, in memorato *programmate intimatorio*, non abhinc diu in lucem edito reddidi, vobis hic necessario repetendas.

Functionem ita dicti *Physicatus*, *praxinque medicam* ei connexam, esse rem plane arduam, illi cumprimis experiuntur, qui, fluctibus ab inaugurali contentione motis vixdum compositis, illi prius muneri præficiuntur, quam, sub manuductione *veterani Practici* aliquamdiu stipendia fecerint præsertim in opidis arctioribus, ubi *Medicus* plus uno non sustentatur. Quam turpiter se frequentissime dare soleant ejusmodi *novelli Physici*, & quanta sit ipsis opus prudentia, ne *Pharmacopœis Tonsoribusque* suis deridiculo fiant, nec dici, nec scribi potest. Intelligent me, quorum frontes in juvenili solitaria praxi frequenter ejusmodi talitris expositi fuerunt! si me vellem exclusum, vanus essem. O, quam mihi sæpe aqua hærebat, cum primum in CURLANDIA me *Medicum* profiterer! Tametsi enim tunc, juvenis annorum viginti ac duorum, plura me scisse crediderim, quam senio nunc appropinquans, me scire scio, nihilominus, ad ægros quandoque vocatus, quam plurima me nescire, tacitus fateri cogebar. Nec erat, qui manum commodaret; in Regione, quæ præter duos vel tres *Medicos*, multis inter se milliaribus disjunctos, non haberet, immo, si habuisset, nuditatem meam ostendere, & a quoquam rectius doceri velle, me puduisset, id lucri solum faciens, quod, præter *Medicam praxin*, alia

ad

ad *Physicatum ordinarium* spectantia, mihi non subeunda fuissent. Libros, quos tunc habebam, paucos, *Praxin*, puta, SYLVII, GRÜLINGII, *opera* WILLISII, *exercitationes* DEKKERI, *methodum medendi* HOFFMANNI, sæpe quidem, ubi hæsitarem, volvi, revolvi, sed æque doctus, atque accesseram, a lectione non raro discedens. Viva, eaque fida, manuductione, uti sane longe utilissima, raro tamen vel nunquam participes fieri possunt, qui nervi rerum gerendarum inopia premuntur. Igitur cogitare cœpi, num forte *junioribus* Practicis actionum medicarum omnium quodam *Diario* suppetiæ ferri possent? Sed molimentum hoc perdifficile statim videbatur. Nam a *Medico non Practico* quid sibi a tali labore pollicerentur utilitatis Tyrones? *Medico* vero Practico, unde talismodi *diarium* compilandi suppeteret otium? An quis ludicrum existimet *Medico*, plateas per totam diem oberranti, domum reduci viribus mentis corporisq; fracto, postea vix cœnato, in multam noctem sedere, calamoq; illa omnia, quæ per integrum *hemerodromum* in sua functione sunt actitata, notare? vel æstivis mensibus, dum alii adhuc intra plumas stertunt, e nido se proripere, quæ heri contigerunt, in memoriam revocare, revocata in chartam conjicere? Jam, quid memorem tot interpellationes, tot literaria peregrini argumenti commercia, tot œconomicas curas, tot itinera, tot alia filum negotiorum intersecantia impedimenta? Hæc enim omnia secum agitantem de successu laboris prospero parum abest, quin desperare cogant. Desiderium tamen vobis, *O Amici!* inserviendi, adjuvante cumprimis DEO, difficultates omnes me spernere fecit ac superare. Quanto cum labore, quanto cum sudore!, judicent illi, qui *praxin* æq; laboriosam exercent: Qui non credunt, ipsi periclitentur. Ea sola spe me fraudatum iri vereor, ne ab imitandi proposito, Practici me solidiores deterreantur. Hæc igitur mihi per totum hunc annum, post exantlatos labores diurnos, *thermopolia*, hæc *Oenopolia*, hæc κυβευτήρια, hi *peripati*, hæ *analepses* fuerunt.

Fideliter igitur vobis hic traditur totus mei *Physicatus* meæque *praxeos* per annum 1709. cursus, sic, ut memorabile, vel, quod *Medicum Juniorem* & scire & imitari conveniat πραγματικῶς nihil omissum esse, quamlibet etiam exercitato Practico leviculum putetur, meminisse queam.

Cujuslibet diei pensum auspicatus sum recensendo, quæ nam fuerit illa tota die cœli temperies, per observationes *barothermometricas* sedulas, nunquam, nisi quando extra urbem versarer, intermissas. Hæc industria, quamvis aliquibus minimi esse momenti videri queat, suo tamen usu non caret. Sedulus *Observator practicus* morborum inde mutationes non raro, ante quam fiant, prospicit, & caussariis, vel in latitudine sanitatis constitutis, exitum v.gr. crastinum e domo vel suadere vel dissuadere,

dere, aliaque hinc suis commodis utilia decerpere potest. Multi temperiebus aëris omnem effectum in corpus ægri, intra conclave clausi, denegant. Sed vero, si vis est aëri, vel turbidiori vel sereniori, in *mercurium*, non minus, quam æger, conclavi, & insuper tubulo vitreo, inclusum, cur non æque in ægrum?

Pergo ad *Visitationes ægrotorum*, vel *consultationes domesticas* ipsas. Eorum, quæ cum ægro decumbente coram, vel ejus emissario domi locutus sum, circa morbi examen maxime necessaria, recenseo. Maxime, inquam, necessaria, non omnia minus talia. Nam, in quantum alioqui volumen excreturus fuerit hic *Eteodromus*? Et, quis mihi tempus, quod examini perfecto notando suffecisset, largitus fuisset? Omnes quæstiones ægro rite examinando proponendas, *Practicus junior*, si velit, e *Tabula mea consultatoria* Anno 1696. ULMÆ edita, discat.

E narratis collective sumtis, quid mihi de morbo videatur? sine tergiversatione dolosa pronuncio. Quod, sicubi non fit, vel rationem reddo, vel morbum ipsum unicuique, etiam nondum exercitato, in aprico positum esse credo, nec etiam *prognostica*, quoties e re judico, prætermittens.

Adnectuntur e triplici fonte petita *medicamenta*, si qua statim fuerunt ordinata. Nam in casibus intricatis, nonnunquam, uti par & æquum est, spatium deliberandi petens, pharmacorum ordinationem in alteram diem differo, nisi vel symptomata, vel aliæ circumstantiæ, urgeant.

Quid postera die mihi ad ægrum redeunti fuerit observatum? quæ morbi abinde priore visitatione mutatio? an in pejus vel melius? qui heri præscriptorum effectus? fideliter aperio. Si quando cum iisdem medicamentis pergendum, vel alia, ob mutatam morbi faciem, ordinanda esse censeo, rationibus utplurimum additis, indico, non neglectis *pulsuum*, & *urinarum*, quoties ea commemorare pretium operæ fuisset, indiciis.

Sed neque *errores* meos *practicos* fateri me puduit. Cur enim puduisset, cum homo sim? Insani sunt *Medici*, quantumlibet experientissimi, quantumlibet *veterani Practici*, qui, se nunquam apud ægrotos, vel in perscrutatione morbi, vel in præscriptione medicamentorum, ullum errorem errasse, gloriari non verecundantur. Sunt morbi complicati, sunt intricati, subdoli, quibus, primo statim intuitu detegendis, vel ipsemet *Argus* impar fuerit. Immo, sunt ægroti, qui clandestina quædam symptomata studiose, tametsi stolide, occultant, per aliquot visitationes ex aliis demum circumstantiis eruenda. Nascentur adhuc illi THEOLOGI, qui conscientiæ hypocriticæ recessus omnes vestigare; Nascentur illi *Politici*, qui Rerum publicarum arcana quævis explicari; Nascentur illi *Milites*, qui methodias hostium omnes rimari; Nascentur

illi

illi *Patres familias*, qui omnia rem suam augendi τεχνήματα, sic excogitare didicerant, ut rem, quod ajunt, acu semper tangant, daß sie den Plezz oder Flekk niemahls neben das Loch sezzen.

In promtu caussa est: quod fuerint homines!

Quis igitur a *Medico*, ut nunquam & nusquam impingat, exigat? Errores, fateor, *Medicorum* sunt, præ multis aliis, periculosi, cum de corio ludatur humano. Num autem minus periculosi sint errores *Theologorum*. cum de anima ludatur humana? Num minus periculosi *Politicorum*, per quos tota Imperia, Regna, Principatus, Respublicæ subvertuntur? *Militum*, per quos tot milliones imaginum divinarum temporali & æterna morte multentur? *Patrum familias*, per quos ipsimet cum uxoribus & liberis, in extremæ inopiæ barathrum præcipites agantur? Unus fuit stolidus inter græcos MENECRATES *Medicus*, qui, supra sortem humanam elatus, DEUM se esse professus est. Adeant illum, qui *Medicum* errare nescium quærunt. In ea semper fui, sum, &, quoad vivam, ero sententia, DEUM, quoties ægrotum e cœtu mortalium vocare decrevit, haut raro permittere, ut *Medicus* interroganda non interroget, vestiganda non vestiget, videnda non videat, agenda non agat; Ut *Medico* post festum, quid facere decuisset, in mentem veniat. Cur enim apud *Medicum* solum posteriores cogitationes non aliquando sint meliores? *Medico* non raro in *Praxi diffusa* tantum otii non relinquitur, quantum ad cognitionem morbi intimiorem requiritur. Equidem *ab uno* MEDICO *multos* simul *non posse curari* CELSUS *ait*, *Lib. III. de re Med. Cap. IV. p. m. 113.* Sed, quis opem postulantibus recusare sustineat, etiamsi satis occupatus? Præcipiuntur ista facilius, quam ut servari possint. Sæpenumero mihi pauciores ægrotos optavi, manum tamen auxiliatricem rogantibus eo minus denegare potui, quando instarent repulsi.

Sub medicatione mea mortuos indicare adeo non erubui, ut potius, si a *medicatione* qui mortui fuissent, indicaturus essem. Quid enim miri, si mortales moriuntur? Mirius esset, si morerentur immortales. Præterea multi suamet culpa moriuntur, τὰ δέοντα si observassent, procul dubio evasuri, quod hinc inde variis exemplis confirmavi. Sanitati redditos, divinæ laudis non immemor, plerumque significavi. Si id aliquando non factum, neminem tamen, nisi catalogo defunctorum expresse insertum, esse mortuum noveritis.

Optarunt aliqui, ut continua, nec interrupta, serie curationes traderentur. Qui potui, cui pensum quotidianum absolvendum erat? quando scripsi, quid *Januarii Calendis* ipsis cum ægro fuerit actitatum, postero die agenda definire nondum scivi. Cœptæ igitur methodo insistendum

 fuit.

fuit. Per allegationes tamen dierum cujusque mensis ab initio Discursus Lectores respicere, a fine prospicere, jubentur, quod latius explicavi in *præmonitione mensi Januario præfixa*. Quamvis mihi tam accurato, ut nihil usquam omissum fuerit, propter tot horarum dispendia, esse non licuerit. Huic rei *nominum propriorum indiculo* hujus *Eteodromi* Colophoni adnexo, mederi conatus sum.

Lecturos quibusdam quasi interludiis recreaturus, anilia quorundam ægrotorum, adstantium, mulierumque clinicarum, circa morborum essentiam, caussam & medicationes, deliramenta interspersimus, in quorum catalogo sunt aliqua, quæ *Medicum practicum* scire, nisi necessarium est, saltem expedit.

Sed & *euporista*, *remediolaque* sic dicta *domestica*, Vos, *Medici juniores*, celare nolui. Talia siquidem a mulierculis in scenam produci solita, nescire, non tantum imperitiæ *Medico* ducitur; Sed ea quoque frequenter ita sunt comparata, ut illis congrue uti scientibus, effectu non raro felici se commendare comperiantur.

Non *ægrotorum* tantum omnium, sed & *Medicorum* nonnullorum, quos allegavi, *nomina* finxi, quædam *græca*, alia *gallica*, rursum alia a cujuslibet functione mutuata, denique transpositione literarum expressa, singula non sine labore, Quod *ægrotos* attinet, horum sane plurimi nominari nolunt, vel quod eos morbi pudeat, vel ex alia mihi prorsus ignota ratione. Facilius eo poterat hoc fieri, quod nomina vera scire nullius interfit, dummodo vera tradatur morbi Natura & cura. Nec de quorundam pertinacia, stolidis ratiociniis, aliisque dedecorosis *actis*, *factis*, *dictis*, quidquam commemorare ausus fuissem, nisi sub *metonomasiæ* clypeo tutus. Qui, a nobis reprehensi, semet agnoscunt, ignoscant; si nolint, in monomachiam non comparituruṁ provocent. Sinistras interpretationes omnes sollicitè deprecor. Cuiquam nocere, cujusquam honori & existimationi detrahere, mihi profecto in mentem non venit. *Practicus* autem novellus, quid hinc inde ad ægrotorum grabatos agatur, docendus erat. *Medicorum* vero *nomina ficta* quod concernit, ad animum merito revocavi, me quidem in *Miscellaneis meis* 1698. Ulmæ editis, *Medicorum* nonnullorum, litterarium commercium mecum exercentium, *nomina vera*, innocentissima libertate, propalasse, sed eos post ægre tulisse. Lapidem hunc offensionis in *Eteodromo* evitaturus, remedium *onomatopœæ* amplexus sum.

Medicastris, ubi de his loquendi occasio ferret, non peperci. Nam id genus hominum odio plus quam *Vatiniano* me prosequi adeo non nego, ut etiam de re quasi laudabili gloriari non erubescam. Sunt enim

veri *latrones*, *carcinomata*, *peripsemata*, filii filiæque *Belialis*. Sunt, inquam! Interea fremant, boënt, murmurent, latrent, grunniant, ululent, omnium ferarum naturam induant, *ecce labia mea non cohibeo, Tu, O* JEHOVAH *novisti!* Psal.XL. 10.

Cautelæ & *regulæ Practicæ* innumeræ, ceu tot inter herbas flosculi, huic operi sunt insertæ; *Curationes parallelæ*, cum effectu vel infausto, vel optato passim allegatæ; *medicamenta* quædam *composita* non ubiq; reperiunda, propalata.

Neque vero persuasi existatis velim, me per hujus anni decursum non plures, quam in hoc *eteodromo* nominantur, ægrotos curandos habuisse. Habui utique. Sed omnes *febricitantes*, *pleuriticos*, *dysentericos*, *nephriticos*, *variolosos* &c. sistere, quorsum attinebat? Nec tamen evitari plane potuit, quin aliquando, per inadvertentiam, una bis crambe apponeretur. Ad hæc in chartam conjicienda tempus non æque suppetebat, multo minus ad eadem sæpe repetenda suppetiisset. Si quando symptomatum in uno morbo varietas variam quoque medelam sibi postularet, eam, in vestri gratiam, indigitare non intermisi.

E tot *purgationibus*, tot *juribus medicatis*, tot *consiliis*, ▽. minerales adeuntibus, suppeditatis, paradigmataquædam extantiora data.

De *acidulis*, *fontibus* & *balneis mineralibus*, per totum nominatim *Iulium* mensem, sic actum, ut *junior* inde *Practicus*, quantum de illis sibi scitu sit necessarium, abunde haurire queat. Multi enim *Medici* de talibus aquis parum noverunt, & schediasmata de his in lucem edita pleraque vel solidi parum continent, vel certe legentem non sufficienter informant. Hinc est, quod non raro languentes plane præter rem ad ejusmodi fontes ablegentur, quin secum etiam afferant a suis *Medicis consilia* nonnunquam plane aprosdionysa & ridicula, quibus, si mordicus inhærerent, vitæ suæ proterviam facturi sint.

Cæterum quatuor in hac *sede Ducali* exstructa sunt *Penichrocomia*, quoad sanitatis negotium, *Physicatus* curæ subjecta. In *Xenodochio*, seu *Hospitali*, aluntur partim, qui, senio confecti, laboribus suæ functionis ulterius præesse non possunt, partim, qui mutili, valetudinarii, vel alio corporis vitio impediti, victum parare nesciunt, partim orphani & infantes expositiții, partim, qui horum omnium œconomicam curam gerunt. II. In *Nosodochium* recipiuntur utriusque sexus famulitia, servi, ancillæ, operarii, opificum socii, quin & ipsi cives, ob paupertatem afflictæ sanitatis curam habere non valentes. Hi quippe sumptibus publicis a morbis curantur, curati dimittuntur. III. In *Leprosorio* beneficam experiuntur manum *epileptici* confirmati, *leprosi*, *lue gallica*, *elephantiasi*, *psora*, *scabie*

fera

fera, ulceribus antiquis & *cacoëtheis* affecti. IV. In *Ptochotrophio* semel pernoctare licet mendicis palantibus, nocte appetente huc venientibus, quibus offa sanis præbetur, forte fortuna ægrotantibus medicinæ suppeditantur, & aliorsum, quamprimum per valetudinem licet, abvehuntur. Quid igitur in hisce domibus a me per totum hunc annum gestum fuerit, itidem indicatur, quamvis multa, quæ ignorasse parum interest, quoque omittantur.

Quid in *corporum*, morte vel naturali vel violenta defunctorum, *inspectionibus & aperturis*, sive privatis, sive legalibus observatum, quæ super lethalitate vel caussa mortis judicia formata, recensetur. Hujus generis *inspectiones legales* potissimam & maxime momentosam *ordinarii Physicatus* partem absolvunt, maximaque adeo cura ac circumspectione institui debent, cum a relatione Medici vel Chirurgi multorum vita vel interitus dependeat. Talismodi *aperturas* & *inspectiones* negligentius tractatas, obicem justitiæ posuisse, notoriosque homicidas a latrocinii crimine & ordinaria pœna salvos præstitisse, non semel observatum.

Singulo triennio in hac *metropoli* WÜRTENBERGICA *Conventus Chirurgorum generalis*, & singulis annis, cum hic, tum in aliis opidis, *specialis* agitur. Huic *Præfectus urbi* præest, assident in *generali conventu* cum *Archiatris ducalibus*; in *speciali*, soli *Physici* & *Chirurgi jurati*. Quid ibi quoque sit agendum *Physico*, docetur.

Nec minus, quod juxta præscriptum PRINCIPIS fieri quotannis debebat, *officinæ pharmaceuticæ* solenniter *visitantur*. Certis quoque temporibus *ingredientia medicamentorum compositorum*; quin & quæ vocant, *materialia*, FRANCOFURTO vel aliunde advecta, inspiciuntur & examinantur. Quam turpiter inscitiam hic suam prodant inexcercitati *Physici*, referre pudet. Verum & his facem prælucere suo loco non intermisi.

Nonnunquam & *Medicis* ad alios ægrotantes peregre proficiscendum est. Quid mihi excurrenti in itu redituque memoratu dignum semet obtulerit, nullatenus reticui. Casus ab exteris *Medicis* mihi propositos & a me enodatos, aliaque mihi curiosa, ad rem *Physico-Medicam* pertinentia, undecunque communicata, neminem vestrum latere patior.

Libraria equidem supellectile non destituor, noviter identidem excusos (quamvis, cui post obitum relinquam, nondum adsit) coëmo, in forulos suos colloco, sæpe per longam temporis intercapedinem, ob practicarum excursionum non interruptos cumulos, ne semel aspicio. Si quid tamen volutanti fortuito, quod assensum meum non mereatur, occurrit, mense dieque suis refero, parum licet gratiæ a quibusdam reportaturus. Refutationum autem mearum scopus non eo collimat, ut cuiquam *Scri-*

ptorum,

piorum, quod per DEUM testor, insuetem, sed *Practicos Juniores* moneam, ne speciosis & novis hypothesibus fidem incauti habeant, sed rem prius mecum exacte ponderent, cum multos, per ejusmodi falsissimos conceptus a vero & genuino medendi tramite, cum ægrotorum irrecuperabili noxia, enormiter deflexisse non semel animadverterim.

Pharmacopœorum, *Chirurgorum*, *Obstetricum examina*, in hac quidem metropoli, *Archiatri Ducales* sibi vendicarunt, hinc nihil horum in *Eteodromo* reperire datur.

Sicuti singulorum dierum negotia non æqualia, ita singuli dies non æquales. Nulla tamen ferme totius anni fuit adeo sterilis, ut commemorandum in ea plane nihil invenerim. Interdum negotiis usque adeo fui obrutus, ut aliqua, commemorari non indigna, fuerint omittenda. Si qua sunt, quæ *Practicis veteranis* & exercitatis vel admodum levia, vel omnino superflua judicari queant, qualia passim inesse diffiteri non possum, illi noverint, me non ipsis, sed *junioribus* vobis scripsisse. Non æque nocet, abundare in superfluis, quam deficere in necessariis. Milites veterani rident illud: Rechts um kehrt euch / lincks her stellt euch / &c. cum Tyrones hac institutione carere non possint.

De *caussis morborum* & modo fiendi diffusiori & accuratiori mihi esse non licuit, ob temporis penuriam. Feci, quod potui, nam ultra posse nemo obligatur. *Practicos juniores* ad hunc *Eteodromum* fundamenta theoretica allaturos suppono. Theoremata mea non sunt nova, talia tamen, quæ conceptu sint facilia, & quibusdam recentius excogitatis fortasse veriora. De *Medicis* quibusdam *speculativis* dici revera non raro queat illud TERENTIANUM:

Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.

Addo: *ut a nemine quoque intelligantur.* Et, si qui *Hypothetici* per conscientiam suam respondere vellent quærentibus: An secundum suas hypotheses feliciter medicati sint? aut negaturi, aut mendacia dicturi essent. Praxin hypothesibus meis inædificatam hactenus, per DEI gratiam, in triginta tribus annis exercui non infelicem, quin, ne vos omnes infelicius medicemini, ex toto pectore precor. STAHLIANA *fundamenta* mihi, fateor, placent, *junioribusque Medicis*, quibus otium legendi & meditandi superest, ut ea sibi familiaria reddant, suadeo. Senior autem sum ego, & nimium occupatus, ut ista demum in succum, quod ajunt, & sanguinem vertere possim, generalioribns de iis conceptibus contentus. Vos igitur, Practicos juniores, ad huc semel omni sedulitate monitos esse velim, ne, nisi in Praxi misere hallucinaturi, rerum novarum cupidine

seducti cuilibet recenti *Hypothetico* fidem adhibeant. Nam, pro thesauro carbones, si non semper, utplurimum tamen, ex illis colliguntur, quod non semel expertus assero. Curiosus aliquando fui, ut experirer, num *Hypothesiopoetæ Praxeos* frequentia ac celebritate clarerent? Contrarium mihi relatum. Si quid vobis in illis novitatibus momentosum æstimatur, insignis cujusdam, celebrisque prius judicium, quam eis innitamini, exquirite.

Medendi methodus hic descripta mihique usitata, SUEVIÆ cumprimis nostræ congruit, aliis regionibus atque climatibus prudenter applicata, si non æque profuerit, saltem non nocitura. *Suevi suevice* curari volunt, non *Italice*, non *Gallice*, non *Belgice*. Solœcismos inter *Practicos* non est sane minimus, in hoc nostro climate, sine habito ullo discrimine imitari velle *Practicos* ANGLOS, BELGAS &c. Circumspecti *Practici* tale quid imprudenter fieri, mecum fatebuntur. Si talem, vel similem *Eteodromum*, in sua quilibet *Practicus* exercitatus sphæra conscribere, typisque mandare vellet, operam profecto impensurus esset non pœnitendam.

Scribendi rationem & stylum quod attinet, quamvis non admodum latine me scribere agnoscam, ab iis tamen, qui parum latine sciunt, me ubivis facile intellectum iri non credo. Quippe in terminis ludere soleo, *Paronamasiarum* a juventute amator. Tersius eram scripturus, nisi extemperaneus esse coactus fuissem. Totus enim hic *Eteodromus* non nisi semel e mentis conceptibus in chartam conjectus, neque, uti dicunt, mundatus, prelum subivit. Latinos igitur, non semilitteratos Lectores expecto.

Aliquos me pupugisse non nego, & ibi quidem loci, ubi sensus tenerrimus, nec lacessitum me fore dubito. Hoc VERO semel pro semper obtestor: Injuriandi, offendendi, vel prostituendi animum a me vel alienissimum. Quidquid feci, in gratiam *Practicorum juniorum*, ut scopulos, in quos alii impegerunt, declinare discerent, feci. Nulli igitur me lacessenti respondebo, qui bonas horas melius didici collocare. Quod alibi me dixisse vel scripsisse memini, repeto: *Nomen sc. inter eruditos non mereri, qui centies refutatus non centies respondere potest*, si calamo res agatur. Nam in cathedra nonnunquam os obturatur in loquacitate extemporanea minus exercitatis, ut victoriam haut raro non tam veritas, quam multiloquium, reportet. Veritatem tamen scripsi, &, qui sunt emunctæ naris, quantumlibet mendacia se defendere conentur, præ falso tamen verum odorabuntur. *Disputandi pruritus Ecclesiarum scabies*, fuit symbolum celeberrimi ANGLI, HENR. WOTTONI. B. SPENERO, ut ipse hinc inde queritur, temporis multum suffurata sunt scripta litigiosa. Ne

dicam

dicam de altercationibus priſcis WITTEBERGENSIUM & JENENSIUM, circa *materiam primam* & *ſimplicem*, circa *animæ per traducem propagationem* & *creationem*, &c.

Programma intimatorium menſe *ſeptembri* 1709. evulgavi, & de hoc meo inſtituto, *Medicorum* in orbe celebrium amica judicia oravi, pauca, quod non ſine cordolio ſcribo, exoravi. Deſideria quorundam pro mea virili explere ſategi, omnia non potui. Jacta interim eſt alea, ſors, precor, cuilibet ex ſententia cadat.


Mendas Typographicas omnes nemo centiceps vel centoculus evitarit. Extantiora correximus, minoris momenti, &, quæ ſenſum non turbent, reliqua, vobis, *O boni*! corrigenda reliqui.

Nil igitur ſupereſt, quam ut a vobis, *Practici juniores optimi Viri*, enixiſſime petam, ut opellam hanc tenuem, veſtris uſibus, veſtræque commoditati, unice conſecratam, & e ſummo affectus intimi candore pronatam, boni conſulatis, in emolumentum, ſi quod inde ſperari poteſt, veſtrum utamini, mihique, amico veſtro integerrimo, bene precemini. Scribo in Muſæo d. 13. *Mart.* 1711.



TABULA BAROMETRI.

A. A. A. A. Tabula ipſa. B. B. Tubus vitreus, in quo Mercurius C.C.C.C. Scala graduum. 1,2,3,4,5 6. Gradus ipſi. ⊙⊙⊙⊙⊙⊙. Lineæ graduum.



THERMOMETRUM FLORENTINUM.


HERMETICE SIGILLATUM;

Cujús fluidum adſcendit in calore, deſcendit in frigore.

Dividitur in globulum A. & tubulum B, B, utroſque vitreos.

Tubulus diviſus eſt in duodecim gradus, qui notantur. o & Graduum quilibet in quinque lineas & ſex ſpatia.

Globulus impletur ſpiritu vini colorato, pro augmento caloris adſcendente, frigoris deſcendente.





B. C. D.
ETEODROMI
MEDICO-PRACTICI
LENTILIANI
MDCCIX.
JANUARIUS.

I.



QUemadmodum finiverat Anni 1708. sic inchoavit Anni 1709. constitutio cœli. Ante & post *Æquinoctium autumnale* temperies aëris calida fuit & sicca. Vindemia non admodum divite peracta, circa finem *Octobris* gelu magnum ingruit, mense vero *Novembri* pluviæ interpolatæ cum continuis fere nebulis, crassis, empyreuma quasi (sic enim illud spiramen conceperam) olentibus. *Mense Decembri* nives cum intenso gelu; circa finem anni squalidus aër & frigus remissum, liquefactæ nives, eaq; tempestas adhuc durans. Cum nebulis *novembribus tusses & asthmata* creberrima, fere *epidemica*, totum *Ducatum*, quinimmo, quod per litteras comperimus, regiones etiam longe dissitas quaquaversum pervagantia. Variis illæ *tusses* symptomatibus stipatæ fuerunt, *asthma* semper comes, interdum cum *raucedine*, nonnunquam cum *febrili rigore & æstu*, *febri nempe continua catarrhali*, *pleuritide* tam *vera* quam *spuria*, *peripneumonia*, *catarrho suffocativo*, *coryza*, *dolore dentium*, *ophthalmia*, *cephalæa*, *hemicrania*, hacque interdum quoque *perio-* I.

I. *odica*, quin & *angina spuria*, quæ omnia non sic intelligenda, quasi his collective symptomatibus quilibet æger afflictus fuerit: sed v. gr. qui *pleuritide spuria* laborarunt, ab *hemicrania* immunes vixerunt. *Tussibus* obviam ivimus *Decocto pectorali*, nunc simplici, nunc autem in *asthmate* cum *rhoncho Rad. armorac. sem. nasturt.* & *sinapi* magis resolvente reddito, nonnunquam singulis hujus *decocti* haustibus calidis, quos *scutellis theinis* metiebar, additis guttulis ex *~ cochlear.* & *~ ⊖ ✱ ci anisato cum Ra. croci.* In diuturnioribus *radicibus* & *herbis pectoralibus* *incidentibus* admiscui *purgantia*, cumprimis *agaricata*, magno cum emolumento. *Febrili constitutioni*, *pleuritica*, *peripneumonica* contraitum *specificis*, *pulvisculis alexipharmacis*, *absorbentibus*, ex *♁. diaph. Oc. ♋. ♎. nat. ⊕ ppto.* &c. Id. *venæsectione*, *vesicatoriis*, *mixturis ex aq. card. Mar. bened. scord.* cum *mixt. simpl. sir. pap. err. litibus anodynis*; *Dec. CC. citrato.* Interdum *linctus ex lohoch ad asthma*, cum *ol. amygd. d.* & *sperm. cet.* *Liquiritia cocta* perfunctorie usurpata. *Gargarismi anginæ spuriæ* dicati simplices. *Cephalæa* & *Hemicrania emplastra temporalia* ex *empl. de tacamah.* cum *op. pulveres cephalici*, *pil. iber. cœl. empl. Reg. Burrhi*, *vesicatoria* brachio lateris dolentis affixa. Non semel observavi per ejusmodi cauteria dolores capitis equidem sublatos, sed brachium a vesicaterio impensissime doluisse, gradu plane extraordinario; quod acrimoniis seri acceptum ferebam. Brachium tam acerbe dolens inunctione *ol. sperm. ranar.* expedito solabar. *Peripneumonici* nonnulli succubuerunt; reliqui meæ curæ crediti per DEI gratiam evaserunt. Si qui statim in principio per biduum circiter lecto se affigerent, ab exhibito *diascordio* cum *♁. diaphor.* & *CC. phil.* largiter sudarent, a vino sibi caverent, potum calidum sorberent, brevissimo morbi circuitu defungebantur. *Purgantia* ab initio morbi, materia scil. adhuc cruda existente, non bene cesserunt. Nonnullis in *tussi* cum *raucedine* simplici solum *Decoctum rad. helen.* cum *vino addito melle* calidissime potum, unice conduxit. Remedia vulgi, quæ *domestica* vocant, varia fuerunt; aliqua vix imitanda. Quidam *tussim*, cumprimis nocturnam, lenire sustinuerunt *frustillo nucis moschatæ sub lingua detento.* Pluribus arrisit *potus aquæ calidæ in ollis fornacum asservatæ*: Ofen-Hafen- oder Höll-Hafen-Wasser / quamvis alii, semet experimentum nil juvisse, conquesti sint. Nihil his inest solidi. Quid enim hæc aqua, præ alia quavis calida, majus efficiat? præcipue cum ollæ istæ non sint ex eadem semper materia conflatæ, aliquæ scil. figlinæ, aliæ ferreæ, cupreæ? Non autem inepti fuerunt, qui sorbitione *Theæ, Caffé* &c. sunt usi. Risum meretur, quod alii suaserunt, mane

scilicet

scilicet *haustum vini generosi frigidum* ex ipso demum dolio promtum, in ipsamet vinaria cella hauriendum. Novimus, qui *tussim* nondum habentes eam tali potu accersiverunt; novimus *cardialgiam* inde natam. Fuerunt, qui a potu quolibet calido *tussim* efferari crederent. De *cervisia* ad fornacem calfacta, per rationes ab *Illustri* Schrœckio in *Miscellan. meor. Part. 1. p. 306.* traditas concesserim: de *aqua* vel *vino calido* mihi nil tale compertum. *Tussi* hac epidemica, cum occipitis, quoties tussirem, vehementi dolore, ipsemet ego vexatus, d. 29. *Nov.* anni præteriti mihi sic medicabar:

Rec. *Spec. pro Dec. pectoral.* ℥iiij.
Coq cum mens: 1ß. *aq font ad consumt* ⅙.

De colatura mane & noctu calide hausi binas scutellas, quarum primæ instillavi gtt. XXXX *mixt.* seq

Rec. *Ess. lignor.* ℥ß.
~⊖✱ci anis & cochlear, an. ʒjß.
R. c oc ʒß. *M.*

Pomeridie hora quarta, ejusdem *mixturæ* gtt. 40. sumebam ex potionis sequentis cochleari uno, cujus etiam seorsim frequenter 2. cochlearia hauriebam:

Rec. *Aq. veron. hyssop. cochlear. anis.* āā. ℥ij.
asthmat. ℥ß.
Sir. jujub. papav. errat. āā. ℥iij. *M.*

Liquiritia cocta perfunctorie liquefiebat in ore meo. Per aliquot dies domi manebam. *Vinum lymphatum* bibebam. Cibos coctu faciles comedebam, &, DEO sic favente, intra 5. dies liberabar.

Hæc propterea præmittenda duxi, quod morbus hic epidemicus sub anni hujus ingressum mitiorem se quidem præbeat, nondum tamen cesset.

§. Grapteris *Uxor* 24. circ. annorum, texturæ mollis, quartum ab inde 18. hebdomatis gravida, *tussi epidemica* laborat. Medico non utitur. D. 28. *Dec.* me vocat. Conqueritur de *asthmate, phlogosibus, dolore lumborum, torminibus, motu infantis jam a triduo imperceptibili.* Cum jam semel abortisset, venam secare jussi. Nullus inde motus infantis. D. 29. ordinata *mixtura* cochleatim usurpanda: (Grapteris *uxor.* *Tussis epidemica.* *Metus abortus.*)

Recip. *Aq. plantag melliss.* āā ℥ij.
bals. embr. ℥ß.
Coral. r. ppt. Spod. ex ebor. an. ℈j.
extr. papav gr. iiij. *sir. gran. cherm.* ℥ß. *M.*

Abdomen & regio lumbaris ungatur *unguento Comitissæ.*

A 2 *Empla-*

I. *Emplastrum ex pane mellito cum vino rubro & ℣. additis aromatis co-ctum umbilico calide admoveatur.* Inde quidem se motum quasi aliquem percepisse dixit, sed vires valde diminui, interdum animo quasi linqui: horripilationes leves adesse, cum æstu insequente. *In lecto ad latus decumbenti pondus ventris eo versus simul labi.* Tormina, dolores lancinantes non desinere. Mammas esse flaccidiores, dolores in eis punctorios sentiri. Caput quoque dolere. Signa hæc erant *imminentis* quidem *abortus*, sed nondum sufficientia ad demonstrandum infantis mortem. Nam in his casibus quam cautissimum se Medicus præstare debet, ne, fetum vivum pro mortuo habens, pellentibus eum exturbet. Igitur d. 30. *Dec. abortum* adhuc impedire decreveram, ordinatis sequentibus:

Recip. *Extr. papav. torment. Bezoard. an. gr. iiij.*
cum ess anod F. pil. n. XII. pro 2. dosibus.

Emplastrum ad rupturas super alutam extensum applicetur lumbis.

Vesperi deliquium animi, horripilatio, æstus, vomituritio, dolorum nulla ἀνάπαυσις. Obstetricem noctu consultum ibant. Hujus sequentia consiliola: Emplastrum cito removeant. Propinentur *aq. borrag.* cochlearia duo. *Crusta panis tosta, atq;, dum calet, nuce moschata perfricta, spirituq; vini delibuta umbilico imponatur.* Non taxaverim *aquam borraginis*, sed cur ea sit efficacior mixtura à me ordinata? Non rejecerim *epomphalion*, sed cur id *meo emplastro* melius operetur? Quid commeruit *emplastrum catagmaticum*, ut à lumbis removendum fuerit? Hæc equidem noctu actitata. Non renuebam, altero mane, scil. 31. *Dec.* accedens. Nam id mulierculis nostris solemne, ut in affectibus mulierum consiliola muliebria (Weiber-Räthlein.) magni æstimanda sentiant, quibus, ni damnum hinc in ægrotas redundare videas, interdum aliquid condonandum, id enim magis facit ad Medici æstimationem sartam servandam. Cumprimis junioribus Medicis auctor fuerim, ne temere talia spernant, præsertim ab obstetriculis profecta, secus enim fiduciæ jacturam faciet. Proinde, cum 31. *Dec.* actis narratis, & deliquium animi vespere præcedente passum emplastro lumbari delatis, ægram adhuc debiliorem, omniaque symptomata, excepto dolore lacerante, præsentia conspicarer, quamvis se infantis motum plenius percepisse dixisset illa, tamen *abortum* adhuc metuens, nihilominus a *nimis astringentibus* mihi desistendum esse ratus, *roborantibus* rem solis aggredi decrevi, quibus *æstum febrilem* ea nocte magis intensum *attemperantia* miscui. Cochleatim sorbeatur talis *mixtura*:

Rec.

Rec. *Aq. 4. fl. cordial. aa.* ℥ij. I.
rub. id fl. til. an ℨij.
balſ embr. ℥ß. *conf. alk. inc.* ℨj.
ſir. fl. tun. ℨiij. *M.*

Singulis 4. horis ſumatur unus e 3. *pulviſculis*:
Rec. *Spec. cordial. temp. de gemm. fr. an.* ℨß.
M. F. 3. ℞.

Redeuntibus *deliquiis* naribus admoveatur linteum ſeq. *mixtura* delibutum: Rec. *acet. rub. id.* ℥j.
lil. convall. lavend.
aq. Regin. Hung. an. ℥ij. *M.*

Noctu hora 10. accurrunt, deliquia adfuiſſe, horripilationem, tremorem labiorum, æſtum ſummum, *cervicis dolorem & qſ. ſpaſmum* adeſſe. Pergat cum *pulveribus*. Quamdiu durat æſtus, cochleatim capiat *emulſionem*:

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ℨj. *citr. excort.* ℨij.
aq. rub. id. ceraſ n. fl. til. rut. an. ℥iß.
F. l. a. emulſ. add.
Pulv. march. bezoard. ♃*al. an.* ℨß.
ſacch. perlat. ℨij. *M.*

Rec. *ol. NM. expr.* ℨj. *ſuccin.* ℞ *ll.* ℈j. *rut.* ℈ß.
axung. caſtor. ver. ℨß. *M.*
vertex inungatur.

Hodie, cum ex pulſu robuſto, aliiſque ſignis collegiſſem, *deliquia* iſta magis eſſe *hyſterica*, priori odoramento ſurrogavi;
Rec. *liq. CC. ſuccin.* ℞*a. Caſtor an.* ℨj.

Pulviſculos ita mutavi, manente eodem uſu:
Rec. *Spec. de gemm. fr. ſpecif. cephal. aa.* ℥ß.
lapid. bez. or. gr. Xii. M. F. 3. ℞.

Scrobiculo cordis *epithema*:
Rec. *aq. carbunc.* ☉. ℥ij. ℞*a. Caſtor.* ℨj. *M.*

Linteum hoc liquore calido imbutum, ad minimum quadruplicatum, frequenter applicetur. Ea veſpera fetus motum ſe melius, quam antea ſentire, & propemodum credere, ſe fetum adhuc vivum geſtare. Cum jam ordinatis pergere juſſi, imperata ſemper quiete ſuper lectum. [d. 2. *Jan.*]

§. Grapteris *Filiolo*, $\frac{1}{4}$. annorum, obeſulo, ad impugnandam *tuſſim* & *aſthma*, præter *mixturam* jam nuper ordinatam ex *aq. farfar. veron.* Grapteris Filiolus.

 ana

I. Tussis. Asthma. *ana.* ℥ij. ~⊖✱*ci* ℈j. *Sir. jujub. papav. err. an.* ʒj. *M.* præberi *jussi sperm. cet. rec gr XV.* quocunque modo. (d. 8 *Jan.*)

Vectis uxor. Tussis Ferina. Maxilla tumor. §. Vectis *uxor* 24. annorum jam per tempus laboravit *tussi ferina epidemica.* Medicum, contenta remediolis domesticis, non accersivit, donec *maxilla dextra intumuerit adeo, ut in illo latere esset immobilis, & vix per dentes a. Sonus egredi, a juscula ingredi possent,* adeo connivere cœperant. Dolor & dentium & auris dextræ, & temporis quoque illius lateris intensus erat, intensissimus eo loci, ubi est articulatio processus posterioris maxillæ inferioris cum osse temporum. Maxilla dextra sæpius calide ungatur *linimento* sequenti:

Recip. *Ol. e flor. Slot.* ℥ij. *castor.* ʒß.
♈ *camphorat.* ʒß. *M.*

Bibat singulis 4. horis propter *tussim Decocti pectoralis* haustum calidum, instillatis prius gtt. XXX *mixt.* seq.

Recip ~ *cochlear.* ʒj. & ⊖✱*ci anis* ʒß. *M.*

Os frequenter colluat *gargarismo* calido;

Recip. *Fl. malv. arbor. ros r. ligustr. aa. mß.*
rad. alth. ℥ß. *liquir.* ʒiij.
sem. cydon. ʒß. *fic. pingu. nro. iiij.*
conc. cont. coq. in s. q. aq. font. Colat. ℔. *ij. add.*
mell. rosat. rob. diamor. an. ℥iß. *M.*

Potum ipsamet sibi elegit *aquam fontanam, in qua panis tostus madui*, addito *sir. papav. errat.*

Hodie, cum os nihilo magis diducere posset, dolorque punctorius in aure multum intenderetur, suspicans naturam ibi *abscessum* moliri, hunc promovere decrevi *cataplasmate e ficubus recentibus cum cepa sub cineribus assata & theriaca* simul conquassatis calide frequenter applicando. Cum potum hesternum stomacho minus congruere assereret, jussi *Emulsionem amygdalarum cum decocto passularum* paratam biberet, cum reliquis pergeret. Cum menses per 7 septimanas emansissent, nunc incipiunt comparere, hos vero, cum gravidam semetipsam ægra crederet, pellentibus urgere non esse consultum duxi, quietem tamen & calidum regimen imperavi. (d. 2 *Jan.*)

II.

II. Canusius. Raucedo. CAnusio vinitori 56. annorum ex epidemico catarrho sine tussi notabili *rauco* suasi *Decoctum helenii* ex *vino* addito *melle* calidissime aliquoties hauriendum. Potum omnem frigidum dissuasi.

Ejus

Ejus *uxor* ab *epidemica tussi spurie pleuritica* facta, difficillime spirans, post venæ sectionem sponte jam celebratam, *linctum* usurpare est jussa: II.

Recip. *Lohoch. ad asthma, ol. lin. sllat. an. ℥j.*
sperm. cet. ʒß. ~⊖✻ci anis. ℈j. M.

Cataplasma ex *semine lini* in *lacte bovillo* cocto lateri dolenti calidissime applicetur. Vinum non bibat. (d. 9. *Jan.*)

§. Vectis *uxore* (d. 1. Jan.) visitata comperi *dolorem auris* remisisse, sed *temporis dextri* adhuc intensum. *Tussis* feliciter superata. Cum digitum per vim intra dentes adegisset exploratura tumentes læsi lateris gingivas, eum reduxit sanguinolentum & purulentum. Judicavi *ulcus intra gingivas, superiorem præcipue, latere*, ejusque rupturam esse promovendam. Remoto igitur *cataplasmate* hesterno surrogavi aliud ex *pulv. spec. emoll. cum lacte* coquendum & frequentissime juxta atque calidissime applicandum. In oris læso latere creberrime detineat *decocti* calidi sequentis rursum exspuendi momentum: Vectis uxor Odontalgia

Recip. *Fic. pingu. n. iij. rad. alth. ℥ß.*
sem. cydon. ʒj. croc. ℈j.
Conc. cont. coq. in lacte vaccino.

Ægram esse bono animo jussi. Fore enim ut rupto in gingivis *abscessu* maxillæ motus sit rediturus, cum non adsit *spasmus*, sed a congestione circa articulationem sola motus ejus impediatur. (d. 3. *Jan.*)

§. Grapteris *uxor* motum infantis verum se aperte sentire affirmavit, tormina non plane quidem cessare, sed longe mitiora esse. Dolorem in lumbis circa os coccygis valde sensibilem hærere, parvis deliquiis horripilatione, vomituritione, æstu, se heri noctu rursum vexatam. Deliquia adhuc ob pulsum robustum hysterica censens, ut simul *abortum* averruncarem, jussi, ut antemeridie *pulvisculum* adhuc unum restitantem sumeret, per cochlearia vero eam, quæ sequitur, *mixturam*: Grapteris uxor, Metus abortus.

Recip. *Aq. cerasn. fl. til. an. ℥ji.*
hirund. c. castor.
bals. embr. an. ℥ß. Spec. cordial. temp. ʒß.
Conf. de hyac. inc. ʒj. sir. fl. tun. ʒiij. M.

Dolori lumborum calidam inunctionem ex *ol. lumbric* ♈. *Camph.* & *essent. anod.* Pomeridie, cum suspicarer, annon propter nunc per aliquot vesperas periodice redeuntia deliquia, horripilationem, vomituritionem & æstum *aliquid febrilis* delitesceret, ordinavi *pilulas*:

Recip. *Extr. gentian. Cort. peruv. an. gr. Vij.*
Castor. gr. iiij. M. F. pil. no. XViij. pro 3. dosibus, vid. infra.

§. Topa-

Toparii *uxor. dolor maxillæ,*

§. Toparii *uxor* conqueritur de *dolore maxillæ sinistræ inferioris circa articulationem.* In violentiore maxillæ motu sibilum seu strepitum aliquem in tempore sinistro, quasi ligamentorum percipi. Metuere se, ne non plane immobilis fiat maxilla. Non adest tussis, non coryza, nec dentium dolor, nec capitis. Jussi, ut maxillæ dolenti circa articulationem admoveat *emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio*, judicans, hærere ibi locorum lympham viscidam, gelatinosam .resolvendam.

Eadem de *siccitate* molestissima *faucium* noctu præcipue affligente queritur. Delicatulæ suasi, ut noctu cubitum itura haustum acciperet *julebi ex aq. font. cum sir. rub. id facti.*

Eidem nunc per 8. hebdomatas *menses substiterunt.* Bene tamen habet, de re nulla, nisi ciborum aliquali aversatione & vomituritione querens. Dixi, nil esse moliendum, donec vel graviditatis præsentis, vel congestionis sanguineæ pleniora semet indicia ostendant. Interim moderate vivat, & sibi temperet a quovis motu violento. (d. 19 *Jan.*)

Laurentii *uxor. Symptomata venerea.*

§. Laurentii *uxor* 27. annorum, texturæ tenerioris, a longo tempore *dolore tibiæ* laboravit, & *capitis in regione frontis, ad radicem nasi*, faucium quoque cum deglutiendi difficultate. Consilio cujusdam Medici usa cumprimis *errhino*, ut querebatur, valde *acri*, effecit, ut excoriaretur primum interne nasus, hinc aliquot *ossicula* prodirent, quibus Medico ostensis, ipse rem sic bene satis cedere, utque continuaret errhinum adhibere dixit; sed ossicula plura cum summo dolore emuncta insignem mulieri deformitatem attulerunt. *Gargarismis* & *injectionibus* per syringam collo sic satis prospectum. Tumor super ipsam sinistram tibiam identidem vehementer dolens remansit. Ab eo tempore omne Medicorum commercium aversata patiens utcumque vitam toleravit. Nuper etiam *tussi* & *asthmate epidemicis* correpta, cum, alias debilis per vexationes antecedentes, viribus supra modum exhauriretur, diu tamen in Medici citationem consentire detrectavit, donec, vi morbi interitum minitantis fracta memet admitteret. *Aphonam* ex *raucedine* inveni, summe debilem, ex *asthmate* eminus sibilantem, pulsum vehementer oppressum, nil nisi liquida deglutire nec nisi per cochlearia potum haurire valentem. *Tussi* opposita jam sæpe recensita d. 17. *Dec.* liquidiora. D. 18 cum *aquam*, ut ajunt, *confortantem* peterent, talem, non neglectis prioribus, ordinavi:

Recip. *Aq. confort. offic.* ℥iij, *acac. veron. an.* ℥j.
Cinnam. bugloss. ℥ß.
pulv. anal. fr. Mind. inc. conf. alk. c. an. ʒj.
sir. fl. tun. ℥ß. *M.*

Passu-

Passulatum HORSTII potui datum, in jusculis *gelatina caponis* um pede vitulino. *Tussis* minui, *respiratio* levari, *vox* redire, e casu antum non desperato omnia in melius mutari, D. 22. *Dec*, residuæ *tussi* dicata sequentia; II.

Recip. *Elect.resumt.* ℥j.
cons. fl. bellid. viol. an. ℥ß.
spec. diatrag. fr. ʒij. *pulv. lign. sassafr.* ℈ij.
diacod. croc. q.s. F.elect. med. consist.
ter in die sum. qnt. castan.

Recip. *Aq.veron.scabios. acac.an.* ℥ij.
cinnam.bugloss. ℥ß. ℞.*croc.*℈j.
Sir.papav.err. violar. an. ʒiij. *M. cochleatim.*

Usq; ad 26. *Dec.* omnia bona: Tunc autem *rheumaticus dolor brachium dextrum occupavit*, lancinans, cumprimis circa cubitum & carpum, neque rubore, neque tumore præsente. Brachium erat immobile, dolor plumarum & noctis impatiens. Hunc toleravit usque ad hodiernum diem, quo me vocari curavit. Inquirenti penitius tum in hunc ipsummet dolorem, tum alia quædam antecedentia, suspicio *doloris venerei* in animum irrepsit. Nam & tumor supra tibiam sinistram nil aliud erat quam perfecta *exostosis*. E naribus ante usurpationem acris *errhini*, de quo supra, *muci viridis & exsiccati valde fetentes cylindri*, cum dolore & striis sanguineis emungebantur, ut nihil dicam de *colli ulceribus* aliquando præsentibus.

Hinc aliter mihi procedendum ratus, Infusi proxime sequentis mane & noctu calidum haustum imperavi:

Rec. *Ras. lign. sanct.* ℥j. *sassafr.* ʒij.
rad. sarsapar. ʒX. *chin. bardan. ana.* ℥ß.
herb. trifol. fibr. fumar.
*fl. samb. an. m*ß.
cinnam. opt. ʒij *sem. anis. stellat.* ʒj.
Conc. cont. D. pro infuso theiformi.

Totum brachium aliquoties ungatur calide:

Recip. *Ol. lumbr.* ∀. *camph. an.* ℥j.
ess. anod. ʒj. *M.*

Superimposito articulationibus cubiti & carpi *empl. de ran. vigonis c.* ☿*io.* [d. 12. *Febr.*]

§. Campyloxyli *ancilla mensibus immodicis* ante trimestre laborans me consulebat. Suasi largam venæsectionem in brachio, quum plethoricam Campyloxyli *ancilla*

II. ricam ex habitu cognoscerem. Substitit sanguinis per muliebria fluxus. Nunc a 3. septimanis non tantum largam ejus per competentia loca flumen, sed *vomitus* haud raro *sanguinei*. Caussam agnoscens nimiam sanguinis tenuitatem agilioremq; justo motum intestinum, per *incrassantia* medelam aggrediebar. Fieri curavi *pulverem* ternis per diem vicibus ad ʒß. assumendum:

Rec. *Rad. alth. Symphyt. maj. an.* ℥ß.
gumm arab. sem. cydon. an. ʒß.
bol. arm. ppt. ℥ß. *M. F.* ℞.

Vitet vinum, aromata, iram, motus violentos.

Unica V^e in alterutro brachio largiter instituta *menses immodicos* haut raro compescui.

Grapteris *uxor* *Metus abortus.*

§. Grapteris *uxorcula* (d. 2. *Jan.*) licet motum fetus & sentiat verum, & per omnia melius habeat, nondum tamen extra lectum manere potest, quin sensus externi hebescant; hinc jussi, ut in lecto, qua pote, constanter decumberet. Vesperi adhuc horrores vix sensibiles, cum *phlogosibus* & *vomituritione*. Quid si *febrile* quid lateret? ordinatæ *pilulæ*, quarum sex pro dosi singulis quinque horis sumantur:

Rec. *Extr. gentian. cort. peruv. an. gr. vij.*
castor. gr. iiij. F. pil. nr. XVii.
D. 6. pro dosi.

Cum *mixtura* cochleatim sumenda, & *epomphalio* pergant. (d. 3. *Jan.*)

Bradeus *Febris Ephemera.*

§. Bradeus, *Theologiæ Studiosus*, 22. annorum, temperamenti sanguinei, habitus mollioris, a meridie itinere equestri huc venit. Ventus erat aquilonaris valde scindens & frigidus ipsius pectori obversus, nec eques erat munitus pallio. Quum hic appulisset, corripitur *æstu*, nil prandet, lectum petit, æstus intenditur, cephalalgia ingruit, sitire incipit, pulsus concitatus. *Emulsionem amygdalinam* siti compescendæ destinavi. Fronti admotum *unguentum alabastrinum*. Noctu sumsit 4. *pilulas theriacales cœlestes*. *Emulsionis violatæ Mynsichtii* doses aliquot, si hac opus esset, paratæ. Dimidia nox inquieta cum æstu valido. Post noctis medium *emulsionis* ℥. tres haustæ, hinc indormiit & mane sudavit. Pacata omnia.

Fuit *febris ephemera*. Frigus externum ab aquilone haustum poros cutaneos oppessulavit, hinc ab inhibita transspiratione sanguinis incendium febrile, paroxysmo unico, restituta *diapnoë*, defunctum.

III. Alturbani *filius.* *Vermis umbilicalis.*

III.

Curaveram *puellum* 16. menses natum ab *epidemica tussi* & *asthmate* ad

ad incitas fere redactum, Alturbani *Filiolum*. Propulso hoc morbo puellus, quod antea sueverat, *insatiabili* propemodam *edendi cupidine* ad quævis esculenta ferebatur. Veniebant, qui *vermi umbilicali*, quem Germ. den Geizwurm appellant, famem istam deferrent. Initur muliebre consilium, ut nucis juglandis dimidia testa melle impleta per noctem umbilico superligaretur. *Testa mane prorsus vacua, quin plane exsiccata, reperta*. Mater ad me veniens, cum, quid actum, narrasset, quæsivi, utrum nil mellis aut certe macularum a liquefacto melle in fasciis repertum sit? Se omnia sedulo scrutatam esse & nil reperisse affirmabat. Suasi, ut rem adhuc semel tentarent mixto melli *vitri veneti polline*, testam *emplastro* de *sperm. ranarum* superinducto munirent, alteroque mane mihi transmitterent; hodie ea ad me delata, nullis *mellis* vestigiis vel in *emplastro* vel linteaminibus relictis tantum non plane vacua fuit. Volebam igitur, ut sequentis *pulvisculi* ℈j mane & noctu cum *melle* subactus pusioni præberetur: III.

Recip. *Æthiop. miner.* ʒj.
Sem. Santon. Corallin. pulv. gialap. an. ʒß. *M.*

Foris eodem tempore abdomen calide inungeretur.

Recip. *Ungu. arthan.* ℥vj. *æthiop. miner.* ʒij.
croc. metall. ʒß. *Extr. colocynth.* ℈j.
ol. absinth. coct. q. s. M. F. Ungu.

Alvi excrementa probe lustrentur.

§. Ap. *uxorem* Vectis (d. 2. *Jan.*) tumor maxillæ magis auctus, tensus & durus, dolor pulsatilis valde molestus; redit etiam in aure punctorius. Se, cum solida deglutire non posset, per ista juscula non satis refici, hinc viribus deficere querebatur; &, cum sudare gestiret, præbui *Ræ. bezoard.* ʒß. Jussi ut cum *cataplasmate*, & *interno Decocto ficuum, &c.* continuaret. *Mensium fluxus* desinit. Suadeo *gelatinam caponis* cum pedibus vitulinis jusculis misceret. *Emulsionem amygdalinam* sibi natura adversam amplius bibere recusavit. Mater ejus præsens, annon *lapide bufonite* maxillam fricare liceret, rogavit, namque id se in tumoribus faciei valde proficuum sæpe comperisse? Concessi; Nam, si renuissem, etiam meis ingratiis lapidem admovissent, & si forte pure satis maturato *abscessum* rumpi contigisset, omne negotium *bufoniti* delatum fuisset. Quid enim iste lapis? An revera talis detur? adhuc dubium est. Commendatur quidem ad tumores, sed *venenatos*, ab animalium morsibus & puncturis prognatos. Vid. Ettmüll. *Schröder. dilucid.* & Lang. *operum part.*

Vectis *uxor* *Tumor maxillæ adontalgicus.*

III. *part. I. p. 325.* ubi plura de ejus ortu. Nobis enim hic talia discutere non vacat. Ea tantum fini a me talia proponuntur, ut *Neopractici* discant, muliercularum consiliolis interdum aliquid esse dandum, modo non afferant, quæ ægris quacunque ratione nocere possint. (d. 4. *Jan.*)

Obstetricum temeritas,

§. Occasionem nactus cum *obstetrice* loquendi de Grapteris *uxore*, quæsivi; *cur imperatum a me catagmaticum emplastrum a lumbis removeri jusserit?* Primo dissimulabat, instanti denique respondebat, se putasse aliud esse *emplastrum* mihi alias solenne ad uteri hæmorrhagias compescendas, conflatile scil. ex *bolo rubra*, *farina laterum cum aceto & albumine ovi* subactis; quod autem talis hæmorrhagia non adesset, removendum duxisse. Stolidum! Quis enim Medicus ad ejusmodi mulierem accitus, utrum uteri hæmorrhagia adsit, nec ne? expiscari obliviscatur! quærendum prius erat ab obstetrice, quale illud esset emplastrum & quapropter imperatum? [d. 6. *Jan.*]

Luxatio capitis femoris.

§. E Chirurgis nostris quidam occurrit, qui, *Cantstadii* se reposuisse *luxationem capitis Xemoris antrorsum factam in puella vegeta 18.* annorum eamque luxationem obtigisse a solis caussis internis, externa vi nulla adhibita. Dixi *subluxationem* fuisse. Immo veram *luxationem*, ille reponit. Mirum, si verum! quomodo caput femoris ex acetabulo suo per solum humorum impetum penitus expelli possit, conceptu difficile. Saltem sine curatione interna, repositionem tametsi facilem, constantem tamen futuram non auguramur.

Melanthius. *Ascites,*

§. Melanthius, Platearius, vir 36. circ. annorum a multis annis *dyspnœa* laboravit. Sexcentis usus nil profecit. Irrepsit sensim *cachexia*. Consilio medicastri *fontes* Göppingenses præterita æstate potavit. *Cachexia desiit in ascitem.* Nil potentissima purgantia *extractum esulæ*, *elaterium*, *Olum cyprium* Dekkero commendatum, nil validissima diuretica valuerunt. Denique *scarificatæ suræ* profuderunt successive serum omne cum plenaria pedum, femorum, abdominis, scroti penisque detumescentia. Vulnusculis consolidatis tumor denuo sensim attollebatur, non obstante viscera roborantium diligenti usu. Vult tamen curari, cum appetitus constet. Per DEUM rogat ut purgans forte ordinarem. Victus precibus mortem horrentis:

Rec. *Extr. esul. gr. XVI magist. gumm. gutt. gr. viij.*
f. pil. nro. XVI pro 1. dosi. Parentur in duplo (d. 6. *Jan.*)

Visitatoris *uxor*. *Vomitus in graviditate.*

§. Visitatoris *uxor* haud procul *Giessa Hassorum* habitans, plurium jam liberorum mater, per 11. menses gravida *vomitibus horrendis* affligitur,

fligitur, *abortum* quoque minitantibus. Consilio meo victuræ præscripsi *pulverem* mane & noctu ad ℈ß. sumendum: III.

Rec. *Pulv. st. mach. Birkm. spec. diacr. Myns. an. ℨß.*
diaph. ♃al. ℈ij.
Coral. r. ppt. ebor. fossil. mastich. sel. an. ℈j.
elæosacch. caryoph. ℈ij. M.

In omni languore, præcipue post omnes *vomitus* capiat unum & alterum cochleare *mixturæ*:

Rec. *Aq. cinnam. cydoniat. ℥ij. mastichin. ℥j.*
conf. de hyac. ℈j ol. caryoph. gtt. iiij.
sir. cydon. ℨiij. M.

Scrobiculo cordis bis vel ter in die *linimentum balsamicum*:

Rec. *Ungu. pomad. ℥ß.*
ol. nuc. mosch. expr. ℥j. menth. absinth. an. ☊. ll ℈j.
caryoph. mac. an. gtt. V.
bals. peruv. schœnanth. subtiliss. ☿. an. gr. XXiiij. M.

Vitetur ira, motus violentus, cibus dyspeptus.

Jam alio tempore, in simili affectu, eodem modo usurpata, eidem profuerant. (d. 29. *Aug*)

IV. IV.

Tota dies pluviosa. *Barometri* liquor manus non madefaciens ceciderat per 2. lineas versus gradum tertium. *Thermometri* tinctura ad unum ferme gradum exaltabatur.

§. Vectis *uxor* (d. 3. *Jan.*) idem obtinet. *Tumor maxillæ & dolor major.* Præter ultimo præscripta externa cataplasma np. & *gargarismum*, petenti scripsi *mixturam refectivam*: Vectis *uxor. Tumor & dolor maxillæ.*

Rec. *Aq. 4. fl. cord. an. ℥j.*
fl. til. ceras. n. an. ℥j.
conf. alk. inc. ℈j. spec. cord. temp. ℈ß.
sir. fl. tun. ℨiij. M.

Aqua carbunculi ☉*ea* cum spleniis regioni cordis calide applicetur.

Rogavit, utrum non liceret *oleo Bufonum* oblinere maxillam. Concessi. (d. 5. *Jan*)

§. Mosellani Suevici *filiolæ* minimæ ¼. ann. pro *tussi* & *asthmate* epidemicis, præsente simul *constipatione* ordinavi purgans: Mosellani *Filiola. Tussis & asthma.*

Rec.

IV. Rec. *Pulv. Cornach. gr. XV. sir. de cich. c. rh.* ℥vj.

🜍⊖✳ci anis. gtt. iij. aq. acac. ℥ij. *M. pro 1. dosi.*

Postea bis in die gtt. vij. l. viij. ex quovis vehiculo:

Rec. *🜍⊖✳ci anis. R. croc. an.* ʒß. *M.* (d. 8. *Jan*)

Vinariensis *phthisis*. §. Vinariensis Senator 30. annorum mense *Junio* præterlapsi anni *tussire* cœpit. Sponsus ad nuptias peregre profectus in via corripitur dolore lateris alterius punctorio, cum dyspnœa, æstu & siti. Balneator propinat *bals. 🜍. terebinth.* Exacerbata omnia. Göppingæ acceptis a me medicamentis, ad nuptiarum locum contendit, ibique *pleuriticus* lethaliter decubuit. Post 3. ferme menses rediens cum uxorcula semper tussivit & ægre spiravit. Post assumta plurima, integra quoque cura *lactis caprilli* sic convaluit, ut in publicum prodiret. Nunc ab octiduo recrudescit *tussis*, cum *dyspnœa*, & *ciborum vomitibus*. Rogavit, utrum laudatum ab aliis *pulverem* ex *veron. farfar. bellid. min. rad. helen.* & *saccharo edere* liceret. Dixi pulmones nimis exsiccatum iri; tussim autem esse siccam. Suasi *Decoctum theiforme* mane, noctuque hauriendum:

Rec. *Fic. ping. n. iij. jujub. sebest. an. par. iij.*
sem. anis. ʒj. *liquir. ras.* ʒij.
herb. veron. heder. 🜄str. pulmon. maculos. an. ʒß.
passul. min. ℥ß. *Conc. cont. D.*

Sub initium prandii ac cœnæ cum primo haustu vini lymphati gtt. 60. *elixiris*. seq.

Recip. *elix. balsamic.*
sir. bals. an. ʒiij. *M.*

Vitet meracum, salsa, aromata. Hic vix evasurus videtur. (d. 16 *Jan.*

V.

V.

Magis cecidit infra gradus tertii lineam primam *Mercurius* in *Barometro*; altius in *thermometro* ascendit liquor, Frigus itaque propemodum plane remisit, pluviæ continuo ceciderunt.

Dromonis *puellus*. §. Dromonis Satellitis *puellus* 1½. annorum ex *tussi epidemica* ad incitas redactus spiritum ægerrime trahit, pomeridie fere semper frigidum

dum sudat. Color faciei nonnunquam lividus. Anceps remedium potius, quam nullum daturus propinavi *laxativum*, *Mosellani puellæ* heri ordinatum, demta saltem ℥j. *de sirubo cichoraceo*. *Mixturam ex aq. confortat. offic. fl. til. cerasn. -~. cochlear. ⊖✱. anis. Ra. croc. & sir. violar.* constantem cochleatim sumendam, cum balsamo ad nucham, verticem & tempora; V.

Recip. *Ol. NM expr.* ℨß.
succin. rut. an. ℈ll. *& bals. peruv. an.* ℈ß. *M.*

Parum læti prædico.

In eadem domo vidi puerum 10. annorum, qui vix ad *staturam puelli quadriennis* surrexerat. Brachia, tibiæ mire contorta, caput, abdomen magna; pedibus insistere non valet. Pronunciavi *rhachitidem* olim neglectam, malumque incurabile, proinde tolerandum, ac dispiciendum, annon forte, quod virium corpusculo decedit, animulæ per institutiones pias accrescere possit. (d 6 *Jan.*)

Vectis uxor. Abscessus odontalgicus.

§. Apud Vectis *uxorem* (d. 4. *Jan.*) omnia tendunt ad maturitatem *abscessus* propediem rupturi. Conqueritur de pituita fauces & linguam obsidente. Monui, quam semper hactenus refragata esset, ut *injectionem gargarismi* per Syringam admitteret, quod se facturam promisit. Post quasvis injectiones ordinavi cochlear. 1. *mixturæ ex mucilag. sem. cydon. cum sir. dialth. Fern. & papav alb. remixtæ.* Cum *cataplasmate*, ut quam diligentissime pergeret, jussi. (d. 6. *Jan.*)

Nisseti uxor. Pulvis nephriticus.

§. Nisseti *uxor* me rogavit, ut percontarer Dn. D. Chemonium de *pulvere nephritico* sibi pro filio calculoso a SERENISS. quad. PRINCIPE commendatum. Constare autem comperi e solis *fructibus halicac. & arillis bacc. cynorrhodi*: ante usum hujus *pulveris* bis vel ter sumatur ℈j. circ. *Tart. crudi* in pollinem redacti. Non spernenda sunt ejusmodi medicamenta, licet simplicia. Nec enim ex pretio pharmaca sunt æstimanda. Patientibus meis semper dicere soleo, me nullatenus rejicere *medicamenta* sic dicta *domestica*, modo cum præscitu meo adhibeantur. Si mihi videntur innoxia, concedo. Faciendum hoc Medico. Nisi enim concedas, clam tamen plerumque talia propinant, nec, ubi quid nocumenti attulerunt, fatentur. Atqui sic Medico & ægrotis illuditur, illusione haut raro pœnitenda. (d. 8. *Jan.*)

VI. Heri

VI.

VI. Heri noctu usque ad undecimam continuo pluit, mox nives, ventus borealis & mane tam intensum gelu, quantum hac hieme nondum perceptum. *Mercurius* in *barometro* hodie mane aſcenderat per tres lineas, me ſane non parum mirante mutationem tam ſubitam, qualem tam brevi tempore nunquam obſervavi. *Thermometri liquor* hodie deſcenderat ad penultimum gradum, hac veſpera vel nocte hujus gradus adhuc tres lineas nudavit. Quid hæc tam ſubita mutatio boni latura ſit, expectandum.

§. *Puellus* Dromonis accedentibus *convulſivis motibus* vitam finivit. Quantumvis male habeant ægri, cumprimis infantes, non tamen æque periculoſe decumbunt, quam cum *ſudoribus frigidis*, citra *febrim* & mente ſimul conſtante.

Dromonis *puellus*.

§. Heri noctu deniq; *abſceſſus* in maxilla *uxoris* Vectis interne ruptus profudit magna copia pus longe fetidiſſimum, cum doloris abolitione; Nec pus tantum, verum & ſeroſi liquoris vim non ſpernendam. Profluxit hæc ſine dubio e *glandulis* Whartonianis. Accerſiverunt ante ruptionem Chirurgum Oniſimum, qui nil aliud, quam ego, tam judicavit, quam ſuaſit. Imperavi, ut ſummo jam ſtudio *abſceſſui* proſpicerent, ne quid puris, aliusve materiæ relinqueretur, quod *injectionibus*, *gargariſmis & preſſu digitorum* perfici poteſt. Hoc, ſi non fiat, oriuntur in *gingivis* ulcuſcula fiſtuloſa, *maxillaq; carie* proteruntur. Id ſemper omnibus modis inculcandum in ejuscemodi *abſceſſibus*. Multum negotii mihi faceſſerat impatiens hæc mulier, quæ ſalvari quidem, nec amen præſtanda præſtare cupiebat. (d. 15. *Jan.*)

Vectis *uxor.* *Abſceſſus odontalgicus.*

§. Grapteris *uxori* tragema ordinavi ſequens, cujus ℈ij. mane & noctu per ſe ſumeret:

Grapteris *uxor.*

Rec. *Spec. diacr. Mynſ.* ℥ß.
raſ ebor. ſubtiliſſ. pulv. gran. cherm. an. ʒß.
Cor. r. ppt matr. perl. ppt. cryſtall. ppt. an. ʒß.
elæoſacch. cinnam. ℥ß.
Conſ. alk. inc. quantum capit pulvis. M.

Res in vado, per DEI gratiam, eſſe videtur. (d. 8. *Jan.*)

§. Den-

§. Dendronius cum ex *podagra* aliquandiu decubuisset, medelam urget pedum *œdematosorum* usque ad tarsos; *pediluvium* commendavi ex *fl. chamom. herb. artemis. r. Serpill. salv. rorismar. fl. lavend. in lixivio coquendis*: post pediluvium pedes fricentur ♈. *camphorato*. Aliquoties hoc balneum repetatur. VI. Dendronius. *œdematosi pedes.*

§. Melanthio *hydropico pilulæ* nudius tertius ordinatæ non nisi ternos, hesternæ quaternos sedes moverunt. Ipsius precibus victus alias ordinavi cras & perendie sumendas, de quarum effectu & ingredientibus suo loco. [d. 9. *Jan.*] Melanthius. *Ascites.*

VII.

Gelu hac nocte increvit, *hydragyrum* in *barometro* ascendit per duas adhuc lineas ad sextum usque gradum; liquor autem *thermometri* primum præcise gradum descendendo mane attigerat. In eodem utraque statu, hac sexta, qua ista scribo, vespertina, durant. VII.

§. Gennadii *puellus* anniculus jam diu *asthmate* laborat cum stertore, lætus alioqui, ciborumque appetens. Bis κάτω purgatus semper levamen sensit, non tamen constans. Nostri farciunt infantes, quasi clunaclo destinatos. Inde pituitosæ saburræ cum in toto corpore, tum etiam præcordiis, congestio. Nutricatui tam largo interdixi, quod satis Medicorum inculcare nemo potest. Ordinavi *potiunculam* uni quoque vel alteri evacuationi anotericæ aptatam: Gennadii *Puellus. Asthma.*

Rec. *Pulv. Cornach. gr. Xvj.*
Sir. de cichor. c. rh. ℥ß.
omet. ℨj.
aq. acac. parum. M.

§. D. 29. Dec. anni præteriti vocabar ad viduam 57. annorum, quæ *pedis dextri ulcere antiquo* jam ultra biennium laborat circa tarsum inter num. Dolor ibi acutus & lancinans. Ichor profluens multus. Nomen est mulieri Ponica. Quæsivi inter alia, utrum consuesset *venam secare* idque jam propter ætatem intermittere cœpisset. Annuenti suadebam Vsem. Frustra. Scripsi purgans: Ponica *Vlcus antiquum tibiæ.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℨß. *elect. e psyll.* ℨiij *M.*

Largiter evacuata fuit Bibat mane & noctu *infusum theiforme*:

Rec. *Rad. bardan. lapath. acut. an.* ℥ß.
ras. lign. sassafr. ℥j.
herb. trifol. fibr. fumar. an. mj.
sem. anis. ℨj. *conc. cont. D.*

VII. Antemer. hor. 9 sumatur pugillus unus, cui affundantur in urceolo *Theè* potui dicato fontanæ ferventis ℥xij. stent loco calido per 12. horas, vel usque ad nonam nocturnam; calefiant more *infusi theæ*, bibantur e scutellis cum vel sine saccharo: His epotis statim recens fiat apparatus ad novos potus mane hor. 9. hauriendos. Utatur hoc *infuso* per 14. dies. Diæta sit congrua. Post hos 14. dies in pede ulceroso subter genu & parte domestica excitetur *fonticulus*.

Ejusmodi *infusa theiformia* mihi in multo sunt usu; nil ab *infuso thee* quoad infundendi & bibendi modum diversum habentia, nisi quod prius digerenda sint pro meliore virium e radicibus lignisque compactioribus extractione, sic ut, quæ antemeridie bibuntur, per noctem, quæ noctu, per integram diem digerantur. Hoc semel pro semper inculcatum volo, ne toties mihi imposterum, ubi talismodi fiet mentio, repetendum sit.

De *Venæsectione* assueta per totum vitæ tempus nunquam intermittenda commodior alibi locus erit differendi.

Fonticuli his ulceribus quamtumlibet antiquis, intercepto fluxu, frequenter, quamvis non semper, medentur.

Hodie redit Filia, matrem quidvis potius quam istud *infusum* hausturam, aliud orare remedium, hujus enim potationem sibi videri impossibilem. Cum interrogassem, utrum *guttas* assumere valeat, *essentiam lignorum cum ess. fumar. & trifol. fibr.* scripturus? negabat. Quid ergo? Petuntur *pilulæ*. Tales ordinavi:

Rec. *Extr. gentian. fumar. gumm. guajac. an.* ʒj.
extr. helleb. n. diaphor. Sal. aa. ʒß.
cum ess. lign. sassafr. F. pil. pond. gr. iß.
sum. mane & noctu nr. XV.

Post *novilunium* pergant cum *fonticulo*.

Definitio hominis. §. Hac die mihi allata *Pathologia Dæmoniaca* Patroni mei Dn. Westphali. Locis aliquibus honorificam mei fecit mentionem, qua de caussa publicæ ipsi debentur gratiæ. Quum autem p. 68. commemorat, me in litteris 3. *Febr.* 1690. ad ipsum missis Hominem definivisse *animal mentale ad imaginem DEI conditum*, in eo mentem meam non satis assecutus esse videtur. Nimirum ita se res habet: Philosophiæ naturalis ab Aristotele Ethnico ad Christianos delatæ, asservatæ, propugnatæ, vicem dolebam. In ea enim uti in plerisque a sano sensu, fideque orthodoxa multum aberrat, ita etiam definitionem peripateticam homi-

nis, quod nempe ſit *animal rationale*, minime omnium tolerandam eſſe cenſebam & adhucdum cenſeo. Cur enim homo, ad imaginem DEI conditus, cui DEUS ipſe ſpiraculum vitæ, id eſt, *mentem immortalem*, in nareis inſufflavit, cur, inquam, hoc tam nobile plaſma cum brutis animalibus ſub eodem genere militet? Salvator noſter fuit, eſt & erit *homo*, ergo & *animal*? propudium! Nonne per *mentem immortalem* homo eſſentialiſſime, ut ita loquar, diſtinguitur a quovis animali bruto? nonne magis diſtat homo v.gr. ab equo, quam equus à planta, vel lapide? Nam a potiore, id eſt, *anima*, vel potius *immortali mente*, fieri debebat denominatio, quæ certe, quippe *Spiritus*, magis diſtat ab omni materia, quam *materia a materia*! Nolebam igitur hominem definiri per *animal*, itidem equum, bovem, pulicem eodem cum ipſo genere gaudere. Cum proinde *genus* aliud, quod eſſentiam hominis melius exprimeret, excogitare non poſſem, per *onomatopœam* mihi Philoſopho chriſtiano æque atque Ariſtoteli gentili licitam, commentus ſum vocabulum *mentale*, vel, ſi quis mavelit, ad imitationem vocabulorum *animal*, *cervical*, *minutal*, abjecta vocali e *Mental*: quo non utor adjective, ſed ſubſtantive. Sic, ut *Homo* mihi ſit definiendus, quod ſit *Mentale*, *vel Mental*, *ad imaginem DEI conditum*. Jamdudum ſchediaſma meditor, de *ſolipſismo mentis humanæ*, ubi hæc definitio amplius & fuſiſſime excutitur. Hoc igitur, bona cum venia, excell. Dn. D. Weſtphali monendum eſſe duxi. VII.

§. D. 25. *Maj.* 1708. Conſulebar a Dn. Libevio, 55. annorum. Libevius. Dixerat ſe a Juventute fuiſſe ὀρθοςάδιον, & in negotio ſanitatis de nulla re *Cœliaca.* conqueri potuiſſe, nunc autem ab aliquibus jam annis concoctionem non rite procedere, cum *diarrhœam*, vel potius, quod ipſe dicebat, *lienteriam* pateretur. Se quidem adhuc viribus pollere, appetitumque ad omnia non hebetem eſſe, metuere tamen, ne ſucceſſu temporis in pejora dilabatur. Re penitius explorata vitium magis in inteſtinis, quam ventriculo, hærere pronunciavi. Non enim excernebantur cibi nil mutati, quod in *lientericis* fieri ſolet; ſed excrementa ſunt quaſi *cinerea* & *pultacea*, aliquot demum horis poſt aſſumtionem prodeuntia. Fluxum potius eſſe *cœliacum*. Dolebam tot Curationes præpoſteras, malo non ſatis cognito, dolebam id per temporis diuturnitatem adeo jam irroboraſſe; ſuadebam ſequentia:

Mane hora 5. ſumantur *pilulæ n. X.* ſuperbibito hauſtu *juſculi carnis plantagine recenti medicati*:

VII. Rec. *Diaphor. ♂al. ℥ß. balſ. peruv. ℈j.*
extr. torment. c. ſ. q. ∼. cydon. in eſſent. redact. q. ſ.
F. pil. pond. gr. iß.

Antemer hor. 7. pomeridie hor. 5. ʒj. *pulveris* aſſumat:
Rec. *Pulv. ſtomach. Birkm omiſſa rad. acor. noſtr. ℥ij.*
ol. nuc. moſch. expr. ℈ß. M.

In principio cujuslibet paſtus hauſtum bonum bibat *vini medicati* talis:

Rec. *Rad. cichor. tarax. aa. ℥ß.*
herb. card. ben. chamædr. veron.
capill. ven. aronis an. mj
fl. cent. min. calend. ana. p. 1.
rad. ar. ppt. ʒij. ſem. fœnic. ʒj. ⊖. tamar. ʒij
conc. cont. D. pro nodulo, immergendo vino albo veteri, ſine coctione.

Rec. *Pulv. ſtomach. Birkm. ℥ij.*
diaphor. ♂. ▽. catech. an. ʒij.
extr. papav. err. ℈j. ol nuc. moſch. expr. gr. XV.
ſacch. roſat. tab. ℥j. M.

Diæta ſit congrua Enim vero his omnibus nihil profectum. d. 14. denuo conſultus rem ſic aggrediebar; ſumat mane, pomer. & noctu *pulveris* pone ſequentis ℈ij. per ſe:

De *electuario* ſæpius in die, immo ſingulis 2. horis, quantitatem caſtaneæ capiat:

Rec. *Conſ cochl. roſar. antiq. amarac. an. ℥j.*
diaph. ♂al bol. arm ppt. an. ʒij.
cinnam. ac. conſ de hyac. an. ʒj.
extr. papav. gr. Xij.
cum brod. nuc. jugl. F. mixtura mollis.

Potus ſit *decoctum cinnamomi* vel purum, vel cum *vino rubro* aut alio veteri mixtum. Foris toti abdomini applicet *ſacculum ex herb. abſinth. menth. cr. fl. chamom. bacc. Iunip. ſem. carv.* Medicamentorum uſui diu inhærendum. Sed neque hæc nos voti damnabant.

Circa finem anni ſuaſi *cremorem avenæ* ad 24. dies peculiari modo paratum, de quo latius alibi. Sed hodie ſic de Dno. Ægro meus uterinus, Pharmacopœus: Contabeſcere incipit vir optimus, queritur appetitum hactenus utcunque firmum jam etiam languere, laſſitudinem adeſſe, nonnunquam parva deliquia, muſculos flacceſcere, ſeque metuere, ne tumor

mor forte sequens catastrophem imponat. Filium obsidioni Insulanæ in Brabantia præsentem cum Dn. D. Aulæpolitano de morbo parentis locutum; consilium sequens portasse, de quo meum judicium exquiratur. VII.

Oblitus eram commemorare; Dn. Patientem a Medico quodam vicino Pontificio, fere octuagenario, accepisse *sirupum* quendam *purgantem*, cujus ipse jugem usum laudabat. Ego in totum dissuasi.

Consilium igitur loquitur de *fermento ventriculi corrupto*, *a sanguine itidem corrupto* illuc deposito, cibos non rite solvi, laudabilem chylum non extrahi, cruditates in primis viis generari, per vasa lactea sanguini communicari, mucum subalbum a chylo secretum cum flatibus excerni, &c. *Pilularum* bis in septimana numero undecim mane jejuno stomacho cum vino deglutiantur:

Rec. *M Pil. de ammoniac.* ʒß.
extr. summit. pin. trifol. fibr. an. ℈j.
resin. lign. guaj. gialap. an gr. XV.
Oli. ☍. bals. Ind. nigr. an. ℈ß.
laud. op. gr. iij. ol. cinnam. gtt. ij. F. pil. pond. gr. ij. deauranda.

Elapsa post hora 3. vel 4. scutellæ *Infusi theiformis* hauriantur:

Rec. *Herb. beton. anth salv. veron. an. mß.*
rad. sarsapar. chin. liquir.
ras lign. sassafr. an ℥ij.
cinnam. ac ℥iß. *sem. anis.* ʒj. *Conc. cont. M.*

De *pulvere stomachico*, quantum duo cuspides cultri capiunt, hor. 1. ante prandium cum jusculo sumatur:

Rec. *Chel. cancr.* ʒij. *margarit. ppt.* ʒß.
troch. de viper. tal. leporin. an. ʒj.
mastich. sel. ℈j. ♁. *nat. gr. XV.*
ther. cœlest. gr. Vij. fol. ☉. *n. ij. M.*

Noctu ante somnum gtt. XXX. *Tincturæ*, cum modico vini:

Rec. ⊖. *vol. CC* ʒß. *ol. mac.* ℈j.
opobals. ver. gr. XV. 🜄. *alcoholis,* ℥iß.
M. diger. per ☌ ℘. *loco Cal. filtra & in vitro probe munito serva.*

Vere proximo *fontem acidum* bibat, & *balneis serpentinis* utatur.

Meum non est, electoralium Medicorum consilia censere. Sunt tamen, quæ animum suspensum teneant: Sedem morbi non in *ventriculo*, sed *intestinis* quæro, quamvis & illum postliminio quasi debilitatum esse *anorexia* demonstret. Interim tamen ordinata medicamenta

VII. nullatenus rejicula sunt, quæ mihi præ *balneis* & *acidulis* arrident. Aquarum enim mineralium internum æque & externum usum in atonia viscerum *cachectica*, limineque *hydropis* nunquam proficua fuisse, sum expertus. Me suasore *pilulas* omisso *gialapii magisterio* deglutire, mox autem loco infusi *theiformis cremorem avenæ* nuper laudatum, *cinnamomisatum* tamen sorbere, *pulveri stomachico balsamum indicum siccum cum armena bolo addere, tincturaq; uti posset.*

VIII.

VIII.

Hodie mane *nivula* cecidit, frigore ad sensum nil remittente. *Argentum* tamen *vivum* in *barometro* ad lineam dimidiam subsederat, tinctura vero *thermometri* adhuc eodem, quo heri, loco. Circa meridiem adhuc descensus *Mercurii*, & hac vespera rursum, observatus. Ceciderat per 2. lineas. Ventus occidentalis & *calcaneorum meorum pruritus* frigus remissius futurum præsignificant. Cœlum quoque minus stellatum. Curiosum quid observavi jam per binas vesperas. Tibialibus vestior intus lineis, extus laneis crassis hiemalibus. His ubi simul ante somnum, meimet ipsius cubicularius, exuissem pedes, in tibialibus cumprimis laneis percepi *strepitum* quasi *confracti straminis*, qualem edere solent hiemali tempore feles & e canum genere nonnulli, quoties eorum pili adversum cutim fricantur, scintillulas etiam vibrantes & *phosphorum boyleanum* fere olentes, scintillas in tibialibus meis non conspexi, quamvis odorem prædictum ea spirare mihi viderentur. Verisimile est, effluvia corporis ♀eo pinguia intra tibialia crassa præclusa a frigore densari, detractisque noctu tibialibus istum strepitum edere. Gelu tam insolitum vitibus in vineis declivibus infestum fuit, præcipue cum vitium recentes ramusculi nondum satis induruissent; (haben sich nicht gebeinet / uti vinitores nostri loquuntur.) Hinc vindemiæ spes non opulenta. Traditio est inter Vinitores, si doliorum assulæ multum vini imbibunt, quod hac hieme fieri observatum, hoc esse indicium vindemiæ parum largæ.

Herbolaria. *Rheumatismus brachii.* §. Herbolaria 52 annorum ante quinque demum menses fluxum menstruum est ultimo passa. Nunc ab aliquot diebus *rheumatismo Sinistri brachii* valde dolorifiico affligitur. Tumor aliqualis, rubor nullus. Dolor intensissimus eo loci, ubi ad caput humeri est theca, seu plexus nervorum cervicis ac thoracis ad manum distribuendorum, quod in aliis mihi quoque observatum & rationi conforme. Suasi, ut sudorem sibi semel in die proliceret electuario tali quadripartiendo:

Rec.

VIII.

Rec. *Diascord. Fracast.* ℨß. *extr. pap. comp.* ℈j.
☿. *diaphor. CC. philos. an.* ℨj. *M.*

Brachio dolenti ter in die *linimentum* calide affricandum:

Rec. 🜄. *rectif.* ℥x. *bacc. junip. contus. mß.*
mixta stent loco calido per 2. horas; Cola & exprime.
Liquori adde sapon. venet. ras. ℥ß.
camph. ℈ß. *croc. austr.* ☿. ℈j.
Iterum stent in calore ad omnium dissolutionem.

Brachium involvatur *pelli leporina.* Si linimentum hoc non comperiatur dolorem sedare, addatur ipsi tantundem *lixivij* ♆*a.* (d. 11. *Jan.*)

§. Nisseti *Filio pulverem* Gemonii *nephriticum*, de quo 5. *Jan.* hodie scripsi talem: ℞. *fruct. alkek. arill. cynosb. an. q. pl. F.* ☿. *subtiliss.* trihorio ante prandium sumatur ℨß. cum brodio, & altera die totidem *Tart. crud.* ☿ß. ita semper alternando, sic, ut hodie *pollen nephriticus*, cras *Tart. crud.* atque sic vicissim sumatur. Hunc utendi modum ab ipsomet Dn. D. Gemonio edoctus sum. Volui tamen, ut prius purgaretur;

Nisseti *Filiolus. Nephritici dolores.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℨß. *magist. gial. gr. V.*
Ol. mac. gtt. 1. M.

§. Chirurgus opidanus veniam abeundi peregre per biduum a me rogavit. Cum in nosodochiis nostris nihil, quod ejus præsentiam flagitaret, occurrat, concessi.

§. Mosellani *Filiola*, de qua 4. *Jan. mixturam purgantem* summo cum labore haustam per vomitum reddidit, reliquum mixturæ pars furtim, pars precario, pars vi successive quidem propinatum, præter unicam sedem, nil movit. Non consultum duximus puellam ad assumenda alia pharmaca per vim cogere, cum ejusmodi propinas non tantum inutiles, verum & noxias comperti simus, nec possibile sit, ut medicamentum, ea confusione, per moleculas quasi, obtrusum, vim & efficaciam debitam præstet. Sitis a haustu bono ἀπνευστί sumto sedatur, minus, si totidem per *cochlearia* longo temporis intervallo sorbeatur. Discerpitur hoc modo medicamenti virtus, quæ conjuncta manens melius operatura fuerat. (d. 24. *Jan.*)

Mosellani *Filiola.*

§. Grapteris *filiolus* a primo fere partu (quod frequenter accidit) *nephriticus* fuit. Signa erant clamores, adscribi primum soliti torminibus, revera ex dysuria orti. Quoties igitur infantulorum nimii clamores remediis anticolicis non cedunt, dispiciendum est, utrum urina bene succe-

Grapteris *Filiolus. Nephriticus.*

VIII. succedat, &c, annon arenulæ rubræ in involucris lineis compareant? quod, si existit, de *nephritide* certi sumus. Medemur ejusmodi pusionibus hac aut simili *emulsione*:

Rec. *Sem. lithosperm. violar. an. ℨiß.*
aq. fragor. petrosel. ceras. n. an. ℥j.
F. l. a. Emuls. add.
Oc. ♋. crud. cont. cryst all. ppt. an. gr. Xij.
sir. de alth. Fern. ℥ß. M. præbeatur cochleatim.

Penicillus, inguina, perinæum inungantur calide:

Rec. *Ungu. alth. ℥ß. ol. scorp. ℨij. & succin. ℈j. M.*

Præservandi fine mihi familiaris est *pulvisculus* ad cusp. 2. cultri, primo bis, postea tantum semel, immo alternis diebus præbendus;

Rec. *Pulv. rad. alth. ℨj.*
asell. ppt. oc. ♋. crud. cont. an. ℨß.
sacch. a. ℥j. M.

Hæc insigniter profuerant. Sed cum hodie puelli matrem inviserem, ipsa se *nephritidem* in eo denuo sentire affirmavit, sed mederi *aqua destillata nephritica* ab amico, Dn. Jova, sibi communicata, cujus præparationem sibi secretam servet, *regulos* tamen (Zaunkönigle in.) aviculas etiam ingredi compositionem affirmat. Gustavi aquam, quæ saporem *spiritus vini*, sed nescio quid simul nauseosi, exhibebat. Laudati tamen effectus esse perhibetur. (d. 10. *Febr.*)

Grapteris *uxor.* §. In Grapteris *uxore* (d. 6. *Jan.*) *metus abortus* cessavit, interim vesperi adhuc frigusculum, cum insequente æstu ac sudatiuncula: Non tutum esse ratus, ut *febricula* frenum laxetur, eam extirpandam esse suasi per *pilulas*, quarum 12. mane & noctu deglutiantur:

Rec. *Extr. gentian. cort. peruv. an. ℨß.*
succin. a. ppt. ♁. ♂. an. ℈j.
ol. caryoph. gtt. iiij. bals. peruv. q. s. F. pil. pond. gr. I. (d. 12. *Jan.*)

Tremellius. *Halitus cachecticus.* §. Tremellius, stabularius, 46. circ. annorum sentit *lassitudinem totius, dyspnœam* in ascensu scalarum, inappetentiam, tumorem œdematosum in utroque pede, horripilationes, phlogoses. Magis tamen friget, quam calet. Pallidus est. *Cachexiæ* sic occurrendum duxi:

Rec. *Pulv. Cornach. ℨß. elect. e psyll. ℥ß. M. pro 1. dosi.*

Bibat postea *vinum absinthites compositum*, ejusque in quovis pastu haustum primum largiusculum:

Rec.

VIII.

Rec. *Com. absinth. herb. card. bened.*
flor. cent. min. an. mß.
rad. gentian. ℥ß. caryophyllat. ʒij. rhab. ver. ʒj.
cort. aur. sicc. ʒij. cinnam. ʒß. sem. anis. ʒj.
conc. cont. noduloq; inclusa immergantur in urceum vino albo veteri impletum: bibat modo supra dicto, semper vinum novum reaffundendo, donec sapor amarus vino communicari desinat.

Noctu ante somnum accipiat quantitatem *juglandis* minoris *rob ebuli, samb. & junip.* æquali portione compositi. [d.15. *Jan.*]

IX.

Nix hac nocte cecidit, mane tamen ad gradus quinti lineam tertiam *Mercurius* in *Barometro* descenderat, vesperi per unam rursus lineam adscendens. Notandum ☿ ij. in *barometro* ascensum & descensum magis sequi aëris claritatem & turbiditatem, quam calorem & frigus. Frigus enim hodie æque mansit intensum & *liquor* in *thermometro* ad gradus primi lineam secundam ceciderat.

§. Regenotti *uxorcula* quintum gravida primis mensibus nauseat, omnique matuta vomit, ex stomacho quoque dolens. Plura jam usurpata parum profuerunt. Amat potum *Caffe* cum *lacte*. Suasi, ut *pulveri Caffé* quintam partem *pulveris cinnamomi* adderet. (d. 14. *Febr.*)

Regenotti *uxor.* *Vomitus gravida.*

§. Siderolithi *uxor* ante semestre abortum passa nuper iterum impraegnata, nauseat carnes; *mane vomit*, sed biliosa tantum quædam, idque statim fit, ubi pedem e cubili movit. Per totum diem nil tale patitur, appetit, dormit. Ob metum *abortus* hosce *vomitus* compescere decrevimus. Circumstantiæ demonstrant hunc vomitum nullo stomachi vitio cieri; nec enim inappetentia adest, nec ciborum ejectio; sed acceptum ferendum *consensui nervorum*, *ramulorum* scil. *paris vagi*, per *stomachum* æque ac *uterum* disseminatorum, & connexionem quandam inter hæc viscera stabilientium. Hinc nervinis magis, quam stomachicis, hic raro juvantibus, rem expediri posse existimans ordinavi mixturam:

Siderolithi *uxor.* *Vomitus uterini.*

Rec. *Tinct. propriet.* ʒiij. *castor.* ʒj.
℥. nervin. ʒij. *M.*

Sum. mane, dum adhuc in lecto cubat, *guttas* 50. ex scutella *Caffe cinnamomisati*, adhuc parum superindormiendo. Noctu cubitum itura sum. 5. *pilulas* gr. 1. penderantes e *Mass. pil. fetid.* c. cochl. vini.

D Spiri-

IX. *Spiritus nervinus* Excell. DN. D. HOFFMANN. *in not. ad Poter.* agnoscit Auctorem, constans ex *ol. CC. rec.* ☊ *ll.* & *a* ♒ & ⊖, *vol. una prodeunte separati cum octuplo circ. aqua cujusd. epilept. v. gr.* LANGII *vel hirund. c. castor. ex CCta vitrea super* ♆. △. *blandissimo, quamdiu striatim prodit, evocati.* Medicamentum haut inelegans amo, & interdum loco *liq. CC. succinati usor.* (d. 23. *Jan.*)

Pleonectis *Filia.* *Labiorum & indicis digiti alternans tumor.* §. Pleonectis vitriarii *Filia* 14. Annorum jam a multo tempore laborat portentoso fere *labiorum tumore*, sic, ut interdum findantur. Hoc tumore disparente in locum succedit *tumor digiti indicis* dextræ manus; sic, ut alternis vicibus nunc labia, nunc ille digitus, & utraque mirum in modum intumescant. (d. 18. *Jan.*)

Neritii *Filia.* *Idiosyncrasia.* §. Neritii *Filia* 14. itidem annorum ante annum *Febri alba & palpitatione cordis* afflicta fuit. Sublato per DEI gratiam per congruas medicationes malo, pallet quidem adhuc, sed neque diætæ studet. Singulare est puellam ab illo tempore amare *fetorem ellychniorum*, sic, ut emunctorium demum a candela remotum, naribus admoveat, eaq; mephiti recreetur. Cætera bene habens ingerit, digerit, egerit. (d 4. *Apr.*)

Melanthius. *Hydrops ascites.* *Pilulæ* Melanthio d. 6. *Jan.* ordinatæ sex numero adsumtæ quaternos sedes moverunt; altero die numerus septenarius nil magis effecit. Jussi, ut hodie 10. & perendie 12. assumeret, cras, novilunio præsertim præsente, feriaretur. Constant autem ex *semine cataput maj. extr. cathol. aloë hepat. gumm. gutt. manna & sir. liquirit.* Dos *gr. 1. ad v.* Potentissime, stupendum interdum in modum, aquas educunt. Grana tria dedimus aliquando *hydropico* WEMDINGENSI, duabus vicibus, qui liberatus tunc, post semestre recidivam passus sub alius cura mortuus est. Nostrum *pilulæ* 6. & 7. non nisi quater moverunt, tametsi quælibet earum gr. j℔ ponderaret. Propter has *pilulas* orta mihi ante 22. annos magna lis cum *Pharmacopœo* quodam NORDLINGENSI maleferiato, qui, ut me suspectum redderet viris bonis *a Collegio Medico* NORIBERGENSI, presso nomine meo, testimonium emendicarat, vel suffuratus potius erat, quo drastica vis hujus medicamenti culpabatur. Persuaserat autem calumniator pessimus amplissimis istis viris, *medicastrum quendam has pilulas quibuslibet, sine discrimine, purgationis præservatoriæ loco propinare*; quod mihi nunquam in mentem venerat. De quo forte alibi latius acturi sumus. (d. 21. *Jan.*)

Canusii *uxor.* §. Canusii *uxor*, de qua 2. *Jan.* a medicamentis tunc propinatis

melius

melius habuit, hinc aliquoties sudavit ab assumto *rob sambucci*, promoto, alias ægerrime obtinendo, sudore per *duos lateres probe excalfactos & linteis obvolutos*, quibus pedum plantas in lecto applicavit. Labia non tantum, sed tota insuper facies pustulis efflorere cœpit cum euphoria. Nunc de *capitis* adhuc *dolore* & *gravitate* queritur. Ordinavi *pilulas*: IX.

Rec. *Extr. cathol. gr. Xvij.*

magist. gial. scammon. ān. gr. V.

F. pil. n. XViij. pro 1. dosi.

Post exantlatam *pleurisin* alvus subducenda, quod, nisi fiat, plerumque, etiam demum post anni decursum, *phthisici* efficiuntur.

Clinecosmi *ancilla*. *Mensium suppressio.*

§. Clinecosmi *ancilla* præterito autumno musti plurimum hauriens *menses* experta post *suppressos* ægre spirare, lassari, palpitatione, cephalæa &c. affici cœpit. Consilio vivens DN. GRAPHEDII non male habuit. Inter alia jussa est saphænam pertundere. Noluit Chirurgus, quod puellæ fidem non haberet. Nihilo tamen minus denique sibi persuaderi passus est, ut non quidem istam, sed schiadicam venam pertunderet, unde propemodum ne gutta sanguinis profluxit. Symptomata successive recruduerunt. Meo victuræ consilio scripsi *purgans*:

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. Tart. ℈j.*

dacryd. gr. iiij. ol. mac. gtt. I. M.

Postea mane, & pomeridie *pulveris ʒß.* per se, vel cum jure sumatur corpus aliquantisper movendo:

Rec. *Alcohol chalyb. ℥j.*

diaph. ♂al. cinnam. ac. ãã. ʒj.

⊖. succin. vol. croc. opt. ã. ℈j. M.

Noctu cubitum itura *gtt. 60. mixt. seq.* ex *cochl. vini.*

Rec. *Elix. aperit. Cl. ℥ß. ℞a. succin. ʒij. M.*

Monere soleo, quibus *chalybeata* scribo, præcipue duo: Primum, ut post triduum l. quatriduum excrementa nigra prodire conspicientes non terreantur, siquidem talem esse medicamenti effectum. Secundum: ut primis quatuor diebus, non solum nullum levamen, sed & majores circa præcordia anxietates sentientes, nihil sibi metuant, hoc enim fieri solere, & pedetentim cessare. Non otiosa sunt hæc monita. Nam aliquæ excrementa nigra videntes viscera in putrilaginem versa illac exire credentes de salute sua desperarunt & medicamento uti, clam quoque Medicum, desierunt; idem facientes, si non primo statim die levamen percipiant.

IX. Nostris Chirurgis prohibitum est lege, *ne puellis venam saphanam tundere sustineant, nisi schedula a Medici manu scripta copia ipsis atq; facultas concedatur.* Clanculum enim imprægnatæ non raro has venæsectiones flagitant, Medicique, quem nunquam accesserant, mandatum prætexunt; Utinam omnes Chirurgi legem hanc sanctius observarent! Chirurgus hic neque hanc neque aliam in ullo pede venam secare debuisset, neque ipsum puella hac fini accedere, nisi Medici tunc sui indultu munita. (d.14. *Jan.*)

X. X.

Frigus valde intensum. ☿ *in barometro* ad unam rursus lineam adscendit, liquor autem in *thermometro* totum cylindrum usque ad 2. lineas ultimas evacuavit, utrisque per totum diem durantibus. Temperies aëris ab ineunte novilunio nihil mutata. Heri noctu tibialia mea, remota candela, scintillas splendidissimas numero magno evibrarunt, odore manifeste phosphoreo. DN. SARACENUS mihi retulit, se olim in Helvetia juvenem novisse, cujus collare, indusium, tunica &c. noctu exuta, *tempore quoq; æstivo*, quod miror, splendide fulgurarint, cum capillis quoque pexis, odoremque fuisse 🜍eum. In officina quadam pharmaceutica *aqua* 🜂-*uosa* cum vino ♌llatæ, quin & *spiritus* ipsi vegetabiles per fermentationem parati, v gr. *bacc. sambuci*, metu congelationis, in conclave calidum transportanda fuerunt, quod nullo adhuc tempore sibi observatum *Pharmacopœus* asseveravit.

Halesii *uxor.* *Morbus articularis.* §. Halesii Tinctoris *uxor* 50. circ. annorum, aëri frigido sæpe exposita, præterito octobri in nundinis *Calvensibus* magnum frigus est passa, quin & per nivem satis altam pedestre iter domum emensa fuit. Nunc ab aliquot diebus affligitur dolore artuum vago, sine rubore, sed parvo & vix notabili tumore. Non est *rheumatismus scorbuticus*, nec *arthritis vaga*, sed intermedium quid, carnem muscularem, sicut in *rheumatismo*, sed & articulationes, sicut in *arthritide*, occupans, dolore tamen non adeo, ut in utrisque, atroci. Dicitur alicubi, das kalte Gicht/ nostrates barbare dicunt, das kalte Gesicht.

Rec. *Extr. cathol. gr. Xvj.*
magist. gial. scammon. ā. gr. ij.
F. pil. n. Xviij. pro una dosi, cras mane sumenda.

Cochleatim hinc *mixtura*:

Rec.

Rec. *Aq. fl. samb. fumar. an.* ℥iij.
🜄. nervin. ʒij. *ess. anod.* ʒß.
♁. *diaph. CC. philos. ā.* ʒß.
sir. card. bened. ℥iij. *M.*

Linimentum calide aliquoties in die usurpandum:
Rec. *ol. lumbric.* 🜄. *camphor.*
axung. Canin. ā. ℥ß. *ess. anod.* ʒj. *M.*

§. Halesius ipse ostendit mihi massam ex *isatide* ad imitationem *Indigo* paratam, quo se, loco *Indigo*, cum successu ad tingendos Colore cœruleo pannos, uti affirmabat. DN. D. PEREGRINATOREM olim secum consilium iniisse de exaltanda hac massa, ut subtilitatem *Indigo* acquirat, sed voti se nondum damnatum. Rogavit, ut, si quid ipsum in hac re juvare possem, id facere ne gravarer. Promisi.

§. Nezelius, annorum 40. obesulus in cellam propter scalas supinus præcipitatur, primo cadens super cratem ligneum condendis pomis destinatum (Aepfel-Hurde.) quem per molem corporis confractum secum in imum cellæ deturbavit. Scalarum gradus erant viginti duo, notabilis adeo cellæ profunditas, quam non sine horrore conspexi. Nihilominus, Angelorum ministerio protegente, nulla artuum læsio, nedum fractura. In syncipitis parte dextra, versus coronalem suturam tumor pugni magnitudine surrexit, in syncipite sinistro cuticulæ quædam fissuræ, Femur dextrum sugillatum. Ex illa domo solus in suam domum per mille passus illinc distantem abivit. Nulli vomitus: nullum in dentium morsibus impedimentum. Nullum sanguinis sputum. Ea nocte *pannos vino calido intinctos* imposuerunt. Hodie mane, me accersito & omnia explorante, pulsus æqualis & temperatus erat, nullumque symptoma terrificum. Capitis tumor jam aliquatenus subsederat. Paravi sacculos e *betonica*, *salvia*, *hyssopo*, *roremarino*, *lavendula*, *chamomilla* in vino fervido maceratos creberrime & calidissime imponendos: intus autem *pulveres e mixtura* sequenti, seorsim quoque per cochlearia haurienda, sumendos: Nezelius. *Casus ab alto.*

Rec. ♁. *diaph. dent. apr. philos.*
Oc. ♋. crud. cont. ♁ *nat. ppt. an. gr.* XV.
ther. cœl. gr. ij. M. F. 2. ☿.

Rec. *Aq. chærefol.* ℥iiij. *ceras. n. beton. an.* ℥j.
mixt. simpl. ʒß. *sir. heder.* 🜄. ℥ß. *M.*

Vitet vinum & frigus externum. (d. 11. *Jan.*)

 §. Cor-

X. Corbiniani *Filiolus.* *Tumor faciei.*

§. Corbiniani *Filiolus* 3½. annorum derepente corripitur *tumore faciei magno*, circum oculos livido, sic, ut vix oculos aperire queat. Calor p. n. adest cum siticula: dolor in facie ex tensione. Heri multum e fenestra prospexerat, facie vento aquilonari scindente exposita, unde fortassis ibi lymphæ stagnatio. Accersor. Me præsente flava vomuit. Accingor ad scripturam. Nil, ajunt, pharmacorum assumere puellum. Quid igitur me vultis, inquam? Detestabilis est illa medicamentorum singulis annis magis irrepens aversatio, de qua tamen alibi. Dixi præbendum esse necessario aliquid, quod *diaphoresin* excitet, ordinaturum me pharmacum suave cochleatim præbendum. Annuerunt. Ordinatum tale:

Rec. *Aq. card. bened. ceras. n. an.* ℥ij.
cinnam bugl. ℥ß.
♁. *diaph. CC. philos. an.* ℈j.
sir. fumar. ℥iij. *M.*

Poteram efficacius medicamentum utique ordinare. Sed &c. (d. 11. *Jan.*)

XI.

XI.

Mercurius rursum ad unam lineam subsedit. Thermometrum in hesterno statu permansit. Frigus adhuc valdopere magnum.

Corbiniani *Filiolus.*

§. Quamvis Corbiniani *Filiolus* non nisi verberum minis coactus *mixturæ* heri ordinatæ tantillum assumat, hac nocte tamen *tumor*, cumprimis in *faciei dextro latere* multum diminutus est. Calor præternat. etiam remisit. Jussi, ut adhibito omni studio pharmacon hodie propinare conarentur. (d. 12. *Jan.*)

Nezelius. *Lapsus ab alto.*

§. Nezelius hac nocte bene dormivit, ne semel quidem bibit, tumor capitis fere non amplius observabilis; cum tussit, adhuc parum ex capite dolet. Cum *sacculis cephalicis* pergendum. Reliquum *mixturæ* cochleatim sumendæ consumatur; calori studeat, vinum nondum bibat; mane & noctu hauriat 3. scutellas *theé compositi* ex *theé part. ij. fol. plantag. latifol. herb. chærefol. an. part. 1.* (d. 12. *Jan.*)

Herbolaria.

§. Herbolaria, de qua 8. Jan. ab istis medicamentis convaluit.

Pauper hysterica.

§. Pauperi hystericæ cum torminibus & œsophagi spasmo suasi *infusum theiforme rad. angel. Zedoar. & levistici* mane & noctu ad quatuor scutellas hauriendum.

XII. Ob

XII. XII.

Ob densitatem aëris hodie *mercurius* se usque ad primam lineam secundi gradus demisit, frigus tamen vehementius erat, quam heri, quod in *thermometro* visum, siquidem hodie mane in cylindro fere nihil amplius liquoris repertum; hac septima vero, quo ista scribo, vespertina, primi gradus unicam lineolam iterum superavit.

§. Corbiniani *Filiolus* melius per omnia habet. Nihil assumit. Imo ne cibum. Non esse cogendum dixi, & regimen calidum imperavi. Saxum mihi de præcordiis volvitur, quoties ejusmodi ægrum dimitto. Corbiniani *Filiolus*.

§. *Pilulæ* d. 8. Jan. Grapteris *uxori* ordinatæ *febriles insultus* omnes abegerunt, ipsaque, per DEI gratiam, optime valet, si *coryzam* excipias, quam errhino mitissimo, sola *majoranæ aqua* in nareis attracta debellare jussi, atque, ut durante hoc gelu in publicum non prodiret, monui. (d. 24. *Jan.*) Grapteris *uxor*. *Coryza*.

§. Nezelius æque bene valet, atque si nunquam lapsus esset. Libenter bibit suum *infusum theê compositum*. Hodie in publicum proditurus erat. Non concessi. Nezelius.

§. Halesii *uxor*, de qua 18. *Jan.* per omnia mitius habet, in sola manu sinistra, digitisque, cumprimis indice & medio, adhuc dolorem sentiens; Eam manum *ramentis corticis samb. interioris* obvolverat. Connixi. Reliquias sudore propellendas esse suasi, cui fini ordinatæ *pilulæ*; Halesii *uxor*. *Morbus articularis*.

Rec. *extr. bezoard. fumar. an. gr. iij.*
papav. comp. gr. ij. F. pil. nr. viij.

Sumantur summo mane, superbibendo *vini calefacti* & *saccharati* haustum & componendo se ad sudorem.

Cum de appetitu prorsus abolito querelæ sonarent, ordinatum *tragema*, bis in die ad cusp. 3. per se sumendum:

Rec. *Spec. diacret. Myns.* ℥ß. *diaph.* ♂ *al.* ʒij.
elæosacch. macis ℥j. *M.* (d. 20. *Apr.*)

§. Sextarii *uxor* demum ex *uteri hæmorrhagia* surrexit, nunc queritur de *colli siccitate* post prandium permolesta. Cum lingua non simul esset sicca, neque calor p. naturalis, vitium in ariditate *paristhmiorum* & *glandularum* confinium (sine alia quadam suspicione, cujus nulla signa aderant.] latere judicans, suasi, ut *mucilaginem e cydoniorum semine* Sextarii *uxor*. *Faucium siccitas*.

pro-

XII. *pro ectam cum sir. papav. rhaados* misceret, ac, durante ea siccitate cochleatim sorberet, item, *rotularum tragacanthi* unam vel alteram in ore sensim liquefactam deglutiret, donec alia quædam phænomena nos ad mali caussam manuduxissent. (d. 4. *Febr.*)

§. Cantstadii, opido altero abhinc lapide distante, ducentis circiter passibus a mœnibus bini reperiuntur *fontes minerales*, quorum *masculus*, alter, alter *femella* audit. Scaturigines tam largæ, cumprimis in masculo, ut aqua continuo quasi ebullire videatur. Hieme sunt calidiusculæ, æstate frigidissimæ. Per canalem ligneum in opidum derivantur, qui incrustatur sensim, lapide duro, quasi alio canali, ut singulis annis, canalis ille lapideus naturalis confringendus sit. Sapor est salsus, atramentosus, color pellucidus. In fundum demittit aliquid *ochreum*. Delata in balneas per 600. circ. passus aqua suæ acrimoniæ multum deperdit; per liberum nempe aëra defluere cogitur, cum si canalis asseribus tegatur, asseres rumpantur, claro testimonio, quam hæc aqua *spiritibus* abundet. Balneator ædes ad fontes ipsos exstruere paratus à SERENISSIMO privilegia quædam exorare nititur, meque, ut de aquæ bonitate testarer, hodie rogavit. Æquissimum petitum ratus, me per *reagentia*, 20. scil. *liquores*, *solutiones* & *spiritus chimicos*, itemque per *destillationem* & *evaporationem* aquas examinasse, & reperisse testatus sum: *1. Salem acidum & alcalicum utrumq; valde volatilem, alcalicum tamen prædominantem acido. 2.* ⊖. *communis ex mens. 1. Würtemb.* (quæ continet ℥LVI.) ʒij *gr. vj. 3. Terram calcariam.* Ratione *salium volatilium* inter se contemperatorum, *attenuare*, *discutere*, *aperire*, *dulcificare*, *sudorem ciere*, *urinam pellere*, omnibusque morbis intemperiei istam, si non semper utilem, nunquam tamen, modo viscera in substantia valeant, noxiam esse, *veram* adeo *panacæam*. Ratione *salis communis & artuum languoribus* utilem. Immo, cum ⊖ia ista volatilia, a rupibus, quas in fundo scaturiginis existentes, jugiter alluunt, atomos lapideas solvant, abradantque, quæ, in aëre libero spiritibus evolantibus, sui juris factæ, denuo lapidescant, hinc valde probabile esse, eis potis *nephriticos* multum profecturos, quibus ita positis, æquum me judicare scripsi, ut aqua hæc vere mirabilis orbi penitius innotescat. Oblitus sum dicere, quod aqua mascula ad fontis parietes deponat lapideam congeriem vere miraculosam, quippe e tubulorum saxeorum minimorum myriadibus varie inter se convolutis & irretitis contextam.

XIV. Hac

XIV. XIV.

Hac nocte nix alta cecidit. Frigus vix sensibiliter remisit. Liquor in *thermometro* ad 2. lineas iterum ascendit; ob densitatem vero aëris ☿ *ius* in *Barometro* per 2 lineas descendit.

§. Tusses ferinæ, quæ aliquantillum remiserant, nunc denuo recrudescere videntur. Ichtyboli *Filiola* anniculæ cum semisse contra tussim ordinavi *mixturam* cochleatim dandam; — Ichthyboli *Filiola.* *Tussis ferina.*

Rec. *Aq. veron. scabios. an.* ℥ij.
⊖ ✱ ci. anis. Ra. croc. an. ℈j.
sir. jujub. viol. an. ʒiij. *M.* (d. 15. *Jan.*)

Blepomactis *Filiolo* biennali, similem aliam: — Blepomactis *Filiolus.* *Tussis ferina.*

Rec. *Aq. hyssop. acac. an.* ℥iß.
⊖ ✱. anis. Ra. croc. an. ℈j.
sir. viol. jujub. an. ℥ß. *M.*

Item; Rec. *Sperm. cet. rec.* ʒj. *sir. viol. ol. amygd. d. an.* ℥ß.
M. Hæc duo pharmaca per vices cochleatim exhibeantur.

Pectusculum aliquoties in die *pectorali unguento* ungatur, imposito *cataplasmate ex cœpis in ol. lini frixis.* [d. 15. *Jan.*]

§. Baredui servus *tertiana* corripitur. — Baredui *servus.* *Tertiana interm.*

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. Tart.* ℈j.
dacryd. gr. iiij. M.

Sum. cras mane, apyrexias nempe die, ex jure calido, tale frequenter superbibendo. Postea singulis 6. horis ℈ij. *pulveris* seq. ex quolibet vehiculo;

Rec. *Cort. peruv. fraxin. rad. gent. an.* ʒiij.
⊖. absinth. ʒj. *caryoph. arom.* ʒß.
M. F. ☿. *subtil.*

Conquerebatur hic servus simul de *pressione* circa *præcordia* a quovis pastu, non desinente, donec assumta revomuisset. *Cardialgiam* notat, hinc ordinatum *emetico-catharcticum.* (d. 26 *Jan.*)

§. Clinecosmi *ancilla*, cui d. 8. *Jan.* medicamenta ordinata, ex *emeto-cathartico* novies vomuit, nunquam alvum deposuit. Cum heræ nimium videretur, ipsi præbuit *cochl. 1.* 🜄. *rectif.* idque se olim a Medico Geislingensi audisse dicebat, ita sopiri solere *anhypercatharsin*, quæ statim etiam apud ancillam cessavit. — Clinecosmi *ancilla.* *Menses suppressi.*

XIV. Datarius. §. Datarius, incola Botnangensis ante annum jam conquestus est de *dolore circa os sacrum* valde molesto & incessum impediente. Chirurgo NIVERO videbatur esse quædam *luxatio*, quam innumera externa, parum juverunt, donec sponte malum cessavit. Ante octiduum denuo miserum incessit. Dolor ibi loci internecinus, femur quoque nonnunquam usque ad tarsum pervagans, in tarso subsistens cum summa acerbitate sensûs. Non potest sedere, stare, cubare, noctes fere, diesque genubus innititur. Nec rubor, nec tumor. In urina nulla difficultas. Pronunciavi de *Ischiatico dolore*. Intus *pulveres* bini, ante- & pomeridie cum jure sumendi, prolecto, si possibile, postea sudore:

Rec. *Pulv. lumbric. Terrest. ppt.* ℥ij.
♁. *nat. pp.* ℥j. ⊖ CC. v. ℈j. *M. F.* 6 ☿.

Foris prævia frictione *linimentum* HERBOLARIÆ d. 8 *Jan.* ordinat.

Menstruatarum *fetor.* §. Mulier hodie mihi obtigit 49. annorum *menstruata*, *summum & pæne abominabilem de se spirans fetorem.* Talem, licet gradibus aliquando distinctum, in pluribus *menstruatis* observavi. Cogitare cœpi, an merito suo plane sint explodendi Veteres, quando *sanguinem menstruum impurum & noxium crediderunt?* Venenatum dicere non ausim, quamvis, nunquis talem impune haurire posset, adhuc liquere negem. Plantarum equidem marcor, quibus hic sanguis affusus, nil probat. Tales enim ab alio quovis purissimo sanguine affuso marcescere posse, imo solere, nullum est dubium. Attamen sanguis etiam purissimus in alieno loco moram trahens putere incipit, & perditissime denique putet. Ollæ sanguine jumentorum impletæ in terram defossæ, sic ut ollæ margo emineat, feras quam longissime ab hortis arcere solent. Cum *sanguine menstruo* quisquilias etiam alias a Natura segregari non imprudenter creditur. Hic sanguis moras in utero hujusque vagina nectens, quidni vitium ab ista, glandularum præcipue vaginalium, muria contrahere possit? Impeditur ejus profluxus a mulieribus linteaminibus, vel alio modo. Fetorem hinc, ubi copiosius accumulatur, adsciscit, præsertim apud calefactas in lecto. Idem fetor observatur in *hæmorrhoidibus nimium fluentibus*, quale quid notavimus olim apud quendam in urbe Imperiali *Archigrammateum*. Medicamenta e *menstruo sanguine*, cumprimis primo, *Zenith* virginum aliquibus dicto, petita, sunt impia & tantum non magica.

XV.

XV.

Mercurius ad quarti gradus lineam tertiam adscendit. Gelu immensum

fum & intenfum. Hominum aliqui in viis mortui reperti, quin & feræ hinc inde in filvis. Apri, Lupi domos in pagis irrumpere tentant, Molendina fere fingula quiefcunt. Pauperum DEUS mifereatur? XV.

§. Arctoæ *Filius* viginti circ. annorum Ann. 1705. circa *Purificationis Festum* primos expertus eft infultus *epilepticos* nocturnos. Huic d. 9. *Febr.* ordinaverat *emeticum*! Arctoæ *Filius. Epilepsia.*

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. Tart.* ℈j. *M.*

Utatur cum regimine: Poftea *infusum*; cujus mane & pomeridie hauftus bonus calide præbeatur:

Rec. *Rad. pœon. mar. valerian. filv.*
bryon. aristol. rot. ver. an. ℥ß.
raf. visc. quern. lign. faffafr. an. ℥j.
herb. fumar. chamædr.
fl. cent. min. paralyf. ãã. mj.
fem. aquileg. Fœnic. an. ʒij.
fol. fenn. f. f. epithym. an. ℥j.
agar. alb. ℥ß. *croc. opt.* ℈j.
cort. frax. Zingib. an. ʒj.
conc. cont. D.

Quo abfoluto fit ufus perennis *pulveris* ad ʒß. ex jure: primo mane & noctu, compofito toto abfumto faltem mane, deinde alternis diebus:

Rec. *Rad. pœon. mar. valerian. filv. an.* ℥ß.
visc. quern. fem. pœon. an. ʒvj.
oc. ♋. ppt. Cor. r. ppt. fem. rut. nigell.
fuccin. alb. an. ʒij.
caftor. nuc. mofch. ♁. nat. ppt. fang. Drac. an. ʒj. *M.*

Diæta fit congrua. Cumprimis vitentur *acida*, nimius vini, præfertim horni, potus, *ira*, *terrores*. Multum per DEI gratiam profecimus.

Anno vertente circa idem tempus malum, fortaffe ob commiffos quosdam errores, recruduit. D. 29. *Jan.* 1706. ordinati 3. *pulveres digestivi*, ternis noctibus ante fomnum ex jufculis fumendi:

Rec. *Arcan. dupl. rad. ar. ppt. an.* ʒß.
M. divid. in 3. p. aqu.

quarta die mane *emetocatharticum*:

Rec. *Tart. emet. gr. iij Crem. Tart.* ℈j.
dacryd. gr. iij. M.

XV. Triduo ante *novilunium e mediana dextri larga venæsectio.*

Postea rursus perennis usus *pulveris* ante annum laudati.

Circa initia anni 1707. novi insultus:

Rec. *Pulv. Cornach.* ʒß. *magist. gial. gr.* iiij.
ol. salv. gtt. 1. *M.*

Postea *Vsio.* & post hanc *pulveris*, qui aliorum, continuus usus:

Rec. *Pulv. lumbric.* 🜄*-str. ppt.* ℥j.
C. alc. visc. quern. an. ℥ß.
rad. pœon. mar. ℥ß. *elæosacch. succin.* ℥j. *M.*

Iterum omnia brevi sopita. Sic, ut, cum semper circa cujuslibet anni initia, vel paullo post diu sepulti antea paroxysmi revigilassent, solo anno 1708. nil omnino semet ostenderit, ipseque citra meam voluntatem usum *pulveris præservatorium* neglexerit. Hoc anno rursum ejus quædam præludia observantur, cum insultibus quibusdam *febrilibus*. Accipiat bis in die 2. cusp. cultr. de *polline* cum *aqua ceras. n.*

Rec. *Pulv. alexipharm. Cam.* ʒij.
specif. cephal. ʒj. *elæosacch. succin.* ℥ß. *M.*

Noctu gtt. xx. *liquoris CC. succin.* ex eod. vehiculo. [d. 28. *Aug.*]

Ichthyboli *Filiola.* *Tussis ferina.* §. Ichthyboli *Filiola* non tantum *tussire* non cessat, sed etiam augetur *asthma*, æstuat, alget, signa *convulsionum* præbet: *Liquoris CC. succinati* 6. guttulæ singulis 6. horis cum vehiculo sequenti etiam seorsim crebro sumendo exhibeantur:

Rec. *Aq. veron. fl. til. an.* ℥ij. *conf. alk. c.* ʒß.
🜍 *cochl.* & ⊖ ✱ *ci anis.* ℞ *a croc. an.* ℈j.
sir. fl. pœon. ℥ß. *papav. err.* ʒiij. *M.*

Pectusculo *unguentum pectorale* calidum.

Tussis ex convulsiva & catarrhali mixta. Notandum hanc puellam fere a partu genas exhibuisse *crusta lactea* fœdas, quæ, dum interdum subito arescit, uti nunc factum, *anxietates* cum *asthmate* eam affligere deprehenduntur. (d. 16. *Ian.*)

Blepomactis *Filiola.* §. Blepomactis *Filiola* ab hesternis adeo mutata in melius, ut infantula ista nunquam fuisse videretur; jussi cum medicamentis pergerent. (d. 17. *Ian.*)

Conradinus. *Podagra.* §. Conradinus mihi narravit de Rustico quodam Helveto, qui Argentorati compluribus dolores podagricos expedito sopiverit *pulvere*

vere quodam *fumali*. Nempe hoc accenso lintea vetusta & mucida (quæ præ recentibus & eleganter lotis elegerat.) largiter imbuisse, hisque calidissimis dolentes artus involvisse, circumvoluto adhuc alio tali fumigato linteo; hæcque per biduum relinquenda fuisse, donec removerentur. Cum dolores *podagrici* non nisi promota *diaphoresi* tuto sopiantur, statim apparet, quo pacto hi suffitus afferre solamen possint. Constant particulis tenuibus, & spiracula cutis aperta servant: Nonnullis Practicis male audiunt. DEKKERUS *Exercit. Pract. p. m* 69. inter morbos *suffumigia* prohibentes recenset *arthritidem* ejusque species omnes, *quia*, inquit, *sæpissime a catarrhis calidis, biliosis & salso acribus dependet arthriticus dolor, ideo partes dolore illo affectæ rubent & inflammatæ sunt, rodentibusq; doloribus torquentur & afficiuntur*. Forsan *dolores arthritici* non semper a conditione materiæ dependent, sed a tensione fibrarum nervearum; quæ, cum ab humoribus quoque *viscidis, tartareis*, saltem simul *acribus* & possit provenire, & revera proveniat, unde nomen aliquibus podagræ pituitosæ; in hac ultima *suffimentis* locum esse, nemo non perspicit. Ὁμοψύφως allegamus magna nomina Practica Sennertum, Cratonem, Platerum, Heurnium, Lotichium. Paradigmatis loco *suffitus* talis inservire posset: XV.

Rec. *Gumm. junip. Copal. Carann. thur. myrrh. an.* ℥ij.
pic. nigr. benz. an. ℥j.
nuc. mosch. cinnam. an. ℥ij.
herb. chamædr. chamæpyth. an. p. ij.
fol. laur. fl. ros. r. an. mß. Conc. cont. D.

Audiendus tamen celebratissimus WEDEL. *amœn. mat. med. lib. 1. sect. III. c. 11. p. m.* 212. *f.* Cujus axiomata sunt aurea: 1. *Dextro oculo corpus, sinistro articuli respiciendi.* 2. *Topica, dum blandiuntur, sæpe insidiosa sunt.* 3. *Sæpe optimum medicamentum arthriticum est, medicamento non uti.* 4. *Cavendum est, ne dum per externa juvare intendimus articulos, totum eorundem destruamus.*

§. Tremellius cujus mentio facta d. 8. *Ian.* profecit ab ista medicatione. Pedes adhuc aliquantillum tument. Jussi, ut cum *absinthite* suo pergeret. Noctu *pannis junipero fumigatis* pedes perfricaret, mane autem fasciis a digitis usque ad genua involveret, [Einfätschen] mane enim semper detumescunt. Tremellius. *Habitus cachecticus.*

§. Vectis *uxorem*, de qua jam aliquoties, hodie invisi. Cum puri Vectis *uxor.* *Abscessus maxillæ.*

XV. puri intra genam collecto non pareret exitus, nisi per exiguam rimam duorum dentium molarium, restans intra illos dentes & genam internam tumorem denuo excitavit, qui applicato foris prope aurim externam *caustico* ab Onisimo lanceola pertusus vim incredibilem fetidissimi puris effudit. Jam melius habet, quamvis os nondum sufficienter diducere possit. Plus cibi appetit, quam masticare potest. Nondum locus conceditur evulsioni dentis unius ex istis molaribus, quod, quamprimum licet, faciendum, siquidem vulneris externi consolidatio speranda. Notent Practici Juvenes ejusmodi exulceratos genarum tumores externis nunquam sanari, nisi prius evulso, etiam, si cariosus haberi non possit, sano, dente. Non audiendi sunt reluctantes ægri, siquidem semetipsos morantur. (d. 22. *Jan.*)

Mactarchus, *Diarrhœa*, §. Mactarchus a frigore externo sine dubio sibi contraxit *diarrhœam* cum rosionibus circum umbilicum, eructationibus & cephalalgia.

Rec. *Ess. carminat. Wed.* ʒj.
anod. ʒß. *M.*

Sum. noctu cubitum iturus, *gtt.* 30. ex cochl. *aq. cinnam cydoniat.* Quæ aqua NB. intra fenestram hypocausti calefacti reposita congelata fuit. (d. 16. *Jan.*)

XVI. XVI.

Mercurius ultra gradus quarti lineam secundam ascendit. *Thermometrum* idem, quod heri & pomeridie. Relationes multæ audiuntur, de hominibus frigore peremtis, vitibus, etiam in montibus altioribus, corruptis, vino in doliis, muriata brassica in labris congelatis.

Mactarchus. *Diarrhœa*. §. Mactarchus melius habet. Repetitum usum *essentiæ* hesternæ commendavi: Domi se contineret suasi. Hac adhuc vespera omnia satis tolerabilia. (d. 31. *Jan.*)

Ichthyboli *Filiola*. §. Ichthyboli *Filiola* parum equidem *tussit*, sed omine non admodum fausto. *Dyspnœa* scil. augetur, cum æstu & siti; alvus est constipata, pavores adsunt, dormituritio. *Liquor CC.* hodie mane datus, noctu repetendus est.

Rec. *Sperm. cet. rec.* ʒß.
ol. amygd. d. sir. ros. solut. an. ℥ß. *M.*

Præbeatur alternis vicibus cum *mixtura* heri ordinata. Scopus est alvum moderate reserare: quod cum pomeridie nondum esset factum, *globulum moschatum* adhiberi volui. *Duo vesicatoria* utrisque hachio-

lis

XVI.

lis amgere, *balsamoq; cephalico* mihi consueto *tempora*, *nucham* & *verticem* inungere jussi:

Rec. *Ol. M. N. expr.* ℥j. *succin.* ℈j. *rut.* ℈ß.
anth. lavend. salv. an. gtt. iij.
⊖*ci d pur. bals. peruv. an.* ℈j. *M.*

Metuo mihi de hac puella, (d. 17. *Ian.*)

§. Cellarii *Filiola* biennali (quam per DEUM a *rhachitide* ante annum salvam præstiteram, contortis jam spina & artubus) contra *tussim* & *asthma* epidemica ordinavi *mixturam* cochleatim præbendam, quam fere sui similibus omnibus: cras autem *laxans medicamentum*:

Cellarii *Filiola.* *Tussis & asthma epidem.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. ⊖*ci an. gtt iiij.*
ol. amygd. d. sir. de cich. c. rh. an. ʒiij. *M. p. 1. dosi.*
(d. 12. *Sept.*)

§. Herpyllii *Filiolus* quinquennis jam ab aliquot diebus circa vesperam calore præternaturali uritur cum siticula, noctu expavescit, somnus interruptus, puellus subtristis, præter morem taciturnus, abdomen subtumidum. Præter panem domesticum fere nil comedit. Alvus fluida: *nuper lumbricum excrevit.* Tales fortasse plures adesse, malorumque auctores existere ratus ordinavi *pulvisculum* d. 3. *Ian* ALTURBANI *filiolo* præscriptum, cum eod. utendi modo; ac æstus præternaturalis tempore *mixturam* cochleatim sumendam:

Herpyllii *Filiolus.* *Vermium suspicio.*

Rec. *Aq. rub. id. gramin. an.* ℥jß.
bez. miner. cryst all. ppt. an. ℈j.
conf. alk. inc. ʒß. *sir. fl. persic.* ℥ß. *M.* (d. 22. *Ian.*)

§. Obtinui Decretum a Magistratu opidano, ut inspicerem puerum, qui ante annum in leprosorium nostrum susceptus erat, quo in statu versaretur, & num spes proximæ convalescentiæ adesset? Inspectio peracta in ædibus meis, præsentibus Exc. D. Collega meo & Chirurgo jurato. D. 31. *Ian.* 1708. iste puer nobis primum inspiciendus offerebatur. Nec suos Parentes, nec ætatem sciebat. Nobis autem circiter duodecennis videbatur. Huc delatus fuit ex opido Schiltach ad *silvam Hercyniam* sito. Repertus fuerat ante aliquot annos ab ejus loci incolis in media silva totus pannosus & fame propemodum enectus. *Caput prætumidum*, *labia prominentia*, *capilli rari*, *vox rauca*, *cutis arida*, *quasi coriacea*, *squammæ candidissimæ magno numero decidentes*, *scabies sicca*, *pruritus ingens*, *anæsthesia pellis*, sic ut aciculas, satis profunde impactas, non sentiret. Quibus

Puer anonymus. Leprosus.

pon-

XVI. ponderatis ita pronunciavimus: Puerum hunc nobis in proxima potentia *leprosum* videri, hinc separandum ab aliorum consortio, curamque per in- & externas congruas medicationes tentandam. Quibus ratihabitis externo negotio Chirurgo Jurato commisso, medicamentis sequentibus malum oppugnabamus: *Purgato* corpore datus *pulvis* mane & noctu ad ℈j. ex vehiculo sequenti:

Rec. *Pulv. viper. lign. sassafr.*
♁. *ij. diaphor. an.* ʒj.
Gumm. guajac. ʒ *ß.* ⊖ *CC. vol.* ℈j. *M.*
Rec. *Aq. fumar. card. bened. an.* ℥iiij.
sir. fumar. ℥j. *M.*

Ita diu, non sine fructu, perrectum. D. 27. *Aprilis* iterum *purgans* ex *pulv. gial. Tart.* ⊕ *lat.* & *dacryd. corr.* Squammæ sensim disparuerunt, *scabies* sicca cœpit in humidam verti: d. 27. May.

Rec. *Ess. lign. trifol. fibr. fumar. an.* ʒij.
mane & noctu dentur *guttæ* xxv.

Hac usus est per totam æstatem: diu quoque bibens *decoctum lignorum*. Denique *tumor insignis* ortus in *brachio* dextro circa cubitum, qui suppuratus profudit puris vim magnam. Puer ad se paullatim rediit, & cute nunc glabra superbit, octobri mense rursum evacuatus. In brachio adhuc 2. ulcuscula brevi persananda. In hodierna inspectione judicavimus puerum in leprosorio adhuc detinendum, usque ad ver adultum. Spem scilic. esse, eum penitus convaliturum.

Si *lepra* est illud

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum,

quale sub *elephantia* describit LOMMIUS *observ. lib. 1. p.* 51. & simile fere POTER. *obs.* 77. *Cent.* 2. nostrum fuisse *leprosum* asseverare non audemus. Si verum, quod MUSITANUS *Trutin. Chir. lib. 1. c.* 22. *p.* 124. scribit, *Lepræ* scil. *infallibile signum esse, dum cutis vel in universo corpore, vel in aliqua ejus parte, non pustulosa, sed squammosa apparet, &c.* puerum hunc pronunciare *leprosum*, cur dubitemus? Vidimus ante 37. annos HEIDELBERGÆ *Rusticum* quadraginta circiter annorum, nobis Philiatris præsentibus a beatis Dn. D. ISRAELE & Dn. D. FRANCO, *Professoribus* inspectum, nostro tam similem, quam ovum ovo, excepto hoc solo, quod Rusticus se ad actus venereos libidine summa percieri fateretur, quale quid apud nostrum ætati non congruum erat. Pronunciabant autem Dn. *Professores* de vera *lepra*, & cumprimis istud phænomenon de *cutis anæsthesia* tanquam *pathogno-*

thognomonicum venditabant. Optandum eſſet, ut inter Practicos conveniret de *lepra vera* veris ſignis. Atqui fluctuant plerique, multi plane de hoc morbo ſilent. Mihi in toto praxeos meæ circuitu ſemel tantum, præter hunc, prope Nordlingam viſus puellus *leproſus*. Controverſia tunc inter Beatum *Archiatrum* Oettigenſem D. D. MEGERLINUM & me orta, illo puellum eſſe *leproſum* negante, me affirmante; illo curam haut difficilem promittente, me difficillimam aſſerente. Parentes me tantum non injuriarum accuſantes illius conſilio utebantur, puellus morbo invaleſcente miſere occubuit. *Facies & labia tumida, vox rauca, ſcabies ſicca, pruritus, pellis arida, ſquammoſa, inſenſibilis*, multum dicunt. XVI.

§. Inſpicienda nobis per Decretum oblata vetula pauper, quæ *doloribus artuum* ſe cruciari libello ſupplice querebatur, & pauperie gravari, ut ſub hac tam intenſa hieme frigore ſibi pereundum ſit, nî beneficentia PRINCIPIS levaretur. Nobis igitur injunctum, ut, qualis nam ſit iſte *morbus articularis*, inquireremus. Non eſſe admodum magnum, argumento fuit, quod ad nos ipſa commeare poſſet. Interrogata de doloribus, reſpondit, genu dextrum interdum dolere, cætera laſſitudinem artuum tantam, ut per ſcalas aſcenſuræ genua contremiſcerent; rogare, ut in ſui favorem atteſtatum ſcriberemus. Miſericordiam paupertas meretur, ſed talem, qua veritati vis nulla infertur. Scripſimus *morbi articularis* nullum adeſſe veſtigium; ætatem 55 annorum, alimoniam pauperem, neque ſufficientem, frigus externum, ut artubus robur competens non inſit, efficere. Victum, amictum, fornacem his malis omnibus unice mederi poſſe. *Morbus articularis.*

§. Vinarienſis, de quo 4. *Jan.* medicamentis ſuis, præter ſpem meam, haut parum profecit, vomitus remiſerunt, *tuſſis* adeſt, ſed quæ non adeo ſicca, ciborum non nulla cupido. *Theiforme infuſum* diutius bibat. Loco *elixiris* antemeridie hora 10. & noctu ante ſomnum degluciat quinque *pilulas*: Vinarienſis. *Phthiſis.*

Rec. *Extr. helen. liquir.* ãã ℨß.
diaph. ♃ *al. tereb. cypr. cl.* ãã. ℨij.
lact. 🜍. ℨß. *fl. benz. gumm.* ✳. *ana. gr. XV.*
F. pil. nr. CLXXX. conſp. ☿. *rad. irid. fl.*

Cum *ſiccitas oris* a tenacitate ſalivæ mihi quoque proficiſci videatur, juſſi, ut periculum faceret cum *pulvere* ſequenti, noctu ante ſomnum ejus incenſi fumum per fiſtulam hauriendo:

F Rec.

XVI. Rec. *Fl. anth. salv. an.* ʒß.
caryoph. arom. n. iiij. *sacch. canar.* ℈ij.
succin. a. ʒj. *M. Conc. cont. D.* (d. 15. *Febr.*)

XVII. XVII.

Mercurius ad quintum fere gradum pertigerat, *thermometro* semper eodem manente. Frigus hac vespera intenditur. Amico cuidam coagulatum per frigus *amygdalarum dulcium oleum.*

Ichthyboli *Filiola.* §. Ichthyboli *filiola* heri vesperi post meum discessum largissime *vomuit* pituitosa, biliosa & assumta pharmaca. Debilis inde primo, vires mox ita collegit, ut omnes mirarentur. Intermissa hinc *vesicatoria.* Hac nocte bene quievit. Mane meliora quidem omnia, sed, non obstante, quod *suppositoria* & *globuli moschati* adhibiti essent, *alvum pertinaciter adhuc clausam videns clysterem* applicari jussi, ex *lacte solo cum olivo & pauco sacchard.* Per Bihorium retinuit, postea vero soluta largiter per totam hanc diem tolerabiliter vivit; æstus, pavores &c. minuuntur. Ludit, sibi similis fit. Pergant cum *mixtura* d. 15. *Jan.* ordinata. *Constipatio* mala multa pusionibus affert nusquam tuta, ideo conatu omni semper removenda. *Clysmata* sunt optima, sed a Parentibus gravatim admittuntur. (d. 18. *Jan.*)

Blepomactis *Filiolus.* §. Blepomactis *Filiolus*, quem 15. *Jan.* in melius mutatum narravimus, præter pituitæ in aspera arteria bronchiisque strepitum, ad sensum sanus est. Prodisse jam aliquot *lumbricos* dixerunt, & cum leni *ecbolio* ad pituitam evacuandam opus esse judicarem, idem quoque *lumbricis* exturbandis aptavi tale:

Rec. *Pulv. Cornach. gr.* XVI.
☿ *ij dulc. rit. par. sem. santon. an.* ℈ß.
sir. decich. c. rh. ʒv. *fl. persic.* ʒij.
aq. cinnam. ʒß. *gramm. q. s. ad diluendum.* D. I. vice.

Puelli blennam seu pituitam potius per vim tussis usque ad faucium isthmum propulsam raro exscreant, sed rursum plerumque deglutiunt. Quamvis autem non amplius intret pulmones, sed in stomachum delabatur, attamen neque hic nidus ei constans concedendus, ob metum hinc vitiandæ digestionis. Igitur, si vires ferunt, *laxantia* mihi semper hic utilia visa. (d. 21 *Febr.*)

§. Neze-

§. Nezelii *uxor uteri hæmorrhagia* rebelli ac diuturna fere ad internecionem redacta, nunc quidem, quamvis tardissime, vires colligit. Quæ cum ipsa per totum morbi decursum acta longum fuerit hic recensere. Solum id obiter memorandum duco, cum prima vice ista *hæmorrhagia* corriperetur, me absente, suasum fuisse a Pharmacopœo, ut ♁ gtt. xx. in *brodio* sumeret. Sumsit, sanguis quievit, ne gutta amplius profluente. Inde vero prolapsa fuit in tantas *angustias*, quas pagina ista vix capit, sic, ut voto semet obstrinxerit, se, nesciente Medico, nil amplius medicamenti sumturam. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Discant Medici juniores, *ejusmodi sanguinem coagulando στάσιν efficientibus*, *nisi vehementer urgeat fluxus*, *nunquam fidendum esse*. Moderandus potius, quam simul ac semel inhibendus fluxus. Hæc igitur mulier ex me hodie quærebat, utrum *theè* potum sibi salutarem judicarem. Sibi enim videri, se ab isto potu indies magis contabescere. Respondi post tantos sanguinis, vitæ thesauri, proluviones, victum potius *analepticum* requiri; *Juscula* igitur *consummata*, potui *theé* longissime anteferenda esse, quippe ad resarciendum succum nutritium prorsus inepto, quin fibras ventriculi cum gastrico liquore magis elanguida reddere apto nato. XVII. Nezelii *uxor*. *Hæmorrhagia uteri*.

Non prorsus damno potum *theé*, votis tamen omnibus optassim, *ut talem nunquam* GERMANIA vidisset. Abusus usum multis parasangis exsuperat. Nonnulli *Pontificiorum* in ea sunt opinione, dummodo mane *Missam* audierint, quidquid illa die peccaverint, impune fieri. *Theephilis* potus *Theé* est instar *missæ*. Talem enim dummodo mane hauserint, quidquid illa die in victus ratione deliquerint, impune per efficaciam *Theé* fieri existimant. *Theé potus* totam GERMANIAM non uno millione quotannis constat. Rem rite supputanti, vera, quæ scribo, comparebunt. Præter enim ipsum *theé* antiquitus ignoti mercimonium, quantus in hoc potu luxus, quanta pompa, quantus apparatus? quod urceolo vili, quod patella figulina vulgari omne absolvi poterat, suppellectilem sibi per modernas ambages tantam reposcit, quantam vix reliqua œconomia. *Mensulæ Chinenses*, *urcei Chinenses*, *scutellæ Chinenses*, *peculiaria cochleariola*, *& quid non*? quid si vinum, quid si cervisia e GERMANIA in CHINAM veheretur, CHINENSES autem nullum horum liquorum bibere vellent, nisi ex urceis, cantharis & cacabis GERMANICIS, nonne derisui tunc simus habituri stolidos CHINENSES? Verte & fiet calcens. Mirum, quod GERMANI semet non vestitu prius CHINENSI induant, quam

XVII. potum *theé* sorbere sustinent? Forsan in istis quoque talaribus suavior erit potus & mage salutaris. Jam quid de sacchari annona? quæ bone DEUS, olim inaudita, nunc hujus ubique consumtio. Modernis nempe temporibus, ubi cerdones & bajulos mane *Theeposiam* exercere videmus. (d. 15. *Febr.*)

Puerpera. Lumbrici ex ore prodeuntes. §. Trium septimanarum puerperæ *lumbrici* tres successive ex ore prodierunt, prævia semper levi *leipothymia. Medicus* quidam inde male ominatus est, nec immerito. Si ex *febribus*, *variolis*, *morbillis*, hujusque commatis morbis aliis pueris juxta & adultis decumbentibus *lumbrici* ex ore prorepserent, ipsos paucis post diebus, immo horis quoque vita defunctos plus centies observavimus. Caussam investigare jam non vacat.

Volvuli *uxor. Odontalgia.* §. Volvuli *uxor dolorem a dente cavo* immanem queritur.

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥j.
ess. anod. ʒß. *M.*

Cochlear unum & alterum in ore teneatur, eo lateris, ubi dolor sævit, calefacto prius *oleo*: postea rursum exspui potest.

Pulvis specierum emollientium cum lacte caprillo coquatur, & cataplasmatis forma maxillæ frequenter & calidissime applicetur.

Hoc modo feliciter innummeras *odontalgias* abegimus; quamvis dentes cavos evellere sit super omne remedium. (d. 24. *Jan.*)

Phonascus. *Dolor rheumaticus.* §. Phonascus 36. circ. annorum heri ab itinere domum redux mediaque nocte a somno experrectus dolorem in humero sinistro percipit, qui sensim descendens in coxa illius lateris firmam sibi stationem elegit. Dolor est punctorius. Adest calor præternaturalis & lassitudo cum inappetentia. Pulsus febrilis. Accepit mane *3. pil. theriacales*, sudor, ad quem alias natura promtissimus est, jam nullus insecutus. Suspicor frigus vel horrorem ipsum dormientem & inadvertentem adortum fuisse. Caussam arbitror constrictos ab externo frigore poros.

Rec. ♁. *diaph. CC philos. oc. 69. ppt.*
♁. *nat. ppt. an.* ʒß. *M. F. 4.* ℞.

Sum. singulis 6 horis unus, ex *mixtura* seq. alias quoque cochleatim haurienda:

Rec. *Aq. card. bened. fumar. rub. id. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ʒß. *sir. fumar.* ℥ß *M.*

Locus dolens inungatur *unguento de hyoscyamo.* (d. 18. *Jan.*)

§. Hama-

§. Hamaxei *uxor*, mulier usque ad rabiem iracunda, puellum 13. septimanarum lactans, ad conspectum invisæ sibi mulieris adeo incanduit, ut furibunda primum totas ædes pertonaret, nihil pranderet, super lectum cubiculi frigidissimi, prout erat vestita, se demitteret, ibique per horas aliquot moraretur. Sub vesperam vertiginem, scotomiam, capitis dolorem sentit, surgit, titubat, hypocaustum ingressa *tetano* ferme corripitur, languescit, corruit, *suffocatione* laborat. A terrefactis adstantibus accersitus advolo. Me adventante ad se parum redierat, *jululenti* quid admittebat, sed orto mox vomitu non illa tantum jam, sed magmatis simul biliosi vim magnam exantlabat; hinc nova quasi, sed per momentum durans, *syncope*; pulsus depressus, nervorum subsultus. XVII. Hamaxei *uxor.* *Suffocatio hysterica.*

Rec. *Liq. CC. succin.* ℨiß.

D. gtt. xxx. ex *vehic.* seq. etiam seorsim sumendo:

Rec. *Aq. lavend. flor. til. an.* ℥iiß.
hirund. c. castor. ℥j.
elix. uter. Cr. ℨj. *specif. cephal.* ℨß.
sir. fl. pœon. ℨiij. *M.*

In *deliquiis* guttulæ quædam *liq. CC. succin.* linteolo exceptæ naribus admoveantur. Fronti *sacculus* euporistus ex *grumis panis secalini cum bacc. junip. sale & pauxillo aceto irrigat.* Singulis tribus horis, si opus, *gutta* repetantur. In quiete & calore maneat.

Fustis, postis & axis rabiosarum ejusmodi Megærarum tergis & tergoribus applicata nonnunquam præsentiora sunt remedia, quam ollæ & pyxides officinarum. (d. 18. *Jan.*)

XVIII.

XVIII.

Hodie Mercurius ad medietatem sexti gradus ascendit, quem si plane contigerit, altius ire non potest. Argumentum frigoris in hoc climate summi. Querelæ passim plures hominum frigore enectorum audiuntur. Optarim sane, ut corpus tale aperire liceret. Quæ enim sit caussa mortis proxima gelu pereuntium nondum liquere existimo. Suffocari tales, non credo. Suaviter enim quasi obdormiscere neque mortis amaritudinem sentire dicuntur, quod secus habet in suffocandis. Credibile est, partem sanguinis serosam primo in extremis vasis, hinc successive in majoribus atque inde maximis, congelari, sulphureis quidem & globulis tantisper manentibus, sed compage sanguinis hoc modo soluta, flammam seu spiritum vitalem extingui. Posse tali modo partem sangui-

XVIII. sanguinis serosam congelari, vel certe stabilem reddi, probare videntur variorum liquorum heterogeneorum, vini puta, cervisiæ, quin & urinæ per frigus externum concentrationes, ubi congelatis partibus lymphaticis, spirituosæ in medio vasis adhuc pauco phlegmate dilutæ accumulantur, quod ipsi quoque tentavimus, & eleganter describit Exc. STAHLIUS *Observ. menstr. mens. septemb.* SCHNEIDERUS *lib. IV. de catarrh. cap. 5.* infantem *frigore extinctum* aperuit, cujus cerebrum dissecto cranio gelu induratum maxime inveniebatur. D. CONRAD accipitrem gelu enecatum secuit, in cujus corde, aliisque visceribus *glaciem* veram & liquoris congelati partes vidit. Idem in sanguine vitulino, pullorum & Galli Indici congelatis separationem partium talem conspexit, ut seri glaciati moleculæ hinc inde apparerent, reliquo sanguinis corpore coagulato tantum & densiore ac crassiore facto. *Dissert. de frigor. cap. 6.*

Ichthyboli *Filiola.* §. Ichthyboli *Filiola* hac nocte bene dormivit, cibum hodie cum appetitu cepit, hilarior est solito, & per DEI gratiam periculo mortis defuncta videtur. (d. 20. *Jan.*)

Phonascus. §. Nec minus apud Phonascum dolor omnis, cum æstu ac siti evanuit. *Febrim* credo *ephemeram* fuisse. (d. 19. *Jan.*)

Pleonectes. §. Cum Pleonecte locutus sum, de cujus *Filia* d. 8. *Jan.* Dicit eam 20. jam annos vivendo complevisse, decimo demum ætatis anno loqui cœpisse, *menstruari*, appetere, esse vero ingenio valde stupido. Cæterum cum *tumore labiorum & indicis* rem ita se habere, uti supradictum, hoc solo excepto, quod interdum, licet raro, utrique tumores simul adsint. Mira res! quale *labiis* cum *indice* manus dextræ commercium? *Si nervos* dicas, eorum nullas propagines ultro citroque derivari comperio. Sin *vasa sanguiveha*, manent eædem difficultates. Præstat ἀπέχειν.

Hamaxei *uxor.* §. Hamaxei *uxor* per noctem mitius habuit. Nulli amplius vomitus, nulli motus convulsivi. Summa adhuc lassitudo, & nuchæ dolor. Pergat cum *mixtura* heri ordinata. Calori & quieti studeat. Nuchæ *linimentum balsamicum*:

Rec. *Ol. N. M. expr.* ℥j.
rut. succin. an. gutt. *ll.* ℈j.
axung. castor. ver. ℥ß. *M.* (d. 22. *Jan.*)

Fili-

Filiola 13. septimanarum *asthmatica*, *tussiculosa*, scripsi *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. jujub. an.* ℥ß. ♁ci anis. ℈ß. *M. D. cochleat.* Et, cum nares sint obstructæ, *butyrelaum majoranæ* suasi, cujus portio alternative nari uni indatur. *Butyrelaum* voco: XVIII. *Filiolus. Asthma, tussis.*

Rec. *Butyr. insulf.* ℥ij. *ol. major. gtt.* iiij. subigantur.

§. Egerticuli *Filius* 16. annorum, mane expergefactus a narium obstructione via muco præclusa tanta vi exscreat, ut suffocationis metum incurrat. Ordinavi *pulverem errhinum*: *Egerticuli Filius.*

Rec. *Elaosacch. errhin.* ʒij.
Cæli alb. elater. an. ℈j.
euphorb. gr. ij. *M. F.* ♁. *subtiliss.*

Mane jejunus masticet *granum mastiches*, donec salivam ciere desinat, quæ exspuenda.

§. Cellarii *Filiola*, de qua 16. *Jan.* a præscripto *pharmaco* leniter octies evacuata, per DEI gratiam convaluit. *Cellarii Filiola.*

XIX. XIX.

Hac nocte Mercurius tertiam sexti gradus lineam attigerat, una adhuc reliqua, hac hora sexta vespertina inter secundam & tertiam lineam medius constitit, adeoq; parum cecidit. In *thermometro* sigillato hodie mane liquor omnis globulum occuparat, fistula seu cylindro plane vacuo relicto; in altero vulgari *thermometro* globulus inferior non tantum, sed & cylindrus usque ad primam curvaturam liquore vacuati fuerunt, in utrisque cylindris hac vespera rursum nonnihil liquoris. Indicio, frigus hac vespera non usq; adeo intensum esse, quam fuerat mane; quamvis hoc ipso momento tam sit vehemens, quam hac hieme & pluribus annis ab inde 1680. nunquam fuit. Effectus tam insoliti frigoris ulteriores magna cum sollicitudine anxii præstolamur. Nec tamen futurum credimus, quod PICCARTUS *in Phil. Altdorff.* allegante SLEPPERO *Disp. de frigor. nat.* Helmstad. *1684. habita*, §. 13.) jocose narrat: *In finibus nempe* Moscoviæ & Sarmatarum, *mercatores sub tempus hiemis ad flumen* Boristhenem *ex utraq; ripa convenisse, collocutosq;, neq; mutuo se intellexisse, quod congelata verba ob frigoris rigorem fuissent; postea vero, cum glacies solveretur, verborum murmur & strepitum auditum fuisse. Varias sæpe figuras mira elegantia herbas aut eorum folia, frutices, arborumve ramos exprimentes in fenestrarum vitris uvidis, a rigido hiemis frigore expressas reperiri, res quidem est, quam & pueri norunt, sed tamen, quam fortassis viri sapientiores non immerito*

XIX. *vito speculari queant, quandoquidem non nudo Naturæ lusu id accidere, videri potest, immo vero serias subesse caussas, quas Natura polydædala, in minutissimis & vilissimis admirationem sui desiderans, abstrusiore in sinu gerit, acutiore ingenio rimandas atq; eruendas*, Verba sunt *B. nostri* Vollgnadij *Ann. IV. & V. Dec. I. Eph. Cur. Obs. 172.* Verissima hæc sunt, & ubivis locorum hoc ipso tempore demonstrabilia. Notandum tamen istas fenestrarum figuras in interiore orbium latere, quod versus conclave spectat, semper affigi, argumento, quod vapores uvidi conclavium inibi densentur externo frigore accedente. Deinde has figuras oppido & multum variare, quod Hookio *in micrograph. obs. 188.* jam observatum, ubi concretiones glaciales & nivales, quæ hieme in vitreis fenestris conspiciuntur, in hypocaustis (immo etiam aliis conclavibus frigidis,] plane irregulares esse, & nullam certam figuram servare asserit. Nam interdum quasi visuntur adumbratæ regiones (Landschäftlein) interdum arboreta, fruticeta, florum fructuumq; implicationes. &c. Jam ante plus quam triginta annis in Misnia vidimus in fenestrarum orbiculis fasciculos foliorum sambuci non adeo pridem e turionibus egressorum necdum plane explicatorum. Quod tamen hic memoramus, non plane incuriosum est; nempe in fenestris nostri cubiculi jam per hos 14. dies eleganter conspici mera corpuscula diversæ magnitudinis exactissime sexangularia, plana & reliquis excrescentiis nivalibus quasi intercalata, figuræ hic expressæ [wie eingefasste sechseckichte Spiegel.) minima in centro, hinc semper majora, quorum maxima in superficie æquabant pisum majus; aliqua non plane absoluta, sed vel dimidia, vel plura etiam v. gr. 4. 5. latera habentia. Notandum quoque substantiam non esse plane glacialem, neque nivosam, sed intermedium quid inter nivem & glaciem. Non autem crediderim Hookio fenestrarum figuras propterea tam irregulares esse, quod forsan inter se colliquescant; præter enim, quod nostra corpuscula sint vere regularia, quasi ad circinum facta, id propterea quoque locum habere non potest, quia conclave nunquam calefit. Qui vero frigus per meram privationem definiunt, illi per tantillum temporis spatium nudis clunibus nivi hoc tempore insideant, frigus esse quid positivum absque dubio experturi & percepturi.

Toparii *uxor.* *Cardialgia.* §. In Toparii *uxore*, de qua 2. *Jan.* mala tum temporis eam vexantia utcunque cessarunt. Sed ciborum aversatio, quos fere solos frigidos appetit, nec hos impune, non tantum aucta, verum & stomachi dolor ad gulam usque protensus immediate post assumtos cibos, cum

eructa

eructatione acida miseram torquet adhuc, ut cibos fere non, nisi cum metu assumat. Ordinavi *pulverem* sequentem, ex *stomachicis* temperantibus & acidum simul potenter absorbentibus conflatum, cujus ter in die 3. cultri cuspides capiat per se, vel ex alio vehiculo, v. gr. *Thèe* aut *Caffé*; XIX.

Rec. *Spec. diacret. Myns. diatrag. fr. an.* ʒiij,
extr. papav. comp. ℈j.
conch. ppt. test. ov. calcin. an. ʒj.
elaeosacch. mac. ℥ß. *M.*

Statim cum cibo, vel post eum sumat *gtt.* xxv. ⊖. *vol. oleos.* ex haustulo *vini* aqua temperati. Foris autem suasi more meo *sacculum stomachicum* polychrestum & mihi valde commendatum ex *fl. chamom. herb. absinth. fol. menth. crisp. bacc. junip. sem. carv. & cort. aur. sicc. cum* ♉. *irroratis* confectum & nudae stomachi regioni applicandum.

Appetitus ciborum mere frigidorum indicium semper indubitatum est stomachi male constituti, cui proinde nunquam fidendum, licet alias ita affecti se non male habere dicant. [d. 28 *Jan.*]

§. Phonasco etiam ante insultum ultimum de appetitu infracto & stomacho male digerente conquerenti *purgans* ordinavi mihi consuetum ex *pulvere Cornachini & elect. e psyllio*. Hinc volui, ut mane & noctu *pulveris stomachici* BIRKMANNI cusp. 3. cultri per se sumeret. Phonascus.

§. *Uxori* Caproeni octavum ante sex septimanas puerperae *lochia* parcissime fluxerunt, *leucorrhoea* putida in horum locum succedente: Phlogoses, capitis dolores, anxietates circa praecordia, sputum nuper sanguineum sine tussi, sine asthmate, nunc mucus cruentus e naribus, appetitus fere abolitus. Accersitus *Medicus tragema* ordinavit, postea *elixir proprietatis*. Voti non damnata meum petit consilium, *Medicum* suum raro venire, semper festinare, nec satis querelas exponere sibi licitum esse caussabatur. Ponderatis circumstantiis, praecipue etiam quod consuetas scarificationes jamdiu intermisisset, in *impedito lochiorum fluxu* potiorem caussam quaesivi. *Saphanam* in altero pede incidere jussi. Cochleatim intus; Caproeni uxor. *Lochia suppressa.*

Rec. *Aq. meliss. puleg. an.* ℥iiß.
hirund. c. castor. ℥j.
elix. uter. Cr. ʒj. *R. croc.* ℈j.
sir. artemis. r. ℥ß. *M.*

Pilulas nr. xij. bis in die;

XIX. Rec. *Extr. Zedoar. castor. an. gr. XV.*
♁. nat. ppt. succin. a. ppt. an. ℈j.
℞ *castor. q. s. F. pil. pond. gr. 1.*

Vino parcissime utatur. In calore maneat. Jura condiantur *maci & croco*, omissis aliis aromatibus. (d. 20. *Jan.*)

Trichembolus. §. Trichembolus ex itinere pedestri redux idem, quod Phonascus, patitur. Eosdem fere *pulveres* addito ⦶, eandemque *mixturam* addita *ess. anod.* ordinavi litumque externum ex *Ol. e flor. Slot.* & ♆. *camph. an.* (d. 22. *Jan.*)

XX. XX.

§. Mercurius ad primam sexti gradus lineam descendit. *Thermometra*, qualia heri. Frigus intensissimum, & tale quidem, quale in Curlandia & Livonia majus olim me sustinuisse recordari non possum.

Ichthyboli *Filiola*. §. Hodie mane hora 5. vocor ad Ichthyboli *Filiolam*. Hac nocte omnia in pejus degenerasse, convulsiones leves adesse, deliquia multa. Comparitionem ob frigus immensum deprecatus sum, valetudini meæ certo nociturum credens, si tepens e lecto corpus frigidissimis vestimentis immersum extra meas ædes portarem. *Medicum* esse servum servorum est omnino certum. Sic igitur, eum quoque esse suimet *Servum*. Igitur & mea & aliorum interest, ut salvus maneam. Non immemor effati Nobilis cujusdam semi-Latini, qui dicere solebat: *Proximus sum egomet ipse*. Jussi ut *liquoris CC. succin. 6. guttas* illico præberent, strophiolum eo madidum naribus admoverent, & sequentem *mixturam* per cochlearia darent.

Rec. *Aq. confortat. offic.* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
conf. alk. c. ʒß. *sir. fl. tun.* ʒij *M.*

Meque mox adfuturum promisi. Cum illuc postea venissem, jam vires puella receperat. Pavores tamen & motus quidam sinistræ manus insueti *convulsionum* timorem nondum ademerant. Pergant cum *liquore CC. succinato*, *mixtura cordialis* modo scripta cum hac pone sequente alternis cochlearibus propinetur:

Rec. *aq. fl. til. rut. an.* ℥ij.
epil. L. ℥ß.
pulv. epil. mir. spec de gemm. frig. an. ℈j.
sir. fl. pæon. ℥ß. *M.*

Rec.

Scrobiculo cordis & *pulsibus* splenia applicentur liquore calido tali madentia;

Rec. *Aq. carbunc* ☉. ℥ij.
~. lavend. ℥ij. *ol. succin.* ℈ß. *M.*

Sincipiti, eo loci ubi *fontanella* solet esse, *emplastrum e theriaca.*

Pomeridie & vesperi perbelle habuit. Jussi, ut *liquore CC. succinato* uti ne negligerent, & cum reliquis in- & externis pergerent: Cumprimis autem puellam in lecto detinerent, quam hactenus, me licet contranitente, pulvinis quidem involutum in conclavi utplurimum circumgestaverant, impedita sic diaphoresi hic tam necessaria. Aderant, qui suaderent *suffitum ex agallocho bombace* exceptum & vertici applicandum. Non contradixi, quamvis ad rhombum hic nullatenus faceret, solis *defluxionibus catarrhalibus* dicatum alias non spernendum topicum. Cum a *dentitione difficili* mala hæc maximam partem pronata judicarem, (Infans enim hæc, licet sesquiennis, adhuc est *adentula,*) quod verbum ad imitationem *edentulæ* fingere liceat.) Ichthybolus narravit, Dn. Ribaldinum de genero suo Pelerino gloriatum esse, quod peculiari quadam encheiresi *infantulorum gingivas scalpello incidere*, sicque dentibus eruptionem facilitare consueverit. Respondi, nec mihi ignotum esse talia passim ab Auctoribus suaderi, prout hujus operationis jamjam meminit inter alios Paræus *lib. 23. c. 67.* Placet mihi Judicium Langii *Oper. Tom. II. p. m. 175. Methodus hæc*, ait, *esset quidem certissima, modo facile id admittant puerull; ut taceam non admodum feliciter aliquando succedere operationem, inprimis, si imprudens manus accedat, de quo vid.* TULPIUS, *qui ex incisione tali immediate epilepsiam secutam esse notat.* In hoc Judicio acquiescens nulli *Juniorum Practicorum*, ut tale quid proponant, Auctor fuerim, nedum, ut ipsi manum admoveant. Deridiculi habebuntur, & si res, etiamsi non ob hanc operationem, sinistre ceciderit, de fiducia semel pro semper actum erit. Simpliciter tamen hanc encheiresin non rejicio, sed in nostro locum propterea non habet, quod gingivulæ adeousque nullibi vel tumeant, vel etiam pelluceant, ut tale quid indicetur. Hoc tamen testari possum, mihi in tam annosa praxi nullum adhuc infantem ob intermissam hanc incisionem perisse.

Cæteroqui plura sunt, quæ convalescentiam in hac infante vel impediunt, vel certe morantur: 1. *Quod in lecto non detineatur*: Sic enim impeditur necessaria diaphoresis, & forsan, quæ retrocessit, *crusta lactea*, cum infantis commodo, revocari posset. *Obj.* Hypocaustum est cali-

XX. dum. *Resp.* Frigus est intensum, & corpus plumis contectum promtius tamen transspirat. His diebus hypocaustorum quantumlibet incensorum pavimenta, eaque calcantium pedes; per totam diem non incalescunt. Distinguenda igitur sunt tempora. *Obj.* Puella est ad iram prona; quid si in cunis decumbere coacta irritetur, & convulsiones hinc augeantur? *Resp.* Propterea necessaria non esse negligenda. DEUS omnes actiones judicat ex intentione, modo non ipsius voluntati absolute contrarias, velut in ἐθελοθρησκίᾳ. Si, quod metuis, accidit, non peccasti, cum intentio tua fuerit salus infantis. Quid? si moriatur ex neglectu caloris debiti! anne hic conscientia acquiescit? II. Quod *vesicatoria*, quæ tam studiose suasi, affigere noluerint, & adhuc dum nolint. *Obj.* Miseramur infantis ob dolores hinc sustinendos. *Resp.* Immisericors hæc est, & crudelis misericordia. Quasi satius sit pati, ut in fluentum prolapsus submergatur, quam unco prehensum extrahere etiamsi fortasse vulneres! *Obj.* Infanti ante biennium mortuæ etiam excitatæ sunt *vesicæ*, & tamen exspiravit. *Resp.* Sempronio ex *febri maligna* decumbenti secta est vena; TITIO *ischuria* laboranti applicatus est catheter, GRACCHO *dysenterico* datum est rhabarbarum, & tamen mortui sunt. Ergo. Quæ, qualis, quanta? III. Quod *liquor CC. succinatus* non amplius detur, cujus tamen usum tam proficuum in hac ipsa puella jam eramus experti. Ratio. Est medicamentum admodum insuave. Puella sumere detrectat. Heri post assumtionem vomuit, postea valde debilis facta. *Resp.* Quod ad primam objectionem. Impossibile est medicamenta semper suavia ordinare, & efficacissima quæque haut raro sunt insuavissima. Sic Medicis interdum est altercandum. Ubi fiducia? **Wir haben das Vertrauen zum Herrn Doctor / wollen aber nur nicht thun / was er will.** (d. 21. *Jan.*)

Caprœni uxor. Lochiorum suppressio.

§. Caprœni *uxori* heri suaseram *venæsectionem* alterius saphænæ hodie administrandam. Mittunt quæsitum, *utrum non obstante tam intenso gelu tamen venam secaret liceret?* *Resp.* Quod omnino. Non enim hanc Venæsectionem esse præservatoriam. Necessitate sic postulante quocunque tempore tale quid fieri oportere, patientem versari in conclavi calefacto, nec in rus deambulaturam.

Si *Medici venæsectiones, purgantia, vesicantia*, &c. suadent, cognati annuunt, & ante tamen, quam jussa exequantur, adhuc semel interrogant, plerumque post *Medici* discessum adfuit e vicinis, commatribus, sororibus, affinibus quidam, qui talia dissuadendo, facit, ut patientes animi pendeant, quod cras, ni fallor, experiar. Sed, ubi hic quoque fiducia?

cia? An igitur nescivi, gelu esse intensum? quid si majorem fidem meretur Commater, vicina, soror, vel alia quædam nasutula, cur *Medicus* adhibetur? Candor tamen adhuc apud sic interrogantes visitur. Pejus agitur, cum jussa *Medici*, ob alios dissuadentes, clam eum negliguntur, quod non semel factum recordor. (d.21.*Jan.*) XX.

XXI. XXI.

§. Vitra mea in eodem statu manentia frigoris gradum nullatenus remisisse testantur.

§. Cum Ichthyboli *Filiolæ liquorem CC. succinatum* ob rationes heri allatas ulterius propinare detrectent, signa tamen *convulsionum* adhuc nobis metum incutiant; hac nocte valde inquieta fuerit, &c. ordinavi *pulvisculum* singulis 3. vel 4. horis ex *aq. ceras.* n. ad 2. cultr. cusp. exhibendum: Ichthyboli *Filiola.*

Rec. *Smaragd.ppt. cryst all.ppt.*
♁.nat.ppt. & ☿.rectif.
lapid.bez.or.unicorn. ver. an. ℈ß. M.

Per biduum rursus *constipatæ clysma* ex *crem. hordei & ol. rutaceo* applicari volui. Cum duabus *mixturis* & *litu balsamico* pergant.

Gemmis tantum non tribuo, quantum plurimi solent. Nec efficaciam ipsis omnem derogo. Si verum quod BORRICHIUS *in Act. Med. Hafn.* alicubi notavit, *gemmas nempe in mortario diu & subtilissime tritas odorem in conclavi fragrantissimum spirasse*; quis omnem ipsis virtutem denegare ausit? Hæc alio tempore mihi excutienda sumam. Sit, ut sit, talia nonnunquam *Medicis* nolentibus volentibus præscribenda sunt, ne apud divites quidquam se intermisisse, accusari queant. Si vis ea cordialis, quam antiqui statuerunt, non inest, inest certe *absorbens, præcipitans, invertens,* qualis aliorum pollinum terreorum. (d 22. *Ian.*)

§. Suspicio de CAPROENI *uxore* non vana fuit. Mulierem sibi venæsectionem hoc tam gelido tempore vehementer dissuasisse; ne quidem interrogata, narrabat. Dixi, mihi *Medico* potius, quam isti mulieri, fidendum fuisse. Mitiora interim post illam *venæsectionem* omnia. [d.22.*Ian.*] Caprœni *uxor.*

§. Melanthius *hydropicus*, de quo 3 6.& 9. *Jan.* Heri mortuus est. Cum *purgantia* fortissima alvum, *diuretica* vehementissima urinam, *hidrotica* efficacissima sudorem, aut non, aut ægerrime moverint; æger tamen semper appetitu ad comedendum valeret, peculiare quid, neq; omnibus *hydropicis* æque commune subesse credens aperturum corporis diligentissime oravi, non exoravi. Dixerant ipsum non semel prohibuisse, ne Melanthius *Ascites.*

XXI. tale quid post mortem fieret, jamque sat dolorum per morbi circuitum passum esse? Quid agerem? Acquievi. Frustra rhetorici omnes præoccupatis occinuissent. Neque vi extorquendum, quod bona cum venia heredes concedere detrectant, nisi Reipublicæ vel Justitiæ intersit.

Bohemi *uxor.* *Perniones.* §. Bohemi *uxor* medelam *pernionum* rogavit. Suasi, ut socci linei ♈. madidi mane induantur, quibus non juvantibus calcanei prurientes inungantur *ungu. de lithargyr.* ℥ij. *ol. petr.* ʒij. *M.*

XXII.

XXII.

§. Mercurius per unam lineam mane ascenderat & medietatem ultimi gradus occuparat, argumento diem hanc claram futuram, quod factum. Hac vespera per dimidiam lineam iterum cecidit. *Thermometri* sigillati liquor unam lineam tubuli implevit, communis seu belgici rursum adscendit usque ad cavitatem interioris globuli recurvi. Frigus etiam hodie vix ad sensum mitius.

Ichthyboli *Filiola.* §. Apud Ichthyboli *Filiolam* nox tolerabilis, sicut & antemeridianæ horæ. Pomeridie denuo *convulsionum* præludia. De *vesicatoriis* tacendum. Interrogavi, an, quia *liquor CC.* tam esset ingratus, *Ræ bezoardica* guttas aliquot propinari posse crederent? negarunt: De *litu spinæ dorsalis* quæsiti, difficulter admissuram dixerunt. Pergant igitur cum *pulvisculo* hesterno, *mixtura* cochleatim sumenda, & *balf. cephalico.*

Caprœni *uxor.* §. Heri sub vesperam *uxor* CAPROENI e janua hypocausti prodiens *vertiginem* rursum, & sensum quasi defluxionis per omnes artus, sic ut manus a digitorum apicibus, usque ad ulnam intumuerint & rubuerint, passa est. Hinc valde perterrita, quamvis malum esset transitorium, hodie me tamen vocavit. Est hæc mulier e numero *hypochondriacarum, e minutissimis maxima sibi pericula fingentium & Medico nunquam non negotium facessentium.* Patienter tales sunt audiendæ, ni fiduciam perdere velis. Hinc de priore *Medico* fuit conquesta, quod, licet veniens, properanter tamen querelis non satis perceptis discederet. Misera Creatura *Medicus*, qui, ad imitationem PAULI *1. Cor. 9. 22. Omnibus fieri debet omnia.* Dantur ægroti qui libentius *Medici*, tam periculosi viri, terga quam oculos vident, alii contra dies noctesque secum morari vellent. Si cumulantur, ut non raro fit, negotia, *Medico* non est possibile, ut in unum patientem horas multas prodigat. Neque tamen se proripere debet, tanquam *canis e Nilo.* Discendus est personarum genius, quod prudentiæ non est postremum.

Ego

Ego multum *hysterici* subesse ratus, ægram bono esse animo, & sequentibus cum fiducia uti jussi: mane nempe & noctu 12. *pilulis*: XXII.

Rec. *Extr. Zedoar. salv. levist. an.* ℈j.
castor. ℈ß.
♁. *nat. ppt.* ♁ *ij. rectif. an. gr. XV.*
myrrh. r. gr. Xij. c. ℞a. *castor. F. pil. pond. gr. j.*

Hora una ante pastum 3. cusp. cultri de *pulvere*:

Rec. *Spec. diacret. Myns. elæosacch. anth. an.* ℥ß.
magnes. alb. ʒij.
Coral. a. ppt. os. sep. an. ʒj. *M.*

Respectus cum *pulvere* inter alia habitus ad *fluorem album*, quem adhuc patitur. *Magnesia* vero *alba*, de qua alibi, temperando sanguinis fervori, & alvo apertæ servandæ dicata. Quodsi rediret ista *vertigo* cum anxietate, *liquorem CC. succin.* naribus admovere præcepi. [d. 24. *Jan.*]

§. *Fidicen* 40. annorum jam ante sexennium *hemicrania* laboravit dextri lateris, oculum quoque istum occupante. Paroxysmi mane jejuno veniunt, durant per dimidiam circiter horam, & totus morbus per mensem fere *Januarium*. Hinc iterum per totum annum induciæ. Annum præteritum immunis a malo consumsit, forte quod *acidas* æstate præcedente bibisset. Hoc ipso tempore acriter infestatur, binis diebus intercalaribus, uti in *quartana*, semper bonis. Post paroxysmum alacriter ad sua redit. In oculo dolor semper atrocissimus. *Purgetur elect. e psyll. & ♄e Cornach.* Mane & noctu gtt. L. *mixt.* seq. cum scutella *infusi betonicæ theiformis*: Fidicen. Hemicrania.

Rec. *Elix. balsam.* ʒiij.
ess. succin. ʒiß. *sassafr.* ʒj. *anod.* ʒß. *M.*

Nari lateris dolentis *pulvis errhinus*, crebro attrahendus:

Rec. *Elæosacch. errhin.* ʒij.
elater. ⊕*li alb. an.* ℈j.
euphorb. gr. iij. M. F. ☿.

Tempori dolenti *emplastrum Reg. Burrh.* ʒij. *cum op. theb.* ℈j. acuatum. Mane jejunus non maneat. (d. 13 *Jan.*)

§. Ipsimet mihi *pernionibus* supra vexationem vexato, (ut ait M. ORTUINUS GRATIUS *in epist. obsc. Vir.*) applicavi litum *ex ol. terebinth* superimposito *empl. de sperm. cet.* Perniones.

§. Herpyllii *Filiolus*, de quo 17. *Jan.* exclusit tres grandes lumbricos, quorum unus ad ulnam dimidiam protendebatur digiti auricularis crassitie. Melius habet. Cum *phlogoses* tamen nondum cessent, ordinavi

pulvi-

XXII. *pulvisculum* mane, pomer. & noctu ad 2. cusp. cultr. per se dandum:

Rec. *Spec. diacr. Mynſ.* ℥ij.
bez. ♃al. conch. ppt. arcan. dupl. an. ℥j.
ſacch. perlat. ℥ij. *M.*

Hamaxei *uxor.* *Rheumatismus brachii.* §. Hamaxei *Erynnis*, de qua 18. *Ian.* *rheumatiſmo ſiniſtri humeri & brachii* corripitur. Sum. mane & noctu gtt. xxx. *eſſentiæ* ex quolibet liquore: Rec. *Eſſ. lign. ſaſſafr. ſuccin. an.* ℥iß.
anod. ℈j. *M.*

Loco dolenti *linimentum* Herbolariæ d. 8. *Jan.*

Vectis. *Metus ſuffocationis, a fumo prunarum.* §. Vectis, ut a carnibus mactatis congelationem arceret, carbones in ſatis anguſto, feneſtrisque circumcirca firmiter clauſo ſarcophylacio accendit, ibique diutius moratus *preſſionem circa pectus* ſentit, ſe vero temporius proripiens ſuffocationem effugit; *vertiginoſus tamen & quaſi temulentus* ſuper lectum ſe præcipitavit, me, uxoris cauſſa, inexpectato adveniente. Cum nil aliud ad manus eſſet, juſſi ~ *bacc. junip. cochl. ij.* hauriret, quod faciens ad ſe rediit.

Uxor. Tumor maxillæ. Ipſius uxor poſt evulſum dentem molarem indies melius habet, vulneri malæ applicata *turunda plumbea cava*, ad puris expeditum magis profluxum. Brevi ſanatum iri ſpero.

Trichembolus. §. Trichembolo, de quo 19. *Ian.* per omnia melius habenti, ordinavi *purgans ex elect. e pſyll. & pulv. Cornach.*

XXIII.

XXIII.

§. Hodie Mercurius per integrum gradum cecidit & in medietate quinti gradus quievit. In *thermometro* ſigillato liquor unicam lineam tubuli implevit & in vulgari rurſum aliquid liquoris in orbiculum recurvum tranſiit. Frigus ad ſenſum remiſit.

Ichthyboli *Filiola*. §. Ichthyboli *Filiola* bene dormivit, hilarior ante meridiem, quam unquam, fuit, comedit, luſitavit; pomeridie rurſum, leviores licet, inſultus. Dixi, ut *liquorem CC.* iterum propinare tentarent. Promiſerunt. Cum reliquis pergatur. (d. 24. *Jan.*)

Caloſtrophi *uxor.* *Metus Tympanitis.* §. Caloſtrophi *uxor* 31. annorum, unius tantum puelli ante quinquennium mater, obeſula; jam a longo tempore in *abdomine tormina*, nunc mitiora, nunc atrociora *ſentit*, magis tamen verſus ſiniſtrum epigaſtrium, eo loci, ubi inteſtinum colon verſus eam regionem protenditur, vergentia. Cum ejusmodi dolores brevi remitterent, nec in exequendis muniis tam naturæ quam profeſſionis eam impedirent, illos neglexit. Ante trimeſtre per ſcalas domus ſuæ ſupina præcipitata, caput

pavi-

pavimento allisit, manumque alteram læsit. Ab eo tempore substiterunt menses, *tormina augentur*, abdomen est tensum, borborygmi plures audiuntur, flatus cum levamine *torminum* erumpunt; spiritus ægrius quam olim ducitur. Cætera ingerit, digerit, egerit, dormit: nec ex capite, nec usquam alibi, nisi circa umbilicum & lævum *epigastrium* dolet. Nullus in lumbis dolor lacerans; nedum ad inguina protensus, urina rite fluit, quæ suo colore prædita innatantem quasi lanam carptam ostendit. Cum dolor nimium intendatur, abdomenque magis, quam gravidam etiam a trimestri decet, assurgat, consilium exquirit. Anne *gravida*? Neque hoc asserere audeo. Quid igitur opus facto? de *tympanitide* metuo, sed, imprægnationem non impossibilem existimans, quam cautissime mihi procedendum esse putavi. XXIIII.

Rec. *Extr. Zedoar. gentian. cal. arom. an.* ℈j.
castor. papav. com. an. ℈ß.
♁. *nat. ppt. succin. a ppt. an.* ʒß.
ol. carv. ℈ß. *F. pil. pond. gr. j.*

Sumat mane & pomer. 4. nr. *xij.* ex quolibet, frigido tamen vehiculo.

Antemer. hor. 10. & noctu ante somnum assumat spiritus nervini gtt. 50. Abdomen mane & noctu calide ungat:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥vj.
ol. e flor. Slot. ʒß. *philos.* ʒij. *carv.* ℈ß. ℈j. *M.*

Imposito *sacculo* ex *fl. chamom. herb. absinth. menth. bacc. junip. laur. sem. carv & cort. aur. sicc. conc. cont. &c* V. *irrorat.*

§. Monstratum mihi in domo quadam *unguentum alabastrinum* plane *album*, ex officina petitum. Quærenti, cur non esset *viride*? responsum, ab hoc tempore frigido colorem evanescere. Dixi, me dubitare de frigoris tali effectu, petitum irent ex alia officina idem unguentum. Fecerunt, & ex æque frigida *viride* tamen reportarunt. Unguentum hoc, cum sui similibus, vetustate pallidius fieri certum. *Album* tamen esse minime debebat.

§. Saracenus *asthmate* sonoro, cum *gravedine* vexatur. Ordinavi *infusum e lignis & radicibus theiforme* mane & noctu bibendum, cujus primæ scutellæ instillentur guttæ 40. *mixturæ*: Saracenus. *Asthma. Coryza.*

Rec. ∼. *cochl.* ⊖. *vol. oleos. an.* ʒj.
R. *croc.* ʒß. *M.* (d. 24 *Jan.*)

XXIII. Alectoris *uxor.* *Odontalgia.* §. Alectoris *uxor* 20. circ. annorum ex *dentibus* sæpe laborat, ac ante annum & ultra *abscessum* accepit in *gingiva superiore* ad *dentem caninum sinistrum*, post diuturnam *odontalgiam*, gingiva pressa pus diu ploravit. Nunc a quatuor jam septimanis dolor novus non dentem tantum istum caninum, sed totum superiorem & inferiorem maxillam illius lateris, aurim porro sinistram, nasi dorsum, ipsumque sinistrum sinciput affligens, sic, ut vix digiti tactum hæ partes ferant. Intus gingiva vehementer tumens. Nihil usurpavit, omnia usurpavit. Nihil ad rhombum, omnia ab omnibus, quod in *dentium dolore* solet, laudata. His primis *Instantiis* necquidquam proficiens *appellat* ad *Medicum*: Displicet mihi negotium. *Cariem in superiore maxilla metuo.* Incisores jam illius lateris bini evulsi, canini extractionem horret. Gingiva valde tumet. Pulsatilis dolor cum ibi, tum in aure totaque facie. Ruptionem abscessus in gingiva promovendam & ex conditione profluxuri puris de angue demum latente judicandum ratus, *decoctum* suasi *ex fl. malv. ligustr. herb. malv. salv. branc. ursin. rad. alth. liquir. sem. lin. fœnigr. & fic. in lacte coquend.* Cujus, addito *melle*, sæpe cochlear magnum assumtum in ore diu retineat, post exspuat. Intus mane & noctu portionem *electuarii* assumat, mane sudando:

Rec. *Rob. samb.* ℥j. *ther. Andr.* ʒij.
♉. *diaph. CC. philos. an.* ℈ij. *M.*

Caussanti, se neque *rob. samb.* neque *theriacam* impune unquam assumsisse, suffeci *pilulas* mane & noctu xij.

Rec. *Extr. bezoard. gumm. guajac. an.* ʒß.
bez. ♃*al* ℈j. *ess. lign. q. s. F. pil. pond. gr. ij.* (d. 24. *Jun.*)

Siderolithi *uxor.* *Metus abortus.* §. Siderolithi *uxor*, cujus 9. *Jan.* facta mentio, hactenus bene habuit, nisi, quod mane constanter semel *vomeret*, quod malum gravidis compluribus commune. Heri dolorem in lumbis sensit, hodie, eo quidem cessante, *menses* vestigia sui prodiderunt, quamvis vix vestigia. Conqueritur de *Dyspnœa* & *venarum in brachiis intumescentia.* Metuit *abortum.* Cochleatim sumat:

Rec. *Aq. plantag. bugl. an.* ℥iß.
Ra. ♂. ʒj.
Cor. r. ppt. 🜄. *Catech. an.* ℈j.
conf. de hyac. ʒj. *sir. cydon.* ʒiij. *M.*

Cras e mediana sinistri ℥iiij. sanguinis proliciat. (d. 24. *Jan.*)

XXIV.

XXIV. XXIV.

Hac nocte Mercurius usque ad primam quinti gradus lineam cecidit, in eoque hodie permansit. Liquor in *thermometro* sigillato, quod magis æstimo, tres lineas cylindri complevit. Frigus adeoque sensibiliter remisit & rarissima nivula lapsa est.

§. Quid cum *uxore* Caprœni incipiendum, fere nescio. Tot scatet impressionibus, quot sunt muscarum æstivis mensibus in foro boario. Nunc terret eam urina per frigus externum turbida & limosa reddita, nunc *hydrops* propter manuum tumores, nunc *phthisis*, ob nuper bis vel ter exscreatum sputum cruentum, nunc *apoplexia*, ob *vertiginem* interdum præsentem, nunc *catarrhus suffocativus*, ob *anxietates præcordiales*, nunc alia quæque. Maritus lecto ad caput assidet gemens, Mater anus ad pedes adstat plorans, atque sic *trifolium quoddam stolidissimorum hominum*, *suimetipsius carnifex ac tortor existit*. Quæro de *pilulis* & *pulvere* nudius tertius ordinatis? Non usi sumus, inquiunt. Quare? Heri mane ructus aliqui surrexerunt e stomacho, comite quoque nausea, hinc morbum in alium commutatum existimantes, intermisimus. Si jam institissem istis medicamentis, perdita erat fiducia. Morbum enim me non satis cognoscere judicassent. Jussi ♁. *nervini gtt*. 40. ter in die ex vehiculo seq. seorsim etiam usurpando sumeret: *Caprœni uxor.*

Rec. *Aq. ceras. n. fl. til. an.* ℥iiß.
epil. L. ℥ß.
specif. cephal. ʒß. *sir. fl. pœon.* ʒiij. *M.*

Vertex, nucha, tempora, inungantur *balsamo*. (ut fidem scil. facerem, me resistere *apoplexiæ*:)

Rec. *Ol. N. M. expr.* ʒj.
rut. succin.
balf. peruv. an. ℈j. *M.* [d. 28. *Jan.*]

§. De Ichthyboli *Filiola* quid amplius dicam? Nunquam melius habuit, quam nocte præterita. Omnia ad statum naturalem redisse visa. Cum alvus jam a triduo constipata esset, ordinatum *clysma*. Circa meridiem, tormina, clamores, convulsivi motus. Vesperi adventans, quæsivi, *num liq. CC.* heri, prout promiserant, dedissent? Resp. Non, quia infans inquieta fuit. Quis non ægre hæc talia ferat? Respectum habens ad *tormina*, *mixturam* ordinavi: *Ichthyboli Filiola.*

XXIV. Rec. *Aq. carv. anis. fl. til. an.* ℥j.
epil. L. ℥iij.
ess. carmin. ℈j. *anod.* ℈ß.
sir. fl. pœon. ℥ij. *M. D. cochl.*

Venter inungatur *Ungu.* de *hyosc.* ℥ß. c. *ol. carv.* ℈ß. mixto. *Clysma* incunctanter applicetur. *Empl. theriacale* fontanellæ. [d. 25. *Jan.*]

Mosellanus. *Tussis.* §. Mosellano *tussienti Caffephilo* suasi pulveri *Caffe* adderet quartam partem pulveris *sassafras*, & loco *sacchari comm.* unicuique scutellæ misceat *pulverem rotul. tragac.* [d. 20. *Aug.*]

Filiola. Asthma. *Filiola*, de qua 8. *Jan.* stertit ex *asthmate*, ut suffocatio metuatur. Medicinam omnem aversatur. *Pulverem* cum pulticula se præbere posse confidunt:

Rec. *Rad. irid. fl. liquir.*
asell. ppt. an. ʒß. *M. F.* ☿.

D. 1. cusp. cultr. bis in die cum pulticula. Applicetur statim *clyster*, ex *crem. hord. cum ol. oliv. & pauco saccharo.* Mater lactans mane & noctu sum. gtt. xxx. *mixturæ.*

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ʒiij. ℞. *croc.* ʒß. *M.*

Cogitet de ablactatione. (d. 27. *Aug.*)

Grapteris *uxor Febricitans.* §. Grapteris *uxor* [d. 8. *Jan.*] nondum cessat *alternis vesperis* parum *febricitare*, cætera quoad graviditatem bene habens: sumat mane pomerid. & noctu gtt xxx. *mixturæ* ex quolibet vehiculo:

Rec. *Ess. chin chin.* ʒiij.
℞æ *propriet.* ʒij. *ol. caryoph.* gtt. ij. *M.*

Filiola. Otalgia. *Filiolæ* ex *aure sinistra dolenti* noctu cubitum ituræ bombax *oleo* imbutus calide immittatur:

Rec. *Ol. amygd. am.* ℥j. *succin.* ℈ß.
ess. anod. ℈ß. *M.* (d 30. *Sept.*)

Volvuli *uxor. Clavus hystericus.* §. Volvuli *uxor* (17. *Jan.*) ex *dolore dentium* melius habuit, nunc affligitur *clavo hysterico*:

Rec. *Diascord. Frac.* ʒij. *ther. Andr.* ʒß. *M.*

F. 2. doses: sumatur una cras mane, sudando, altera perendie. Pomeridie & noctu gutt. xxx *mixturæ* ex quol. vehiculo:

Rec. *Ess. lignor. succin. an.* ℥j.
castor. anod. an. ℥ß.

Emplastrum ad tempora:

Rec. *Empl. de tacamah.* ℥ij. XXIV.
op. correct. ℈j. *ol. castor. par. M.*

§. Saracenus adhuc difficulter anhelans præter heri ordinata hodie noctu sumat ⊖*Tartari vol. comp.* ℈ß. *ex aq. veron.* (d. 28. *Jan.*) Saracenus.

§. Cellarii *uxor* (17. *Jan.*) hodie prævio frigusculo dolorem punctorium subter costas spurias dextri lateris sentit. Anhelitus liber, nulla tussis, calor præternaturalis non adest. Dolor interdum usque ad scapulas ascendit. Aliquoties hypocaustum egressa est in summo frigore adhuc puerpera. Dixi esse *pleuritidem spuriam.* Cellarii *uxor.* *Pleuritis notha.*

Rec. *Aq. card. mar. fœnic. an.* ℥iiß.
♁. *nat. ppt. oc.* ♋. *crud. cont. an.* ℈j.
ess. anod. ℈j. *sir. chamom.* ℥ij. *D. cochl.*
Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr.* iij.
F. 6. pil. sum. noctu hor. 10.

Latus dolens inungatur *ungu. de hyoscyamo.* (d. 9 *Jan.*)

§. Alectoris *uxor* heri noctu 12. *pilulas* assumsit. Se ab illis magis debilitatam credens, hodie mane devoravit octo. Ter alvus laxata. Dolores remiserunt. Rogavit, an pergendum sit cum *pilulis.* Dixi, nil admixtum esse *purgandi* fine. Effectum tamen mihi non displicere. Velle me, ut eas hac nocte omittat, cras mane ad octonarum usum redeat. (d. 25. *Jan.*) Alectoris *uxor.*

§. Apud *uxorculam* Siderolithi vix bina *mixturæ* hesternæ cochlearia dolorem in lumbis sustulerunt. VS*io.* quoque bene cessit. [d. 3. *Febr.*] Siderolithi *uxor.*

XXV. XXV.

§. Mercurius ad medietatem quinti gradus denuo pertingens notat per nives heri & præterita nocte cadentes aërem sicciorem factum: calidiorem vero liquor *thermometri* sigillati, qui secundam lineam secundi gradus ascendendo complevit. Frigus multum remisit. Parietes lapidei intra domos *aphrochione* obvelati: *Plenilunii* non infaustum sidus: *Dies* PAULI satis clara, dummodo stylus correctus PAULO consentiente sit introductus.

§. *Emplastrum de spermate ceti*, quippe sibi non admodum cohærens, meis calcaneis, cum domi manere non liceat, applicari non potuit, *litus* autem ex *ol. terebinthinæ* eos egregie solatus est, cujus effectum laudabilem etiam ante, quam frigus remitteret, sentire cœpi. Perniones.

XXV. Ichthyboli *Filiola.* §. Ichthyboli *Filiola* post applicatum *clysma* fetidissima dejecit cum euphoria. Nocte tamen præterita per integram horam rursum vociferavit, sudore frigido simul erumpente. Quietior postea facta hanc totam diem tolerabiliter transegit. Cessantibus clamoribus & ungere cessarent abdomen & *mixturam* hesternam adhibere, præcepi. Dedi *pulvisculum* ex *aur. fulmin. gr. ij. & arcan. dupl. gr. iij.* [d 26. *Ian.*]

Mechanetes. *uvula prolapsus.* §. Mechanetes 30. circ. annorum me convenit. Queritur *uvulam* a biduo *propendere*: sibi deglutiendum esse continuo, quasi frustum cibi gulam urgeret. Metuere se suffocationem. ONISIMUM *Chirurgum* dixisse, medelam non amplius adesse. *Relaxatam uvulam* cum conspexissem, ut pomeridie rediret, nunc enim me ad alia vocari, mandavi. Non rediit. Ei sequenti modo medicaturus eram:

Rec. *Succ. hypocyst. acac. an. ℥ß.*
amyl. ℈ij. bol. Würtemb. ℈j. rad. bistort. ℈ß.

Ex his in *pulverem* redactis cum *mucilag. tragac.* per *aq. fol. querc. extracta F. trochisci.*

Platerum, ni fallor, Auctorem agnoscunt, liquefiat una vel altera in ore. Sæpius in die *pulvere* cultro lato insperso gurgulio tangatur:

Rec. *Piper. long. cinnam. ac. an. ℈ß.*
cort. granat. alum. rup. gallar.
thymiam. an. ℈j.
rof. r. ʒij. M. F. ℥. subtiliss.

Vertici cataplasma ex fermento panis cum ♉. *&* ☿. *succini. Relaxatur* his temporibus *uvula* a potu nimium frigido, cumprimis aëre per os patulum inter dormiendum hausto.

Virgerii *Filiolus. Cachexia. Atrophia.* §. Virgerii *Filiolus* adoptivus 7. annorum, sed qui vix biennalem puellum statura prævalet, ante triennium *leucophlegmaticus* miserrime diuque decubuit, utcunque convalescens abdomen tamen prætumidum circumgestat, pedes contorti. Nunc a mense *tussit*, & *contabescere* videtur. Ordinavi *pulverem* mane & noctu sumendum:

Rec. *Specif. antatroph. ℥ß.*
æthiop. miner. ʒij. spec. diair. simpl. ʒj. M.

In prima infantia *rhachiticus* fuit. (d. 4. *Febr.*)

Alectoris *uxor.* §. Cum apud ALECTORIS *uxorem* præterita nocte dolores recrudruissent, nec tamen adsint ulla suppurationis signa, immo gingiva rursus subsederit, mandavi, ut dentem caninum sibi evellere curaret. (d. 27. *Ian.*)

§. Silu-

§. Siluruli *uxor* secundum per 7. menses gravida post *epidemicam tussim* dolorem sentit in epigastrio sinistro quasi punctorium in regione lienis. *Adscripsi nisibus a tussi violentis.* Hodie ex alto aliquid protenso brachio petituræ ibi loci fragor, quasi dissilientis officuli, percipitur cum doloris incremento. Nil videtur ibi loci peregrinum, nil tactu deprehenditur, neque adhucdum, quo pacto se res illa habeat, assequi valeo. Sudorem suasi. Renuit. Jussi, ut abstinens ab omnibus motibus violentis, frequenter calide inungeret *oleum philosophorum* superimposito *emplastro Regio Burrhi.*

XXV Siluruli *uxor.* *Dolor in regione lienis.*

Rogavit, *utrum venam secare non liceret*? Dixi, hanc a dolore lateris non indicari. Satius igitur esse, ut expectet Lunæ incrementum, cœlo fortassis intra hoc tempus etiam clementiore futuro.

Vulgus nostrum improbat, *si gravidis vena tundatur sub luna decremento.* Credit enim tunc embryonem in utero tabescere. Me licet dissentientem habeat, in ejus tamen gratiam, cæteris paribus, venæsectionem eo lunæ statu rarenter admitto. Nam ea concessa si quid eveniat sinistri, caussam in venæsectionem administratam devolventes mulierculæ, *Medicum* imprudentiæ, immò & ignorantiæ incusant (d. 7. *Aug.*)

§. Hactenus in ea opinione fui, *ypecacuanham* propterea mederi *dysentericis*, quod vomitum non admodum violentum ciens caussam removeat, vel certe, ut revellens pharmacum agat, eaque sum ante biennium felicissime usus. Immo mihi frequenter illa inservit loco alius *emetici mineralis* in aliis quoque affectibus. Hodie vero legi *les Memoires d' Histoire de l' Acad. Royal. de scienc. Ann.* 1701 Ubi D. BOULDUC docet parare *extractum* ex *Ypecacuanha cum* 🜍. Quod parte hujus radicis resinosa dives vomitus magis violentos, quam radix per se data, excitare solet: *extractum* vero aliud *cum aqua pluvia*, quod partem ejus salinam continens, tam diureticum est, quam moderate purgans, ac *dysenteriam* expedito tollit, quo ipse non semel & nunquam infeliciter usus est. Curandus mihi oblatus fuit ante octo menses *dysentericus* quidam cui *Ypecacuanham* toties mihi probatissimam daturus eram; cum vero vomitum ciere audisset, se quidvis aliud prius, quam hoc pharmacon assumturum cum horrore dixit. Sed nec impune pertinaciam tulit, diu & periculose postmodum a morbo exercitus, quem ope *Ypecacuanhæ* intra breve tempus salvum me præstiturum fuisse confido. Ut verum fateat, mihi non videbatut *Ypecacuanha dysentericis opitulari* virtute *adstrictoria*, siquidem dari simplicia, quæ ista vi magis pollent, nec tamen *dysenteria* tam promte medentur, clarius est, quam ut a quoquam in dubium-

XXV. bium vocari possit. Præterea, quidquid operatur vi styptica, specifice operari dici non potest. Quis BRASILIANOS, illos semihomines docebit *extractum salinum* ex ista radice parare? Non ausim experientiam DN. BOLDUCI in dubium vocare, nec tamen credere verebor, me æque tuto dysentericos radice in substantia data curaturum. Radix per se magno constat pretio, quanto constabit *extractum*?

XXVI.

XXVI.

Sic igitur per DEI gratiam detrimentoso gelu defuncti sumus. *Barometrum* est in eo statu, quo nudius tertius fuit, sine dubio propter cadentes hodie pluvias. Liquor sigillati *thermometri* propemodum secundum tubuli gradum attigit.

Ichthyboli *Filiola*. §. Ab *auro fulminante* Ichthyboli *Filiola* ter dejecit propemodum cadaverose putentia, eaque in maxima copia. Mitius inde habuit per hanc totam diem cum δυσαρεσίᾳ tamen magna. Hodie mane ordinavi *pulvisculum* singulis 4. horis ad cusp. cultr.

Rec. *Unic.ver.* ♁. *nat.ppt. margar.ppt.*
cor.r.ppt. smaragd.ppt. cryst all.ppt.
lap.bez.or. & occid. an.gr.ij. M.

Mixtura cochleatim præbeatur cum *balsamo* externo pergendo. Paretur *emulsio* quoque *amygdalina*:

Rec. *Aq.anis.fl til. an. ℥iß.*
epil.L. ʒiij. cinnam.bugl. ℥ß.
ess.carmin. ℈j. sir.papav.err. ʒiij. M.

Aggravant spem salutis frigidi sudores nonnunquam faciem occupantes, qui raro quid boni præsagiunt. Fetor teterrimus quidem comitari solet secessus a præbito *auro fulminante*; modo hic non sit putredinis colliquativæ indicium. (d.7. *Ian.*)

Baredui *servus*. §. Baredui *servus* per medicamenta d. 14. *Ian.* ordinata liber a *febre* evasit.

Herpyllii *Filiola*. *Dentitio*. §. Herpyllii *Filiola* 2½. annor. alget, æstuat, tussit, alvo est laxa. *Dentire credo.*

Rec. *Diaph.* ♃ *al.arcan.dupl.*
succin.a.ppt. an. ʒß. F. ☿. *ter in die ad cusp.*
2. cultr. ex v. hic. seq. etiam seorsim dando:

Rec. *Aq.acac. ceras.n. an. ℥ij.*
pulv.march.specif. cephal. ⊖. *vol.oleos. an. ℈j.*
sir.papav.err. ℥ß. M. (d.18. *Maij*)

§. Gin-

§. Gingrasmi *uxor*, postquam excanduit, *suffocationibus hystericis* obruta fuit: XXVI. Gingrasmi *uxor*. *Suffocatio hysterica*.

Rec. ♁. *nervin.* ʒij. *Rx. castor.* ʒj.
M. sum. gtt. 40. *ex quol. vehic.*
Rec. *Aq. lavend. rut. an.* ℥iiß. *hirund. c. castor.* ℥j.
elix. uter. Cr. conf. de hyac. ine. an. ʒj.
sir. fl. pœon. ʒiij. *M.* (d. 27. *Ian.*)

§. Clinecosmi *ancillam* (9. *Ian.*) visitaturus domi non reperi. Dixerunt plene convaluisse. Clinecosmi *ancilla*.

XXVII.

XXVII.

Mercurius in *Barometro* gradum quartum attigit. Liquor *thermometri* duobus punctis vel lineis gradum secundum superavit. Nives simul & semel liquescunt. Rivi & flumina attolluntur, ut jam sit metus inundationis. Mutatio nimium subita.

§. Ichthyboli *Filiola* tolerabiliter agit; Hac vespera tamen rursum quiritatur. (d. 29. *Ian.*) Ichthyboli *Filiola*.

§. Alectoris *uxor* (25. *Ian.*) *Odontagogum* admisit, sed sine successu. Chirurgus TERDENI dentem nimis firmum, radicemque fere ad orbitam oculi exporrectam dixit: quod credat, qui volet? Interim suppeditavit quosdam liquores cum bombace denti admovendos, ut ipsa queritur, acerrimos & labia corrodentes. Non vidi. Credo tamen esse *spiritum* quendam *salinum*. Dolor inde multum sopitus. Sensus forte stupefactus. Cum Chirurgo se crediderit, ipse viderit, quo pacto mulieri medeatur. Dixi tamen: 1. Mihi non verisimile videri, quod dens ille radices tam altas egerit. Hoc interdum prætexere Chirurgos, ubi odontulciæ non admodum periti sunt. Vix tamen me credere, quidquam frugis sperandum esse, nisi dens evellatur. 2. Parum fida pro dolore dentium remedia possidere, qui corrosivis utuntur. Dentium substantiam reddi fragilem, confracto hinc in frustilla dente radicem non nisi summo cum labore, immo non sine periculo, arripi & evelli posse, cum dolores recurrunt. Præterea, quantumlibet sis cautus, vix tamen, ne sani dentes quoque hisce *spiritibus* tangantur, tacti fragiles fiant, posse præcaveri. Alectoris *uxor*.

Notatu dignum est, Hominem fere solum ex dentibus pati; quod, nisi varietati ciborum, luxui & intemperantiæ adscribendum est, ratio mihi, præter dispositionem forte hæreditariam, alia non suppetit.

XXVII. Actuarii *uxor.* *Phthisis.* §. Actuarii *uxor* 32. annorum *tussi* laborat jam usque ab anno, interim puerpera facta, quo labore jam novies est defuncta. *Tussis* est vehemens, nocturna cumprimis, *asthma*, lassitudo summa, *macies*, sudores colliquativi, phlogoses, horripilationes, sitis, appetitus dejectus; sputum denique album & viscidum. Consumta jam, præscribente alio *Medico*, pharmacorum farrago. Ἀγαθῇ τύχῃ. Gaudeo magnum gaudium, ubi tales offeruntur. Neque tamen a me possum impetrare, ut manum retineam. Quid ad confirmatam *phthisin*, præter *diarrhœam* ac *raucedinem* adhuc desiderari queat, nullatenus perspicio. Mane, pomeridie & noctu bibat haustum *decocti pectoralis*. Antemeridie hora 10. & noctu paullo ante potum *decocti* deglutiat 12. *pilulas*, ex potu ordinario;

Rec. *Extr. helen. papav. err. liquir. an.* ℈ß.
croc. gr. v.
bez. ♃*al. matr. perl. ppt. an. gr.* xij.
c. bals. peruv. F. pil. pond. gr. j.
consp. ☿. *liquir.*

Sub initium cujusvis pastus liquefiant 2. cochlearia *gelatinæ ex gallina*, *pede vitulino*, *ras. ebor.* & *CC. maci & croco cum aq. font. parata in* patella juris carnium, & ante cibos alios calide sorbeatur. Diæta sit congrua. Quid *Martius* mensis novi sit allaturus expectandum. [d. 1. *Febr.*]

Gingrasmi *uxor.* *Suffocatio hysterica.* §. Gingrasmi *uxor* ab hesternis vires statim collegit. Cum sæpius, & fere toties, quoties nimium excandescit, his *paroxysmis hystericis* infestetur, suasi, ut semper in promtu haberet *mixturam* ex ~. *nervino* & *Ra. castor.* a me heri ordinatam, & statim ejus 40. guttas sumeret, ubi hujus affectus præludia sentiuntur. Quinimmo, lagenulam sibi crystallinam, quibus condi solent *spiritus apoplectici*, compararet, 40. guttas instillaret, quod vacuum relinquitur, *aqua cerasorum nigrorum* suppleret, obturatamque noctu lecto admoveret, atque ad levissimum paroxysmi sensum statim ori admotam exhauriret: sic enim neque candela, neque cochleari, vel alio quovis apparatu opus esse. *Certissimum vero præservativum ab iris abstinere.*

Filiolus. *Tormina.* *Filiolus* 18. septimanarum *torminibus clamosis* infestatur. Crepitus quandoque sonoros ebuccinat, quales ab auriga bene pasto vix audiuntur. *Mixturam* infantulis hisce valde proficuam cochleatim exhibendam scripsi;

Rec.

Rec. *Aq. anis. fl. til. an.* ℥ij.
-⊖ ✻ci anis. ℈j. *ess. anod. gtt. ij.*
elaeosacch. anis. ʒij. *M.* XXVII.

Abdomini *unguentum de hyoscyamo.*

Quærere soleo, quo loco farina condatur, unde pusionibus coquuntur pulticulæ? si locus est humidus, hypocausto inferendam curo, quod ad præcavendas *physogonias* habet grande momentum, & *Practicis junioribus* notandum.

§. Herpyllius, valetudinarius, jam a 6. septimanis affligitur *diarrhœa, singulis triduis, quatriduis ve redeunte*, cum torminibus, lassitudine, inappetentia. Excreta sunt mucosa, vivit aliena quadra, non quæ sunt salubria, sed qualia apponuntur, edere coactus. Herpyllius. *Diarrhœa periodica.*

Rec. *Trag. gran. act. spec. diacret. Mynſ. an.* ℥ß.
diaph. ♂*al.* ʒij. *ol. N. M. expr. gr.* ij. *M. F.* ℥.
sum. mane & noctu cusp. 3. *cultr. per se.*

Diebus autem dejectoriis 2. vel 3. singulis horis castaneæ quantitatem de tali *electuario*:

Rec. *Conf. ros. r. antiq.* ℥j. *miv. cydon.* ℥ß.
ther. Androm. ʒij.
Coral. r. ppt. bol. arm. ppt. ♁ *catech. an.* ʒj.
sir. cydon. q. s. M.

Bibat interdum *emulsionem amygdalarum.*

XXVIII. XXVIII.

Mercurius descendit ad ultimam lineam quarti gradus. Liquor autem *thermometri* medium fere tertii gradus attigit. Nives liquefieri perrexerunt, & circa vesperam pluvia tenuis cecidit. In novellis Francofurtensibus mirari video Mathematicum illius loci, quod cum gelu intenso existente Mercurius in *barometro* in ipsa domo ascendisset, in cella tamen subterranea descenderit. Mirum hoc mihi non videtur. Nam, quemadmodum Mercurio cum calore & frigore, qua talibus, nihil est negotii, ita, ob humiditatem cellæ aëris elatere languido mercurio fuit omnino descendendum. Quo enim fortior est aëris elater, eo magis mercurius in aperto tubi crure recurvo, vel in catillo supposito, deprimitur, & per consequens in tubo erecto ascendere cogitur, idque fit aëre puro existente, nec aqueis moleculis inquinato, quod ultimum, ubi fit, remittit aëris elater, hinc minorem resistentiam dum exercet, mercurius descendit.

XXVIII. Toparii *uxor.* *Asthma.*

§. Toparii *uxor* (19. *Jan.*) d. 26. hujus mensis vesperi derepente corripitur *tussi* cum *asthmate* & *raucedine*, quibus *cervisia calida cum butyro & saccharo* mederi sustinuit. Heri noctu spiritum ferme non amplius ducere potens me consulit.

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ʒj. *Ra. croc.* ℈j. *M.*

Statim dentur guttæ xxx. ex vehiculo sequenti, seorsim quoque propinando:

Rec. *Aq. veron. hyssop. an.* ℥ij.
asthmat. ʒij.
∽. *cochl.* ʒj. *oxym. squill.* ℥ß. *M.*

Pectori *unguentum*:

Rec. *Ungu. pectoral.* ℥ß. ∽⊖✱*ci* ʒß. *M.*

Hodie liberius spiravit. Ordinavi decoctum quater in die calide hauriendum, instillatis singulo haustui *salis volatilis oleosi crocati*, heri scripti, gtt. xxv.

Rec. *Spec. pro Dec. pector.* ℥iiij.
rad. armorac. ʒij. *sem. sinap. nasturt. an.* ʒj. *M.*
conc. cont. coq. cum 1¼. *mens. aq. font. ad consumt.* ⅙.

Cum reliquis pergant. Vesperi omnia mitiora.

Cervisia calida cum *butyro*, *saccharo* & *vitello ovi* in *raucedine* ab acri tenuique catarrho non temnenda. Minus succedit in catarrho crasso resolutione opus habente. Stomacho adversatur, cumprimis in constitutionibus biliosis, ubi ructus nidorosos excitat, appetitum destruit, ac *febrile* quid progignit. (d. 29. *Jan.*)

Ephippi *Filiola.* *Tussis convulsiva sternutatio.*

§. Ephippi *Filiola* minima *tussi convulsiva* prehenditur, cum *sternutationibus* multis. Alvus est liquida. Fortasse *dentitio* quoque in caussa est, nam ætatem implevit 9. mensium:

Rec. *Aq. acac. fl. til. an.* ℥ij.
∽⊖✱. ℈j. *Ra. croc.* ℈ß.
sir. jujub. ʒj. *M.* D. *cochl.*

Pectusculo *unguentum pectorale c.* ∽⊖✱. acuatum. *Gossypium fumo agallochi impragnatum vertici* imponatur. (d. 1. *Febr.*)

Nipsi *Filiola.* *Ophthalmia sicca*

§ *Ophthalmia sicca Filiola* Nipsi quinquennis opponere suasi *mucilag. sem. cydon. c. aq. ros. pallid. extracti & album ov. conquass. an. splenio excepta calide ocellis superliganda.* (d. 1. *Febr.*)

Caprœni *uxor.*

§. Caprœni *uxor* (24. *Jan.*) de die in diem melius habet, quamvis virium adhuc valde debilis. Suasi, ut medicamentis ultimo ordinatis uti pergeret, &, cum infans lactens succi nutritii nimium suffuretur, ut vires recipe-

recipere non possit, de *analepsi* cogitaret, biberetque *emulsionem amygdalinam*, fierique curaret *gelatinam e gallina & pede vitulino* cum jusculis sorbendam. XXVIII.

Notandum est, Naturam in lactantibus magis prospicere alumno, quam nutrici, cujus omnia ingesta propemodum in merum lac facessunt; unde necessario sequitur, matres lactantes, morbo detentas ac debilitatas, vires non nisi longa mora reciperepoffe, si nolint ablactare [d.18. *Feb.*]

§. Calostrophi *uxor* (23 *Jan.*) quoad *tormina*, in sinistro præcipue *epigastrio* melius habet, abdomen minus tensum; sed flatus adhuc multi & lassitudo summa. Nil immutandum duxi. Pergat uti nuper ordinatis, sed *mixturæ* saltem 40. guttas, & *pilularum* nr. x. sumat. Calostrophi *uxor*.

§. Stratandri *uxor* 56. circ. annorum obesa *hemiplegia* derepente corripitur in dextro latere. Lingua uti non potest. Imperata venæsectio. *Liquoris CC. succinati* gtt. xxx. cum *aq. ceras. n.* datæ. Cochleatim præbeatur *mixtura*: Stratandri *uxor*. *Hemiplegia*.

Rec. *Aq. ceras. n. rut. an.* ℥iiß.
epil. L. ℨvj.
Ræ. castor. ℨj. ⊖. *vol. oleos* ℈ij.
sir. fl. pæon. ℨiij. *M.*

Vertici, nuchæ, temporibus *linimentum balsamicum*:

Rec. *Ol. N. M. expr.* ℨj.
rut. succin. & bals peruv. an. ℈j.
axung. castor. ℨß. *M.*

Post mediam noctem repetantur *guttæ*. (d. 29. *Jan.*)

§. Saracenus (23. *Jan.*) nondum levatus est *asthmate* suo. Suasi *infusum ex incidentibus & laxativis*. Deprecatus est vinum, & rogavit, num infusio ex sola aqua fieri nequiret? Annui dicens, vim purgatricem in parte *purgantiam* magis *salina* consistere, hinc felicius extrahi menstruo aquoso. Saracenus. *Asthma*.

Rec. *Herb. hyssop. trifol. fibrin. an.* mj.
fl. acac. Mß. fol. senn. ss. ℥j.
rad. helen. polypod. quern. an. ℥ß.
mechoac. alb. liquir.
agar. troch. fibr. helleb. n. an. ℨiij.
cinnam. ac. sem. anis. an. ℨj.

XXVIII. *E conc. cont.* F. mane *infusum theiforme* ad ¼. mens. aquæ pro dosi; hauriat e scutellis calide ad modum *theé*, cum vel sine *saccharo*. [d.19.*Feb.*]

XXIX.

XXIX. Mercurius ad primam lineam quarti gradus, adeoq; per spatium 2. linearum resederat, *thermometro* in eodem, quo heri, statu manente.

Stratandri *uxor.* *Hemiplegia.* §. Stratandri *uxor* hac nocte aliquoties *vomuit*, statim in sopores relapsa. *Totum dextrum latus resolutum.* Sinistrum brachium movet, sed non sine tremore. Pulsus est celer & magnus. Movet linguam, loqui vero non potest. Agnoscit homines. Præcepi, ne eam continuo dormire paterentur, immo, si possibile, suffultam aliorum brachiis interdum in hypocausto circumducerent. Ab admoto naribus *liq. CC succinato spiritus* quadantenus excitabantur, quod factum, donec ⊖. *vol. oleosum siccum* ex officina petitum illi surrogaretur. *Opiata* sequentis portio fabæ magnitudine frequenter linguæ imponatur:

Rec. *Mithrid. Dam.* ℥ij.
pulv. rad. pyrethr. cubeb. an. ℈j.
sem. eruc. ℈ß. *M.*

Vesicatoria duo utrisque brachiis inurantur. Cum *mixtura* cochleatim sumenda, & reliquis pergant. (d.30.*Jan.*)

Pomeridie ad sensum sibi melius constabat, loqui nitens, perficere tamen non potens, nisi quod dulcissimum JESU nomen articulate multoties proferret. Ordinavi *sacculos vino ferventi immergendos* &, postquam valide expressi sunt, calide per vices *capiti* applicandos:

Rec. *Rad. pæon. mar. valerian. imperator. an.* ℥iij.
herb. rorism. salv.
*fl. lavend. an. m*ß.
stœchad. anth. lil. conv. an. p. ij.
Conc. cont. D. pro sacculis.

Singulis quatuor horis dentur guttæ xxx. *mixturæ* ex quolibet vehiculo, v. gr. *aq. ceras. nigr.*

Rec. -~. *nervin.* ℥ij. *Tæ. castor.* ℥j. *M.*

Spinæ dorsi sequens *linimentum*:

Rec. *Ung. nervin.* ℥j. *bals. peruv.* ʒß.
ol. castor. ʒß. *succin. petr. an.* ℈ij.
salv. anth. rut. an. ℈ß. *M.*

Cum reliquis pergant.

Cellarius §. Cellarius de *dolore rodente abdominis* queritur, præcipue quum est jejunus. Ait sibi videri, quasi reptile quid in ventre moveretur.

Uxo-

uxorem propinasse *Decoctum allij cum lacte vaccino.* Vermes non prodisse, sed mitius tamen abhinc semet habuisse. Credere se, vermes in interaneis hospitari. Urina erat turbida cum sedimento lacteo, qualis persæpe est verminosorum. Cætera bene habet, XXIX.

Rec. *Æthiop. miner.* ℥ß.
CC. ust. ppt. Corallin. sem. santon. an. ʒj.
elæosacch. fœnic. ʒij. *M.*

Sum. mane & noctu ȝ. cusp. cultri per se. Observet excreta.

Filiolo torminoso cum crepitibus sonoris; *Filiolus. Tormina.*

Rec. *Aq. chamom. fl. til. anis. an.* ℥j.
*ᨓ⊖ *ci anis. pulv. march. an.* ℈j.
elæosacch. anis. ʒij. *M. D. cochleatim.*

Abdomini *unguentum de hyosc. c.* ᨓ⊖ *ci* acuatum.

Naribus *elæobutyrum rutæ.*

Matri lactanti contra *inappetentiam* & *tussim tragema* mane & noctu ad cusp. 3. cultr. per se: Mater. *Inappetentia. Tussis.*

Rec *Spec. diacr. Myns. diatrag. frig. an.* ℥ß.
myrrh. r. subtiliss. ☿. ʒß. *elæosacch. mac.* ℥j. *M.*

Addita *myrrha*, quod aliquid *lochiorum* restitare crederet. *Crocata* in jusculis, aliisque cibis commendata.

§. Cum Ichthyboli *Filiola* hodie, cum sit hilaris, ut novam convalescentiæ spem faciat, medicationi pactæ induciæ: quod apud plures in ejusmodi casibus fieri curo, illo fine, ut cognoscam, utrum vires Naturæ sponte se colligant, an *pharmacis* juvari velit? quod in praxi ad Indicationes futuras momentum non leve habet. (d. 16. *Febr.*) Ichthyboli *Filiola.*

§. Toparii *uxor* liberius quidem spirat, sed multis cum trachææ sibilis. Dixi ut heri ordinata usurpare continuaret, hodieque vesperi *spermatis ceti* ʒj. in jure vel calido lacte solutum, sorberet. (d. 30. *Jan.*) Toparii *uxor.*

§. Grapter gelu summo adhuc existente caput vitta quidem munitus, auribus autem frigori patulis, in domo quadam occupatus per aliquot dies circumcursitabat, contracta hinc *obauditione.* Sudare, ac domi aliquandiu manere, mane & noctu fumum *suffitus* HAUGIANI per tritorium auribus excipere, de nocte easdem sacculo e solo *carvo* prius percalefacto munire, mane vero *granum mastiches*, donec salivam prolicit, masticare jussi. Grapter *Obauditio.*

§. Nisseti *Filiolæ* propinatus hodie *purgans haustulus*, usque ad meridiei duodecimam sedem nullam movit. Erat autem talis: Nisseti *Filiola.*

Rec.

XXIX. Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *Sir. de cich. c. rh.* ʒij.

*ol. ⊖ *ci anis.* ℈ß. *aq. acac. q. s. M.*

Dixi, ut *prunis damascenis* pranderet, horaque prima pomeridiana *sir. ros. solut.* ℥ß. assumeret. Est 4. annorum.

Rhabdaulitis *Filiolus.* *Dentitio.*

§. Rhabdaulitis *Filiolo* triennali præter consuetudinem *æstuanti* cum *siti* & *inappetentia* cochleatim detur *emulsio*:

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒj.

aq. fl. til. bor. ag. an. ℥ij.

F. l. a. Emuls. add. pulv. march. ℈j.

conf. alk. c. aq. cinnam. an. ʒj.

sir. pap. alb. ℥ij. *M.*

Uxor. *Gravida sternutans nimium.*

Uxor jam quartum & quidem per menses 4. gravida queritur de symptomate sibi, quoties ea conditione viveret, valde molesto, *sternutatione puta nimia*, cumprimis noctu in lecto cubantem explosionibus sæpe quindecies, sedecies & ultra repetitis affligente, quod illud præterea haberet incommodi, ut quassata simul ilia punctionibus dolerent. *Euporista* duo suasi, *oleum* nempe *amygdalarum dulcium*, vel *lac vaccinum saccharatum*, utraque calida naribus attrahenda. Ultimum elegit. Interroganti de venæsectione suasi, ut incrementum lunæ expectaret. (d. 30. *Jan.*)

§. Litteras accepi a DN. D. MARPESIO, *Physico* MASTICHENSI, quarum hæc erat sententia: quo successu beatum fuerit Consilium Canonico cuidam EICHSTETTENSI contra cerebri humidam intemperiem in *Miscell. meor. Part. II. p. 311.* laudatum, uti docerem. Etenim Affini suo, DN. D. PELIDNO Patientem eodem modo laborantem oblatum esse, &c. Respondi, me quidem hoc scire, quod ante biennium salvus & incolumis adhuc vixerit iste Canonicus. Id enim mihi non tantum ab alio illius loci Canonico, verum etiam a DN. D. XYLARCHO relatum fuisse, qui sub idem fere tempus, 1696. vel paulo post fuerit *Archiater* EICHSTETTENSIS. Utrum vero per meos præcise conceptus revaluerit, me certo adseverare non posse, nec vero dubitandi caussam ullam habere, quamvis a tempore consultationis a Domino Patiente neque per litteras neque nuncium de curæ successu quidquam acceperim.

XXX.

XXX.

Mercurius gradum tertium attingens in medio scalæ suæ resedit, die turbida & interdum pluviosa existente. *Thermometrum* in hesterno statu.

Cum

§. Cum *uxore* Stratandri res conclamata. Perpetuus *Sopor*. Hac nocte bis insciens alvum deposuit, excrementis nigris & viscidis, picis ad instar, existentibus. Ad interrogata nil respondet. Pulsus celer ac magnus. Interdum animo linqui visa. Admotione *salis vol. oleosi sicci* parum excitatur, sed statim in *Soporem* recidit. Jussi *sal* istud per calamum naribus insufflarent. Ordinavi ⊖. *Tart. volat. ad* ℈ß. *ex aq. ceras. n.* *Vesicatoria* duo utrisque suris affigere jussi. Cochleatim detur *mixtura*: XXX. Stratandri *uxor*.

Rec. *Aq. confortat. offic.* ℥iij.
ceras. n. fl. til. an. ℥j.
cinnam. bugl. ℥iß.
Conf. alk. inc. ʒj.
pulv. march. spec. cord. temp. an. ℈j.
sir. fl. tun. ʒiij. *M.*

Pulsibus cum *cort. citr. rec.* applicetur *emulsio externa.* Cum medicamentis externis pergatur.

Pomeridie hor. 2. rursum eam invisens *faciem* offendi *Hippocraticam*, nullius externi sensus usum, stertorem, pulsum frequentem ac debilem. A ⊖*e vol. oleoso* naribus insufflato nil quidquam amplius movebatur. Ori ingesta in faucibus aliquandiu hæsitabant, postea ex isthmo delapsa *epiglottidem* irritabant. Dixi spem vitæ nullam superesse; precibus magis quam medicamentis militandum.

Apoplectici, nisi intra 24. horas usum sensuum, si non omnium, aliquorum certe, recipiant, moriuntur. Stertentes nunquam evasisse vidi. (d. 31. *Jan.*)

§. Rhabdaulitis *Filiolus* per totam noctem inquietus, siticulosus, δυσάρεστος, hodie per diem hilaris est & vegetus. Facies pallida, abdomen tumidiusculum, narium pruritus &c. pullitiem indicant *verminosam*. Ordinavi haustulum: Rhabdaulitis *Filiolus*.

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j.
☿*ii dulc. sem. santon. an.* ℈ß.
sir. de cich. s. c. rh. ℥ß. *fl. persic.* ℥ij.
aq. cinnam. ʒß. *gramin. parum. D.*

Observentur excreta. [d. 31. *Jan.*)

§. Toparii *uxor* liberius spirat, sed *tussis* magis affligit. Pergat cum *Dec. pectorali* & *mixtura* guttatim instillanda. *Sperma ceti* hodie quoque sumat. Et cum diceret hoc *sperma dolorem stomachi* excitasse, suasi, ut *panem biscoctum tantillo vini Hispanici ebrium* bis in die manducaret, ventriculumque solaretur inunctione calida *linimenti balsamici*: Toparii *uxor*.

XXX. Rec. *Ungu. pomat.* ℥ß. *de hyosc.* ℥ij.
ol. nuc. mosch. expr. ʒj.
menth. absinth. an. ℈j.
caryoph. mac. an. ℈ß.
bals. peruv. ℈j. *M.*

Sed orta mihi de *ceti spermate* alia controversia. Dixerat, se audisse a nobili femina, *concretum hoc pellere menses*: Cum vero se gravidam, me quoque consentiente, suspicaretur, id forte non sine periculo adhiberi, alioqui sibi non ingratum, sed cum *lacte fervido* sumtum, suave videri. Contradixi. ETTMÜLLERUS quidem *Disp. de sperm. cet. cap.* 2. §. 5. *sperma ceti mensibus suppressis* mederi scribit, sed suppressis ab externo frigore & inde nata sanguinis congrumatione, quem cum dissolvere *sperma ceti* sit aptum natum, sanguine fluidiori facto motus restituitur. Simile quid fortasse auditum aliquando mulierculæ nobili, quæ perperam inde argumentata est, a *spermate ceti* sanguinem per muliebria propelli. Ab effatis Medicorum male intellectis ejusmodi errores multi committuntur. Obiter tamen moneo, arbitrari LANGIUM *Oper. Part. I. p. m.* 370. virtutem *spermatis ceti* non tam in resolutione humorum viscidorum, quam condensatione tenuium & inviscatione acrium consistere. Mederi *catarrho suffocativo* a nimia tenuitate seri nato; *asthmati* ex eadem caussa, vel *acrimonia & spasmis* oriundo; sanguinem congrumatum si resolvat unquam, id rancidum magis, quam recens efficere, &c. Paradoxum. Aliud loquitur experientia *in catarrhis suffocativis* a viscidissima pituita ortis. An talis *catarrhus* detur a nimia seri tenuitate, conceptu difficile. Et quomodo *suppressioni mensium* ab externo frigore excitatæ sanguinem densando medeatur? Vincit theoriam praxis. (d. 31. *Jan.*)

Mosellani *uxor.* *Gingivarum absumtio.*

§. Mosellani *uxor* gingivas habet laxas, absumtas, vix dentium radices obtegentes. Monstravit *unguentum Ægyptiacum* sibi olim a matre ad gingivarum vitia commendatum, sibi autem videri, quasi hoc *unguentum* carnes gingivarum magis depasceret. Respondi usum *unguenti in gingivis putridis & hypersarcosi fœdis, stomacace* quoque *scorbutica* non contemnendum, tantum autem abesse, ut earum caro sincera hoc eodem tacta salva maneat, ut potius per ejus vim exedentem magis atque magis deterenda sit. Commendavi in ejus vicem sequens;

Rec.

XXX.

Rec. ℞. gumm. lacc. nostr. descr. ℥ß.
~. cochlear. ⊖ ✱ ci. an. ℈j.
mell. rosat. ʒj. M.

Linteolo hac madefacto gingivæ ter in die intus & extus leniter fricentur. In putredine & hypersarcosi uti unguentum Ægyptiacum admovere par est, ita gingivis ab hac sorde mundatis minus convenit. Vi quidem adstrictiva dentes in speciem firmat, sed caro gingivarum sensim absumitur.

§. Boscomactis uxor 52. annorum lotrix ab externo frigore tormina hysterica enormia patitur. Sanguis æstuat, venæ prominent, vel tument. Secetur vena. Sumat gutt. xxx. mixt. seq. — Boscomactis uxor. Tormina hysterica.

Rec. ~. nervin. ʒij. ℞. castor. ʒj. M.

Repetatur, si opus, ternis quibuslibet horis. Opus autem erit, quamdiu dolores afflicturi sunt. Cochleatim detur:

Rec. Aq. puleg. matricar. an. ℥ij. hirund. c. cast. ℥j.
♁. nat. ppt. ♉. diaph. an. ʒß.
ess. anod. ℈j. sir. chamom. ℥ß. M.

Ventri cataplasma ex semine lini cum lacte coctо. (d. 31. Jan.)

§. Adenarii uxor 39. annorum æque de torminibus queritur, sed simul de crebra eructatione, & borborygmis perpetuis, neque dolores adeo sæviunt. Colicam ex flatulenta & hysterica constantem [cum prior sit magis spasmodica) judicans ordinavi cochleatim: — Adenarii uxor. Tormina Ractus.

Rec. Aq. menth. chamom. fœnic. an. ℥ij.
ess. carminat. ʒj. ℞. castor. ʒß.
ess. anod. ℈j. sir. papav. err. ℥ß. M.

Noctu pilula:

Rec. Extr. bezoard. papav. comp. an. gr. iij.
castor. gr. ij. M. F. 8. pil.

Abdomini sacculum e stomachicis & carminativis, a nobis jam aliquoties descriptum. (d. 2. Febr.)

§. Marchici uxor, 45. annorum, heri mane infestatur frigore, præcedaneis oscitationibus, hinc dolore pedum & cumprimis surarum, lacerante, mox æstu, denique sudatiuncula. Calor præternaturalis continu- — Marchici uxor. Febris continua catarrhalis.

XXX. tinuat, adest tussis cum dyspnœa & anxietate. Secetur mediana dextri ad 4. uncias.

Rec. ☿. *diaph.* ♁ *nat. ppt.* ⊕. *ppt. an.* ʒß.
F. 3. ☿. *D. unus singulis 6. horis.*

Rec. *Aq. scabios. card. mar. fumar. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ʒß. ℞. *croc.* ℈j.
sir. papav. rhæad. ℥ß. *M.D. cochleatim.*

Interrogantibus, num liceat *infusum veron. & beton. theiforme* bibere? Concessi. (d. 31. *Jan.*)

XXXI.

XXXI. *Barometra* & *Thermometra* hesternam obtinent. Querelæ tamen de illato per gelu præteritum damno quotidie augentur *Vites* insolidum fere perierunt in montibus quoque altissimis, ad radicem usque succidendæ. Triennale damnum. *Arbores frugiferæ* multæ ad usque medullam emortuæ; in plurimis gemmæ vel oculi nigruerunt. Hodie cum Nosodochium nostrum visitarem, ab incolis sanis juxta & ægrotis mihi relatum, arbores in hortis contiguis, noctu præcipue, magno cum fragore rimas magnas egisse. De *frumento*, utrum & quid damni sit passum, nondum liquet, relationibus multopere variantibus. Amicus quidam noster narravit, sibi ab Affine scriptum, in gelu nupero non semel quidem sed aliquoties *urinam* suammet e matula noctu effusam adeo *luxisse*, ut loca quoque vicina, ipsamque adeo plateam illuminaret. Caussam & hujus & reliquorum id farinæ φαινομένων, detulit *globulis cœlestibus vibratis & e suis quasi carceribus semet expedientibus*, adducta insuper historia de *indusio linteo recenti prælo nuper lævigato.* (gemanget.) quod noctu e scrinio petitum & explicatum ante scintillaverit, quam a quoquam indutum fuisset. Exempla *urinæ* sub ipsomet mictionis actu *lucentis* bina quoque de se & alio quodam bono sodali refert B. noster REISELIUS *Ann. VI. & VII. Dec. I. Eph. Cur. obs 192.* ibique de caussa multa curiose disserit. Non gratis plane dicuntur, quæ de *globulis cœlestibus* paullo ante memorata sunt, si, quæ de Mercurio purgatissimo intra tubulum vitreum Hermetice sigillatum lucente pereleganter disserit BERNULLIUS hinc inde in *Actis Academiæ Regiæ scientiarum*, cumprimis *Memoir. de An. 1701. p. m. 178. seq.* ita se habent. Nam, quis in isto *Mercurio* sibi *sulphur* imaginetur? aut, si tale adesset, quis concipiat hoc inflammari conclusum tubulo omni aëre exhausto, qualis, si lu-

ſi lucere debet Mercurius, requiritur? Hinc ipſe BERNULLIUS hanc lucem acceptam fert *materiæ primi elementi* (quod nil eſt aliud, quam iſti *Cœleſtes globuli*,) quò de plura loco citato legantur. Cum tamen ego non ſemel obſervaverim ſcintillas ejusmodi comparere non niſi hiemali tempore, & magis quidem in ſubjectis unctuoſis quibusdam ſordibus infectis, v. gr. canum, feliumque pellibus, hominum itidem capillis minus diligenter pexis, linteaminibus jamjam ſordidis &c. &, quod palmarium eſt, odorem de ſe ſpargere, quaſi *phosphori Chimici*, qualem ineſſe globulis cœleſtibus ne mente quidem concipi poteſt, ſimplicioribus quippe, quam ut ſenſorium tam craſſum afficiant; hactenus mihi credere liceat, accidentibus quibusdam differre lucem purgati mercurii, a ſcintillis pilorum, linteaminum, urinæ &c. & hanc quidem *exhalationibus* 🜄*eo ſalinis pinguibus condenſatis* deberi; quamvis, quid hiſtoriæ de induſio recenti polito, queam opponere, me non habere fatear, niſi a lotura quasdam talismodi ſordes reſtitiſſe quis non admodum inepte ſuſtinere velit. *Philoſophi vero Chimici digitum intendant velim in hanc mercurii & urinæ lucem, & veſtigent, num etiam in vino quid lucidi reperire poſſint? Sapientes me intelligent.* XXXI.

§. Stratandri *uxor* poſt 48. ab invaſione prima horas circa ſeptimam veſpertinam heri valedixit. Stratandri *uxor*.

§. Boſcomactis *uxor* nil cum heſternis profecit. *Tormina* adhuc affligunt. Quid ſi *nephritici* quid ſimul adeſſet? Boſcomactis *uxor*.

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. ſir. de alth. Fern. an.* ℥j.
eſſ. anod. ℈ß. *M. pro 1. doſi.*

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒj. *papav. alb.* ʒiij.
aq. fœnic. petroſel. an. ℥iij.
F. l. a. Emulſ. add.
teſt. ov. calcin. oc. ♋. *crud. cont. an.* ʒß.
ſir. de alth. Fern. ℥ß. *M. D. cochleatim.*

Cataplaſma ex *ſem. lin. cum lacte cocto*, quod heri neglexerunt, hodie applicare ne obliviſcantur. [d. 1. *Febr.*]

§. Ephippi *Filiola* (28. *Ian.*) adhuc vehementer *tuſſit* cum *rhonchis*, vegeta cæteroqui & hilaris: Ephyppi *Filiola*.

Rec. *Pulv. Cornach. gr.* XVI. *ſir. de cich. c. rb.* ʒv.
🜍⊖✱. *aniſ. gtt.* jv. *aq. acac. par. M. pro 1. doſi.*

XXXI. Pusiones non exscreant. Si pituita vel sputum per tussim ad ipsasmet fauces excussum fuit, rursum deglutiunt, non quidem in pulmones rediturum, sed a stomacho excipiendum. Ubi si diutius hæret appetitus minuitur. Conducunt *laxantia*, tussim quoque utplurimum, cæterisque paribus, mitigantia. [d.1. *Febr.*]

Toparii *uxor*. §. Toparii *uxor* melius indies habet. Narravit mihi de sorore sua, ipsam quoties *tussi* prehensam, toties uti *pediluvio* e *foliis raporum foliis arefactis & in aqua communi decoctis* semper cum levamine. NORDLINGÆ & in confinibus *pulsionum tussi ferina* afflictorum pedes calida cervisia lavare solent. [d. 6. *Mart.*]

Mactarchus. *Ventriculi debilitas*. §. Mactarcho ad *ventriculi debilitatem* remedium poscenti, ordinavi sub cujuslibet pastus initium cum primo *vini haustu* gtt. xxxx. *mixturæ*:

Rec. *Elix. balsam. essent. absinth. an.* ℥ij.
extr. papav. comp. gr. iiij. M. (d.4. *Feb.*)

Suevi *gener*. §. Suevi *gener* januam cubiculi attractu violentiori clausurus manum non expedito satis retraxit, hinc janua digitum dextræ medium prehendens apicem ejus decussit, sic ut pulpa cum ungue januæ adhæreret. Et cum articulus tertius & extimus digito adhuc affixus manserit, vereor ne adhuc sit rescindendus, si rite mederi, cutimque superinducere Chirurgus velit.

Volvuli *Filiolus*. *Tormina*. §. Volvuli *Filiolo* 12. septiman. *torminoso* cum flatibus & excretis viridibus:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. syr. ros. solut. an.* ℥ß.
sperm. cet. ʒß. ∽⊖✻. *anis.* ℈ß. *M.*

Detur cochleatim, & abdomini, dum maxime cruciatur, *emplastrum*, *ubi sopiti fuerunt dolores, removendum*:

Rec. *Empl. de melil. ungu. de hyosc. an.* ℥ß.
cera q.s. ad consist. M. F. empl.

Leniter *purgantia* cum *demulcentibus* & *carminativis* mixta hic semper bona. *Emplastrum ante dictum est nobile* in clamoribus infantum, non autem, nisi quum adsunt cruciatus, admovendum. Nimium enim si relinquatur, indormiunt. Quam fausto me hoc emplastrum successu his in casibus bearit, satis prædicare non valeo.

Baccalaurea. *Mensium suppressio*. §. Baccalaurea virgo 22. annorum jam sæpe *chlorotica*, *marti-*

alibus

alibus semper adjuta, demum auctumno præterito menses primum vidit, perbelle & melius, quam unquam, inde habens. Nunc denuo pallet, asthmatis, lassitudinis, palpitationis antiquæ præludia sentiens: XXXI.

Rec. *Gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈j.
dacryd. gr. iiij. ol. mac. gtt. 1. M. pro 1. dosi.
Rec. *Ess. fulig. Claud.* ℥ß. *Ra. croc* ʒß. *M.*

post purgationem mane & noctu sumat *gutt.* xxxx. ex quol. vehiculo. [13. *Febr.*]

§. Rhabdaulitis *Filiolus haustum purgantem* sine nausea assumsit, ter vomuit, flava & spumosa, semel tantum dejecit, nihil *verminosi*. Suspicor pharmaci partem haut penitendam vomitu rejectam. Vix enim horæ quadra præterierat ab assumtione, quum primum vomuisset. Lassus erat ac somniculosus quasi exantlato magno labore. Jussi, ut cochleatim præbere pergerent *mixturam 29. Ian.* ordinatam. (*1. Febr.*)

Rhabdaulitis *Filiolus*.

§. In decenti remediorum applicatione non esse minimum momentum, docet *Uxor* MARCHICI. Sumserat *pulverem* in lecto decumbens; quo vix deglutito surrexit & lectum sibi recenter sternere curavit. Impedita sic *diaresis*, pori oppessulati, orta circa præcordia anxietas. Sumsit tamen suo tempore *pulverem* alterum, sed nullus effectus: hinc tertium adsumere recusavit. Fallacia caussæ. Nonne præstiterat lectum prius sterni, in eumque se conferre, quam *pulvis* primus assumeretur? Cum itaque noctu de *cordis debilitate* conquereretur, adstantes petitæ ex officina *aqua carbunculi aurea*, quam germ. vocant, Hertz-Carfunkel-Wasser / duo cochlearia præbuerunt, intentione ex vocis etymo haut mala. Sed per totam noctem incenso sanguine deliravit.

Marchici *uxor*. *Febris continua catarrhalis.*

Rec. *Bez. miner. CC. philos.*
oc. ♋. ppt. cryst all. ppt. an. gr. xv. *M.*
F. ♀. pro 3. dosibus sing. 6. horis assumendis.
Rec. *aq. acac. scabios. scerd. fumar. an* ℥ iß.
sir. jujub. [tussit] ℥ij. *conf. alk. inc.* ʒj.
aq. cinnam. cydon. ℥ß. *M. D. cochleatim.*

Binis brachiis *vesicatoria* affigantur, quæ deprecata est; nescio jam, utrum affixa sint, nec ne? *Febris* hæc videtur *continua catarrhalis*. *Aquam carbunculi auream* in his propinare non convenit, nimis quippe spirituosam & aromaticam. Mulierculæ quam optime consulturæ non raro turpiter impingunt. (1. *Febr.*)

§. Effos-

XXXI. §. Effossum hodie vidi *dentem aprugnum* elegantissimum ex agro CANSTADIENSI, unde *fossile ebur* magna copia circiter ante triennium erutum. Rimas alicubi egerat, veluti philosophicæ calcinationi per tempus breve subjectus. Nusquam adhuc marga. Collatus ad alium dentem aprugnum præter colorem minus eburneum similior fere fuit ei, quam ovum ovo. Monstratus quoque inclusus *marga*, veluti thecæ, *dentis eburnei* summus apex, monstratus dens molaris insignis magnitudinis, vere osseus, nusquam lapideus, ex eadem terra effossus. Nullum his agnosco Naturæ lusum. Sed de hac materia alibi, sub Rubrica *transsubstantiationis physica*.

SOLI DEO GLORIA!



B.C.D.



B. C. D.

ETEODROMI

MEDICO-PRACTICI

LENTILIANI.

MDCCIX.

FEBRUARIUS.

I.



Ercurius per duas iterum lineas aſcendens medietatem quarti gradus occupavit. Partim clara fuit, partim turbida dies, nivula bis cadente rariſſima. *Thermometri* liquor per lineolam unam cadens indicium fecit frigoris aliquantillum aucti. I.

§. Stearopolæ *uxor* de *filiolo* queritur jam per aliquot dies *tuſſi ferina* & *aſthmate* afflicto. Se jam uſurpaſſe varia *remediola domeſtica*, *Pharmacopolam* etiam dediſſe *ſirubum de manna*, & pectoralia plura, ſed omnia ſine fructu. Se denique cogitaſſe de accerſendo *Medico*, ut viam ſcil. tutiſſimam iniret, rogare igitur, ut infantulum, debiliorem indies redditum, viſitatum irem. Dixi me intra horæ ſpatium adfuturum. Dum mater domum revertitur, infantulum agonizantem reperit, ego mox illam ſequens, mortuum. *Ita ſcil. via tutiſſima initur.* Nempe, ubi ceſſant conſiliola domeſtica & *Pharmacopolæ* naſuti *eclegmata*. Quando denique ceſſabitis, *Pharmacopolæ*, veſtras ungulas infigere pellibus miſerorum patientum? Si quis officinam ingrediatur petiturus unicum medicamen-

Stearopolæ Filiolus. *Tuſſis ferina. Aſthma.*

I. dicamentum v.gr. contra *tussim*, *odontalgiam*, *tormina* &c. non plane prohibitum esse cupiam, ut detur v. gr. dosis una *spermatis ceti*, *theriacæ cœlestis*, *olei amygdalarum dulcium*. At vero per aliquot dies continuos admittere consulentes, pharmaca dare, agere quæ sunt *Medici*, qua fronte hoc facitis? Prius quum facitis, contra leges jam peccatis, quid sentiendum de posteriori? quid si hic infantulus potuisset a *Medico* servari? Perjuri estis & occisores! Licet voluntatem occidendi non habeatis, in re tamen illicita versamini. Justus Judex judicabit! sed hic quoque casus testatur de veritate rhythmi *miscellan. m. Part. I. p 98. inserti.*

Boscomactis *uxor*. *Tormina*. §. In Boscomacti *uxor e tormi a* insolidum fere sopita. Saltem adhuc alvus constipata. *Clysm* renuenti *suppositoria* suasi, hisque non rite operantibus potiunculam OSWALDI, ex *fol. senn. s. s. passul. min.* & *sem. anisi.* [d. 2 Feb.]

Mactarchus. §. *Sanguis* e mediana Mactarchi heri *eductus* pellicula mucosa, quasi *spermate ranarum*, tegebatur, subtus magmati nigro innatabant globuli sanguinei. Nil sibi cohærebat. Præter *essentiam stomachicam* heri ordinatam scripsi *pulverem* mane & pomeridie ad ℈ß. adsumendum:

Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ℈ij.
pulv. absorb Wed. ℈j. *M.* [d. 4. *Feb.*]

Marchici *uxor*. *Febris continua*. §. Marchici *uxor* ab hesternis *pulveribus* & *mixtura* bene habuit, *vesicantia* non admisit dormivit per noctis plusquam dimidium, sine *delirio*. *Decoctum* hordei cum *C. C. ust. passul.* & *sem. anisi* perferre non potuit, forte ob *idiosyncrasiam*. Mavult *theiforme infusum ex veron.* & *beton.* quod concessi. Jussi, ut repeterentur *pulveres* cum *mixtura*.

Dantur ægroti, qui *potus* fere *cathoticos*, quales sunt *ptisanæ*, vel aversantur, vel perferre non possunt. Hi non sunt ad potus sibi minus gratos vi cogendi. *Medicum* non decet esse Tyrannum, quamvis neque nimis indulgentem. (d. 2. *Feb.*)

Ephippi *Filia*. *Tussis*. §. Ephippi *filia* sufficienter *purgata*, semel quoque *vomitum passa*, liberius spirat, mitius *tussit*, melius habet. Petunt roborans:

Rec *Aq. acac. plantag. an.* ℥iß.
cinnam cydon ℥ß.
pulv. marcb. ℈j *elæosacch. cinnam.* ℈j. *M. cochl.*

Dixit mater, sibi *nephriticam* videri puellam, non enim mingere quod satis sit, urinamq; reddendam quasi exprimere. Respondi, nonunquam oriri *difficultatem urinæ* a *contractione sphincteris vesicæ spasmodica*, infan-

infantem non admodum ejulare micturientem, nec abdomen, vel vesicæ regionem esse tensa. Observanda esse puellæ involucra, num ibi quid reperiatur sabulosi, rubri &c. quod in *nephriticis* fieri amat. Re nondum cognita *diureticis* adoriri non esse conveniens. (d.4.*Febr.*) I.

§. Nipsi *Filiola* quadriennis (28. *Jan.*) jam ab aliquo tempore *ophthalmia sicca* laborat. In occipite & collo *tubercula*, quasi *tineæ* prænuncia.

Nipsi *Filiola.* *Ophthalmia sicca.*

Rec. *Pulv. Cornach. gr.* XVIII.
sir.de cich.c.rh. ℥vj. *aq. fumar. par. M.*

Potui ordinario, qui est aqua, cui panis tostus immersus, incoquatur *ras.lign.sassafr.c. sem. anis.* Oculis applicentur splenia madefacta *mucilag. sem.cydon. c.aq.ros.extr. & album.ov.conquassat.* (d.4.*Febr.*)

§. Rhabdaulitis *Filiolus* heri ter adhuc purgatus fuit a *potiuncula*. Debilis inde factus, in somnum prolapsus, bene dormivit, & hodie hilaris est. Sed *lumbricorum* nihil visum.

Rhabdaulitis *Filiolus.*

§. Xeropoëtæ *uxor* post diuturnam & quasi *veneream hemicraniam*, *odontalgiam*, *faucium exulcerationem* &c. ulcusculis adhuc, quasi *aphthis*, vexatur internum inferioris labri parietem exedentibus. Sumat mane & noctu *gutt.* XXX. *ess. alexiph.Claud.* ex quol.vehiculo. Sequentis *Decocti cochlearia ij.* præter propter in ore diu circumgyrando detineat, mox iterum exspuat:

Xeropoëtæ *uxor.* *Aphthæ.*

Rec. *fl.ros.r.malv.arbor.herb.salv. an. mj.*
rad.torment. ℥ß. *Coq.in aq.extinct. ferri,*
addito colatura melle rosato.

Ter, quater vel ultra in die ulcuscula tangantur *linimento*:

Rec. *Mell. rosat.* ℥j. *gum. lacc.subt.* ☿. ℈j.
alum. rup. ☿. ℈ß. *M.*

§. Nisseti *Filiola* (29. *Jan.*) nescio fere, qua de caussa, datus fuit *sir. ros. solut.* d. 30. demum *Januarii*, qui *haustulo purganti* mane adsumto & pigrius operanti pomeridie loco stimuli inservire debebat. Inde factum, ut non purgaretur. Optandum, ut Adstantes dicto Medicorum magis audientes essent, nec eorum præcepta perpolire satagerent. Puella per biduum frustra lacessita nunc *torpet, lassatur, subtristis est, parum comedit.*

Nisseti *Filiola.* *Alvi abstructio.*

Rec. *Matr.perl.ppt.antihect.Pot.pulv. March. an.* ℨj.
elaeosacch. cinnam. ℨij. *M.*

I. D. mane & noctu 2. cusp. cult. cum vehic. seq. etiam seorsim præbendo:

Rec. *Aq. borrag. rosar. an.* ℥ß.
capon. Mynſ. ℥j.
Sacch. perlat. ʒij. *M.*

Thyrebola. *Calculus renum.* §. Thyrebola, *vidua* 70. annorum, *dysuria* laborat, cum *torminibus*, dolore *hypogastrii* dextri, *vomitibus*. Alvus est libera. *Calculos* in dextro rene suspicor:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. ſir. de alth. Fern. an.* ℥j:
eſſ. anod. ℈ß. *M.*

Altera pars statim hauriatur, qua *vomitu* rejecta, post horam sumatur residuum; retenta, sumtio hujus differatur in noctem.

Cochleatim sorbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. petroſel. matricar. an.* ℥iiß.
Oc. ♋. crud. cont. teſt. ov. calcin.
aſell. ppt. an. ℈j.
ſir. de alth. Fern. ℥ß. *M.*

Cataplasma pectini:

Rec. *Herb. pariet. fl. chamom. an. Mj.*
sem. lin. fœnigr. an. ℥iß.
cep. alb. nr. ij. *Conc. coq. c. ſ. q. lact. vaccini.* (d. 2. *Febr.*)

Siderurgi *uxor. stomachi dolor.* §. Siderurgi *uxor* partui primo vicina de *stomachi continuis* doloribus queritur:

Rec. *Spec. diacret. Mynſ. pulv. ſtom. Birkm. an.* ℥ß.
trag. arom. offic. ʒij. *extr. pap. c.* ℈j. *M.*

Capiat mane, pomer. & noctu cusp. 3. cultr. per se.

Herpyllii *Filiolus.* §. Herpyllii *Filiolus* (22. *Ian.*) Vires nondum colligit. Pomeridie post frigusculum parum *æstuat*, calida non appetit, morosus est, lassus.

Rec. *Antih. Pot. matr. perl. ppt.*
ebor. ſubtiliſſ. ☿. *an.* ʒj.
troch. alkerm. ʒij. *M. F.* ☿.

Sum. mane & pomer. cusp. 2. cultr. per se. Noctu vero ante somnum de *electuario resumt. Gerb.* qnt. castan.

Filiola & puellus minimi. Tussis ferina. Natu minimis *filiolæ* & *puello* ad *tussim ferinam*:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. ſir jujub. an.* ℥ß.
~⊖* ℈j. *M. cochleatim.*

Pectusculis *cataplasma* e *cepis albis in oleo lini frixis.*

§. Actu-

§. Actuarii *uxor* (27. *Ian.*) ab istis medicamentis semet levari credit, quamvis, quo pacto profecerit, mihi nondum liqueat. Pergere tamen, & *pharmaca* denuo parare, jussi. I. Actuarii *uxor.* *Phthisica.*

II. II.

MErcurius hac vespera quarti gradus extremitatem propemodum surgendo attigit. *Thermometrum* ad secundum fere gradum descendit. Frigus iterum aliquantisper auctum.

§. Boscomactis *uxor*, postquam ab OSWALDI potione, quæ me raro deserit, constipata mansisset, noctem valde inquietam habuit. *Tormina* cum *borborygmis*, *anxietate præcordiali &c.* denuo augebantur; sed *suppositorium* sebaceum ano intrusum, excrementis pariter, atque sonoris flatibus exitum paravit, unde sopitus furor dolorum. Eam a medicamentis hodie feriari jussi, exploraturus Naturæ spontaneum robur. Suasi tamen, ut *pruna damascena*, admixtis *minoribus passulis* & *anisi* momento pranderet. (d. 3. *Febr.*) Boscomactis *uxor.* *Tormina.*

§. Temnandri *Filia* 19. annorum, menses nondum passa, quamvis ὀρθοστάδην, cum salva & incolumis heri lectum petiisset, hodie mane sexta hora derepente corripitur *æstu*, cum *dolore* lacerante *epigastrii* sinistri, & mox *sacrum os* occupante, & *deliriis*. Re insolita perterriti parentes memet accersunt. Quærebat pater, an tale quid oriri possit ab ira suppressa, vel mœrore? Filiæ spem factam adeundi nuptias amicæ, ob caussas certas vero jussam domi manere. Dixi pathematis animi, cumprimis autem iræ, huicque suppressæ, vim esse non minimam corporis humores alterandi. Quæsiti de præcedaneo frigore, tale quid esse conquestam negarunt. Intro cubiculum. Varia delirabat puella. Pulsum explorans deprehendo celerem & magnum, sed tantos artuum tremores, tendinum talem subsultum, ut convulsiones in propinquo esse judicare coactus fuerim. E mediana dextri sanguinis uncias quinque prolici volui, cochleatim autem præberi *mixturam*: Temnandri *Filia.* *Incendium sanguinis ex ira.*

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. rub. id. an.* ℥iß.
mixt. simpl. ʒß. *sir. fl. pœon.* ℥ß.
specif. cephal. pulv. march. an. ℈j. *M.*

Fronti & carpis *emulsionem externam.* Interdixi vino, lectum hypocausto inferre curavi. Post meum discessum in altum cachinnum soluta, suis dixit, anne Medicum aufugientem non vidissent? se nempe foras eum exegisse, frustillatim discerpta coma adscititia, hujusque com-

II, matis multa proferebat. Chirurgi manum ægre admisit. Sed, educto sanguine nullo vitio contaminato, DEUS bone, quam omnia statim pacata? Mens redit, fervor desistit, reliquis medicamentis vix opus fuit. Anguem tamen in herba latere posse dicens, ut ægram hac nocte bene observarent, præcepi. Eam sine frigore ullo præcedente paroxysmum hunc adortum fuisse, mihi vix verisimile fit. Credo potius frigusculum durante somno cuticulam occupasse. (d. 3. *Febr.*)

Marchici *uxor.* *Febris continua.*

§. Marchici *uxor* heri sub vesperam calorem intendi sentiens *cauteria* sibi applicare passa est. Noctem traxit valde inquietam, phantastice multa proferens. Mane debiliorem reperi, quamvis non vehementer æstuantem. Admissionem *vesicantium* laudavi & cum a *pulveribus* se nimium siccari crederet, eosdem sub alio schemate præscripsi;

Rec. ℈. *diaph. CC. philos. an.* ʒß.
aq. fumar. card. bened. rub. id. an. ℥ij.
mixt. simpl. ʒß. *sir. card. bened.* ℥ß. *M.*

Haustuli tripartiti singulis 6. horis una dosis exhibeatur. Cochleatim vero *mixtura* sequens;

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij.
fl. til. rub. id. an. ℥j.
conf. alk. c. ʒj *sir. fl. tun.* ʒiij. *M.*

Emulsio externa carpis & fronti. Vesperi consumta demum potionis una portione meliuscule habuit. Jussi, ut hac nocte propinanda propinarent. Eam fortasse priore leviorem futuram. Lingua humida est, limo tamen obducta. Colluat os frequenter aqua fontana, cui nonnihil vel aceti, vel salis prunellæ admisceatur. (d. 3. *Febr.*)

Thyrebola. *Calculi dolores.*

§. Thyrebolam hodie liberam a doloribus *nephriticis* salutavi; Sumserat binis haustibus *oleum amygdalarum* reliquis mixtum, sed de altera *mixtura* propemodum nihil. *Camphoram* illi admixtam, suæ naturæ adversam, cassabatur. Inibi nil tale reperiri dixi, sed *aquam matricariæ camphoratum* quasi quid olere; usum proinde commendavi, nec enim doloribus utcumque sopitis de pace nos gloriari debere, cum sint fortassis induciæ.

Bolacius. *Pleuritis spuria.*

§. Cum D. GNOMILEGO EUROPOLIN profectus sum ad Dn. *Bolacium* supraquinquagenarium, *hypochondriacum*, *macilentum.* Patitur ab octiduo *dolorem pungentem & acerbum in latere sinistro* intra 7. & 8 costam, hinc inde semet per radios quasi extendentem. Foris nihil conspicitur. In dextrum latus decumbere potest, minus in affectum. Non

præ-

præcesserat *frigus*, non adest *æstus*, libere spirat, tussit, sed excernit, cum- primis mane, pituitosa quædam, non cruenta. Murmura ventrem exercent. Flatus diverticula quærunt. Alvus officium facit. Veram *pleuritidem* non agnovimus, sed *spuriam* a sero quodam intra pleuram & costas lateris affecti stagnante, pleuramque expandente, quin & nervos intercostales irritante ortam, flatibus retentis non exclusis. Convenit inter nos de *mixtura* guttatim sumenta ex *mixt. simpl.* ∽ *CC.* & *ess. arod.* præbenda in haustu *decocti ex pectoralibus & carminativis* concinnati, bis in die, de *pulvisculo* quoque ex *diaphor.* ♃ *ali, Oc.* ♋. *pp.* & *elaosacch. anisi.* Foris laudatum *emolliens* vel *paregoricum* potius *cataplasma. Lac amygdalarum* potui. II.

§. Adenarii *uxor* (30. *Jan.*) a nuper ordinatis omni dolore liberabatur, hodie vesperi, nescio qua de caussa, recruduerunt. Noctu sumat 3. *pil. theriac. cœl.* cras mane *laxantes*: Adenarii *uxor.* *Colica hysterica.*

Rec. *Extr. cathol. gr.* XII.
magist. gial. scam an gr. vj.
c. Ra castor. F. pil. xxiij. pro 1. dosi. [d. 3. *Febr.*]

III. III.

MErcurius in *Barometro* iterum parumper ascendit, & liquor *thermometri* aliquantillum descendit. Frigus parum auctum.

§. Evander 48 circ. annorum, *hypochondriacus, arthriticus*, ante octiduum *ira* magna percitus ab inde vixit incommode. Nudius tertius appetitum vesperi sensit dejectum, artuum lassitudinem, nox inquieta. Heri mane *tussis*, a meridie *horror* non adeo magnus, sequitur *æstus, cephalæa, dolor punctorius lateris & scapulæ dextræ. Sputt cruentum. Anhelat.* Per totam noctem *delirat.* Hodie mane me accersit. Pedibus amplius insistere non potest, artus contremiscunt, mens sibi non constat, *pulsus magnus, celer*, & post ictus præterpropter 18. 19. 20. rum quiescens, adeoque *intermittens.* Videbatur mihi *pleuritis* inter *spuriam* & *veram* fere media. Sex unciæ sanguinis e mediana dextri ductæ. *Decocti pectoralis* tres scutellæ ter in die calide hauriantur, *Pulverum* unus & alter pomeridie sumatur: Evander *Pleuritis.*

Rec.

II. Rec. *Pulv. alexiph. Camer.* ℈ij.

♁. *ppt.* ℈j. *ther. cœl. gr. ij. M. F.* 2. ℥.

Potus sit *ptisana*. Pomeridie sanguis aspectu horridus, fere nil nisi *crassa pellis e glutine scriniariorum cocto & congelato compacta*, subtus mucor sanguinem æmulans, qualis in perfecte *pleuriticis* conspici solet. Interim tamen in melius omnia mutata. Remiserunt calor & dolor. Sputum liberius exscreabatur, nulla cruoris nota infame; *Pulsus* ad naturalem magis accedens; utebatur mente. Continuanda medicamenta. (d.4. *Febr.*)

Pabo. *Pleuritis.* §. Pabo, 36. annorum jam a 3. mensibus *tussi* vexatus ante quatriduum corripitur *frigore*, *æstu*, *dolore sinistri lateris punctorio*, *dyspnœa*, *tussi*, *sputo cruento*. Sumsit *theriacam*, bibit *oleum lini*, *poma putrida in oleo lini frixa* lateri calide imposuit. His non juvantibus me consulit. Inveni sceleton hominis, virium summam debilitatem, *varia deliria*, *pulsum* tamen *magnum* & *celerem*. Igitur non obstante, quod dies jam quarta ab invasione fuerit, venam tamen incidi curavi. Præscripsi *Decoctum pectorale*, & *pulverem*;

Rec. *Pulv. pleurit. offic.* ♂. *diaph. an.* ʒj.

♁. *ppt.* ʒß. *extr. papav. err.* ℈ß. *M.*

F. ℥. *Divid. in* 5. *p. æqu.*

Sumatur singulis 6. horis unus e *mixtura* tali seorsim quoque per cochlearia haurienda;

Rec. *Aq. tarax. chærefol. card. Mar. an.* ℥ij.

mixt. simpl. ʒß. *ess. anod.* ℈j.

sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Alternis vicibus hauriatur *decoctum* & sumatur *pulvis*, sic ut singulo trihorio nunc hic, nunc illud capiatur. Bibat *ptisanam*. Vesperi propemodum eadem omnia. Pergendum. (d.4 *Febr.*)

Temnandri *Filia.* *Febris ephemera.* §. Temnandri *Filiam* cum visitatum irem, & *apyrexia* totalis, nox quieta, restitutus appetitus, cum levi adhuc lassitudine *febrim ephemeram* adfuisse testarentur, nil amplius ordinavi. Pater autem me, *Physicum*, seu, quod dicebat, rerum naturalium peritum, interrogavit de *vino*, quod gustandum quoque mihi præbuit. Dixit, vinum in præterito summo frigore superficiem adquisivisse glacialem crassitie calami præter propter scriptorii, nunc se vereri, ne damnum contraxerit ab ista glacie liquefacta vino denuo commixta? Vietorem suasisse, ut cuilibet amphoræ [Eimer] infunderet *spiritus vini* mensuram dimidiam, sic enim vires auctum & restitutum iri. Cum e sapore vinum esse viribus integrum

rum perciperem, dissuasi. Præter enim quod *vino jam defecato spiritum vini admiscere nuperis legibus prohibitum sit*, a prudentioribus fucum facile deprehendi posse, vinumque inde minus vendibile futurum. Tenuem istam crustam glacialem tanti non esse, ut vino vim suam adimere queat, me proinde, ut sibi relinquatur, suasorem esse. III.

§. Marchici *uxor*, quamvis neque ad tactum, neque ex pulsu, neque ex lingua aut siti *caloris præter naturalis* quidquam se proderet, hac tamen nocte delira quædam loqui non intermisit, virium ad stuporem fere debilis. *Vesica* multum seri accumulant. *Tussis* vexat. Scripsi *decoctum pectorale*, &, cum *mixtura* roborante alternis *electuarium*: Marchici *uxor*. *Febris continua*.

Rec. *Conf. acetosell.* ℥ß. *Carn. citr. cond.* ʒij.
conf. alk. inc. pulv. alexiph. Cam. an. ʒj.
sirub. fl. tun. par. M. capiat qnt. castaneæ.

Vesperi eam inveni meliorem. Rogarunt adstantes, *utrum non liceret ægræ desideranti tantillum vini exhibere?* Pensitatis omnibus, præcipue virium prostratione, sine dubio ex *oppressione spirituum* oriunda, calorisque præternaturalis absentia, respondi, periculum facerent cum duobus meraci cochlearibus, obrepente hinc somno & insequente sudatiuncula me bene ominaturum. Dixerunt, se jam hoc fecisse, sibique videri, quod indormisset patiens & parum sudasset, eam mitius ægrotare. Non, inquam, sine *Medici* consilio prudenter fecistis, fortasse, si ægrota debilior hinc facta esset, vel *æstuasset, Medico*, quod perpetrastis, etiam negaturi. Cum autem res non infeliciter cesserit, me duo rursum *vini* cochlearia ut noctu præbeantur, potestatem facere, non tamen omissis reliquis medicamentis.

Talis autem est hominum versutia! Licentiam petierunt faciendi, quod jam fecerant. Si prohibuissem, se jamdum vinum propinasse fassi non essent: nunc autem ubi concessi, fateri, se jam fecisse, non dubitarunt. (d. 4. *Febr.*)

§. Boscomactis *uxor* (1. *Febr.*) cum *prunis damascenis* voti damnata non fuit. *Clysterem domesticum* applicare jussi; cumque adhuc de virium debilitate & appetitu prostrato conquereretur, ter in die tres cusp. cultri de *pulvere* per se accipere jussi: Boscomactis *uxor*. *Alvi stipticitas*.

Rec. *Spec. diacret. Mynf.* ʒij.
♁. diaph. CC. philos. an. ʒj. *M.* (d. 8. *Febr.*)

§. Siderolithi *uxor* (23. *Jan.*) ab illa *mixtura* bene habuit, hodie vero denuo *menses* se vix notabiliter ostenderunt. De *abortu* sollicitæ *pulverem* ordinavi ter in die ad ʒß. Siderolithi *uxor*.

III. Rec. *Pulv. ebor. Coral. r. ppt.*
matr. perl. ppt. an. ʒj.
gran. Cherm. ℞. ʒij. *M.*
e subactis cum tantillo *conf. alk. inc. F.* ℞.

Rec. *Aq. plantag. borrag. an.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥ß.
conf. de hyac. inc. ʒj. *sir. coral.* ℥ß. *M.*
sumat cochleatim, vitato motu.

Usiæ *coquus.* *Metus convulsionis maxillæ.*

§. Usiæ *coquus maxillam fere nihil movere potest*, cum exquisito in ejus articulatione dolore. Nihil nisi juscula potest admittere.

Rec. *Ess. lign. sassafr.* ʒij. *succin.* ʒj. *M.*
Sum. mane & noctu gtt. 50. componat se ad *sudorem.*
Rec. *Ol. e flor. S'ot.* ℥ß. *petr. alb.* ʒij.
Calide ungatur inferior *maxilla*, cumprimis circa *articulationem*, superimposito *cataplasmate ex sem. lin. c. lacte cocto.*

Adenarii *uxor.* *Colica hysterica.*

§. Adenarii *uxor* (d. 30. *Jan.*) *a pilulis* sufficienter & cum euphoria purgata fuit. Dixit, commendatum sibi a matrona nobili quoddam *elixir* guttatim sumendum: se autem noluisse, donec, utrum liceret, ex me quærete posset. *Elixir proprietatis* deprehendi, sed feriari jussi tantisper a medicamentis, & expectare *purgantis hystetergiam.* (d. 5. *Febr.*)

IV.

IV.

Hodie Mercurius ad unam lineam subsedit, & in gradu quarto quievit. Liquor in *thermometro* idem, qui heri fuit.

Temnander. *Tussis, dyspnœa.*

§. Temnander queritur de *tussi* & aliquali *dyspnœa* jam per mensem & ultra durantibus remediisque domesticis nullatenus cedentibus. Olim dicit se lateri sinistro in lecto incumbere non potuisse, posse jam, imo debere; *tussim* enim augeri nunc, si dextro incumbat. *Oenophilus* est hic vir, ὀρθοςάδιος *catera*, 45. circ. annorum. Observatur in praxi, damnum capere lateris oppositi pulmonis quendam lobum, cui superincumbi non potest; v. gr. si tussientes & anheli lateri dextro incumbere possunt, sinistro non item, signum est pulmonem dextri lateris vel adhærere plerumq; vel pure repletum esse, vel aquis innatare, idque propter pondus tunc lateri sano incumbens, quod probe notandum & ægri tales semper interrogandi, *an utrique lateri incumbere possint*? In *hydrope pectoris* dormire non possunt, subito de nocte evigilantes e lecto se proripiunt fenestrisque accurrunt, alias suffocandi. *Pulmonum* abscessus sunt chronici,

nici, *inflammatoriæ* cum *frigore* ac *æstu*. Nil horum adest, igitur adhære- IV.
re alicubi pulmonem arbitror. *Tussi* levandæ scripsi *pulverem* mane, pomer. & noctu ad 3. cusp. cultri, per se:

Rec *Rad.ar.ppt.helen.irid.fl an.* ʒiß,
pulv.lign.sassafr.liquir.coct. an. ʒj.
croc. opt. extr. papav. err. an. ℈j.
elæosacch. anis. ℥ß. *M.*

Idem mihi de socio quodam suo narravit, eum uno pastu per jocum devorasse spiras secalinas numero sedecim, ex earum genere, quæ elixantur [gesottene Bretzen] simul epota vini quantitate notabili: suffocatum autem ea ipsa vespera interiisse. Hæ spiræ in humorem immersæ mirum quantum intumescunt, quod ab epoto vino sine dubio in ventriculo factum, a quo nimium distento vasa compressa circulum impedierunt, exorta hinc suffocatione.

§. Evander multum hac nocte profecit: *pulsus* bonus, quamvis adhuc justo celerior; dolores & capitis & pectoris fere nulli, tussis humidior, exscreatio pituitæ incruentæ levior; Urina tamen adhuc intense rubra, appetentia nulla, vires fractæ. *Pulveres* reiterare jussi, *decoctumq; pectorale* ulterius bibere. (d.5. *Feb.*) Evander. *Pleuritis.*

§. Pabo valde adhuc debilis. Noctu interpolata deliria! Pergant cum medicamentis. Dent potui *emulsionem amygdalarum*. Antemeridie sacra synaxi usus est. Vesperi paullo levius ægrotavit. *Decocto* non neglecto sumat hodie noctu *pulverem* unum cras mane alterum, in vehiculo sequenti, seorsim quoque hauriendo: Pabo. *Pleuritis.*

Rec. ♂. *diaph.* ♁. *nat. ppt.*
matr. perl. ppt. an. ℈j.
M. F. 2. ℞.
Rec. *Aq. scabios. rub. id. an.* ℥ij.
sir. papav. err. ʒiij. *M.* (d. 6. *Febr.*)

§. Marchici *uxor* longe mitius laborat. Omnia symptomata remittunt. Pergant cum *Decocto* & *electuario*. Vini cochlearia aliquot tuto propinare non vetitum esto. (d.5 *Febr.*) Marchici *uxor.*

§. Sextarii *uxor* (.12. *Ian.*) de *colli* quidem *siccitate* non amplius queritur, sed de *dolore articulum* utrumque *mandibulæ inferioris* sub ambabus auribus occupante & *masticationem* difficilem reddente, una cum tumore interno duriusculo. Suasi, ut mane jejuna nodulum lineum e *pulvere apophlegmatico* concinnatum tamdiu, quam salivam prolicit, masticaret: Sextarii *uxor.* *Metus convulsionis maxillæ.*

IV. Rec. *Rad. imperat. pyrethr. an.* ℥ß.
mastich. sel. ʒv. *Conc. cont. D.*

Inungantur *maxillæ* inferioris *articulationes oleo* tali calide:

Rec. *Ol. e flor. Slot.* ℥ß. *castor.* ʒij.
succin. ʒj. *M.*

Superimponatur *emplastrum* ex *an. empl. reg.* BURRH. & *de melil. cum ol. castor. malaxat.*

Ephippi *Filiola.* §. Ephippi *Filiola* (1. *Febr.*) cum *tussis* & *rhonchi* negotium adhuc facessant, ordinavi sequens *eclegma* quasi per cochlearia dandum:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. jujub. an.* ℥ß.
sperm. cet. ʒj. ~⊖✱*ci. anis* ℈j. *M.*

Nipsi *Filiola.* §. Nipsi *Filiolæ* haustus *purgans* d. 1. *Febr.* ordinatus, ne unam quidem sedem movit, quamvis eam juscula nulla adsumere voluisse dixerint, quod operationem, fateor, aliquatenus, non tamen in totum impedire poterat. Necessarium tamen, ut evacuaretur, ducens, fortius ordinavi:

Rec. *magist. gial. g.* ij.
sir. de cich. c. rh. ʒij. *aq. acac. parum. M.*

Si hoc itidem non agat, a meridie ʒj *fol. sen.* cum *jure prunorum damascenorum* coquatur, & colatura calide detur.

Labore *uxor.* *Passio hysterica.* §. Labore *uxor* 30. circ. annorum a triduo decumbit. *Horror, æstus, tussis, asthma, dolor lateris & verticis in capite intensissimus*, qui ultimus frigidus est, *instar glaciei vertici incumbentis.* Levia nonnunquam *deliquia*, quæ *hysterica* puto, veniunt. Jam usurpavit varia. Bibat ter in die 2. scutellas *decocti pectoralis*, cui primæ instillentur gutt. 40. *mixturæ*:

Rec. ~. *nervin.* ʒij. *cochlear.* ʒj.
⊖✱. *anis* & Ra. *castor. an.* ʒß. *M.*

Vertici *cucupha ex. as. fetid. castor.* & *succino.*

Dolores illi capitis frigidi in vertice & nucha semper sunt *hysterici* vel, si mavis, e nervoso genere profecti. *Cucupha* ista, quamvis olida, officium egregie præstat. (d. 6. *Febr.*)

Mactarchus. *Raucedo.* § Mactarchus [d. 1. *Feb*] cum aliquali *dyspnœa raucus* mane & noctu *species pectorales* ad 3. scutellas theiformiter bibere jussus est.

§. Vir-

§. Virgarii *adoptivus (25. Ian.) pulverem* suum sumsit, sed *asthma* hinc auctum cum *stertore* etiam in vicinia perceptibili, viribus tamen & appetitu integris. Cum parum exspuat, de collecta & fluxili reddita pituita per alvum exturbanda cogitavi: IV. Virgarii *adoptivus.* *Asthma.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. ☿ *ij dulc.* ℈ß.]
sir. de cich. c. rh. ʒvj. *aq. gramin. parum.*

Eo labore defuncto *pulvis* noviter paratus denuo præbeatur.

§. Cellarius ab assumto d. 29. *Jan.* ordinato *pulvere*, se *vermium* quidem nihil amplius sentire, sed *nephriticis doloribus* infestari conqueritur, idque *pulveri* fert acceptum, quamvis jam ante *pulveris* usum se illos sibi non insuetos dolores, mitiores tamen, sensisse fateatur. Dixi, nil inesse *pulveri*, quod paroxysmos *nephriticos* suscitare queat, eadem fortasse, si non majore vehementia, rosuros, etiam illo *pulvere* non accepto. Suasi *electuarium*, quantitate juglandis: Cellarius. *Nephritici dolores.*

Rec. *farin. alth.* ʒij.
pulv. liquir. oc. ♋. crud. cont. an. ʒj.
pulp. cass. rec. extr. ℥j. *sir. de alth. q. s. M.*

Comedat *fructus cynosbati* coctos.

Valde molesti sunt ægri, quamvis eorum non pauci existant, qui omnes omnium paroxysmorum, vel morbo præsenti propriorum vel adventitiorum exacerbationes medicamentis a medico præscriptis deferunt. Medicus, cui tales obveniunt. quo se excuset, in promtu habeat. Ego frequenter idem sub alio velo pharmacon ordinare consuevi, symptomati tamen urgenti simul accommodatum.

§. Lycaon, vinitor pauperculus me convenit, libellum supplicem secum portans, in quo SERENISSIMUM rogabat eleemosynam ob affectum quendam *arthriticum*, quo jam ultra annum, frustranea quavis ope afflictus esset, ad quemvis laborem inidoneus. Petebat, ut subscriptione mea rem ita se habere testarer; id enim hic loci moris est. Dixit ante annum se laborasse *gonorrhœa* benigna. D. Dn. CHEMONIUM autem medicamentis justo citius hunc fluxum suppressisse, indeque sibi jam *arthritidem*. ONISIMUM *Chirurgum* diu manum, sed frustra, commodasse. Manum dextram monstravit lividam, quasi *sugillatam*, cum digitis recurvis & rigidis. Taliter se quoque genu illud habere affirmavit. *Quin curas*, ajo, *ut* CHEMONIUS & ONISIMUS *libellum tuum supplicem attestentur?* sub illorum enim manibus cum fueris, melius illi, & fide dignius testimonium dare possunt, quam ego, qui nunquam antea te vidi. Cum institisset, dixi me, quod vellet, facturum pro conscientia. Lycaon. *Arthritis.*

IV. Scripsi igitur in hanc sententiam: *Si res ita se habet, prout in libello supplici hominis mihi plane ignoti traditur, & fidem fere manus atq; genu dextri lateris faciunt, misericordia* DUCALI *non indignum esse censeo petentem.* Notent *Practici juniores, in nullius hominis gratiam esse Magistratui fucum faciendum.*

V.

V. Mercurius hodie per integrum fere gradum cecidit, scalæ suæ medium obtinens. Mane liquor *thermometri* ad ultimam lineam secundi gradus descenderat, sed eum vesperi ad unam lineam superarat. Mane frigus & nix copiosa: pomeridie calor & hujus nivis in aquam resolutio.

Bohemi *uxor. Odontalgia.*

§. *Uxor* Bohemi conquerebatur de *dolore dentium* in dextra maxilla, cum *tumore* ejus. Quæsivi utrum molaris quidam illius lateris sit cavus? annuit. Cur, inquam, non extrahi curas? se quidlibet libentius admissuram asserebat. Jussi, ut *pilulis theriacalibus* sibi bis sudorem proliceret, maxillæque emplastrum de meliloto applicaret. Ejus mater tunc præsens narravit, jam ante 20. annos sibi eidem dolori obnoxiæ Beatum EKIREUM *Chirurgum* extraxisse molarem, indeque secutam hæmorrhagiam arte propemodum nulla coërcibilem. *Chirurgum* suasisse collutionem oris cum miscella *vini, aceti, aquæ & spiritus vini.* Frustra. Inspersos varios pulveres sibimetipsi incognitos. Frustra. *Medicum* quendam docuisse *dentem evulsum in cineres redactum cum gossypio isti alveo intrudere.* Frustra. Alium *Medicum venæsectionem* in pede imperasse. Frustra. Sic exactum totum biduum, cum totidem noctibus. Dormire sibi non integrum fuisse, quod sanguis in fauces illaberetur. Faciem denique palluisse, vires collapsas, & deliquia non procul fuisse. Postremo applicatum caute *spiritum vitrioli hæmorrhagiam* suppressisse, sed vix intra bihorium.

Hæmorrhagia a dente evulso.

Ego in his casibus, reliquis nil juvantius; *cauterium actuale adhibere consuevi.

Evander.

§. Evander hac nocte vehementius quidem tussivit, sed sine ullo dolore, sputum sine molestia excernens. Heri bene cœnavit. Calor insolidum deferbuit, spiritus liber est. Nondum tamen extra lectum manere potest. Laus DEO. Suasi, ut præter *pectorale decoctum*, a medicamentis abstineret. (d. 6. *Febr.*)

§. Sara-

§. Saraceni *uxori* contra *mensium difficultatem* & paucitatem, lumborumque dolorem suasi potionem pro 1. dosi: V. Saraceni *uxor.* *Mensium suppressio.*

Rec. *ol. amygd. d. rec. expr.* ℥j.
sir. artemis. r. ℥ß. *Ra. succin.* ℈j. *M.*

§. Sextarii *privigno* 14. annorum, in infantia *convulsionibus epilepticis* innumerabiliter quassato, nunc sæpe adhuc aliquid *epileptici* patienti, singulis mensibus triduo ante novilunium suasi *purgans*: Sextarii *privignus.* *Epilepsia.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *elect. e psyll.* ʒiij. *M.*

Postea jugem usum *pulveris* mane & noctu ad 3 cusp. cultri.

Rec. *Rad. valerian. silv.* ℥ß. *pæon. mar.* ʒiij.
visc. quern. succin. ppt. an. ʒij.
sem. anis. ʒj. *sacch. alb.* ℥j. *M.*

Cum electuarium hoc puerum fere nil movisset, tempore nunc iterum præsente fortius tale ordinavi:

Rec. *Pulv. Cornach.* ʒß. *elect. e psyll.* ℥ß. *M.*

§. In absentia DN. GNOMILEGI litteræ mihi traditæ a TECTIDIO, Pastore BOREAPOLITANO. Ejus uxor ante sextiduum noctu horrore correpta in latere dextro dolorem punctorium vehementem pati cœpit. Assumsit illa nocte 4. *pilulas theriacales*, & sudavit. D. D. ERGASTES mane vocatus *peripneumoniam* pronunciavit, abesse tamen malignitatem & vitæ periculum. Interim difficulter & non sine summo labore spuit, nonnunquam intra bihorium nihil excernens, unde *anxietates præcordiales*, & *debilitas virium* sensibiliter incrementum sumebant. Nudius tertius menses, quamvis decolores, comparuerunt, cum vix ante 14 dies ea molestia muliebri defuncta sit. Adhucdum sudatiunculæ præsto sunt, sed & virium debilitas increscit, & heri vesperi de aurium susurris queri cœpit. Mens sibi constat, nisi dum e somno expergiscitur, sic enim non statim sibi præsens est. Deliquia vera nondum, nisi semel evomito propter nauseam spermate ceti, observata. Consentiente D. ERGASTE *dulci* quoque HALLENSIUM *essentia, pulvereque nigro* est usa cum levamine. Sed & nunc ab effectu salutari destituitur. Tectidii *uxor.* *Pleuritis spuria*

Circumstantiæ quædam hic desiderantur. *Utrum sputum sit vel fuerit cruentum*, utrum *æstus*, *sitis*, *alvus aperta*, an clausa? qualis sit *decubitus*? & quæ sunt plura.

Respondi, mihi *pleuritidem* videri *spuriam*, nobis hic *epidemiam*, vel certe ex *vera* & *spuria* mixtam. Nos hic consuevisse statim ab initio *venam secare*, ad diminuendum sanguinis fervorem, quem

V. quem in ægra quoque ebullire menses anticipantes innuant. Hinc uti *decocto pectorali* & *pulveribus præcipitantibus* & *absorbentibus*. Foris autem paregoricis. Suadere me, ut hos *pulveres* usurpet, ex *mixtura* etiam cochleatim sumenda:

Rec. *Bez. ♃al. ♁ nat. ppt.*
margar. ppt. ☽. perlat. an. ʒß.
M. F. 4. ℞.

Rec. *Aq. tarax. cherefol. card. Mar. an.* ℥ij.
mixt. simpl. conf. alk. inc. an. ʒj.
sir. fl. tun. ℥ß. *M.*

Singulis quoque 6. horis assumat haustum calidum *decocti pectoralis*, ita cum *pulveribus* alternando, ut hoc trihorio *pulvis*, altero *decoctum* hauriatur. Foris illitus *unguent. de hyosc. cum ~ Tart. mixto.*

Calore præternaturali aucto & *deliriis* præsentibus *vesicantia* pro re nata plura pauciora brachiis & suris affigantur. Potus sit *decoctum hordei citratum*, vel etiam *emulsio amygdalina*. Alvus clausa non nisi cum magna circumspectione reseretur, quia in his affectibus *diarrhœa* fatalis esse soleat.

Sigagronomus. *Tussis. Asthma.* §. Sigagronomus 32. circ. annorum, sanguinem jam ante annum cum tussi spuit & articulari morbo diu affectus, magno demum studio & labore in tantum sublevatus, ut sinistrum brachium fere immobile & semiparalyticum, non obstantibus a medicastrorum cohorte laudatis sexcentis, remanserit. A mense circiter *ferina tussis*, cum exscreatione pituitæ quamplurimæ, & *asthmate clamoso*. Brachium adhuc semiparalyticum & semper frigidum. Valde appetit, sed *cardialgia* post pastum affligitur.

Bibat mane, pomeridie & noctu calidum haustum *Decocti pectoralis*. Antemeridie 10ma & pomeridie quinta juglandis quantitatem de sequenti electuario:

Rec. *Elect. resumtiv.* ℥ij. *diacor.* ℥j.
conf. symphyt. sir. papav. err. an. ℥ß.
spec. diatrag. fr. pulv. stomach. Birkm. an. ʒij. *M.*

Brachium fricetur solo ∇ *camphorato.*

Adenarii *uxor. Phlogoses.* §. Adenarii *uxor* (d. 3. *Febr.*) adhuc de *phlogosibus vagis*, lassitudine, inappetentia, rugitibus ventris conqueritur: (30. *Ian.*)

Rec. *Spec. diacret. Myns. pulv. stomach. Birkm. an.* ʒij.
antih. Pot. ʒj. *extr. Zedoar.* ℈j.
elæosacch. mac. ʒvj. *M.*

Sumat

Sumat mane, pomer. & noctu 3. cusp. cult. per se, & sub initium cujuslibet pastus cum primo haustu vini gtt. xxx. *elix. propr.* V.

§. Marchici (d. 2. *Febr.*) *uxor*, per DEI gratiam, extra periculum posita videtur. Marchici *uxor.*

§. Siderolithi *uxor.* (3. Febr.) præviis torminibus d. 3. *Feb.* noctu excrevit *molam membranaceam* pugni magnitudine, sanguine propemodum nullo simul prodeunte. Consulta *obstetrix* a medicamentis ultimo ordinatis abstinere & *olei amygd. dulc.* ℥ij. propinare jussit, *lochia* nimirum pellenda esse, cum fetum, qui nullus adsit, retinere supervacuum existat. Sumsit *oleum*, sed *lochiorum* ne gutta. Melius fere habet, quam ante *eccrisin*, non dolet ex lumbis, neque ex capite. Non alget, non æstuat &c. Aut inquam, plura ejusmodi *pseudocyemata* adsunt, aut *fetus*, vel *embryo* *iterus*. Non enim cum mulierum tanto levamine prodire *molas* sine comitibus *lochiis*: Suasi, ut a *pellentibus* abstineret, meisque medicamentis uteretur, donec aliæ circumstantiæ, quid agendum sit, moneant. Siderolithi *uxor.* *Exclusio mola.*

Cur obstetrix iterum præ Medico fuit consulta? Stolide nostrates opinantur in *affectibus gravidarum*, & præcipue circa partum negotiis prudentiores esse præ *Medicis obstetrices*. Atqui hæ, nisi prius a *Medicis* examinatæ, habilesque agnitæ, ad functionem non admittuntur! Unde statim apparet, quam sit ridiculum, peritiæ plus attribuere mulierculis istis, quam ipsimet *Medico*. (d. 7. *Feb.*)

VI.

VI.

ADscendit rursum hac vespera per sesquilineam hydrargyrum & liquor *thermometri* secundum tubuli gradum attigit. Frigus hesterno mitius.

§. Cum præscriptum d. 28. *Ian.* Nisseti *Filiolæ purgans* nil quidquam operatum esset, aliud tale ordinavi: Nisseti *Filiola.*

Rec. *Magist. gial. gr.* vi. *sir. de cich. c. rh.* ℥ß.
aq. cinnam. ʒß. *M. pro 1. dosi.* (d. 7. *Febr.*)

§. Triumphus fere ante victoriam apud Evandrum. Cum heri per totam diem optime habuisset, prandens ad mensam & cœnans, post cœnam *horrore novo* concutitur, sequitur *æstus* cum intensa *siti*, tota nox inquieta, post medium noctis dolor in pollice dextri pedis, mox iterum evanescens, *phantasmata* varia mentis arcem occupabant, hodie mane totalis *apyrexia*, immo urina, præter *hypostasin*, qua carebat, sanorum exacte similis. Tussivit etiam per noctem. Pulsu naturali reperto, dixi me *insultum podagricum* metuere, nec esse, quod timeat ob exantlatum Evander *Podagræ prodromi.*

N *novum*

VI. novum paroxysmum, non adesse ulla *febris continuæ* signa, *novum frigus novum morbum*, eumque forsan articularem *significare*. Jussi bis in die sumere *tincturæ bezoard.* gutt. xxx. e vehiculo calido, sudatiunculam expectare, in lecto manere, decoctum pectorale bibere. (d 7. *Febr.*)

Pabo. *Morus*. §. Pabonem hodie toto corpore auriginosum reperi. Jam heri color iste comparere cœperat, sed cum ægri euphoria: Hinc urinam ut hodie servarent, jussi, quæ ictericorum similis, quamvis non adeo obscure rubens, ut apud ictericos confirmatos. Cum dies ab invasione septimus esset, incidit Aph. 64. S. IV. *Quibus per febres die septimo aut nono, aut undecimo aut decimo quarto morbus Regius obortus fuerit, bonum*; Bono igitur animo esse jussi Patientem, commendatis ad usum sequentibus:

Rec *Ess. absinth. elix. propr. dulc. an.* ℥j.
☉*ci. Ræ. croc. an.* ʒß. *M.*

Sumantur ter in die gtt. xxx. ex vehiculo pone scripto, seorsim quoque usurpando: Rec. *Aq. fragor. hepat. nob. rub. id. an.* ℥iij.
♁. *diaph.* ʒj. ⊖. *absinth.* ʒß.
sir. frag. ℥v. *M.* (d 9. *Febr.*).

Æxuri *famulus*. *Tinea*. §. Æxuri *famulus* 12. annorum tinea capitis nondum usque confirmata laborat. Crusta thaleri imperialis magnitudine verticem diu texit, qua denique emollita & abscedente profluxit ichor e conspicuis foveolis: & externe adhibita vel parum hactenus, vel non constanter juverunt. TERDENI *Chirurgus vesicatorium* in loco affecto suasit, quod ego non admodum tutum, certe nondum adeo necessarium judicavi, potius existimans curationem sinceram vix sperandam sine internis.

Rec. *Magist gial. gr.* viij.
☿ *ii dulc.* ℈ß. *dacryd. gr.* iiij. *M. pro 1. dosi.*
Rec. *Ess. fumar. lignor. an.* ℥ij. *M.*

Altera post *purgationem* die hujus *essentiæ* mane & noctu gtt. xxv ex quolibet vehiculo sumantur. Vitentur alimenta acida & porcina quævis. De externis *Chirurgus* prospiciat, siquidem horum dispositio a me non petita, nec *Medicum* decet semetipsum obtrudere. (d. 14. *Febr.*).

Labeo. *Dolor maxillarum*. §. Labeo 40. annor. de dolore summe lancinante utrumque maxillarum, prævia *cephalæa* & *coryza*, sine odontalgia conqueritur.

Rec. *Ess. lign.* ℥ij. *succin.* ʒj. *anod.* ℈j. *M.*

Sum. ter in die gtt. xxx. ex quolibet vehiculo. Inunctio fiat calida sæpe repetenda:

Rec. *Ol. e flor. Slot.* ℥ß. *lumbric. petr. an.* ℥ij.
succin. ℈j. *M.*

Im-

Imponatur *cataplasma* e ℥ e *spec. emoll. c. lacte* cocto. VI.

Si hæc intra nycthemeron non juvent 2. *vesicatoria* brachiis inurenda suaserim.

§ Caprœni *uxor* (24. *Jan.*) nænias suas de *hydrope*, (qualis e longinquo nullus adest) repetens memet anxie vocare jussit. Unde, dico, tibi signa? Resp. brachia interdum justo crassiora videntur & nocte præterita rursum eructavi, parumque abfuit, quin vomere coacta fuerim. Hæc ergo sunt *hydropis pathognomonica signa*! Exprobravi stultitiam, & ne sibi morbum cum virium suarum defraudatione, qui nullus compareret, imaginaretur, monui. Tulit ægerrime *splenetica creatura*, sibique adeo periculose laboranti nil credi querebatur. Quid ergo fieri desideras, ajo? Num assideret ibi per diem integrum, tecumque lymphatus ejulare? ut scil. in cubiculo tuo stultorum plena sint omnia! Dedi laxativum: Caprœni *uxor*. *Splenetica*.

Rec. *Aq. laxat. Vienn.* ℥iij. *cinnam.* ʒß.
sir. de cich. c. rh. ℥j. *M.*

Et, cum *opus esse helleboro* viderem, mane & noctu *Tinct.* ♂ *ellebo-rat.* gtt xxx. adsumere, stolidisq; persuasionibus renunciare jussi. (d. 9. *Feb.*)

§. Labore *uxor* (4. *Feb.*) non admodum profecit istis medicamentis; sæpius enim in die recurrunt *hysterica deliquia* per longum tempus durantia, cum sudore frigido, & insequente lassitudine summa. Labore *uxor*. *Hysterica*.

Rec. *Aq. meliss. fumar. an.* ℥ij.
hirund. c. castor. ℥j.
mixt. simpl. ʒj. *sir. fl. pœon.* ʒiij. *M.*

Sumat cochleatim & in omni languore naribus admoveat linteolum *liq. C.C. succinato* madidum, non neglecto *pectorali decocto*. (d. 7. *Feb.*)

§. Trychomactis *uxor* vidua 45. annorum plethorica, lactans infantem 9. mensium, & quum lactat, nunquam menstruata, jam ante mensem *vertigine tenebricosa cum deliquiis hystericis* repente obruta venam brachii cum euphoria solvit. Intra hoc biduum recidivas plures & minaces experta memet accersendum curavit. Sibi perpetuo resupinatam esse cubandum dixit, quoties enim in lecto corpus erigeret, toties e vestigio sequi *syncopen* præcedente *vertigine*. Trychomactis *uxor*. *Deliquia hysterica*.

Rec. *Aq. fl. til. chærefol. an.* ℥iiß.
hirund. c. castor. ʒij. *elix. uter. Cr.* ʒj.
♁ *nat. ppt. succin. a. ppt. an.* ʒß.
sir. de beton. ℥ß. M.D. cochleatim.

Noctu hora 9 *pilulæ* sumantur:

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr.* iij.
castor. gr. ij. M. F. 8. *pil.*

VI. In quovis languore *liq. CC. succin.* linteolo exceptus naribus admoveatur. Cras mane saphæna dextri secetur, eductis sanguinis ℥vj.

Mactarchus. §. Mactarcho Nolanus laudarat suum elixir pestilentiale, tanquam præsentissimum ad *stomachi dolores* remedium. De usu interrogatus respondi: inesse *purgantia*, hinc sine distinctione usurpari non debere. Cum autem in hac urbe de nomine panacææ glorietur hoc elixir, lectorem duplicem ejus descriptionem latere non patiar, quamvis, utrum nondum publici juris sit facta, ignorem. Quis enim libros omnes evolvat?

Spiritus vini pestilentialis.

Rec. *Aloës socot. select.* ℥ß. *ther. Androm.* ʒij.
rhabarb. ver. ʒj.
myrrh. r. agar. alb. croc. opt. an. ʒß.
rad. gentian. Zedoar. an. gr. viiß.

Subtiliter comminutis, excepta theriaca, affunde 🜄. rectific. ℥xix. vitro probe clauso digerantur per 14. ☊☌ calore blando solis l. fornacis, interdum vas agitando. *Tempore pestifero, nebuloso, maligno*, præservationis fine, mane jejuni sumant *gtt.* xx. infra hanc ætatem constituti *gtt.* x. ad xv. pro annorum modulo. Curative, si *pestis* ultra 24. horas nondum duravit, cochleari dimidio sumto ad sudorem componatur æger. Idem in *dysenteria* observandum. In *apepsia* ante somnum a *gtt.* x. ad xxv. adsumitur. Item in *molestiis* a nimia ciborum ingurgitatione profectis, *flatuumq;* retentionibus. Imò in quolibet languore a quacunque caussa oriundo, unde timetur morbus, noctu *gtt.* xx. exhibere, quaslibet *ægritudines* amolitur. Vehicula, *vinum Hispanicum*, 🜄 & ∼. *ceras.*

Alia parum mutata Descriptio:

Rec. *Aloës socot.* ℥iß. *rhabarb. ver. mastich. sel. an.* ℥ß.
agar. croci or. Myrrh. r. fol. senn. an. ʒij.
Zedoar. Corallin. an. ʒiß. *gentian.* ʒj.
ther. Androm. ʒij.

Pulverisatis, addita *theriaca*, superfund. 🜄 *opt. rectif.* ℥xxxviij. Procedatur eodem, quo prius, modo. Mane gtt. viij. ad x. sumtæ arcent per 24. horas omnes morbos. Medetur malis supra dictis exhibito cochleari uno, expectato sudore. Memoriam roborat, visum acuit, digestionem promovet, omnia viscera confortat, tormina averruncat, constipatam alvum referat, &c. Hoc medicamento qui utitur, aliis opus non habet. Gravidæ ira percitæ, vel terrefactæ capiant illico parvum

cochle-

cochlear. Medicamenta hæc non sunt spernenda, prudenter tamen adhibenda.

VII.

Quemadmodum Mercurius medietatem gradus quinti rursum attigit, ita liquor *thermometri* per duas lineas infra secundum gradum descendit. Nocte præterita nix cecidit. Hodie mane frigus non spernendum. VII.

§. Nissleti *Filiola* (d. 5. *Febr.*) purgans medicamentum nullo modo propinari potuit. Hærent plerumque Parentes, an pusillos ad adsumenda medicamenta cogere conveniat? quid ni? Finis est bonus, nempe, juvare ægrotos, cæteris tamen paribus, ut alibi docebitur. Nissleti *Filiola*.

§. Ponicæ *Filia* apud me fuit (7. *Jan.*) narravitque matrem acrius quam unquam a *pedum antiquis ulceribus* lædi, novum insuper ad tarsum excitatum esse, fonticulum nuper affixum non fluere, quidquid *Chirurgus* agat. Nuper se petisse unguentum silvestre (Waldsalbe.) Circulatoris cujusdam polychrestum, quo pedis ulcus à *Chirurgo* NIVERO per aliquot septimanas nullo cum successu tractatum in alia quadam femina feliciter & constanter sublatum viderit, sed matrem nec inde quid levaminis percepisse. Suspicari se, utrum fonticulus non recte fuerit locatus. Dolorem valde intendi, metui *gangrænam & amputationem*. Ad ocularem inspectionem provocavi. Ponica. *Ulcera pedis antiqua.*

Fonticuli nunquam absente *Medico* excitari deberent, cumprimis a *Balneatoribus*, qui haut raro ne mortui quidem canis, nedum hominis interanea viderunt. Sed nostri tam sunt audaces, ut frequenter cum Medico de loci electione disceptare audeant.

§. Evander a vespera per totam noctem deliravit summe inquietus. Sitivit, tussivit, parum sudavit, sed & aërem subinde frigidum admisit. Hac nocte bis alvum excrevit, excrementis tenuibus & aquosis existentibus. Vires valde prostratæ, pulsu tamen bono. *Nec de pedis pollice amplius querela.* Novus paroxysmus nuperus Febrim tamen continuam catarrhalem attulit, modo nequid malignitatis subsit. Vinum poposcit. Exprobravi regimen nimis frigidum. Evander. *Febris continua catarrhalis.*

Rec. ☿. *diaph. CC. philos. an.* ʒß.
⊖. *CC. vol. gr. vj. F. 2.* ℞*er.*

Sumatur unus antemeridie, alter pomeridie. Componat se ad sudorem, siquidem salvari cupit. Ad hunc magis promovendum cochleatim præbeatur: Rec. *Aq. fl. samb. C. B. fumar. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ʒß. *Conf. alk. c.* ʒj.
sir. fl. tun. ʒiij. *M.*

VII. Mota quæstio: Utrum propter *diarrhœam pectorale decoctum* ulterius propinare congruum sit? Immo, respondeo, *tussim* postulare, nec inesse, quæ alvum moveant, nec istas sedes tantum binas metuendas esse.

Pomeridie eadem fere adhuc omnia. Multum dormiverat: sudor successit. Æger anxius est, ac debilis. Orbiculos *pomi aurantii dulcis* saccharo conspersos edat. Cauterium affigatur brachio, quod valde deprecatur; *pulveres* repetantur. Accipiatur unus hora 9. nocturna, alter cras mane. (d. 8. *Feb.*)

Labore *uxor*. *Passio hysterica.*

§. Labore *uxor* hanc noctem non male transegit. *Deliquia* tamen *hysterica* nondum omnino cessant. Pergat cum *dec. pectorali, mixturaq́* heri ordinata. Sumat *pilulas* 9. antemerid. & totidem noctu:

Rec. *Extr. bezoard. gentian. castor. an. gr. iiij.*
♁ *nat. ppt. gr. xi. extr. papav. c. gr. iiij.*
F. pil. nr. xviij. pro 2. dosibus.

A *liquore CC.* exterius admoto citius ad se redit. (d 8. *Feb.*)

Siderolithi *uxor*.

§ Siderolithi *uxor* (5. *Febr.*) nil amplius excrevit, nisi hac nocte parum sanguinis atri sine ulla molestia, bene habet per omnia, nisi quod lassitudinem queratur. Sumat mane & noctu 9 *pilulas*:

Rec. *Extr. Zedoar. angel. bezoard. papav. err. an. gr. vj.*
♁ *nat. ppt. gr. xij. F. pil. nr. xxxvj.*

Cochleatim sumat seq. *mixt.*

Rec. *Aq. plantag. ceras. n. an. ℥iiß.*
conf. de hyac. inc. ʒj. sir. rub. id. ʒiij. M.

Vitet quosvis motus violentos. [d. 11. *Febr.*]

Stelechidius.

§. Stelechidius 62. annorum *obesus*, jam a plusquam anno dolorem fere continuum sentit circa os sacrum, utrosque etiam lumbos occupantem. Usurpavit varia, cumprimis externa, a carnificibus & aliis petita, pauco vel nullo cum levamine. Jam a 4. septimanis dolor nimium infestat, coxis quoque infixus, & per ambitum inguinum in virile membrum penetrans. Nusquam tumor vel rubor. Urina rite secedit, sine ardore. Appetit, dormit, reliqua munia obit. Sedens cum molestia surgit. Malum pronunciavi ischiaticum. Rec. *Elect. e psyll. ℥ß. pulv. Cornach. ℈ij. M.*

Postea mane & noctu gtt. 40 mixturæ e quolibet vehiculo:

Rec. *ess. trifol. fibr. lignor. an. ʒij. anod. ʒj. M.*

Prævia frictione ungatur mane & noctu linimento balsamico jam aliquoties laudato ex 🜄 *juniperino cum sapone veneto, camph. & croco.* Noctu superimponatur cataplasma ex rad. symphyt. maj. c. ▣ cocto. Suo tempore *balneas* CANSTADIENSES adeat.

VIII. Mer-

VIII. VIII.

MErcurius ad quintum gradum assurrexit. *Thermometrum* idem, quod heri. Frigus iterum majus, & dies clara.

§. Evander quidem hac nocte dormivit, sed cum interpolatis *deliriis*. Sopor fere continuus, de nullo dolore conqueritur, interim summe debilis. Pulsus non spernendus, urina turbidula & ruffa. Sedem tantum unam habuit, parum bibit, nisi monitus. *Tussis* adhuc adest, sed cum exscreatione. Vesica in brachio excitata utcunq; fluxit. Anhelus mihi videbatur, quasi occulte peripneumonicus. Sudavit. Spiritus valde oppressi.

Evander. *Febris continua.*

Rec. *Aq. card. bened. scord. borrag. an.* ℥x.
mixt. simpl. ℈ij. *camph. gr. iiij.*
mater. perl. CC. philos. an. gr. xv.
sir. card. bened. ℥j. *M.*

Sumatur una dosis antemeridie, altera pomeridie, Sudavit cum apparente euphoria. *Epicarpium* scriptum:

Rec. ✱ *rub. id.* ℥j *aq. rosar.* ℥iß.
~. lavend. ʒj. *sir. gran. cherm.* ℥ß. *M.*

Maceratæ *cortices citri recc.* pulsibus ita alligentur, ut flavedo cutem tangat. Paretur *amygdalarum emulsio*.

Pomeridie DN. D. GNOMILEGUS etiam, me absente, vocatus fuit. Approbavit a me proposita, ordinata tantum *emulsione* nocturna pro 3. dosibus ex *sem. frig. & papav. alb. cum aq. card. ben. charefol. &c.* parat. addita *mater. perlat. &c.* & *vesicatorium* alterum suræ affigi curavit. Quæ adveniens rata feci. (d. 9. *Jan.*)

§. Mactarchi *uxor* dicebat de Melodidascali *Filiolo* recens nato, eum fere continuo vociferari, dum vigilat, post exactos clamores indormire, excrementa esse flava acidum spirantia. Linteamina urinis madida croceo colore tingi. *Edere* infantem, *bibere*, nec *evomere*, sed valde nihilominus emaciari. Nescire matrem, quid sit agendum? Lac sibi & esse paucum & tenue cœruleum, semet affligi vehementer, quod pusionem pati videat; utrum igitur *nutrici* alumnum cedere, vel decoctum potui destinare convenientius existat? Quod primum mihi semper est, quoties tenelli ægrotant, hic etiam quæsivi, nempe, num farinam, unde pultes coquuntur, loco humido asservent, quod si fit, ocyus calido inferatur. Matris lac ad pusionis nutrimentum mihi parum, & eo minus accommodum censeri, quod illa nimium pathematis indulgeat. Nutricum patronum, ob rationes multas, me nunquam fuisse. Inter potissimas esse, quod mihi com-

VIII. compertum sit, eos alumnorum curam, qualis requiritur, non habere; noctu vagientium buccas turundis (Schluzzer) farcire, ne toties mammam præbere teneantur. Has turundas valetudini multum officere. Pauperculas cibis opimis dapsilibusque saginari velle, quos, ni dederis, stomachari cum infantum damno; si concedas, naturam earum ab insuetis alterari, quod lac, & per hoc tenelli, impune non ferunt. Utplurimum esse prostibula. Portionem si non *animæ sensitivæ*, certe *spirituum vitalium* alumnis cum lacte communicari, indeque vitia nutricum in innocentes propagari. Notam mihi fuisse Nordlingæ nutricem lue fœda spurcam, hanc in infantem & per hunc in totam familiam adeo derivatam fuisse, ut sex homines *contagio* Neapolitano infecti, in Nosodochio curæ subjiciendi fuerint. Gnomilegum mihi non ita pridem narrasse Chrisocomi *uxorem* partui propinquam sibi de nutrice prospexisse, cujus ipsiusmet infans vestigia quædam scabiei sanatæ attulerat, qui propinato prudenter expulsivo *tuberculis venereis* circumcirca floruerit; mater nempe litibus repellentibus istam scabiem suppresserat; Conscientiarum teneritudinem hodierna luce in callos tergoribus bubulis densiores incrassuisse, & nusquam esse tutam fidem. Respondit, adesse juvenculam sartoris uxorem, meretricia nulla labe diffamatam, quæ filiolum 8. septimanarum se ablactare, huncque *Melodidascali* nutrire velle promiserit, sed ipsammet fassam esse, se singulis 9. mensibus parere, filiolumque primum lactasse adhuc sex mensibus ante puerperium secundum, donec motum tertij jam per duos menses perceperit. Quis igitur his fidet? Magna est molestia tenellos educare decoctis aquosis, quæcunque demum sint illa. Malim tamen, hanc devorare, quam a nutricibus torqueri. Quid igitur, quæris, huic matri sollicitæ suasisti? Resp. Non sum *Medicus* in illa domo, & hactenus recensita proficiscuntur ex consertis cum *uxore* Mactarchi sermonibus.

Labore *uxor.* §. *Uxor* Labore vim *pilularum* sensit egregiam, *deliquia hysterica* plane cessarunt, hilaris est, sed lassa. Repetantur *pilulæ*.

Passio Hysterica. *Boscomactis uxor.* §. Boscomactis (d. 3. Febr.) *uxor*, præter virium debilitatem & inappetentiam de re nulla amplius queritur. Concessi *buccellas vino veteri madidas e pane siligineo* bis in die, & jussi, ut aliquoties assumeret quantitatem castaneæ de *electuario diacoro*.

Præterita 4. *Febr.* noctu rumor exortus in urbe, vicinam Esslingam incendio magno collustrari. Celeres aliquot visitatum missi, tuta esse *Esslingæ* omnia referebant. Ansam figmento dedit visa *trabs*, *meteorum igneum*-

gneum, Canstadij, in ista Regione, ubi *Esslinga* sita est. Datum quoque in arce Würtembergica more solito signum incendij exploso tormento. Ante octennium idem *meteorum* apparuit. Stuttgardiani incendium arbitrabantur esse Kircheimii, Kirchheimenses in munimento Neuffen, Neuffenses, in confinibus Danubii, mutato scil. semper *horizonte*. Male ominantur de *trabe*, qui ostentis fidem habere amant. Talia me non terrent, terrent autem peccatorum mortalium cruices, nec bene ominari sinunt. VIII.

§. Bolacium *Europolitanum* invisi. Pharmaca d.2 *Febr.* ordinata profuerunt, sic, ut non nisi *tussiens* vel *sternutans* adhuc lateris sinistri dolorem sentiat. Quid si daretur *laxativum*? Bolacius. *Pleuritis spuria.*

IX. IX.

Mercurius iterum per lineam integram versus quartum scalæ gradum descendit. Liquor in *thermometro* duos gradus tubuli occupat; Dies fuit turbida. Novilunium appulit cum remissione frigoris.

§. Evander hac nocte quievit cum interpolatis tamen *deliriis*, parum bibit, alvum hodie solvit, excrementa erant crassioris consistentiæ, pulsus æqualis, justo debilior. Cutis semper humida. Per tussim ejicit materiam crassam. Ordinata a nobis sequentia: Evander. *Febris continua.*

Rec. *Mater. perlat. cryst. all. ppt.*
ebor. philos. an. ℥ß. *F.* 3. ℞*er.*

Sumatur unus antemeridie, alter pomeridie, tertius noctu, Cochleatim vero sequens mixtura:

Rec. *Aq. 4. fl. cord. an.* ℥j.
fumar. card. bened. an. ℥j.
mixt. simpl. ʒj. *Conf. alk. c.* ℈iiij.
sir. fl. tun. ʒiij. *M.*

A meridie comedit aliquid de *pomo cotoneo cocto*, & bibit *jus caponis*. Hac vespera multum in melius per omnia mutatum invenimus. Tertius *pulvis* adservetur ad crastinam matutinam. Dentur autem hujus loco noctu pilulæ sequentes, e quolibet, modo non calido, vehiculo:

Rec. *Extr. Bezoard. papav. comp. an. gr. ij.*
Castor. croc. an. gr. j. *M. F. pil. n. vj.*

§. Mactarchus itinere triduano absoluto *tussim* vehementem secum asportavit. Dixit, ibi locorum, ubi fuerat, Alsocomum suasisse, ut Mactarchus. *Tussis.*

IX. mane biberet infusum *salviæ theiforme*, pomeridie *vinum rubrum vetus* & generosum ad *crapulam* usque potaret: hoc enim esse præsentissimum ad *tussim* remedium; quod consilium licet vinolentum, violentum tamen judicans & parum christianum, MACTARCHUS neglexit. Ego præter *pectorale decoctum* ad modum *Theæ* haustum, noctu præscripsi 4. *pilulas de cynoglossa* (d. 10. *Febr.*)

Caproeni *uxor.* §. Quamvis Caproeni *uxor* ab illo *haustu laxante* (6. *Febr.*) sufficienter & cum euphoria purgata fuerit, de *hydrope* tamen sibi metuere non cessat. Seque præ ista sollicitudine dormire non posse queritur. Jussi denuo, vanis cogitationibus valediceret, *martis helleborata tinctura* uteretur, alternusque noctibus *bolum* adsumeret:

Rec. *Conf. fl. papav. err.* ℥j. *laud. op. gr. j. M.* (d. 14. *Feb.*)

Ephippi *uxor. Asthma.* §. Ephippi *uxor* (31. *Jan.*) adhuc de *asthmate* a congestione pituitæ queritur & *purgans* petit in forma *pilularum*, sed fortius, quam illud d. 15. *Oct.* 1708. præscriptum. Erat autem tale:

Rec. *Extr. cathol. gr. xv.*
magist. gial. scam. an. gr. vj.
cum elix. propr. F. pil. n. xviij. de ☉. pro 1. dosi.

Hæ non nisi ter, & magnis cum torminibus alvum moverant. Dixi pilulas in se satis fortes fuisse, mihique hanc formulam minus convenientem ipsius naturæ videri, harumque loco scripsi bolum:

Rec. *Pulv. Cornach.* ʒß. *elect. e psyll.* ʒß. *M.*

Pro diversitate Subjectorum formulas quoq; medicamentorum diversimode operari, neque v. gr. unicuique homini indistincte *pilulas*, *bolos*, *pulveres*, *&c.* convenire, Practicos, observatores sedulos, latere non potest. Igitur nihil invita natura moliendum, vel vi extorquendum. In quibusdam Subjectis, difficulter mobilibus, digestiva purgantibus præmittenda sunt; Ridentur veteres cum suis *præparantibus*: ridendi potius moderni, qui talia negligentes aquam e pumice prolicere satagunt.

Filiola a *mixtura* 4. *Febr.* ordinata *tussire* prorsus desiit & hilaris est.

Pabo. *Icterus.* §. Apud Pabonem (d. 6 *Feb.*) color auriginosus penitus disparuit. Redit cum viribus appetitus. Vehementer emaciatus est, ut adhuc de *phthisi*, eoq; magis, metuam, quia sputum hodie rursum ejecit subcruentum. Liberius tamen, pro more *phthisicorum*, respirat. Laudavi *electuarii polychresti & evporisti* diuturnum usum, quod concinnatur e *pulvere veron. heder.* 🜄*str.* & *rad. helenii cum melle despumato in consistentiam rob redactis.*

Lersmarus. *Tussis. Asthma. Raucedo.* §. Lersmarus 50. circ. annorum jam per aliquot hiemes vexatus fuit tussi cum summa raucedine & asthmate canoro; obesus est, diætæ parum

arum ſtudioſus, œnophilus. Tuſſit violenter, & interdum tuſſiendo kcernit lentis magnitudine pituitam coagulatam. Mane propemodum lane aphonus eſt; nihilo deterius appetens, virium robore præditus, ad unctionem indefeſſus. Hoc malo jam per 4. ſeptimanas rurſum detine- ur. Rec. *Pulv. Cornachini* ʒß. *elect. e pſyll.* ʒiij. *M.* IX.

Poſtea *infuſum theiforme* mane & pomeridie ad 4. ſcutellas cum vel ne *ſaccharo*:

Rec. *Rad. ſarſapar.* ℥ij. *chin.* ℥j. *liquir.* ℥ß.
raſ. lign. ſaſſafr. ℥iß. *ſem. aniſ.* ʒiij.
herb. marrub. alb. fl. acac. an. mj.
paſſul. min. ℥iß. *Caſſ. lign.* ʒij.
conc. cont. D. ad Chartam.

Ebulliat ejus portio cum ℔. aquæ ferventis inſtar caffe; hinc e ſcu- llis bibatur. Noctu autem cubitum iturus ſumat, *aqua hyſſopi* ℥iij. ad- iſceat *vitellum ovi nr. 1. ſacch. cant. a* ☿. ʒij. conquaſſata bibantur calide er aliquot noctes. De *rotulis* ſeqq. perfunctorie una vel altera in ore queſcat.

Rec. *Rad. irid. flor.* ℈iiij. *flor.* ♎. ℈ij.
flor. benz. extr. liquir. belen. an. ℈ß.
conf. alk. compl ʒj. *balſ. peruv.* ʒß.
conſ. majoran. ℥ß. *ſacch. a. in aq. acac. ſol.* ℥iij.
F. l. a. Rotulæ irror. ol. aniſ. gtt. ij. D.

Vitet omnem *potum adſtringentem*, frigidum, acidum, quin & alia uæcunque acida.

X. X.

PEr dimidiam rurſus lineam Mercurius cecidit; *thermometri* liquor per duas ultra ſecundum gradum aſcendit. Nocte nivula cecidit. Dies rat turbida, nives recentes liquefiebant. Parum pluit. Frigus iterum ſterno remiſſius.

§. Evander hac nocte multum, & aliquando per duas continuas oras dormivit, magis dormiturus, ni *tuſſis* excitaſſet, quæ magis eum, uam unquam, hodie exercet, ſine tamen ulla cum punctione, ſed mole- a *raucedine*. Pulſus & urina totalem *apyrexiam* monſtrabant. Conve- erat ei *mixturam* exhibere e *becchicis reſolventibus* cum *cardiacis* mixtis, uæ talis commoda viſa: Evander. *Febris continua. Tuſſis.*

Rec. *Diacod. crocat. Mynſ.* ℥ij. *conf. alk. c.* ʒij.
ſpec. diatrag. fr. pulv. anal. fr. Mind. inc. an. ʒj.
ſir. violar q. ſ. F. eclegma cochleatim ſumendum.

X. Parum pransus est. *Siticula* ursit, quam exsiccatis per vim *tussis* faucibus detulimus, nam hæc per totam diem violenter patientem exagitavit. Noctu præbere jussi haustum calidum ex *aq. veron acac. an.* ℥ ß. *pulv. sacch. cant. r.* ʒij. & *vitell. ov. conquass. n. I.* & *eclegmatis* usum continuare.

Mane discursus de confectione alkermes motus, utrum ipsi, quæ putatur, insit vis roborans. Multi, cumprimis moderni *Acido-viscidistæ* & *Bontekoistæ* cachinno excipiunt, cumprimis autem lapidis lazuli accessum exsibilant. Media via incedendum putaverim. Quod enim in ea quæsiverunt adeo eximium veteres, illi revera non inest, uti ex *ingredientibus* cuilibet pharmocologo patere potest. Interim tamen eadem quoque examinanti non minus patet absonum esse, si quis hanc confectionem omni roborandi virtute exuere sustineat. *Lapis* autem *lazuli* sine criminis ullius nota omitti potest; nam ob ejus accessum *confectionem alkermes melancholicis* opitulari, risum omni jure meretur. Veluti, si quis dicat, *acidulas* DEINACENSES ob ejusdem *lapidis* nondum demonstratum ingressum ægritudinibus animi mederi. Facio tamen cum DN. D. STANG, olim *Archiatro* PALATINO NEOBURGICO, qui sermone de ista *confectione* mecum conserto, sibi per multiplicem experientiam compertum esse dicebat, eam viribus reficiundis multum conferre, dummodo non granis vel scrupulis dosin metiri sustineamus. Scribere solere ad ʒj. ij vel plures pro uno præbio. Verum omnino, & rationi consentaneum, modo vinitorum nostrorum crumenis congruum. Substituit quidem Exc. HOFFMANNUS *not. ad Poter. Pharmac. Spagir. p. m. 654. electuarium confortans* longe efficacius & *vilius*. Non reprobamus, sed in nostris oris, ubi privata remediorum dispensatio locum non habet, uni cuidam Medico *confectionem* illam tritam abolere, aliamque, licet meliorem surrogare, integrum non est. Quis interim conciliabit POTERIUM & LISTERUM? Ille mavult *lapidem lazuli* calcinatum & lotum, quod crudus sursum deorsumque purget, quæ proprietates cordi sint contrariæ; Hic vero *tr. de morb. chron. p. 67.* dolendum ait, a nostris hominibus tantum medicamentum cordiale, quantum est *lapis lazuli*, e *confectione alkermes* ejici. Utrique peccant. Hunc enim *lapidem* esse *purgans* adeo δραστικόν, experientiæ non respondet, multo minus meretur nomen tanti cardiaci, quantum libenter vellet LISTERUS. (d. 11. *Febr.*)

§. Mactarchus a *pilulis de cynoglossa*, quoad *tussim* nihil levatus fuit, sed illis indormiit, ut, si a *tussi* vacaret, fere nil hodie, nisi dormiret. Exscreationem vehementiæ tussi non respondere & pectus quasi oppressum esse

esse queritur. Commendavi *decocti pectoralis* largiorem usum & cochleatim praebui *mixturam* sequentem: X.

Rec *Aq. veron. hyssop. anis. an.* ℥ij.
♋. cochl. ʒj. ⊖✱. *anis.* ʒß.
sir. de erysim. ℥ß. *M.*

Mirum quatuor grana *massae pilularum de cynoglossa* tanti soporis caussam extitisse. Cum *opium* se habeat ad reliqua ingredientia tanquam circiter 1. ad 6 igitur 4. grana harum *pilularum* continebunt ⅔. grani *opii*? Et licet itidem *narcoticum hyoscyami semen* addideris, dosis una, v. gr. gr. *iiij. pilularum* continebunt anodynae virtutis gr. *iß.* Pro diversitate subjectorum *opiata* nunc debilius, nunc potentius operantur. MACTARCHUS noster spiritus aliquantum torpidos habere videtur; hinc in soporem haut difficulter redigendos, quales fere sunt omnes *phlegmatici.* (d. 11. *Febr.*)

§. *Uxori* Bohemi a quibusvis assumtis solidioribus de *stomachi ardore*, vel *sota*, quiritanti, laudavi *euporiston*, *orbiculum* nempe *mali citrei pulvere oculorum cancri* conspersum & deglutitum. Bohemi *uxor.* *Sota.*

§. *Uxor* Neandri 34. circ. annorum jam a diebus aliquot affligitur *dolore dorsi* in regione lumbari versus inguina protenso, cum *urinae* quadam *suppressione*, quae excreta scatet arenulis rubris. Nephriticum quid judicans, ordinavi *emulsionem* primo ad 3. cochlearia, hinc singulis horis ad unum cochlear hauriendam: Neandri *uxor.* *Nephritis.*

Rec. *Sem. papav. a. lithosperm. an.* ʒij.
aq. fragor. petrosel. an. ℥ij.
F. Emuls. add.
Oc. ♋. *crud. cont. asell. ppt. test. ov. calc. an. gr. xij.*
ess. anod. ℈j. *sir. de alth. Fern.* ℥j. *M.*

Noctu sumantur *pilulae* ex quol. vehiculo:

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. M. F. 6. pil. (d. 11. *Febr.*)

§. Linke, trium uxorum maritus ante hos 15 annos primum conjunctus cum elegantissima puella CORMII domicilium habitavit. Post aedes erat hortus, in ejusque quodam angulo grandis corylus. Pertaesus molestiarum, quas ipsi tempore avellanarum praetereuntes pueri creabant, corylum excidere constituit. Quo in labore occupato, praeteriens colonus propemodum octogenarius, quid hic agis, dicebat? Ille, corylum, inquit, excido. Ne facias, obsecro, hic reponit. A parentibus enim meis admodum puer audivi αὐτόχειρον olim subter hanc corylum sepul- Linke.

X. tum fuisse, quem, ut finas quiescere, tutius est. Monito neglecto corylus exciditur. Illa vespera sub crepusculum, vidente LINKIO, ejusque uxorcula, domesticisque pluribus e trunco istius coryli surrexit flammula tenuis subcœrulea, quasi incensi fili sulphurati, quæ lento gressu sublata in posticam ædium januam tunc apertam se proripiens disparuit. Ea statim nocte spectrum miseros inquilinos in tota domo misere vexare cœpit; sic, ut in uno hypocausto domestici omnes, accitis quoque in consortium vicinis, dormire cogerentur. Mira sunt & stupenda, quibus lacessiti fuere, ludibria, paginas hasce recensione sua non capientia. Res eo denique venit, ut habitaculum mutandum fuerit: uxorcula vero ab eo tempore ex terrore caussaria facta intra sesquiannum vitam cum morte commutavit. Narratam a propinquo historiam utcumque credidi; sed veritati ex ore LINKII postea haustæ contradicere non potens, eam *Lectori* communem facere nullus dubitavi.

XI.

XI.

STatio Mercurii hesterna; liquor attigit medietatem tertii gradus in *thermometro*. Dies erat hesternæ similis.

Neandri *uxor.* *Nephritis.*

§. Neandri *uxor* levamen sensit ab hesternis. Certior factus de *nephritide pulverem* suasi *euporistum* mihi familiarem & in everrendis urinæ viis, impediendoque arenularum concremento nobilem.

Rec. *Rad alth.* ℥ß. *gumm. ceras.* ʒj. *sacch. a.* ℥iij. *M.*

Mane & noctu capiat ʒ cusp. cultri per se vel ex quolibet vehiculo. Absumtis his duabus unciis, novus paretur *pulvis* & mane solummodo sumatur. His ℥ij. denuo captis, usus sit *pulveris* alternis vel trinis diebus valde diuturnus & familiaris. Tempore paroxysmi ter, quater, immo pluries in die pro doloris urgentia adsumendus. Verriculum est sabuli, mucique in vasis urinariis moras agentium, pharmacon uti simplex, ita vere efficax præ multis aliis. *vid. m. Miscellan. meor. Part. I. p. 14.*

Neandri *filiola.* *Lumbrici lati.*

§. Dictam Neandri *uxorem* cum visitarem, simul quæsivi de Filiola quinquenni, quæ jam a semestri, & quod excedit, innumera fere, certe ob copiam non amplius numerata *lumbrici lati*, vel, si mavis, *lumbricorum* frusta per alvum excrevit, longiora, interdum aliquot pedes longa. Neque *rostrum*, neque cauda unquam visa. Dixerunt etiamnum hoc frequenter fieri solere, Puella cætera vegeta, hilaris, ad sensum sana. Mense jam *Septembri* præteriti anni præscripseram *pulvisculum* ex *æthiopis mineralis* p. ij. & *spec. diagalap. Mynf.* p. j. cum *melle* diu usurpandum; Prodiere multa frusta, sed nullus eorum finis. Elota, qua pote, intestina clysteribus e *lacte* cum *amalis*, incocto quoq; *hydrargyro*. Non emanserunt. Parentes interim *anthelminticorum* a nemine non laudatorum farraginem ingesse

gesserunt. Frustra. Prodeunt sine, prodeunt cum medicina. Verisimile est, intestina, fortassis quoq; tenuia, cumprimis vero ileon, ita jam per naturam & consuetudinem aptata, ut nidum excludendis magno numero cum cibis, *lacte* præcipue, *vermiculorum ovulis* commodum præbeant. Nam, in ea dudum opinione fui, diversas *lumbricorum* species, vel potius figuras, non e diversis semper *ovulis* nasci, sed hæc, scil. *ovula* varia producere animalcula pro conditione matricis, in qua foventur & excluduntur. Jussi, ut aliquot frusta collecta & in aquæ puræ vitro asservata mihi conspicienda præberent. Vid. quæ de his *lumbricis* commentatus sum in *miscellan. Part. II. p. 422.* (d. 14. *Febr.*) XI.

§ Evander per dimidium noctis vehementer tussivit, per reliquum satis placide, somno licet interrupto, dormivit. Alvum solvit. Vox est valde rauca. Præter *tussim*, *raucedinem*, & virium debilitatem morbi reliquum nihil videtur. Pulsus & urina boni. Datæ *pilulæ*: Evander. *Raucedo. Tussis.*

Rec. *M. Pil. de styrac.* ℈ß. *extr. bezoard. gr. iiij.*
M. F. pil. XIV.

Sumantur nr. vij. ante meridiem, reliquæ noctu ante somnum.

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. acac. extr.*
sir. de erysim. Lob. an. ℥j. *M. Sumat cochleatim.*

Vesperi *tussis* remiserat, respiratione tamen libertima existente, quod bonum signum. Si enim ægri tussire desinant, succedente *asthmate* vel *dyspnœa*, *tussim* non tam remittere, quam supprimi, notatur, quod est indicium malæ caussæ.

Ægrotus vini desiderio tangebatur. Orta quæstio, quonam præcipue pacto vis *Lyæi* posset infringi, sic tamen, ut ne stomacho molestia creetur? Solenne est nostris, panem tostum fontanæ immergere, eaq; ebrium immittere vino. Alii volunt v. g. *vini generosi part. 3.* affundere *aquæ ferventis part. 1.* Rursum aliis visum est vitrum orificii angusti aqua fontana impletum & obturato prius orificio per manus pollicem fundotenus immittere vitro capaciori vino repleto, pollice hinc remoto sensibiliter aquæ commisceri volunt portiones vini magis igneas, admoto rursum pollice vitrum aqua plenum eximitur, reliquum vini spiritibus orbum potui datur. Nullam methodum rejeci. Dixi tamen, mihi usu venire, ut panis siliginei buccellas aliquot vino generoso immergere curem, easq; cum vinum imbiberunt, ad edendum concedere. *Obj.* Vini partem maxime spirituosam a pane imbibi. *Resp.* Sit ita: non quæro cadaver vini. Puto autem vinum intra panis porositates, quasi vinculis detentum diutius in stomacho morari, hunc roborare, neq; vasis sanguivehis tam cito, quam per se potum, communicari. Methodus ea mihi nunquam non feliciter cessit, quanquam suo quemlibet sensu & hic abundare lubens patiar.

Ade-

XI. Aderat, qui CRATONIS *electuarium* contra *tussim* valde commendabat, idque jam compluribus, non sine utilitate summa, suasisse affirmabat. Medicamentum est laudatissimum in *defluxione catarrhali*, indeque orta *tussi* & *raucedine*, minus tamen nostro conveniens, quippe demum *febre continua* defuncto. Calidius enim est, quam ut talibus exhiberi tuto queat. Constat ex *conserva rosarum, bolo, thure, theriaca* & *sir. papav. errat.* (*d. 12. Febr.*)

Mactarchus *Raucedo.*

§. Mactarchus hodie fassus est, a potu vini frigidiore contractam sibi cum *tussi raucedinem*. Hodie non æque vehementer tussit. Pergat in usu *decocti pectoralis*, & mixturæ heri ordinatæ; noctu assumat *emulsionem* uno haustu, &, si mane sudatiunculam appropinquare senserit, eam promovere laboret:

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ℈j. *papav. alb.* ʒij.
aq. fumar. acac. an. ℥ij.
F. Emuls. add.
bez. miner. CC philos. an. gr. xv.
aq. cinnam. bugl. sir. papav. an. ʒiij. *M.*

Id ea fini factum, ut vespertina caloris cujusdam exacerbatio infringeretur, & somnus suavis obreperet, sine caloris & siccitatis, de qua in faucibus queritur, augmento. (d. 12. *Febr.*)

§. Toparii *uxor*, (28. *Jan.*) fere nil amplius tussit. Vomiturit nonnunquam, præcipue mane, neque quid aliud, quam pituitæ claræ tantillum excernit. Ante octiduum cum dolore per muliebria prodiit stria sanguinis, fili ad instar, unica. A biduo dolor in lumbis lacerans. In mammis alteratio nulla, neq; adhuc dum abdomen notabiliter assurgit. In dubio de *graviditate* hærentes *pellentia* propinare non audemus. *Tragema* nuperum assumat. In augmento doloris hauriat ℥j. *ol. amygd. d.* & lumbarem regionem ungat linimento ex an. 🜄. *camphor.* & *ol. lumbricor.*

§. Cum Gnomilego narrassem, quid *pilulæ de cynoglossa* nudius tertius Mactarcho datæ fecissent, ipse mihi reposuit, virgini cuidam ad capitis dolorem per inadvertentiam loco *pilularum de succino* datas fuisse quindecim unius grani *pilulas de cynoglossa*. Errore mox agnito *lac* eidem fuisse propinatum, ne scil. stomachus eroderetur, quamvis ejusmodi facultas illis *pilulis* neutiquam insit. Propinatum postea, Gnomilego adventante, cochleare parvum *aceti* cujusdam *bezoardici*, & datus *citri succus recens* cum *sacchara*, nilque aliud mali supervenit, quam ut ea die parum dormituriret virgo.

§. Dio-

§. Dioptrici *uxor* unius filioli quadriennis mater hactenus aliquoties menses quidem retinuit ad plures septimanas, qui tamen cum impetu postea proruperunt & eam aliquandiu lecto affixerunt: Nunquam autem aliquid, quod vel fetui, vel molæ simile esset, immo ne grumi quidem sanguinis observati. *Succulenta est, plethorica, splenetica, hysterica*, ad iram & terrores valde prona. *Phlogosibus* vexatur, *cordisq; palpitatione, cephalæa* in vertice, quæ est *hystericarum*. *Vertigini* olim quoque obnoxia. Aliquando derepente per 24. horas *aphonica* facta est, hinc quasi *hemiplectica*. Laborat ex *stomacho*. Vinum bibit a Juventute, sed jamdiu aqua temperatum. Multa sunt symptomata; quæ sanguinem indicent nimis tenuem, salsum & aptum ad ebullitionem, quantitate item peccantem. Si vero talis, cur per aliquot septimanas ultra terminum consuetum moratur? Sic anticipare potius debebant menses? Non adesse morbum conformationis, nimiam puta vasorum circa uterum angustiam, argumento est, quod mulier hæc adhucdum virgo semper ordinatissime *mensibus* fluxerit. Quidquid sit, sanguinem, utcumque tenuem & acrem, alicubi tamen stagnare certum est: Si enim terminum 4. septimanarum eluserit, *mammæ dolore tensivo & pulsatili torquentur*, anxietas est in *epigastrio* utroque, ceu pressio quædam a dextro subter ventriculum ad sinistrum protensa, quasi vasa hepatica & splenica sanguine distenderentur. Re probe pensitata decrevi denique sanguini consistentiam crassiorem conciliare & acrimoniam ejus obtundere. Vena brachii dextri pertundatur ad ℥vj. Postea bibatur mane & noctu nona semper hora *infusum theiforme* ex *speciebus* sequentibus more meo parandum: XI.

Rec. *Ras. lign. sassafr. lentisc. an.* ℥ij.
rad. sarsapar. ℥iß. *alth. symphyt. maj. an.* ℥ß.
liquir. ras. cass. lign. an. ʒij.
fol. plantag. latif. herb. fumar. an. mj.
flor. ros. r. mß.
sem. cydon. ʒiij *anis.* ʒiß. *Conc. cont. D.*

Addatur scutellis aliquid *sacchari*, & primæ semper instillentur ~⊕. dulc. gtt. xx.

In prandio & cœna solvat cochlearia duo *gelatinæ* ex an. *ras. CC. & ebor.* simpliciter paratæ, in jure calido, sorbenda. Vel, si hæc non arrideat, pomeridie hora 5. adsumat 12. *pilulas*, e quolibet, modo non calido, vehiculo:

XI. Rec. *Coral. r. ppt.* ▽. *sigill. diaph.* ♂ *al.*
sang. Drac. an. ʒß. *M.*
F. c. mucilag. tragac. pil. pond. gr. j.

Tempore mensium, si diutius morentur, alterutra saphæna tundatur. Vitet *acria*, *salsa*, *aromatica*, sanguinem agitantia, iram, terrores. Edat *lacticinia*, carnes mucilaginosas, vitulinam &c.

Mulier hæc insuper prædita est spiritibus valde mobilibus & genere nervoso tenero ac sensibili. Metuenda est ipsi *apoplexia fortis*. Frequenter per jocum dicere soleo, mulieribus esse tria M. quæ ipsis multum negotii, & plerumque conjunctim, facessere soleant; Magen / Mutter / Miltz.

Tentabimus, quid ista medicamenta possint, quorum effectus, quid amplius faciendum sit, commonstrabit. Tempore paroxysmi quæ sint adhibenda, suo, si opus, loco dicentur.

Dixit mihi hæc mulier, se ante quadriennium per tres menses *uteri hæmorrhagia* fere perpetua, ad maciem, pallores & virium tantam debilitatem, ut pedem lectum extra figere non potuerit, laborasse. Nullo medicamine juvante, adventasse vetulam, quæ suaserit, *ut bursam pastoris intra manus teneret*, *pulvillumque* ex hac herba factum lumbis supponeret; Juvisse. Observent Practici, quid possint haut raro simplicia! Sic interdum vetulæ Medicos, excogitatissima quæque ordinantes, confundunt. Quid si in hæmorrhagia uteri hæc planta *theiformiter* bibatur? Nam quod nostra fecit, *aqua* hinc *destillata* vires adstringentes eo gradu, quo *infusum*, vix retinebit? (d. 9 *Feb.*)

Siderolithi *uxor*. *Fluxus uteri cruentus*.

§ Siderolithi *uxor* (7. *Feb.*) hac vespera a me visitata recenset, sibi jam a triduo semper aliquid e muliebribus promanare, colore nigricante, non male olens, sine ullo dolore, lassam se esse, præterea non habere, quod queratur. Pensitatis probe omnibus, cum ingravidationis nulla spes amplius compareat, & post nuperum pseudocyema parum sanguinis profluxerit, eum moderate pellendum esse censui.

Rec ⊖. *vol. oleos.* ʒij. R*a. croc.* ʒß. *M.*

Sumat mane & noctu gtt. xxv. ex cochleari *mixturæ* seorsim quoque hauriendæ:

Rec. *Aq. puleg. fumar. chamom. an.* ℥ij.
diaph. ♂ ʒß. ♁. *nat. ppt.* ℈j.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. artemis. r.* ʒiij. *M.*

Sed, antequam de his aliquid sumsisset, post cœnam satis liberalem dere

derepente sanguinis profluvio corripitur. Cum nimium videretur, hac undecima noctis hora adcurrentes, remedia postulant. XI.

Rec. *Aq. plantag.* ℥iij. *borrag.* ℥ij.
*. ℥ß.
cor. r. ppt. croc. ♂. *adstr. bol. arm ppt. an.* ℈ß.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. granat.* ℥iij. *M.*

Sumat cochleatim, roborandi quoque fine. Si sanguis profluere non cessaverit & vires fatiscere videantur, noctu parari curent pulvisculos probatissimos, successive sumendos ex vehiculo ad libitum:

Rec. *Sperniol. Cr.* ♁. *Catech. an.* ℈j.
laud. op. gr. ij. M. F. 2. ℥es. (d. 12. *Feb.*)

XII. XII.

MErcurius descendendo quarti gradus extremum proxime attigit. Liquor *thermometri* tertii gradus duas tertias absolvit. Dies antemeridie clara, pomeridie turbida, tota calida.

Matutino tempore ante egressum ad infirmos cum GNOMILEGO Discursum habui de nova MORINI opinione circa *vias potulentorum ad vesicam.* Hujus Auctoris sententia, quam exhibet Academiæ Regiæ scientiarum Ann. 1701. & quidem in ita dictis MEMOIRES, [Latine *Adversaria.*] p. 228. f. summatim comprehensa talis est: *Urina* duplex est, *prima* & *secunda.* Illa mox ab assumto, eoque liberaliori, potu v. gr. *acidularum* per vesicam redditur tota clara; hæc multis post potum horis per eandem viam excernitur demum, & quidem colorata, aurea. Quemadmodum vero hæc ultima seu *secunda urina* per viam tritam cum chylo exit in duodenum & reliqua intestina tenuia, simul intromittitur in vasa lactea, glandulas lumbares, ductum thoracicum, cor, arteriam magnam, emulgentes, vagatur, in renibusque a sanguine secreta per ureteres in vesicam ingreditur, per urethram deniq; excernenda: Ita illa, seu *prima urina* per poros ventriculi transsudat in cavum abdominis & a poris vesicæ resorpta in hujus cavitatem stillat, eodem modo emingenda. Posse hoc fieri probat experimento desumto ex ventriculo & vesica mactati animalis, quæ viscera evacuata, replentur aqua fontana, ligatis ibi duobus orificiis, hic sphinctere, e suspensis aqua successive exstillat, idque etiam fit interna utrorumq; superficie extrorsum versa; sin hoc, concludit Auctor, fiat in visceribus corpori mortuo exemtis, quid non futurum in animali vivente? Hanc sententiam pluribus ratiociniis MORINUS speciose illustrat. Eum qui plura scire cupit, ad *Auctorem* ablegamus, quippe hujus nec loci, nec nostri instituti.

XII. Deduximus inde nos duo varia *perismata*. 1. Apparere hinc, cur omnia abdominis viscera continuo madeant, *omentum*, *hepar*, *splen*, *intestina*, *renes &c.* in exteriori superficie? 2. Prima urina non potest vel salibus saturari, vel aliis qualitatibus affici, quod moras nusquam trahat, viaque expedita & brevi vesicam immeet. 3. Caussam novam dari posse hydropis ascitis, defectum scilicet quendam in poris vesicæ vel conniventibus, vel obstructis, vel alio modo male affectis, ubi serum e venticuli poris exstillans non transmittitur. 4. Quo pacto diuretica hydropi asciti medeantur, hinc melius apparet. 5. Item, quomodo helluones tantam vim potus nonnunquam capere possint, ventriculo nempe nimium relaxato, porisque ipsius magis patentibus. 6. Quam male faciant, qui ab acidarum potu violentius moventur, mineralem scilicet aquam propellentes antequam sanguini commisceatur, unde potus efficacia salutari privatur. Et quæ sunt plura.

Evander. *Raucedo.* §. Evander adhuc *raucet*. Feriari consultum duximus a Medicinis, remque culinæ, circumspecte tamen, deferendam esse judicavimus. DEO sint laudes. [d.14. *Febr.*)

Filius: *Abscessus faucium periodicus.* Ejus *filius* 18. circ. annorum jam a longo tempore, singulis fere mensibus infestatur frigore cum insequente æstu, *dolore faucium*, *in abscessum tonsillarum* desinente, bene de reliquo habens. [Dentes in sinistra superiore maxilla binos ostendit cavos, putridos, interdum doloribus valde molestos. Unum ex illis dentibus evellendum esse statuimus. Ordinatæ *pilulæ* singulis mensibus triduo ante *plenilunium* sumendæ:

Rec. *Extr. cathol.* ☿ *ii dulc. an.* ℈j.
M. F. pil. xxv. pro 1. dosi.

Post purgationem mane & noctu *infusum theiforme*:

Rec. *Ras. lign. sanct. sassafr. an.* ʒiß.
cort. lign. sanct. ʒvj. *Winteran.* ʒiij.
rad. sarsapar. ℥j. *chin. bardan. an.* ℥ß. *liquir.* ʒiij.
herb. trifol fibr. fumar. an. mj.
cass. lign. sem. anis. stellat. an. ʒij.
Conc. cont. D.

Mane & noctu specierum 2. cochlearibus affundantur ℥x. aq. font. fervid. coq. ad dimidium horæ quadrantem, e scutellis calide cum vel sine saccharo bibatur, primæ scutellæ semper instillando gtt. 40. *mixturæ*:

Rec.

Rec. *eff. lignor.* ℥ß. *trifol. fibrin. fumar. an.* ʒij. XII.
~, cochlear. ⊖ ✱. *an.* ʒj. *M.*

Collutio oris ter, quater, quinquies in die calida fiat cum *Decocto seq.*
Rec. *Summit. pin.* mj.
herb. cochlear. trifol. fibr. an. mß.
raf. lign. sanct. ℥iß. *saffafr.* ℥j.
rad. angel. helen. an. ℥ß.
fl. aquileg. p. ij. *myrrh. r.* ʒj.
sem. nafturt. finap. an. ʒj.
Conc. cont. coq. in menf. iß. *aq.* font & vini.
Colaturæ addatur mellis depurati q. f. ad dulcedinem.

Cura per menfem continuanda; vitanda acria, falfa nimis atomatibus condita, hujusque commatis alia, quin & vini exceffus.

§ Mactarchus ab affumta *emulfione hefterna* nil minus, quam dormivit; non admodum tuffivit, fed inquietus & æftuofus noctem totam transegit, idem poftea fibi ab omnibus *anodynis* femper eveniffe dicens. Hodie fumfit *Decoctum pectorale* cum *mixtura* nudius tertius ordinata, cras mane accepturus rob fambuci & fe compofiturus ad fudorem. (d. 13. *Feb.*) Mactarchus. *Tuffis.*

§. Siderolithi *uxor* heri noctu fuadente obftetrice vix affumferat ℥ß. *ol. amygd. dulcium*, cum *mixturæ* a me ordinatæ *cochl.* ij. hauriret, inde orta *naufea* jam ante vomiturientem ad *anecbolium* ingeftorum invitavit, quod *mixturæ* noftræ adfcribens, *uteri hæmorrhagiam* cum *deliquiis* per totam noctem fufferre, quam eam ulterius affumere, maluit, immo ne *pulveres* quidem, in omnem eventum ordinatos, accepit. Hodie *lochia* adhucdum fatis conftanter fluunt, *mola* quoque *membranofa* alia, cum fanguinis concreti fruftis fat magnis exclufa. Juffi, ut *mixturam* noftram intrepida fumeret, quod aliquoties infequente nullo vomitu per hanc diem fecit, vefperi fibi pulcre præfens. Aliter nihil ordinatum. (d. 13. *Feb.*) Siderolithi *uxor*.

§. Rubetengi prope feptuagenarii, in extremo gradu podagrici, querela de inappetentia & aurium fufurris. Suafi *mafticationem* granorum *maftiches* matutinam, auribus *ol. amygd. amar.* cum aliquot guttulis *ol. fuccini* bombace excepti applicationem, ftomacho ufum *elect. diacori*, *podagræ purgationem menftruam* cum *electuario meo* MISCELL. *part. I. p. 165.* defcripto. Rubetengus. *Aurium tinnitus. Podagra.*

Filiolo quatuor annorum ab aliquot diebus præternaturaliter æftuanti, fitibundo, continue fere dormienti, inter dormiendum dentium col-

XII. lisione stridenti, medicamenta quævis aversanti, anhelo, &c. *pulvisculum* in nodulo potui ordinario immergendum:

Rec. ♁. *diaph. conch. ppt. oc.* ♋. *cont. an.* ℥ß. *M.*

Pectusculo *unguentum* ter in die:

Rec. *V g. pectoral.* ℥ß. ~⊖✱. ʒß. *M.*

Mentio de *vesicatoriis* injecta. Horruit mater. Cur? Jam bini sunt mortui eo fere momento, quo excitatæ *vesicæ* forficula apertæ fuerunt. Molesti homines. Volunt, nolunt suos juvari.

Quartana cura. Cum de Filio natu majore quærerem, quo pacto denique a *febri quartana* liberatus fuisset, quacum per annum integrum mire misereque dimicabat, responderunt, se nihil intentatum reliquisse; venisse tandem mulierem rusticam, imperasse, ut ex officina petitum irent pro 9. obolis (Pfenning.) *camphoram*, eamque non alia moneta, quam ipsismet 9. obolis solverent; hinc tribus panni rubri laciniis insuerent, filo nullum nodum habente, & de collo suspenderent. Intus vero propinarent *succum sempervivi majoris*, ea quantitate, quam caperet dimidium vitrum cruciato emtum, (ein halbes Kreuzer Gläslein voll.) sed in eo succo per noctem macerarent *pulverem florum cheiri*, mane potui darent expectando sudorem; idque tertium singulis matutis repeterent. Inde salvum evasisse adolescentem, febrimque constanter emansisse.

Nisseti Coqua. §. *Coqua* Nisseti per aliam sodalem a me flagitat *purgans*, ob *inappetentiam*, frequentes *vomitus*, amaritiem oris, lassitudinem. In ea seculi malitia, ut missum me facerent ancillæ talibus postulatis mallem. Nihilominus, cum laudatæ sit famæ & fere quadrageneria, mihi denique persuaderi sum passus:

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. Tart.* ℈j.
dacryd. gr. v. ol. mac. gtt. 1. M. (d. 16. *Feb.*)

Adenarii *uxor.* *Anorexia.* §. Adenarii *uxor* (d. 5. *Feb.*) nondum appetit. *Lassitudo ulcerosa*, *stomachi debilitas*, *ructus inodori*, mane continuo buccæ saliva scatent, (nostri vocant Gallenwasser.) quæ nota *ventriculi debilis* characteristica, *oris amarities*. Nec frigus, nec calor, nec sitis, nec tormina. Liber quoque spiritus. *Anorexia* familiam ducit:

Rec *Extr. gentian. cal. arom. an* ʒß.
spec. Imperat. ʒj. *bals. peruv.* ℈j.
ol. caryoph. gtt. iiij. nuc. mosch. expr. gr. vj.
F. *pil. pond. gr. 1. sum. mane & noctu nr. xij.*
ex syr. cydon.

Coch-

Cochleatim, cumprimis in stomachi languore (Oedigfelt.) XII.

Rec. *Aq. menth.* ℥iij. *cinnam. cydon.* ℥j. *mastich.* ℥ß.
elix. vit. Matth. inc. ʒj. *sir. cinnam.* ʒiij. *M.*

Foris *balsamum & sacculus, stomachica* mihi consueta.

Buccella e pane siligineo *Vino Hispanico* madida interdum comeatur. Paretur *gelatina caponis cum pede vitulino.* [d. 14. *Febr.*)

§ Laurentii *uxor* (2. *Jan.*) ab ultimis medicamentis adeo sibi restituta fuit, ut nunquam melius ab aliquot retro annis. Habitior facta, & ciborum appetentissima. Ante quatriduum *tumor totius faciei*, & elatior in utroque frontis latere, instar ovi gallinacei, sinister major dextro, & hic quidem valde dolorificus. Palpebræ ob dolorem connivent. Confirmor in suspicione de *luis reliquiis*. Nihil tamen aliud hodie ordinavi, quam *mixturam* quadripartiendam, mane cum, & noctu sine sudore assumendam: Laurentii *uxor.* *Tumor in facie.*

Rec. *Ess. lignor.* ℞*a. bezoard. an.* ʒj. *M.*

Tumoribus frontis empl. de ran. Vig. c. ☿ *io.* Quamprimum de effectu cognovero, transitum ad alia facturus. (d. 14. *Feb.*)

XIII. XIII.

MErcurius paulisper ascendit; liquor *thermometri* tertium gradum complevit, usque ad unam lineam. Dies erat nubila & calida.

§. Boscomactis *uxori*, (3. *Feb.*) post recollectas utcumque vires dedi laxativum sequens:

Rec. *Aq. laxat. Vienn.* ℥iij. *sir. de cich. c. rh.* ʒvj.
M. pro 1. dosi.

§. Mactarchus postquam heri, suadente *Medico* vicino, ante somnum adsumsisset *spermat. cet.* ℈j ex jure calido, nihilo magis hac nocte quievit. Mane prout inter nos convenerat, sumto *rob sambuci*, & scutella una *theæ* largiter sudavit; pressionem tamen circa scrobiculum cordis adhucdum sentiens cum exscreatione difficili. Hausit adhuc ℈j *sperm. cet.* cum *decocto pectorali*, hodie noctu idem facturus. Egregie resolvit hoc *siqnamen*, stomacho tamen per usum continuatum grave. Aliqui *sperma ceti* cum lacte calido sumunt, neque vehiculum suppeditari posse gratius affirmant, quod est credibile. Nam a lactis dulcedine & pinguedine pisculentus ille rancor obtunditur, neque timendum est, vim ejus resolutivam hinc aboleri; cum alioqui *oleo dulc. amygdalarum* remixtum assumi consueverit. (d. 15. *Feb.*) Mactarchus. *Tussis.*

§. Rhab-

XII. Rhabdaulitis *uxor.* §. Rhabdaulitis *uxor*, expectato Lunæ incremento, venam heri solvi est passa; sanguinem hodie explorans offendi, quem meliorem optaveram; globuli enim rutilantes innatabant gelatinæ levi nisu in mucorem dissipabili, fundo vasculorum adhærebat amurca nigra; sic ut tres illæ sanguinis constitutivæ portiones, celeberrimo STAHLIO sic dictæ, np. *sulphureo-pingues*, *mucido-serosa*, & *terreo-crassa* nudis oculis sisterentur, ita nusquam sibi cohærebat, idem in duabus patellis. Sanguinem qui talem profundunt, *ex stomacho laborare* per longam experientiam didici, quod idem quoque apud nostram locum habet, quamvis in statu graviditatis se nunquam appetere multa diceret, nunc tamen plane non appetit, & frigidis magis quam calidis delectatur. Commendavi *vinum absinthites compositum*, cujus unum haustum a principio cujuslibet pastus assumeret:

Rec. *Com. absinth. summit. cent. min. an. mj.*
rad. caryophyllat. bacc. junip. an. ℥j.
cort. aurant. rad. helen. an ℥ß.
cinnam. opt. ʒiij. *sem. anis.* ʒj.

Conc. cont. sacculo includantur & immergantur in urceum vino veteri plenum, quod exhaustum est, tam diu semper supplendo, donec amarities in vino cessaverit.

Optandum, ut saniora prostarent de *judiciis e sanguine per venam sectam educto ferendis*. Quæ enim CALENDARIIS annexa a barbitonsoribus memoriter discuntur & plebejis ore pleno dictitantur, anilia sunt. Nec mentem satiant, quæ JESSENIUS hoc super argumento scripsit.

Cum denique nostra sternutationes nimias ab attractu lactis calidi saccharati nihil sopiri diceret, suasi, ut *oleum amygdalarum c. tantillo olei succini* remixtum lacti surrogaret. (vid. infra.)

Filiolus. *Filiolus*, per DEI gratiam hilaris degit.

Siderolithi *uxor.* *Abortus.* §. Siderolithi *uxor* hac nocte quievit. Sanguinis fluxus moderatus. Heri cum torminibus excrevit massam tunicatam, qua examinata ovulum, cum rudimentis vix cognoscibilibus, comparuit. Erat pisi majoris, vel ciceris quantitas. Sicubi tormina redirent, usum internum *olei amygdalarum dulcium* suasi. (d. 14. *Feb.*)

Dioptrici *ancilla.* *Mensium paucitas.* §. Dioptrici *ancilla mensium* haut quidem *suppressione*, *paucitate* tamen laborat, alias torosa & mammata. Comitantur hunc defectum symptomata consueta, *palpitatio*, *dyspnœa*, *lassitudo*, *sitis*, & quod præcipuum, *vomitiones* jam ternæ *materiæ atramento contra nigerrimæ* nec dentes *hæmodia s. stupore*, nec nares odore molesto afficientis. Sanguinem

ab

ab *acido* ventriculi humore congrumatum quis existimaverit; nam fiunt illi *vomitus* cum euphoria. Purgans ordinavi: XIII.

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. Tart.* ℈j.
dacryd. gr. v. ol. mac. gtt. j. M. pro 1. dosi.

Postea mane & noctu gtt. xxxx. *mixturæ* ex jure, vel vino:

Rec. *℞a. ♂. aperit.* ʒij. *croc.* ʒß.
succin. Tart. an. ʒj. *M.* (d. 19. *Feb.*)

§. Baccalaurea (31. *Jan.*) decies purgata a *catharctico* nupero, usurpata hinc *mixtura* multo quidem melius habuit, sed *palpitatio cordis*, *pulsatio carotidum in collo*, *dyspnœa*, *lassitudo*, *pallor* adhuc adsunt, cum *phlogosibus* multis. Ordinavi *Venæsectionem medianæ* in dextro brachio ad ℥vj. quam indicare videbantur *palmus & arteriarum nimia pulsatio*, *bullientis* sanguinis per uterina vasa exitum non invenientis signa.

Baccalaurea. *Chlorosis.*

§. Actuarii *uxor* (27. *Jan.*) cum ab istis medicamentis præter spem notabiliter se levatam sensisset, ausa est d. 2. *Feb.* in templo confiteri, d. 3. *ejusd.* SACRAM SYNAXIN accedere, immo concionem vespertinam audire. Multata *tussi* & *Asthmate* vehementioribus increpanti promisit, se domi mansuram. Perrectum cum nuper ordinatis. Melius appetit. Color faciei vividior. Anhela tamen & multum tussiens, quamvis & sic noctem tolerabilius transigat. Ordinavi *pulverem* mane & pomerid. ad cusp. 3. cultr. per se sumendum:

Actuarii *uxor.* *Phthisis.*

Rec. *Rad. ar. helen. irid. flor. an.* ℈iiij.
lign. sassafr. ♁. *diaph. an.* ʒj.
croc. opt. extr. papav. err. an. ℈j.
elæosacch. anis. ʒß. M. F. ♀.

Noctu ante somnum quantitatem castaneæ de electuario resumtivo. Cum gelatina caponis pergendum. (d. 5. *Mart.*)

§. Oblitus sum paullo supra recensere de Rhabdaulitis *uxore*, quod rogaverit, annon *lactucas* interdum comedere liceat, *se non multum aceti, plus autem vini admiscere?* Dixi, tutius esse, ut abstineat, nec enim se cum embammate vinoso quid lucrifacere. Non sine caussa veteribus placuisse, ut *lactucæ* comedantur cum *aceto*. Hujus enim beneficio crudam herbam ad meliorem digestionem præparari. *Lactucas* igitur, quo minus *aceti* habeant, eo majus stomacho negotium facessere. Atqui regerunt, *acetum* insalubre esse? Sit ita. Proinde a lactucis abstinere tutissimum

Rhabdaulitis *uxor.*

XIII. tissimum. Has enim sine dispendio sanitatis quotidie fere cœnari credat, qui volet, sive sint *acetosæ*, sive *vinosæ*, immo & *saccharatæ*.

XIV.

XIV.

BArometrum & *Thermometrum*, qualia heri. Dies calida. Glacies liquescit.

Æxuri famulus. Hypercatharsis. §. Æxuri *famulus* ordinatum pulvisculum purgantem d. 6 *Feb.* heri demum assumsit, & nimium fere ἄνω & κάτω purgatus est. Caussa fuit, quod pomeridie, sicut a purgatione fieri solet, sitibundus aquæ frigidæ quantitatem non spernendam ingurgitaret, sic enim alvo denuo mota, si secuta fuisset *hypercatharsis*, quid mirum? *Potus frigidus in ipso purgationis actu assumtus aut sistit purgationem, aut dolores & anxietates, flatusq; excitat, aut subinde hypercatharsin*, ait DEKK. *Exerc. de meth. med. p.* 355. Historiam addens puellæ, quæ, cum post assumtas *pilulas purgantes bis* terve alvum deposuisset, cervisiam frigidam avide hausit, quo facto in gravem incidit *hypercatharsin*, quæ vix medicamentis *adstringentibus, corroborantibus opiatisq;* superari poterat.

Evander. Raucedo. §. Evandro (15. *Feb.*) adhuc *rauco*, cætera optime habenti, suasi assumtionem *spermatis ceti* ad ʒß. ex lacte calido, si placet, saccharato; bis vel ter repetendam; si vires quodammodo collectæ fuerint, evacuans lene daturus. [d. 17. *Febr.*)

Regenotti uxor. Vomitus gravida. §. Regenotti *uxorcula* (d. 9 *Jan.*) *vomitibus* matutinis adhuc vehementer est obnoxia & fere nil omnino comedere potest, nisi offas ex pane domestico cum aqua simplici coctas, parumque salitas, sine butyro (ungeschmelzte Wassersuppen.) It. petita ex *oleraceis*, lactucas cum aceto, & oleo olivo, quas tamen ultimas *dolore stomachi* luere cogitur, & istiusmodi alia. Suasi, ut interdiu & quoties ex *stomacho laborat*, vel jam vomuit, assumeret *aquæ cinnam. cydoniatæ* cochl. j. vel ij. mane vero & noctu cochlearia duo *vini granatorum* cum quinta parte *syr. granatorum* temperati. Cum ante quinquennium circiter primum esset gravida, *vomitiones acidarum* Göppingensium ad fontem potus expedito sustulit. Hactenus ad puerperium ipsummet usque mane semper vomere coacta fuit, sed post medium gestationis tempus appetitum ad cibos tamen recuperavit

Mosellani Filiola. Bronchoceles signa. §. Mosellani *Filiola* 6. annorum *broncheceles* indicia præbet: Collum per se solito crassius, ubi spiritum retinet vel vociferatur, magis tumescit, & inflatur. A variis varia licet laudata Parentes sine *Medici* præscitu vel consilio adhibere noluerunt. Talia sunt *Pulvis* decantatus cujusdam

iam HYLESTIS *nostri*, alius cujusdam nobilis *Matronæ* TROIANÆ. *Cingulum e pelle humana* aliaque plura. *Pulverum strumalium* fere omnium minus tutum esse usum pronunciavi, quippe qui semper constarent e salibus lixivis acribus & aromatis valde calidis. Absumi quidem per hos ipsos frequentissime *strumas*, majora tamen inde plerumque mala oriri, sanguinem attenuari, acrescere, nimium calefieri, viscera erodi; plus proinde hic damni, quam illic commodi, remediumque morbo magis periculosum existere, cum in cujuscunque ætatis, tum præcipue teneræ hominibus. Neque SCRETÆ *tragema bronchiale* ab omni nævo prorsus immune dicendum, cujus *descriptio* exstat in MISCELLAN. *Part. III. p.* 70. Quippe quod *sal gemmæ, Zingiber & piper ingrediuntur*, quibus & similibus si carent hi *pulveres*, officium non faciunt. *Cingulis ex corio humano parum tribuimus*. A matrona quadam nobili nobis olim valde commendabatur *illitus axungiæ rupicapræ* ex HELVETIA petendæ. Nos ultra specificum antatrophon in tenellis quid violentius adhibere nollemus, v. gr. XIV.

Rec. *Specif. antatroph.* ʒij.
æthiop. miner. ʒj. *arcan. dupl.* ʒß. *M.*

Sum. mane & noctu cusp. 2. cultr. Foris imponatur *empl. diaphoret. Mynf.* quod prius liquatum addita *Zinnabari* exaltari potest: v. gr.

Rec. *Empl. diaphor. Mynf.* ℥j. *ol. bufon.* ℥ß. *liquentur, add.*
♁. *nat. subtiliss.* ℥. *q. s. ad novam emplastri consistentiam.*

Suaserim *infusum rutæ murariæ theiforme* ad mentem BOYLE *de simpl. med.* præcipue, cum hodie mos invaluerit, ut lactantibus propemodum *thée potus* præbeatur, hæc autem herbula sit saporis non admodum ingrati.

§. Frisogoni *Filius* 17. annorum jam a longo tempore singulis fere mensibus *erysipelate capitis & faciei* laboravit, quod eum per aliquot dies lecto affixit. Consultus d. 3. *Nov.* 1708. puerum purgavi *electuario e psyllio cum pulvere* CORNACHINI: Postea per mensem bibit mane & noctu $\frac{1}{6}$. mensuræ nostratis de *sero lactis calido, herba trifol. fibr. acetos. acetosell. agar. nummular. hepat. stellat. fl. samb. fumar. & aniso* medicato. Jussi linteum decocto *flor. samb. cum lacte* ter maceratum & exsiccatum tempore *paroxysmi* collo applicare ad meth. SIM. PAULI *quadrip. botan.* Inter hoc temporis erysipelate non amplius affectus fuit, sed *scabiosus* factus cum *tumore brachii* sinistri ab humero ad cubitum, & manus dextræ usque ad carpum, indolente quidem, sed molesto tamen. Ordinavi *electuarium ammocatharct. cum* BEUTELII *in scabie mihi valde familiare*:

Frisogoni *Filius.* *Erisypelas faciei.* *Scabies.*

XIV. Rec. *Pulv.fol.senn.Alex.s.s.* ℥ij.
hermodact.ver.turbith.alb.& gummos.an. ʒj.
lign.sassafr.guajac.rad.sarsapar. an. ℈ij.
M.F. ☿. *tenuiss.* & cum *sir.fumar.q.s.elect. molle.*

Hujus in tres partes diremti mane pars una sumatur per tres continuos dies cum regimine. Si quando nimium *purgare* videatur, alternis diebus eo uti liberum esto. Post hanc *purgationem* mane & noctu sumat *mixturæ* gtt. 40. ex quolibet vehiculo.

Rec. *Ess.trifol.fibr.fumar.lignor. an.* ʒij. *M.*

Suo tempore bibat per 14. dies *liquorem betulæ.*

Mylothri *uxor.* §. Mylothri Fabri murarii in Pheghimanto uxor jam per 14. dies decumbit. Frigus, æstus, *cephalæa*, punctio in latere &c. *tussis* & *spiratus difficilis.* Adhibuerunt nescio quæ a nescio quo. Quinque sunt dies ex quibus non tantum delirat, sed obsurduit ita, ut loquentes quamvis satis clare non intelligat. Rem periculo non vacare cum dixissem, imperavi mane sudores ex *diascord. Frac.* ʒij. ♉. *diaphor. CC. philos. an.* ʒß. tripartitim diremto, propinarique volui cochleatim:

Rec. *Aq.fumar fl.samb. an.* ℥iij.
♉ *diaph. CC. philos. an.* ℈j.
sir.card.bened. ℥ß. *mixt.simpl.* ʒß. *M.*

Unicuique brachio *vesicatorium* affigatur. Abstineat a Vino. (d. 16. *Febr.*)

Adenarii *uxor.* §. Adenarii *uxor* (d. 12. *Febr.*) Heri bene habens, hodie post longas *oscitationes* & leve frigusculum tota rursus prosternitur. In suspicionem *febris occultæ* veni. Nam alternis diebus eam magis ægrotare observatum. Jussi hodie cum nuper ordinatis pergere & cras ⊡am adservare, collocandam in locum frigidum sedimenti gratia. (d. 15. *Feb.*)

Caproeni *uxor. Metus phthiseos.* §. Caproeni *uxor* (9 *Feb.*) in novas sollicitudines abrepta est; Hactenus adeo bene valens in publicum prodire constituerat; præterita nocte *phlogosi*, *anxietate*, *formicationis*, subter cutem totius corporis, sensu, affecta hodie mane *sanguinem floridum in copia sat larga exspuit*, qui bone DEUS! terrores, quæ hominum convocatio! Ad me accitum misera: jam, inquit, video me perisse, loco *hydropis*, quem metueram, nunc *phthisi* confirmata me laborare video. Intuens in vultum roseum, in brachia torosa, in sermonem vivacem, in corporis motum agilem, quære de *tussi*, de *dyspnœa*, de *sudore*, de aliis *phthisin* comitantibus? nil horum. Ponderatis omnibus, non inquam, adest *phthisis.* Mensium tempus instat

ſtat, ſanguis ebullit, recluſa via ordinaria per ſcreatum ſemet exonerat. Ablacta puſionem, redibunt *menſes*, cruenta ſpuitio ceſſabit, prodi foras in publicum, eſto bono animo, medicamentis opus non eſt. Sic diſcedens, ſululans trifolium ſtolidum, matrem, maritum, & uxorem reliqui. (d. 18. *Feb.*) XIV.

§. Sudationes uxori LAURENTII (d. 12. *Feb.*) bene ceſſerunt. *Facies* multum *detumuit*; Oculi aperiri poſſunt, tumores in fronte non quidem ſubſederunt, ſed indolentes facti ſunt. Dolor acerbus in vertice capitis. Ordinavi purgans: Laurentii *uxor.* *Suſpicio lu-is.*

Rec. *Extr. cathol.* ☿ *ii dulc. rit. par. an.* ℈j.
F. pil. nr. xxv. de ☉. *pro* 1. *doſi.*

Bibat poſtea mane & noctu *aquæ antivenereæ* MUSITANI hauſtum calide:

Rec. *Rad. ſarſapar. minut. inciſ.* ℥ij.
viſc. quern. raſ. CC. & ebor. an. ℥iß.
♁. *crud. lap. pumic. utrorumq; in pet. ligat. an.* ℥iij.
Conc. cont. digere cum ℔. *x. aq. font. per 24. horas, poſtea lentiſſ.* △. *coq. ad conſumt. mediet. ſub finem addendo cinnam. ac.* ʒij.

Vertici capitis pulvillum conſuetum *e caſtor. aſſ. fœtid. & ſuccino.*

§. Neandri *filiola*, de qua 11. *Feb.* dictum, quod *lumbrici lati* fruſta excernat, ante triduum cœpit algere vix ſenſibiliter, æſtuare magis, ſitire, laſſari, *gena nunc dextra, nunc ſiniſtra, eminenter rubente.* Heri mitius habuit, hodie frigus pomeridie magnum, æſtus non minor, *pavores*, immenſa ſitis, preſſio circa præcordia, tuſſicula: Interrogata ſibi *ventrem dolere* dicit, alvus magis eſt conſtipata, quam fluida. Ob genarum alteram ſemper rubentem, hæc a dentitione fieri probabile eſſe dixi, quamvis aliquid febrile certo adſit, & forte verminoſa pullities ſymbolam addat. Dederunt jam his 2. diebus *Pulverem rubrum pannonicum* & *marchionis*, quin & *aquas ſtillatitias fl. til. & acac. cum ſaccharo canto.* Ego ſequentia ſuaſi: Neandri *filiola.* *Dentitio.*

Rec. *Pulv. march.* ʒß. ⊕. *ppt. gr. xv. M.*
Dentur hac nocte & cras mane 2. cuſp. cult.

Rec. *Aq. fl. til. gramin. an.* ℥j. ⊖ ✱. *aniſ.* ℈j.
ſir. papav. err. ℥j. *fl. perſicor.* ʒij. *M. cochleatim.* (d. 15. *Feb.*)

§. Apud Siderolithi *uxorem* lochia rite nec ulla cum moleſtia fluunt, ipſaque per omnia bene habet, non indigens ulteriori medicatione. Siderolithi *uxor.*

XV. XV.

Mercurius iterum aſcendendo quinti gradus medietatem attigit. *Thermometrum* idem, quod heri. Dies, qualis heſterna.

Neandri *filiola.* §. Neandri *Filiola* ab adſumtis pharmacis hac nocte multum levata per totam diem, præter laſſitudinem, optime degit, quapropter, ut heri ordinatis diligenter inſiſterent, ſuaſi. (d. 16. *Feb.*)

Spiraculi *filiolus.* *Variola.* §. Spiraculi *Filiolus* biennis ante triduum conqueri cœpit de *dolore ventris*, bis vel ter vomuit, valde æſtuavit, ſitivit, heri veſperi & nocte præterita ter *convulſiones epilepticas eſt* paſſus; alvus eſt adſtricta. In femoribus hinc inde puſtulæ. Pronunciavi de *variolis.*

Rec. *Aq. fumar. fl. til. an.* ℥ij.
pulv. march. C. C. philoſ. an. ℈j.
mixt. ſimpl. ℈ß. *ſir. fl. pœon.* ℥ß. *M.*

Detur cochleatim. Potui admiſceatur *aqua fumariæ.* Fontanellæ capitis *emplaſtrum theriacale.* Regimen non ſit admodum calidum. Caveant ab omnibus tam in quam externis alvum ſollicitantibus.

Regimine nimium calido vehementer apud varioloſos & morbilloſos peccatur. Perículoſius tunc ægrotant & exanthematum copia majore fœdantur. Calor ſi talis ſit, qui transſpirationem non impediat, ſufficit. Pejus autem agitur cum miſeris, quum adſtantes ex naſutarum & χορτοφυακκόντων muliercularum conſilio conſtipatis alvum reſerare audent. Sic autem exanthemata retrocedunt, ægri difficulter ſpirant, & animam utplurimum efflare coguntur. (16. *Feb.*)

Tigurini *filiolus.* §. Tigurini *Filiolus* 5. annorum, lætus quidem, attamen *macreſcere* incipit, noctu æſtuat ſine ſudore, plus ſitit quam eſurit, laſſus eſt, *tuſſicula ſicca* laborat. *Cruſta lactea* nunquam laboravit, nunc autem in utrisque pedibus puſtulæ ſurgunt valde prurientes, quæ poſt frictionem ſerum limpidiſſimum plorant.

Rec. *Specif. antatroph.* ʒij. *ſacch. perlat.* ʒj. *M.*
ſum. ter in die 2. cuſp. cultr.
Rec. *Aq. acac. fumar. an.* ℥ij. *capon. Mynſ.* ℥iß.
conſ. alk. c. ʒj. *ſir. fl. tun.* ʒiij. *M. D. cochleatim.*

Potui ordinario incoquatur *raſ. lign. ſaſſafr.*

Mactarchus. §. Mactarcho (d. 12. *Feb.*) ad promovendam digeſtionem (*tuſſis* enim & *raucedo ceſſarunt*) commendavi *abſinthium compoſitum*, *ſpecies*

nempe

nempe *pro nodulo*, urceo vino veteri repleto immergendo, & semper aliud *vinum* supplendo, quamdiu amarities a speciebus in illud derivatur. In quolibet pastu bonum, eumque primum haustum de hoc vino bibat: XV.

Rec. *Com. absinth. mj.*
herb. trifol. fibr. card. bened. summit. cent. min. an. mß.
bacc. junip. rad. caryophyllat. an. ℥j.
cal. arom. cinnam. opt. an. ʒiij.
cort. aurant. sicc. ℥ß. sem. anis. ʒj. M.
Conc. cont. D. (d. 20. *Febr.*)

§. Urina *uxoris* Adenarii erat colore & sedimento naturalibus, nihil proinde in ea febrile. Non tamen dubitavi pilulas nuper ordinatas ita mutare: Adenarii *uxor.*

Rec. *Extr. cort. peruv.* ʒj. *gentian.* ʒß.
lign. aloës. ℈ß.
balf. peruv. ℈j. *ol. caryoph. gtt. iiij.*
diaph. ♃al. ʒj.
cum elix. propr. F. pil. pond. gr. j. consp. ☿. liquir.

Dosis & modus utendi, qui priorum. Cum *mixtura* & *balsamo stomachicis* pergat. Parari sibi curet *gelatinam caponis cum pede vitulino*. Bibat interdum *emulsionem amygdalinam*. Dixerat Logili *ancillam* valde laudasse *essentiam absinthii* ab hera sua confectam, qua quippe ad inappetentiam nil detur præsentius. Dissuasi medicamentum excessive calidum. (d. 21. *Febr.*)

§. Temnander (4. *Febr.*) levamen summum a *pulvere* interea bis repetito sentit, quin & in utrumque latus decumbere potest. Temnander.

§. Machetes 46. circ. annorum, *podagricus*, *arthriticus*, *picrocholus*, per totum fere annum lecto affigi solitus, vere *clinicus*, conqueritur de *cephalalgia periodica* vesperi circa quintam horam frontem cum oculis occupante & ad octavam usque durante. *Phlogoses* adsunt, *ructusque amari*. Carnes aversatur. Machetes. *Cephalaa.*

Rec. *Aq. laxat. Vienn.* ℥iij. *cinnam.* ʒß.
fir. de cich. c. rh. ʒvij. *M. pro 1. dosi.*

Naribus attrahatur crebro *pulvisculus*:

Resp. *Elæosacch. errhin.* ʒiij. *pulv. euphras.* ʒj.
elater. ⊕'i *alb. an.* ℈j. *M.*

§. Vina-

XV. Vinariensis. Phthisis.

§. Vinariensis, de quo 4. *Jan.* 17. *Ejusd.* me iterum consuluit, quod suo loco notare sum oblitus. Tussis adhuc valde molesta cum sputo viscido & *asthmate*. Potus *theiformis* continuetur. *Pilulæ sumantur* nr. v. antemeridie hor. 10. & noctu ante somnum:

Rec. *Extr. helen. liquir. an.* ℥ß.
diaph. ♃ *al. tereb. cypr. cl. an.* ʒij.
fl. benz. gum. ✱. *an. gr. xv.*
lact. ♁. ʒß. *M. F. pil. nr.* 180.
consp. ℞. *rad. flor.*

Noctu ante *pilulas* per fistulam tabacinam attrahat fumum *pulvisculi* talis:

Rec. *Fl. anth. salv. an.* ℥ß. *succin. a.* ʒj.
caryoph. arom. n. iiij. *sacch. canar.* ℈ij.
F. ℞. *grossus.*

Ab his levatus adeo sibi placebat, ut in publicum prodiens functionem obiret suam, appeteret melius, anhelaret liberius, intra biduum vix unquam tussiret. Recruduit nudius tertius tussis ferocissima, commisso errore plane nullo, hodieque asthma molestissimum. Ordinavi ℈iiij. *sperm. cet.* pro 2. dosibus ex lacte calido saccharato sumendis, hodie noctu & cras mane, intercalata cochleatim *mixtura pectorali ex aq. acac. hyssop.* R. *croc.* -⊖ ✱. *anis.* & *sirubo balsamico.* Roganti, utrum LIMONATAM ex dimidio aquæ & vini cum succo & corticibus citri, saccharoque potare liceat? cum moderamine concessi. Metuo mihi de hoc ægro. [d. 19. *Febr.*]

Nezelii uxor.

§. Nezelii *uxor* (17. *Ian.*) heri pomeridie, fortasse rursum ira percita, *vertigine* corripitur, *cephalæa* in *occipite* & *nucha*, *torminibus ventris, deliquiis hystericis. Menses* rursum per 6. *septimanas substiterunt.* Linguæ motus interdum sistitur, ut loqui non possit. Ordinaveram 3. *Ian. pulverem præservativum antapoplecticum*, quem non nisi bis assumsit, adeo difficilis ad medicamenta, ut *Medico* negotium majus, quam alii 10. ægri facessat. Ne nihil egisse viderer, suasi *Essentiam succini* ter in die ad gtt. xx ex aqua *melissæ*, *balsamumq;* meum *cephalicum* consuetum & jam aliquoties descriptum. Hanc mulierem, summe iracundam, aliquando subito *apoplexia forti* sublatum iri credo. Fortassis & uteri *nova* hæmorrhagia pro foribus est.

Postea

XVI. XVI.

BArometrum & Thermometrum in eodem statu; quo heri. Dies clara, serena, temperata.

§. Neandri *Filiola* per totam diem hilaris fuit, nulla vel frigoris vel æstus alteratione percepta, neque, ubi alvum solvisset, *verminosi* quid repertum. *Dentitionem* igitur solam ista symptomata excitasse dicendum, quod jam a semestri multoties vidi, pusillos nempe periculosius, quam alio tempore, dentisse. (d. 18. *Febr.*) Neandri *Filiola.* *Dentitio.*

§. Nisseti *coqua* (d. 12. *Feb.*) sufficienter ἄνω & κάτω purgata, plurimaque, quod dicit, *bile*, exhausta, jam optime valet. Vulgus credit, omne amarum, quod evomunt, *bilem* esse, & quidem in ventriculo hospitatam. Hinc ajunt frequenter, *se ultra mensuram fellis evomisse.* Medicus tales prudenter suo sensu abundare permittit, quum contradicendo rem non bene tenere videatur. Interea novit per stomachi in vomitibus motum violenter perversum *bilem* e duodeno in ventriculum abripi, & quemadmodum pauxillum fermenti totam massam fermentat, ita pauxillum *bilis* omnem stomachi amurcam amarore inficere solere. Loquendum cum vulgo, sentiendum cum doctis. Nisseti *Coqua.*

§. Lanikiæ *Oxopolidis filia* 14. annorum ex inordinata diæta contraxit pallorem, *asthma*, lassitudinem, *cordis palpitationem*, arteriarum in collo nimiam pulsationem, inappetentiam, sitim, *cachexiæ*, si non *chloroseos*, *præludia*, forsan mox quoque catullire inceptura. Urina est aquea, pallida, sine sedimento. Cum plerumque in his affectibus lympha lentore peccare soleat, scripsi *2. pulveres digestivos* binis noctibus e jure calido sumendos: Lanikiæ *Filia.*

Rec. *Rad. ar. ppt. Tart.* ⊕*lat. an.* ℈j. *M.*

Postea *purgans* consuetum e *pulv. cornach.* ʒß. & *elect. psyll.* ʒiij. Denique *pulverem chalybeatum* mane & pomeridie insequente motu ad 3. cusp. cultri sumendum:

Rec. *Alcohol. chalyb.* ʒvj.
diaphor. ♂*al. cinnam. opt. an.* ʒj.
croc. austr. ⊖. *CC. vol. an.* ℈j.
elæosacch. mac. ℥ß. *M.*

Electuarium e psyllio amo, quod sit purgans mite, valde tutum, acrimoniam in corpore magis demulcens, quam aliorum plerorumque *purgantium* more augens, vias quoque simul lubricans. Quamvis e compositione nonnulla commodissime omitti posse, v.gr. *violas, spodium de ebore,*

XVI. *santala, rosas rubras, semina berberum & fumariæ, rasuram eboris, myrobalanos, &c.* libenter fatear, electuario sine his non infelicius operaturo. Tametsi tam insolenter in hoc medicamentum debacchandi caussam ZWÔLFERUS habuisse nullatenus dicendus est.

Ichthyboli *filiola.* §. Ichthyboli *Filiola* post exantlatum morbum recuperatis insolidum viribus, fere nil nisi cibum per totum diem petenti, laxativum sequens proficuum futurum putavi:

Rec. *Magist. gial. gr. iiij. sir. de cich. c. rh.* ℥ß.
aq. cinnam. ʒß. *M.*

Concinnius ordinare poteram, sed erat gustui serviendum, & cogebar excogitare pharmacum parcæ molis, grati saporis & in forma *sirubi.*

Ægris propemodum omnibus, postquam convaluerunt, laxativum, cæteris paribus, præbere, neque sic infeliciter medicari soleo.

Mylothri *uxor. Mania.* §. Mylothri *uxor* (14. *Febr.*) medicamenta sumsit, sudavit, vesicæ sunt brachiis affixæ: perpetuæ tamen vigiliæ, perpetua deliria. Non admodum calet, nec sitit, surgit & ambulat. Quid si *maniaci* quid adsit? Jussi *vesicas* deligari emplastro de minio, cui admixta pars quarta emplastri vesicatorii. Tale quid in usu habeo, quoties commodum videtur vel utile, ut diu vesicæ fluant; quas ubi visum est sanare, solum adhiberi curo *ceratum de minio.* Dentur ter in die gtt.xxxx. de *mixtura* in quolibet vehiculo, mane sc. circa meridiem & vesperi.

Rec. *Tinct. ♂. helleborat.* ʒij. *ess. anod.* ʒß. *M.*

Noctu autem novem *pilulæ*:

Rec. *Extr. helleb. n. castor. papav. com.* an. gr. vj.
F. pil. n. xviij. pro 2. dosibus. (d. 59. *Feb.*)

Grapteris *filiola. Febris.* §. Grapteris *filiola febricitat* a quatriduo; vesperi hora quarta friget, frigore per 1½. horas durante æstuat usque ad octavam:

Rec. *Magist. gial. gr. vj. sir. de cich. c. rh.* ℥ß.
aq. cinnam. ʒß. *M. pro 1. dosi.* (d. 20. *Feb.*)

Filiolus. Tussis. Ejus *filiolo* adhuc vehementer *tussienti*:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥ß. *sperm. cet.* ʒj.
sir. viol. ʒiij. *~⊖ ✱ci anis.* ℈ß. *M. D. cochleatim.*

Spiraculi *filiolus. Variola.* §. Ex quo *variolæ* comparere cœperunt, SPIRACULI *filiolus* [d. 14 *Feb.*] non amplius convulsus fuit. Oculi dolent & pustulis obsitæ sunt *palpebræ*, nares obstructæ sunt, *variolæ* catervatim prodeunt. Præter aquam fumariæ quælibet interna fastidit.

Rec.

Rec. *Mucilag. liquidior. sem. psyll. c. aq. fœnic. extr.* ℥ß. XVI.
croc. austr. opt. lævigat. ℈ß. *M.*

Illinantur *palpebræ* ter, quater in die. Naribus immittatur *elæobutyrum majoranæ*. Calor sit temperatus. Alvus non sollicitetur. [d. 24. *Febr.*]

XVII.

XVII.

Mercurius extremitatem quarti gradûs attigit. Liquor *thermometri* per unam lineam descendit, signum aëris aliquantillum frigidioris. Dies erat serena.

§. Urceolus *eclegmate* Grapteris *filiolæ* heri ordinato impletus ad me deferebatur, ut, si medicamentum esset rite paratum, cognoscerem; speciem enim referre *unguenti viridis potabilis*. Et revera non ineleganter viridescebat. Recordabar autem me *sirubo violarum* addidisse ~um ⊖is ✱ci, unde color cæruleus, ceu ab admixto *alcali*, mutatur in viridem, quemadmodum ab *acido* in rubicundum. Sapor vero rancidus *eclegmatis* prodebat *amygdalarum oleum* non admodum recens expressum, quale quidem recipere *Pharmacopolam* non decuit. Nam oleorum rancidorum usus internus, si non est plane noxius, æque tamen atque recentis utilis esse non comperitur. Propterea scribere solemus: ℞. *olei amygdalarum dulcium rec. expressi &c.* Rancidum vermiculis scatere scribit alicubi ETTMÜLLERUS, immo rancorem ipsum definit, quod ejus essentia consistat in congerie mera vermiculorum. Quod, si ita se habet, cuilibet patet, quam absonum sit rancida propinare! *Num oleo insit acidum*, disceptant Auctores; Illustri WEDELIO & BARCKHUSIO negativa placet, ETTMÜLLERO, LANGIO &c. affirmativa. Nostrum *eclegma* negantibus favere videtur: Nam, *si acidum oleo dulcium amygdalarum* inest, cur *sirubus violarum* non rutilescit? si viscositatem obtundere dicas illud *acidum*, regerere fas sit, atqui viridescere hunc *sirubum ab alkali* ⊖✱*ci*, cujus spicula æque ab hamosis olei partibus inviscari debebant, ut virtutem in *sirubum violarum* exserere non possent. Vel certe, si *acidum* inest *oleo*, admixtione *alcali sirubus violarum* suo colori relinquendus erat, *alcali* & *acido* in tertium *enixum* abituris.

§. Lycosconi *Filiolus* triennis heri semel vomuit, æstuans postea & somnolentus nihil cœnavit, potui soli inhians. Noctem transegit valde inquietam, hodie mane rursum vomuit. Expavit aliquoties, æstus & sitis magni; Dolere se dicit ex ventre. Alvum a 24. horis non deposuit. Suspicor de *variolis*. Omnia medicamenta valdopere aversatur. Ordinavi pulvisculum in nodulo potui ordinario immergendo; Lycosconi *filiolus*. *Variolæ*.

XVII. Rec. *Bez. mineral. cryſtall. ppt. CC. uſt. ppt. an.* ʒß. *M.*

Periculum faciant, utrum aquam *fumariæ* potui admixtam bibere velit, itemque de ſeq. mixtura ſitiens noctu cochlear unum vel alterum:

Rec. *Aq. fumar. fl. til. roſ. an.* ℥j.
ſir. fumar. viol. an. ʒij. *M.*

Iterum moneo, me adæquata magis ſcribere potuiſſe, dummodo per ægri vel nauſeam vel malitiam licuiſſet.

Regimen ſit temperatum. De conſtipata alvo ſolliciti ne ſint. (d. 18. *Feb.*)

Palliduli *Filiola. Motus convulſivi.*

§ Palliduli *filiola* 12. ſeptiman. a partu ſemper quaſi ſpiritum e pulmonibus expreſſit, (Es hatt gedrukkt.) mammam non ſuxit, præbito potui ſtatim decocto: per anhelitus illam expreſſionem *bubonocelem* contraxit, a biduo obſervantur motus inteſtini convulſivi, creberrime expaveſcit, circum oculos & labia liveſcit. Moriturus intra breve tempus videtur. Ut parentibus ſatisfieret, ordinavi cochleatim:

Rec. *Aq. fl. til. ceraſ. n. an.* ℥iß.
pulv. march. ſpecif. cephal. an. ℈j.
ſir. fl. pœon. ʒiij. *M.*

Vertici, nuchæ, temporibus:

Rec. *Ol. N. M. expr.* ℈ij. *ſuccin.* ℈j.
axung. caſtor. ʒß. *M.*

Fontanellæ capitis & ſcrobiculo cordis *emplaſtrum theriacale.*

Quid enim δεχσικοῖς, pretioſis, inſuavibus miſellam, mortis candidatulam, exercerem?

Novi Medicum, qui nobili cuidam infantulo agonizanti præbuerat aliquot guttulas *liq. CC. ſuccinati*, quibus vix infuſis animam exhalavit. Medicamenti, quod poſtea guſtaverant, violentiæ mortis accelerationem detulerunt Parentes, Medico in faciem exprobrantes, quod infantulum occidiſſet. Nec ab illa opinione ſe abduci adhucdum patiuntur, quamvis aliud ipſis, in gratiam illius Medici, perſuadere conatus fuerim. Præterlapſi vero ſunt ab eo tempore jam Anni ſeptem. Caveat igitur ſibi, qui legit illa, novellus *Practicus.* (d. 18. *Feb.*)

Neandri *Filiola major. Variolæ.*

§. Neandri *major natu filiola* eadem plane ſymptomata, quæ *filiolus* Lycoſconi, heri & hodie patiens, idem variolarum prognoſticon meruit. Cochleatim præbeatur:

Rec.

Rec. *Sem. melon.* ℥ij. *aquileg. nap. an.* ℥ß. XVII.
aq. fumar. fl. til. an. ℥ij. F. *l.a. Emulſ. add.*
bez. miner. pulv. march. an. ℈j.
ſir. papav. errat. ℥ß. *M.*

Fumariæ ſtillatitia cum ordinario potu. Regimen temperatum. *Minor. Tuſſis.*

Filiolæ minori, idem quod Grapteris *filiolo eclegma*, valde enim, noctu cumprimis, tuſſit. Geſtio cras videre, utrum & hoc in alia officina paratum *virorem* ſit exhibiturum?

§. Obſignaturus curationem Evandri (14. *Feb.*) laxativo medicamine, petenti pilulas, tales ordinavi: Evander.

Rec. *Extr. cathol. gr.* xij.
magiſt. gial. ſcammon. an. gr. vj.
F. *pil. nr.* xvj. *de* ☉. *pro* 1. *doſi.*

XVIII.

XVIII.

MErcurius intra lineas 1½. gradus quarti ſubſtitit; liquor *thermometri* duas lineas ſupra ſecundum gradum implevit. Frigus igitur auctum fuit hac die, quamvis valde ſerena.

§. Neandri *filiola* major natu hodie fuit hilaris: nulla adhuc variolarum veſtigia: calor deferbuit, heri veſperi convulſa eſt, ſæpe digitum in os intruſit. Signum dentitionis. Juſſi tamen, ut emulſionem dare ne deſiſterent & ab aëre frigido puellam arcerent. Neandri *Filiola.*

Ordinatum in alia quadam officina *Filiolæ* natu minori *eclegma*, de quo heri, cum hodie contemplarer, virorem non oſtendebat. Siccine igitur cadit, quod heri de viriditate *eclegmatis* Grapteris filiolo ordinati judicaram, hunc nempe colorem ♈*ui*⊖✱*ci ſir. violarum* admiſcendo deferendum? Minime. Cardo rei verſatur in mixtionis modo & ordine. Si enim ♈⊖✱*ci. Sirubo violarum* ſtatim commiſceatur de viriditate nullum eſt dubium; Si vero *ſperma ceti* tritum ſucceſſiva admixtione *oleo amygdalarum dulcium* uniatur, *ſirubus violarum* addatur, tritura quoque miſceatur & deniqueſeu poſtremo ♈⊖✱. adjiciatur, hoc alcali volatile in *ſirubum violarum* jam *olei ſpermatisq;* compedibus vinctum agere non poteſt: Et hic ultimus mixtionis modus eſt optimus: Cur enim *alcali volatile ſirubo violarum* maturius admixtum, per ſuccedentes demum trituras cum *oleo & ſpermate ceti* evaporet? (d. 19. *Febr.*)

§. Heriëlia *Netrix* 24. annorum ab infantia fere *cephalææ* obnoxia nudius tertius poſt horrorem æſtu, ſiti & ſiniſtri lateris punctorio dolore Hericlia. *Pleuritis ſpuria.*

XVIII. dolore cum tussicula sicca spirituque anhelo, & summa lassitudine correpta fuit. Non potest decumbere super latus affectum. Ipsa me hodie in ædibus meis convenire est ausa. *Pleuritis* videtu r *spuria*.

Rec. *Dent. apr. phil. los. calc. Oc. ♋ crud. cont.*
ⴲ. ♁ iat ♁. nat. ppt. an. ʒj.
♁ .ij. diaphor. ℈ij. extr. pap. err. ℈ß. M. F. ℞.

Sumantur singulis 6. horis 2. cusp. cultri, ex vehic. sequenti etiam seorsim per cochlearia hauriendo:

Rec. *Aq. card. Mar. charefol. an ℥iij.*
mixt. simpl. ʒj. ess. anod. ʒß.
sir. papav. err. ℥ß. M.

Lateri dolenti *linimentum*:

Rec. *Ungu. de hyosc. ʒvj. pingu. mur. mont. ʒiij.*
ol. carv. ʒj. M.

Maneat in conclavi calido. Conferat se in lectum. Provocetur tenuis udor. Abstineat a vino, & omni potu frigido. (d. 23. *Feb.*)

Capræni *uxor.* Iterum invisi Capræni *uxorem.* (d. 14. *Feb.*) Altera post nuperum discessum die multum adhuc floridi sanguinis cum euphoria exspuit. Ante biduum pusillum ablactavit. Satis bene habens non nisi de phlogosibus queritur. Expectare jussa *Lunæ decrementum*, & postea bibere infusum, mane ad ℥vj. calide, &, si vel non, vel bis saltem alvum moveret, pomeridie quarta repetere:

Rec. *Rad. apii, filic. rub. tinct. petrosel. an. ℥ß.*
herb. cuscut. meliss. puleg. matricar. an. mß.
rad. bryon. ℥ß. gialap. mechoac. a. an. ʒiij.
fol. senn. el. ℥iß. sem. cartham. ʒvij.
flor. calend. cheir. an. p. ij.
agar. troch. ʒiij. mac. ʒj. croc. ℈j.
limat. ♂. fin. ℥j. ⊖. Tart. ʒij.

Conc. cont. affund. in urceo mundo mens. ß. aquæ ferventis, & ubi per horam steterint, vini albi, veteris, frigidi mens. j. stent per noctem loco calido, hinc ad usum supra dictum destinanda. (d. 4. *Mart.*)

Lycosconi *filiolus.* *Variola.* §. Lycosconi *Filiolus* bibit quidem de nodulo pulverulento, sed ne guttam *aquæ fumariæ*, neu *mixturæ cochleatim hauriendæ* assumsit, nec quidquam comedit. Heri binas sedes habuit, præterita nocte rursum vomuit, & aliquid sanguinolenti. Æstus magnus, somnolentia, *dysæresthia*, *Variolarum* numerosa pullities, sed minimarum subinde retrocedentium, subin-

ſubinde comparentium. Juſſi, quum interna nullatenus admitteret, *veſicas* in brachiolis duas excitare. Recuſavit puellus, materque & avia ejus ejulatibus actæ & victæ vim inferre noluerunt. Hac igitur veſpera in pejus omnia ruunt, variolæ rite non prodeunt, ab omni potu vomiturit, pallet, anhelat, frigidum in fronte ſudat, linguam & manus inconſueto more motitat. *Convulſionum* prodromi. Finem nos vix aſſecuturos eſſe, cum media reſpuantur, ſalutique nil, niſi DEI miſericordiam, relinqui, dixi. (d.22. *Feb.*) XVIII.

§. Palliduli *filiola* hodie mane adhuc, &, me quidem opinante, aliquanto melius vixit. Periculum faciendum judicavi cum ☉. *fulmin. gr.ij. & arcan. dupl. gr.iij.* quo], ceu anchora ſacra, frequenter utor. Sed circa meridiem exſpiravit, me adhuc ignaro, *pulverem* aſſumſerit, nec ne. Palliduli *filiola.*

§. Tigurini *Filiolus minimus* 9. menſium ante biduum inquiete dormire, multum vociferari, pavere, ſitire cœpit; nulla alvi laxitas, nulli borborygmi, ructus, ſingultus, vomitus. Vehementer tamen tuſſit. Intentio convulſionibus & tuſſi dicata, quæ utraque dentitioni difficili accepta fero, per experientiam edoctus *pueros alvo conſtipata exiſtente periculoſius aliis dentire*; Ordinatum igitur & huic *eclegma* GRAPTERIS *Filiolo* & NEANDRI *filiolæ* ſcriptum, aucta ⁓⊕✱*ci* ad ℈ß. doſi. Quod per vices exhibeatur cum mixtura pone ſequente cochleatim: Tigurini *filiolus minimus. Convulſiones. Tuſſis.*

Rec *Aq. fl. til. ceraſ. n. an.* ℥ij.
pulv. march. ſpecif. cephal. an. ℈j.
eſſ. anod. ʒß. *ſir. fl. pœon.* ʒiij. *M.*

Mixturam libenter, *eclegma* difficulter admiſit, quod idem quoq; mihi guſtu exploranti rancere viſum eſt, e tertia officina petitum. *Sperma ceti* pretio multum hac hieme auctum eſt, anſam procul dubio porrigentibus quoque catarrhis per univerſam Germaniam epidemicis, unde magna hujus conſumtio. Cum autem flaveſcens & rancidum longe vitioris conſtet, Pharmacopolæ, qui conſcientiæ ſuæ mancipia non ſunt, fortaſſis hoc præ recenti & albo ementes, rancidius illis venundant, de quibus ſibi perſuadent, medicamentum a *Medico* nec viſum iri, nec guſtatum. Etiam hoc *eclegma* non viriduit, ut confirmer in ea ſententia, in modo & ordine mixtionis non eſſe leve momentum. (d. 19. *Feb.*)

D. 13. *Aprilis* 1708 a nobili Magiſtratu requiſiti. Phyſici inſpeximus JOH. EBERHARDUM, *Proſelytum Judaicum* 24. annorum. Oſtendebat in genu ſiniſtro *tumorem magnum & dolorificum*, & ſub iſto genu, ſuraque quatuor abſceſſus anguſtos *ichorem* continuo plorantes. Dixerat, ſe Eberhardus. *Ulcera cacoëthea pedum.*

XVIII. se jam ultra trimestre, & prius, quam Christianam *religionem* amplexus esset, eo dolore, postea *abscessibus* afflictum fuisse, nullius externæ caussæ sibi conscium; A binis *Chirurgis* alicubi multa frustra perpessum huc denique *religionis* caussa profectum, sibique laudatam fuisse mulierem, SCHLEHEHAUFFIAM, *medicastram*, quæ *litus* adhibuerit suos facta convalescentiæ spe certa. Sostrum petiit Canidia, 6. florenos, quibus solvendis cum par non esset pauper *Proselytus*, res ad SERENISSIMUM delata fuit, nobisque mandatum, ut, quo pacto juvari posset miser, &, quid medicatrix illa jure sostri poscere possit, indicaremus? Pronunciavimus ægrum adeo non curatum, ut *pinguedinibus medicastræ abscessus* illi sinuosi potius in fistulas abituri videantur, ipseque æger fateatur, se, præter dolorum decrementum, a mulieris cura lucri nihil fecisse. *Thermas nostras ferinas* fortasse opem laturas, quod ni fecissent, alia methodo rem esse tentandam. Maleferiatæ *medicatrici* sostrum adeo non deberi, ut mulctam potius mereatur. *Thermas* DUCALI beneficentia ingressus quidem, ast, qualis abierat, redux a nobis & *Chirurgo* jurato d. 31. Maji denuo inspectus fuit. Observatus *abscessus* supra suræ sinistræ partem domesticam, quod *musculum gastrocnemium* & *soleum* longitudine vel profunditate quinque pollicum versus alterum tibiæ sinum terebraverat, 2. Alium magis versus *cervicem genu* per musculum *plantarem* lateraliter ad eundem sinum protensum. 3. Rursum alium in *ipsa genu cervice* illuc quoque euntem, sic, ut trium *abscessuum* sit communio, quippe uno presso per alterius foramen *ichore* profluente. Scrutabamur hos cuniculos sine magno cum ægri dolore, hinc certiores facti, jam eos in fistulas degenerare cœpisse. Sinum tibiæ jamjam esse *cariosum*, hinc *thermas* forte minus salutiferas fuisse, suspicabamur, de ope *Chirurgica* certi nil promittentes. Cum in sinistra quoque manu tumor durus & valde dolorificus in ejus dorso subter indicem digitum *spinam ventosam* minitaretur, totam massam humoralem male constitutam judicavimus. Ex mandato SERENISSIMI cura ejus in *nosodochio* suscepta. *Medici* nos juxta atque *Chirurgi* reliquum nihil diligentiæ fecimus, quamvis autem spes aliqua salutis nonnunquam affulgeret, *febris* tamen *lenta* accedens, cum *tussicula sicca* & *contabescentia* prorsus eam nobis ademit, sic ut heri antemeridie spiritum reddere cogeretur. Corpus hodie secturi sceleton offendimus. Viscera omnia fere salva, exceptis *pulmonibus*, qui non tantum undique *pleuræ* quam arctissime adnati erant, verum & multis *abscessibus* & *vomicis* putida sanie turgidis referti, *Renum* dexter pustulas aliquas in extima superficie monstrabat. *Abscessus* genu sinistri explorantes

ntes & secundum longitudinem dividentes reperimus usque *clunem* si- XVIII.
istram foveas excavasse. Præter pus pertirissime fetidum confluxerat
bi sanguinis e *ramis majoribus* corrosis exstillati,& congrumati, pessimeq;
lentis maxima copia. Os femoris totum periosteo nudatum fuit, ejus
utem *sinus* cum *patella carie* profunda exesi. Septimanis ante mortem
ltimis præ fetore propemodum nemo in ejus conclavi manere poterat.

Abscessus *externi* rebelles, diuturni, de internis alicubi præsen-
bus fere semper testantur, sive sint in *pulmonibus*, seu *mesenterio*, vel alio
uodam interno viscere. Hinc *febri lenta* tales ægroti conficiuntur.

Cum raro nanciscamur occasionem incidendi corpora *Judæorum*,
irile quoque *proselyti* hujus *membrum* lustravimus. Erat autem glans,
d frenum usque, plane nuda, nec ullius præputii, nisi eo loci, ubi olim
ræcisum erat, vestigium; sic ut rectissime *circumcisio* actus ille nominetur.

XIX.

XIX.

BArometrum, quale heri. Liquor *thermometri* secundum gradum usque
ad unam lineam attigit, adeoque hac nocte & fere tota die per tres li-
eas cecidit. Frigus proinde intensum nocte dicta ingruit, & hucusque
erseverat. Vinitores sibi metuunt de vitibus etiam sub terra sepultis, &
gricolæ de germinibus agri. DEUS avertat omne malum ulterius. Quia
um prima Lunæ quadratura frigus auctum fuit, metus est, ne crescente
una idem de die in diem augeatur.

§. Neandri *utraq; filiolæ* tota die quidem sunt hilares, edunt, bi- Neandri *filiolæ.* *Symptomata febrilia.*
unt, lusitant; pomeridie tamen quarta somnus obrepit, non diu durans,
um insequente æstu & sudatiuncula: Dein rursum ad se redeuntes cœ-
ant & quiete dormiunt. Quamvis igitur *dentitioni* multa esse deferen-
a censeam, cumprimis quia malarum dolorem querantur, *febrile* ta-
nen aliquid subesse existimans, præsente simul adhuc *tussi* & *rhonchis*,
axativo opus esse judicavi, & sequens ordinavi cras hauriendum:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xviij.*
☿ii dulc. ℈ß. sir. de cich. c rh. ℥vj.
aq. acac. par. M. pr. 1. dosi. Filiolæ majori.

Minori eadem formula, eadem ingredientia, hoc solo cum discri-
nine, ut *pulveri cornachini* grana duo, *sirupo de cichoreo* ℥j. subtraxerim.
d. 20. *Feb.*)

§. Tigurini *filiolus* maximus 6. annorum heri meridie de stomachi Tigurini *filiolus.* *Variola.*
lolore questus vomuit. Dixerunt eum placentulas e pasta siliginea fer-
nentata cum eliquato butyro frixas [Fastnachtküchlein.] aliquot come-

 disse,

XIX. disse, stomachum inde fortassean gravatum fuisse. Jussi duo cochlearia *vini Hispanici* propinarent. Hac nocte identidem vomuit, ex stomacho dolet, æstuat, vehementer sitit, pulsus frequens.

Rec. *Aq. fumar. card. bened. an.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥j.
cor. r. ppt. ♁ *diaph. an.* ℈j.
mixt. simpl. ℈j. *sir. pap. err.* ℥ß. *M.*

Detur cochleatim. Stomachi autem regio oblinatur frequenter balsamo:

Rec. *Ungu. pomat.* ℥ß. *ol. NM. expr.* ʒß.
ol. absinth. ℈ll. *balsf. peruv. an.* ℈j. *M.*

A meridie rursum vomuit. Vesperi æstus erat magnus, sitis maxima, cutis arida & sicca, sudoris neque vola neque vestigium. Stomachalis regionis continuus dolor, alvus non obstructa. *Mixturam* pæne exhauserat.

Rec. ♁. *diaph. CC. philos.*
♁ *nat. ppt.* ☽ *ppt. an. gr. viij. M. F. 2.* ℥*es*;

Alter hodie noctu, cras mane alter, cum quolibet vehiculo exhibeantur. Lectus in hypocaustum sternatur, sudor quocumque modo proliciatur, *mixtura* cochleatim propinanda continuetur. *Vesicæ* in utroque brachio excitentur. Potus aqua, in qua panis tostus maduit, cum *sir. rub. id. edulcata* addito *cort. citr. rec.* minutissime inciso (d. 20. *Febr.*)

Saracenus. *Tussis. Asthma.* §. Cum Saracenus sibi mitius habere videretur, *infusum laxativum theiforme* d. 20. *Jan.* commendatum neglexit. Certe nullo suo bono. Increscente nunc aliquo frigore novum *tussit* cum asthmate, dolore capitis, anxietate præcordiali; tussis magis sicca, quam humida. Sumat cum haustu *pectoralis decocti* calido ter in die *mixturæ* seq. *gtt.* xxx.

Rec. ♁. *cochl.* ʒj. *M.*

Cochleatim, quoties libet, sequentem *mixturam*:

Rec. *Aq. veron. hyssop. an.* ℥iij.
♁. *cochl.* ℈j. *Oxym. squillit.* ℥ß. *M.*

Noctu gr. *iiij. pil. de cynoglossa.*

Mylothri *uxor.* *Mania.* §. Mylothri *uxor* (d. 16. *Feb.*) *mixturam* quidem ordinatam assumsit, pilulas autem renuit. Magis indies delirat, ferocire incipit, in adstantes involat, eos objurgat. Comedit, bibit, hocque non nimium. Vires nihil deficiunt. De mania vera non amplius dubitans ordinavi catharticum:

Rec.

Rec. *Tart. emet. gr. iij. Crem. Tart.* ℈j. XIX.
dacryd. gr. iiij. M. pro 1. dosi.

Cum *mixtura* guttatim ſumenda pergant. Bene ægram obſervent
: pro circumſtantiarum exigentia in vincula conjiciant.

§. Ad Acroxyli *puellam* 12. ſeptimanarum, *ex tuſſi ferina* diu pa- ientem, per remediola domeſtica fruſtra vexatam, vocatus, eum video onvulſionibus epilepticis indeſinenter quaſſari, ſudore frigido perfun- i, nil cibi nec potus admittere, in facie livere, paucis dico, tantum non nimam agere. Conclamata eſſe omnia dixi, neque remediis locum. Ro- ant aquam cordialem & odoriferum externum;

Acroxyli *puella.* *Symptomata mortifera.*

Rec. *Aq. confortat. offic.* ℥iß.
fl. til. ceraſ. n. an. ʒvj.
conf. alk. c. ʒß. *ſir. fl. tun.* ʒij. *M.*

Intincta frequenter pluma lingula & labia refocillentur, nil autem ochleari præbeatur, niſi puellus, per DEI gratiam, ad ſe parum redierit. Jaribus admoveatur, temporibusque illinatur ſeq.

Rec. *Liq. CC. ſuccin.* ⁓. *lavend. an.* ʒß. *M.*

Infantibus non minus, quam adultis, ubi *epileptice* convelluntur. nedicamenta deglutienda dare non tantum inutile, verum & noxium eſt. *on enim deglutire poſſunt*, hinc humore gulam irritante genus nervo- ım acrius convellitur, & tuſſis damnoſa excitatur (ſie verkirnen ſich.) Male igitur tunc faciunt Parentes, qui, prolis amore, *aquas epilepticas* ixta & *cordiales* [Kraftwaſſer.] indefinenter infundunt.

Non adeo metuo *convulſiones epilepticas* etiam intra breve temporis patium plus ducenties recurrentes, dummodo paroxyſmi ſint breves, & oſt eos exantlatos puſilli ad ſe quodammodo redeant. At vero, ſi ultra oram indeſinenter urgeant, morte utplurimum terminantur, etiamſi onvulſiones non admodum ſint violentæ. Sic & ubi paroxyſmi quidem piuntur, ſed miſeri tamen torpent, nec ad ſe redeunt, etiam moriun- ır.

§. Dioptrici *uxor*, dilata Vſe. cœpit bibere *infuſum theiforme* .11. *Febr.* ordinatum, ſed tantum ſemel, ſaporem ejus ſibi intolerabilem ſſe cauſſata. Rogavit, annon in *pilulas* mutari poſſet ejusdem virtutis ormula? Urſi *venæſectionem*. Ea hodie celebrata. Sanguis erat glo- ulosus interſperſo muco gelatinæformi, ſeri parum. Ejusmodi ſan- uinem habent, quibus ventriculus eſt debilis, de quo jam ſupra. um *pilulas* nullas vicem *infuſi* ſubire poſſe dicerem, ipſa tamen

Dioptrici *uxor.* *Menſium tarditas.*

XIX. *infusum* est deprecata. Quid facerem? *Pilulas* denique tales mane & noctu duodecim deglutiendas ordinavi:

Rec. *Extr. lign. sassafr. gentian.*
trifol. fibr. an. ʒß. *castor.* ℈j.
diaphor. ♂*al.* ℈ij. *Cor. r. ppt. sang. Drac. an.* ℈j.
Cum balf. peruv. F. pil. pond. gr. j consp. ☿. *liquir.*

Gelatinam CC. & ebor. præscripto nuper modo usurpet; *pilulas* autem eo tempore [scil. 12. *Febr.*) laudatas cum -⊖ d. intermittat (23. *Feb.*)

Dioptrici *ancilla. Mensium suppressio.* §. Dioptrici *ancilla* sufficienter evacuata est a *pulvere* d. 13. *Febr.* ordinato, beneque habuit; sed cum vix per biduum *guttas* assumsisset, menses venerunt, per unicum tamen diem & parce fluentes. Distulerunt usum *guttarum* me non interrogato. Nam pergere melius fuisset, guttarum virtute sine dubio sanguinis effluxum promotura. Longe tamen melius, quam ante *purgationem*, habet. Quærebant, cum hera *infusum theiforme* aut bibere non posset, aut nollet, num huic ancillæ præberi non posset? Adæquatum ipsi non est, ob incrassantia varia eidem admixta. Ob alia tamen ingredientia potiora saltem non nociturum credens concessi, *mixtura* tamen *stillatitia* simul assumta ex R. ♂. *Tart. & succini*. (d. 23. *Feb.*)

Vinariensis. *Phthisis.* §. Vinariensis (d. 16. *Feb.*) *laxativum* accepit crastina luce hauriendum cum debito regimine:

Rec. *Aq. laxat. Vienn.* ℥iij. *cinnam.* ʒß.
sir. de cich. c. rh. ℥j. *M.* (d. 20. *Feb.*)

Plastis *uxor. Purgat post pleuresin.* §. Plastis *uxori* viduæ sub finem anni præteriti *pleuritide* exquisita laboranti suasi; ut, quamprimum vires aliquantum recuperasset, medicamentum catharticum assumeret. Ipsa vero, sumtuum nimis parca, quum nil amplius mali sentiret, consilium neglexit. Hodie conqueritur de lassitudine nova, cum *asthmate* & *inappetentia*. Prognostico me muniens ordinavi *electuarium* mihi consuetum ex ☿ *e cornach.* cum *elect. de psyll.*

Qui ex pleuritide convaluerunt, eos receptis utcumque viribus evacuare necessum est, ni velis, etiam post anni totius decursum, *phthisi* demum correptos interire, quod probe attendendum.

Miles. *Tumor femoris.* §. Soterodactylus, *Practicus* Mastopolitanus sententiam meam exquisivit super *milite* munimenti Parthenici 30. annor. Is ante sesquiannum *dolores rheumaticos* in musculosis partibus brachiorum & circa os sacrum frequenter sentiens, quod cum non supra modum cruciarent, utcumque pertulit, doloreque tandem circa os sacrum aucto, post *litum spirituosum* ad femoris, qua crassissimum est, partem domesticam eum

pepu-

epulit, cum tumore, ut videbatur, inflammatorio, una dolore XIX.
ntra paucos dies usque ad pedis digitos protenſo. Dilataverat ſe præ-
erea inguen ſiniſtrum usque ad genitale cum duritie valde reni-
ente, qſ. ſcirrhoſa. Conſilio & ope deglubitoris vicini diu fruſtra
ſus, adiit, aliorum ſuaſu, *thermas helveticas*, quas nullo modo ſufferre
otens, poſt reditum, a conſulto D. D. Scleronymo, *Medico* Proba-
opolitano, *Decoctum lignorum* cum ſudore hauſit, effectu itidem parum
otabili. Tumore demum ſiniſtri femoris cum duritie quotidie auctis,
ne quoque conſultum ivit. Quis ille ſit proprie tumor & unde trahat
riginem propemodum ignorare cogor. Num ſit *eryſipelatodes*, an *dys-
raſiæ* ſcorbuticæ adſcribendus, an vero, quod aliis viſum, *miasmati venereo*,
uamvis alia ſigna deſint, incertus fluctuo? ſane miles hic olim valens,
obuſtus ac vegetus, nunc incipit pallere, contabeſcere, *anorexia* labo-
are. Reſpondet alvus, urina rubet cum ſedimento lateritio. Nonnullis
maleficium incuſatur. Tuam peto ſententiam.

Reſpondi, morbum mihi videri *lymphaticum*, *ex ſtagnatione lymphæ
n glandulis lumbaribus & inguinalibus ortum*: Diuturnitate temporis
tiam ſanguinem in mali ſocietatem accitum; urinam lateritiam de *febri
nta* teſtari, cachexiam adeſſe, naturam *abſceſſum* vel illic loci, vel alibi
amen, moliri, *dyſcraſiam ſcorbuticam* me concedere, venereum autem mi-
ſma, quamvis militare peculium, non credere. Lympham adquiſiviſſe
entorem & aceſcentiam, malum eſſe difficillimæ curationis, deſperare
amen nefas. Curationem inchoandam *pilulis*.

Rec. *Extr. cathol.* ☿ *ii dulc. rit. par. an.* ℈j.
dacryd. gr. vj. cum eſſ. lign. F. pil. xxiij. pro I. doſi.

Poſtea menſtruus uſus *pulveris* mane & noctu ad ʒß. vel ℈ij. cum
ehic. annexo, eoque calido:

Rec. *Æthiop. miner. rad. gentian.* ☿. *an. q. pl.*
Rec. *Rad ſarſapar.* ℥j. *imperat.* ʒvj.
bardan. ℥ß. *liquir.* ʒij.
raſ. lign. ſaſſafr. ℥ij. *juniper.* ℥iß.
ſummit. pin. mj. herb. trifol. fibr. cochlear. an. mß.
cort. Winteran. chaquarill. an. ℥ß.
caſſ. lign. ʒiij. *ſem. aniſ.* ʒij.

Conc. cont. macerentur vaſe clauſo loco calido per 24. horas, cum
. menſ. aq. font. poſtea digerantur magis, quam coquantur, ad conſumt.

 med.

XIX. mediet. Maneque & noctu cum *pulvere* hauriantur ℥vj. calide, singulis 8. diebus *pilulas* supra laudatas repetendo, qua die a *decocto* & *pulvere* feriandum.

Sub initium cujuslibet pastus guttæ 50 *ess.absinth.comp.* cum primo haustu cervisiæ sumantur, diæta insuper congrua existente.

Foris prævio litu cum *ol. philosoph.* imponatur singulis 12. horis recens *emplastrum de ran. Vig. c.* ☿io *quadruplicato*.

§. Idem scribit, ibi locorum hac hieme epidemice invasisse *pleuritides* spurias, paucas veras, item *febres catarrhales* ac *tusses ferinas*. Situs est propter DANUBIUM haut procul *silva hercynia*. Cum eadem nos torserint mala, hos morbos longe lateque *Sueviam* pervagatos esse innuitur.

XX.

XX.

MErcurius descendit ad tertium præcise gradum: Liquor *thermometri* duos perfecte gradus implevit, per unam igitur lineam rursum adscendit, indicio frigus hesterno aliquantillum mitius factum. Hac nocte nix cecidit profunditate palmari.

Mactarchus. *Colica scorbutica.*

§. Mactarchus (d. 15. *Feb.*) hac nocte fuit impetitus *colica hypochondriaca* sibi familiari. Post medium noctis *clysma domesticum* applicatum dolorem quodammodo mitigavit, non plane sopivit; necdum ab *asthmate* omnino liber est. Ordinavi 2. *pulveres*, quorum unus antemeridie, noctu alter ex scutella thée sumendus;

Rec. *Pulv. anticol. Cam. absorb. Wed. an. gr. xv.*
ther. cœlest. gr. ij. M. F. 2. ℥.

Pomeridie, & quoties ratio doloris postularet gtt. xxx. *essentiæ ex aq. cinnam. cydon.*

Rec. *Ess. carminat. Wed.* ℥ij. *anod.* ʒß.
Ra. croc. ʒß. *M.*

Hac vespera dolorem non penitus remisisse, levatum tamen fuisse, *borborygmis* adhuc se vexari, dicebat. Usum *essentiæ* intermisit, quod facere non debuisset. Noctu assumatur *pulvis* alter præcedente cœna parcissima vitatoque potu frigido.

Observatur, quoties adest *colica hypochondriaca*, toties urinam reddi copiosiorem & aquosam, quod primus fere adnotavit SYDENHAMIUS *tr. de affect. hyster. & melanch.* & nos frequentissime sumus experti. (d. 21 *Feb.*)

Neandri *filiola.*

§. Neandri *Filiola* natu minor ter alvum fluidam hac nocte est passa, quærunt igitur, num heri ordinatum laxativum nihilominus propinare liceat. Non metuissem ego. Differre tamen satius existimavi.

Altera

Altera sufficienter purgata fuit, & cum euphoria. XX.

§. Dum spirant ægri, non omnem omnino spem protinus abjiciendam esse, testatur ACROXYLI *puella*. Cessarunt post meum discessum adhuc semel valide quassantes *epilepticæ convulsiones*. Et post præbitam *mixturam* cordialem, externumque *excitativum* non redierunt, infantulaque, si tussim *excipias*, noctem sic satis bene transegit. Mane, illuc veniens, varia interrogabar: Cum *flatus*, etiam sonori, puellam mire exerceant, suasum fuisse a Domina commatre, ut *alsinen rubram*, mentham crispam & *rutam murariam*, *in ovo cum oleo olivo & amygdalarum frixam* abdomini, qua licet, calide applicarent. Annui Dominæ commatri, ne ejus indignationem incurrerem. Utrum quoque liceat *alsinem* comminutam cum pulte coctam exhibere? Fieri posse dixi. Annon *vertici capitis linteola aqua majoranæ calente imbuta* applicare liceat, id enim quoque bonum esse? respondi, me ordinaturum *balsamum cephalicum*. Mater puerpera vinum primis statim puerperii diebus abdicavit, ob *phlogoses* sibi consuetas, surrogata in hujus locum cervisia, a cujus potu nil quidquam incommodi sentit. Orta igitur inter mulierculas acris disceptatio, quarum una cohors *cervisiam* malorum in puella facem & tubam proclamarent, *vinumq;* denuo bibendum adseverarent, altera cervisiæ pollicem premerent. Decisio *Medici* arbitrio relicta. Res periculi plena. Alteri parti *Medicus* habebitur imprudens, alteri peritus, quoquo modo cadat sententia. Steti a partibus illarum, quæ *cervisiæ* patrocinatæ sunt. *Vini* potum ob *acorem convulsionum esse nutriculam* asserens, hinc in regionibus anœnis infantes minus frequenter, quam apud nos, *epilepticos* fieri. Si jam infans moritur, quod, ne fiat, metuo, faba in *cervisiam* ejusque patronos cudetur.

Acroxyli *puella*. *Convulsiones*.

Jussi, pergerent cum *mixtura* heri ordinata, *pulvisculum* insuper ordinans ter in die cum pulticula sumendum, ad cusp. 1. cultr.

Rec. *Cor. r. ppt. margar. ppt. succin. a. ppt.*
♁ *nat. ppt.* ℥ *ij. rectif. lap. bez. occid. an.* ℈*ß. orient. gr. v. M.*

Balsamum cephalicum nuchæ, cervici, temporibus, mihi consuetum & jam sæpe descriptum. Fontanellæ capitis *emplastrum theriacale*. *Farina pultis* probe sit exsiccata. Mater lactans sibi temperet a *pathematis*. Diem hanc utcumque tolerabiliter trivit. Nullæ *convulsiones*, *vomitus* nulli. Sola *tussis* molesta. Quærunt annon *oleum amygdalarum dulcium* exhibere liceat? annon *pectusculo cepam assam*? Non obruendam esse puellam variis medicamentis regero. Potius a me ordinatis insisterent, volui.

Pla-

XX. Placuit, quod hisce diebus apud Mermannum legi, qui *Lib. II. conſ. 14. ægro pharmacophilo* (quales aliqui dantur, qui medicamentis ſatiari non poſſunt.) reſcripſit: *Quieti ſtudeat tam animi quam corporis, neq; ita ſit de recuperanda valetudine ſollicitus, ut remediis ſe nimis onerari, ac pæne obrui velit.* (d. 21. *Feb.*)

Tigurini *Filiolus major. Variola.* §. Tigurini *major natu Filiolus pulveres* aſſumtos cum nauſea ſemper revomuit. *Mixturam* retinuit. Per totam noctem *deliravit*, non niſi de ſtomachi dolore querens. Multum bibit, immo, ſæpe potius, quam multum. Calidi nihil admittit: potum, cui *ſir. rub. id.* admiſtus cum *cort. citr. rec.* faſtidit, præferens aquam pane toſto conditam. Veſicæ ſatis fluentes. Cum *pulveres* averſetur, ordinata *mixtura* cochleatim aſſumenda, ſed frequenter ad coch. ij.

Rec. *Aq. ſcord. card. bened. roſar. an.* ℥iß.
bez. miner. mater. perlat. an. ʒß.
lap. bez. or. gr. vj. conf. alk. c. ʒj.
ſir. fl. tun. ℥iij. *M.*

Frontale & epicarpia fiant ex *emulſione externa* nobis conſueta, quæ fit e *ſem. papav. a. nucl. perſic. aq. verben. ſolan. aneth. roſ. add. ſacch.* ♄ *ni & camph.* (vid. MISCELLAN. *m. Part. II. p. 449.*)

Hac tota die fere ſemper *delirat*, pulſus celer, ſed robuſtus, aliquoties pavore concuſſus fuit, ſæpe parumque bibit. Pergendum cum *mixtura* & *emulſ.* externa. Cum lingua ſit juſto ſiccior, ordinatum ſeq. cochleatim aſſum.

Rec. *Mucilag. ſem. cydon. cum aq. acac. extr.* ℥j.
ſir. violar. granat. an. ℥ß. *M.*

Cum hac nocte deliquia (quamvis fortaſſe fruſtra) timeant, *odoriferum* petierunt, quod tale commendatum:

Rec. *Liq. CC. ſuccin.* ~ *lavend. an.* ʒß.
aq. roſar. fragr. ℥ß. *M.* (d. 21. *Feb.*)

Vinarienſis. *Phthiſis.* §. Vinarienſis ab heſterno *laxativo* ſemel vomuit & quater alvum depoſuit. Experientia doctus in his affectibus *galenica chimicis* prævalere, ad imitationem Mermanni ordinavi *rotulas* perfunctorie ſumendas, ſed alio tamen modo concinnatas:

Rec. *Spec. diair. ſimp. diatrag. frig. an.* ʒj.
♁ *diaph.* ʒiiß. *balſ. Ind. ſicc.* ʒß.
flor. ♃ ʒij *ſacch. a. in aq. farf. ſol.* ℥iij.
F. l. a. rotulæ irrorandæ ol. aniſ. gtt. xij.

Hydro-

Hydromel pectorale, cujus mane & noctu $\frac{1}{12}$. menſ, calide, & q. mane in lecto hauriatur; XX.

Rec. *Herb. veron. heder. ▽ſtr. an. mj.*
ſcabioſ. farfar. an. mß.
Conc. coq. in dimid. menſ. aq. font. add. mell. deſpum. cochl. iiij. ad conſumt. $\frac{1}{4}$. *ſub finem affundendo vini alb. Neccarini* $\frac{1}{8}$. *menſ. & poſtquam per 4. horas loco calido ſteterint, colanda.*

Hor. 10. antemer. ſumat *agar. ſubtiliſſ.* ☿. ʒj. *cum ovi vitello cocto ſubact.* ad dies 12.

Cum *Decoctum* ob *nauſeam* deprecatus eſſet, in ejus locum ſuffeci *mixturam* ad 4. cochlearia:

Rec. *Aq. veron. heder. ▽ſtr an.* ℥iiij.
cinnam. cydon. ℥iß.
mell. roſat. ſacch. cant. a. an. ℥j. *M.* (d. 5. *M.*)

§. Grapteris *filiola* de *purgante* hauſtu (d. 6. *Feb.*) fere nihil aſſumſit. A tantillo tamen ter alvum depoſuit, & minus febricitat, hodie quoque in publicum prodiit. Grapteris *puſilli.*

Filiolus adhuc vehementer *tuſſit*, fere nil comedit, contabeſcit. Dentur ter in die 2. cuſp. cultri de *polline.*

Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ℈ij.
diair. ſ. pulv. anal. fr. Mind. c. an. ʒj. *M.*

Cum, Amico quodam jam diu beate defuncto præeunte, infantibus medicamenta non tam averſantibus, quam horrentibus, *pulveres* quosdam *præcipitantes* & *abſorbentes* ordinare ſim ſolitus, non tam in ſubſtantia aſſumendos, quam potui ordinario, id eſt, aquæ ſimplici pane toſto conditæ, vel *aniſata*, nodulo illigatos imergendos, bibendo ſine conquaſſatione, ne aqua hinc turbida redderetur, fore ſperans, ut, licet ejusmodi *pulveres* in ſubſtantia ſumti majores vires exſererent, non tamen plane nullas in aquam depoſituros, de hoc ultimo, ſaltem quoad nonnulla, dubitare cœpi. Nam, ut ingenue fatear, effectum aliquem notabilem me ab hisce *pulverum terreſtrium nodulis* percepiſſe, certo affirmare non audeo. Deceſſerunt, evaſerunt, qui de his *pulveribus* biberunt. Nullus eorum maleficio mortuus, an beneficio evaſerit, ignoro? Ne tamen medicamenta nullo effectu prædita fruſtra prodigerem, num aliquid virium in aquam ſimplicem deponerent, experiri conſtitui. Sumti igitur ♁. *diaphor. CC. uſt. ppt. cryſtall. ppt. Oc. ♋. ppt. an.* ʒj. (NB. *Terrea* inſipida mihi eligenda fuerunt, ne ſapore potus temerato puſiones bibere recuſarent) ſingulis ſeorſim affudi aquæ ſimpl. font. ℥vj. Quieta ſteterunt

XX. trunt per aliquot dies. Filtrandi liquores in vas suppositum clari destillabant, sola aqua, cui ♁. *diaphor.* infusum, etiam per filtrum turbida manebat. His 4. Infusionibus filtratis instillabatur ♁.⊕.♁.⊖.♁.⊕*li*, *solut.* ⊙*is*, *sir. violar.* Sed nulla usquam *reactio*, nulla *præcipitatio*, nulla coloris ullius mutatio. Nihil igitur virtutis *alcalicæ præcipitantis*, *absorbentis* in potum deponunt, excepto solo ♁. *diaphoretico* quod aquam turbidam reddit, sic etiam per filtrum manantem. Alteratur igitur aqua simplex ab ♁. *diaphor.* sed forte tantillum est, ut ægro parum prodesse queat; est tamen aliquid. Infusio *oculorum* ♋. *a solutione aluminis* vix ad sensum, immo ne vix quidem, turbata fuit. Valeant igitur *infusiones oculorum* ♋. *crystallorum*, *CC.usti*, *similiumq.* Solum ♁. *diaphoreticum* vel *materiam perlatam* aliquatenus subtiliorem, ejusmodi usibus, ubi sic feret occasio, destinabo.

Increbescit apud nos usus sic dictæ *panacææ solutivæ*, seu *Magnesia alba*, quæ est *alcali* ⊕ *fixum*. *Dissertationem* de hac scripsit Excell. VALENTINI, & latius in *disput.* de ⊕. BASILEÆ *non ita pridem habita*, *Scaphusiensis* DN. HARDERUS *exposuit*. Medicamentum omni laude dignum, *panacæa* tamen appellari vix meretur. Expertus, quanta sit ejus virtus *acidum destruendi*, hac ipsa vespera ejus ℈ß. instillavi ♁ ⊕, *fortiter & cum strepitu efferbuit*, nec strepere cessavit, nisi post instillationem *guttæ sexagesimæ*. *Spiritus salis* 80. guttæ, spiritusque ⊕li, quod mirum, 160. guttæ hujus *magnesiæ grana decem* denique satiarunt. A ♁ ⊕*li* tanta spumescentia, quæ vitri oras transcendit, exorta. Testantur hæc experimenta, quam potens sit hoc *alcali*, & quantam acidi vim subjugare valeat, præ reliquis *absorbentibus* hoc insuper eximium habens, ut *alvum blandissime simul solvat*, præcipitataque vel absorpta sua secum evehat.

XXI.

XXI.

MErcurius heri tertium exacte gradum emensus hodie rursum fere unam lineam scandendo attigit. Thermometrum, quale heri.

Mactarchus. §. Mactarchus ab istis *pulvisculis* nocte præterita bene quievit. Hodie gutt xxx. *mixturæ* d. 19. *Febr.* ordinatæ ex *Thée* hausit.

Tigurini *major filiolus. Variolæ.* §. Tigurini *major natu filiolus* postquam per totam fere noctem magis, quam unquam, delirasset, potusque fere nihil, medicamentorum ne guttam assumsisset, post levem somnum pacatus, ad se rediens, potum poposcit, & jusculum. Visa jam *variolarum* hinc inde vestigia, remittente plurimum æstu. Removere jussi *emulsionem externam*, potu-

ique

que miſceri *aquam fumariæ*, & ſub regimine temperato cum *mixtura di-* XXI.
phoretico-cardiaca pergere. Diem bene tranſegit, ſed, meo arbitrio, *variolas* melius egredi par erat, cui fini, præter *aquam fumariæ*, ſequentem quoque *emulſionem* ordinavi:

Rec. *Sem. melon. ℥ij. aquileg. naſturt. an. ℥ß.*
aq. fumar. fl. ſamb. rub. id. an. ℥j.
F. l. a. Emulſ. add.
bez. miner. CC philoſ. an. ℈j.
conf. alk. c. ℥j. ſir. fumar. ℥ij. M. cochleatim.

Inſpectæ *pedum plantæ*, utrum & illic *variolæ* comparerent. Comparuerunt. Secus ſi fiat, *variolas* adhuc ſemel invaſuras, nullo tamen cum fundamento, noſtrates credunt. (d. 22. *Feb.*)

§. Acroxyli *puella*, deſinentibus jam *convulſionibus*, contra tuſſim & ſtertores cochleatim præbendam ordinavi *pulticulam mannatam*: *Acroxyli puella. Tuſſis.*

Rec. *Mann. Calabr. pur. ℥iij. ſperm. cet. albiſſ. ℥j.*
~⊖ ✳ci aniſ. ℈j. ol. amygd. d. q. ſ. ad conſiſt. pult.

Non interim negligatur *epileptico-cordialis mixtura & pulviſculus* ludius tertius & heri ordinata. Continuandi quoque *litus* externi. (d. 22. *Feb.*)

§. Adenarii *uxor* (15. *Febr.*) melius appetit, ſed adhuc valde laſſa. Dicit, ſe famem nunquam ſentire, cibos tamen ſæpius in die appetere, quos nî capiat, aliquam ſe moleſtiam ſentire, quæ proprie *fames* non ſit; debilitatem ſcil. quam germani vocant Oedigkeit. Familiare eſt hoc ſymptoma *verminoſis*, etiam adultis. *Tragema* commendavi bis in die vel hora 1. ante paſtum per ſe, vel immediate poſt paſtum cum pane toſto & hauſtulo vini, *tragematum* more, ad 4. cultr. cuſp. ſumendum; *Adenarii uxor. Oedigkeit.*

Rec. *Pulv. ſtomach. Birkm. ſpec. diacr. Myrſ. an. ℥ß.*
trag. arom. offic. ℥iij. ol. NM. expr. gr. ij. M. (d. 27. *Feb.*)

§. Bryocepuri *Filiolus* 17. hebdomatarum *tuſſi* cum *aſthmate* & *ſtertore* laborat. *Pectuſculum elatum, tibiæ recurvæ, carpi prominentes, caput magnum, abdomen tenſum, rhachitica ſymptomata.* Purgetur: *Bryocepuri filiolus. Rhachitis.*

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xv. ſir. de cich. c. rh. ℥ß.*
~⊖ ✳ci aniſ. gtt. iiij. aq. acac. parum. M. pro 1. doſi.

Mane & noctu 2. cuſp. cultri *pulveris* ex quolibet vehiculo:

Rec. *Specif. antatroph. ℥ij. æthiop. miner. ℈j. M.*

Pomeridie hora 5. *Rx. ♂. guttulæ* 6.

XXI. *Pneumatocele.* *Scrotum* erat magnum, distensum, sine duritie, dolore vel fluctuatione, majus interdum, aliquando minus. *Pneumatocelen* pronunciavi. Suasi *sacculum* de *carvo* ♁ *irroratum*, calide frequenter applicandum.

De *pulverum* dosibus moneo, ut, quando vulgus ad ponderandos v.gr. ℈j. ʒß. &c. adstringi vix potest, dosisque cultri cuspidibus metienda sit, necessarium fere esse, ut, postulato cultro, *Medicus*, quantum sit capiendum, commonstret. Cum enim cultri nunc latiores sint, nunc angustiores, minores, majores, indeque, me experto, doses eveniant valde inæquales, si vel adstantium, vel ægrotorum discretioni negotium committatur, in dosi facile vel exceditur, vel debito minus præbetur, sicque *Medicus* intentione sua frustratur. [d. 22. *Febr.*]

Sextarii *uxor.* *Hæmorrhagia uteri.* §. Sextarii *uxor* jam plurium liberorum sed fere semper infelix mater, vel abortiens, vel fetus in ipso partu, vel statim post partum morientes enitens, *uteri hæmorrhagiis* creberrime obnoxia, stato quidem tempore menses paritur, sed nimios semper, & vires valide populantes, quod nimiæ sanguinis & acrimoniæ & tenuitati adscribens, eum incrassare intendo, ac temperare. Scripsi igitur *Infusum theiforme* mane ad 3. scutellas calide cum *sacchar* sorbillandum:

Rec. *Herb. millefol. nummular. an. mj.*
fl. ros. r. mß. sem. cydon. ʒij. acetos. ʒj.
rad. symphyt. torment. an. ℥ß. Conc. cont. D.

Bis in die *tragema* post pastum more solito:

Rec. *Spec. diacr. Mynf. diatrag. fr. an. ℥ß.*
trag. arom. offic. ℥ij. ol. NM. expr. gr. vj. M.
(d. 5. *Mart.*)

Blepomactis *filiolus.* *Variolæ.* §. Blepomactis *filiolus* (d. 19. *Jan.*) a triduo male habens hodie frequenter expavit & valde vociferatus est. Apparent *variolæ* copia insigni;

Rec. *Sem. melon. papav. a. an. ʒiß.*
aquileg. nap. an. ʒß.
aq. fumar. fl. samb. til. ceras. n. an. ℥j.
F. *emuls. add.*
pulv. march. bezoard. miner. an. ℈j.
sir. papav. errat. ℥ß. M.

Cochleatim diligenter præbeatur, potusque ordinarius *aqua fumariæ* permisceatur. Conclave nimium calidum ad temperiem reducatur. (d. 23. *Feb.*)

Crymnori *filius.* *Variolæ.* Decima noctis hora vocor ad CRYMNORI *Filiolum* 6. annorum, eo quod

quod Medicus ordinarius illius familiæ non esset domi. Ego, qui precipuus languentium, quamlibet incongruis, aures patulas præbere soleo, gratificatus sum. Puer heri male habere cœpit, noctu & hodie mane vomuit, de ventre conquestus est, sitivit. Hac vespera valde inquietus, æstu incrementum capiente, delirat, expavescit, insultat, calcitrat. Alvus est constipata. *Variolas* adesse pronuncio. Medicamenta horrenti *vesicas* in utroque brachio excitari jubeo. *Materiam perlatam* nodulo linteo inclusam potui, aquæ sc. pane tosto medicatæ, immergere, *mixturamq;*, si possibile, cochleatim exhibere præcipio: XXI.

Rec. *Aq. fumar. card. bened. rub. id. an.* ℥iß.
♁. diaph. CC. philos. an. ℈j.
syr. rub. id. ℥ß. *conf. alkc. c.* ʒj. *M.*

Alvum *suppositorio melleo, globuloq; moschato* sollicitare sunt ausi. Valde improbavi. *Vinum aqua mixtum* dederant. Removi. Ab externis abstinerent, potui *aquam fumariæ* miscerent, imperavi.

Hæc familia, mortuo suo ordinario, me ante aliquot annos *Medicum* adsciverat, nulla, quod sciam, caussa sontica lacessiti, *Medicum* rursum alium, optione perridicula, si quis utrumque novit, me derelicto, sibi delegerunt: quæritur, an si desideriis non velificatus essem, injuriam hominibus ingratis intulissem? Præsertim, cum ægrotus propterea non deserendus fuisset. Sumus enim octo *Medici*? *Jud. 11. v 7.* JEPHTHAH GILEADITIS dixit: *Nonne vos estis, qui odistis me & ejecistis me de domo Patris mei, & nunc venistis ad me necessitate compulsi?* quid aliis videatur, ignoro. Caritas certe christiana prævalere debet. (d. 22. *Feb.*)

XXII.

XXII.

MErcurius iterum per duas fere lineas scandendo medietatem quarti gradus proxime attigit. Liquor *thermometri* secundi gradus extremitate relicta per unam lineam subsedit. Dies erat turbida, nonnihil nivosa. Frigus ad sensum auctius.

§. Oxalidi, *viduæ* plus quam sexagenariæ, de *inappetentia*, ructibus nidorosis, oris amaritie, stomachi dolore &c. querenti, *electuarium Joviale* SCRETÆ, cujus energiam ante 9. circiter menses jam experta fuerat, mane, pomeridie & noctu ad *juglandis* parvæ quantitatem assumendum ordinavi: Oxalis. *Inappetentia.*

Rec. *Cons. acetosell.* ℥iij. *crystall. Tart.* ʒiij.
coral. r. ppt. oc. ♋. *ppt. an.* ʒj.
pom. citr. integr. conquass. nr. j. M.
D. ad fictile semiplenum.

XXII. Semiplenum ſcribo, quod *alcalia*, qualia ſunt *Cor.r.ppt.& oc.♋.ppt.* cum *acidulis* reliquis fermentare & attolli ſoleant, & niſi detur ſpatium, ollularum tecturas haut raro disrumpant.

Acroxyli *puella*. §. Acroxyli *puella* ab heſterno *eclegmate* multa pituitoſa cum euphoria dejecit, per totam fere noctem ſuaviter dormivit, evigilata tuſſire, pituitamque ex ore quoque ejicere cœpit. Pulticulam ſuam comedit, lac egregie ſugit. *Mixturam* d. 19. *Febr.* ordinatam jugiter hactenus uſurparunt, cui hodie, cum e vitro ℥j præter propter abſumta eſſet, totidem de *aq.aniſi* addere, & reliquis inſiſtere juſſi. Veſperi, cum diem, præter tuſſim, ſic ſatis tranquille tranſegiſſet, laudavi *linimentum pectorale ex ol. amygd. d. axung. capon. & butyri inſulſi* partibus æqualibus, addito *croci pulvere*. [d.23.*Feb.*]

Crymnori *Filiolus*. *Variola*. §. Crymnori *Filiolo veſicatoria* heri noctu adhuc affixa, de *nodulo materia perlata* bibit, *mixturam* aſſumſit, per totum noctis adhuc deliravit & tumultuavit, neminem agnoſcens, torvis oculis & artuum jactationibus *convulſionum* formidinem Adſtantibus incutiens. Eaque durarunt usque ad horam quartam. Quietior factus ad ſe ſenſim rediit, ſed *variolarum* lata hinc inde veſtigia. *Suppoſitorium globulusq; moſchatus* alvum non ſolverunt, quod lubentiſſime audivi. Pergatur cum *nodulo*, *emulſione*, & *aqua fumaria hauſtu*. (d.23. *Febr.*)

Pancratius. *Catarrhus*. §. Pancratius 24. annorum a quatriduo *capitis coryza*, *tuſſi*, *aſthmate*, &c. vexatur, laſſus eſt, parum exſpuit, in lecto manere cogitur, edit tamen, nec ſitim præternaturalem habet. *Catarrhus* adhuc eſt in motu, nondum ſatis fluxilis redditus. Juſſi quater in die biberet *pectoralis decocti* calidum hauſtum, inſtillatis prius *mixtura* 30. guttis:

Rec. ∼. *cochlear.* ʒij. ⊖✱*ci.* ʒß.
Rᴂ. *croc.* ʒß. *M.* (d.23. *Feb.*)

Tigurini *filiolus*. *Variola*. §. Tigurini *varioloſus* hac nocte, quam præterita, inquietior fuit, multumque bibit. Papularum eruptioni nimium lentæ (quippe quæ intra 16. horas haut multum profecerant) promovendæ, præter *mixturam* ordinariam deſtinati 2. ☿es ante & pomeridie ex quolibet vehiculo ſumendi:

Rec. *Cryſtall.ppt.matr.perl.ppt.bez.miner. an.gr.viij.*
lap.bez.or.gr.vj.M.pro 2. doſibus.

A deglutito primo *pulviſculo* poſt tempus haut adeo longum ſponte per anum prorepſerunt multi *aſcarides*; hi jam per biduum deſidendi conatum inanem, quaſi *teneſmum*, in puero excitarant, nobis cauſſam igno-

gnorantibus. Etenim sellæ frequenter insidens nil tamen egesserat. A-um quoque admotis manibus sæpe fricaverat. Alvum denique pome-die deponens immensam ejusmodi animalculorum pullitiem exantla-it; Quod unice propemodum *lapidis bezoardici* virtuti adscribo. (*vid. ua in hanc rem notavi in* MISCELLAN. *m. Part. I. p. 25.*) Hac vespera puer ene habet, lusitat, *variolæ* majores & numerosiores, nec mali moris uid ostendentes. Alterum *pulvisculum* exhibere, & cum hesterna *emul-one* pergere jussi. (d 23. *Feb.*) XXII.

§. Cusani *uxor* 44. annorum affligitur dolore vix tolerando ven-ris, circa *umbilicum*, versus *inguina*, uterum, intestinum rectum, cum orborygmis multis, ab alvi solutione, flatuumque eruptione levamen abens. *Colicam* existimo *spasmodico-flatulentam*. Cusani *uxor*. *Colica spasmodicoflatulenta.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥ij. *sir. de alth. Fern.* ℥iß.
anis. gtt. iiij. *ess. anod.* ʒj. *M.*

Dimidia pars hauriatur statim, & altera, si dolor hinc leniatur, as-ervetur, usque ad crastinam matutinam: sin minus, pomeridie quarta orbeatur, utræque calide. Noctu gr. iiij. *pil. de cynogl.* Foris *cataplasma semine lini cum lacte cocto*. (d. 23. *Feb.*)

§ Cusani *ancilla* 50. annorum in aure dextra susurrum diu cum *bauditione* passa est, malo nunc alteram quoque aurem occupante, cum etu *surditatis* omnimodæ; strepitus in utraque concha, quasi aquæ con-nuo bullientis, vel defluentis rivi: Cusani *ancilla*. *Obauditio.*

Rec. *Extr. cathol. gr.* xij.
magist. gial. scammon. an. gr. vj.
F pil. 16. *pro* 1. *dosi.*

Post *apophlegmatismus* e *pulvere* panniculo lineo quantitate nucis vellanæ includendo. *Nodulus* inde factus mane stomacho vacuo masti-etur tamdiu, donec sputum ciere desinat:

Rec. *Rad. pyreth. Imperat. an.* ʒvj.
mastich. sel. ʒv. *Sem. staphidagr.* ʒß.
cubeb. ʒj. *caryoph. aromat.* ʒß.
Conc. cont. D.

§. Lycosconi *Filiolus* (d. 17. 18. *Feb.*) quod interna non secus atq; xterna quælibet respueret, hactenus a me non amplius visitatus fuit. Ho-ie denuo vocor. Mille semet anxietates intra hos dies sustinuisse dice-ant, atq; interdum, nil nisi pueri mortem expectasse, nec eum ullius me-icaminis atomum accepisse, nisi *decoctum lentium*. Nunc a biduo præter *ac bubulum* omnino nihil admittere. Narium aliquoties hæmorrhagiam Lycosconi *Filiolus*. *Variola.*

passum

XXII. passum esse, alvum a triduo reseratam. Obsitus est *variolis* satis grandibus, cumprimis in facie. Nares obstructæ, palpebræ conniventes, fausuræ adobsessæ. Cum lac bibat, materiæ perlatæ ℥ij dimidiæ ejus menses *variolis* miscere & propinare mandavi; quin & tentare, utrum *mucilaginis* sequentis nonnihil, faucium demulcendarum gratia per cochlearia exhiberi queat:

Rec. *Mucilag. sem. cydon. cum aq. plantaq. extr. ℥vj.*
sir. violar. mell. rosat. an. ℥ij. M.

Oblinantur nares alternis *butyrelao majorana*, oculi vero aqua rosarum pallidarum, in qua *crocus* solutus, delibuantur.

Decoctum lentium (Linsenwasser) tenellis ad expulsionem *variolarum* & morbillorum potui dare nostris usitatissimum est, neque noviter demum excogitatum, sed ARABIBUS jamjam familiare & laudatum. Male audit hic mos ap. SIMON. PAULLI *quadrip. Botan. p. m. 371.* & CASP. HOFFM. *de medicam. Officinal. Lib. II. cap. 124. §. ult.* idque ob altercationes Auctorum, de decocto primo, secundo &c. quin & metum *diarrhœa* vel *dysenteria* his morbis periculum minitantium. Controversias illas in compendio exhibet *Nobiliss.* LÖWIUS noster, *tr. de Variolis & morbill. cap. 14. p. 174 seq.* & insuper exhibet modum sibi familiarem *decoctum Lentium* parandi, qui consistit in eo, ut *Lent. mj. in* ℔*v. aq. font. unica ebullitione coquat, qua decantata & rejecta cum novis* ℔. *aq. denuo coquit ad lentium crepaturam, addens ras. CC. ℥iij. vel ℥ß. fic. ping. nr. ij. vel iij. vel horum loco passul. min. ℥j.* Quas ultimas tamen *diarrhœa* metu potius omittendas esse arbitrer. Ut ingenue fatear, mihi hactenus *decoctum lentium* in usu non fuit, cum necessitas me nulla coëgerit, quamvis id quoque Parentibus raro vel nunquam interdixerim, qui spem haut minimam in eo collocarant. Periculum inde nemini natum vidi. Damnantium rationes diæteticas nostrorum experientiæ millenæ refellunt. Quin & dictæ rationes tantæ non sunt, quæ rite metientes stringere valeant. Nam, quæ afferuntur de *lentium* cibi loco assumtorum insalubritate fortasse nondum satis evicta, ab eis, licet ita habeant, ad earum *decoctum* consequentiam non valere, vel solum *jus pisorum*, omnium elogio salubre, docere potest. (d. 13. *Feb.*)

Ante biennium, mensibus itid. *Januario* & *Februario*, *variola* hic epidemiæ dira quædam symptomata sibi conjuncta habebant, morientibus multis, quamvis, ut neque hoc reticeam, vel sibi relictis, vel male curatis. Filiola quædam plurimas habebat, sed depressas; nec post eruptionem redibat appetitus vel calor mitescebat. Cum omnia in vado

tenserentur, & misella pedes, cumprimis vero superiorem tarsi partem unguiculis suis nimium utrinq; scalperet, plurimæ surrexerunt *nigerrimæ pustulæ*, quas *gangræna, sphacelusq;*, presso pede secuti. Filiolus quidam alius $3\frac{1}{2}$. annorum ante eruptionem vehementer vomuit, sed post eam vomitiones nullatenus sedatæ. Immo, quinto ab accessu die vomitus & dejectiones sanguineæ plurimæ & fetidissimæ, postea mors subita. *vid.* SIDOBRE *de variol. Cap. II. p.m. 161.* Sanguinis evomebatur & dejiciebatur copia ferme incredibilis, dejectique fetor plane cadaverosus. Filiola $8\frac{1}{2}$. annorum, cum *variolæ* marcescere cœpissent, genas incautius scalpendo in altera *inflammationem* arcessivit. *Unguentum* suum affricavit vetula quædam Medicastra per II. dies. *Mala siderata*, cum omni carne ab oculi sinistri orbita usque ad genam excidit, dimidium quoque utriusque labri secum abripiens cum dentibus omnibus & maxillæ superioris ingni frusto, sic, ut oculo ad usque fauces pateret aditus horrendo spectaculo. Convaluit quidem misella, sed ita, ut mors sane vita potior etiamnum existimari debeat. XXII.

Mense *Decembri* præteriti anni fors ita tulit, ut corpusculum puelli *variolosi* triennis, nono post invasionem die defuncti, mihi aperiendum exhiberetur, ad quod negotium perficiendum eo majore cupiditate ferebar, quo rariores contingunt corporum hoc morbo extinctorum sectiones. Cumprimis autem cernere gestiebam, num internorum quoque viscerum aliqua *variolis* obsiderentur? Sana erant omnia. Nusquam vel unius *variolæ* vestigium, nec in pulmonibus, nec corde, œsophago, ventriculo, intestinis, hepate, liene, renibus, vesica &c. *Hydrops thoracis* aderit, & quidem cavitatis sinistræ, ubi corrupti quidem pulmones, sed sine *pustulis*, atque ex hoc potius morbo, quam *variolis*, extinctum fuisse pusillum credebamus, quamvis mortem promovisse *variolas* propterea non negemus. Erant autem, quales esse decet, nulla sequiore nota infames. Hepar erat longe maximum, supra ventriculum & ipsummet lienem protensum, proin utrumque *epigastrium* implens. De *variolis* internas quoque partes occupantibus legesis BONETUM *in sepulchret. Lib IV. Sect. I. p. 1505. sqq.* RODERIC. à CASTRO *qua ex quibus lib. III. cap. 16. ubi in dissectionibus fere semper reperiri viscera non secus, quam cutem his tuberculis conspersa, lienem, jecur, pulmones, pancreas &c.* forsan ex traditione magis, quam experientia, scribit.

§. Bryocepuri *Filiolus* haustulum *purgantem* hesternum paullo post assumtionem vomitu rejecit, sufficienter nihilominus purgatus. Bryocepuri *filiolus*.

Reficiendis viribus ordinavi *mixturam* cochleatim:

XXII.

Rec. *Aq. roſ. viol. an.* ℥iß. *cinnam. cydon.* ℥ß.
ſir. fl. tun. ʒij. *M.*

Dedi, quia petebant, non quia neceſſitas tale quid poſtularet, & eum reliquis pergere juſſi. [d. 27. *Feb.*]

Pſammi *uxor.* *Partus infelices.*

§. *Uxor* Pſammi 28. annorum in juventute ſine dubio *venerei* quid paſſa adhuc ante quinquennium vel ultra, *fauces ulcerosas* oſtendit, & nares *ozænæ* ſpecie quadam mitiori affectas, cum muci fetidi turundis viridibus & retorridis. Curata, ter quidem puerpera, nunquam tamen felix, aut abortivit, aut fetus enixa eſt plane tabidos, non diu ſuperſtites. Nunc a longo tempore queritur de *gravativo* quodam *dolore* ſub umbilico, *verſus pectinem*, & *dyſuria* quadam, licet indolente, ſpecie. Sæpe enim urinam reddere cogitur, in pauciſſima licet quantitate, turbidam, mucoſam &c. Non adeſt *gonorrhœa*, non *fluor albus*, non *ardor*. Vultus eſt roſeus, appetitus languet, a 3. menſibus catamenia ſubſtiterunt, gravidam ſe ſuſpicatur. Præſervari ſe cupit a partubus infelicibus. Venam pertundi juſſi in dextro brachio, ſanguis pituitoſus, male cohærens, globuli diſperſi, interſtitia nil niſi gelatina ſpermatis ranarum æmula. Miſeram ſanguine balſamico deſtitui dixi, fetubus hinc nutrimentum in utero ſubtrahi. Mane & noctu ſumat *infuſum theiforme* ex *rad. ſarſapar.* ℥iß. *chin.* ℥ß. *liquir.* ʒiij. *raſ. lign. ſaſſafr.* ʒx. *lentiſc.* ℥ß. *herb. trifol. fibr. fumar. cochlear. an.* mß. *cort. Winter. Chaquarigl. Caſſ. lign. an.* ʒiij. *ſem. aniſ.* ʒij. *M.* Cujus primæ ſcutellæ inſtill. gutt. 40. *elix. balſam.* HOFFM. Digeſtioni juvandæ *tragema, ex officin.* ℥ij. *ſpec. diatret Myſ.* ℥ß. *diatrag. fr.* ʒiij. *ol. NM. expr. gr.* vj. *M.*

XXIII.

XXIII.

MErcurius ad quarti gradus extremitatem adſcendit, proin hodie rurſum dimidium gradum ſcandendo emenſus eſt. Liquor *thermometri* ſaltem duas ſupra primum gradum lineas implevit, igitur hodie per tres lineas deſcendit. Nix per noctem cecidit, & per totam diem tenuiter ninxit. Frigus autem vehementer auctum fuit.

Acroxyli *puella.*

§. Acroxyli *puella* præter *tuſſim*, fere *ſtomachicam*, hac nocte *tormina* quoque eſt paſſa cum flatibus ſonoris multis, extra dolorum *tuſſique* tempora ſemper, ſuaviterq; dormiens, edens ac bibens. Stomachi & flatuum potiſſimam rationem eſſe habendam judicans ordinavi *mixturam*;

Rec. *Aq. anis. menth. an. ℥ij.* XXIII.
♆. nervin. ʒß. *⊖ ✱ ci anis.* ℈j.
elaosacch. anis. ʒj. *M. cochleatim.*

Pulvisculus loco prioris ter in die cum *pulticula* ad 1. cusp. cultri præbeatur:

Rec. *Spec. diacret. Myns. diatrag. fr.*
specif. cephal. an. ℈j. *M.*

Rec. *Gumm. junip.* ʒj.
succin. thur. mastich. tacamah.
benz. an. ʒß. *Conc. cont. D.*

Fumus gossypio aliquoties in die excipiatur, gossypium *vertici capitis* imponatur. [d. 24. *Feb.*]

§. Tigurini *Filiolus* hac nocte bene dormivit. *Variolarum* eruptio facilis, pulsus bonus. Æstus cum siti remiserunt. Appetit. Bis adhuc heri post assumtum alterum *pulverem* alvum deposuit, excrementis quidem paucis exeuntibus, sed *ascaridum* vivorum magna rursum copia. Continuetur usus *mixturæ* 21. *Feb.* ordinatæ. Medicamentis aliis opus non est. (d. 24. *Feb.*) Tigurini *filiolus.* *Variola.*

§. In Crymnori *Filiolo* negotium *variolarum* æq; bene procedit, nilque novi, præter jam ordinata, scriptum. (d. 24. *Febr.*) Crymnori *Filiolus.* *Variola.*

§. Siderurgi *uxor* [d. 1. *Feb.*] errorem calculi commisit, quippe *Feb.* paritura, necdum puerpera facta. Non tantum de *stomachi dolore* adhuc queritur, sed insuper deliquiis quasi *hystericis* affligitur, eorum tempore pavoribus concussa, pollices manuum quoque intra digitos claudens, debilis & ἀνορέκτη, neque extra lectum manere potens: Siderurgi *uxor.*

Rec. *Aq. fumar. meliss. an.* ℥ij.
hirund. cum castor. bals. embryon. an. ℥ß.
elix. uter. Cr. ʒj. *sir. fl. pœon.* ʒiij.
♁. nat. ppt. cryst all. ppt. an. ʒß. *M. cochl.*

Præsentibus *deliquiis* gtt. xxv. *liq. CC. succinati* propinentur, idem naribus admoveatur. *Regio stomachi* vero inungatur *linimento* sæpius calide:

XXIII. Rec. *Ungu.pomat.* ℥ß. *balſ. peruv.* ℈j.
ol. NM.expr. ʒj. *abſinth. menth. an.* ℈ll. ℈j.
mac. caryophyll. an. gtt. iiij. *M.* (d.24.*Feb.*)

Bromioſtrabi *filiol minor.* *Tormina.*

§. Bromioſtrabi *Filiola* 11. ſeptimanarum a biduo male habet, borborygmi, bombi ſonori, eructationes, clamores, *torminum flatulentorum* ſigna; quam diu non dolet, dormit. Viridia excernit, acidum ſpirantia. Farina condatur in hypocauſto. Cochleatim præbeatur:

Rec. *Aq. aniſ. fl. til. an.* ℥ij.
epil. L. ℥ß.
pulv. March. ~⊖ ✱ *ci aniſ. an.* ℈j.
elæoſacch. aniſ. ʒij. *M.*

Inunctio crebra & calida abdominis.

Rec. *Ungu. alth.* ℥ß. *ol. carv.* ℈j. *M.*

Cum multum per ſe dormiat, *opiata anticolica* omiſſa. [d.24.*Feb.*]

Hericlia *netrix.* *Pleuritis ſpuria.*

§. Hericlia *netrix* [18.*Feb.*] doloribus ſuis punctoriis & *cephalæa* adhucdum laborat. Eſt *gibboſa*, & in regione *gibberis* punctiones moleſtiſſimæ. *Tuſſicula* ſicca. Eam hactenus in cubiculo frigido decumbere intellexi: Mirum hinc non eſt, ſi punctorii dolores non ceſſant, non tantum impedita ſic transſpiratione, ſed aëre frigido per ſingulos tuſſes in fauces intromiſſo. Si quid ſalutis ſperandum, eam in conclave calidum deportari debere dixi: *Sudoribus* enim opus eſſe. Ægram eſſe *inquilinam*, communi quidem fornacis calore cum domeſticis frui, ſed vaporarium anguſtius eſſe, quam, ut lectus in eo ſterni queat, dictum. Reſpondi, alium locum commodiorem eſſe quovis modo quærendum, curas enim miraculoſas hodie deſiiſſe, quod dum fiat, ſcripſi *pilulas* 5. pro una doſi hodie noctu & cras mane ſumendas:

Rec. *Extr. bez. ſam. papav. com. an. gr.* v.
M. F. pil. nr. x.

Eo loci, ubi doloris ſpina, *emplaſtrum*:

Rec. *Empl. diaph. M.* ℥ß. *ungu. de hyoſc.* ʒij.
ceræ parum M.

Aliorſum delatæ me neceſſaria porro ordinaturum promiſi:

Dioptrici *uxor.*

§. Dioptrici *uxor* a matutina *pilularum* aſſumtione caput ſibi ſemper dolere, donec cibum cepiſſet, pomeridie nil tale pati, aſſerebat (16.*Feb.*) Interrogat, annon hora una poſt earum deglutitionem offam comedere liceret? Immò, reſpondeo, rebus ſic ſtantibus ne per horam unam quidem expectandum, ſed citius aliquid comedendum eſſe (d.27.*Feb.*]

§. *An*

XXIII.

§. *Ancilla* nuper purgata (19. *Feb.*) jam ab aliquot diebus *hemicrania* dextra cruciatur. *Infusum theiforme* nondum haurire cœpit. Ut sine mora id facere inciperet, itemque *empl. Reg.* BURRHI tempori dextro, & noctu *sacculum* ex *bacc. junip.* & *sem. carvi* calide imponeret, suasi. Dioptrici *ancilla.* *Hemicrania.*

§. Cusani *uxor* sumta pomeridie altera *olei amygd. d. compositi* dosi, noctuque *pilulis*, dolore fere omni levata est, & aliquot septimanis tam suaviter non dormivit. (d. 24 *Febr.*) Cusani *uxor.*

§. Lycosconi *Filiolus materiam perlatam cum lacte vaccino* non sine fructu, quin & multo cum levamine *mixturam pharyngicam* sumit. *Variolæ* prægrandes, plurimæ quantitatem pisi majoris æquantes, quarum maximas forficula scindere jussi, continuum insuper utrorumque medicamentorum usum suadens. Lycosconi *Filiolus.* *Variola.*

§. Blepomactis *filiolus* [d. 21. *Feb.*] *variolis* haut equidem adeo obsitus, tamen vocem edit maxime raucam. Eandem, quam LYCOSCONI *filiolo mixturam* scripsi *pharyngicam*, eodem modo dandam, ut & *mixturam* per cochlearia: Blepomactis *filiolus.* *Variola.*

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥ij.
bez. miner. cryst all. ppt. an. ℈j.
sir. fl. tun. ʒiij. *M.*

Pharmaca non nisi summo cum labore & puelli excandescentia propinantur. (d. 1. *Mart.*)

§. Artamus 42. circ annorum symptomate sibi consueto, *colica hypochondriaca*, quamvis hactenus non eminenter dolorifica, cum *borborygmis* affligitur. His diebus iter versus hercyniam suscepit, ibique *vinum hornum* bibit, quod sufferre non potest. Artamus. *Colica hypochondr.*

Rec. *Ess. carminat.* ℞. ♂. *helleborat. an.* ʒiß.
M. sum. ter in die gtt. xxx. ex vehic. seq.

Rec. *Aq. chamom. fumar. an.* ℥iij.
℞*a.* ☉ *ant.* ʒj. *sir. cort. aur.* ʒiij. *M.*

Cujus etiam seorsim unum & alterum cochlear sumatur. [d. 25. *Feb.*]

§. Lactistis *uxor* 55. circ. annorum a plus quam viginti annis e lumbari regione *semiparalytica*, cum *tussi* jam per aliquot septimanas afflicta nil medicaretur, hac vespera *catarrho* pæne *suffocativo cum frigore febrili* infestatur. Accitus advolo. Sellæ pone fornacem insidentem, trementem, frigidam, anhelantem, stertentem, vix profari potentem invenio. Primum fuit, ut vestibus exutam in lectum deportari curarem. Ibi adhuc dum frigore diu quassata, pituitam tenacem copiosam exscreavit. Lactistis *uxor.* *Catarrhus suffocativus.*

XXIII. difficilis est ad medicamenta. Catenam auream, qua collum erat cincta, illo per difficilem spiratum multum inflato removere jussi, quin & extrema pulvinis calidis muniri. Cochleatim statim exhibeatur:

Rec. *Aq. ceras. n. fl. til. an.* ℥iß.
hirund. c. castor. epil. L. an. ℥ß.
specif. cephal. ʒß. *sir. fl. pœon.* ʒiij. *M.*

Cessante frigore gtt. xxv. ex quol. vel priori vehiculo.

Rec. *-~-nerv. Rᴂ. succin. an.* ʒiß. *M.*

Vertici, temporibus, nuchæ *linimentum balsamicum*:

Rec. *Axung. castor. ver. ol. NM. expr. an.* ʒß.
ol. succin. rut. an. ℈ß. *bals. peruv.* ℈j. *M.*

XXIV.

XXIV.

MErcurius unam rursum lineam supra quartum gradum emensus est, liquor itidem *thermometri* saltem una linea ab infimo seu primo gradu distat. Dies inter nubilam & claram media, aliquando nivosa, sed frigus valde intensum.

Nezelius. *Lapsus super pavim.* §. Nezelius [10. *Jan.*] ante dies aliquot rursum in conclavi pronus in terram prostratus est, nec ebrius, nec vertigine laborans. Cum naso allidens sanguinis plurimum profudit ex utraque nare & in frontis dextro latere tuber instar ovi gallinacei exortum. Inunxit se *pomato Ducali*, peculiaris compositionis, eaque nocte sumsit proprio motu *Rᴂ. bezoardicæ* gtt. 50. mane sudavit. Tumor assurrexit totius faciei, sudori per *Ram. bezoardicam* prolecto & repetito, *pomatoq;* supra dicto facile cedens. Naso tamen (*chirurgus emplastrum* applicavit, & *sacculos e herbis cephalicis vino intinctos* fronti applicavit, a quibus per noctem tumor usque sic auctus, ut oculi conniverent. Nasus circa radicem purulenta ploravit. Remotis illis *sacculis* alios siccos ab aulico pharmacopœo receptos multo cum juvamine imposuit, *pulveremq; sudoriferum* assumsit. Hodie mane me accersivit. Calor adfuit præternaturalis, ⊡a valde saturata. Cum sacculis siccis pergere, nasoque *empl. de sperm. ranarum* imponere, *pulveremq; sudorificum* adhuc unum restantem assumere jussi, &, quum intra quatriduum alvum non solvisset, ordinavi *electuarium* in 2. partes dividendum, ante & pomeridie sumendum;

Rec. *Pulp. cass.* ℥ß. *rad. mechoac. a.* ʒj.
Oc. ♋. crud. cont. ʒß. *M. pro 2. dos.*

Siti non affligitur. Pransus est. Vesperi bene habuit. Murmura ventris alvum solutum iri nunciant. Tumor plane subsedit.

Rec.

Rec. *Sem.4.frig.maj.an.* ℨj. *papav.alb.* ℨiij. XXIV.
aq.beton.ceraſ.n.charefol.an. ℥ij.
F. l. a. Emulſ. add.
bez.miner.mater.perl. an ℨß.
ſir.papav.errat. ℥ß. *M.*

Dimidium hauriatur noctu tempore ſomni, pars altera cras mane. [d.28.*Feb.*]

§. Lactiſtis *uxor* heri adhuc frigus usque ad undecimam nocturnam paſſa, æſtu maximo poſt prehenſa fuit. Liberior tamen quodammodo *reſpiratio,* quamvis adhuc difficilis. Suaſi potum *Decocti pectoralis*, cum *mixtura* cochleatim ſumenda, balſamoque pergere juſſi. A *mixtura* guttatim accipienda cum ſe pejus habere, fortaſſe per ſolam imaginationem, exiſtimet, eam tantiſper removeri volui: Et cum fauces ſtringi quiritaretur, ut cremorem hordei calidum nonnunquam ſorberet, monui. Bis hac die fecit, *decoctum pectorale* ſemel & *mixturæ* unum cochlear hauſit, ad pharmaca valde difficilis. Rurſum tamen hac veſpera mitius degit. Rogavi, ut medicamentis diligentius frueretur. (d.27.*Feb.*) Lactiſtis *uxor.* *Catarrhus ſuffocat.*

§. Bromioſtrabi *Filiola* noctem bene tranſegit, ſi quam aliam, & hodie ſatis vegetam ſe oſtendit. Bromioſtrabi *Filiola.*

§. Idem de Acroxyli *puella* prædicare poſſum. (d.25.*Feb.*) Acroxyli *puella.*

§. Tigurini *Filiolus* margaritas ſuas ſatis feliciter excludit. De faucium anguſtia querenti ſequens ordinatum: Tigurini *filiolus.* *Variola.*

Rec. *Mucilag.ſem.cydon.c.aq.malv.extr.* ℥j.
ſir.viol.mell.roſat. an. ℥ß. *M.D. cochleatim:*

Rec. *Aq.fl.ſamb.borrag.bugl. an.* ℥iß.
cinnam.bugl. ℥ß. ♁. *diaph.CC.phil. an.* ℨß.
ſir.fl.tun. ℥ß. *M. itidem cochleatim.*

Interdum exhibeatur *Cremor hordei* calidus. Et, cum non nimium caleat, *viniq;* deſiderio capiatur, hujus nonnihil aqua temperati bis in die conceſſi. Lectum a feneſtra remotum ob frigus intenſum propius ad fornacem collocare præcepi. (d.25. *Feb.*)

§ Siderurgi *uxor* noctem ſatis tolerabiliter tranſegit, hodie mane vero poſt *deliquium hyſtericum* & varia convulſionum ſigna *deliravit.* Oculi erant torvi, calor præternat. nullus. *Convulſionum* eruptionem metuens, præter *liq. CC. ſuccin.* (Cujus odorem non ſuffert) intus propinandum & *mixturam* cochleatim ſumendam ordinavi 2. *pulveres.* Siderurgi *uxor.* *Hyſterica.*

Rec.

XXIV. Rec. *Pulv. epil. mir. test. ov. calcin. an.* ʒß. *M. pro 2. dos.*

Vesicatoria quoque duo *brachiis* destinaveram, sed recusavit. Hac die malum valde remisit; bis adfuerunt deliquia, sed levia. Nihil deliravit. Assidens mensæ pransa est.

Spiraculi *filius major.* *Variola.*

§. Spiraculi *filius* natu major 6. annorum heri etiam languere cœpit, dormiturire, aliquoties vomere, de abdominis dolore queri. *Variolarum* præliminaria. Scripsi *emulsionem* aliquoties notatam, regimenque aliis ordinatum. *Materiam perlatam* potui ex *aqua pane tosto condita* & *aqua fumaria* constanti immergere jussi, *vino* interdixi.

Vulgus apud *variolosos* trifariam utpl. peccare solet. 1. *Regimine nimium calido.* 2. *Exhibitione vini.* 3. *Solicitatione alvi.* (d. 25. *Febr.*)

Filiolus minor (d. 16. *Feb.*) *variolis majoribus* obsitus est, cætera nil periculosi. *Variolas* quantitate reliquas excedentes forficula aperire, faciemque *cremore hordei calido* aliquoties in die demulcere jussi.

Quærentibus, utrum lodices & indusia recentibus permutare liceret, nondum concessi. (d. 25. *Feb.*)

Hypeneti *uxor.* *Tussis.*

§. Hypeneti *uxori* ultra quam sexagenariæ d. 15. *Feb.* jamjam præscripseram *decoctum pectorale* cum *mixtura resolvente* guttatim admiscenda contra *tussim* & *asthma.* Quodammodo quidem levatæ, sed tamen adhuc tussienti & molestius spiranti scripsi *electuarium* quantitate juglandis minoris mane & noctu, imo & interdiu, si necesse, sumendum:

Rec. *Cons. fl. papav. rh. rosar. rob. passul. an.* ℥vj.
spec. diatrag. fr. ʒj. *fl.* ♀. ʒß.
sir. papav. rh. q. s. M.

Cusani *uxor.* *Tormina.*

Cum heri circa noctem *tormina* apud Cusani *uxorem* recrudescere vellent, dimidium *olei amygd. sir. de alth. remixti*, quo nudius tertius feliciter usa fuerat, hausit & noctem suavissime transegit, erumpentibus mane mensibus. Excogitaturus medicamentum, quod alvum apertam servaret, flatus dispelleret, ac dolorem demulceret, sine damno fibrarum ventriculi, præscripsi *electuarium* mane & noctu quantitate juglandis minoris deglutiendum:

Rec. *Cons. symphyt. pulp. Cass. an.* ℥j.
pulv. Haly rec. ʒij. *rad. mechoac. a.* ℈j.
ol. anis. gtt. iiij. *sir. de alth. q. s. M.*

Crymnori *filiolus.* *Variola.*

§. Crymnori *filiolo*, quod *variolæ* satis erumperent, moderatius pellens ac roborans cochleatim præbendum scripsi;

Rec.

Rec. *Aq. borrag. fl. til. fumar. an.* ℥iß. XXIV.
matr. perl. ppt. ☿. *diaph. an.* ʒß.
conf. alk. c. ʒj. *sir. granat.* ℥iij. *M.* (d. 27. *Feb.*)

XXV.

XXV.

BArmometrum, quale hesternum, sed *thermometri* liquor primum gradum exacte metitur. Frigus igitur hesterno magis intensum. Dies d meridiem usque clara, pomeridie turbidior erat. Heri noctu me bialibus exuens prima rursum vice scintillas evibrari observavi.

§. Lactistis *uxor* per omnia melius habet. Extra lectum manere otest. Anhelitus multo liberior. Pergendum esse censui cum *decocto ectorali.* Futuris vero *paroxysmis apopnigmicis* medicamine præservatio contraeundum existimavi, quod futuræ deliberationi reservatum. l. 26. *Feb.*) Lactistis *uxor.*

§. Lactistis *Filius*, *plethoricus*, cholerico-sanguineus, peregre biturus lustrationem petit, & *rhabarbarum* ipse sibimet eligit: volui *ei barbarici* ℥iß. cras mane cum *dec. prun. dulcium* assumat, ultimo hujus ensis medianam dextri tundi patiatur. Lactistis *filius.*

§. In Siderurgi *uxore convulsivi* amplius nihil. Suaviter dormit. Una querela de stomachi dolore. Siderurgi *uxor.* *Stomachi dolor.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. de alth. Fern. an.* ℥j.
ess. anod. ℈j. *M. pro 2. dosibus.*

Rec. *Empl. de melil. ungu. de hyosc. an.* ℥ß.
cera parum. F. empl.

Imponatur regioni dolenti, non intermissa *unctione balsamica.* .1. *Mart.*)

§. Mactarchus heri rursum affligi cœpit *colica* sua *hypochondriaca*, rum dormivit, mane sumsit *essentiam 20. Febr.* ordinatam, unde dor multum remisit. Suasi, ut *pulveres* eodem die scriptos repeteret, fririqúe se non exponeret. Illud fecit, hoc omisit. Cumulus adversium, quibuscum a tempore jam bene longo dimicat, sanitatis recurationem & medicamentorum effectum multum remoratur. Hinc ore frequenter habeo: *Remoturum me caussas physicas, ipsi modo removeri rent morales*, nam contra has nec esse medicamen in hortis, nec in *harmacopolarum* thecis. Mactarchus. *Colica hypochondriaca.*

§. Tigurini *major natu filius* funesti nihil ostendit. Variolæ andescunt. Vini tantillum sine damno bibit. Pomum comedere Tigurini *major filiolus.* *Variola.*

XXV. desideranti facultas non data, quamvis de assati pulpa nonnihil concessum. Faucibus aridis & dolentibus *eclegma* consuetum é *mucilag. sem. cydon. cum melle rosato & sir. viol.* (d. 27. *Febr.*)

Spiraculi *filiolus major. Variola.* §. Spiraculi *major natu filiolus* noctem inquietam habuit. *Delirare* cœpit. Nil petiit, vel alius rei, vel potus, non nisi, cum quid offerretur, bibens. Calor tamen intensus, pulsus arteriarum fortis cum in carpis, tum carotidibus externis in collo, visui quoque expositus. *Palpitatio cordis*, oculi torvi, vultus roseus. Pergant cum heri ordinatis. Potum sæpe offerant. *Vesicantia* alteri brachio alterique suræ admoveant. Ultimum intermissum. *Delirium* auctum, anxietas circa præcordia, tumores artuum, pollices in utraque manu retracti, cupiditas mejendi, sed cum *urinæ suppressione, convulsionum* meri prodromi, nam & illa *dysuria* mihi non videtur, nisi *vesicæ sphincteris* spasmodica constrictio. Inter hæc omnia pulsus, tametsi justo celerior, tamen robustus. *Vesicatoria* non amplius dilata. *Mixtura cardiaco-spasmodica* commendata, quæ cum altera heri scripta cochlearibus alternis exhibeatur:

Rec. *Aq. confortat. offic.* ℥iij. *epil. L.* ℥j.
pulv. epil. mirab. ʒß. *lap. bez. or. gr.* vj.
sir. fl. pœon. ℥iij. *M.*

Miror. Bono animo, erumpentibus licet *convulsionibus*, esse jussi, exemplo fraterculi natu minoris, qui aliquot ejusmodi paroxysmis exantlatis, *variolas* haut infeliciter exclusit, cui, cum ex faucibus doleat, nec facile deglutire possit, ordinatum *eclegma e mucilag. sem. cydon. cum* ▽. *plantag. extr. addito melle rosato & sir. violar.* *Pustulæ* faciei jam hic in crustas abire cœperunt. (d. 26. *Feb.*)

Acroxyli *Filiola. Tussis ferina.* §. Acroxyli *Filiola* nil æque molestum, quam superstes adhuc *ferina tussis*, cui removendæ per cochlearia præbeatur:

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. farf. extr.* ℥j.
diacod. Mont. sir. capill. ♀. *an.* ℥ß.
spec. diatrag. fr. ʒj. *M.*

Pergant cum *suffumigio capitis*, *unguento pectorali*, & *pulvisculo* ultimo. Hactenus mulieris alius suasu pro flatibus pellendis *euporiston* adhibuerunt, inunctionem nempe calidam infimi ventris *oleo menthæ cocto, admixto pulvere caryophyll. aromat.* Rogatus, utrum ejus usum prorogare liceat, respondi, hoc *unguentum* nimis calere, tutius igitur, quum puella sit alvo sicca, & sitiat, id reliquisse. (d. 27. *Feb.*)

§. Arta-

§. Artamus (d.23.*Febr.*) a nuper ordinatis multum levatus fuit. XXV.
etenti tamen *pulverem antiſpaſmodicum* ante pluſquam ſemeſtre ordina- Artamus.
ım, quo magno cum emolumento ſe uſum prædicabat, gratificatus
m, Erat autem talis:

Rec. *CC. philoſ. alc. philoſ. C. rhinocer.*
ebor. foſſil. an. ℥ij.
cryſtall. ppt. ſuccin. a. ppt. an. ℥j.
♁. *nat. pp.* ☿. *rectif. an.* ʒß.
balſamo ſacch. peruv. ℥vj. M.F. ℞.

Mane & noctu 3. cuſp. cultr. aſſumantur ex *aq. ceraſ. n.* (d.28.*Feb.*)

§. Uſias, me præſente, Artamum viſitaverat, ſeque jam per Uſias.
t annos *cephalaa* valde moleſta correptum ſæpe de *mercuriali ſalivatio-* *Cephalaa.*
cogitaſſe, *Medicorum* autem, quos plures conſuluerit, neminem con-
ntire voluiſſe. Artamus *mercurialibus* non admodum eſſe fidendum
obavit exemplo Mactarchi, qui ante biennium *Mercurio diaphore-*
o ſolari fixo, Moguntia advecto, in pilulari forma aſſumto, *cephala-*
a adeo non fugavit, ut *muſculorum* potius *maxilla dextra* majores,
ıam unquam antea, *ſpaſmodicas contractiones* etiamnum patiatur. As-
nſi, quippe illius curæ antiſtes. At vero, ſi fatendum, quod res eſt,
actarchus, formidata, quam illud medicamentum excitaturum vi-
batur, *ſalivatione*, a remedio, *Medicis* licet contradicentibus, de-
tit, motu naturæ ſic, præter rem, ſufflaminato. Alius *Mercurius*
aphoreticus fixus Lipſia petitus, qui ſine *ſalivatione*, per ſolam *diapho-*
in edere miracula prædicabatur, in duobus ſubjectis, præter ſpem &
pectationem *ptyaliſmum* valde moleſtum excitavit. Sic, ut a medica-
entis *Mercurialibus*, quorum præparatio mihi non ſatis perſpecta,
orſus abſtinere decreverim. Artamus tamen narravit, Herbunum,
um juvenem *cephalalgicum, hypochondriacum, melancholicum* poſt mul-
a multis accepta medicamenta, ſuorum nemine conſcio, adiiſſe pere-
inatorem *alchymiſtam* & receptum ab eo *mercuriale* medicamentum
nel tantum uſurpaſſe, prima quidem die peſſime habuiſſe, ſed mutata
ox ſcena ipſum ab eo tempore pancratice valere. Stolidum eſt, *mercu-*
lia ſine diſcrimine quælibet abrogata velle. Sunt tamen aliqua ſupra
odum draſtica & doloſa. Fortuna quidem audaces interdum juvat, ſed
quando deſerit. Quilibet *Medicorum* ſe cum *imagine* DEI verſari con-
eret. Prudens igitur ſit, atque cautus, nam ſicut in bello non bis, ita
Medica praxi ne ſemel quidem peccare licet.

XXVI.

XXVI.

B*Arometrum* hesternum. *Thermometrum*, quale nudius tertius. Frigus igitur vix sensibiliter hesterno mitius. Dies nubila.

§. Gnomilegus me convenit sermones de Melodidascalo mecum commutans. Vir hic 52. annorum *scorbuticus*, *hypochondriacus*, negotiis multis, hisque arduis implicatus, multis adversitatibus obnoxius, diætæ erroribus, vel ex officio, expositus, *cephalalgicus*, *colicus*, *affectu* vere *mirachiali* laborans, inter alia mala quamplurima, nunc á triennio *contractionibus musculorum faciei dextri lateris spasmodicis* molestissime tenetur, adeo, ut interdum oculi istius lateris orbita contrahatur globusque longe minor fiat, impedita quoque visione, loquela etiam sufflaminetur, donec rursum aliquatenus istæ contractiones, a quibus vix unum diem immunis est, remittant. Pertæsus hujus molestiæ plurima a plurimis remedia hausit, vix notabili quodam effectu, vel quod symptoma pertinacius irroboraverit, vel quod medicationes essent incongruæ, vel quod patiens in usu sive non continuato, sive irregulari peccaret. Rogavit nos, ut communicato consilio malum aut eradicare, aut ei saltem obicem ponere conaremur; nam & alteram faciei partem jamjam in consortium abripi. Suasimus cursum medicum cum *alba magnesia* perficiendum, incipiendo a ℨj. cum *emulsione amygdalarum dulcium*, & pergendo quotidie cum ℨjß. Quamdiu *Medicis* continuare necessum videbitur. Cum enim & *ructus* & *excrementa* de acido, præsertim in primis viis, liquido testentur, nos autem d. 20. *Feb.* per experimenta ostenderimus *magnesiam* hanc inter *alcalia fixa antoxea* NB. (*Antacidum* est vocabulum monstrosum e græco & latino coagmentatum) locum facile primum mereri, quæ hoc insuper commodi habet, quod alvum subducat, hoc medicamentum nobis ad *acidum* in Melodidascalo *corrigendum* valde adæquatum visum est. Præscripsimus insuper *collutionem oris* sequentem:

Rec. *Ras. lign. guajac.* ℥ij. *fol. salv.* mj.
herb. rorism. trifol. fibr. an. mß.
cort. Winteran. ℥ß.

Conciforum dimidia pars coquatur in ¾. mens. aquæ & ¼. mens. vini prævia digestione leni per noctem, lentissimo △ ad consumt. mediedietatis. De colatura frequenter, ter, quater vel pluries in die aliquid in ore detineatur prius tepefactum, quam diu commode retineri potest, hinc

hinc rursum exspuatur. Post *curam magnesiatam* usus sit diuturnus *pulveris* mane & noctu ad 3. cusp. cultr. ex quol. vehiculo : XXVI.

Rec. *Rad. valerian. ras. visci quern.*
oc.♋. ppt. matr. perl. ppt. an. ℥ij.
agagropil. ℨß. specif. cephal. ℨiß.
sacch. albiss. ℥x. ol. cinnam. gtt. iiij. M.

Severe monuimus usum horum pharmacorum non more consueto, quatriduanum vel octiduanum, sed minimum bimestrém esse, diætamque strictam, vitatis præcipue vini excessibus, observari debere, alias nil inde boni sperari posse.

Gnomilegus *magnesiam*, quamdiu alvum solvit, aliquid *nitro-salini* adhuc in sinu fovere suspicatur, quod mihi verisimile non fit. Nam alio nomine *panacæa* quoque *solutiva* appellatur, virtusque laxativa ab hoc medicamento rite parato est inseparabilis: rite autem paratum dici non potest, nisi omni *sale* penitus exutum, adeoque purum putum *alcali terrestre fixum*.

DN. D. RAPSACIUS, *Medicus* LUCENSIS, Amicus noster, se jam aliquot ægris *magnesiam* non sine effectu propinasse ad me scripsit, non autem *alvum* omnibus æque solvisse. Ipsummet se per aliquot dies mane ℨiß. cum *infuso herbæ agrimoniæ* sumsisse, alvo nil mota, sed urina hinc veluti a potatis *acidulis* propulsa, secuto inde fausto levamine. Quamvis addat, se, cum eam usurparet, demum ex *dysenteria* convaluisse, *magnesiam* inde fors parum sordium in primis viis invenisse, proinde non purgasse. (d. 2. *Mart.*)

§. Spiraculi *Filius natu major* noctem inquietam habuit, perpetuo *delirans*. *Vesica* sublatæ multum seri profundunt. Hodie mane *papulæ* minimæ in facie & brachiis comparere cœperunt. Ipse vero valde debilis *alvum aliquoties* de nocte *deposuit*, quod symptoma funestum esse solet circa *variolarum* eruptionem. Singulis 5. horis exhibeatur *pulvisculus*: *Spiraculi major filius. Variolæ.*

Rec. *Cor. r. ppt. cryst. all. ppt.*
bez. miner. an ℈j. *M.* F. 3. ℞.

Dentur non intermissa *mixtura confortante* hesterna. Vesperi talem offendi, qualis mane fuerat. Alvum adhuc frequenter deponit, nec eruptio *variolarum* ad votum succedit. *Mixturæ confortanti* addidi *aquam cinnamomi cydoniatam*. Jussi 2. *pilulas theriacales* in potu ordinario solutas infunderent, *oleum nucis moschatæ expressum* ad gr. ß. cum *jure gallinæ solutum* darent, eodemque oleo scrobiculum cordis ungerent. Inter-

XXVI. dum *maxilla inferior* fere immobilis, ut os non semper aut aperire velit, aut possit; mens enim non constat. Metuo mihi de salute pueri. (d.27.*Feb.*)

Stelechidii *uxor*. *Hemicrania. Tumor faciei.*

§. Stelechidii *uxor* 56. circ. annorum jam ab octiduo primo dolore dentis in superiore maxilla sinistra unius prehensa, *hemicraniam* postea passa fuit, cum dolore auris & oculi lateris istius & tumore faciei insigni. Præcesserat frigusculum cum æstu. Haustum sudorificum a *Pharmacopœo* petiit, qui, ex teneritate conscientiæ, juramenti scil. sui valde memor, precibus petentis se vinci passus est, haustumque talem porrexit. Sudavit, nihilo melius habens. *Urina* est tenuis & aquosa. Scripsi electuarium purgans mihi consuetum. Imponi volui maxillæ *emplastrum regium* BURRHI; & insuper *sacculum* siccum ex *fl. chamom. bacc. junip. sem. lin. & carvi.*

Bryocepuri *Filiolus*. *Rhachitis.*

§. Bryocepuri *Filiolus*, (vid. *Febr.* 21. 22.) vires optatissime collegit a præscripta medicatione, vegetus ac hilaris. Cum tamen adhuc venter mihi scatere videatur squaloribus *rhachiticis*, laxativum tale proficuum futurum censui:

Rec. *Pulv. gial. n. resinos.* ℈ß.
syr. ros. solut. ℥ß. *aq. acac. par. M. pro 1. dos.*

Pneumatocele.

Quo præbito commendavi *pulvisculi* & *Tincturæ* nuper ordinatorum adhuc usum per aliquod tempus. Scrotum etiam notabiliter decrevit. Rogabat mater, cum nuper dixissem, puellum *per artus dentire* (durch die Gliedlein zahnen) annon liceret carpis *pannum coccineum* (ein Scharlaken Läpplein) circumligare? subridens, id per me licere dixi. Sic enim in his casibus nostri solent. Infantes cum fiunt *rhachitici*, SUEVI nostri volunt, *dentire per articulos*. Inde sumto sine dubio argumento, quod *rhachitis* plerumque circa *dentitionis* tempus ingruere soleat, illisq; pusionibus *ossa carpi & tarsi*, eo loci, ubi ossa inarticulantur, promineant, Germ. definiunt: Sie haben abgesäzzte Gliedlein. (d.2. *Mart.*)

Lactistis *uxor*, *Tumor faciei*,

§. Lactistis *uxor* bene cæteroqui habens coloque assidens *faciem* hodie ostendit *prætumidam*, sine dolore, quamvis non sine tensione: neque inflammationis index rubor adest. Videtur esse quædam *seri stagnatio*. Proposui *sudorem*. Se nulla arte *sudorem* prolicere posse dicebat, stragulis quamvis ad suffocationem usque coopertam, haustaque *theriaca*, *rob sambuci*, aliique quibuslibet *hidroticis*; Et si per tres horas sub pulvinis sepulta decumbat, corpus ad sensum sibi frigidius, quam ante, videri, solum caput aliquantillum madere, & semper a coacta *sudatione* se pejus habere. Ante aliquot annos *Sacrificulum* quendam *Medicastrum* ad se

acci-

accitum, *sudorem* certa quadam encheiresi extundere voluisse. Coxisse quasdam herbas in cera liquata, in hanc medicatam ceram intinxisse lintea, &, qua pote, calidissimis corpus totum involvisse, tectum præterea linteis aliis calidis lectique stragulis, & propinatis 50. *tinctura bezoardica* guttis. Sed aquam ex pumice, nec in ceratis istis linteis sudoris guttam apparuisse. Non igitur Naturam obtorto collo rapiendam esse regerebam. Collum pulvillo muniendum & faciem *linteis Haugii pulvere fumigatis* obvelandum; quod se facturam promisit. (d. 28. *Feb.*) XXVI.

Apud reliquos *patientes* monitu dignum nihil occurrit.

XXVII.

XXVII.

PRæterita nocte frigus vehementer auctum fuit. Hodie mane *thermometri* liquor tres tantum primi gradus lineas impleverat, ideoque hac nocte per 4. lineas descenderat, hac vespera vero paullo supra primum gradum semet exaltavit. Mercurius in *Barometro* mane quartum exacte emensus, vesperi per unam lineam cecidit, in tertia quarti gradus linea subsistens.

§. Heri noctu Acroxyli ancilla nunciavit, puellam aliquoties *alvo fluxisse*, & ingruente nocte non leviter *æstuare*. Vereri matrem, ne denuo delaberetur in pejus, consiliumque requirere. Oblitus sum (d. 25. *Feb.*) recensere, quod *pulverem fl. acaciarum*, nostrarum mulierum in solvenda pusionum alvo *euporiston*, cum *pulticula* exhiberi præceperim. Fluiditatem igitur alvi *pulticula* huic deferens, suasi ut gr. *ß. theriacæ cœlestis* tenellæ præberent, & *emulsionem amygdalarum* potui darent. Primum factum, alterum, quod alvus cum æstu sponte sisteretur, omissum. Bene dormivit. *Tussis* mitior, calor naturalis, excrementa tamen adhuc viridia & *acidum* spirantia. Nudius tertius ordinatum *linctum* ita mutavi, ut respicerem simul stomachum & ejus acorem: Acroxyli *filiola.*

Rec. *Mucilag. sem. cydon. cum aq. farf. extr.* ℥j.
diacod. Mont. ℥ß. *fir. capill.* ♀. ʒiij. *cinnam.* ʒj.
spec. diatrag. fr. conch. ppt. an. ℈ij. *M.*

Quod autem *rhonchi* pituitæ præsentiam semper adhuc proderent, non quotidie, sed alternis diebus *pulticulam* cum *pulvere acac.* exhiberi volui.

§. Capsopœi *Filius* 1½. annorum offertur incurvis artubus, prominentibus carpis & tarsis, capite prægrandi, pectore angusto, sterno, spinaque extantibus, multum comedens, & tamen macilentus, *rhachitidis* omnia, nisi quod abdomen non admodum tumeret. Alvus laxa & pæne nimium fluida. Sumat antemeridie cusp. 2. cultri de sequenti *pulvisculo* ex quolibet vehiculo: Capsopœi *Filiolus.* *Rhachitis*

Rec.

XXVIII. Rec. *Specif. antatroph.* ℥ij.
æthiop. miner. ℥j. *ol. cinnam. gtt.* ij. *M.*

Pomeridie 6. ad 8. guttas ꝶæ. ⊕li ♂. Zwôlf. quovis practicabili modo. Ter in die pectoris & spinæ inunctio *unguento cardiaco.* Hæc per 14. dies usurpentur, hinc adhibeatur *purgans* a me ordinandum, postea repetatur horum usus ad pusionis convalescentiam.

Spiraculi *filius Variola.* §. Spiraculi *Filiolus* per medium noctis adhuc male habuit, quamvis remittente post *pilulas theriacales* formidabili *alvi fluxu.* Appropinquante luce mentem recepit, suos agnovit, potum petiit. *Exanthemata* majora & in majore copia. Omnia mitiora & meliora. Jussi *pulveres* ternos hesternos iterari, cum *mixtura* cardiaca aqua *cinnamomi cydoniata* remixta. Alvum a 20 horis non deposuit, & per totam diem utcumq;, certe melius, quam per morbi decursum, valuit. Eum, per DEI gratiam, periculo mortis ereptum spero. Inter omnes, quos hac hieme in cura habui, *variolosos*, nullus obtigit, qui ab initio & circa eruptionem alvo flueret, dolore lumborum tam atroci affligeretur, & *Caro* simul laboraret, oculis enim apertis, quasi dormiens, ad interrogata nil respondebat. Non equidem sunt infrequentia *variolosis* circa eruptionem hæc symptomata, sed atrocia tamen & spem salutis ancipitem facientia. (d. 1. *Mart.*)

Ante quadriennium mulierem viduam fere 70 annorum *variolis* obsitissimam in cura habui, me quidem sciente adhuc viventem.

Tigurini *major filiolus.* §. Apud *Filiolum* Tigurini *natu majorem* (d. 25. *Febr.*) omnia recto tramite currunt, nisi, quod calor iterum aliquantisper intendatur, quod circa *variolarum* maturationem evenire solet, sine tamen periculo. Sed *medius natu* heri cœpit solito languidior esse, dormire, plusculum calere, postquam frigusculum præcessisset. Scriptum diaphoreticum cochleatim hauriendum:

Rec. *Aq. fumar. fl. samb. an.* ℥iiß.
sir. card. bened. ℥ß. *mixt. simpl.* ʒß. *M.*

Maneat in hypocausto calido. [d. 4. *Mart.*]

Dioptrici *uxor.* §. Dioptrici *uxor* (23. *Feb.*) ob immensum *capitis dolorem*, primo tempora cum fronte, hinc verticem occupantem & vix tolerabilem *pilularum* usum omittere coacta fuit. Dixerat appetitum quidem vehementer auctum etiamnum durare, ut plus quam a multis annis comedere cogatur, sed doluisse simul caput, artus, totum corpus, immo manuum pedumque digitos. Perpessam se esse phlogoses vagas, interdum solam faciei dimidiam partem sic occupantes, ut altera pars ruberet impense

cum

um auro, altera palleret. Sanguinem quoque per nares fluxisse, sanguinem se spuisse. Mulieri huic ab inde 4. septimanis œconomici labores nimium quantum accreverunt, marito præsertim fere semper absente, quibus obruta aëri semet frigido non tantum crebro exponit, sed & *animi pathematis* indulgere cogitur. Proinde suasi, ut cum primam & ultimam *diætæ* partem, *aërem* nempe & *animi pathemata* in potestate sua non habeat, sed illis inevitabiliter obnoxia sit, medicamentorum efficacium usum tantisper potius differret, donec rebus suis rite dispositis liberius & quietius vivere liceat. Ne tamen symptomata caperent incrementum, mane interim & noctu hauriret gutt. xxx. ex jusculo de seq. *mixtura*: XXVII.

Rec. 🜄. *nervin.* ℥ij. D.

Et si dolor capitis denuo negotium facessere tentet, *cucupham* nobis consuetam ex *asa fœtida*, *castoreo* & *succino* vertici imponat. *Æquinoctio* imminente, sub aëre vernali, me, quid amplius sit opus facto, ordinaturum.

§. Adenarii *uxor* [d.21. *Feb.*] fructu *tragematis* non destituitur, appetit, dormit, articulis robur redit. Saltem interdum de *anxietatibus* adhuc queritur. Continuus & diligentior sit usus *tragematis*, *Acetarium* sibi nonnunquam paret ex *nasturt. aquat. c. olivo* & *aceto* non admodum acri. Adenarii *uxor*.

§. Boidarii *filiola* 5. annorum ante sesquiannum *ophthalmia* diuturna valde ac adeo laboravit, ut lucem intueri non posset, adjuta postmodum manu *chirurgica*, meoque consilio inusto brachiolo sinistro *fonticulo*, affatim fluente. Nunc a longo tempore *facies tumet*, jam tota, jam ejus alterum latus, glandulæ in collo inflantur, brachiola tumoribus dolorificis infestantur, utriusque manus dorsum pulvilli ad instar attollitur, puella fere *bulimia* laborante. Ad medicamenta est longe difficillima. Petitur consilium primario ob manuum tumorem insolentem, nunc absentem, nunc præsentem. Dixi hos *tumores*, fere *erysipelaceos*, non nisi magno labore curari posse, immo interdum per omnem vitam durare, neque medicamentis externis hunc hostem debellari posse, immo non nisi difficulter exhibitis etiam internis. Puellam ad assumenda pharmaca vi cogendam esse. Præbeatur purgans: Boidarii *Filiola*.

Rec. *Pulv. gialap. n. resinos.* ☿ii *dulc. an.* ℈ß. *dacryd. gr. vj. M. pro dosi.*

XXVII. Postea mane & noctu 2. cusp. cultr. ex potu ordinario, cui scobs *ligni sassafr. incocta.*

Rec. *Æthiop. miner. elaosacch. cinnam. an.* ℈ij. D.

Tumores aliquoties in die inungantur, *oleo philosoph.* ℥ij. & ~CC. ℥j. M. superimposito postea *empl. diaphoretico Mynf.* (d. 9. *Mart.*)

Crymnori *Filiolus.* §. Crymnori *Filiolum* (d. 24. *Feb.*) inveni *Caseum Hollandicum* cum pane comedentem. Objurgavi matrem talia ex amore cœco & damnoso concedentem, *variolis* præsertim & copiosis & nondum maturis. Alvus hactenus clausa vulgari *suppositorio* obedivit. Cæteroqui rite omnia.

Baredui *uxor. Menses inordinati.* §. Baredui *uxor*, (NB servus de quo 14. *Jan.* ex *Febri* sua per ordinata mox convaluit) *menses inordinatos* jam diu patitur, emanentes per 6. 7. septimanas, hinc aliquali cum impetu profluentes. Nunc ab octiduo per totam fere diem *cephalalgia* circa tempora & frontem laborat, quæ pomeridie exacerbatur. Appetitus mediocris. Os mane saliva diffluens. Cum ipsa hac die menses, quamvis decolores, patiatur, a purgatione mihi abstinendum esse duxi, ordinatis interim sequentibus:

Rec. ~. *nervin. ess. carminat. an.* ℥iß.
ess. anod. ℥ß. *M.*

Mane ex scutella *Theé*, noctu ex *cochl. vini* sumantur gutt. xxx. Temporibus floreni magnitudine applicetur empl. *de tacamah.* cum *ess. anodyna* malaxatum: Fronti vero *unguenti populei* & *de hyoscyam. an.* super chartam duplicem extensorum. Post *fluxum mensium purgetur*:

Rec. *Pulv. gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈j.
dacryd. gr iiij. ol. mac. gtt. j. M. pro 1. dosi.

XXVIII.

XXVIII. MErcurius propemodum cecidit usque ad finem tertii gradus. Liquor *thermometri* primum gradum duabus lineis superavit. Dies fuit inter nebulosam & claram media. Frigus notabiliter remisit.

Lactiftis *uxor.* §. Apud Lactiftis *uxorem* (d. 26. *Febr.*) *tumor faciei* subsedit; sed hodie mane, prævia pandiculatione, frigore ad trihorium durante, cum insequente diuturno æstu, rursum correpta fuit. Dolor lumborum & capitis, cum *asthmate*, omnibus tamen, quam nuper, mitioribus. Credit, se *decocto pectorali*, quippe propter dulcedinem utero inimico, paroxysmum hunc advocasse. Sic eventuum sinistrorum caussas

uſſas in *medicamenta* devolvere ſolent moleſti patientes. Dixi *decocti* XXVIII.
ulcedinem neq; a ſaccharo, neque *melle* profectam, utero nocere non
oſſe, nocuiſſe vero *frigus admiſſum*, errores in diæta commiſſos, *medica-
enta*, regimenq; calidum in lecto omiſſa. Suaſi, ut per aliquot dies ma-
eret in lecto. Se non poſſe, reſpondit. Ut *pulveribus nervinis abſorbenti-
us* uteretur. Se non poſſe. Ut *pilulas theriacales* deglutiret. Se non poſſe.
Malle mori, quam *medicamentis* uti. O Torturas! Perſuaſi denique,
t ter in die 25. guttas *mixturæ* ſequentis ex *aqua*, in qua panis toſtus
aduit (nam aquas deſtillatas ſe etiam ſufferre non poſſe affirmabat)
meret;

Rec. *℞. nervin* ℥ij. *cochlear.* ʒj. ⊖ ✱ *ci aniſ.* ℈j.
eſſ. anod. ℈j. *M.*

Et cum dolorem punctorium in latere dextro ſe ſimul ſentire di-
eret, ſuaſi unctionem cum *unguento de hyoſcyamo oleo carvi acuato.*
umbis autem valde dolentibus *empl. regium* BURRHI.

Ædes ejusmodi hominum jam eminus horreo; qui *Medicum* vo-
ant, vocato nolunt obtemperare. Sæpe numero tales cum Chriſtia-
is modernis comparavi. Nullus horum eſt, quin cupiat æternum ſal-
ari: non autem per media, quæ DEUS in revelato verbo ad ſalutem
rdinavit, ſed per ea, quæ ſibimetipſis elegerunt, commodiora, car-
emque non admodum affligentia: Sie mögten gern mit guter Be-
uemlichkeit in den Himmel kommen. Sic & ægrotorum ne quidem unus
t, quin a morbo liberari deſideret. Non vero per media, quæ *Me-
ico* convenientia ſunt viſa, ſed ſuaviore quodam & bello modo, qui
ſi quam maxime commodus videtur. Vereor, ne utrumque ſucceſſu
reat. [d. 1. *Mart.*]

§. *Varioloſi* mei bene degunt, nec hodie quidquam a quoquam no-
tu dignum obſervatum.

§. Nezelius [d. 24. *Febr.*] nudius tertius veſperi novo horrore Nezelius.
orreptus, me ſuadente, venam heri ſecari paſſus eſt. Bene habet, niſi quod *Caſus ſuper*
oryza vexetur naſusque eo loci, ubi caſu nupero eum alliſerat, valde *naſum.*
oleat. Conſilio meo in craſtinum 50 guttas *℞. bezoardica* hauriet, ſu-
oremque expectabit.

Rec. *Ol. amygd. amar.* ʒj.
majoran. ſuccin. an. gutt. iiij. *M.*

Naribus frequenter attrahatur. Foris radici *naſi empl. reg. Bur-
hi.* (d. 1. *Mart.*)

XXVIII. Sigagronomus. §. Sigagronomus (d. 5. *Febr.*) non infeliciter medicatus est. *Tussis* & *asthma* remiserunt. Exscreatio non amplius laboriosa. Dolor & *paralysis brachij* multum diminuti. *Cardialgia* cessavit. Dixit uxor, post quamlibet spinæ dorsalis inunctionem brachium quasi *tetano* correptum obriguisse per temporis breve spatium, hinc semper robustius redditum fuisse; se adhuc sentire circa & sub ventriculo aliquid torminosi. Electuarium meum *purgans* ordinavi, quo facto, repetat *electuarii stomachico-pectoralis* nuper præscripti usum, brachiumque c. spina ungere ne desistat, donec appropinquans vernum tempus, quid porro facto sit opus, commonstret.

Capsopœus. *Dolor pedis rheumaticus.* §. Capsopœus jam ab anno & quod excedit de *dolore* pedis sinistri a genu ad usque digitos vehementi *rheumatico* questus præterito vere balneas BOLLENSES adiit, sed eas tolerare non potuit; a *ferinis* postea nostris levamen sensit, sed non diuturnum, rediitque dolor nullis vel centenis *externis litibus* amplius cedens. Frigus pati minime omnium potest, nec tamen lecti quoque calorem. Functio talis ei obtigit, ut frigidum aëra frequenter subire cogatur; nec alioqui *diata* studiosus esse queat. Interna respuit. Prævia frictione pedem dolentem ungat linimento ex 🜄. *bacc. juniperi impregnato*, cum *sapone veneto camphora* & *croco admixta æquali portione lixivii* ♆. Tibialibus gossypinis ter in 🜄. intinctis & probe exsiccatis pedem ægrotum muniat, noctuque amiciat leporina pelle. *Ferinas* suo rursum tempore adeat.

Uxor. *Officulum deglutitum.* Ipsius *uxor* ante triduum cum carne *officulum deglutiit* in œsophago adhucdum hærens, dolores & deglutiendi difficultatem excitans. Re penitius considerata nil, quod periculum minari posset, inveni. Animum formidolosæ addidi, & dixi, ut pinguibus, præsertim *simila cum butyro recenti*, frequentius uteretur.

Herminii uxor. *Ascites.* §. Herminii *uxor* 34. circ. annorum, graviditatis terminum jam pæne assecuta, *pedibus & abdomine nimium quantum tumet*, tumor assurrexit ad ipsum cordis scrobiculum, & a sextiduo vehementer augetur, sitit, urina profluit pauca, nec ad eam reddendam crebro impellitur, *cardialgia* vix est tolerabilis ab assumto vel tantillo cibo, *sota* etiam non parum molesta. Appetit, modo per *cardialgiam* ad satietatem comedere liceret. Infantis motus, qui decet. A VS. pejus habuit. *Asciticam* credo, vel certe *uteri hydrope* laborantem, medicamentis δραστικοῖς locum hic non competere ipsamet agnoscit. Quid faciendum? *Purgantia*, *sudorifera*, *diuretica*, omnia hæc adhibere vetat vici-

vicinitas ad partum? *Cardialgia*, *sota*, remedium optimum est abdominis subsidentia. Re probe pensitata securum tantisper esse *diureticorum* moderatum usum judicans, *decoctum* ordinavi ex *rad. 5. aperient. cort. ebul. samb. bacc. junip.* & *pauxillo rhabarb.* ter in die calide hauriendum, & *mixturam* seq. cochleatim adsumendam: XXVIII.

Rec. *Aq. petrosel. charefol. an.* ℥iij.
test. ov. calcin. Oc. ♋. crud. cont. an. ʒß.
Tart. ⊕*lat.* ℈j. *sir. frag.* ℥ß. *M.*

Hæc non curandi fine a me scribi dixi. Patienter esse ferendum hoc malum, donec post exantlatum *puerperium* locus concedatur auxiliis generosioribus.

§. Artamus (d. 25. *Feb.*) *colica* sua post pastum adhuc vexatur, cui ordinavi *pilulas* hac nocte sum. Rec. *Extr. bez. Cam. papav. e. an. gr. iij. castor. gr. ij. M. F. 8. pil.* Abdomini *unguentum de hyoscyamo.* (d. 1. *Mart.*) Artamus.

§. Colophonem additurus huic mensi, quædam circa *variolas* epidemice grassantes commemorabo. Prodiit Anno 1699. LUGDUNI *tr.* DN. SIDOBRE, *Medici* MONSPELIENSIS *de variolis & morbillis.* Varia continentur ibi lectu non injucunda, sed mere speculativa. Praxin enim nec mihi putem imitandam, nec alii cuiquam, ut imitetur, Auctor fuero. Ratio instituti non permittit, ut in campum illum me licentius effundam, saltem per summa capita quædam delibaturus. 1. *Caussam variolarum* quærit in ⊖*e fixo salso-acri & enixo, sulphureis*, ut loquitur, *loculis impedito, quo* 🜔*e successu temporis resoluto hic sal virus suum in massam sanguineam effundere, & hac exanthemata producere soleat.* ⊖is vero istius stamina q∫. per semen parentum in uterum ejaculatum sanguini primum, hinc *ovulo*, communicari, atque sic *variolas* non alio modo propagari, quam alium quemlibet *morbum hæreditarium.* Idem fere dicit ETTMÜLL. *in valetudin. Infantili*, nisi quod hunc ⊖*em* non inter enixos collocet, sed *acidum* potius viscido irretitum pronunciet. Hæc *hypothesis*, uti quævis de caussa *variolarum* aliæ, multis involvitur difficultatibus. Ejusmodi enim *salem fixum enixum* quis in humano corpore ⊖*ium* tantum *volatilium* pleno, & ubi, concipere possit, nondum capio. Cur non vel a centies exsuperantibus ⊖*ibus volatilibus volatilisetur*? in quibus diverticulis latet, ut 🜔*ei compedes* tamdiu non resolvi, illeque ⊖ captivatus in libertatem adseri possit? sane *hypothesin* isthanc ad *pathologiam* DN. D. STAHLII *falsam* pertinere suspicor. 2. *Alexipharmaca, bezoardica, theriacalia,* ☿ *alia, semina aquilegiæ, napi, CC.* &c. damnat, sanguini vim causticam inurentia &c. contra omnem omnium

XXVIII. seculorum & meam, hoc mense toties allegatam, experientiam. 3. Extollit *emulsiones*, & quotidie vult propinari, cum tamen in iis, qui simul alvi fluxu laborant, perniciosæ comperiantur, quippe *ventriculi tonum tunc nimis laxum magis adhuc laxantes*, & fermentationem humorum promoventes, unde in genere, ut recte WEDEL. *de compos. med. extemp. p.m. 66. quandocunq; ὀργασμὸς humorum in infimo est ventre, consultius ab iisdem abstinetur.* Imo, sui quasi oblitus DN. SIDOBRE p. 217 tractatus sui expresse scripsit: *alvi fluxui promtius succurrere Julebum* (quem paullo ante laudaverat) *quam emulsiones, quæ stomachi tonum nimis laxent & ventrem moveant.* 4 *Enematum* jugem usum etiam primis diebus inculcat, contra omnem Practicorum morem; qui propterea *clysteres* improbant, quod *diarrhœa* huic morbo fatalis accieri possit. Nos virginem 17. annorum sic aliquando morti sacrificatam scimus. Neminem in hoc morbo ex alvi constipatione mortuum novimus; cur ergo *clysmatibus* eam provocemus? 5. In *convulsionibus, sopore &c. emetica & purgantia* laudat, cum nihil sit ἀτοπώτερον. Unum, quod praxin sapit, est illud, quod *venæsectionem in adultis juxta & parvulis suadet*, quam, utinam parvulis hic locorum administrare liceret? Hic Medicus, me quidem divinante, non multos *variolosos* unquam curavit, & est ex eorum cohorte, quos LISTERUS *tr. de morb. Chron.* vocat *hypothèticos*, qui *theoriæ suæ praxin inædificant.* Caveant sibi a talibus *Medici juniores!*

SOLI DEO GLORIA!





B. C. D.

ETEODROMI MEDICO-PRACTICI LENTILIANI.

MDCCIX.

MARTIUS.

I.

Mercurius unam lineam ultra quartum gradum ſuperando gnaviter adſcendit, hodie nempe ultra integrum gradum. Liquor *thermometri* duabus lineis a ſecundo gradu diſtat. Dies erat nebuloſa. Frigus valde remiſſum. I.

§. Siderurgi *uxor* (d.25. *Feb.*) nudius tertius mane puerpera, filiolique mater facta eſt. Omnia rite procedunt, ſola *cardialgia*, vel ſtomachi dolor adhuc indeſinenter exercet. Ejusmodi *cardialgia* haut raro cauſſa eſt *periſtroma ventriculi abraſum* a quacunque cauſſa, unde paries ejus internus velamine ſuo nudatus & maxime ob ſubſtantiam membranoſam ſenſilis, impune nihil, quod aſſumitur, ſuffert, ſi aliqua qualitate excedit, ſeu calidum ſit nimis, ſeu frigidum, ſeu ſalſum, acidum, aromaticum &c. præcipue vero orificium ejus ſupernum affligitur, ob nervos ſexti paris hoc orificium cingentes. Vidimus eo rem proceſſiſſe, ut ne juris calidiuſculi unicum cochlear ſine dolore, ſequenteque vomitu ſumeretur. Quod in aliis proficuum expertus ſum & huic ordinavi: Siderurgi *uxor.* *Cardialgia.*

I. Rec. *Fl. samb. chamom. an. mß.*
coq. in s. q. aq. menth. & meliss.
Cum colat. ℔ß. ex sem. psyll. & cydon. an. ʒiß.
extrahatur mucilago clara, cui add.
sir. de alth. Fern. ℥iß. aq. cinnam ℥ij.
ess. anod. ℈j. M.

Sumat mane, pomer. & noctu cochl. ij. Continuato simul usu *linimenti balsimici* d. 23. *Feb.* ordinati.

Cum effusione *succi* illius *mucilaginosi* caute procedendum, nam cum instar *spermatis ranarum* cohæreat, si fueris improvidus, omne, quod inest ollæ, simul profunditur. (d. 3. *Mart.*)

Artamus. *Colica.* Apud *Artamum* ex usu *pilularum* & *unguenti* dolor nullatenus quievit, sed somnum per totam noctem turbavit. Et cum cibos appetat, statim vero post pastum *tormina* ingruant, quamvis non admodum atrocia, cum *borborygmis*, ad avertendum malum *tympaniticum*, consultum, immo necessarium esse duxi, ut primis viis prospiceretur, quod sequenti infuso commode fieri posse judicavi:

Rec. *Rad. 5. aperient. an. ʒiij. rhabarb. ver. ℥ß.*
mechoac. alb. ʒiij.
herb. fumar. trifol. fibr. fl. chamom. an. mß.
fol. senn. s. s. ʒx. sem. cartham. pond. ℥ß.
agar. troch. ʒiij. passul. min. ℥iß.
⊖ Tart. cass. lign. an. ʒij. mac. ʒj.

Conc. cont. affund. mens. ß. aq. font. bullientis in urceo mundo, & postquam per hor. 1. steterint, addatur vini albi veteris mens. ß. stent per noctem loco calido. Singulis matutinis bibatur ⅛. mens. calide.

Cylicii *infans.* *Tussis convulsiva.* §. Cylicii novem septimanarum *infans*, ante dies circiter octo cœpit *convulsiva* tussi corripi, flatus sonori erumpebant, cum singultu crebro, excretis viridibus & pavoribus. *Pharmacopœus* consultus, ex illa charitate christiana, quam prudentiores πολυπραγμοσύνην appellant, *sirubum de manna* dedit, ex cujus uno cochleari nudius tertius alvum quater deposuit. Aucti flatus cum torminibus, clamore, tussi & pavoribus. Heri noctu *theriaca cœlestis* gr. ß. propinatum, hodie mane convulsiones epilepticæ insecutæ. Appellatur ad superius, *medicum* nempe tribunal.

Rec. *Aq. anis.* (ob flatus) *fl. til. rut.* (ob convuls.) *an. ℥vj.*
epil. L. ℥ß. sir. fl. pœon. ʒiij. conf. alk. ʒj. M.

Detu

Detur cochlearim, & pro vehiculo inserviat *pulvisculo* ter in die
l cusp. I. cultr. præbendo :

Rec. *Unic. ver.* ℥. *nat. ppt.* ℥. *rectif.*
Cor. r. ppt. margar. ppt. an. ℈ß.
lap. bez. occid. ℈ß. *orient. gr. v. M.*

Nuchæ, vertici, temporibus *litus balsamicus*:

Rec. *Ol. NM. expr.* ʒß. *succin. rut. an.* ♌ *ll.* ʒß.
balsf. peruv. gr. xij. M.

Emplastrum theriacale fontanellæ. Farina sit probe sicca. (d. 2. *Mart.*)

§. Blepomactis *filiolus*, (d. 23. *Feb.*) in facie desquammari cœpit, pulaq́ in toto corpore passim arescere incipiunt. Rogarunt tamen, ut ixturam cardiacam, saporis, quam possibile, jucundi scriberem: iorum petitis, ut velificarer, nulla licet necessitate coactus, ordinavi le :

Blepomactis *filiolus.* *Variola.*

Rec. *Aq. acac. rosar. fragor. an.* ℥j.
conf. alk. c. pulv. anal. fr. Mind. inc. an. ʒß.
syr. fl. tun. ʒiij. M. cochleat. (d. 12. *Mart.*)

§. Lactistis *uxori venæsectio* hodierna bene cessit. Pergat cum ixtura. Hæc mulier olim venæsectioni assueta, nunc sexagenaria, ab iquot annis eam intermisit, pestilenti proverbio seducta, *quod in senibus nguinem potius intra corpus redimere, quam venarum pertusionibus prondere conveniat.* Nos venæsectioni semel adsuetos eam in quavis etiam ate non impune negligere per practicas observationes non unas edocti mus. vid *Miscell. m. Part. II. p. 632.* (d. 3. *Mart.*)

Lactistis *uxor.*

§. Saraceni *uxor* 27. circ. annorum, trium liberorum mater, n a septennio non amplius gravida, *melancholia tristi* olim afflicta, ob- , plethorica, vultu roseo, bene pasta, vitam sedentariam colens, *fficiles, paucos & fere dolorificos menses* patitur, ante quorum eruptionem *spnœa* laborat, lassitudine, anxietate, aliunde non provenientibus, iam a sanguinis in expansis vasis retardato motu progressivo. Semper *venæsectione* bene habet, quam bis in anno administrare solet, verno ilicet ac autumali circa æquinoctia temporibus. Jam, præsente adhuc lu eam differendam esse putanti; singulis hebdomatis binos excitare dores volens, potiunculam cras mane hauriendam, & largiter sudorem pectandum præcepi;

Saraceni *uxor.* *Mensium stillicidium.*

I. Rec. *Aq. fl. samb. card. bened. an.* ℥iß.
mixt. simpl. ℈ij. *matr. perl.* ℈j.
bez. miner. ℈ß. *sir. card. bened.* ℥iij. *M. pro 1. dosi.*

Ter in die sumat R. ♂. ZWÖLF. gtt. xxv. ad xxx. ex quol. vehic.

Plethora sanguinis diminutionem indicat, quæ fit triplici modo: Per *inediam*, *sudores*, *hæmorrhagiam*: Primum, uti plerisque aliis, ita huic etiam mulieri, largo pastui adsuetæ, valde ingratum est: Tertium differtur in tempus magis vernale. Eligendum igitur tantisper medium. (d. 2. *Mart.*)

Nezelius. §. Nezelius hac nocte denuo tumorem totius faciei, nasique valde dolorificum pati cœpit, & parum dormivit. Hodie mane largiter sudavit, faciesque cum naso detumuit parum. ONISIMUS præter inunctionem *olei* a me ordinati laudavit *linimentum e* ☿ *e rad. sigill. Salom. cum aq. rosar.* & *parum Regin.* HUNG. concinnatum. Et, cum, præter sitim, etiam de *urina*, cujus color lixivialis, inter emittendum ardore, & agrypnia queratur, iterum *emulsionem* ordinavi, cujus dimidia pars hodie noctu, altera cras mane hauriatur:

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒj. *papav. a.* ʒiij.
aq. fl. samb. borrag. an. ℥iij.
F. emuls. add.
CC. philos. mater. perlat. an. ℈j. *sacch. perlat.* ℥ß. *M.*
(d. 2. *Mart.*)

Spiraculi major filiolus. §. Spiraculi natu major *filiolus* in cursu *variolarum* proficit. Lingua iis obsitissima, quam rosato melle sæpe delibui volens, ad *tussim*, quacum valde molesta conflictatur, demulcendam cochleatim ordinavi:

Rec. *Aq. fl. samb. acac. an.* ℥iiß.
♁ *diaphor. CC. philos. an.* ℈j.
sir. papav. err. jujub. an. ℥iij. *M.*

Facies oblinatur sæpe *cremore hordei calido*, sponte exsiccando. (d. 7. *Mart.*)

§. Præterito autumno ex ducali mandato *Cynoctoni* totam urbem pervagantes obvios quosvis canes clava cædebant. Accidit, ut mulieri gravidæ, non advertenti, caniculam, ejus lateri accubantem, occiderent, quæ charum sibi animalculum sanguine diffluens conspicata, valde perterrita fuit, manu simul malam dextram perfricans. Hæc tempore debito enixa est infantulum *illa maxillæ parte plane sugillatum*, supremo quoque labro prominente & os veluti caninum mentiente. Accelerato propter mortis metum baptismo intra semi horam mortuus est.

est. Rumor in urbe ferebatur, infantem natum capite canino. Examinata a me obstetrix, quod supra memoravi, deposuit. *Obstetrices obligantur jure jurando, denunciare monstrosos partus loco debito.* Nam, si monstrositas, ut ita loqui liceat, in conformatione potissimum capitis nimium sit belluina, fetus illi ad Sacramentum suscipiendum incapaces judicantur, quod vero determinare *Physicorum* est, non *obstetricum.* Idem huic obstetrici faciendum erat, cujus relationi fidem jam habere cogimur. At, quæ harum plerumque fides? Tam, scilicet, heroica, quam vel mensura vini sibi reddere obnoxiam valeat. Parentes certe reticeri talia, quam in publicum emanare malunt. Orant obstetrices, adstantes, &c. ut famæ parcant, quam per monstrosos partus prostitutum iri male formidant. Res igitur hæc a *Physicatu* ad Magistratum opidanum delata, annexo petito, ut obstetricibus denuo injungatur, ne monstrositates, quamlibet leviores visas, reticere præsumant. Utinam quoque *Cynosboni* officio suo sic præsint, ut inde damnum prægnantibus nullum accersatur! quod, si velint esse cauti, præcavere possunt. I.

II. II.

MErcurius una & dimidia linea quartum gradum superavit, liquor autem *Thermometri* ab extremitate secundi gradus linea una distabat. Dies erat clara. Frigus adhuc remissius. Nives in ædium tectis liquescentes.

§. Melodidascalus (d. 26. *Feb.*) morbi sui statum a Gnomilego & me delineatum ad Batavos miserat, exquisiturus consilia 2. celeberrimorum *Medicorum*, nempe D. BERNENSIS & D. LEUCI. Summa rerum erat, ut exquireret, quo nam pacto medela posset afferri *contractionibus faciei spasmodicis*, & num thermæ Carolinæ ab aliquibus commendatæ salutares esse queant? BERNENSIS Consilium scriptis comprehensum dare recusavit, eo quod constitutionem Dn. Patientis exquisite non sciret, nec possibile sit, eam satis accurate cum omnibus circumstantiis describere, cui consultus firmiter inniti possit, hinc se metuere, ne sibi lites accersat a *Medicis*, in quorum sententiam abire sibi integrum forte non esset. Oretenus tamen ab ipso audita sequentia: Malum ex fundamento tolli non posse, Dominumque patientem, si leniantur symptomata, contentum esse debere, videre se ex morbi delineatione, *Medicos* jam omnes auxiliorum classes percurrisse, quamvis, æque sibi omnia placuisse, dicere non sustineat. *Motus faciei spasmodicos* absque dubio *mercurialium* pharmacorum promos fuisse. Mineralia, cumprimis metallica, Milodidascalus.

II, fibi nullatenus probari, CAROLINAS proinde vel alias quasvis *balneas minerales* dissuadere, quod pulmones a labe immunes non esse credat. Medicamenta e classe *vegetabilium* sibi omnium saluberrima videri, quamvis secundum ægri constitutionem seligenda, continuatis illis, quæ naturæ amiciora comperiuntur. Omnem absoluturas paginam 2. vel 3. selectas herbas traumaticas, *infusione theiformi*, aliquoties, minimum bis vel ter in die hauriendas. E balsamicis, *balsamum* 🜍 bene & nitide paratum haberi optimum. Parandum vero *e floribus sulphuris optimis optime lotis, postea cum liquore Tartari ad siccitatem circulatis, deniq; cum oleo juniperi vel anisi in formam balsamicam redactis.* Modum utendi se talem commendare: Caput fistulæ tabacinæ gossypio impleatur, quod imprægnandum 5. vel 6. guttis balf. 🜍. cujus portiones subtiliores aliquoties in die sugendo attractæ, caput minori ambage petituræ effectumque salutarem producturæ sint, quam in majore quantitate ventriculum subeuntes. Dissuadere omni modo *vini*, præcipue generosioris, omnem excessum, immo, si possibile, *abstinentiam* ab eo totalem commendare, quam, si ventriculus sustinere nequeat, potum tamen esse debere moderatissimum. Palliativis hisce remediis effectum iri, ut Dn. Patiens vitam, quasi sanus, absque præsenti periculo degere possit. Hæc BERNENSIS. LEUCUS, circa solas ferme *Carolinas* occupatus, esse quædam respondit, quæ *thermas* ills postulare videantur, plura, quæ dissuadeant. Dn. Patientem olim sanguinem exscreasse, *catarrhis* ac *cephalæa* a teneris obnoxium fuisse, ad excessus in vini cujuslibet potu subeundos propemodum obligari, corpus omnibus Medicinæ torturis jam exposuisse, se propterea metuere, ne caussæ morbi tantas radices egerint, quibus eradicandis non tantum impares futuræ sint *thermæ*, sed mala potius morbo majora producturæ, &c. Porro sciendum esse, utrum *contractiones faciei spasmodicæ* sint effectus *hydrargyri*, an forte symptoma *cachexiæ scorbuticæ*, huic valde familiare; si a *scorbuto* proveniant, examinandum esse, quæ nam acrimonia prædominetur, *thermas* enim huic prodesse, nocere illi. Summa: *Dn Patientem tutiorem viam initurum, si ab illis abstineat*, suæque sanitatis & vitæ reliquias non periclitetur. Hactenus Consilia.

Non imprudenter consuluerunt hi celebres Medici. Nos quoque *thermas* CAROLINAS a BAVARO quodam *Medico* laudatas dissuasimus, iisdem moti rationibus, nempe ob *cachexiam scorbuticam* si non præsentem saltem imminentem. *Cachecticis* enim *balnea minerales* nunquam pro-

proficuæ. *Mercurialia* medicamenta, uti contractiones faciei ſpaſmodicas fortaſſe auxerunt, non tamen produxiſſe dicendæ ſunt, cum antea jam tales, quam *hydrargyrina* admiſiſſet, tametſi leviores, Dn. Patiens perpeſſus ſit. De *cachexia ſcorbutica* nunquam dubitatum; ſcorbutus autem nobis ille viſus, qui CHARLETONO vocatur *acidus*. Ab *alcalium* uſu meliores ſemper effectus vidimus. *Balſamum* 🜍 DN. BERNENSI laudatum præſcripta methodo uſurpare Dn. Patiens decrevit, quanquam ſub forma *elaoſacchari* fortaſſe idem, quam a ſuctione per fiſtulam tabaci, effectus ſperandus ſit. Methodus tamen ſe novitate commendat. Denique DN. BERNENSIS fruſtra *Medicorum* noſtri climatis cenſuram a chirographo medicinali ſe deterrere paſſus eſt. Modeſtiores enim ſumus, quam, ut propter diſſenſum a placitis noſtris cuiquam bono viro inſultare ſoleamus. II.

§. Cylicii *puella* a medicamentis heſternis levaminis perquam multum percepit, quamobrem, ut eorum uſum prorogarent, ſuaſi. Mater penum lactis ſibi admodum pauperem eſſe dixit, ideo rogavit, *annon liceret cum lactatione decoctum quoq; pro potu, & quale, infantulæ præbere?* Annui, parareque juſſi ex *ſcobe ligni ſaſſafras* cum fructu *dactyl.* & *ſem. aniſi* decoctis in aq. font. Conceſſi *dactylos* tam quod mater ipſa mentionem eorum faceret, quam, quod infans eſſet *alvo laxiore*. Laudare tamen non poſſum, STUTTGARDIÆ fere omnibus inſolidum infantulis, cum iis, qui lacte non nutriuntur, tum ablactatis in potu ordinario dactylos, ſine ullo diſcrimine, incoqui. Nam, ſicut emaciatis & alvo fluida laborantibus non ſine emolumento potui dantur; Ita obeſulis & conſtipatis revera nocent, flatusque multos generant, quod probe obſervandum. (d.4. *Mart.*) Cylicii *puella.*

§. Nezelius noctem inquietam traduxit. Naſus prætumidus, & vehementer dolens cum pulſatione & inflammatione. Mihi de collectione puris ſollicito non adſtipulabatur ONISIMUS *Chirurgus*, cum linimento ſuo pergendum eſſe affirmans. Ordinavi pulveres duos pomeridie & noctu ſumendos, ex vehiculo pone ſequenti, ſenſim quoque per cochlearia hauriendo: Nezelius.

Rec. *Mater. perlat. arcan. duplic. an.* ℈ß.
M.F. 2. pulveres.
Rec. *Aq. fl. ſamb. rub. id. an.* ℥iij.
ſir. granat. ℥ß. *M.*

A meridie poſt horam duodecimam, cum prius, me ſuadente, ac

denique

II. denique consentiente ONISIMO, *cataplasma ex pulveribus emollientibus, mica panis siliginei, croco & lacte* factum calide applicatum fuit, pus collectum & maturum exitum sibi circa radicem nasi sinistrorsum terebravit, insigni copia inde promanans, unde statim dolor quadamtenus conquievit & nasus detumuit. Suasi, ut sollicite ulcusculum tractaretur & apertum teneretur, ne materia denuo conclusa nasi vomerem exedat, os quippe spongiosum. Ulcera nasi quæcunque spernenda non sunt, siq. inde mala multa & valde molesta pullulare possunt. (d. 3. *Mart.*)

§. Cum *variolosis* meis, per DEI gratiam, negotium rite procedit.

Vignelite *virgo*. §. Mirum, quod Onisimus de virgine Vignelite retulit, brachii nempe tumori applicatum emplastrum de *minio vesicas excitasse*, quod neque factum ab *emplastro de ammoniaco*, neque eo de *lapide calaminari*. Dixisse virginem, etiam emplastrum de meliloto sibi ubilibet applicatum caustici ad instar vesicas tantum quantum sustollere solere. Plures novi, quibus idem ab emplastro de meliloto collo applicato contigit: In teneræ fortassis & raræ texturæ subjectis *calces* illi *saturnini*, quas *emplastrum de minio* continet, cutim inflammant, quod itidem gummata & adipes in *empl. de meliloto*, cumprimis vetustiore, efficere possunt.

Bryocepuri *filiolus*. §. Bryocepuri *Filiolus* (d 26. *Feb.*) hactenus perbelle habens, a biduo frequentissime diu vociferatur, sursum retractis pedibus, excrementis existentibus viridibus. Acori demulcendo seq. cochleatim.

Rec. *Ol amygd. d. rec. expr.* ℥ß. *sperm. cet.* ʒj.
sir. viol. ʒiij. *ess. anod.* ℈j *M.*

Abdomini *emplastrum de meliloto part. ij. ungu. de hyosc. p. 1.* cum pauxillo ceræ. Removeatur *emplastrum*, consopito dolore.

Mater antea puelli abdomini applicaverat *pultem*, qua cibari solent tenelli (Kinderbrey) immixto *pulvere menthæ crispæ & addito oleo olivarum*, quod est *euporiston* non spernendum.

Saraceni *uxor*. §. Saraceni *uxor* ab exantlato largo sudore multum profecit.

III.

III. MErcurius cecidit usque ad dimidiam lineam supra quartum gradum, liquor autem *thermometri* una linea secundum gradum transcendit. Dies maximam partem clara fuit. Nives licuerunt.

§. Ordo legendi me hodie mane duxit ad *ultimum caput libri II. de vero Christianismo* B. ARNDII. Ubi, si non in totum, saltem in tantum *Astrologiæ* caussam tuetur. Valde veneror piissimi viri *divina scripta*, post SACRUM CODICEM & libros symbolicos in primis mihi æstima-

estimata. Vereor autem, ne in suscepta vanissimæ artis defensione aliquid humani passus sit. Nimius ipse fuit Amator nugacissimi PARACELSI, cujus *Ardelionis* scripta passim allegare dignatur, ut in *libro IV: dicti Christianismi* videre licet. Ea me non tangerent, nisi beatus Vir illis accederet, qui *Astronomiam Medicinæ quartam Columnam* appellare non verecundantur, *Medicosq;* illos, qui *Astrologiæ* non sunt periti, in numero Ignorantium haberent. Videamus igitur per summa tantum capita, quid & quantum ab ARNDIANIS argumentis auxilii sibi promittere possit *Astrologia*. I. DEUS *omnipotens operatur per Naturam, tanquam per media*. Verissimum. Hinc vero nondum efficitur, ipsum per *stellas* quoque in hominum animos & voluntates (nam de his potissima in capite quæstio est) operari. II. *Per siderum cursum* DEUS *ordinat tempora & annos, tempus autem est præcipuum & singularis effectus cœli, &c.* Resp. Tempus non est cœli effectus, nec cœlum per tempus, qua tale, quidquam efficit vel operatur. Tempus enim in se consideratum nihil ponit in esse; nempe nihil est aliud, quam series vel ordo rerum in certos numeros distributus, per solum quendam conceptum intellectualem. Igitur, tametsi *omnia tempus habent*, & nihil, nisi suo tempore rite procedit, prout est in proverbio, tempus tamen in se nihil efficit, qua tempus, sed adjuncta temporis, v. gr. aëris constitutio, calor &c. ferunt rosas; hinc media quoque hieme rosæ aliive flores in hypocaustis producuntur, tempore scil. non debito, neque consueto. In tempore, non a tempore fiunt, quæ tempori ab ECCLESIASTE c.3. adscribuntur. Sic, quæ ex APOCALYPSI allegantur, non de tempore, qua tali, vel quasi effectus temporis, ceu suæ caussæ, intelligi debere, in proclivi est. III. CHRISTUS *ipse nos observare jubet signa cœli*, Solem, lunam, stellas. Resp. Fortasse hoc nusquam fieri. De præsagiis tempestatum, serenitatis, pluviæ &c. res est clara MATTH. 16. LUC. 15. Sed, quid hæc ad mores, fortunas, acta & facta hominum? Ubi signa comparent in Sole, Luna & stellis, cum imminent pœnæ divinæ, id modo fit extraordinario, nec intelligendum est de ordinariis *astrorum influxibus*, *aspectibus &c.* quod luculenter probant ipsa à B. ARNDIO allegata loca prophetica. Immo, sibi ipsimet contradicere videtur *Auctor*, allegando locum JER. 10. v. 2. *A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes*, quamvis enim id intelligi velit de solis ISRAELITIS, qua DEI populo, it. de solis regenitis, qui non amplius sint *filii Jovis, saturni, martis, sed Filii DEI*; inde tamen, quod ipse vult, non sequitur, nempe irregenitis, ethnico more viventibus, &c. astra timenda esse. Nam, qui non sunt ex DEO geniti, neque sunt

III. *Jovis*, neque *saturni* vel alius *Planeta*, sed sine dubio ipsiusmet *Diaboli* Filii, quos DEUS non ducit & regit, illi ducuntur, non ab *astris*, sed ipsomet *Diabolo*. vid. 2. Tim. 2. v. 26. IV. De *effectibus ecclipsium* adhuc sub judice lis est; *Cometas* autem mala portendere adeo refutatum hodie est, ut ne γρῦ quidem adjicere libeat. *Aruspex*, qui Cajum Cæsarem dehortatus est, ne *Idibus Martii* in publicum prodiret, per Dæmoniacam potius suggestionem, quam *astrorum positus* divinavit. V. *Morbi astrales* sunt *nania* Paracelsicæ, exceptis quibusdam *lunaticis*, specie nempe certa *epilepsia*. *Arsenicales & Mercuriales* morbi, si qui darentur, propterea non essent *astrales*. Male *Medicina* ficulnea *astrologia* columna prospectum. VI. *Totum firmamentum esse in homine* inter Bombasti χρήματα non est postremum, nec a quoquam, quales ibi laudantur ejus asseclæ, egregio Philosopho probatum. VII. *Deniq; si vulgarium* Astrologorum *pracepta exploduntur, via pandi debebat ad pracepta saniora*, quorum nusquam ullum, etiam in sacro codice, vestigium. Sane, qui Sturmiana, quæ contra *Astrologiam judiciariam* solide passim inculcantur, legit, capit, ponderat, & istis næniis amplius fidem adhibet, inter saniores hodie vix tolerandus videtur. Unum adhuc addo problema: *Si quis influxus pertinet ad signa Zodiaci, qui fit, ut asterismi cujusdam Zodiacalis tot stella adeo in unum effectum conspirent, ut non simul influat vel una, vel plures stella contigui pracedentis vel sequentis asterisci?* Res fiet exemplo clarior: *Virgo* constat ex 33. stellis. Cur hæ 33. stellæ ita in unum corporis v. gr. humani effectum conspirant, ut ne una quidem vel præcedentis *leonis*, vel sequentis *libra* proxima his 33. stellis stella simul influat? Adhuc propius accedo: *Capricornus* perhibetur signum calidum & siccum, proximus *aquarius* frigidum & humidum. Cur stellæ *capricorni* omnes in effectum calidum & siccum conspirant, cum tamen proxime his contiguæ sint stellæ *aquarii* contrarium effectum præstare crediti? Immo, unde demonstrabit *Astrologus*, tot præcise stellas pertinere ad *arietem*, nullam vero *arieti* adscriptam, v. gr. *extremam*, ad *taurum*, nullum *tauri* ad *gemellos*, *gemellorum* ad *cancrum* & sic porro? Unde demonstrabit *Astrologus* variæ magnitudinis, variæ lucis stellas eundem effectum producere posse, quod eidem asterisco inesse dicantur? Cur, v. gr. stellæ minimæ *tauri* eundem effectum producere posse autumantur, quem stellæ primæ & secundæ magnitudinis eidem inexistentes? præcipue cum forte alia ab alia aliquot centum milliaribus distare queat, immo forte *geminorum* aliqua stella propior sit alicui stellæ *tauri*, quam ipsæ *tauri* stellæ sibimet invicem?

Homi-

Homines nostri in seligendis ad *venæsectiones* & *scarificationes* certis III.
gnis adhuc valde scrupulosi sunt. Hinc si sub aliis asteriscis tace quid eri patiantur, nec ex voto succedat, caussam illico infelici signo adribere solent. *Medici* prudentis non est, talibus pertinaciter conaniti, ni velit Ignorantis titulo ornari.

Adhuc unum incidit de *Astrologia*. Patroni dicunt, *inclinare sidera*, *on necessitare*. Dicunt, non probant. Nam unde probabunt, si omines mala patrant, eos obedisse magis inclinationi malignorum spectuum vel influentiarum, quam perversæ per *originale peccatum* oluntati? Sidera creata sunt ante hominem. Quem igitur habuerunt sum ante lapsum primorum Parentum? immo, quem habuissent, si rimi Parentes in statu integritatis mansissent? si usus ipsorum est, incliare saltem voluntates hominum? Annon satis miseriarum est, homiem per lapsum tyrannidi trium hostium, *diaboli*, *mundi*, *carnis*, subctum fuisse, nisi & sidera ipsa hostium numerum augerent? quam mira est Creatura homo, quam vel ipsum cœlum peccare jubet! Porro, homo, quod bonum est, facit, non id amplius erit SPIRITUS SANTI solius opus, sed SPIRITUS SANCTUS, gloriam, ni fallor, inter *se* & *stellas beneficas* partietur? Nugæ!

§. Hac nocte bene quievit Nezelius. *Nasus* adhuc tumidus & ubens, ad latus ulcusculi hesterni duæ papulæ surrexerunt, ibique pus dhuc latere indigitarunt. Iterati *pulveres diaphoretici* cum *mixtura* cochatim sumenda. Recordor ipsum 22. *Feb.* novo horrore & æstu correctum fuisse; ab eo tempore sine dubio sanguis intra nasum extravasatus pus abire cœpit. Hinc *venæsectio* haut inepte fuit administrata ☐ aduc nimium rutilat. Abstinebit igitur a *vino*. Alvus constigata resebatur *inversa ficu cum ung. alth. inuncta* & applicata. — Nezelius.

§. Lactistis *uxor* (d. 1. *Mart.*) *a venæsectione* indies mitius degit, ovo argumento, quid intersit, evacuationes sanguinis consuetas non ntermittere. — Lactistis *uxor*.

§ Nipsus jam ab octiduo valitudinem vacillare sentit. Est annoum circiter 40. macilentus, ejus temperamenti, in quo cholera dominum xercet; *cardialgia* nonnunquam laborans. Nec friget, nec æstuat, ec sitit. Heri aliquoties vomuit multa biliosa; vertigine tenebricosa borat, ac *dolore occipitis*. Queritur quasi de interno quodam *frigoris ensu*, &, cum extra lectum est, animo fere linquitur. Lassitudo sumna. *Stomachum esse horum symptomatum fontem credens*, nihil ab initio. — Nipsus. *Dolor occipitis.*

III. donec in affectum intimius penetrassem, ordinavi, quam *mixturam* cochleatim usurpandam:

Rec. *Aq. borrag. anis. an.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥j.
conf. de hyacinth. ℈ij. *specif. stomach. Pot.* ʒß.
sir. cydon. ℥ß. *M.*

Tempora & nucha oblinantur *balsamo*:

Rec. *Ol. NM. expr.* ʒß. *succin.* ℈ß.
bals. peruv. ℈j. *M.* (d. 26. *Mart.*)

Siderurgi *uxor*. §. Siderurgi *uxor* (d. 1. *Mart.*) præterita nocte alvum aliquoties cum levibus torminibus deposuit, comestis tn. illa die prunis damascenis coctis cum passulis. Rogant, an ordinatam mucilaginem nihilominus assumere debeat? Respondi, quod sic, non enim mucilagini sed cibo diarrhœam acceptam ferendam, quæ sine dubio cessatura sit sponte. De potu ordinario itidem querelæ. Solam aquam stomachum non sufferre, quamvis decoctam & *pane tosto conditam cum ras. CC. & aniso*. *Vino* sibi interdictum esse. Mammas lacte supra modum distendi. Annon liceat, respectu ad alvum laxam habito, *emulsionem amygdalinam* bibere? Suasi, ut aquæ panatæ tantundem vini veteris miscerent. *Emulsionem* propterea mihi non probari, quia lactis proventum, quo mammæ jamjam nimium turgeant, non sine magna incommoditate, augere, apta sit nata. (d. 4. *Mart.*)

IV.

IV.

MErcurius hodie primam quinti gradus lineam ferme attigit, *thermometri* vero liquor medium tertii gradus. Dies maximam partem erat serena. Frigus hesterno remissius.

Caprœni *uxor*. §. Caprœni *uxor infusum* d. 18. *Febr.* ordinatum bibit, sed menses repagula debita nondum ruperunt; immo haut raro sanguis adhuc exspuitur & per nareis emungitur, artubus valde adhuc delassatis. In publicum tamen prodit, appetit ac dormit. Cum occasio sic ferat, ut commode *thermas ferinas* nostras adire possit, ex me quæsivit, an dictas *thermas* crederem profuturas? Re probe pensitata, proficere posse respondi, non tantum artubus robur suum reddendo, verum & vi aperiente vasorum uterinorum obstructiones reserando. Sic enim Damur *Disp. de Therm. Favariens. hab. Basil. 1704. cap. 4. §. 11. th. 2. menses imminutos ac suppressos per illas aquas revocari scribit.* Quod idem de *thermis* CAROLINIS potis affirmat HOFFM. *disp. de iis habita Halæ Sax. 1705. cap. 4. §. 11. th. 3.* & DN.

& DN. TITOT. *diss. de therm. Plumbariis* LOTHARINGIÆ *hab. Basil. 1706. cap.* 4. §. 12. Idque faciunt *ferinæ nostræ* ratione *salis alcalici*, quem cum aliis thermis possident communem, quod alii loco demonstrandum reservamus. Consulebam igitur, non tantum, ut in istis mulier balnearet, sed etiam earum potum periclitaretur, mane & pomeridie primo ad ¼. mens. nostratis, adscendendo, si stomachus & alia ferunt, ad ½. cum regimine. De effectu quem bonum juxta precor & spero, suo loco. IV.

§. Nipsus tantum profecit hesterna *mixtura*, ut vomitus omnino sedaretur. Hodie mane sibi melius valere visus, surrexit, indutusque suo opificio incumbere tentavit, sed frustra. Rursum igitur in lectum se contulit. Explorata urina decenter colorata fuit, sed sedimentum nullum, nulla suspensio, non nubecula. *Dolor occipitis* adhuc, mitior tamen hesterno. Pulsus naturalis. Querela de interno quasi stomachi frigore. Nipsus.

Rec. *Diascord. Fracast.* ℥j.
♁. *diaphor. CC. philos. an.* ℈j. *M. pro 1. dosi.*

Assumsit & largiter sudavit. Meridie, quod satis, comedit, pomeridie surrexit, nec tamen extra lectum diu manere potuit. *Dolor occipitis* non plane cessat. Artuum lassitudo adhuc ingens.

Rec. *Extr. bezoard. Cam. papav. comp. an. gr. iij.*
F. 6. pilulæ noctu dandæ.

Rec. *Spec. diacret. Mynf.* ℈ij. *M. sum. cras mane.*

Utrorumque vehiculum etiam seorsim usurpandum sit tale:

Rec. *Aq. ceras. n. lavend. an.* ℥iij. *cinnam. cydon.* ℥j.
Elix. vit. Matth. c. ʒß. *-⊖d.* ℈j.
Sir. cydon. ℥ß. *M.*

Potui vinum vetus, quarta fontanæ parte temperatum. *Occiput* ac tempora *balsamo* heri ordinato perlinere non desistat. (d. 5. *Mart.*)

§. Siderurgi *uxor*, de *lassitudine, siti, cardialgia, lactisq; potissimum, redundantia* adhuc queritur, sed *diarrhæa* cessavit, non obstante, quod *mucilaginem* sumere perrexisset; quod ultra, ut faceret, insimulq; *tragemate* pridem commendato uteretur, suasi. Lactis autem abundantiam quod attinet, ex muliercularum consilio *lagenulas* 2. stanneas angusti orificii utrisq; papillis affixerat, quæ lac exsugere solent, mammasq; supra modum turgidas deplere. Non probavi consilium. Nam hoc modo dixi papillas toto die suctibus perpetuis exerceri, exhaustoq; indesinenter lacte novam semper ejus materiam, portiones videlicet chylosas, roscidasque sanguinis Siderurgi *uxor.*

 absce-

IV. abscedentis lactis inopiam sarcire, sicque extenuationem puerperæ accersi, quippe quæ, fraudata alimento sibimet ipsi debito, mammas ita semper lactifico humore turgidas habere cogatur. Remotis igitur lagenulis, proprie lactantium papillarum protractioni dicatis, jussi, ut, cum nutritius penum non exhauriret, bis vel ter in die catulum mammis applicaret, copiamque lactis sibi exsugi patiatur.

Tigurinus. *Nephritis.* §. Tigurinus (cujus natu major *Filiolus* totam ferme faciem pustulis jamjam scalpendo, crustulisque privavit) de *dolore lumborum ac dorsi, itid. urinæ suppressione* laboranti, adeoque *nephritico*, scripsi *pulverem nephriticum* mane & noctu ad cusp. 3. cultri cum pone sequenti vehiculo, etiam seorsim hauriendo, deglutiendum:

Rec. *Rad. alth.* ʒij. *gumm. ceras.* ʒß.
ocul. ♋. *crud. cont. succin. a. ppt. an.* ℈ij. *M.*

Rec. *Aq. petrosel fragor. an.* ℥iij. ⁓⊖. *dulc.* ʒß.
ess. anod ʒj. *sir. de alth. Fern.* ℥j. M.

Nezelius. §. Apud Nezelium nasus hac nocte, qua bene dormiit, valde detumuit, rubore quoque maximam partem, cum dolore, perditis. Pulsus naturalis, urina a sana parum differens. Ulcuscula vix notabile plorant. Pulsus plane naturalis. Appetitus integer. Videtur brevi convaliturus, nec interim quid amplius ordinatum. (d. 5. *Mart.*)

Cylicii *puella.* *Epilepsia.* §. Cylicii *puella* (vid 2. *Mart.*) nudius tertius ab ipsa meridie adhuc semel *convulsionibus epilepticis* afflicta, nunc hilaris degit. Mater prætertormina ventris, quæ & ipsa sunt mitiora, se nihil quidquam amplius mali sentire testata est. Usum nuper ordinatorum continuare jussi, postea vero, ni summa necessitas postulet, a pharmacis feriari.

Saracenus. §. Quas 28. Jan. Saraceno jam ordinaveram species *pro infuso theiformi purgantes*, eas demum, ingravescente denuo *sonoro asthmate*, ante octiduum in usum trahere cœpit, conquestus equidem de sapore valde ingrato, quem *saccharum* adeo non correxit, ut potius, gustui saltem suo, ingratiorem reddiderit. Sed effectus erat optatus, ut nunc per omnia melius habeat, fugato sic *asthmate*, *tussi*, *capitis gravitate*, aliisque symptomatis. Ejusmodi *infusa*, quod dicto jam loco innui, commodiora mihi & efficaciora creduntur, quam ipsa cum vino facta. Sive enim in *salina*, sive *sulphureo-resinosa purgantium* parte vis cathartica residelat, quamvis primum ultimo præpollere *historia Academiæ regiæ scientiarum* passim per experimenta irrefragabilia demonstrat, *vinum* extractioni non æque adæquatum existit *menstruum*. De *salinis* res clara est, non

de *sulphureo-resinosis* dubitare quis posset, quod *spiritus* quidem *vini*, non item *vinum* ipsummet *resinas* solvere sit aptus natus. Hinc *vinum* WEDELIO *Chim. in art. form. red. p. m. 227.* refertur inter menstrua acida. Nam ♀ quod ipsi inest, sub acido velo sic reconditur, ut vim suam exserere non possit. Minus autem huic negotio, solvendi sc. *resinosas purgantium partes*, aptum est *vinum* coctum vel fervefactum, cum particulæ ♀. per coctiorem expellantur, salinæ, acidæ, Tart. concentrentur & exaltentur. Omne enim *vinum* coctum fit acrius. Hinc, ubi *infusa* cum vino parantur, commodius est speciebus primum affundere *aquam ferventem*, &c. cum per horam steterint, vinum demum frigidum sibi relictum. IV.

§. Nactus sum hodie aliquot frusta *lumbrici lati*, vel, si mavelles, totidem *lumbricos*, qui prodierunt e *filiola* NEANDRI, de qua 11. *Febr.* plura. Erant massulæ candidissimæ membranaceæ, pollicem dimidium longæ, duarum circiter unciarum latitudine, crassitie dimidiæ præterpropter unciæ. Altera extremitas erat lata, altera in rotunditatem terminata. In lata extremitate rima quædam seu linea, quæ veluti cavitatem massulæ promittebat, sed ea nullo, quamlibet subtili, instrumento penetrabili. Oculo nudo quasi striatæ comparebant, sed per *microscopium* examinatæ nil quidquam organici, sed massam candidam similarem, quasi *tragacantha* puræ luci obversæ, referebant. Sic, ut etiamnum dubius hæream, utrum unquam animalcula fuerint, nec ne? substantia erat quasi amurcæ in aceto vini coagulatæ, quam matrem vocant aceti, Essigmutter. Color non item, quam hujus concreti, carneus. Quid si tales massulæ e sola pituita in diverticulis intestinorum alicubi concrescant, cum alioqui viderimus massas quasdam carnoso-membranosas numero maximo illinc excretas fuisse, quarum historiam tradidimus MISCELLAN. *Part. I. pag. 239*? Certe vivas e puella prodisse domesticorum nemo vidit. Id tamen notari meretur, non, vel sane rarissime, cum excrementis alvi prodire, sed fere semper solas. Curiosus LÖWENHOEK *arcan. natur. Epist. 78. p. m. 400.* mentionem injicit ejusmodi massularum a quodam *Medico* sub nomine vermium ejusdem contemplationi traditarum, quas ipse, sc. LÖWENHOEK non *vermes*, sed *membra vermium* æstimavit, ex quibus abruptis magna & incredibilis fere copia globulorum effluxerit. (d. 7. *Mart.*)

Neandri *filiola.* *Lumbricus latus.*

V. Mer-

V.

V.

MErcurii hesterna statio. *Thermometri* liquor altior una linea. Tota dies nebulosa, interdum pluviola.

Æxuri *uxor.* *Abscessus gingivalis.*

§. Æxuri *uxor* ab *odontalgia* ulcus in gingiva accepit jam ante 3. septimanas, gingiva pressa semper puris nonnihil profundit. Illud ulcusculum non esse negligendum dixi, ne *fistula* oriatur, quod sæpenumero fieri solet, cum *oris fetore* permolesto, quin & *carie maxillæ.* Ordinavi *electuarium gingivale*, cujus parva portio ulcusculo aliquoties in die inungatur, postquam liquefacta fuerit exspuenda:

Rec. *Pulv. gumm. lac.* ℈ij. *myrrh. r.* ℥is. ℈j.
bals. de Tolu ʒß. *mell. rosat. q. s. ad consistentiam spissioris electuarii.*

Nipsus. *Dolor occipitii.*

§. Nipsus a *pilulis* per dimidium noctis bene dormivit, expergefactus post cum *dolore capitis*, eum sustulit, usq; ad lucis ortum. Mane *pulverem* sumsit, sed *dolorem stomachi* cum inani vomituritione se inde passum querebatur. Dolorem cervicis ibi quam maxime torquere dicebat, ubi sunt musculi *splenii*, hinc versus aurim sinistram protendi ad sinistrum latus sincipitis, & ibi nonnunquam in angustum contrahi, ut vel floreno tegi possit, & tunc dolorem esse acerbissimum. Etiamnum frigus internum, ut ait, stomachi accusat. *Affectum* inde *nervosum* judicans & de *clavo capitis* cogitans, dixi de *vesicatorio* ipsi vertici affigendo. Tale quid se jam ante annum tentasse, sed dolores inde longe acerbiores factos, regessit. Igitur, cum etiam de plantarum utriusque pedis dolore lacerante verba faceret, adhuc de *nervoso genere* affecto certior redditus, ut alteri brachio, alterique suræ *vesicatorium* inuri pateretur, suasi, quod se facturum promisit. Interim ordinata *mixtura* mane & pomeridie ad gtt. 40. ex potionis cochleatim sumendæ haustulo propinanda:

Rec. 🜄. *nervin.* ʒij. *ess. carminat.* ʒj. *M.*

Pilulas hesternas hac nocte iterari volui: *cervicique* imponi *emplastrum regium* BURRHI. Cum ædes pomeridie præterirem, patientem meum vidi in officina sutoria, bovinum tergus pro calceorum soleis dividentem. Dixit, se per totam hanc diem bellissime valere & egregie pransum esse, propterea quoque *vesicatoriorum* applicationem in tempus magis necessarium distulisse. Monui, ne sibi nimium placeret, & in hypocaustum calidum pedem quando cyus referret, nervorum enim affectus cito transire, inopinatoque redire, nec frigidum aëra sustinere posse

Dila

Dilationi *veſicantium* annui & reliqua pharmaca continuare juſſi. (d.6.*Mart.*) V.

§. Nezelii naſus omnis fere ſanatus eſt, ſic ut in publicum hac vеſpera prodire voluerit, tutius autem, ſi in VII. usque hujus menſis exitum e domo differret, exiſtimavi, in quo ſemet obtemperaturum promiſit. (d.7.*Mart.*) Nezelius.

§. Gerechti *uxor* 63.circ.annorum, obeſa, jam a longo tempore *aſthmatica* eſt, ſic ut ſcalas non niſi laborioſiſſime reſpirando, identidem in gradubus quieſcendo, cum ſtertore, aſcendere poſſit. Tuſſis adeſt, viſcida pituita. Vacillat appetitus, facies eſt pallida, ſed nusquam tumor. *Cachectici* quid oriri poſſe judicans, ordinavi *infuſum* mane calide hauriendum ad ℥vj. Gerechti *uxor*. *Cachexia.*

Rec. *Herb. praſſ. hyſſop. an. mj.*
fl. acac. papav. err. an. mſs.
rad. helen. ℥*ß. liquir.* ʒ*iij. ſem. aniſ.* ʒ*j.*
fol. ſenn. ſ. ſ. ʒ*x.*
rad. polypod. quern. ʒ*v. mechoac. alb.* ℥*ſs.*
ſem. carth. ponderoſ. agar. trochiſc. an. ʒ*iij.*
paſſul. min. ℥*j. Tart. crud.* ℥*ſs.*
caſſ. lign. ʒ*ij. croc.* ʒ*ſs.*

Conc. cont. affund. *aq. ferv.* menſ. *ß.* & poſt horam *vini albi veteris* menſ. j. ſtent per noctem loco calido, hinc ſervetur in hypogæo.

Noctu cubitum itura ſumat gtt. xxx. *mixturæ* ex cochl. *vini*:

Rec. ~. *cochlear.* ⊖ ✱*ci aniſ. an.* ʒ*j.*
℞*a. croc.* ʒ*ß. M.*

§. Sextarii *uxor* ab *infuſo theiformi* & *tragemate* d. 21. *Febr.* ordinatis belliſſime habet. Vultus roſeus, appetitus firmus. Id ſolum queritur, ab aſſumto *infuſo* hora circiter una, dolere ſtomachum. Juſſi, ut continuatis medicamentis, quoties ex ſtomacho doleret, aſſumeret cochlear 1. *aq. cinnam. cydoniat.* Sextarii *uxor*.

Filius rogavit, ut purgationem menſtruam, *electuarium* nempe d.5. *Febr.* præſcriptum in *pilularem* formam mutarem, ſibi enim *electuarium* amplius deglutire impoſſibile eſſe. Velificandum petito ratus ſequentes ordinavi *pilulas*:

Rec. *Extr. cathol. gr. xv.*
magiſt. gial. ſcamm. an. gr. vj.
M. F. pil. n. xviij. pro 1. doſi.

V. §. Arctoæ *Filia* natu secundæ ante semestre præscripseram *linimentum* contra *fissuras labiorum*, quas nec *pomatum*, nec *album camphoratum*, nec litus *mucilag. rad. symphyt. c. aq. plantag. extr. add. bol. arm. & ol. cera*, nec aliud quidvis consolidare poterat; quod *linimentum* cum feliciter cesserit, eædemq; *fissura* rursus urgeant, idem repetendum esse duxi, nempe tale: Rec. *Ol. amygd. d. ceruss.* ☿. *an.* ℥ij. *camph. gr. vj. M.*

e conquassatis fiat linimentum.

Æxurus, *Cephalalgia.* §. Æxurus, *Juvenis* 24. annorum, *plethoricus*, singulis anni quadrantibus venam secare solitus, quorsum compellitur larga præcedente *hæmorrhagia*, mihi retulit, se *dolore capitis* vix tolerando sæpe affligi, per experientiam vero didicisse, nullo se medio præsentius levari, quam tempestiva tonsura totius *capillamenti*. Novi hoc aliquando in aliis quoque feliciter cessisse; sed & alia mihi exempla sunt nota eorum, qui a *tonsura* acerbius doluerunt. Caussa difficilis indagatu. Si quid conjecturæ dandum, medebitur fortasse tonsura cephalæis a caussa calida, sc. ebullitione sanguinis & tensione pressuve meningum ab arteriis expansis; nocebit iis a caussa frigida, lympha nempe acri & gelatinosa, meninges lancinante. Ibi refrigerium ebullienti sanguini, hic lymphæ per se crassiori majus coagulum conciliatur. Experientia sit arbitra.

§. Præsentibus nundinis convenerunt me *Circulatores*, *odontiatri*, hujusque farinæ crumenimulgi, veniamque suas imposturas exercendi merculasque vendendi rogarunt. Horum petitis ægerrime velificari soleo. Licet enim se nil, nisi dentibus oculisve mederi, calculos & herruas secare, lumbricos expellere velle, promittant, promissis tamen stare non solent, sed quosvis ægrotos ex quocunque morbo laborantes suscipiunt, & cum eos pecunia emunxerunt, aliorsum migrant, & de relictis clientibus parum solliciti sunt. Ante semestre talis quidam ardelio nundinas nostras perstrepuit, solum semet *Ocularium* professus, thrasonicis vero gloriationibus credulum vulgum adeo pellexerat, ut catervatim ad illum confluerent, sonticis morbis vel ab infantia correpti. Nec ullum sine solatio dimittebat, curatum vero neminem novimus. Hominem sexagenarium a multis jam annis cœcum in theatro publice videntem reddere sustinens, utrique oculo acum infixit, *cataractam* deposuit, sed visu cum quovis TIRESIA certantem reliquit. Morioni suo venenum, *arsenici scil. utrimq; 6. grana* deglutiendum dedit & *orvietano* suo salvum præstitit &c. quo ultimo effecit, ut in ipsum inquireretur. Sed perditissimus nebulo fabam in se cudi subolfaciens fuga semet proripuit, vestigia non sane levia relinquens, glaucoma dolosum huic *toxicoposia* subterfuisse. Interim adeo nostri, nec infimæ tantum conditionis, homines occœcati sunt, ut malint se credere his fumivendulis, quam *Medico* ordinario; & cum illis viginti flo-

ti florenos alibi non raro mutuo acceptos, libenter solvant, in *Medicum* & *Pharmacopolas* bacchantur, si ternos, quaternos &c. poscunt. Cum itaque hi *loculisecæ* plerumque sint Asini decumani, *scurræ*, deceptores, impii & atheistæ, satius erat eos tollere cum pulvisculo & finibus germaniæ procul arceri. Sunt apud nos *Medici*, sunt *Operatores* & *Chirurgi* eximii, nec opus habemus his *blateronibus*. At vero trium literarum Tyrannus Mos, quæ non mala invehit, tolerat, imò remunerat?. Ante me plures de his næniis conquesti sunt & *medicinam* postularunt. Sed, quid de BABELE *germanico*, de confusionum in omnibus statibus & conditionibus fecundissima matre boni sperandum? *Curavimus* Babel, *at non est sanata Jer. 51.* — V.

§. Euphori *uxor* 30. circ. annorum, ob infelix conjugium animi pathematis, ira, mœrore frequenter afflicta, nunc a 14. fere continuis diebus affligitur *clavo hysterico*. Sinistra capitis pars continuo quidem dolet, exacerbatur vero dolor pomeridie hora 2. gradu per singulas horas in noctem usque aucto, donec sensim iterum mitior evadat. — Euphori *uxor.* *Clavus hystericus.*

Rec. *Rad. ar. ppt. Crem. Tart. an.* ℈j. *M. F.* ☿.

Noctu ante somnum cum jure sumatur pro *Digestivo*: Mane *electuarium purgans* consuetum in dosi auctum, cum difficulter alvum moveri diceret. Affecto loco *linimentum* splenio exceptum applicet:

Rec. *Ungu. de hyoscyam.* ʒj.
axung. castor. op. thebaic. an. ℈j. *M.* (d. 6. *Mart.*)

§. Vinariensis medicamenta d. 20. *Febr.* ordinata assumsit, sed parum, proh dolor, profecit, *agaricus* adeo alvum non movit, ut potius constiparet, *tussis* est vehementissima, sicca magis, quam humida, appetitus fere nullus: extenuatio corporis major, *facies plumbea*. De *vomicis* vel *abscessibus* in pulmonibus fere non amplius dubito. Ulterius MERMANNI methodum secutus, ordinavi *pulveres* duodecim mane ex ovo sorbili sumendos: Rec. *Fl.* ♀*is* ℥j. *spec. diair. simpl.* ʒij. *M.* divid. in 12. part. æqu. Noctu ℥ß. *electuarii*: Rec. *Cons. ros. r. antiq. papav. err. an.* ℥iß. — Vinariensis. *Phthisis.*

olban. ☿. ʒj. *nuc. mosch. ras. bol. arm. ppt. an.* ʒß.
sir. jujub. q. s. F. elect.

Constipatæ alvo succurrat *potiuncula* OSWALDI, non semel in hoc ETEODROMO memorata. ((d. 11. *Mart.*)

§. Æque male res succedit cum *uxore* ACTUARII (vid. 13. *Feb.*) Nil nisi *sceletos* videtur, *tussis* adest ferina, *asthma* valde molestum. Ordinavi *Decoctum* VINARIENSI d. 20. *Febr.* præscriptum, cum adnexis *rotulis*. Potum ordinarium, vinum *Neccarinum* tertia parte *decocti liquiritiæ cum sacchare cantho rubro* temperatum. Et, cum ab alia quadam muliere, eaque experta, *pinguedinem caninam* sibi valde laudatam esse dice- — Actuarii *uxor.* *Pthisis.*

V. diceret, egoque subolfacerem, hanc ægram appetitu pinguedinem hanc experiundi teneri, *contraindicante* nullo præsente concessi, ut hujus *pinguedinis* cochlear unum jusculo solutum bis in die sorberet.

Duobus his tabidis ver imminens parum fausta minari credo. (d.16. *Mart.*)

Actuarii *major Filius.* *Verminosa pullities.*

§. Actuarii *major natu Filius* 13. annorum pallet, friget, æstuat, somnus est inquietus, cum terrore evigilat, secalini panis plurimum comedit. De *verminosa pullitie* persuasus ordinavi laxans *electuarium*:

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j.
☿ii dulc. rit. par. sem. santon. an. gr. xij.
elect. e psyll. ʒiiß. *M. pro 1. dosi.*

Excrementa observare jussi, pro *purgationis* effectu idonea ordinaturus.

VI.

VI.

B*Arometrum* extremitatem gradus quarti emensum est. *Thermometrum* quale heri. Nox erat valde pluvia, sed calida, & per totam fere diem tenuissime pluit.

Nipsus. *Dolor occipitis.*

§. Nipsus melius equidem valet, & extra lectum manere potest, sed dolor hemicranicus nondum cessat, & lacerans, quem in pedum plantis passus est, genua nunc occupavit. Incipit tussire & pituitosa multa exscreare cum *oscitatione* multa & molesta. *Purgatione* opus esse judicans, *vinum medicatum* ordinavi:

Rec. *Herb. trifol. fibrin. absinth. menth.*
*fl. cent. min. an. m*ß.
rad. pœon. mar. acor. an. ℥ß.
sem. anis. ʒij. *fol. senn. s. s.* ℥iß.
rhabarb. ver. rad. mehoac. a. agar. troch. an. ʒiij.
turbith. alb. & gummos. ℥ß. *passul. min.* ℥iß.
Tart. crud. ℥ß. *cinnam. opt.* ʒij.

E conc. cont. cum mens. dimid. aq. ferv. & una vini consueto more fiat *infusio*, ejusque mane hauriatur quartarius dimidius calide: noctu vero sumatur *mixtura nervina* nuper ordinata ad gtt. 40. (d. 9. *Mart.*)

Gripeutus. *Diarrhœa.*

§. Gripeutus 66. annorum à 14. diebus *profluvio alvi* vexatur, cui mederi sustinuit *pulvere stomachico* jam olim a me laudato, vino item rubro & nuce moschata. *Tormina* non adsunt. Excrementa liquida quidem, sed cinerea vel fusca, non *lienterica* vel *cœliaca*. Appetitus non prostratus, sitis tamen solito major, lassitudo aliqualis. *Cardialgia* deest.

Rec.

Rec. *Conf. rof. r. antiq.* ℥j. *symphyt. miv. cydon. an.* ℥ß. VI.
Cor. r. pp. ▽ *catech. bol. arm. ppt. an.* ʒj.
nuc. mosch. ras. ʒß. *Conf. de hyac.* ʒj.
extr. papav. ℈j. *sir. cydon. q. s. M.*
F. Electuarium spissius.

Sumat ter in die quantitatem juglandis. Ventriculo imponatur *emplastrum* intra 24. horas renovandum:

Rec. *Cerat. stomach. Gal. empl. de crust. pan. an.* ℥ß.
malax. c. ol. mastich.

Bis in die cum jusculo calid. gr. I. *ol. N. M. expr. solut.* accipiatur.

§. Pyrpoletis *vidua* 60. annorum *hemicrania* vel *clavo* potius *hysterico* laborat, eo magis, ex quo gestatum supra verticem onus subito projecit, tunc enim dolorem auctum fuisse, & cervicem quoque occupasse, sinistram praecipue partem, ubi, cum caput rotatur, vel ad alium latus deflectitur, sonus quasi confracti straminis auditur. Pyrpoletis *vidua* *Clavus hystericus.*

Rec. *Pulv. gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈j.
dacryd. gr. iiij. ol. mac. gtt. j.
M. F. ☿. *pro 1. dosi.*

Postea mane & noctu gtt. xxv. *mixturae* sumantur ex quolibet vehiculo: Rec. *Ess. lignor. succin. an.* ʒiß. *M.*

Collum ungatur *unguento nervino.* Et, cum susurri simul in capite percipiantur, mane ante *mixturae* sumtionem granum *mastiches* selectum tamdiu masticetur, donec salivam amplius ciere desinat.

§. Virgarii *adoptivus* (4. *Febr.*) a *purgante* nuper ne semel quidem alvum deposuit, quod maximo pituitae lentori adscribo. Interim abdomen praetumidum, facies lurida, appetitus fere caninus. *Lumbricorum* rationem habens ordinavi 12. ☿es quorum una chartula mane & noctu ex *melle rosato* sumatur: Virgarii *adoptivus.*

Rec. *Æthiop. miner. CC. ust. ppt. an.* ʒj.
Corallin. sem. santon. gial. n. resinos.
Sem. foenigr. an. ʒß. *M. F.* 12. ☿.

Abdomen bis in die *unguento arthanitae* ungatur:

§. Grapteris *Filiolus* a biduo praeter naturam calet, sitit, parum comedit, inquiete dormit, e somno ex improviso evigilans clamorem sonorum edit, mox iterum consopitur, macrescit, tussit. *Dentitionem* pleraque accersere credo, cum tamen & *variola* hactenus *epidemica* fuerint, donec, quorsum vergeret natura, experirer, *mixturam diaphoreticam* cochleatim praebendam ordinavi: Grapteris *Filiolus.*

VI. Rec. *Aq. fumar. fl. til. an.* ℥ij.
epil. L. ℥ß.
specif. cephal. ℈j. *conf. alk. c.* ʒj.
sir. fumar. ʒiij. *M.*

Maneat in hypocausto calido. (d. 7. *Mart.*)

Toparii *uxor.* *Otalgia.* §. Toparii *uxor* (d. 30. *Jan.*) de *dolore auris sinistræ, tinnitu* & *obauditione* queritur:

Rec. *Ol. amygd. amar.* ʒj. *succin.* ℈ß.
Ra castor. ʒß. *M.*

Excipiantur aliquot guttæ calefactæ *gossypio* contorto, quod intrudatur auri, noctu superimposito sacculo *semine carvi* repleto.

Euphori *uxor.* §. Euphori *uxor* a *purgante* nil mota fuisset, nisi circa meridiem hausisset decoctum prunorum dulcium cum ℥ij. folior. sennæ. Decies hinc soluta pomeridie, non doluit, sed viribus semet exhaustam conquesta est. Ordinavi *mixturam* cochleatim frequenter hauriendam:

Rec. *Aq. puleg. matricar. an.* ℥ij.
hirund. c. castor. ℥j.
elix. uter. Cr. ʒj. *ess. anod.* ℈ß.
♁ *nat. ppt.* ♁ *ii rectif. an.* ℈j.
sir. artemis. r. ℥ß. *M.*

Non omittatur linimentum. Urinam mittat 8. *Mart.* mane contemplandam. (d. 8. *Mart.*)

VII.

VII.

MErcurius primam quinti gradus lineam attigit. *Thermometrum* quale heri. Dies erat nubila. Pluviæ interspersæ. Ventus occidentalis. Aër temperatus. Matthias, juxta stylum Julianum, glaciem invenit, eam quoque, prout apparet, liquefacturus.

Neandri *filiola.* *Lumbrici lati.* §. Occasionem nactus cum Neandro loquendi, de *lumbricis lat*[is] e corpore *filiolæ* prodeuntibus, quorum (d. 4. *Mart.*) examen microsco[pi]cum tradidimus. Ex ipso quæsivi: *Utrum aliquando vitam in his mass[u]lis ullam animadvertissent?* affirmando respondit, non tantum se movis[se] sed extensione facta duplo longiores factas fuisse, quamvis & multæ pr[o]dierint, in quibus nec vita nec motus observatus. Convictus proin[de] de *animalculorum* horum existentia, id tamen testari cogor, me nunqua[m] ullum simplicioris texturæ animal vidisse, hosque *lumbricos* sic anima[ta] esse, ut vix animalia dici mereantur. *Ova muscarum* cum alimen[tis] assumta in puellæ hujus intestinis sic alterari, principiumque vitale iis i[n]

exist[...]

existens adeo hebes & fatuum evadere, ut ex illis insectorum quasi vivæ VII.
molæ oriantur, conjicio. Et, prout curiosus Lôwenhœk *loc.cit.* de vermibus intestinis *anguillarum* adhærentibus docet, eos nempe, non sanguine, sed pituita intestina oblinente, peristromate scil. nutriri, oreque suo intestinorum interno parieti tamdiu affigi, donec alimentum ipsis non amplius suppetat; ita fore de his quoque *vermibus* credo, extremitatemque corporis latam, fissura præditam, os eorum, esse, quo intestinis adhærendo convenientem sibi succum exsugunt arbitror. Referebat Neander, aliquando prodiisse frustum 3. ulnas, aliquando aliud sesquiulnam longitudine sua metiens. Rogavi, ut si plura excernerentur, mihi transmitteret, examini alii subjicienda. De his vermibus, quos accepi, aliquos exsiccaturus, super chartam extensos fornaci applicavi, tunc, quum aruerunt, *microscopio* denuo subjiciendos.

§. Grapteris *filiolus* noctem traduxit inquietam. Plerumque præternaturaliter calet. Sitis magna. Valde fit macilentus, & noctu adhuc sonoro clamore unico excitatur, er tuht einen Griller. Id quidem fieri solet in pusionibus *epilepsiæ* obnoxiis, sed cum alia sæpenumero signa, hujus affectus prodromi, desint, & frequentissime nil *convulsivi* clamores eos insecutum esse viderim, in eam descendi opinionem, *dentes* adhuc intra gingivas latentes, has nonnunquam terebrantes, vel spiritus animales cum impetu irruentes, ejusmodi dolores, ceu *spina infixa*, clamorisque effectum, præstare, proinde non semper *epilepsiæ*, sed etiam *dentitionis* signum esse. Exhibeatur puello ter, qualibet die, nonnihil de *pulvere* vel quovis modo, vel cum addita *mixtura*:

Grapteris *filiolus*.

Rec. *Pulv. analept. fr. Mind. inc.* ℈j.
antihect. Pot. matr. perl. ppt.
ebor. subtiliss. ♃*isat. cryställ. ppt. an.* ℈ß.
ol. cinnam. gtt. ij. M.
Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥ij ß.
conf. alk. c. ℈j. *sir. cinnam.* ℥iij. *M.*

Spinæ dorsi bis in die, mane scil. & noctu ante somnum, inunctio:

Rec. *Ungu. resumt.* ℥ß. *ol. rosat.* ℥ij. *M.* (d.8. *Mart.*)

§. Grapteris *uxor* (d. 24. *Jan.*) hactenus & quotidie quidem, *febricitare* quamvis non adeo intense, non cessavit, usque ad primum hujus mensis, ex quo febris eam reliquit, & quidem, ut mihi fassa est, ex usu largo carnis suillæ coctæ, quam avidissime appetebat. Historiæ sic

Grapteris *uxor.* *Febris intermittens.*

VII. sic multæ passim leguntur *de febricitantibus*, qui, appetitu summo in rem aliquam esculentam lati, desiderioque potiundi occasionem nacti, *febricitare*, desierunt; id germanice exprimentes: Sie haben das Fieber an etwas abgessen.

Tigurini *filiolus minimus.*

§. Tigurini *filiolo* natu minimo (vid. 18. *Febr.*) d. 18. *Nov.* Anni præteriti ordinaveram *purgans* tale:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xviij. sir. de cich. c. rh.* ℥*v.*
∽⊖✱*ci anis. gtt. iiij. aq. acac. parum. M.*

Unde, licet nondum nonimestri, ne semel quidem alvus mota. Cum vero & jam infantulum ob pituitæ ex rhonchis judicatæ congestionem purgatione indigere censeam, sequentem præscripsi:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xvj.*
sir. de cich. c. rh. ℥*ß. M.*

Mirum est, quam difficulter haut raro infantes a *purgantibus* moveantur, quod hinc existere censeo, quia phlegmate viscido multo abundant, cui particulæ *purgantium* activæ implicatæ massam humoralem non tam promte, quam in adultis, fermentare faciunt. Quo non obstante, caute tamen cum infantibus procedendum, & semper intra medium doseos subsistendum esse, puto. (d. 8. *Mart.*)

Nezelius.

§. Ita quidem cum Nezelio mane comparatum erat, ut 5. *Mart* recensui, sed pomeridie *nasus* in dextra parte denuo dolere & obstru cœpit, & cum eum frequentius emungeret, ruptis repagulis, *puris* pe narem dextram copia non pœnitenda & sponte profluxit, & nare press prosiliit, unde obstructio maxima sui parte ex illa nare sublata, alteran occupare cœpit, successive sic auctam cum dolore pulsatorio, ut nasu denuo & tumeret & inflammaretur, interiorque tunica adeo intumesce ret, ut naris illius cavitatem fere totam oppleret, polypique ad insta promineret, & cum heri noctu novus exortus fuerit febrilis paroxysmu in eam cum Onisimo sententiam descendi, etiam hic puris copiam l tere. Applicata igitur emollientia & maturantia, a quibus speram *abscessum* novum ruptum, & exhausta quoque hac nare hisce molest finem impositum iri. (d 8. *Mart.*)

Spiraculi *Filiolus major.* *Variola.*

§. Spiraculi natu major filiolus (d. 1. *Mart.*) parentibus demu observantibus, in oculo dextro *pustulas variolosas*, quamvis jamjam ru tas, ostendit. Solliciti igitur de visu consilium petunt. Oculos, se per extersо probe in angulis contento *pure*, aliquoties in die prolui j *collyrio.*

R

Rec. *Aq. fl. cyan. fœnic. an.* ℥ij. VII.
tut. ppt. matr. perl. ppt. an. ℈j.
campb. gr. iiij. M.

Alioqui videtur extra periculum positus, quamvis ob *variolas* fauces occupantes, nihil nisi lac, appetat, deque dolore dorsi & capitis adhucdum queratur. In facie atescere incipiunt. Erat autem obsitissimus, qualem non magis obsitum hac hieme observavi. Notandum, *etiam eam cutim, quam vesica per cauterium potentiale excitata, texerant, persanatis illis, demum* VARIOLIS *deturpari visam.* (d. 23. *Mart.*)

§. Lycaonis *privignulus* fere biennis heri piger, somnolentus, calens, nimium bibens, deliquio levi correptus, ad se brevi rediit, hac nocte dormivit, per totam diem non equidem admodum hilaris, sed neque suis multum ægrotare visus sub vesperam immani rursus æstu accenditur, semper dormiturit, expavescit in somno. Nec *vomuit*, nec alvo est constipata. Proinde, licet *variolas* sub hoc involucro latere suspicer, certo tamen de his pronunciare nondum potui; *emulsionem* vero *diaphoretico spasmodicam* cochleatim præbendam ordinavi: Lycaonis *privignulus.*

Rec. *Sem. melon. cucurb. an.* ℥iß.
aquileg. nap. an. ʒß.
aq. fumar. fl. til. an. ℥ij. *F. emulf. add.*
pulv. march. ℈j. *lap. bez. orient. gr. vj.*
fir. fumar. ℥ß. *M.*

Cum potu ordinario (interdicto plane *vino*,) *aquam fumariæ* bibat. Conclave nimis calidum temperatius reddatur. (d. 8. *Mart.*)

§. Cum hodie pervolverem tractatum D. FREUND, qui inscribitur *emmenologia*, in ejus cap. 7. p. 40. forte fortuna offendi modum, quo, secundum BELLINI mentem, explicare conatur *febrium intermittentium* statas periodos. Summa rerum hæc est: Sanguis in his *febribus* lentore peccat. Igitur circulaturus, dum ad capillarium vasculorum ostiola appellit, ob lentorem suum vasculorum parietibus adhærens subsistit & sensim accumulatur, unde in *febribus* a denegato in corporis extimas partes affluxu, *frigus*. Interea sanguis in majoribus ramis accumulatur, cor oppressum crebrius validiusque contrahitur, aucto hinc sanguinis momento fit calor & subsistentis intra parietes vasculorum violenta propulsio, unde sudor & paroxysmi, solutio. Durat *apyrexia*, dum à sanguinis viscidi novo appulsu denuo sensim vascula obstruuntur, a quibus rursum satis oppletis novus fit paroxysmus. Et quamdiu idem sanguinis lentor permanet, mirum non est, statis quoque

 perio-

VII. „periodis paroxyſmum inſtaurari, lentore mutato, mutari quoque periodum & morbi typum. Ita, ſi rite rem capio, Freundius. An Bellini hæc proprie ſit opinio, me latet, qui Auctorem quidem poſſideo, nunc autem inquirere non vacat. Nec Dn. Bellini invideo laudem, qua mactatur a Freundio, quod nempe ſit *Theoria medicinalis inventor primus*. Id ſaltem dico, me, per DEI gratiam, feliciter & *febribus*, & aliis morbis fuiſſe medicatum, antequam Bellini *Theoria* lucem vidiſſet. Quidquid ſit, hæc *periodorum febrilium* explicatio, quantumvis ingenioſa, ſuas patitur difficultates. I. Omnis *febris* exiſtit cum frigore, æſtu, ſudore, ſive ſit *intermittens*, ſive *continua*, ſive *ephemera*, *eryſipelatoſa*, *exanthematica*, vel *abſceſſum* latentem præcedens. Sic, dum *abſceſſum* etiam non adeo magnum molitur Natura, quamprimum pus generari cœpit, accenditur *paroxyſmus febrilis*. Quis hic comminiſcatur lentorem univerſalem totius maſſæ ſanguineæ? ſi vero non totius, ſed illius tantum, quæ tangit locum affectum; ergo, vi hypotheſeos, non totum corpus, ſed ille tantum locus frigebit, æſtuabit. II. Notum eſt, *ephemeram* accendi à ſola conſtipatione pororum, quum corpus æſtuans nudum vel non probe munitum exponitur frigori, præcipue, ubi ſimul ſudatur. Quis hic præſupponat univerſalem ſanguinis lentorem, unico paroxyſmo *febrili* emendabilem? III. Porro, detur ejusmodi lentor, cum ſuo effectu, aut igitur hic in *febribus continuis*, etiam *malignis*, ab exantlato unico paroxyſmo corrigitur, & ſic morbus tamdiu durare non poſſet; aut non corrigitur, & ſic plures paroxyſmi cum *frigore*, *æſtu*, *ſudore* etiam in *continuis febribus* & quidem periodice accendi debent, quod nullatenus fieri experientia docet. Nam, licet dentur *tertianæ*, *quartanæ*, *quotidianæ continuæ*, licet etiam *continuarum malignarum* paroxyſmi dentur, attamen exacerbatio non niſi a principio exiſtit cum *frigore*, adeoque ſemel. IV. Intermittentes quod attinet, ſtante hac hypotheſi, dum ſucceſſive ſanguis lentus vaſis agglutinatur, ſucceſſive quoq; , immo longo ante paroxyſmi eruptionem tempore ſenſim quoq; frigus extremorum ingruere deberet, quin & ſtatim poſt quemlibet paroxyſmum appellente novo ſanguine lento *friguſculum* ſtatim denuo incipere & ſenſim augeri deberet, quod, licet Auctor dicat, experientia tamen refragatur: neque hæc hypotheſis ſatis explicat, cur v. gr. lentor ſanguinis ita præciſè comparatus eſſe debeat, ut neceſſe ſit paroxyſmum recurrere præciſe intra 24. horas in intermittente quotidiana, intra 48. in tertiana, intra 72. in

quar-

quartana? Cur non etiam detur talis lentor, qui recurrat intra horas 18. 36. 54. &c.? Immo, cur non frequentius dentur *febres quintana*, *sextana*? Immò, quæ sit ratio *tertianæ duplicis*? An igitur alius sit lentor sanguinis primi & tertii, alius secundi & quarti paroxysmi? Quis per hanc hypothesin explicabit typum *quartanæ duplicis*? quis *hemitritæi*, in quo lentor sanguinis hac die major, altera minor, immo in una die diversus supponi deberet, cum interdum in hac *febre* bini paroxysmi una die exantlandi sint! VI. Sequeretur lentorem sanguinis ob citiorem paroxysmi recursum in *quotidiana intermittente*, longe maximum, minorem in *tertiana*, omnium minimum in *quartana* esse debere, quod adeo non verum est, ut potius in *quartana* fluidorum vitalium præcipuus torpor ab omni ævo creditus sit. VII. Sequeretur, quamdiu statis horis paroxysmi recurrunt, quod in *quartana* sæpe per annum & ultra fit, tamdiu omnium medicamentorum usu lentori sanguinis ne micam quidem decessisse; ac denique VIII. Cura *febrium intermittentium* per sola attenuantia & resolventia perfici deberet. Quid autem sic dicemus de *cortice peruviano*? Plura taceo, nam hæc fere raptim, quod ajunt, scribuntur. Iterum obtestor *Juvenes*, *ut non tam facile credant hypothesibus noviter effictis & per* Physicos avtomatarios *suaviter magno ingenio excogitatis*, quibus si praxin suam inædificare sustinent, næ magnum errant errorem. VII.

VIII. VIII.

MErcurius per 2. lineas cecidit, ultimam quarti gradus occupans. *Thermometrum* consuetum. Dies nunc nebulosa, nunc clara & valde temperata.

§. Rudolphi in *tr. de mulier. larg. menstruat. cap. 1. §. 11.* notabile existimat *e sanguine humano plus olei per △em elici, quam e cervino vel hircino*, idque alimentis acceptum ferendum asserit, cum carne vescantur homines, & potulentis hic illic gaudeant plus minus oleosis seu pinguibus; bruta pascantur gramine & fœno, bibantque aquam. Experimento de pluralitate *olei* e sanguine humano quam belluino fidem habemus, quamvis ipsi non tentaverimus; an assignata caussa firmo stet talo, dubitamus. Unde probabit Dn. Auctor *homines in genere vesci carnibus*, *potari pinguibus & oleosis*? Nonne multæ myriades

VIII. agricolarum aliorumque etiam opificum, mercenariorum &c. scil. maxima hominum pars intra octo, quatuordecim, pluresve dies carnem nequidem olfaciunt, nedum comedunt? Et, quot sunt illorum, qui cum ELIA 2. *Reg.17. v.6. bibunt de torrente*, id est, *cum anseribus potum communem habent?* Sic igitur Dn. *Auctor* fateri necesse habet, *sanguinem pauperum minus olei largiri, quam opulentorum*, quod sibi demonstrandum sumet; aut ipsius thesis non erit universalis. Potius dixerim, viscerum generationi sanguinis dicatorum potiorem esse & alium in hominibus, quam quibusvis belluis, apparatum, unde sanguis hominum existat magis sulphureus, propter spiritus vitales, quibus & pluribus & subtilioribus præ pecoribus homo egebat. Quemadmodum e quantitate eximia cerebri humani præ bovillo non inepte concluditur, tanta quantitate cerebri opus fuisse homini, quod pro obeundis nobilibus functionibus etiam spiritibus animalibus & quantitate & qualitate excellentioribus homo præ belluis indigeret.

Lycaonis *Filiolus*. §. Lycaonis *Filiolus* hac nocte sudavit, bene quievit, hodie vegetus & hilaris fuit, æstu valde remisso existente. Observatum hac vespera sub exhibitionem pulticulæ cochlear a puello vix primoribus labris apprehensum fuisse, argumento haut obscuro, ipsum e gingivis dolere, symptomata proinde *dentitionis* fuisse, præcipue cum ita dicti *canini* adhuc deficiant. Pergant cum *mixtura* heri ordinata. (d.9. *Mart.*)

Grapteris *Filiolus. Cardiaca.* §. Grapteris *Filiolum* visitaturo relatum, adfuisse mulierem, quæ explorato puelli corpusculo de cardiaca pronunciarit, laudato contra eam *unguento ex hedera terrestri concisa & cum oleo lini frixa, expressaq;, addita pinguedine caponis ad linimenti consistentiam* Monitus illa mulieris sollicitudine puellum & ipse contemplatus sum. Nec vanam reperi suspicionem. Costæ omnes apparebant & corpusculum ubique valde macilentum *abdomen vero tumidum ac tensum*, & quoties spiritum duceret, *diaphragma* foveas in utroque *epigastrio* efficiebat, quod germani vocamus Schlehbäuchen. Ob renitentem abdominis tensionem, digiti subter costas adigi non potuerunt, & vi parca adhibita puellus in sinistro cumprimis *epigastrio* se dolere innuebat. Præterea mihi Parentibusq; visum dextrum *epigastrium cum ilio*, sinistris tumidiora esse, quasi hepar justo grandius esset, ac in sinistrum epigastrium usque protenderetur. Dolorem istum a digitis excitatum *Germani* vocant: Es ist ihm angewachsen. Certus igitur de *cardiaca pulvisculo* heri ordinato admisceri curavi *Specifici antatrophi* ℨij. eoque sic mutato cum *mixtura* eodem, quo heri præceptum, modo præberi. De *linimento*, cumprimis ob experimenta felicia

VIII.

felicia laudato, litem non movi; quamvis alias nobis in usu sit *unguentum officinarum cardiacum* SCHRÖDERO *descriptum in Pharmacop.* (d. 10. *Mart.*)

§. Dicebatur alicubi, *prunum silvestrem esse fruticem maledictam* ejusque fructus acerbitate valde noxios: Creatam a *DEO* non ab initio creationis, sed demum post lapsum *Protoplastorum*, non tam in usum, quam pœnam hominis; idque probandum sucipiebatur ex dicto Gen. 3. ℣. 6. *Maledictus sit ager tui caussa; spinas & tribulum tibi germinabit, &c.* Nobis de vi argumenti dubitare liceat. *Physicorum* plurimi post *hexaëmeron* completum novas species a DEO creatas fuisse, concedere nolunt; vigore dicti, *Gen. 2. v. 1. 2. Igitur perfecti sunt cœli & terra & omnis ornatus eorum, complevitq́ʒ* DEUS *die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.* Unde probabiliter concludunt, repugnare perfectioni cœli & terræ, si post *hexaëmeron* novæ species creatæ fuissent, quo stante non dici posse, quod DEUS *compleverit opus suum, & requieverit ab universo opere, &c.* Et quamvis in *Lib. Sap. 11. v. 19.* fiat mentio *de novi generis bestiis, vers.* LUTH. **von neuem geschaffene Tier** / liber tamen ille est in numero *Apocryphorum.* Absit porro *rubum silvestrem* esse fruticem maledictam, cujus flores & fructus sanitati hominum multipliciter velificantur, quod non adeo *Medicis*, quam ipsismet mulierculis est notum. Nec, quando *Creator* de spinis loquitur, *prunos silvestres* præcise voluisse sequitur, cum dentur ignobiliores aliæ spinæ. Verborum sententia potius hæc esse videtur, quasi diceret DEUS: *Ager*, qui a prima creatione sponte nulloque tuo labore frumentum protulit, nunc ob peccata tua maledictus sponte nil germinabit, nisi spinas & tribulos, magno sudore exstirpandos. Agro igitur maledixit DEUS, non spinis, etiamsi fuissent *pruni silvestres*, quæ procul dubio ante hanc maledictionem jam extiterunt.

§. Pimeleus 60. circ. annorum, macilentus, picrocholus, jam ante octennium ex diuturna arthritide contractura fere universali afflictus, sed per *balneas* nostras BOLLENSES restitutus, hac hieme *arthritidis* fixæ præludia denuo sensit, quæ susque deque habens in publicum tamen prodiit, suæque functioni præfuit, remediolis suis domesticis malo utcunque occurrens. Miserum hodie dolorum sævitia grabatulo affixit. Nuper sibi laudatum asserebat cum *simplici mixtura* sociatum æquali portione *cornu cervini spiritum* ad gtt. xx. hauriendum pro sudatiuncula, sed levaminis nihil percepisse. Ego, qui hominem intus & in Pimeleus *Chiragra.*

VIII. cute novi, aridum & exsuccum corpus *diaphoreticis antarthriticisq;* potius humectantibus ac temperatis adoriendum putavi; Hinc scripsi emulsionem, cujus dimidia pars hodie noctu, altera cras mane hauriatur: Rec. *Sem. melon. papav. alb. an. ℥iij.*
aq. fl. paralys. ℥iiij. til. ℥ij. F. l. a. emuls. add.
oc. ♋. ppt. ♉ diaphor. an. ℈ß. aq. cinnam. cydon. ℥vj.
sir. papav. alb. fl. paralys. an. ℥ij. M.

Semen psyllij cum an. aqua & vini coctum cataplasmatis forma manui dolenti frequenter calide applicetur. Artus involvantur pelli leporinæ. Cum æstum non habeat, neque sitim, petenti usum vini in pastu recusare non potui. Regimen sit temperate calidum. (d. 10. *Mart.*)

Euphori *uxor.* *Clavus hystericus.* §. Euphori *uxor* (d. 6. *Mart.*) remissionem aliquam doloris in *clavo hysterico nacta*, de sinistræ auris jam cruciatu queritur, item de artuum vago & gravativo magis, quam acri, dolore, de anxietate præcordiorum & *tristitia invincibili cum illacrymatione*, de rugitibus ventris &c. Malo huic hysterico sequentibus obviam ire sustinui:
Rec. *Extr. gentian. fumar. cal. arom. ♁. nativ. ppt. an. ℈ß.*
limat. ♂. siniss. ℥iij.
castor. opt. myrrh. r. bals. peruv. an. ℈j.
c. ess. absinth. F. pil. pond. gr. j.

Harum sumantur mane & pomeridie n. xij. insequente motu, cum *mixtura* sequentis cochleari:
Rec. *Aq. meliss. fumar. an. ℥iiij. sir. fumar. ℥ß. M.*

Noctu ante somnum ex eodem vehiculo *mixtura* sequentis 50. gutt.
Rec. *Elix. balsam. ℥iij. Ra. ♂. holleborat. ℥iß. M.*

Imbuatur gossypium *oleo* seq. calido, auri dolenti immittendo:
Rec. *Ol. amygd. amar. ℥j. succin. ℈ß. ess. anod. ℈j. M.*

Tigurini *filiolus.* §. Neque sic voti damnati fuimus apud Tigurini *filiolum.* Assumsit suum *purgans*, retinuit per integram horam, hausto deinde potu revomuit omne, comite tamen pituitæ tenacis magna copia; sed per alvum nihil.

Nezelius. §. Quod Nezelio prædixeram, hodie mane factum. Compresso enim circa radicem naso ruptus est etiam in sinistra nare *abscessus*, profusæ puris vi maxima Nunc iterum per omnia melius habet, & nasus plane detumuit. Jussus fuit ab ONISIMO ut *aquam plantaginis melle temperatam* naribus frequenter attraheret, ancilla vero nominum affinitate seducta, loco aquæ plantaginis ex officina postulavit aquam cichorij. Wegwartenwasser pro Wegerich-wasser. Dixi, errorem quidem esse innoxium, sed inten-

intentioni tamen ONISIMI aquam *cichorii* non respondere. Non facile ancillæ sine schedulis in officinas medicamenta petitum ablegandæ, Committunt enim haut raro errores valde periculosos. Ante decennium pro infante, quem gerula ulnis exceptum per incuriam labi passa est, ex officina petebatur aqua contra terrorem [Schreckwasser.] ita vocant *aquam epilepticam* LANGII; Famulus ex inferiore Saxonia oriundus, sonoq; vocis deceptus dedit *aquam fortem*, sua lingua Scheedwasser. Infantulus accepto cochleari tantas pertulit miserias, ut vix & ne vix quidem mortem effugeret. Ante quadriennium pro puerpera ad emendandum *lactis defectum* ex officina mulieribus nostris usitata *radix sigilli Salomonis* (quam nodulo inclusam in vinum suspendunt) postulabatur, Weißwurz: Famulus dedit radicem hellebori albi, weisse Nießwurz / cujus maleficio fere puerpera cum infantulo & adulta sorore necati fuerunt. (d. 12. *Mart.*) VIII.

IX. IX.

MErcurius inter tertium & quartum gradum medium tenuit, quemadmodum & *thermometri* fluidum intra secundum & tertium gradum. Dies erat maximam partem pluvialis, & ventus interdum libanotus.

§. Boidarii *Filiola* præter spem & opinionem Medicamenta d. 27. *Febr.* ordinata assumsit, a *purgante* sufficienter & egregie, superne quoque, evacuata fuit, & *pulvisculum* adhucdum usurpat. Per DEI gratiam πάντοιος melius degit, exceptis manibus, quæ vicissim adhuc cum tument, tum detument. Spem affulgere dixi, quum puella Medicamenta non respuat, illis igitur insistendum esse, nec immutandum quidquam. Boidarii *filiola.*

§. Frisogoni *Filius* (d. 14. *Feb.*) a *scabie* equidem, uti & *erysipelate* liberatus est, sed *pruritu* adhuc per totam cutim & doloribus articularibus cum tumore manuum nunc præsente, nunc disparente vexatur. Ordinavi *decoctum antivenereum* MUSITANI, (cujus extat descriptio d. 14. *Feb.* pro *uxore* LAURENTII) mane & pomerid. calide hauriendum, & noctu gutt. 50: *ess. hæmocatharctica*, ex *ess. lignorum & trifol fibr.* an. cum vino, vel quolibet vehiculo. Iterumque de *liquore betulæ* monui. Frisogoni *Filius.* *Pruritus.* *Dolor articularis.*

Decoctum hoc MUSITANI egregie se gerit in quibusvis propemodum sanguinis impuritatibus, etiamsi non venereis, ut igitur laudem & imitationem revera mereatur.

§. Apud Lycaonis *Filiolum* nox antecedens hac præterita melior fuit. Hodie vomiturivit, æstuavit, alvus a 24. horis constipata: noxus de *variolis* metus incessit. Medicamenta ulterius assumere detrectat. Ordinavi *materia perlata* ℨij. potui ordinario cum nodulo immergendas, *balsamumq; cephalicum* mihi consuetum, pro inunct. verticis, nuchæ & temporum: Lycaonis *filiolus.* *Dentitio.*

Rec.

IX. Rec. *Ol. nuc. mosch. expr.* ℥j.
succin. ℈j. *rut.* ℈ß.
anth. lavend. salv. an. gtt. iij.
ci. depur. bals. peruv. an. ℈j. *M.*

Hac vespera vegetus fuit, eumque lusitantem offendi, caloris præternaturalis parum. Comederat. Nulli vomitus. Alvus officium fecit. Igitur nova spes *dentitionem* solam hasce tragœdias lusisse, neque *variolas* subesse. Regimen tamen calidum adhuc mandavi. (d. 10. *Mart.*)

Artamus. *Tormina.* §. Apud Artamum optatus fuit effectus infusi d. 1. *Martii* ordinati. Cum appetitu somnus rediit, *tormina* abacta sunt. De tensione quadam *hemicranica* sinistri lateris, conjuncta cum illius naris *coryza*, querelæ. Fonticulus plane siccus est, cui mederi jussi immissione globuli e *cera sigillari viridi*. *Pulvere* quoque *nervino* d. 25. *Febr.* præscripto uti pergat. *Catarrhis* alicubi præsentibus observare soleo, quod fonticuli siccescant, seri quasi diversione quadam excitata. Tunc autem ratione *viridis æris*, quod ingreditur *ceram sigillarem* viridem, fluxus iterum ad fonticulum allicitur, & spes me tenet, fore, ut fonticulo fluori suo restituto dolores *hemicranici* sponte cessaturi sint.

Pimeleus. § Pimeleo cum *emulsio* tum *mucilago sem. psyllii* plane feliciter cessit, nam dolor omnis evanuit, & saltem adhuc debilitas adest, quæ successive quoque cessabit. Quæsitum est, utrum non inveniri posse credam remedium, ut humorum acrimonia corrigatur, sicque tales effectus declinentur? Respondi, hoc in ætate senili, corpore exsucco, macilento, vix posse fieri. Totam sanguinis crasin cum organis hæmatoseos ad acrimoniam a juventute dispositam & quasi naturalisatam esse. Patienter igitur, quod mutari non potest, ferendum.

Campyloxyli *filiola.* §. Campyloxyli *Filiola* major natu 5. annorum a biduo æstuat, sitit, nil appetit, vomuit aliquoties; Dixi me nescire, quid natura intendat, num *variolas*, vel quid aliud? Opus tamen esse diaphoresi, quam talem ordinavi:

Rec. *Aq. fumar. card. bened. ceras. n. an.* ℥iß.
♁. *diaph. CC. philos. mixt. simpl. an.* ℈j.
sirub. fumar. ℥ß. *M. sum. cochleatim.*

Detineatur loco calido intra domi parietes. (d. 10. *Mart.*)

Nipsus. §. Nipsus (d. 6. *Mart.*) *infusum* suum bis cum levamine bibit, tertium vero cum hodie bibisset, *cephalæam* intendi dixit, cum artuum flexuris etiam dolentibus. Tempestatem pluviosam suam afferre symbo-

lam

m ad hos dolores credo. Insistendum igitur adhuc infuso, & noctu IX.
xir sumatur. Res alium sortietur finem. (d. 11. *Mart.*)

X. X.

Et lineam unam ceciderunt & Mercurius, & liquor *thermometri*. Frigus igitur hesterno majus. Mane pruina. Per totam diem pluvia m nive mixta.

§. Lycaonis *Filiolus* belle valet. Nil amplius ordinatum. Den- *Lycaonis Filiolus.* tionis fuerunt symptomata.

§. Grapteris *Filiolus* (d. 8. *Mart.*) vires quoque colligere vide- *Grapteris filiolus.* r. Jussi continuarent usum *pulveris* & *mixturæ* una cum *unguento ex dera* ♆. *ol. lin.* & *axung. capon.* (d. 12. *Mart.*)

§. Nec minus Campyloxyli *Filiola* hac nocte bene dormivit. *Campyloxyli filiola.* odie hilaris est, jusculum cum appetitu assumsit. Pulsus tamen adhuc sto celerior. Hinc cum *mixtura* pergere jussi, regimen temperate calidum imperavi & vino interdixi. Ingessisse videtur aliquid stomacho olestum, indeque contraxisse calorem p. naturalem. (d. 12. *Mart.*)

§. Eneldo, 50. circ. annorum nuper summo gelu urente iter fa- *Eneldo Tussis ferina.* ens *tussim ferinam* contraxit, nonnunquam usque ad vomitum urgenm: excernit viscida, sed non sine labore. Cætera sanus, appetens ac ormiens. Hauriat ter in die 2. scutellas *Decocti pectoralis* calidi, mane empe, pomeridie & noctu, primæ cuique scutellæ instillando *mixtu* sequentis gtt. xxx.

Rec. ∽. *cochlear.* ⊖. *vol. oleos. an.* ℨiß.
Ra. croc. ℨß. *M.*

Vitet potum frigidum. Pectus pulvillo muniatur.

§. Melodidascalus jam a quatriduo *magnesiam albam* assumsit, *Melodidascalus.* odie vero cephalæa cruciatus, num ejus usum continuare fas sit, interogat? Respondi *cephalæam magnesiæ* acceptam ferri non posse, proinde ontinuandam esse. (d. 11. *Mart.*)

§. Caprœnus ad me venit, quiritans, ante triduum se dolorem *Caprœnus. Oscheocele.* ercepisse in regione pubis lacerantem & pungentem, sicut erectus proemodum incedere nequiret, jam vero intra 24. horas aliquid illapsum roto, unde multum in tumuerit. Rogavi, an saltum fecerit vel mom magnam sustulerit, vel graviter sternutarit, vel fragorem (einen Knall) in inguine audiverit, nil enim aliud esse affectum, quam *Oscheocelen.* e nil tale meminisse respondebat. Ablegavi eum ad operatorem ONIMUM, harum rerum ex professo peritum.

Petalogypsi uxor. *Tertiana continua.*

§. Petalogypsi *uxor* 32. circ. annorum d. 6. *Martii* mane surger e lecto horruit. Insequitur æstus. Prodit in publicum, linteamina lava Illa nocte bene dormivit, 7. *Martii* melius habuit, 8. Martii denuo hor ror, quamvis mitior, sed major ac diuturnior caloris exacerbatio, cu *cephalæa* & *tussicula sicca*. 9. *Mart.* rursum melius, perseverante tam tussicula. Hodie per totam diem levis horripilatio, vesperi cum parv animi deliquio rursum exacerbatio caloris penultimam exsuperan cum *tussi*, *siti*, ac *cephalæa*. Pulsus *febrilis*. Videtur typum *tertianæ conti nuæ* servare. Quinta jam die præterlapsa nullus *universalibus* locus. Scr pti 2. ℥es, quorum unus hac nocte, alter cras mane sumatur, cum veh culo simul ordinato, seorsim quoque per cochlearia hauriendo:

Rec. ♁. *diaph.* ☽. *ppt. an.* ℈ß.
ther. cœl. gr. ij. M. F. 2. ℥es.

Rec. *Aq. Card. bened. rub. id. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒj. *sir. acetos. citr.* ℥ß. *M.*

Componat se ad *diaphoresin*. Potus sit aqua fontana vir tutib crustæ panis impraegnata. (d. 11. *Mart.*)

XI.

XI. HOdie mane *Barometrum*, quale heri, fuit, sed fluidum *thermom tri* vix una linea a secundo gradu distabat. Per totam noctem nin & adhuc dum ningit. Circa vesperam nix cadere desiit. Hora 7. M curius cadendo tertium gradum attigit; *thermometri* liquor secundu Frigus igitur post novilunii ingressum adhuc magis auctum.

§. Hodie caput VII. lib. III. B. ARNDII *de vero Christianismo* mag cum affectu legi; quippe vir Sanctus e TAULERO *nobilitatem hum mentis* exaggerans, inter alia dicit: ANIMA *nobilior est omnibus creatu quia debebat esse sponsa* FILII DEI, *nil igitur est in omnibus Creat quod æque DEUS amet, quam hominis* ANIMA, & *propterea DEI* FIL *exivit e cœlis, ut hanc amicam suam, a summo* PATRE *æternitus sibi desp satam, reduceret in cœlos, unde desumta fuit, &c.* Non probant hæc v ba *creationem animæ* humanæ, probabiliorem tamen reddunt eam, qu propagationem vel traductionem. Cur enim *Filius* DEI tam inenar biliter depereat rem, cujus ipse vel Pater cœlestis auctor non est? N ne probabilius est, DEUM tam impense amare, quod a se immed creatum, quam, quod ab alio productum est? Ut ingenue fatear,

emper pia magis, pleniorque solatio visa est eorum sententia, qui XI.
animæ creatione pugnant. Fundamenta nobis suppeditat Sacra
iptura, cum alterius opinionis fundamenta petantur e *Peripato*,
riantur e lacunis gentilium. Concordant plerique *Patres ecclesiæ*
iores, discordant *Philosopho-theologi*, id est, e *Patrum* numero illi,
Theologiam cum *Philosophia* Aristotelica deformare cœperunt.
e quid P. Zacchiæ *Lib. IX. Quæst. Med. legal. Tit. I. Cap. III. Qu.*
nr. 73. contra Sennertum de *anima* CHRISTI disputanti soli-
n responderi possit, non video. Namque, si verum est, animam
onalem ex traduce haberi, CHRISTUS non fuit verus ac per-
us homo, cum ipsius *anima* ante ejus conceptionem non fuerit, a
TRE vero, quem ex hominum sodalitio nullum habuit, propaga-
on potuerit, necessario igitur a DEO creanda; quam, si DEUS
ivit, reliquæ vero hominum *animæ* propagantur, certe CHRI-
US, quoad potiorem sui, *hominis*, partem, aut non fuit verus,
saltem non talis *homo*, quales reliqui *homines*, quod expresse con-
licit dicto Ebr. II. ỽ. 14. 17. Qui sententiam de *creatione* amplecti-
, multos evitat offensionum scopulos, maximoque cumprimis sola-
fruuntur ex impiis notorieque damnatis parentibus geniti, si no-
int, se præter corpus nil a Parentibus, *animam* vero, seu potius
tem, immediate a *summo* CREATORE accepisse. Nec impli-
objectio: *Si DEUS creat animam, eam vel creat puram vel impuram.*
ur enim tertium, *anima* nempe *non pura*, capax tamen vel puri-
s vel impuritatis. Videantur plura in hanc sententiam egregia in
ert. POSNERI *de physiologia nativit.* CHRIST. *§. 36. seqq.* Cur
lesiastes cap. *XII. 7.* dicit; *Pulvis revertatur in terram, unde erat, &*
ritus redeat ad DEUM, *qui dedit illum?* Nonne hic expresse distin-
tur id hominis, quod a terra desumtum est, ab eo hominis, quod
US dedit? Nam, in genere loquendo, DEUS etiam corpus dedit;
lesiastem vero de alio & peculiari *dandi* modo hic loqui clarissi-
m est. Sed hæc exercitii tantum gratia!

§. Melodidascalus *magnesiæ* tamen usum heri noctu intermisit, Melodidascalus.
itus, ne una cum *capitis dolore* nox etiam per virtutem *magnesiæ laxati-*
m magis inquieta redderetur. Sed hodie mane ℥iß. assumsit, & inposte-
n quoq; mane semper se sumturum decrevit, eo quod a Matrona nobili
nitus sit, se cum ad fugandam *cephalalgiam* hoc pharmacum noctu

XI. accepisset, nil profecisse, mane vero sumtum optatum effectum habuisse, quis neget usum hujus mane magis congruere? Sed Melodidascalus vehiculum sibi mane displicere caussatus usum nocturnum elegit. Semper enim sumit cum *emulsione amygdalarum.* (d.16. *Mart.*)

Petalogypsi *uxor.* *Tertiana continua.*

§. Petalogypsi *uxor* ante noctis meridiem inquieta fuit, postea vero medicaminum virtute poris reclusis & vaporem exspirantibus indormiit. Æstus tamen adhuc magnus, sitis intensa. Roganti, num ad satietatem bibere liceret? respondi, me non prohibere, dummodo bibat *parum, sæpe, non admodum frigide*, quæ tria in omni morbosa siti inculcare soleo. Suasi tamen, ut *passulas minores* cum an. vini & aquæ coctas, indeque tumefactas masticaret, nam inde sitim sedatum iri, ne potu toties iterato opus futurum. *Pulveres* ita mutavi:

Rec. ♁. *diaphor.* ☽. *ppt.*
♁. *nativ. ppt. an.* ℥ß. *F.* 3. *Xes.*

Sumendi cum mixtura hesterna, quæ consumta denuo parand[a]. Fronti & carpis ordinata emulsio externa. (d. 12. *Mart.*)

§. Ancilla *paupercula* libellum supplicem mihi in fidem subscr[i]bendum obtulit, quo se per totam hiemem *articulari morbo* cruciata[m] alimoniam labore manuum lucrari non potuisse querebatur, & stipem a[d] sumtus in minerale balneum erogandos petebat. Annui non tantu[m] sed & interea temporis ordinavi purgans:

Rec. *Gial. n. resinos. Crem. Tart. an.* ℈j.
dacryd. gr. iiij. M.

Postea bis in septimana sudet assumto *rob sambuci. Liquorem bet[...]* suo tempore bibat, hinc balneas demum accedat.

Vinariensis. *Phthisis.*

§. Vinariensis (d. 5. *Mart.*) res in pejus dilabuntur. *Tussis* n[on] tantum vehemens, sed asthma quoque majus, appetitus vero indies m[i]nor, contabescentia auctior, & a biduo vires adeo attritæ, ut perpet[uo] lecto affixus manere cogatur. Vereor, ut cuculum audiat. Præter r[e]duos adhuc *pulveres* & *electuarium* suasi usum *gelatinæ caponis cum ossi[bus] bovillis*; *emulsionem amygdalarum dulcium cum liquefacta gelatina para[n]dam*, & alia *analeptica*; uxorculæque periculum planius exposui, [ut] quando proles non adest, mature sibi de hæreditate prospiceret, cu[m] tamen animæ nullo modo neglecta. (d. 16. *Mart.*)

Ichthybolus. *Dolor rheumaticus.*

§. Ichthybolus de dolore dorsi, cumprimis circa hypogastri[um] sinistrum, ad femur usque protenso, punctorio, talique, qui erect[um] incessum impediret, conqueritur. Alvus est libera, nec in mejendo, [...]

ipsa urina quid insoliti. Nondum adeo certus de genere doloris, jussi partem affectam linteis HAUGII *suffitu* fumigatis & percalfactis crebrius fricare, cras mane vero ℥ß. *tinctura bezoardica* cum scutella *thea* assumere, sudoremque expectare. XI.

§. In Musæo Ottmanniano *glossopetras* aliquot vidi valde elegantes, quamvis minusculas. Unaquæque, ut solet, pro basi, quasi habebat *margam saxatilem*, aliquando bifidam. Oriebatur quæstio, *utrum ad minerale, vel animale regnum pertinerent?* Posterius affirmare nituntur incolæ MELITENSES & *Pontificiæ religioni* addicti permulti, quos inter ante hos 20. circ. annos fuit cubicularius quidam magni *ordinis* MELITENSIS PRIORIS per Germaniam, Illustriss. Principis Heidersheimensis, nuper e Melite S. Maltha redux, qui aliquas secum asportarat, mireque laudaverat ad fugandos morbos *pestilentiales* & infringendam vim *venenorum*, ac omnis generis *febrium*, monstrato quoque attestato a *Medico* Melitensi subscripto. Ferunt S. PAULUM *Apostolum* serpentibus in tota insula maledixisse, e quorum corporibus putrefactis linguæ solæ petrefactæ remanserint. Postquam autem & alibi, cumprimis etiam in districtu Alzeyensi Palatinatus *inferioris* ejusmodi *glossopetra* reperiuntur, (vid. GEIER. *pecul. Tract.*) illius traditionis fides vacillat. Ad *minerale* potius *regnum* pertinere, præter basin lapideam, probant aliæ circumstantiæ, substantia, quæ est fere *achatis*, durities, color, alia, neque præter solam lingulæ figuram quid adest, quod animali regno affine æstimari queat. KÖNIGIUS noster *Ann. VIII. Dec. II. Eph. Cur. Obs. 143.* eandem Melitensium traditionem refutat partim per *glossopetras* circa celebre *monasterium* MURENSE in HELVETIA reperiundas, partim illas grandiores, quas VALVASOR in *Carniolia* inveniri scribit, ℥x. ponderantes, e quorum censu etiam erit prægrandis, quam nos possidemus, unde 100. *Melitenses* fabricari possent. *Glossopetras* esse dentes piscis *Centrines*, ITALIS *pesce porco* dicti JACOBÆO *Act. Med. Hafn. Vol. V. obs. 96.* credere possemus, nisi repugnarent in Helvetia, Palatinatu, Lunæburgensi *Ducatu* alibiq; repertæ, quorsum istis piscibus peregrinari non datum. De *glossopetrarum* in *lue venerea*, it. aliis in- & externis usibus vid. *Ann. IV. Dec. III. Eph. Cur. Obs. 71.* VELSCH. *mictomim. 70. Cent. II.*

§. Nipsus (d. 11. *Mart.*) hodie demum cœpit sentire *vini medicati* salutarem effectum, quippe de *clavo capitis* nil amplius sentiens, & melius, quam per octiduum integrum, valens. Absolvere jussi. Nipsus. *Clavus capitis.*

§. Campyloxyli *Filiola*, cum heri fuisset hilaris & noctu, fortasse nimi-

XI. nimium comedisset, per totam quoque noctem suaviter dormivisset, hodie mane bis rursum vomuit, & antemeridiano tempore caussaria fuit; pomeridie usque ad vesperam rursum hilaris. Jussi, ut cras mane urinam servarent, num forte quid febrile subsit? interea in calido conclavi detinerent.

XII.

XII.

SIcut Mercurius usque ad ultimam quarti gradus lineam ascendit, ita liquor *thermometri* per unam rursum lineam descendens in ultima secundi gradus quievit. Hac igitur nocte frigus intensum. Dies utplurimum clara; flocculi nivei rari per intervalla cadentes.

Petalogypsi *uxor*.

§. Petalogypsi *uxor* hesternæ diei reliquum una cum præterita nocte bene transegit. Pulsus vix sensibiliter a naturali per celeritatem recedens. Cutis semper uvida. Sitis modica. Alvus constipata. Repetendos curavi *pulveres* hesternos; alvum, ni hodie adhuc reseretur, cras officii sui monendam. Hodiernus vesper quid cras factu sit opus, docebit, siquidem *tertianæ continuæ* typus, qualem exacerbationum intervalla exhibere videbantur, servetur. (d. 16. *Mart.*)

Grapteris *filiolus*.

§. Grapteris *filiolus* (d. 10. *Mart.*) in decremento *cardiaca* bene proficit, pergendum itaque cum *pulvere & mixtura*. (d. 7. *Mart.*)

Sideriaxis *filiola*. *Inflatio stomachi*.

§. Sideriaxis *Filiola* natu maxima 11. annorum *inflatione stomachi* cum appetitu prostrato & lassitudine afflicta, jam olim cum fructu ordinatum *tragema* accepit:

Rec. *Specier. diacr. Mynf.* ℥iij. *pulv. sassafr.* ʒj.
trag. arom. offic. ℥j. *M.*

Sum. mane, pomer. & noctu cusp. 2. cultr. per se. Stomacho applicetur *sacculus* mihi consuetus. Diæta congruat.

Pogonati *filiolus*. *Variola*.

§. Pogonati *Filiolus* 5. annorum a biduo male habuit. Calor sentiebatur præternaturalis cum siti, appetitu dejecto, vomituritione & tussicula. Pulsus est celer, facies rubicunda. Suspicio de *variolis*:

Rec. *Aq. fumar. ceras. n. papav. rhœad. an.* ℥iſs.
♁. *diaph. CC. philos. an.* ℈j.
sir. fumar. ℥ß. *M. D. cochleatim.*

Regimen sit moderate calidum, vino interdictum, potui aq. pane tosto imprægnata, cum addita *aq. fumar.*

Per

Per hanc diem calor semper auctior: Pomeridie delirium, vesperi *convulsiones*, quas adstantes se suscitasse putabant cogendo puerum ad assumendum. Petitum ibant e *pharmacopolio aquam confortativam*. Complexam nodulo *materiam perlatam* immergere jussi potui ordinario, & cum mixtura simul pergere, bonoque animo esse, cum ante eruptionem *convulsiones* non soleant esse admodum periculosæ. (d. 16. *Mart.*) XIII.

Filiola 16· hebdomatarum pro ætatulæ modulo habitissima itidem præter naturam calet, parum comedit, extra lectum animo linquitur, vociferatur, adsunt ventris rugitus, alia *colica spasmodica* phænomena, expavescit, cum *tussi ferina convulsiva*. *Filiola.*

Rec. *Aq. anis. fl. til. veron. an.* ℥ j.
epil. L. ℥ ß.
specif. cephal. ℈ j. *sir. fl. pœon.* ℥ ß. *M.*

Detur cochleatim. Abdomen inungatur unguento de hyoscyamo. Emplastrum theriacale applicetur fontanellæ. Nil profecimus, virium debilitate fere per minuta singula incrementum capiente.

Vesperi ordinavi *pulvisculum* ad 2. cusp. cultri singulis 4. horis ex *aq. ceras. n.* dandum:

Rec. *Pulv. March. specif. cephal. an.* ℈ ß.
lap. bez. or. gr. iiij.
sacch. perlat. ʒ ß. *M.*

Cum reliquis pergendum. (d. 12. *Mart.*)

§. Hierocomus 54 circ. annorum jam propemodum a trimestri *tussit*, successive ferocius, cum *asthmate*. Ex screatio pituitæ multæ, sed sine *tussis* decremento. *Inappetentia*, lassitudo. Hierocomus. *Tussis, Asthma.*

Rec. *Rad. filic. ap. an.* ℥ j.
squill. ppt. ʒ vij. *liquirit.* ʒ iij.
herb. veron. chærefol. an. m j. *soldanell.* m ß.
passul. min. ℥ i ß. *fol. senn. s. s.* ʒ x.
turbith. alb. & gummos. rad. mechoac. a. agar. trochisc. an. ℥ ß.
cinnam. ac. ʒ ij. *mac.* ʒ j.
Tart. crud. ℥ ß. *croc.* ʒ ß. *M.*

E concisis & contusis cum vino albo veteri paretur nostro more *infusum*, cujus mane singulo quart. ß. exhauriatur cum regimine.

§. Blepomactis *filiolus* (1. *Mart.*) post jexantlatas *variolas* me suasore cras hauriet lene *purgans*: Blepomactis *Filiolus.* *Variolæ.*

Rec.

XI. Rec. *Magist. gial. gr. vj. aq. cinnam.* ℥j.
sir. de cichor. c. rh. ℥v. *M.*

Probe notandum *variolosos* pusiones post exantlatum morbum *purgandos esse*, ne pone demum oriatur *scabies* vel *furunculi.*

Campyloxyli *uxor.* *Macula hepatica.* Campyloxyli *uxor* collotenus *maculis hepaticis* primum rubris, prurientibus, hinc lividis deturpata, alioqui sana & ob alias rationes *purgationi* corporis inepta, qualequale auxilium petit.

Rec. *Styr. calam.* ℈ij. *benz.* ℈j.
in pulverem redactis affundatur 🜍. *rectif.* ℥ij.

Stent per 24. horas calore leni digerenda; postea filtra, ejusque guttas aliquot in aquam simpl. fontanam instilla, quæ hinc lactescet, cum qua ter vel quater in die laventur maculæ.

Filiola. Filiola (d. 10. *Mart.*) hac nocte quiete dormivit & alacris experrecta est. Non amplius vomit. Ventriculum nimio cibo repletum existimans, *purgans* ordinavi:

Rec. *Pulv. cornachin. gr. xv. magist. gial. gr. iij.*
sir. de cich. c. rh. ℥vj. *aq. acac. parum.*
M. pro una dosi. (d. 16. *Mart.*)

Macroterus *Asthmaticus.* §. Convenit me linitextor 50. annorum, nomine Macroterus, vel ipsomet IRO pauperior, tussiens, ad suffocationem usque anhelans, vix incedere potens, MANNHEMIO veniens & ULMAM tendens. Scripsi electuarium in officina aulica gratis parandum, sæpe quantitate *nucis moschatæ* sumendum; eumque dato insuper viatico dimisi:

Rec. *Pulv. rad. ir. flor. helen. an.* ʒj.
Sem. nastur. sinap. an. ʒß.
Oxym. squillit. ℥ij. *M.* (d. 16. *Mart.*)

Eusebius. *Scabies.* §. Eusebio *scabioso*, cætera tenerrimæ texturæ homini, Caussario, *hypochondriaco*, macilento, sequentia ordinata:

Rec. *Aq. laxat. Mannag.* ℥iij. *cinnam.* ʒß.
sir. rof. solut. ℥j. *M. pro 1. dosi.*

Hinc mane & noctu *decocti* calidus haustus bibatur cum regimine:

Rec. *Rad. liquir. alth. an.* ℥ß.
polypod. quern. ℥j.
ras. lign. sanct. sassafr. an. ℥iß.
passul. min. ℥j. *sem. anis. cinnam. an.* ʒij.

Conc. cont. quarta pars coq. cum aq. font. Mens. ij. De colat. mane, pomer. & noctu haustus calidus. Manus adusque brachia bis in die laventur *aqua calcis vivæ.*

Rad.

Radix althææ & passulæ humectandi fine ad temperandam liquorum exsiccandi facultatem additæ. XII.

§. Palliduli *filiolo* bienni *variolarum* signa præbenti, pharmaca quæque aversanti, potui detur aqua virtutibus tosti panis imprægnata, cui nodulo complexa immergatur *materia perlata*. Palliduli *filiolus.* *Variola.*

§. Nezelii (d.8.*Mart.*) nasus nondum desistit per intervalla tumefieri, inflammari & pus profundere. Jussi parari injectionem syringa perficiendam e mundificantibus & traumaticis compositam, ad amoliendam ozænæ vel *cariei ossis nasi* metum. Nezelius

XIII. XIII.

HOdie mane Mercurius medietatem quarti gradus occupavit; liquor autem *thermometri* descendit usque ad medium secundi gradus. Quid hac vespera factum sit, nescio, cum hæc non domi, sed Pforzheimii scribam. Interim gelu per totam diem, nisi in ipsa meridie, ob vim solis jam efficacioris, fuit satis intensum, & nix multa cecidit. Heri noctu quoque mea rursum tibialia scintillare cœperunt. Matthias hoc anno glaciem, quam reperit, liquefacere oblitus est.

§. Gensa virgo 50 circ. annorum, obesa, ante sex hebdomatas horrore correpta cum insequente æstu, a Dn. D. Lahmero & *Pharmacopola* Halensi tractata, post 2. circ. paroxysmos melius habuit, surrexit & munia domestica obivit. Post dies paucos iterum horror summus, æstus maximus & statim deliria. Halensis *venæsectionem* suasit, quæ in brachio administrata; Bihorio post exhibitum *sudorificum* aliquot vomitus & sedes excitavit, cum virium magna debilitate. Ad se rediens ægra culpam contulit in *venæsectionem* intempestivam, dari enim dies, in quibus si vena tunditur, ægrotos contabescere oporteat, quod secum etiam futurum persuasa sit. Interim continuarunt *febriles paroxysmi* nullo typo observato, sed nunc intra 3. 4. dies, nunc etiam bis una die recurrentes. Gnomilegus misit *pulverem hecticæ febri* accommodum, utitur, sed nullo cum effectu: Vagi hi paroxysmi scenam adhuc ludunt; adest pulsus magnus, non tamen celer; parum edit & bibit, alvus est constipata, extra lectum manere non potest, parum sudat, ægre spirat, morosa est, interrogata fere nil respondet, gemit, continuo dormit, vel certe dormiturit. Mihi videtur quid *hemitritæo* simile adesse, resque periculo non vacare. Jussi gtt.xxx. ex an. ℞*æ.castor.* & ⊖.*vol. oleosi*, singulis horis cum *aq. ceras. n.* propinare, donec in crastinum magis ne- Gensa. *Hemitritæus.*

 cessa-

XIII. cessaria disponantur. Explosi nænias de infausta *Venæsectionis* die & eam a somno perpetuo quovis modo impediendam esse volui. (d. 14. *Mart.*)

Linetus. *Nephritis.* §. Dn. Linetus *Nephriticus* multumque rubicundi sabuli emingens, me consulebat de *pulvere nephritico* Parenti suo per faustissimos successus olim commendatissimo, qui constabat ex *off. dactyl. siliqua* (Joh. Brod) an. p. ij. *sem. petrosel. p. 1.* Usus erat, ut singulis lunæ quadris mane assumeret ℈j. ex quol. vehiculo. Dixerat, aliquos fuisse, qui *pulverem* contemnerent, eo quod in operatione sit nimis debilis. Deinde querebatur, sibi permolestum esse, ob itinera, negotia militaria, aliaque, tempus mutationum lunæ tam accurate observare. Quid igitur faciendum existimarem, præcipue, cum intermisso usu se statim magis cruciari sentiret? rogabat. Respondi, *pulverem* mihi non improbari, eum enim constare non tantum ex *diureticis* leniter pellentibus, verum & *demulcentibus* acrimoniamque corrigentibus, duplici proinde nomine laudandum. Nam ista fortiter pellentia utplurimum *nephriticis* magis obesse. Eum igitur assumere ne desistat, sed tanto selectu lunæ quadrantum opus non esse, dummodo perfunctorie his illis diebus eum deglutiat, ita, ut ne unquam plane ab ejus usu desistat; sic enim fore, ut renes & viæ urinariæ semper pituita & sabulo depleantur, ne calculosi quid coagulari queat.

Doxoplusius. *Cachexia scorbutica.* § Qui schema per *cachexiam scorbuticam* ad incitas fere redacti viri sibi vult exhiberi, legat, quæ de seipso commemorat Doxoplusius: Indies magis, refert, contabesco. Color faciei mox cum pallore luridus, mox cum calore roseus. Valde affligor immensa siccitate oris, præcipue palati, eo loci, ubi ductus e naribus in fauces porriguntur. Cumprimis molestum est malum mane evigilato, ubi magna vi exscreatum peculiarem & ingratum saporem exhibet. Nares semper obstructæ. Perpetuo dolore totum *hypogastrium* subter umbilicum a vertebris lumborum usque ad pubem, occupante, torqueor, regione quoque renum non intacta relicta. Hinc affectum esse credo *Tabem scorbuticam*. Post medium noctis utplurimum magis discrucior, circa horam 2. vel 3. ordinarie expergiscens, reliquamq; noctem molestissime cum inquiete transigere coactus Nuperum gelu dorsum & pedes mirifice afficiebat, quas partes, qua pote, munitas adeo tamen defendere non potui, quin semper frigerent. Pedes *œdematosi*, noctu plerumque detumentes, mane enim caro musculosa surarum laxissima, vesperi tumefacta & dura. Pulsus maximam partem debilis, appetitus more solito non equidem firmus, tamen sufficiens. Nunquam sum robore pauperior, quam ubi mane surrexi. Reliquæ actiones

ones vitales utcunque sunt comparatæ, caput, me judice, fere illibatum, XIII.
quamvis interdum quædam hebetudo sensuum. Ab usu *entis veneris* destiti, quod credam, id contabescentiam promovisse, sed *vinum absinthites* quibuslibet pastibus bibo; & cum ante annum moderatam *Venæsectionem* suaseris, quæro, num tale quid jam faciendum & annon alvus laxativo sit proluenda? vel quid aliud meæ sanitati conveniens existat? Respondi, hoc *æquinoctii* tempore, prævia *eccoprosi per aquam laxativam* MANNAGETTÆ, quippe innocentissimam, luna crescente, *venæsectionem* moderatam in alterutro brachio, me non improbare; postea vero suadere, ut per mensem assumat *succorum recentium cochlear. & nasturt. an.* ℥j. *per subsidentiam depuratorum, addita sirubi acetos. citri itidem ana uncia*, mane & noctu. Pergat in quovis pastu cum *vino absinthite*, & pomeridie quarta hauriat gtt. 50. *mixt.* ex an. ~ *cochlear.* & ⊖. *vol. oleos. ex cochl. vini* Externorum vim & efficaciam me Judice, nullam, vitam vero caussariam patienter ferendam esse, nihilominus observata congrua & exquisita diæta, aliquamdiu protrahendam. *Atrophia scorbutica* jam ante laborasse, quam *ens veneris* in usum trahere cœpisset, quod pusillis quoq; exhibitum plane innoxium comperiatur, dummodo rite paratum. Indicium caussæ non admodum bonæ, lentorisq; in sanguine esse, ubi somnus vires adeo non reparat, ut potius demsisse videatur. Spiritus in somno quasi ligari, per vigilias e compedibus expediri, proinde sanguinem lentore suo per se difficulter mobilem, si spiritus ἐνορμῶντες desunt, adhuc tardius intra vasa moveri, unde magis a somno delassati videntur, donec liberati spiritus & a motu quoque externo in perniciorem motum rapti, simul sanguinem ipsummet agiliorem successive reddant. Cum lympha quoque lentore peccet, evigilato mane os siccum esse, propterea quoque non mirum, quia, qui sunt obstructis naribus, spiritum per os apertum dormiendo trahere cogantur. Naribus de die frequenter attrahi posse *majoranæ stillatitiam* ~⊖*is* ✱*ci*. moderate admixto exacutam. Post absolutam menstruam succorum *antiscorbuticorum* curam, salis volatilis viperarum jam olim tentatum usum ad 14. dies repeti non dissuaderem.

XIV. XIV.

QUid agant domi *vitra* mea *meteorica* propter absentiam ignorare cogor. Interim nox præterita valde frigida fuit, circa meridiem calor nives liquefecit, stillantibus etiam hac vespera tectis.

XIV. Gensa. *Hemitritæus.*

§. Gensa noctem satis commode transegit, hodieque per trihorium continuum vigilavit, quod jam diu non factum. Circa nonam antemeridianam in somnolentiam suam relapsa fuit, quam, ut quovis modo a somno arcerent, consultum duxi. Pulsus hodie non erat adeo magnus ac durus; pomeridie circa quartam caloris rursum quædam exacerbatio, sed continuus torpor. Ordinata sunt sequentia: Mane & pomeridie deglutiantur 12. *pilulæ* cum potu ordinario:

Rec. *Extr. gentian. chin. chin.*
diaphor. ♂ al. an. ʒj.
myrrh. r. castor. opt. ⊕*li* ♂. ⊖. *CC. vol. an.* ℈j.
c. balf. peruv. F. pil. pond gr. j. Consp. ☿ *sant. r.*

Noctu sumat gtt. xxxx *mixturæ* sequentis ex eodem vehiculo:
Rec. R. ♂. *helleborat. ess. chin. chin. an.* ʒiß. *M.*

Cochlear unum & alterum pro lubitu:
Rec. *Aq. borrag. meliss. ceras. n. an.* ℥ij.
cinnam. cydoniat. ℥j. *M.*

Post quemlibet pastum *tragema* vel per se, vel cum pane tosto superfuso vino:

Rec. *Spec. diacr. Myns.* ʒiij. *diaph.* ♂ *al.* ʒij.
trag. aromat. officin. ℥ij. *M.*

Si ab exhibitione biduana medicamentorum somnolentia non remittat, *vesicatoria* duo utrisque suris affigantur. Postquam virium, DEO volente, quod sufficiat, recuperavit, *haustu laxativo* mihi consueto purgetur. An *acidulas* Deinacenses bibere liceat? si moderate fiat, non recuso.

Cittiani *uxor.* *Tussis. Asthma.*

§. Cittiani *uxor* 30. annorum hac hieme *tussi* quoque *ferina* laboravit, quam, quia *epidemicam*, non multum formidavit, *variis* remediolis eam frustra oppugnans. Cum vero nondum desinat, ipsaque difficulter spiret, lassa sit, contabescat, sibi de *phthisi* metuens me consulit. Suasi *infusum theiforme* mane & pomeridie ad 3. scutellas calide hauriendum sine admixtione *sacchari*, cum per se sit dulcidulum:

Rec. *Herb. veron. prass. heder.* ♁ *str. an. mj.*
rad. helen. farfar. an. ℥ß. *liquir.* ʒiij.
sem. anis. ʒiß. *fl. acac. mß. fic. pingu. n.* iiij.
jujub. sebest. an. par. iij. *passul. min.* ℥j.
cass. lign. ʒij. *conc. cont. D.*

Noct

Noctu sumat quantitatem dimidiæ juglandis *electuarii ex veron. heder. ▽-stri & rad. halenij cum melle despumato* facti. Cujus etiam portiuncula quavis diei noctisve hora, prout tussis urget, deglutiri potest. Nec interea negligatur vel omittatur usus *pulveris pectoralis* a Gnomilego pridem ordinati. XIV.

§. Lahmerus mihi narravit, Patrem suum nuper esse mortuum 92. annos natum, functionique suæ ad mortem usque præfuisse. Erat autem in opido quodam Badensis Marchiæ *Poligraphus*. Mirum aliquos tanto cum vigore senium extremum portare. Vivit adhuc in urbe quadam Imperiali *Suevica* Chrysolithus 85. annorum, quotidie fere combibonibus præsens, caliculum unum & alterum exhauriens, chartasque lusorias miscens, lepidus & facetus. Nec ita pridem mortuus est annos 83. natus Gribelius, qui *Physicatum* ordinarium in alia quadam ejusdemmet circuli urbe imperiali per integros sexaginta annos, nec judicio nec viribus admodum fractus, ornavit; In Hospitali quoque nostro mulier alitur centesimum ætatis annum jam supergressa, & tamen adhuc plateas circumiens, quamvis, ut verum fatear, tripes ac tardipes.

§. Cormidii *uxor* a 5. septimanis puerpera, *lochiorum* fere nihil vidit. Hinc dolor in lumbari regione intensus, interdum ad umbilicum & pectinem quoque exporrectus. Abdomen tensum. *Dispnœa*. Sitis. Lassitudo. Nunc algor, nunc æstus, per vices ingruentes. Sumsit aliquoties *unguentum rubrum potabile*, nullo cum effectu. Cormidii *uxor*. *Lochia supressa*.

Rec. *Rad. ap. filic. rub. tinct. an.* ℥ß.
herb. charefol. meliss. puleg. an. mj.
fl. calend. cheir. an. mß.
sem. dauc. ʒij. *croc. opt.* ℈j.
Conc. cont. D. cum aqua mens. iß. ad Consumt. 1/6. *coquantur.*

Mane & pomeridie & noctu sumatur haustus calide, instillatis prius *mixt.* seq. guttulis xxx.

Rec. *Tinct. succin.* ~⊖✱. *an.* ʒj.
ess. croc. ʒß. *M.*

Dolori leniendo illitus *unguenti de hyoscyamo.*

§. Dieterici *uxor*, 40. annorum, lactans, jam diu dolorem sentit in regione lumbari totoque hypogastrio, *fluorem album* patitur, lassa est, *cardialgia* laborat, *dyspnœa*, *cephalæa* &c. affligitur. A matrona nobili accepit *elixir hystericum* cochleatim sumendum, constans e *bacc. ebul. ca-* Dietrici *uxor*. *Fluor albus*.

 storeo

XIV. *castoreo & camph.c.*🜄*.infusis*, quod in se & aliis millies cum successu probatum affirmabat. Sed neque hic effectus notabilis. Ego sanguinis & humorum acrimoniam, tardum illius intra vasa motum, emphraxeis hinc inde in corpore, & *cachectici* mali primordia agnoscens, urina simul turbida cum sedimento albo viscoso existente, pulverem ordinavi ex *Spec. diatrag.fr.* ℥ß. *tereb. coct.* ℈. ʒij. *laud.op.gr.viij.* M. Divid. in 12. p. æqu. sumatur una mane & pomerid. ex vehic.seq. m. seorsim hauriendo:

Rec. *Aq.chamom.* ℥ij. *sir.de alth.Fern.* ℥j.
ess.anod. ʒj. *M.*

Noctu gtt.xxx. ex eodem vehiculo:

Rec. *Ess. carminat.* ʒij. *anod.* ʒß. *M.*

Lumbis *unguentum de hyoscyamo.*

Lineti *uxor.* *Scorbutico-hysterico.* §. Lineti *uxor* 36. annorum 6. liberorum mater, jam a biennio in valetudine vacillare cœpit, multaque a multis juxta Medicis & Medicastris est passa. Symptomata pro affectu *scorbutico-hysterico* pronunciant: *Clavo hysterico* miserrime torquetur, anxietates sunt circa præcordia, animi ægritudo, tinnitus aurium, pulsatio in cerebro & arteriis carotidibus, palpitatio cordis, phlogoses vagæ, horripilationes interpolatæ, creberrima oscitatio, cardialgia, dolores *epigastrii* subter umbilicum, in intestinis tenuibus, creberrimæ & insipidæ eructationes, borborygmi, alvus plerumque constipata, interdum nimis laxa, fluor albus, appetitus prostratus, sitis tamen non nimia, dentes putridi, gingivæ sanguinolentæ, lassitudo artuum, cum primis genuum debilitas, cum subito erigitur in lecto, *scotomia*; 🝕a. est rubicunda, turbida, cum multo sedimento ex albo rutilescente, unde tamen urinæ reliquum non plane clarescit. Ante annum diu laboravit vera *melancholia hysterica.* Jam ollas fere *pharmocopoliorum* omnes gustavit, *Sualbacenses* bibit, *Serpentinis* se lavit. Affulsit haut raro spes convalescentiæ, sed non diu permanens. Militiam sequitur cum conjuge Chiliarcho, variante sic diæta in partibus omnibus. Nuper demum accepit medicamenta a *Medico* quodam campestri, præter alia *mixturam* cochleatim hauriendam ex hystericis & antispasmodicis, quam ingrediebatur ʒj. *Spermatis ceti.* (Quod, nisi oleosis mixtum, difficulter ejusmodi potiones ingreditur, meque judice formulas efficit inartificiosas.) Ante 10. septimanas menses ultimo passa est, nullis tamen consuetis aliis graviditatis signis præsentibus. Uno verbo: *scorbutica* est, morbo ex rancido & vappescente sanguine mixto. Curam ita sum aggressus: Mediana dextri brachii ad ℥iiij. depleta, sanguis erat consistentiæ mediocris, serum vehementer salsum, globulos inter-

terluebat gelatina. Ordinatum fuit *infusum theiforme*, more meo prius XIV.
per 12. horas digerendum, hinc antemeridie hora 9. & noctu eadem hora sine saccharo calide hauriendum:

> Rec. *Raſ. lign. ſaſſafr. lentiſc. an.* ℥j.
> *rad. ſarſapar.* ℥iß. *leviſt.* ℥ß. *liquir.* ʒiij. *chin.* ʒj.
> *herb. trifol. fibr. fumar. cochlear. an.* mj.
> *cort. aurant. caſſ. lign. an.* ʒiij.
> *paſſul. min.* ℥iß. *ſem. aniſ. ſtellat.* ʒiß. *M.*
> *Conc. cont. D. & more ſolito infuſa bibantur.*

Primæ cuilibet ſcutellæ (reliquis ſcutellis ſibi relictis) inſtillentur *elixir* gtt. xxx.

> Rec. *Tinct. ♂. aper. caſtor. an.* ℥ß.
> *∽. cochlear.* ⊖✱ci ∀. *camphor. an.* ʒiij.
> *gumm. galban.* ʒß. *balſ. de copaib. gr. xv.*
> *magiſter. gial.* ⊖. *ſuccin. vol. an.* ℈j.
> *ol. Tart. fetid. aniſ. an.* ℈ß. *cinnam. gtt. vj.*
> Mixta ſtent in digeſt. per noctem, mane filtra, add.
> *∽ CC.* ʒij.

His per menſem integrum utatur, intercalatis ſingulo octiduo *pulv. Cornach.* ʒß. qua die *infuſum theiforme* mane omittitur, noctu vero ante ſomnum tamen bibitur. In omni languore cochleatim ſumat,

> Rec. *Aq. fumar. meliſſ. an.* ℥iij. *hirund. c. caſtor.* ℥j.
> *elix. uter. Cr.* ʒj. *ſir. fl. pœon.* ℥ß. *M.*

Dolori capitis, cumprimis etiam cervicem occupanti, ſcripſi *ungu. de hyoſc. cum axung. caſtor.* vera permixtum, verticique *cucupham* mihi conſuetam ex *caſtor. aſ. fetid.* & *ſuccino.*

Diætæ ſit tenax, Suo tempore adeat GÖPPINGENSES & BOLLENSES.

§. Linetus ipſe non tantum *nephritide* vexatur, quod ſupra 15. *Mart.* dictum, ſed inſuper *mariſcas* habuit in *ano*, quarum cauſſa *ſudatoriam curam* ſuſtinuit, & cultrum expertus eſt. Ob acrimoniam tamen a ſanguine contractam, recidivam metuens, quo pacto ſe præſervare queat, petit! ſuaſi curam *cremoris avenacei* nunc celebrem, de qua alibi, in eo ſolum mutatam, quod loco *radicis cichorii*, *rad. bardanæ* incoqui voluerim.

Linetus. *Mariſca in ano.*

XIV. Cormus. *Ozana.*

§. Cormus 36. annorum *Ozæna* laborat in sinistra nare.

Rec. *Extr. cathol. ☿ ii dulc. rit. par. an.* ℈j.
dacryd. gr. v. *F. pil. n. xx. pro 1. dosi.*

Rec. *Ess. lignor. fumar. an.* ʒij. *M.*
sum. mane & noctu gtt. xxx. ex quol. vehic.

Rec. *Ess. myrrh. mell. rosat. an.* ℈ij.
sacch. ♄. ℈j. *M.*
cum bombace intrudatur sæpe nari ulcerosæ.

Hic homo frequenter enormem narium *hæmorrhagiam* passus est, &eam *turundis adstringentibus* immissis compescuit.

Uxor. *Cardialgia. Colica. Lumbago.*

Uxori ipsius *cardialgia*, *colica* & *lumbagine* afflictæ ordinata talia:

Rec. *Spec. diacret. Mynf. diatrag. fr. an.* ʒiij.
diaph. ♃ *al.* ♁. *nat. ppt. an.* ʒß.
extr. papav. c. ℈ß. M. F. ☿.

Sumantur ter in die cusp. 3. cult. e *mixtura* seq. etiam seorsim usurpanda:

Rec. *Aq. chamom.* ℥vj. *sir. de alth. Fern.* ℥j.
Ræ. castor. ʒj. *ess. anod.* ℈j. *M.*

Foris inunctio cum *ungu. de hyosc. & ol. scorpionum.*

XV.

XV.

HAc nocte gelu, sed priore aliquanto mitius. Dies serena & temperate frigida. Vesperi domum redeunti Mercurius in *barometro* ad ultimam quarti gradus lineam adscendisse visus, liquore *thermometri* secundum gradum occupante.

Plaustrarii *uxor.* *Mensium paucitas.*

§. Plaustrarii *uxor* 40. præterpropter annorum unius tantum prolis mater, hactenus per multos annos sterilis, vultu roseo, temperamento sanguineo, menses quidem, sed perpaucos, patitur. Dolores sentit in epigastrio subter stomachum a regione hepatis ad usque lienis protensos, magis tamen sinistram, quam dextram regionem occupantes. Lassitudo est in membris & artuum quasi gravitas, *cordis palpitatio*, sitis, appetitus mediocris, phlogoses, urina perpetuo turbida & fusca cum sedimento incarnato. A stagnante fortassis in ramis *venæ portæ* & *splenicis*, tempore debito non evacuato, sanguine, eoque viscido simul, omnia procedere credens, vinum suasi medicatum mane ad ℥vij. hauriendum:

Rec.

Rec. *Rad. 5 aperient. an. ℥iij. levist. angel. an. ℥ij.* XV.
herb. fumar. trifol. fibr. an. mß.
fl. cheir. p. ij. fol. senn. s. s. ℥x.
rad. mechoac. a. agar. trochisc. an. ℥iij.
sem. cartham. ponderos. ℥ß. passul. min. ℥j.
⊖ Tart. cass. lign. an. ℥ij. croc. ℈j.
Conc. cont. more solito infundantur.

Hoc absoluto deglutiantur mane & pomeridie 12. *pilulæ* cum quolibet vehiculo, insequente semper motu:

Rec. *Extr. Zedoar. gentian. helleb. n. an. ℥j.*
alcohol. chalyb. ℥ij. diaph. ♂al. ℥j.
⊖. succin. vol. ℈j. ess. absinth. liq. q. s.
F. pil. pond. gr. j.

Noctu gtt. xxx. *mixturæ* ex quol. vehiculo:

Rec. *Ræ. ♂. aper. ℥iij. ⊖. vol. oleos. ℥ij.*
ess. anod. ℥ß. M.

Suo tempore *Vsio.*, Deinacensiumque potus & lotio.

Obiter adhuc moneo, me ab interrogata, cur *Medicum* loci non consuleret, hoc responsi tulisse: se fiduciam in istum virum omnino nullam collocare posse, propterea, quod consultus dicere semper soleret; *hoc vel illud tentare velle*: Wir wollen diese oder jene Arzney NB. probiren. Atqui malum! ait illa, quid hoc sibi vult, tentare velle? Medicum nempe non decere, ut probet medicamenta vel tentet. Sciendum ipsi esse, quid cui morbo conveniat? Præterea se nolle objectum periculi *Medici* esse. Si quid tentare vellet *Medicus*, alium quæreret, &c. Discat hinc juvenis *Practicus*, quid prudentiæ requiratur in *Medico*, etiam dum sermones cum ægrotis miscet. Omnia verba stateram sustinere prius debent, quam proferantur. Bonus ille vir, & revera *Medicus* non illiteratus non ea intentione dicit, se medicamenta tentare velle, quasi effectum ipsorum nesciret. Igitur in malum sensum, quæ optimo prolata fuerunt, rapiuntur.

§. Rotus 36. annorum certa *petechialis febris* specie intra unius anni spatium jam quartum; & à *Martini* memoria ad hocusque tempus tertium decumbit. Adsunt cum *febri continua maligna maculæ*, quales in *petechiali* solent, sed ex his mediis vesiculæ surgunt, quasi tot margaritæ, diversæ quantitatis, semen scil. *cannabis*, *milii*, *papaveris* æquantes, humoremque continentes crystallo contra pellucidum. Easdem exhibet *Illustris* Brunnerus *Ann. VI. & VIII. Dec. III. Eph. cur. Obs. 206.* sub titulo

Rotus. *Febris exanthematica peculiaris.*

XV. *febris maligna miliaris*, easque periculi plenas ostendit. Valde delirabat hic ægrotus, ita tamen, ut præsentes quosvis agnosceret. Palmarium erat, quod crederet, illa vespera, qua ipsum visitavi, violenta morte & ignominosa sibi moriendum esse, nec ab illa opinione semet abduci patiebatur. Quæsivi de *medicamentis*. Præbita fuerant hucusque (erat autem dies ab invasione, si recte memini, sextus) *alexipharmaca* pleraque *volatilia* cum *aquis expulsivis*. Æger sudore diffluebat, facies intense rutilabat, pulsus erat celer & magnus, artus tremebant, oculi fulgurabant. Suasi, ut remotis *volatilibus* jam potius insisterent *fixioribus*, *nitrosis*, *antimoniatis*, *camphoratis*, & *emulsiones temperate refrigerantes* præberent; nam ulteriori expulsioni, si *maniam*, aut *phrenesin* potius, devitare vellemus, locum non esse. Caussantibus, ægrum tentare corporis denudationem, respondi: Fornacem largius accendendam esse. Præterea nil addidi, quippe non ordinarius. Mirum, periculosum hunc morbum intra spatium anni jam quater recurrisse.

§. Narravit mercator Argentoratensis, luem quandam, *pestifera* non absimilem, cum ibi, tum ad ripam *Rheni* universam usque Philippiburgum grassari, totosque pagos populari. Caussam diu non agnitam denique in *piscibus rhenanis* repertam, quorum esus propterea auctoritate Superiorum sit prohibitus. Unde *piscibus* tale contagium? quærenti responsum fuit: culpam conferri in varias morticinas equorum juxta & armentorum ante hiemem in *Rhenum* projectas, quo denique congelato dictæ morticinæ vaporibus putridis exhalare non potentibus pisculento generi in escam cesserint. Quid veritatis subsit huic relationi per litteras Argentoratum mittendas expiscabor, piscatura forte, quam illa *rhenana*, minus nocitura. (d. 18. *Mart.*)

XVI.

XVI.

MAne *Barometrum* & *thermometrum* qualia heri vesperi: Hac vespera *Barometrum* adhuc perstitit, liquor autem *Thermometri* per unam lineam ultra secundum gradum ascenderat.

Petalogypsi *uxor*. *Febris continua tertiana*.

§ Petalogypsi *uxor* (12. *Mart.*) cum quartus *tertianæ continuæ* Paroxysmus ipsam vehementer exerceret, me absente, Gnomilegum accersivit, qui *pulverem absorbentem*, *præcipitantem*, *alexipharmacum* ex *aqua ceras. nigr.* sumendum, cum *speciebus* pro potu ordinario decoquendis præscripserat. Paroxysmum ultimum comitata sunt *deliquia*, e circumstantiis a me *hysterica* judicata. *Pulveris* præscripti usum conti-

nuan-

nuandum existimans nil adjeci, nisi petenti, *mixturam roborantem* cochleatim simul hauriendam: XVI.

Rec. *Aq. confortat. offic.* ℥iij. *cerasf. nigr. meliss. an.* ℥j.
bez. ♃*al. matr. perl. ppt. an.* ℈j. *conf. alk. inc.* ʒj. M.
(d. 17. *Mart.*)

§. Apud Melodidascalum (11. *Mart.*) *cephalæa continua* & antiquo more vehementissime discrucians, sic ut, culpam in *magnesiam* conjiciens, hac uti destiterit. Neque cessat tensivus *hypogastrii* dolor; appetitus est prostratus, lassitudo summa, metus imminentis novi morbi. Parati *sacculi cephalici*, commendata *mixtura* noctu & mane ad gtt. xxx, sumenda, ex *aq. cinnam. cydoniata*: Melodidascalus.

Rec. ℞*a succin.* -~⊖ ✱*ci an.* ʒj.
ess. anod. ℈j. M.

Ægritudo animi, post *scorbutum*, primarius affectus. *Antidotus* in officinis pharmaceuticis nulla. Molesti *Medico* morbi. (d. 17. *Mart.*)

§. Tigurini *Filiolus medius* me absente quoque præludia *variolarum* exhibuit. Gnomilegus d. 14. *Mart.* ordinavit 2. pulvisculos ex *aq. cerasor. nigr. sumendos*: Tigurini *filiolus medius*. *Variolæ*.

Rec. *Lap. bez. or. gr.* iiij. *unicorn. ver.* ℈ß.
mater. perlat. ℈j. M. F. 2. ℥es.

Assumsit, papulæ prodierunt, sed raræ. Una tamen prægrandis, magis *ulcusculum*, in inferiore palpebra sinistra. Puer vomere desiit, hilaris iterum factus & bene appetens. Jussi, ut in calore detineretur, & ordinavi *aquam fumariæ* cum *sir. violar.* Aliis enim opus habere non videtur.

§. Tigurini *Filiolus minimus* d. 13. *Martii variolarum* sparsit minas. Difficilis est ad medicamenta. Me absente Gnomilegus ordinavit *mixturam* cochleatim sumendam: Tigurini *filiolus minimus*.

Rec. *Aq. scabios. fl. samb. cherefol. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ℈j. *mater. perlat.* ℈ij.
Jul. rosat. sir. fl. papav. err. an. ℥ß. M.

Prodierunt numero mediocri. Pergere jussi, & simul *materiam perlatam* decocto *lacti* misceri. Lac enim bubulum decoctum inservit ipsi pro potu ordinario.

§. Macroterus pauper (12. *Martii*) cum e nupero quadantenus semet levari dixisset, a me petiit, adhuc aliquid promovendæ Macroterus.

 saluti *Asthma*.

XVI. saluti ordinarem. Scripsi *pulverem* ad cusp. 3. cultr. ter in die per se sumendum.

Rec. *Rad. irid. flor. helen. liquir. an.* ʒiij.
sem. nasturt. sinap. an. ʒj.
fl. ♃. ʒß. *croc. or.* ℈j. *ol. anis. gtt. iiij. M.*

Miseret me hominis, quippe, quem asthma prohibet ostiatim stipem mendicare, nec sunt, qui juris calidi vel unum cochlear largiantur. Unde igitur convalescat? Et hic valet Hippocratis *Aphor. 1. s.* I.

Saraceni *ancilla.* *Pleuritis spuria.* §. Saraceni *ancilla* nudiustertius horruit, sequebatur æstus, sitis, dolor punctorius in *epigastrio* sinistro, *cephalæa*, lassitudo, inappetentia, *dyspnœa*, *tussicula sicca*, sputum incruentum, alvi constipatio. Dati, me absente, *pulveres præcipitantes* ex ♄. *diaph. Oc.* ♋. ☽. Pulsu explorato de *pleuritide spuria* pronunciavi. Ordinati 2. ♉es:

Rec. *Bez.* ♂ *al. conch. ppt.*
oc. ♋ *crud. cont.* ♁ *nat. ppt. an. gr. xv.*
ther. cœl. gr. ij. F. 2. ♋.

Vehiculum tale sit, seorsim quoque sumendum:

Rec. *Aq. chamom. chærefol. borrag. an.* ℥ij.
~☽. *dulc. ess. anod. an.* ℈j. *sir. papav. err.* ℥ß. *M.*

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒj. *papav. alb.* ʒiij.
aq. chærefol. fumar. ceras. n. an. ℥ij.
F. l. a. Emuls. add.
oc. ♋. *ppt. matr. perl. pp. an.* ℈j.
sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Dimidia pars hodie, altera cras, utraque sub somni tempus, potetur. Mediana dextri statim pertundatur. Emittantur sanguinis ℥v. Lateri dolenti *unguentum de hyoscyamo*, Fronti pulsibusque *emulsio externa*. Potus aqua pane tosto medicata. (d. 18. *Mart.*)

Vinariensis. *Phthisis.* §. Vinariensis (d. 12. *Mart.*) vires a *gelatina caponis* aliquantillum collegit. Conqueritur de *dolore coxendicis* summe molesto, & rogat, num laudatam ab amico *aquam pulmonum vituli nigri* bibere non liceat; se jamjam, me absente, quamvis sub spe rati, pulmonem ejusmodi Pharmacopœo ♌llandum tradidisse Narrata sibi aliquorum sui similium exempla, qui per isthanc aquam restituti fuerint. Cum ipsum fiduciam in hoc medicamentum locare sentirem, libenter annui; & dixi, ut mane pomeridieque initium faceret bibendi 3. cochlearia cum tantillo *sacchari canti*, postea per unum cochlear singulis diebus ad usque sex cochlearia ascen-

ascenderet, sic per 14. dies pergeret, denique rursum cochleatim descen- XVI.
deret. De *coxendicis* dolore me pronunciaturum, utrum sit *nephriticus* an *ischiaticus*, quum collecta cras mane urina mihi exploranda tradita fuerit. (d. 17. *Mart.*)

Actuarii uxor. Phthisis.

§. Actuarii *uxor* (5. *Mart.*) *Decoctum* tunc ordinatum non nisi bis usurpavit, semper se pejus habuisse, *torminaq;* ac deliquia passam, caussata. Nec *rotulæ* satis sapiunt, quas collum exsiccare putat. Vires indies magis vacillant. Jussi repetere *decoctum*, sed omisso sibi adverso *melle*. Tunc enim fore, ut ejus potum sufferre queat. Insuper suasi curam lactis caprilli, cujus *decocti* prius mane & pomeridie ℥. mens.calide biberet, quantitatem indies usque ad quart. iß. augendo, cum regimine & pauco saccharo ab initio, ad avertendam in stomacho coagulationem. Neque *rotulas* omnino negligendas esse volui.

Campyloxyli filiola. Quartana interm.

§. Campyloxyli *Filiola* natu major (12. *Mart.*) duos interea paroxysmos *febriles*, *typo quartanæ*, sustinuit, satis truculentos. Sumat ter in die 2. cusp. cultri de polline, cum vehiculo adjecto, etiam seorsim sumendo:

Rec. *Bezoard. ♃al. oc. ♋. crud. cont.*
matr. perl. ppt. CC. philos. an. ℈j.
sacch. perlat. ʒj. *M.*

Rec. *Aq. ceras. n. rub. i. d. an.* ℥ij.
sir. acetos. citr. ℥ß. *M.*

Emulsio externa pro *epicarpio* & *frontali*. (d. 20. *Mart.*)

Pogonati filiolus. Variola.

§. Pogonati *Filiolus* (12. *Mart.*) me absente pustulas excludere cœpit, non admodum copiosas quidem, alioqui tamen, quales esse decet. Symptomata remiserunt. Ordinata a Gnomilego assumsit, & satis vegetus ac hilaris est, appetens quoque cibos, nec multum bibens. Non necesse judicavi, ut multis uteretur pharmacis, modo in lecto eum detinere possint.

Filiola.

Filiolæ quoque a Gnomilego *mixtura antepileptica* ordinata, & simul *vesicatorium* alteri brachiolo affigendum. Meliuscule habet. Continuetur *mixtura*. Capitis vertex, tempora, nucha, inungantur *linimento*:

Rec. *Ol. nuc. mosch. expr.* ʒß. *succin. rut. an.* ℈ß.
bals. peruv. ℈j. *M.*

Videtur evasura.

XVI. Capsopœi *filiolus*. *Rhachitis*.

§. Capsopœi *Filiolus* (d. 27. *Febr.*) multum per ista medicamenta profecit. Melius spirat. Abdomen quidem adhuc tumidum, sed minus tensum. Deliberato consilio scripsi mixturam *purgantem*, de qua quotidie 3. cochlearia pusioni præbeantur:

Rec. *Sir. ros. solut. de cich. c. rh. an.* ℥j.
pul. gial. n. resin. ℈j. *aq. acac. parum. M.*

Qua absoluta repetendus est *pulvis, gutta & linimentum.* (d. 25. *Mart.*)

XVII.

XVII.

MErcurius per unam lineam subsedit, ultimam nempe quarti gradus occupans. Liquor *thermometri* 2. lineas tertii gradus occupavit. Frigus remisit. Dies erat maximam partem nebulosa & pluviosa.

Bryocepuri *Filiolus*. *Pneumatocele*.

§. Bryocepuri *Filiolus* (2. *Mart.*) pancratice ab ista medicatione convaluit, solo adhuc scrotelli tumore superstite, quamvis longe, quam antehac, minore, procul dubio sensim, uti fieri solet, disparituro. Mater tamen quæsivit, utrum hujus mali caussa consultum esset proxima *parasceves* feria *herniam* per radicem *Fabariæ transplantare*, eine Wurtzel setzen. Solent enim in his oris *radicem Fabariæ* immergere merdæ vel oleto calido herniosorum & terræ implantare, illa ipsa die: sic enim, prout hæc planta in terra radicata crescit, ita herniam decrescere credunt. Respondi, me *curas transplantatorias* non insolidum damnare, interim me judicare, quod ea cura neque sit hic necessaria, neque, si sit, non alia, quam *parasceves, die* administranda. Diem hanc sanctam aliis meditationibus esse dicatam, inventum hoc esse Diaboli Christianos a sincera pietate arcere cupientis, me igitur illum diei sacræ abusum nullatenus probare, quin ut abstineat potius, omnibus modis monere.

Petalogypsi *uxor*. *Tertiana continua*.

§. Petalogypsi *uxor* truculentas adhuc sustinet *continuæ tertianæ* exacerbationes, semper per 1. vel 1½. horas anticipantes. Somnus fere nullus, symptomata, qualia nuper. Pergat cum *pulvere* Gnomilegi mixturaque roborante mea, frontalibus itidem & epicarpiis. Porro noctibus 2. sequentibus dimidiam *emulsionis* portionem ante somni tempus exhauriat:

Rec.

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒj. XVII.
papav. alb. ʒiij.
aq. ceras. n. fl. til. rub. id. an. ℥ij.
F. l. a. Emulsio. Adde
CC. philos. bez. ♃ al. an. ℈j.
sacch. perlat. ʒij. M.

Noctu ante somnum potui detur pars dimidia, altera in cella vinaria usque ad crastinam noctem servetur, itidem haurienda. (d. 20. *Mart.*)

§. Vinariensis urina *nephritici* nihil, *hypochondriaci* & cumprimis *ischiatici* multum exhibuit. Præter curam cum *aqua pulmonum vituli* ordinavi ʒß. pulveris mane & noctu hora 9. sumendi per se. Rec. *pulv. arthrit. Wepf. spec. diair. s. an.* ℈ß. *croc. orient.* ℈j. *balsamo sacch.* ♃ *anisat.* ʒvj. M. Vinariensis. Phthisis.

Dicta *pulmonum vituli aqua* sine accessorio ullo per se *destillata* a me gustata exhibuit saporem vere unctuosum & quasi carneum, supernatante tantilla pinguedine, sic, ut non sit plane phlegmatica, nullis qualitatibus prædita, prout auctorum multi sibi, aliisque persuadent. Cur igitur e carnibus animalium destillatæ *aquæ* sic dictæ *resumtivæ* in *phthisi* & *atrophia* sint plane rejiculæ, non video. Tales æque nutrire, atque carnes assumtas, nemo dixerit, sed neque hoc est necesse, dummodo quid balsamici in se contineant, quod sanguini effeto quasi ac fatuo affusum vel permixtum characterem vitalem & nutritium imprimat, dummodo spiritibus vit-animalibus materiam proximam suppeditet, qui aucti & roborati actiones alimentarias instaurant, dummodo liquorem gastricum corrigendo & denuo quasi animando, coctionem redintegrent; quod ejusmodi aquas facere posse, qui præfracte negat, unde se munire velit, ipse viderit. Inest his aquis manifestissimum quoddam, etiam tactui perceptibile γλισχρόν, inest ⊖ volatile, materia spirituum, etiam majore, quam in gelatinis animalium, copia. (Nam his inesse ⊖ volatile Coqui hodie norunt. Nec opus est crasso nutrimento, quod suppeditare possunt esculenta alia simul assumta, sed hoc succo tenui magis quasi ad digestionem, ac nutritionem accommodato, sanguis sensim disponitur ad meliorem nutritionem, quem non stricte, sed junctim cum sero & lympha intelligo.

§. Melo-

XVII. Melodidascalus. *Cephalaea.* §. Melodidascali *cephalaea* nondum remittit. Petiit a me *pulvisculos rubros* olim ordinatos, quos præ aliis medicamentis se cum effectu non nullo usurpasse, immo manifestam virium redintegrationem sensisse referebat; erant autem scripti d. 8. *Martii* 1708. tales:

Rec. *Specif. cephal. cryst. ppt. an.* ℨj.
⊖. *CC. vol. gr.* iiij. *ther. cœl. gr.* iij.
M. F. 2. ℘es.

Splenium *axung. castor. cum ol.* N. M. & *bals. peruv.* mixta perlitum calide *occipiti*, superimpositis *sacculis medicatis* admoveatur. Noctu sumantur *pilulæ* Gnomilegi ex *extr. pœon. rut. castor. c.* ♁. *nat.* paratæ.

Grapteris *filiolus.* *Cardiaca.* §. Grapteris *Filiolus* multum profecit *pulvisculo* & *unguento* 8. *Mart.* ordinatis, quibus consumtis, ut *cardiaca* reliquiæ removerentur, ita mutavi:

Rec. *Spec. antatroph.* ℨij.
specif. cephal. ℨj. *sem. nasturt.* ℈j. M.

Usus, qui prioris, cum *mixtura consueta* & *unguento.*

Stephani *uxor.* *Pseudocyemata.* §. Stephani *uxor* ante semestre marito nupta mensibus per 11. septimanas subsistentibus gravidam se credidit. Ortis vero ante octiduum doloribus in dorso, versus inguina protensis, effusisque postea aquis exclusit aliquid membranaceum, nil autem embryonis; Altera die, quid majus, sed æque nil tale, nisi quod hæc massa magis esset priore carnea cum striis sanguineis, mucosis & fibrosis. Cum autem *lochiorum* simul nil prodiret, ipsaque torminibus etiam ad deliquium afficeretur, me noctu vocavit:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. chamom. an.* ℥iß.
ess. anod. ℈j. M.

Dimidia pars calide statim hauriatur, altera, si dolor urgere perrexerit, post noctis medium, sin, cras mane. Foris litus cum *unguenti de hyosc.* ℥j. *ol. carv.* ℈j. *mixti.* (d. 18. *Mart.*)

XVIII.

XVIII.

B*Arometrum* & *thermometrum* hodie mane, qualia heri; quæ fuerint vesperi, cum peregre abierim, nescio. Dies erat nebulosa.

Melodidascalus *Cephalaea.* §. Cervici Melodidascali ob continuo cruciantem *cephalaeam* inusta vesica. Cum reliquis medicamentis perrectum.

Sub hac operatione Melodidascalus narrabat, ante jam plurimos annos, cum *Ulmæ* versaretur, mane subito se privatum fuisse *loquela*, sic

ut ne sonum edere quidem posset, adeoque perfecte *aphonus* esset; XVIII.
nul faciem & pectus intumuisse & penitus lividum factum esse, cum
tercepta respiratione. Accitum *Chirurgum* cervici *vesicatorium* affixis-
, cum autem per incuriam extra urbem profectus fuisset *Chirurgus*, *em-
astrum* cervici per 18. horas incubuisse magno cum dolore, *Loquelam*
tem se recepisse. Porro narrabat, idem symptoma se passum hic STUTT-
RDIÆ aliquot prius annis, quam ULMÆ correptus fuisset; tunc vero
tionem venæ juvasse. An, quia per stasin sanguinis in *venis jugularibus*
carotidibus internis, hæc vasa tumefacta *nervos recurrentes* compresse-
nt, motumque spiritus animalis per eos interceperint?

Emplastra vesicatoria diutius, quam par est, cuti affixa multum in-
mmodi ferunt. Ortos hinc vidimus dolores ferme intolerabiles in
atrona quadam, cutisque profundas ulcerationes. Gnomilegus
censebat exemplum puelli adhuc admodum infantis, cui impositum
erat, nescio, cui fini, *vesicans emplastrum*. Orto hinc de *militis Galli*
ventu rumore, parentes cum filiolo sibi fuga consuluerunt. Accidit,
puellus cruenta mejeret. Re explorata, caussaque nulla comparente,
nomilegus quærit, an forte vesicam excitarint tenello? Parentes,
i ob fugæ consternationem removere emplastrum obliti erant, id fa-
um esse affirmant. Tollitur *emplastrum*, *cruenta mictio* cessat.

Hac simul observatione docemur, quantum etiam valetudini haut
ro noceat, in fugam verti, quod in hoc Ducatu multi suo cum dam-
, immo vitæ jactura, experti sunt. Campus hic differendi *de fuga
rimentis* qua sanitatem, se latissimus offerret. Nunc autem nobis ex-
tiari non lubet. (d. 19. *Mart.*)

§. Falsa fuit de *piscibus rhenanis* relatio, ex ore mercatoris Argen-
ensis, die 15. *Martii*, hausta. Res autem ita se habet: *Ichthyopolæ* qui-
m *Lotharingici* carpionum seu *cyprinorum* salsamenta *Argentoratum* ve-
bant, eadem venum exposituri. Compertum autem fuit, piscinas *Lo-
aringiæ* glacie densissima vestitas in nupero tam prodigioso frigore. E
ibus regelatis incolæ gelu peremtos cyprinos protractos, saleque
nditos *Argentoratensibus* venundare sustinuerunt, aliquibus jam semi-
tridis existentibus. Ne igitur contagio hinc oriretur, providentia
pientissimi Magistratus illius urbis factum esse, ut esus ejuscemodi pi-
um prohiberetur, unde nata occasio de *piscium rhenanorum contagio*
bulandi.

Gg §. Bohe-

XVIII. Bohemi *uxor.* *Odontalgia.* §. Bohemi *uxor* ob dentes cavos odontalgia sæpe torquetur, neque tamen, ob metum inanem, evulsionem admittere vult. Terdeni *Chirurgus* dicebat, er wolle die hohle Zähne füttern / qua phrasi innuebat, se cavitatem dentium re quapiam explere velle, ne aër externus admissus dolorem ciere posset; idque sibi multoties alibi locorum probatum esse affirmabat, summo cum effectu. Non dissuasi, foveasque illas repleri cera posse & solere dixi. Non, inquit ille, ceram adhibeo, sed *argentum bracteatum* (Silberblättlein oder geschlagen Silber.) Has bracteolas convolutas & compactas exesorum dentium cavitati intrudo ibique relinquo. Quid si dolor non ab admisso aëre frigido, sed internis defluxionibus acribus proveniat? Hoc casu tantum abest, ut dolor per hasce farturas compescatur, ut potius impedita sic omni salinorum halituum effumatione cruciatum intendi necesse sit. Opus igitur distinctione.

Saraceni *ancilla.* *Pleuritis spuria.* §. Saraceni *Ancilla* a Medicamentis d. 16. *Mart.* ordinatis quoad punctorium dolorem, multum profecit, interim tamen adhuc calor p.n. *tussicula*, *dyspnœa*, *cephalæa*, anxietates, alvus clausa. Repetantur *pulveres* cum vehiculo. Fronti & pulsibus *emulsio externa*. Decumbat in conclavi calefacto. Ita heri volui. Cum autem in frigido cubiculo præfracte mansisset, sine dubio a sudore vel transspiratione impeditis, per tota femora *pustulæ urentes* satis magnæ proruperunt. Cubiculum foco instructum denuo urgens ordinavi *pulveres* hesternos sine *theriaca cœlesti* cum *mixtura pergendo*; suasi quoque, ut alvo reserandæ Oswaldi *potiunculam* hauriret. (d. 19. *Mart.*)

Stephani *uxor.* §. Stephani *uxor*, omnem dolorem ab hesternis amisit fere calore tamen præternaturali, anxietate & *dyspnœa*, cum animi ægritudine adhuc præsentibus. *Lochia* fluunt. Scripsi tres *pulveres* pomerid. hora 2. noctu hora 9. & cras mane sumendos, cum substrato vehiculo, etiam seorsim per cochlearia hauriendo:

Rec. *Bez. ♃al. CC. philos. succin. a. ppt.*
♁ nat. ppt. an. ℈j. *extr. papav. c. gr. vj.*
F. *3. ℘es.*

Rec. *Aq. meliss. fumar. borrag. an.* ℥ij.
hirund. c. castor. ℥vj.
mixt. simpl. ℈iij. *sir. chamom.* ℥ß. M.

Dol

Dolori capitis *emulsionem externam*. Alvi constipationi *potiunculam* XVIII.
swaldi. (d. 12. *Mart.*)

§. Regenottus *cum uxore* venam secarunt, more mihi quidem
nsueto, qui præservatorias *venæsectiones* circa tempus *æquinoctiale* sua-
re soleo, per ea, quæ latius disserui in tr. Germanico, cui titulus: Be-
ken vom Præservir-Aderlassen / An. 1692. *Ulmæ* 8. edito. Plaga *uxori*
icta tantæ parvitatis erat, ut radius sanguinis erumpens fili medio-
s crassitiem non excederet, adeoque per moram non adeo brevem
ciæ circiter quatuor promanarent. *Chirurgus* perinde se habere di-
, quanta sit plaga, dummodo sanguis profluat. Mihi secus est visum.
nper enim, qui vel guttatim exstillat, vel e minima plaga profluit,
ior est *sanguis*, quam e plaga lata profusus. Loquor expertus. Fa-
m aliquando, ut viro cuidam tunderetur vena in brachio dextro,
a non satis divisa sanguis tantummodo exstillavit; eodem momento
odemque subjecto largiore plaga pertusa mediana sinistri sanguinem
fertim profudit. Ille quasi fuit Juvenculæ, hic crusta propemodum
iali alba & glutinosa obductus. Novi, quomodo BAYLE alicubi phi-
ophetur. Sed mens veri cupida in CARTESIANIS illis speculationibus
n acquiescit.

§. Observati sunt aliquot inter meos *variolosos*, qui fere nil, nisi
bubulum appetebant. *Vidua* LEPTI dicebat, Maritum hujus liquo-
potum semper *variolosis* suasisse, quod humorum acrimoniam & vim
ticam attemperaret. Distinguendum est. In iis, quorum ventriculi
noribus acidis scatent, potus *lactis*, ob coagulum, quod in stomacho
it, omnino noxius: neque concedendus etiam nimium & maligne
ricitantibus. In adultis plane nolim, in pusillis, quorum ventricu-
vino nondum assuevit, tutior potus. Interroganti cuidam, eccur
qui *cicatricibus* per vitæ dies deturpati incedant, licet ex *variolis* decum-
tes τὰ δέοντα fideliter exsecuti fuerint, alii minus obsequentes & ob-
ssimi, *confluentibus* quoque afflicti, cutim glabram recuperent? Re-
ndi: seri acrimoniam in subjectis diversis esse diversam: quo major
 sit, eo profundiorem cuti ulcerationem contingere. Præcaveri vero
se *cicatrices permanentes*, si pustulis majoribus forficula scissis materiæ
ulentæ exitus ante maturetur, quam intra cuticulam diu captivata
nem subjectam depascatur. Cæterum per scalpturas intempestivas
immoderatas idem malum accieri posse.

XVIII. §. Quærebat aliquis, utrum ſanis curative *acidas minerales* impune potare liceat? Negavi. Potus *acidarum* habet vim *medicationis*; per eum igitur corpus alteratur. Quid autem alteretur in ſano, ni ſimul ſanitatem labefieri velis? Aquarum ejusmodi apoſpaſmata *ſalina*, ſubtilia, ſpirituoſa, num otia terent in corpore? Sin igitur morboſum, in quod agant, objectum potæ non inveniant, humoribus corporis craſin alienam ut largiantur neceſſe eſt; craſis autem naturalis quocunque modo alterata ſanitati non poteſt non eſſe detrimentoſa. Medicamenta debentur ægris, non ſanis. Vaniſſimi igitur ſunt, qui, præſervationis fine, propemodum quotidie *elixiria*, *pulviſculos*, *pilulas* aliaque liguriunt. ſanitati profecto vim inferunt. Oggeritur, multos recreationis cauſſa fontes adire, nec tamen incommodi quidquam percipere. Reſp. Id fieri fortaſſis in fontibus effetis nulla qualitate *ſalina* eminentibus, phlegmate nimio dilutis &c. redeunt enim abinde, quales acceſſerant. Periculum autem fiat cum aquis ditioribus. Præterea ſunt robore prævalido prædıti, qui nihil non impune bibunt ac edunt. Nec velim ſanos ab omni *medicatarum* potu inſolidum abſtinere. Aliud enim eſt, ſitim lenire, aliud curatoriam pericycloſin abſolvere. Præterea diſcurſus hic non intelligendus de *acidularum* incolis, harum potui, ceu ordinario, a teneris unguiculis aſſuetis.

Dioptrici *ancilla. Menſium paucitas.* §. Dioptrici *ancillæ* (23. *Febr.*) *paucitate menſium* cum pallare, *aſthmate*, *clavo*, laſſitudine, ſiti, adhuc vexatæ, ſcripſi *pulverem martialem* mane & pomerid. ad 3. cuſp. cultr. per ſe, inſequente motu, ſumendum:

Rec. *Alcohol.♂.ſubtiliſſ.* ℥j.
diaphor.♂al.flor.♂. Haſſiac. ligni ſaſſafr. an. ʒj.
myrrh.r. ʒß. ⊖. *ſuccin.vol.* ℈j.
elæoſacch. caryoph. ℥j. *M.*

Noctu cubitum itura gtt. 50. ex *an. elix. aperit.* CLAUD. & *balſam* HOFFM. cum hauſtulo vini.

XIX.

XIX.

MAne nondum domi fui. Veſperi *barometri* funis argenteus quarti gradus medium, fluidum *thermometri* quartam lineam tertii gradus occuparunt. Dies erat ventoſa & nubila.

Grapteris *filiolus. Dentitio difficilis.* §. Scribite Pueri! Non eſt præſentius remedium in *dentitione difficili*, quam ſi Pater filioli, vel mater filiolæ, caput muris vivi forcipe pre- her

ensum avellat, linteolo primum albo, postea panniculo rubro insutum, XIX.
e collo dentientis intra scapulas filo annexum suspendat. Grapteris *liolus* acerrime vexatus ab hoc *myocephalo* vix per aliquot horas *amuleti* ore gestato adquisivit, ut *dens molaris* jam diu expectatus gingivam ffinderet. En igitur! probatum est! Risum teneatis amici! Quid falius est, quam dentem eruptioni proximum claustra perrumpere, etmsi non *myocephalum*, sed vel album græcum de collo suspenderis? *ltimum remedium semper juvat.*

§. Trichuli *Filiola* 12. septimanarum in collo, femoribus, circa guina *pustulas* habet majusculas instar *variolarum*, ichorem pallidum se continentes. Flatus adsunt sonori, excreta viridia, ructus acidum irantes. Acori temperando scriptus *Pulvisculus*: Trichuli *filiola.* *Pustulæ.*

Rec. *Matr. perl. ppt. conch. ppt.*
oc. ♋. crud. cont. an. ℈j.
ol. lign. sassafr. gtt. ij. M.

Detur ter in die cusp. 1. cultr. cum quolibet vehiculo. Cum *narim* quoque adsit *obstructio*, ipsis indatur *elæobutyrum majoranæ.*

§. Saraceni *ancilla* in conclave calidum delata nihilominus noem anxiam transegit & inquietam. Calor præternaturalis valde parus & tamen interdum leve *delirium.* Dolor punctorius rediit in utroue *epigastrio*, cum capitis obtuso dolore. Olim *melancholia hysterica* ffectam dixerunt, unde in eam veni sententiam; etiamnum ejusmodi mptomata adesse: hinc *pulveres* ordinati tales: Saraceni *ancilla.*

Rec. *Bez. ♃al. oc. ♋. ppt.*
succin. a. ppt. fl. ⊖ ✱ ci hamat. an. ʒß.
F. 4. ℞es. Usus, qui priorum.

Rec. *Aq. meliss. fumar. an.* ℥iiß. *hirund. c. castor.* ℥j.
mixt. simpl. ʒj. ℞. *castor.* ℈ij.
sir. fumar. ʒiij. *M. D. cochl.*

Lateribus dolentibus, præter *unguentum* nuperum, *Catapl.* ex *sem. n. herb. malv. fl. chamom. c. lacte coctis.* (d. 20. Mart.)

§. Acolasti *uxori purgationem* vernalem petenti, ordinavi *potiunculam* mihi valde familiarem: Acolasti *uxor.*

Rec. *Aq. laxat.* MANNAG. ℥iij. *sir. de cich. c. rh.* ʒvj.
M. *pro 1. dosi.*

§. Melodidascalo adhuc vehementer ex capite dolenti D. TAIAS suasit, ut capillis omnibus rasis toti capiti imponeretur *emplastrum* ex Melodidascalus. Cephalæa.

XIX. *ex empl. de beton. & ran. Vig. c.* ☿*io.* æqualiter mixtis, vel, si ultimum arrideret, ex *empl. reg. Burrhi.* Pone aurim *hirudinem* quo remoto sanguis adhuc parum fluere sinatur, *aqua styptica*, ubi opus, sistendus. Intus laudabat usum R*æ.* ♂*. helleboratæ* loco 🜄. cum ∼ *cochlear.* paratæ ad gutt. 60. 70. in 🜄 *ceras. n.* cui semper 20. 30. guttæ *ess. absinth. comp.* admiscerantur. Consensit *Melodidascalus* in *emplastrum*, sed *hirudines* non arridebant, eo quod jam ante plusculos annos Esslingæ eidem loco affixi *hæmorrhagiam* per tres septimanas durantem & propemodum incoërcibilem excitarint, cum tamen a *cephalæa* notabiliter levatus non fuerit. Artotauro eadem *cephalæa* laboranti ab eodem Tamia commendatum recordor *emplastrum* ex *empl. de beton. oxycroc.* & *de ran. Vig. cum* ☿*io duplicato* mixtum, quod dolorem summopere lenivit.

Alius quidam *Medicus*, D. Genyarchus laudabat pro interno usu *pulverem*:

Rec. *Spec. contr. apoplex.*
succin. a ppt. CC. s. △*. ppt. an.* ʒiß.
spec. diambr. diamosch. d. an. ℈ß.
diatrag. frig. ʒß.
pulv. march. ʒj. ♁*. nat. opt. ppt. gr. xiij.*
🜄*. catech. fl.* ⊖✱*ci. an.* ʒij.
fol. ☉*. n. ij. M. F.* ℥

Mane & noctu sum. ʒ. cusp. cultr. cum aq. ros. vel ceras. n. It. Foris *emplastrum verticale*:

Rec. *Empl. de beton.* ʒiij. *catarrhal. pharm. Batean.* ʒij.
gumm. carann. ʒß. *bals. de peru. gtt. xiij.*
ol. lavend. ♌*ll. q. s. F. empl.*

Medici de aliorum *formulis* non libenter judicant; rogati tamen, si ordinarii, ex officio judicare tenentur. Tunc vero id sine amarulentia fieri decet. De *emplastro* nil. *Pulverem* autem quod attinet valde *decompositum* non dissuasimus quidem, sed neque suadere potuimus. Quid faciant hic *species diatragacanthæ*, quid 🜄*. catechu*, quid *flores* ⊖✱*ci*? (d 20. *Mart.*)

Thesei *filiolus.* *Convulsiones.* §. Theseus Hora octava vespertina me per ancillam vocat, ut succurrerem *filiolo* sesquienni *convulsionibus epilepticis* quassato. Rogavi ancillam, quamdiu puellus ægrotarit? Resp. a biduo. Quomodo? Resp. Æstuavit, sitivit, vomuit, expavit. Cur non maturius me vocastis?

ſtis? Reſp. Graphedium acceſſivimus hodie mane, ſed puellus ejus XIX.
medicamenta ſumere recuſat; quin olidum quid naribus admotum omnino non ſuffert, ſed quoties admovetur, acrius convellitur. Mulier quædam nos inviſens dixit: quin vocatis LENTILIUM, qui morbos infantiles præ aliis curare novit? (Iſt ein guter Kinder-Doctor.) (NB. nil tale de me prædico, ſed aliorum ſimplicitates recenſeo.) Herus itaque meus me ſtatim, ut te vocarem, huc ablegavit. Nox erat, locus ab ædibus meis diſſitiſſimus, pluvia, quæ nimbus vocari poſſet, ego feſſus ab itinere, quietisque cupidus, &, cum *puſtulas* quasdam minimas in facie obſervari diceret ancilla, *variolas* ſubodoratus, comparere recuſavi. Jure ne, an injuria, Lector æquus & Chriſtianus judicet? ordinavi *mixturam* cochleatim præbendam:

Rec. *Aq. fl. til. ceraſ. n. an. ℥ij. epil. L. ℥ß.*
pulv. march. ſpec. cephal. an. ʒß.
ſir. fl. pœon. ʒiij.

Vertici, nuchæ, temporibus *linimentum balſamicum:*

Reſp. *Ol. nuc. moſch. expr. ʒß.*
Olat. ſuccin. ℈j. rut. ℈ß.
balſ. peruv. ℈ß. M.

Dixi, ut his uterentur, & niſi, quod ſperarem, res in melius mutaretur, *puſtulæque* plures & majores efflorerent, me rurſum, nocte etiam media, vocarent. Perſuaſum autem mihi eſſe, *convulſiones* illas prodromas *variolarum epidemicarum*, igitur non formidandas. Cras mane, niſi neceſſitas citius urgeret, me affuturum.

Medico, communi bono, abuti non decet. Homines ſunt, alternæ requietis indigi, qua, ſi carent, & ipſi durabiles non ſunt. In caſu neceſſitatis uti libenter media nocte ſurgo & foras prodeo, ita diffiteri non poſſum, ſi, quod haud raro accidit, periculo plane nullo præſente, die præterita delaſſatus, vix in lecto tepefactus, intempeſta nocte, cœlo frigido, pluvioſo, quiete mea temere defraudor, id mihi permoleſtum accidere. (d. 20. *Mart.*)

XX.

XX.

QUievit Mercurius in prima quarti gradus linea; *thermometri* liquor medietatem tertii gradus ſuperaverat. Æquinoctium nives & glaciem conſumſit; Dies erat nubila, pluvioſa.

§. Quam.

XX. Sextarii *uxor.* *Menses immodici.*

§. Quamvis *uxor* Sextarii Medicamenta d. 21. *Febr.* ordinat summa cum sollicitudine hactenus usurpasset, attamen *fluxu mensium immodico* & vires vehementer populante, suo licet tempore, obruta, lecto per biduum affixa fuit, cui moderando interim ordinata sequentia

Rec. *Diascord. Fracast.* ℥ij. *laud. op. gr. iij.*
cor. r. ppt. 🜄. *Catech. an.* ℨß.
F. elect. pro 2. dosibus manè & noctu sum.
Rec. *Aq. plantag.* ℥iiij. *fol. quërc.* ℥j.
ess. anod. ℈j. *conf. de hyac.* ℨj. *sir. myrtill.* ℨij.
M. D. *cochleatim.*

Maneat in lecto, somno indulgeat, parum moveatur, vitet iram.

Cetocrenis *filiolus.* Natta.

§. Cetocrenis *Filiolus* 6. annorum ante sequiannum laborav *febre tertiana intermittente*, aliquot recidivas passus. Illa *febre* plane d functus, post temporis haut ita longi lapsum, cœpit male habere in dors hujusque regione lumbari, quod pensi nil habuit, quippe puer vegetus mobile, quod ajunt, perpetuum. Ante tres anni quadrantes, nem circa Pentecostes Festum 1708. *variolas* confertissimas accepit, easque p stremo *confluentes*, ægre denique curatus. Tempore non tantum *vario rum*, sed & per 2. menses, postquam ab illis convaluisset, dolor ille do plane quievit, reversus inde atrocitate successive incrementum sumer Exacerbabatur, quando aliquandiu sedens subito semet erigere, vel in terutrum saltem latus velociter se vertere tentabat; tunc enim punctio querens altum exclamavit. Interdum subito humi prosternebatur, ab alio quoquam erigi volebat, sed rogabat, ut sibi spatium semetipsi erigendi concederetur. Surgens autem hilariter degebat pro ætati more continuo discurrens, immo tripudians. Noctes sunt inquie Dn. Cephenus suadebat inunctionem *butyri trium mensium.* T tati quoque varii litus alii, sed sine commodo notabili. Ante tres se manas, cum mater unctioni *filioli* intenta esset, observavit tuberculum medio spinæ, supra tertiam *lumborum vertebram*, ad *musculos psoas*, rum primo, renitens, cuti concolor, nec admodum, licet pressi dolens, nec instar tumorum tunicatorum mobile. Observato hoc berculo sensim quoque intumuit facies, hinc pectus altissime sul tum, ut cutis niteret, venæque cœruleæ notabiliter prominerent, *dyspnœa*: post paucos dies iterum tumor, relictis facie & pectore, domen sustulit, ubi adhucdum quasi tympaniticus hæret, prote per femur dextrum, ad illud genu, illam suram, femur, genu, sur

nistra crassitie multum exsuperantibus, cum tensione molesta. Color XX.
x ad sensum, quam reliquæ cutis, rubicundior. Qua tumores hi
itent, dolorem puellus non sentit, nisi pressus in ilii dextri regione
bter spurias costas. Interim dorsale tuberculum incrementum suc-
ssive sumsit, jam æquans magnitudinem juglandis majoris, vel mali
meniaci, & ab usu cujusdam *emplastri* familiæ illi pro arcano habiti,
olliri quidem, sed & magis rubere cœpit. Notabile vero, ex quo tu-
rculum illud comparuit, dolorem in dorso longe parciorem, quam
tea sentiri, puellumque, postquam assedit, promtius, quam olim,
rgere. Cætera bibit, edit, lusitat, dormit, & de re nulla, nisi ma-
re genu sub noctem tensione, conqueritur. Spina interim rectissima,
er stat, sedet, vadit erectus, magis tamen, cum sui obliviscitur, in
xtrum latus, ob tumorem femoris & genu, inclinans, utrisque suis
caneis innititur, libere spirat, nil tussit. Egerit, mejit, sine impedi-
ento, tuber istud manibus prehensum comprimitur sine notabili do-
e. Nullius vertebræ *luxationem* vel *subluxationem* adesse certum est,
is enim, qua versum esset vertebra *luxata*, vitiandum esse corporis
ctum situm, necesse est. *Tumorem dorsi* Nattam *esse persuasus sum.*
et enim rubeat, rubor tamen, me judice, est *emplastri.* Tumorem
e sanguineum esse nolunt absentia doloris, inflammationis, pulsati-
s. Est autem incipiens *natta*, puello, si augeatur, demum nocitura,
cum enim nutricium prædatur. Reliqui tumores abdominis, fe-
ris, genu, suræ dextrorum, utrum aliquid cum hac *natta* commu-
habeant, hæreo. Videntur potius originem suam debere stasi cui-
n lymphæ, *glandularumq;* tum *mesenterii* tum aliarum obstructionibus.
ficilis est puer ad medicamenta, rogavit propterea mater, ut appara-
1, quoad possibile, cancellis arctis describerem. Sequens methodus
mmodissima visa. Purgetur *pulveris Cornachini gr. xxiiij.* singulis 14.
bus. Bis in die 2. cusp. cultr. sumantur de *pulvere* sequenti cum quoli-
applicabili vehiculo:

Rec. *Æthiop. mineral. matr. perl. ppt.*
elæosacch. cinnam. an. ℨij. M.

Diebus *purgatoriis* omittatur *pulvis*. Abdomen, femur, sura, tu-
ntia ungantur mane & noctu, prævia frictione, litu calido:

Rec. *Ol. philosoph.* ♈, *camphorat. an.* ℥j.
~⊖✱*ci.* ʒj.

Potui *species* modo sequenti decoctæ inserviant;

XX. Rec. *Sarsapar. mund.* ℥ij. *rad. chin.* ℥ß.
passul. min. ℥j. *sem. anis.* ʒj. M.

Quarta pars coquatur in Mens. 1. aq. font. Cum colatura in qu vis pastu temperetur vinum, & extra pastum illa sola sitis pellatur.

Tumori dorsi, vel *nattæ* ulterius imponatur *emplastrum fam domesticum*, propterea, quod levamen hactenus attulisse comperti sit. Diæta sit conveniens. Intra octiduum, qualis sit curæ success scribatur, tunc enim pro re nata suadebitur apertura *nattæ per cauteri potentiale*.

Cetocrenis *filiola*. §. Ejusdem Cetocrenis *Filiola* biennis ante 9. menses itid confertissimis obsita fuit *variolis*, a quibus curata tumorem accepit i brachiolo dextro, multis denique ulceribus, pus album & coctum fi dentibus dilacerato, quorum aliqua magno labore sanata sunt, a alibi denuo perrumpentibus. *Curam* hujus *brachii* in se suscepit Thi allidius. De reliquo puella est *rhachitica*, *caput & abdomen mag* pectus angustum & elatum, ingenium pro ætate docilius, statura, qu esse decebat, minor, *epiphyses* carporum & tarsorum nimium promin tes (angesezzte Glieder.) Mearum igitur partium, ut *rhachitidi* obv retur, ratus, interim ordinavi *purgantem haustulum*:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xvj. sir. de cich. c. rh.* ʒv.
aq. fumar. ʒij. M. *pro 1. dosi.*

Postea præbeantur bis in die 2. cusp. cultri de specifico *antatropho*

Hic autem, quin duo moneam, præterire non possum. 1. Th allidium dissuadere balneationem brachii in nostris *thermis fer* suadere contra Cephenum, meque ab hujus partibus stare, qu contraindicans non videam, & experimentis probatæ sint illæ *the in profundis & cum ossium carie conjunctis ulcerationibus*, quales hic si ponuntur, quamvis materia adhuc cocta profluat, nec admodum tida. Hanc enim denique sequi, non semel observavi. Pericul sine cum istis *ferinis* facere, quid noceat? Immo, si nocere sentiant desisti potest. 2. Si *variolæ* sunt justo pauciores, correpti sudores eruptionem impediant, pharmaca respuant, & nisi, quando conva erunt, purgentur, *scabiem, ulcera, aliaq; mala sequi* solere. Quæ h in puella nostra locum non habeant, cum, teste matre, & plurimas buerit, & medicamenta promte hauserit & post morbum purgata fue juniores tamen *Practicos* celare nolui, monens eos, ut *purgatione* curas exanthematum claudere nunquam obliviscantur. Utrum *n*

pu

pueri, vel reliqui certe *abdominis*, *genu*, *suræ tumores*, has duas caussas, nempe *abstinentiam a Medicamentis & intermissam purgationem*, matres non agnoscant, si dubitem, id mihi vitio verti nolim. XXI.

§. Melodidascalus in rasuram capitis hodie consensit, imposito loti testæ antea capillatæ *empl.* ex *aquali* portione illius de *betonica & de ran. Vig. c.* ☿*io*, *cum oleo succini* malaxato, & super corium vittæ ad instar, inducto. (d 21. *Mart.*) Melodidascalus. *Cephalæa.*

§. Petalogypsi *uxori* (17. *Martii*) ad *febrim tertianam continuam* post exantlatos jam 7. paroxysmos, abigendam ordinavi *pilulas* quarum singulis 5. horis nr. x. ex quolibet, dummodo non calido, vehiculo deglutiret: Petalogypsi *uxor.* *Febris tertiana contin.*

Rec. *Extr. gentian. cort. peruv. an.* ʒß.
bez. ♃ *al.* ♁. *nat. ppt. an.* ℈j.
ol. caryoph. gtt. iiij. ess. absi. q. s.
F. pil. pond. gr. j. *consper.* ☿*e liquir.*

Mixtura interim ordinaria cochleatim sumenda non omittatur. (d. 26. *Mart.*)

§. Saraceni *ancillæ*, præter heri ordinata, scripsi adhuc *pilulas* hodie noctu sumendas, eo quod anxietates noctu se majores pati & fere nil dormire conquereretur; sumendas cum potu ordinario; Saraceni *ancilla.*

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. M. F. *pil. n. viij.* (d. 30. *Mart.*)

§. Ad cujus *Filio'um* heri noctu meare debebam, Theseus, hodie me compellavit. Pusionem suum dicebat usque ad mediam noctem adhuc *convulsiones* passum, sed longe mitiores, postquam medicamenta a me ordinata exhibita fuissent, quæ etiam haut invitus assumserit. Post nostis meridiem plane emansisse, puellum postea placide dormisse, sed *variolas* quaquaversum confertim pullulare, rogare se, ut ipsum infantulum inspicere, ne gravarer, quod feci. Regimine mediocriter calido temperato, ad facilitandam expulsionem ordinavi *mixturam* cochleatim fundendam: Thesei *filiolus.* *Variola.*

Rec. *Sem. melon. papav. a. an.* ʒiß.
aquileg. nap. an. ʒß.
aq. fumar. ceras. n. an. ℥ij.
F. *l. a. Emuls. add.*
bez. miner. pulv. march. an. ℈j.
sir. fl. pœon. ℥ß. M.

XX. Respectu semper adhuc ad *convulsiones* habito, quamvis eas non redituras ex aliis circumstantiis divinans matrem timidam consolatus fuerim. Jussi quoque, ut *aquam fumariæ* potui ordinario admiscerent, nec clausam alvum sollicitare sustinerent. (d. 23. *Mart.*)

Thrabi *filiola*. *Cachexia*. §. Thrabi *Filiola* 11. annorum jam diu, immo ab infantia, est caussaria, facie subtumida, pallida, corporis habitu macro, ventre prominulo, lassis artubus, anhelo spiritu. *Contractiones* interdum *spasmodicas* in artubus, cumprimis manibus, sentit, ut digitos movere non queat per aliquot horæ minuta, sine tamen dolore. Alvus magis est fluida, quam adstricta. Parum appetit. Mater jamdiu propinavit *aquam tanaceti compositam*, vulgo hic ad quasvis contabescentias valde familiarem, quam vocant, Rheinfallwasser. Potiora ingredientia sunt *tanacetum, folia quercus, veronica, scabiosa, farfara &c.* Interdum bibitur usu non pœnitendo, sed plurimos quoque nil juvisse novi. Videtur in *sudore colliquativo* multa præstare posse, quin & in *tabe* cum *alvi profluvio* conjuncta: quam igitur, si quibuslibet *phthisicis* absque discrimine vulgus, caussas discernere nescium, propinat, multos non juvare quis miretur? *Tanacetum* alioqui ad affectus tabificos facultate eximia pollere nusquam reperio, nisi, quod macilentis ab *Hercule Saxonia* commendetur, allegante *Zwingero* in *Herbar.* Quoad nostram, quum in seri vitiositate & copia caussam radicari judicarem, puellam primo purgavi ℈ß. *pulv. Cornach.* Hinc mane & noctu 3. cusp. cultr. de *pulv.* seq. dari præcepi:

Rec. *Specif. antatroph.* ℥ß. *æthiop. miner.* ʒij. M. (d. 29. *Mart.*)

Cylindrus. *Cholera humida*. §. Cylindrus 19. annorum juvenis, heri corripitur horrore, æstu, siti, anxietate, *dyspnœa, Colica*, vomitu, diarrhœa, *cholera* quasi *humida*. Pulsus celer ac debilis.

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. chamom. an.* ℥iß.
M. pro 2. dosibus.

Noctu sumatur pars dimidia, altera cras mane. Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. chamom. papav. rhœad. an.* ℥iij.
⊖. *vol. oleos.* ʒj. *∾. cochl.* ʒß.
Ra. croc. ℈j. *specif. cephal.* ʒß.
sir. papav. rhœad. ℥ß. *M.*

Abdomini frequens illitus *ung. de hyoscyamo.* (d. 20. *Mart.*)

§. Ste-

§. Stephani *uxor* (d. 18. *Mart.*) Omni dolore abdominis & orsi plane defuncta, nunc majus negotium sibi facessi ait per *cardialgiam* & *anxietates*, ut vocavit, *spleneticas*. *Lochia* adhuc parum fluere. Ordinatæ *pilulæ*, quarum nr. x. sum. mane & pomerid. hor. *iij.* ex quolibet, dummodo non calido, vehiculo: XX. Stephani uxor. *Cardialgia.*

Rec. *Extr. fumar. gentian. belleb. n. an.* ℈j.
castor. papav. comp. an. ʒß.
♁. ♂j. ʒß. *M. cum bals. peruv. F. pil. pond. gr. j.*

Hora 1. post pilulas & noctu ante somnum, cochl. *ij. mixt.* seq.

Rec. *Mucilag. ex an. sem. psyll. & cydon. c. aq.* ♄
samb. extr. ℥vj. *ess. anod.* ℈j.
sir. de alth. FERN. *cydon. an.* ℥j. *M.*

Scrobiculo cordis litus ex an. *ol. coct. absinth. & lumbric.* (d. 23. *Mart.*)

§. Tigurini *Filiolo* natu majori (d. 27. *Febr.*) post *variolas* ad prævendam *scabiem* vel *furunculos* ordinavi *potiunculam laxativam*. Tigurini *filiolus major.*

§. Sic & Campyloxyli *Filiolæ* natu majori (d. 16. *Mart.*) tertianariæ, cum nuperam purgationem statim vomitu reddidisset, *pulvisculum* ex *pulv.* CORNACH. ℈j. & *magist. gial. gr. iiij.* M. (d. 23. *Mart.*) Campyloxyli *filiola major.*

§. Capsopœo 40. annorum *nephritico*, *dysuria* laboranti, peregre tamen abituro *pulverem* mane & noctu ad ℨ. cusp. cultr. per se sumendum; Capsopœus. *Nephritis. Dysuria.*

Rec. *Rad. alth.* ℥ß. *gumm. ceras.* ʒj.
Oc. ♋. *crud. cont. test. ov. calcin. an.* ʒj.
⊖. *succin. vol.* ℈j. *sacch. a.* ℥ß. *M.*

§. Mihi, *Collega & Chirurgo* jurato data provincia, ut Serinam .. annorum meretriculam inspiceremus. Inspeximus prostibulum ligneum, retorridum, facie lurida & cadaverosa, quasi fame necandum. Judicium tale fuit: In dextræ tibiæ parte domestica *ulcus* antiquum, *phagedænicum*, non admodum dolorificum. Sinistra tibia, quod ipsa narrabat, aliquot *ulcera* quoque genuit, sed ab ipsa pellice sanata. Totum corpus scabie sicca turpe, collum, nucha, *tuberculis* suspectis obsi... Et, cum ipsa fateatur se aliquando *bubones* in *inguinibus*, sponte rursum evanidos, aluisse, malorum caussam *infectioni venereæ* transscribere nulli dubitamus. Serina. *Lues venerea.*

Lactabat puellum 15. mensium, sed, sub exsucca pelle, vivum ...letos referentem, quem ocyus ablactandum, & medicamentis hæmocatharticis, ne lues in corpusculum semimortuum transferretur, ei prospiciendum esse judicavimus.

XX. §. Engyæ ancillulæ in furto deprehensæ pœna relegationis irroganda fuit. Ejus Tutor supplice libello dilationem pœnæ sollicitavit propter ulcera tibiarum, quæ valde periculosa *Chirurgus* testatus fuerat Nobis, ut rem examinaremus, & , an exilium ipsi propterea periculosum evenire posset, judicaremus, in mandatis datum. Respondimus: In suræ dextræ parte domestica minus, in silvestri aliquanto majus ulcus utraque vero non admodum mali moris, sed facile sanabilia nos reperisse. Tutius tamen nobis videri, si eidem, usque ad perfectam sanationem, in urbe mansio concedatur. Hæc ancilla pastilibus in foro vendendis operam locarat, in gelu vero nupero ollam prunis impletam vestibu supposuerat, unde primum in tibiis violentia caloris ignei excitatæ fuerant *pustulæ*, in *hæc ulcera* successive dilatatæ.

§. Ciniflo quidam & *Circulator* Augustanus quisquilias suas in ædibus civis cujusdam nostratis vendendas reliquerat, sub nomine 1. *Balsami artificialis albi*. 2. *Confectionis alexipharmacæ*. 3. *Balsami embryonum*, & 4. *Curiosæ suaveolentisq; nicotianæ*. Divulgaverat simul schedam typis exscriptam, in qua portentosæ vires istorum magmatum contra omnes tam in quam externos morbos, nullo propemodum excepto, thrasonico more exaggerebantur. Nos *Physici* nostrarum esse partium arbitrabamur, ut rem loco competente denunciaremus, & Magistratus officium imploraremus, quod sequentem in modum factum. Quæ mirarum, si Diis placet, virtutum pharmaca ciniflo quidam Augustanus in urbe nostra vendenda reliquerit, scheda hæc thrasonica pluribus testatum facit. Quemadmodum vero tale quid auctoritate *Magistratus* concessum fuisse nullatenus; nedum de his merculis gabellas & vectigalia PRINCIPI debita soluta, credamus; Porro per medicinales has nundinationes *Rescriptis Ducalibus* & *constitutionibus Medicis* saluberrimis ex asse contraveniatur, denique hyperbolicis illis commendationibus, qui sunt e plebe simpliciores, seducti, hæc stercora coëmant, speque successus felicis tempus congruæ medicationi oportunum negligant, consequenter in vitæ periculum semetipsos præcipitent; Ad hæc talia connivere functione nostra prohibemur, mercularumque confiscationem, illicitæque talium distractionis inhibitionem decenter oramus.

§. Mul

§. Mulíercula quædam lotrix *arſenicum* pro exſtirpandis muribus publice venum exponere ſuſtinuit. Rem ad Magiſtratum ſequenti modo *Phyſici* detulimus. *Lotrix Æthiopiſſa* publice vendit *arſenicale magma* pro necandis muribus, cujus hic ſchema exhibemus, & *arſenicum mica panis ſecalini cum pinguedine inviſcatum* deprehendimus. Habemus inſuper confitentem ream, quæ interrogata, cur merces illas exponere auderet, reſpondit: Caſum tragicum nullum inde unquam ortum, niſi apud quendam vietorem, cujus Filiolus tantillum devorarit & mortuus ſit. Cum vero ſtatutis prudentiſſime excogitatis *Pharmacopœi* juramento adſtringantur, *ne hominibus ignotis venena vendant*, *niſi probatæ fidei cives vel heri ſchedas manu ſua ſcriptas in officinas mittant*, hoc minus tale quid mulierculæ lotrici licere, cum, ſub prætextu exſtirpationis murium, periculoſi caſus & tragici perpetrari queant, quod vel ſolo vietoris exemplo verificetur. Ideo decenter petimus, cum, ut venditrix manifeſtum facere cogatur, a quonam nundinatore vel mercatore *arſenicum* emere conſneverit, tum, ut ulteriore hujus venditione ad præcavenda pericula, ipſi plane interdicatur. XX.

§. Accidit, ut in gelu exceſſivo nupero feræ complures aut frigore plane ſuffocarentur, aut alimenti penuria contabidæ poſt frigus remittens demum morerentur. Harum cadavera pauperculi conquirentes, in cibum, fortaſſe quandoque nec ſale nec alio aromate condita, vertere ſunt auſi. Mea, *Phyſici*, interfuit, ut, competente loco, ad amoliendos *morbos epidemicos* & malignos, hujus rei indicium facerem, cumprimis occaſione cervi, quem in horto meo mortuum inventum, neſcio qui homunciones, deglupſerant, in partes diſciderant & procul dubio comeſturi erant; Denunciatio talis fuit: Cum domeſtici mei ante paucos dies cervum mortuum in horto ſe reperiſſe dixiſſent, rem in ædibus *ſupremi Venatoris Ducalis* nunciare non diſtuli; reſpondebatur: Carnes illas non eſſe inſalubres, quippe feram ſolo frigore periſſe, & in aliquibus harum cadaveribus inſolitum aliud nil repertum, niſi quod *medulla oſſium in aquam diffluxiſſe* ſit obſervata. Pauperum igitur uni vel duobus committerem, ut, carnibus ſibi mercedis loco ſervatis, cutim detractam in ſupra dictas ædes portarent, id enim ſe pluribus aliis idem nunciantiantibus, mandaſſe. Cum vero mihi, ob certas rationes, non viſum fuiſſet, quod me facere cupiebant, exequi, altera ſtatim die compertum eſt, feram e meo in vicinum hortum deportatam, jam aliis, neſcio quibus,

in

XX. in prædam cessisse, relicta cratis quadam portione, quin capite quoque, ventriculo & interaneis. Rumor interim haut unus tulit, hinc inde Feras non tam frigore immenso enecatas, quam per idem frigus & alimenti defectum sensim contabescentes, gressibus incertis præ debilitate vacillantes, visas, denique mortuas fuisse, modoque supra dicto medullam ossium non in aquam, sed tabum potius putrilaginosum diffluxisse. Inde necessario consequitur, eas ex morbo periisse, quæ carnes morbosæ valetudini humanæ sine omni dubio, quum eduntur, detrimentosæ existunt, per ea, quæ rationum & exemplorum robore *Part.II.* p. 509. *Miscellaneorum* meorum evici. Rem igitur totam silentio non esse sepeliendam putavi, eorum, penes quos est, prudentiæ relinquens, qua potissimum ratione hisce abusibus obex poni, morbique contagiosi præcaveri possint ac debeant, cum in præsente & magis imminente annonæ caritate pauperes famelici appetitu vesano ad ejusmodi cadavera ferri possint, neque credendum sit, ferarum hanc stragem hoc tempore omnino cessaturam esse.

XXI.

XXI.

MErcurius tertium gradum exacte; liquor *thermometri* pæne occuparunt. Per totum diem pluit.

Cylindrus. *Cholera humida.* §. Cylindrus assumta quæque non tantum pharmaca, quam esculenta juxta & potulenta constanter, immo ferme immediate ab assumtione, revomit. *Cataplasma* per errorem umbilico admoverunt, quod scrobiculo cordis applicare jusseram. Anxietas præcordialis adhuc magna, sitis intensa, *tormina* scindentia. Quærebam, nunquid recordari posset, se aliquid comedisse vel bibisse, unde male statim habuerit? negavit. De *mixtura* vix 3. cochlearia assumsit, singulis fere momentis *alvum* quoque *deponere* coactus cum *tenesmo*. Dixi, cum *mixtura*, non obstante vomitu, pergendum esse, & insuper ordinavi *electuarium* pro 2. dosibus.

Rec. *Diascord.* FRACAST. ℈ij. *extr. papav. c. gr. vj.*
♁. *diaph. CC. ust. ppt. an.* ℈j. *M. pro 2. dosibus.*

Cataplasma, ut dictum, scrobiculo cordis applicetur. Juscula condiantur nuce moschata. Bibat *emulsionem amygdalinam* cum glumis paratam.

Crymnori *filiolus.* §. Crymnori *Filiolo* (24. *Febr.*) in supplementum curæ *variolarum*, ordinavi purgans, *lumbricis* quoque accommodatum:

Rec

Rec. *Magist.gial.gr. viij. ☿ii dulc.rit.par. ℈ß.*
sir. ros. solut. ℥vj. *aq.cinnam.* ʒß.
M. pro 1. dosi. XXI.

§. Alethargi *Filiola* 6. annorum jamdiu caussaria, nunc per totum corpus quasi *leucophlegmatica* tumere cœpit cum *asthmate* ac *tussi*, urinæque paucitate, torminibusque ventris: Alethargi *filiola*. *Leucophlegmatica*.

Rec. *Rob.ebul.samb. an.* ℥ß.
test.ov.calcin.oc.♋. crud.cont.asell.ppt.an. ʒß.
sem.nasturt.sinap.an. ℈j. M.

Sumat mane, pomer. & noctu qnt. *juglandis minoris*. Regio dolens ungatur *unguento althææ*.

Paupercula hæc est, exul cum parentibus ex *Helvetia* Hieme frigoris multum pertulit, misere cibata. Difficulter tales curantur, tametsi enim *Medicus*, quod suum est, faciat, si tamen desit regimen diæteticum, æthiops lavatur.

§. Jorami *uxor* 34. circ. annorum, ante tres menses puerpera, violenta, diætæ incuriosissima, filiolum ablactare coacta, accepit *mammarum tumorem & inflammationem*, cum *tuberculis* etiam tactu perceptibilibus. *Tincturam bezoardicam* ad ʒß. imperavi pro sudore. *Mammis* autem prospectum *emplastro de spermate ceti*, superimposito *sacculo* calido ex *oryza tosta*. Vesperi menses redisse nunciabat. Interdixi sudore, & tantum ad transpirationem promovendam dictæ R*æ. bezoard.* gutt. xx. mane jejuno ventre propinari volui. Jorami *uxor*. *Mammarum tumor*.

Filiolus trimestris *torminibus ac dysuria laborat*, cui scriptus *pulvisculus* ad 2. cusp. cultr. frequenter dandus: *Filiolus. Tormina. Dysuria.*

Rec. *Test.ov.calcin.oc.♋.crud.cont.*
Crystall.ppt.lap. bez.occid. an. ℈j.
lap.bez.or. ℈ß. *elæosacch. cinnam.* ʒj. M.

Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq.petrosel.anis. an.* ℥ij.
epil. L. ℥ß. *⊖✱ci anis.* ℈ß.
sir.ros.solut. ℥ß. M.

Ventriculo & perinæo litus ex an. *ungu.alth. & anod.* (d. 23. *Mart.*)

§. In Melodidascalo capitis dolor non multum levatus, quamvis interdum remittat. Multum exspuit & emungit. Credo virtute *emplastri de ranis cum ☿io*. *Sternutatio* ob *cephalalgiam* valde molesta est. Relinquatur *emplastrum*. (d. 22. *Mart.*) Melodidascalus. *Cephalaa.*

XXII.

XXII.

MErcurius medium quarti gradûs, liquor *thermometri* tertium ad amuſſim gradum occupavit. Dies erat partim clara, partim pluvioſa.

Cylindrus. *Cholera humida.*

§. Cylindrus omnia Medicamenta reſpuit; continuo tamen & vomens, & dejiciens. Pulſus adhuc bonus, ſed reliqua ſymptomata eadem. Evadit ictericus. *Diaſcordii* tantummodo dimidium, hocque ægerrime aſſumſit, vomituque confeſtim reddidit. Juſſi, ut *pilulas* deglutire tentaret, quod commodiſſime fieri poſſit cum *ſirubo* quodam, v. gr. *cydoniorum*, ſic enim fauces quaſi lubricari. Facturum ſe promiſit. Ordinavi tales:

Rec. *Extr. bezoard. gentian.*
cal. arom. papav. c. an. gr. iiij.
F. 16. pil. pro 2. doſibus.

Cataplaſma conſuetum ne negligatur.

Cum vinum impenſe deſideraret, conceſſi bis circiter in die intinctum panis biscocti in vino veteri. Periculum domeſticis denunciavi. (d. 23. *Mart.*)

Lychnoræus. *Apoplexia prodromi.*

§. Lychnoræus 16. circ. annorum jam a ſemeſtri de *capite* quadam gravitate conqueſtus eſt, cum laſſitudine, in aſcenſione ſcalarum valde manifeſta. Dicebat, caput ſibi quaſi obtuſum eſſe (es ſey ihm ſo tumm.) Appetitus erat debilis, torpor in actionibus & oblivio, vel memoriæ potius debilitas. Ante triduum prævio horrore, capitis dolor ingruit cum *aurium tinnitu*, *pavores*, *dyſpnœa*, æſtus & intumeſcentia venarum; dum erectus incedere vellet, *ſcotomia*, *deliquium*, titubatio. Adminiſtretur venæſectio larga] e cephalica pedis dextri. Singulis 5. horis accipiatur pulviſculus cum vehiculo ſuperaddito, ſeorſim quoque per cochlearia hauriendo:

Rec. *Pulv. pannon. r. ſpecif. cephal. an.* ℈ß.
M. *divid. in 3. p. æqu.*
Rec. *Aq. beton. charefol. an.* ℥iij.
🜍⊖✱*ci* ℈ß. *ſir. beton.* ℥ß. M.

Metuebam mihi de *apoplexia*. (d. 26. *Mart.*)

Moſellani *filiolus*. *Tertiana duplex.*

§. Moſellani *Filiolus* a quatriduo febricitat, typo fere tertianæ duplicis. Correſpondent paroxyſmus primus ac tertius, ſecundus & quartus. Frigus non admodum ſenſibile. Sitis ante ipſummet æſtum

maj

major, quam cum æstu, quo durante multum dormit. Paroxyſmus finitur ſudore. XXII.

Rec. ☿. *diaphor. CC. philoſ.*
oc. ♋. ppt. cryſtall. ppt. an. ℈j.
F. 3. ℞es.

Detur ſingulis 6. horis una portio cum vehiculo ſequenti, ſeorſim quoque ſumendo:

Rec. *Aq. fl. ſamb. rub. id. an.* ℥iiß.
ſir. acetoſ. citr. ℥ß. M.

§. In Melodidaſcalo plane nil levatur *cephalalgia*, quamvis ferocia nonnunquam remittat. Sub veſperam plerumque dolor major, isque in *occipite*. Nares multum blennæ craſſæ reddunt; ſputum *ptyeliſmo particulari* non diſſimile. Dolor intenditur, cum nares emungit, tuſſit, ſternutat ac alvum reddit, hoc eſt, ubi ſpiritum retinet. Conſultum tamen, ut *emplaſtrum* retineretur, immo recens imponeret. Melodidaſcalus. *Cephalaa.*

§ Scherifii Canſtadienſis *uxor* 59. annorum intermittente tertiana laborat, jamque *Paroxyſmum* tertium exantlavit. Adſunt ſymptomata huic *febri* conſueta, cumprimis eminens oris amarities. Scherifii *uxor. Tertiana interm.*

Rec. ☿. *diaph. CC. philoſ.*
oc. ♋. ppt. ☽. ppt. an. ʒß.
ol. caryoph. gtt. iiij. M.
F. 4. ℞es.

Sumatur ſingulis 6. horis unus ex vehic. ſeq. cujus cochlear unum alioqui ſubinde hauriatur:

Rec. *Aq. card. bened. borrag. rub. id. an.* ℥ij.
ſir. acetoſ. citr. ℥ß. M.

Tertio ab inde die *electuarium purgans noſtrum*. Potus ordinarius ſit *Dec. hordei, cum CC. uſto, paſſulis, ſem. aniſ. & cort. citr. rec.* (d. 18. *Mart.*)

XXIII.

XXIII.

MErcurius occupaverat tertium gradum, *Thermometrum* erat, quale heri. Dies pluvioſa.

§. Cum Cylindro res ſemper eadem, immo, quoad vomitus continuos omnium aſſumtorum, viriumque debilitatem pejor. Non amplius dejicit, dejiciendi tamen conatu, quaſi *teneſmo*, vexatus. Dixi propter vomitus aſſumtionem medicamentorum non omittendam, ſed ſemper, utrum aliquid retineri queat, periclitandum eſſe, cui fini ordinata cochleatim ſumenda *mixtura*: Cylindrus. *Cholera humida.*

XXIII. Rec. *Aq. menth.* ℥iiij. *cinnam. cydon.* ℥j.
bol. arm. ppt. confect. de hyac. an. ʒj.
laud. op. gr. ij. *sir. myrtill.* ʒij. M.

Bibat *emulsionem amygdalarum dulcium e nucleis non decorticatis* paratam cum aqua *chalybeata.*

Stomachi regioni imponatur *emplastrum*:

Rec. *Empl. de crust. pan. cerat. stomach. Gal. an.* ℥ß.
ol. mastich. q. s. (d. 25. *Mart.*)

Mosellani *ancilla*, *Mensium suppressio.*

§. Mosellani *ancilla* 18. annorum, ante annum *menses* primum vidit, hactenus vel parum vel nihil. Symptomatibus affligitur suppressis consuetis, *asthmate*, *cordis palmo*, *pallore*, *inappetentia*, *siti*, *lassitudine.* Mater ejus suasit, ut *malum citreum* excavatum aliquatenus *croco* impleret, leviter obturaret, vino immergeret, de hoc vino biberet; hoc multas juvasse. Non sperno euporiston; prius autem, quam tale quid in usum traheretur, opus purgatione, hancque ad lunæ decrementum differendam esse, dixi.

Melodidascalus *Cephalæa*,

§. Melodidascalus ob pertinacissimam *Cephalæam* etiam *hirudines* experiri decrevit. Terdeni *Chirurgus*, an tales haberet, rogatus e plusquam centenis adhuc 6. circiter superesse respondit, hasque valde graciles. Caussam, quod reliquæ mortuæ essent, conjecit in hiemis rigiditatem, (nam autumno præterito captæ erant) forte non sine fundamento. Dicebat etiam sibi compertum, *hirudines*, quæ jam armentis adhæserint, non diu supervivere, capiendas igitur, quæ sanguinem nondum gustarint. Profluentem e vulnusculis triquetris sanguinem nimium sistere se posse ac solere dicebat compressis minimis dictis vulnusculis impactis, absque ullo vel liquore, vel alio medicamento *styptico.* Dilata res ad instans lunæ decrementum. (d. 26 *Mart.*)

Campyloxyli *filiola*, *Febris tertiana interm.*

§. Campyloxyli *Filiola* major natu (20. *Mart.*) ex pulvisculo tunc ordinato ne semel quidem dejecit. *Febris tertiana* in eodem vigore. Dentur ter in die 2. cuspides cultri de sequenti *polline* cum vehiculo adjecto seorsim quoque sumendo:

Rec. *Oc. ♋. ppt. conch. ppt.*
flor. ⊖✱*ci, arcan. dupl. an.* ʒß.
ol. caryoph. gtt. iiij. *M.*

Rec. *Aq. plantag.* ℥iiij. *fl. til. gramin. an.* ℥j.
sir. flor. persic. ℥j. *M.*

Verminosi quid simul suspicabar, quod ultima *mixtura* innuit.

§. Jora-

§. Jorami *Filiolus* [d.21. *Mart.*] prima facie satis levatus videbatur, sed heri noctu *dyspnœa*, anxietas, pallor, pavor, somnolentia, oscitationes, atrocia denuo mala ob id quoque minabantur, quod jam bini infantes cum ejusmodi symptomatis occubuissent. XXIII. Jorami *filiolus.* *Dyspnœa, &c.*

Sex guttulæ ∼⊖✱*ci anis.*‡ter in die dentur cum quolibet vehiculo: cochleatim vero mixtura sequens:

Rec. *Aq. flor. til. ceras. n. an.* ℥ij.
epil. L. ℥ß.
specif. cephal. pulv. march. an. ℈j.
sir. fl. pœon. ℥ß. *M.*

Balsamum cephalicum mihi consuetum & aliquoties his mensibus insertum, nuchæ, vertici, temporibus. (d.25. *Mart.*)

§. Spiraculi *Filiolis* (d. 7. *Mart.*) in supplementum curæ *variolarum* data *purgantia*, natu quidem majori: Spiraculi *Filioli.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *sir. de cich. c. rh.* ʒvij.
aq. acac. ʒij. *M.*

Natu minori: Rec. *Pulv. gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈ß.
dacryd. gr. ij. ol. cinnam. gtt. j. M.

Qua methodo, quia cum omnibus incedere soleo, purgantia isthæc inposterum tacebo, ne toties eadem repetita nauseam accersant.

§. Thesei *Filiolus* (20. *Mart.*) *variolosum* stadium alacriter decurrit, quamvis valde raucus, & virium debilis. Thesei *filiolus.* *Variola.*

Raucedini opposita *mixtura gelatinosa* cochleatim sumenda:

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c.* ▽ *prunell. extr.* ℥j.
sir. violar. mell. rosat. an. ℥ß. M.

Debilitati virium alia eodem modo usurpanda:

Rec. *Aq. flor. 4. cordialium. an.* ℥j.
pulv. march. ℈j. *sir. fl. tun.* ʒiij. M.

Faciei *pustulas* obleverant *unguento pomato rosato* (Rosen-Pomada) unctuosa ista non admodum congrua pronuncians, cremorem hordei calidum substitui.

§. Stephani *uxor* (20. *Mart.*) per nuper ordinata melius indies habere cœpit, extra lectum sua munia obiens. Cum *lochia* plane cessarint, eique prospiciendum sit ad alios prolium conceptus, *infusum hystericum* utile futurum ratus, tale scripsi: Stephani *uxor.*

XXIII. *Rec. Rad. filic. bryon. rub. tinct. levist. an. ℥ß.*
herb. fumar. matricar. meliss. puleg. an. mß.
flor. calend. cheir. an. p. ij.
fol. senn. s. s. ℨx. rad. polypod. quern. ℨvj.
turbith. alb. & gummos. Mechoac. alb.
agar. trochisc. an. ℨiij.
passul. min. limat. ♂. fin. an. ℥iß.
Tart. crud. ℥ß. cass. lign. sem. anis. an. ℨij.
mac. ℨj. croc. ℈j. Conc. cont. D.

Has species more nostro vino infusas, mane & pomerid. ad ℥vj. circ. assumat; & mulier sibi caveat, ne, collectis nondum viribus, in publicum prodire sustineat.

§. Orto inter me & Cheimonium discursu de *materialium*, quæ vocant, vel Medicamentorum simplicium *adulteratione*', quod nempe thopopolæ lucripetæ sint myriot chnites in arte fallendi ignaros & incautos, dum v. gr. *Croco rubricam fabrilem*, *Zingiberi tripolin*, *piperi varias quisquilias*, *maci*, quod horrendum, *segmenta carnis equinæ* a carnifice pretio petitæ, lentoque △. arefactæ, commiscere soleant, &c. Cheimonius mihi narravit, se olim observasse, quo pacto *nucis myristicæ expressum oleum* adulterari consueverit *medulla crurum vituli*, contundendo nempe *nuces moschatas* cum ista medulla in mortario, hinc exprimendo: posse vero hoc *nucistæ oleum* ab alio vero & intemerato facile discerni, per eam, quam adulteratum ostendit, unctuositatem; genuinum enim densius est, neque tam unctuosum; es ist nicht so schmierigt.

Melancholia hypochondriaca. §. Soterodactylus, *Medicus Mastopolitanus*, sequentem historiam ad me perscripsit: Vir quidam, incola pagi 2. milliaribus ab inde distantis, a Pastore suo & quibusdam concivibus accusatus fuit malitiæ & pervicaciæ. Huc citatus morbosa sua constitutione, quacum jam per aliquot annos afflictus esset, semet excusavit. Præfectus loci hominem ablegavit ad *Medicum*, ut affectum morbosum examinatum testimonio firmaret. Reperi virum *hypochondriaca melancholia* affectum, idque per signa sequentia: Vir erat 40. annorum, torosus, roseo vultu, querebatur se per aliquot annos circa ventriculi regionem sentire incommoditatem quandam, quam verbis exprimere nesciret; capitis simul gravitatem, lassitudinem artuum, noctes inquietas, insomnia horrida. Post mortem uxoris aucta omnia symptomata, cumprimis etiam per injustissimas afflictiones ab iis sustinendas, qui defunctam uxorem necessitudine

teti-

tetigerant; laborare se amplius ab eo tempore non potuisse, *tremorem* articulos occupasse, deliriis & phantasmatibus variis mentem obsideri, anxietatibus ita nonnunquam fatigari, ut syncopticus, abolito sensuum omnium usu, quasi attonitus, humi procidere cogatur. Murmura in abdomine, quamvis indolentia, audiri, seque difficulter spirare, quamvis sine tussi. Symptomata hæc atrocius sævisse in templo, immo, si modo templum ingressurus fuisset. A vino generoso vel aquis ardentibus se levamen sensisse, sed vix per aliquot horas durans: hinc ad usum talium se frequentius invitari intentione haut maligna; nec tamen his, prout alii falso tradant, abuti. Jussus fuit hic manere, meoque vivere consilio. Torvitas oculorum, faciei subita nunc in ruborem, nunc pallorem, utrosque excessivos, mutatio, *mania* proxime ingruentis metum mihi incussit, hinc consultum duxi, ut ipsi vir robustus perpetuus custos adjungeretur. Die sequenti malum in *maniam* revera exarsit, sic, ut miser hinc inde cursitaret, immo fugam fere nudus meditaretur. Data *antiscorbutica*, *antispasmodica*, *absorbentia*. Remiserunt intra 14.[s] dies omnia symptomata, præter *tremorem* manuum. Hinc adjunctum istis medicamentis jusculum *hepatica nobili*, *melissa*, *pulmonaria maculosa*, *borragine*, *fumaria*, *nasturtio* & *rad. cichorii silv.* medicatum ad aliquot septimanas continuandum. At vero hic domum dimissus, observatore destitutus, a Parocho & malevolis aliis denuo non æger, sed malitiosus æstimatus, in antiqua symptomata, liquoribus forte spirituosis suam quoque symbolam addentibus, delapsus, denuo accusatur, citatur, equo per vim impositus loris alligatur, huc deportandus, viamque mediam emensus, super equo subito animam exhalat. Apertum, Magistratus auctoritate, me tamen absente, corpus sequentia, prout visum repertum loquebatur, exhibuit: *Hepar* magnum & durum, *vesicula fellis* magna, continens fellis ℥iij. *vena porta* propemodum vacua, *splen* & *pulmones* maculosi, (etwas angeloffen) in sinubus *cordis* sanguis niger, *diaphragma* retractum. (eingezogen.) Hactenus Soterodactylus. XXIII.

Per symptomata supra narrata Vir iste a *Medico* recte salutatus fuit *melancholico-hypochondriacus*. Neque propterea malitiam omnem abfuisse dixerim. *Melancholicos* enim esse malitiosos, malitiaque *melancholiæ* prodromus toto die observatur. Mors insecuta subitanea meram malitiam refutat. *Medico*, quippe in arte dignoscendi morbos corporis peritiori, magis, quam *Parocho* rusticisque loci, creden-

XXIII. credendum erat. *Parochus* nimium sibi tribuit, quod *Medici* Judicio fidem non adhibuit. Sed, quæ mortis caussa ex apertura corporis defuncti eruta? Certe nulla. *Jecoris*, *fellis*, *splenis*, *pulmonum* &c. vitia tanti non erant. In quolibet corpore mortuo sanguis in *cordis* thalamis congrumatus nigrescit, *vena portæ* per Prosectoris incuriam evacuari potuit, & *diaphragmatis* retractio quid proprie dicat, nedum intelligo. At vero, nonne mors tam inopina prosectores ad explorationem recessuum *cerebri* invitare debuit? quid, si miser apoplecticus decesserit?

XXIV.

XXIV.

MErcurius occupavit medium quarti gradus. *Thermometrum* adhuc hesternum. Dies temperata & serena.

Rebhuni *Filiolus*. *Variola*.

§. Rebhuni *Filiolus* 4. annorum, puellus valde hilaris, & per totam diem vel ipso argento vivo mobilior, nudius tertius male habere cœpit, vomere, æstuare, sitire &c. Gnomilegus ordinavit *pulvisculos*, *e lap. bez. occid. mater. perlat. & unicorn. vero*, cum *mixtura bezoardica*; suræ alteri affixum *vesicatorium*. Calor intenditur. Gnomilegus *lumbagine* tortus in publicum prodire non potuit. Ego accersor. Reperi puellum non tam delirantem, quam insanientem, vociferantem fere continuo, neminem agnoscentem, indesinenter blaterentem, sed ἄῤῥητα ῥήματα, quæ a nemine intelligi possent. *Variolas* subesse, cum Gnomilego, pronunciabam; brachiolo alteri *cauterium* quoque applicabam; Parentes consolabar, licet ejusmodi mirum in sermone symptoma apud nullum adhuc variolosum observarim. Pulvisculum, qui adhuc restabat, propinabam, ordinata insuper *mixtura* cochleatim sumenda, & admixta potui ordinario *aqua fumariæ*:

Rec. *Aq fumar. fl til. papav. rhœad. an.* ℥j.
lap. bez. or. gr. vj. cryſtall. ppt. ℈j.
ſir. pap. rhœad. ℥ß. M.

Monebam alia ante eruptionem necessaria non semel jam alibi adducta. (d. 27. *Mart.*)

Petrus. *Nephritis.*

§. Petrus, 40. circ. annorum, colicæ alias obnoxius & valde attrita sanitate, a meridie comedit brassicam muria conditam. Vesperi dolor circa umbilicum & lumbos intensissimus cum frigido sudore & levibus deliquiis; accessere vomitus ac dysuria. Vocatus præteritaque & præsentia in examen vocans, de *nephritide & calculorum renalium* præsentia pronunciavi. Ordinata sequentia:

Rec.

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* XXIV.
sir. de alth. Fern. an. ℥iß.
ess. anod. ♁. *dulc. an.* ʒj. *M.*

Pars statim, pars cras mane calide sumantur. Foris inunctio ven-s, pubis, perinæi, calida & frequentata:

Rec. *Ungu. alth.* ʒvj. *ol. scorp.* ʒiij. *M.*

Cataplasma ex flor. chamom. herb. malv. & sem. lini c. lacte capril-, sæpius pro tolerantia calidissime admovendum. (d. 25. *Mart.*)

§. Mortuus est nuper *Samiator* dives & improlis. Testamentum adiderat in fraudem fratrum & sororum, qui, quod mens defuncto n fuisset satis sana, robur ejus infringere sustinebant, meque rogabant, testimonium de ipsius amentia perhiberem. Scripsi igitur, me *De-mbri mense* 1707. ad defunctum vocatum, eum *melancholia* tristi affe-um reperisse, quæ intra paucos dies incrementum tantum sumserit, ut, etu *furoris maniaci* & malorum inde timendorum compedibus vincien-m esse, re ad Magistratum delata, judicarim. Ante vero, quam me-camenta a me ordinata usurpavit, uxorem aliorsum ad *Medicastrum* ocul abhinc deportari curasse, ex quo tempore hominem non amplius lerim, neque, qualis redierit, vel hactenus vixerit, me scire, id vero tari, quod tunc, cum meæ curæ creditus fuisset, nempe ante 5. anni adrantes, mentem ad testandum aptam non possederit.

XXV.

XXV.

Arometrum & *thermometrum*, qualia heri. Dies temperata, sereni-tas mediocris. *Plenilunium* fertile tempus attulit.

§. Mosellani *Filiolo* (d. 22. *Mart.*) adhuc tertianæ paroxysmos Mosella-stinenti, præscripsi *pulverem*, cujus singulis 6. horis 2. cultri cuspides ni *Filiolus*, aqua *cerass. nigr.* præbeantur: *Tertiana.*

Rec. ♁. *diaph. CC. philos. oc.* ♋. *ppt.*
flor. ⊖ ✻*ci. arcan. dupl. aa.* ʒß.
ol. caryophyll. gtt. iiij. M.

Tempore frigoris, quo maxime sitit, abdicato, quantum possi-e, potu, *mixtura* cochleatim detur:

Rec. *Aq. acetos. borrag. rub. id. an.* ℥iij.
sir. acetos. citr. granat. an. ℥ß. M.

Multi febricitantes (non omnes) majore siti urgentur durante fri-re, quam insequente calore. Tum vero a potu eos arcere, quam il-n admittere, convenientius est. *Febris* enim a potu in frigore inten-

 ditur

XXV. ditur. Noster, dum friget, sitit, dum calet, plerumque dormit, nec bibit, donec sudor præterierit. (d.26. *Mart.*)

Petrus. *Nephritis.* §. Petrus *dolorem nephriticum* usque ad medium noctis heri adhuc perpessus fuit, hinc a dimidio *olei amygd.* d. remisit, dormivit per reliquum noctis, mane *calculum siliceum*, quantitate pisi, glabrum, excrevit; *Analgia* plenaria nondum adest, immo *calculum* hunc solum in rene delituisse vix credendum; quibus successive excludendis ordinatum Foresti *decoctum*, cujus ter in die haustus calidus assumatur. Utatur postea per longum tempus *pulvere nephritico polychresto* ex *rad. alth. gum. cerasor.* & *saccharo*, ad everrendas continuo vias urinarias.

Jorami *filiolus.* §. Jorami *Filiolus* (d.23.*Mart.*) a nuper ordinatis egregie profecit, nullo symptomate, nisi molesta tussi, restante, cui leniendæ scripta *mixtura* cochleatim haurienda:

Rec. *Aq. acac. veron. an.* ℥ij.
sir. jujub. farfar. papav. err. an. ℥ß. M.

Interdum præbeatur tantillum *spermatis ceti*. Pectusculum ungatur *unguento pectorali*. Huic puello *lac matris vinosæ* & gulosæ nocuisse censeo, hinc ablactatus forte sponte convalescere potuisset. (d.6. *Apr.*)

Cylindrus. *Cholera humida.* §. Cylindrus (d.23. *Mart.*) pituitam cruentam, fibrosam & purulentam exscreare cœpit, viribus semper magis deficit, *tussit*, de faucium dolore & *asthmate* queritur, vomere desinit, singultit tamen. Ter in di[e] sumat haustum calidum *decocti pectoralis*, & aliquoties *juglandis* quantitate sequens electuarium:

Rec. *Consf. ros. r. symphyt. an.* ℥ß.
bol. arm. ppt. ʒß. ♁. *diaph.* ℈j.
sir. de symphyt. q. s. F. Elect.

Emplastrum stomachicum repetatur. Hunc hominem censeo *pulmonis ulcere* vel *vomicis* laborare, nec valetudinem recuperaturum.

Fœniseca. *Cachexia.* §. Fœniseca 40. circ. annorum olim *ulcere pedis antiquo* laboravit, quo denique perfunctorie, neque præmissis universalibus & ali[is] *hæmocatharticis* sanato cœpit *cachexiæ* præludia sentire, *dyspnœam*, *lassitudinem*, *pedum tumorem*, *carnium flacciditatem* &c. Ante 9. menses bibit *acidas* Göppingenses, qua cura absoluta *Bollensibus* lavari cœperat, sed revocatus cura vixdum inchoata abrumpere coactus fuit. Autumnum & hiemem moleste transegit; recensita supra symptomata in consortium adsciverunt *inappetentiam* & *sitim*. Vereor, ne fiat *hydropicus* vel *phthisicus*. Consultus lapidem omnem esse movendum dixi. De[i]

electi

lectuarium purgans consuetum; suasi post hujus usum venæsectionem moderatam, si huic adsuetus fuerit, sin? intermittendam. Mane jejunus & pomeridie hor. 4. ex quolibet vehiculo pulveris ʒß. sumatur: XXV.

Rec. *Limat. ♂. finiss. trit. instar alcohol.* ℥j.
lign. sassafr. ☿. ℈iiij. *myrrh. r.* ℈ij.
diaphor. ♂*al.* ♃*al. an.* ʒiß.
croc. opt. ℈j. *balsamosacch. peruv.* ℥j. M.

Noctu gutt. 60 *mixturæ* ex haustulo vini:

Rec. *Tra.* ♂. *aper. ess. absinth.*
elix. propr. dulc. anim. rhabarb. an. ʒiij. M.

Sub initium prandii ac cœnæ primus haustus sit *vini absinthitis compositi* sequentis:

Rec. *Comar. absinth. mij.*
fl. cent. min. mj. fol. menth. cr. mß.
rad. caryophyllat. ℥j.
gentian. angel. helen. liquir. an. ʒiij.
bacc. junip. ℥j. *sem. anis* ʒij.
cort. citr. rec. de pom. 1.

Conc. cont. sacculo insuta immergantur mensuræ uni vini albi vet. tent per noctem, deinde, ut dictum, bibatur, reaffundendo semper aliud vinum, quamdiu amarities gustu deprehenditur.

Acidulæ balneaq; suo tempore repetantur. (NB. est *cholerico-phlegmaticus*) *Fonticulum*, si nondum gerit, alteri brachio inurendum censui. Diæta sit conformis, vitet excessum vini & spirituosorum.

§. Baccalauream (d. 13. *Febr.*) omnia *chloroseos* antiquæ symptomata nondum deseruerunt, licet menses suo tempore, quamvis parce, fluant. Ordinavi *infusum* mane & pomeridie hauriendum: Baccalaurea. *Chlorosis.*

Rec. *Com. absinth. fl. cent. min. herb. matricar. an. mj.*
rad. gentian. bryon. filic. an. ℥ß.
fl. calend. cheir. an. p. ij.
fol. senn. s. s. ʒx. *passul. min.* ℥j.
rad. rhabarb. ver. mechoac. a. agar. trochisc. an. ʒiij.
limat. ♂. *fin.* ℥iß. ⊖. *Tart.* ʒiij.
cass. lign. ʒij. *Zingib.* ʒj. *croc.* ℈j. M. (d. 5. *Apr.*)

§. Toparii *Uxor* per ea, quæ 6. *Martii* ordinata sunt, a molesto urium affectu se liberatam sentit. Nunc autem de molesta cardialgia, um ardore post quælibet assumta, queritur. De *gravitate*, quamvis ultra Toparii *uxor.* *Cardialgia.*

XXV. ultra 4. menses jam menstrua subsistunt, nondum certi sumus. Carne valde nauseat. Suasi *venæsectionem*. It. *pilulas*, quarum X. pomer. sumat

Rec. *Oc.* ♋. *crud. cont.* ℨj.
♉. *nat. ppt.* ♉. *rectif. an.* ʒß.
extr. papav. err. ℈j.
cum mucilag. tragac. F. pil. pond. gr. j.

Hora semper una post *pilulas* & noctu ante somnum 2. cochleari *gelatina cydoniata* Brunneri. Scrobiculo cordis frequens litus:

Rec. *Ol. absinth. lumbric. an. coct.* ℥ß.
lign. rhod. ℨj. *nuc. mosch. expr.* ʒß. M. (d. 4. *Apr.*)

Capsopœi *uxor.* *Alvi constipatio.*

§. Capsopœi *uxori* alvo constipata laboranti, sic, ut excrementa vi exprimendo sanguinem ex hæmorrhoidalibus profundat, suasi jugem usum *potiunculæ* OSWALDI, & ante pastum comestionem butyr pani illiti.

Capsopœi *filiolus.* *Rhachitis.*

§. Capsopœi *Filiolus* per *mixturam* d. 16. *Mart.* ordinatam successive purgatus fuit; & nunc pedibus insistere valet, multoque meliu quam antea, habet: *Pulvisculum* ordinarium, usu manente, ita mutavi

Rec. *Specif. antatroph.* ʒij. *æthiop. miner.* ℨj.
sem. nasturt. gr. xv. ☿ *ii dulc.* ℈ß.
elæosacch. sassafr. ℈ij. M.

Noctu dentur guttulæ X. R. ♂. ZWÖLFF. Pergant cum *unguent*

Natu major. *Pannus in oculo.*

Puellus major natu olim *pannum* in utroque oculo ostendit. Re nulla juvante illitu *butyri cum* ☿ *præc. albo mixto* curatus fuit, narrante matre, quod quidem alibi me jam legisse recordor.

Odontalgia.

§. Cum alicui laudassem *oleum amygdalarum dulcium* calidum in ore retentum ad *compescendam odontalgiam*, mihi dictum fuit, eadem efficacia adhiberi *butyrum* recens non lotum, eo loci, ubi dens dolet, donec liquescat, retentum, quod verisimile videtur.

Epimeletis *uxor.* *Sudor nimius hypochondriacus.*

§. Epimeletis *uxor* 49. annorum, ante triennium in statu viduitatis constituta, lustrando corpori adhibuit medicamentum *purgans* a *Pharmacopœo* receptum, quod centies & vigesies intra nycthemeron eam exercens, tantum non exanimavit. Ab eo tempore caussaria facta primo sensit sitim, postea sudores valde molestos, hinc inappetentiam, lassitudinem, *insultus febriles*, denique *convulsiones* horrendas, ex earum genere, quas *admirabiles* WILLISIUS vocat, integris tamen semper sensibus

sibus. Sudores erant perpetui, hique frigidissimi, *cachinni & fletus reciproci sine caussa, clavus hystericus*, interdum alvus adstricta, alio tempore fluida. Sic per longum tempus, nempe ultra semestre, decumbens emaciatissima evasit, virium adeo debilis, ut vix digitum movere posset. Conquisiti hinc inde *Medici*: Usurpata innumera: benedixit DEUS adhibitis *Chalybeatis*, *castoreatis*, *spiritui nervino*, *elixiri uterino Crollii*, &c. a me ordinatis, ut non tantum successive convalesceret, sed multo habitior, quam usquam antea, evaderet, appetitu integro, ventriculo cibis juxta omnibus obediente, quos antea sustinere non poterat. Ante semestre viduo nupta, aliique vitæ generi, cumprimis *diætæ*, quoad edendi tempus valde irregulari, asuefacienda, nunc à 2. mensibus denuo incipit lassari, mane statim, immo continuo, sitire, *sudoribus* fere *intolerabilibus diffluere*, *pallere*, emaciari, *semper frigere*, parum edere, urina semper lixiviosa. Jam adhibita sunt varia sine multo fructu, &, cum per DEI gratiam olim per mea restituta fuerit, *spasmodicumq́;* malum vehementer metuat, denuo meum quoq; exquisivit consilium. Consideratis considerandis, comite præcipue quadam *melancholia hypochondriaca*, urina item valde lixiviosa ac simul turbida, mala omnia a *scorbuto* foveri ratus, cogitationes ad hunc hostem aggrediendum applicavi, non posthabitis symptomatis, sudore, siti, respectu quoque ad nervosum genus habito. Bibatur mane *infusi* seq. haustus calide, repetaturque pomeridie, motu insequente: XXV.

Rec. *Rad. pœon. mar.* ℥vj. *gentian.* ℥iij.
herb. absinth. fol. plantag. latif. fl. cent. min. an. mj.
ras. lign. sassafr. sarsapar. mund. an. ℥j.
cort. tamarisc. ℥ß. *limat.* ♂. *fin.* ℥iß.
cass. lign. ℥iij. *mac.* ℥j. *Conc. cont. D. ad Chart.*

Antemeridie hora 10. & noctu ante somnum capiat gutt. xxxx. *mixturæ* ex vehiculo adjecto:

Rec. 🜍. *nervin. elix. uter. Cr. an.* ℥iij. M.
Rec. *aq. plantag.* ℥viij. *sir. Coral.* ℥ß. M.

Diæta sit congrua. Potus vinum album vetus aqua panata temperatum. (d. 5. *Apr.*)

§. Artaëri *Filiola* major natu 4½. annorum, jam sæpius recensita *variolarum* præludia sentit: ordinata *mixtura* cochleatim sum- Artaëri *filiolæ*. *Variolæ*.

XXV. Rec. *Aq. fumar. card. bened. an.* ℥iß.
℥. *diaph. CC. philoſ. an.* ℈j.
ſir. fumar. ℥iij. M.

Imperatum noſtro more regimen. [d. 26. *Mart.*]

§. Per litteras mihi relatum a *Pharmacopœo Heidenheimenſi*, Dn. HUFFSCHMIDT d. 20. *Martii* virum 40. annorum haut procul ab iſto opido degentem, qui per multos annos *calculi veſicalis* doloribus mire tortu fuerat, *lithotomi* cultro ſe ſubjeciſſe. Operationem, intra horæ ſpatium feliciter peractam, exhibuiſſe 2. *calculos triquetros* ex albo virideſcentes duros, læves & quaſi politos, lamellatos, ſibi plane ſimiles, quorum alter ponderavit ℥iiiß. ʒj. P.C.

Rarum, duos calculos tam grandes & ponderoſos in *veſica* ſimu contineri: Rarum, eos forma triquetra vel tricuſpide donatos. Colo ſecundum deſcriptionem, eſt *lapidis bezoardici occidentalis*. Rogav *pharmacopœum*, ut lapides depingi curaret.

XXVI.

XXVI.

Melodidaſcalus.

MErcurius parum cecidit. Fluidum *thermometri* unam lineam ſupr tertium gradum attigit. Dies erat temperata, utplurimum clara.

§. Hodie Melodidaſcalo [d. 20. *Mart.*] *hirudines* applicati. Po ne dextram aurem tres, pone ſiniſtram binæ, cervici una, plures enir non aderant, hæque parvæ & emaciatæ. Adhæſerunt tamen omnes, pe horam circiter dimidiam, & præter unam valde debilem, ſanguin multum exſuxerunt, impletæ ſponte decidentes, vulnuſculis adhuc no pœnitendam ſanguinis vim aliquamdiu ſudantibus. Sale conſperſæ *hiru dines* omnem, quem ſuxerant, cruorem revomebant. Mori tunc ſoler utplurimum, nec, niſi ſemel, ad uſus adhiberi queunt. Voti damnati no ſumus, pomeridie enim cephalæa adeo dira, qualis nunquam antea fu erat, patientem per veſperam totamque noctem excruciavit. Notabil eſt, quod LANGELOTTUS *Ann. VI. & VII. Eph. Cur. Dec. I. obſ. 9.* de anu *ce phalalgica* ſcribit, eam nempe ab *hirudinibus* dolorum nullam mitigatio nem percepiſſe, quamdiu ſanguis floridus exſugeretur, prodeunte ver poſt iteratas ſuctiones, nigricante & viſcoſo, ſe a doloribus, ſeu faſcin quodam, liberatam. Videatur quoque in *Dec. III. An. V. & VI. Epheme curioſ. p. 145.* hiſtoria valde notanda *hemicraniæ internecinæ hirudinu* octo validarum ſimultanea applicatione unice curatæ. Illuſtri DOLÆ *Encyclop. Med. lib. III. cap. X. p. 522.* *Hirudines* ſunt ſuſpectæ, qu vulnuſculis quæ excitant, ſæpe ſuperveniat inflammatio, imm

gangr

XXVI.

ngrana & *sphacelus*,&c. Fieri posse sicuti credo, ita sæpe fieri dubito, si loquatur Auctor de solis *hirudinibus*, quæ venis sedalibus affiguntur, i enim facilius tale quid contingere posse, substantiæ modo persuadeur. Acta Medica Hafn. *Vol. III. obs. 73.* docent hirudines neque conerso ⊖e, neque alia re deciduas, sola affusione ⁓CC. extemplo delap; esse. Ubi per experimenta elegantia porro demonstratur, hoc animallum sanguinem acidum præ salso amare, hinc, præ aliis morbis ab alli morboso oriundis, eis mederi, in quibus acidum peccat.

§. Consulebar quo pacto, *si quid in oculum incidit*, extrahi rursum sset? *Margaritam, lapidem cancri*, intrusa nil juvisse; oculi palpebras gi frictione tumefactas & inflammatas inverti non posse. Dixi, ut spleum *mucilagine seminis cydoniorum c. aq. ros.* pallidarum facta madens r noctem oculo imponeretur, futurum enim, ut palpebræ detumeant, & postea commodius inverti possint. *In oculos illapsa.*

§. Lychnoræus (12. *Mart.*) vires indies recepit, & scripto deque *electuario purgante* mihi consueto, absolutus fuit. Lychnoræus.

§. Tyvonis *Filiola* 45. septimanarum e *tussi ferina* quasi *suffocavo catarrho* prehendebatur, ad medicamenta difficillima. Dentur ter die gutt. *viij.* ad *x. mixturæ* sequentis ex an. *aq fl. til. & ceras. n.* Tyvonis *Filiola. Catarrhus suffocativus.*

Rec. ⁓⊖*ci anis.* ℨj. *Ræ. croc* ℈j. M.

Pectusculo linimentum ex *ungu. pectoral.* ℨvj. mixt. cum ⁓⊖*ci. ·.* & cataplasma ex *cepis* cum *oleo lini* frixis. (d. 28. *Mart.*)

§. Cusani *Uxor* (d. 6. *Mart.*) mensium tempore hos suppressos lens in phlogoses, anxietates, *dyspnœam*, dorsi dolorem incidit. Jusvenam secare sanguinem exhibuit crusta alba unciali obductum, lantis propemodum *febris* indicem. Cochleatim sumat moderate *pels*, (nam violenta hic locum non habebant:) Cusani uxor. *Menses suppressi.*

Rec. *Aq. puleg. meliss. lil. alb. an.* ℥ij.
Ræ. succin. ℨj. *croc.* ⁓⊖*. an.* ℨß.
sir. artemis. r. ℥ß. M. (d. 27. *Mart.*)

§. Artaëri *Filiola* noctem transegit inquietam; Jactatio corpo-, æstus, interpolata deliria, alvus constipata. *Pustula* hinc inde in naso genis. Promovere studebam variolarum eruptionem *emulsione* cochtim haurienda: Rec. *Sem. melon.* ℨij. *nap. aquileg. an.* ℨß. Artaëri *filiola.*
aq. fumar. fl. til. an. ℥iß.
F. Emuls. add.
bez. miner. mart. perl. ppt. an. ℈j. *sir. fumar.* ℥ß. M.

Potui admisceatur jugiter *aq. fumaria.*

§. Voca-

XXVI Mazus. *Phthisis consummata.* §. Vocatus fui ad Mazum, Lanionem 32. annorum, *phthisicum* consummatum & per omnes remediolorum domesticorum Classes vagatum; hoc scil. fine, ut in ejus personalibus aliquando memorari posset, accitum fuisse *Medicum, Doctorem.* *Raucum* inveni, quorum ferme nullus in *phthisi* convalescere visus. Ne nihil agerem, ordinavi *lactis caprilli sacchorati* usum mane & pomeridie. Hora 10. antemeridiana & noctu ante somnum capiat quantitatem juglandis de seq *electuario*:

Rec. *Elect. resumt.* ℥ij.
cons. ros. r. papav. errat. an. ℥j.
spec. diatrag. fr. pulv. HALY *rec. an.* ʒiß.
sir. jujub. q. s. F. Elect.

Interdixi potu vini. Munivi me prognostico. (d. 30. *Mart.*)

Conradina. *Cardialgiæ species.* §. Conradina, vidua 57. annorum, macilenta, de pressione usto ria circa præcordia & simul alio pungente dolore intra scapulas; itemq torminibus, singultu & ructibus ab aliquo jam tempore conquesta *pulverem emeticum a Pharmacopœo* petit. Quis jam sit tam immisericors qui dare recuset, quidquid ajant sacramento roboratæ *constitutiones*. Dedit igitur, purgavit fortiter & constanter. Sed multo hinc pejus afflicta muliere. Vocatus itaque LENTILIUS, quod commissum est deleat.

Rec. *Mucilag. e sem. psyll. & cydon. c. aq. fl. samb. extr.* ℥v.
sir. de alth. Fern. ℥j. *ess. anod.* ℈j. M.

Sumat ter in die 2. cochlearia: quin & mane & noctu *pilulas* cum illo magmate:

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr.* jx.
M. F. pil. 18.

Loca dolentia mulceantur *ungu. de hyoscyamo*, addito tantillo *ol. nu mosch. expr.* (28. *Martii.*)

Scherifii uxor. *Febris tertiana.* §. Scherifii *uxor* (d. 22. *Mart.*) ordinarie febricitat *typo tertiano* quamvis paroxysmo fere semper anticipante. Caussatur *pulveres* ordinarios augere calorem & difficulter sumi. Ordinatæ pilulæ, quarum 1 singulis 6. horis cum *sir. cydon.* deglutiantur.

Rec. *Extr. gentian. trifol. fibr. an.* ʒß.
cort. peruv. ʒj. *bals. peruv.* ℈j.
bez. ♂al. ʒß. *ess. abs. q. s.*
F. pil. pond. gr. j.

XXVI.

Reiteretur mixtura (d. 22. *Mart.*) ordinata. Cum cervisiam vehe-nenter appetat, si bona haberi posset, cum moderamine concessi.

Purgans eodem tempore nuper ordinatum 8ies alvum movit, de-bilitato hinc notabiliter febrili furore. (d. 30. *Mart.*)

§. Petalogypsi *uxor* per pilulas (d. 27. *Mart.*) ordinatas *febre* rtiana continua successive feliciter defuncta est. Cui in curæ supplemen-um data potio *laxativa* mihi solemnis. Post *purgationem* ad robur sto-nacho maturius conciliandum laudavi usum vel *trag. arom. offic.* vel *elect.* iacori.

Petalogypsi *uxor.*
Tertiana continua.

§. Mosellani *Filiolo* adhuc *tertianario* hodie ordinavi *pulv. Cornach.* ß. *sir. de cichor. c. rh.* ʒvj. M. Non nisi ter alvum movit. (d. 28. *Mart.*)

Mosellani *Filiolus.*
Tertiana.

Ancilla chlorotica 18. annorum menses ante annum visos hactenus on sentienti *pulverem* seq.

Ancilla.
Chlorosis.

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. Tart.* ℈j.
dacryd. gr. v. ol. mac. gtt. j. M. *pro 1. dosi.*

Quæ illam fere supra modum exercuit.

§. Cylindrus *Decoctum pectorale* ægre, *electuarium* plane non mit. Purulenta & cruenta spuit, ex utroque latere dolet, *tenesmo* t summo *asthmate* laborat. Desiderat sibi venam secari, quod ad ℥iij. nncessi, data insuper, si propinari ullo modo posset, *mixtura*, & simul rognostico haut læto:

Cylindrus.
Cholera humida.

Rec. *Aq. rub. id. acac. an.* ℥ij. *cinnam. cydon.* ℥j.
conf. alk. inc. ʒj *sir. papav. errat.* ℥iij. M.

Pater ægroti quatuor abhinc milliaribus habitans rogavit, utrum on posset ægrotus domum deportari? Respondi, *Medicum* de his rebus nsultum, semper, quod est tutissimum, suadere, nec pensi habere alias l politicas vel œconomicas rationes. Mihi vero isthanc profectionem inus tutam videri, meoque consilio eam non iri susceptum. Filium e sub potestate paterna; siquidem periclitari velit Parens, me resi-ere nec posse, nec velle, quod patiens sit evasurus, me nullatenus qui-m, id tamen, credere, quod alio vectus vel in itinere, vel certe matu-us, quam si hic maneret, sit moriturus.

Medicis haut raro ejusmodi quæstiones proponuntur, saltem ea i, ne si male res cedat, interrogantes eam absque consilio aggressi vi-antur. Si concedat *Medicus*, culpam præstare tenetur. Dicent in-rogantes, illi prudentius agendum fuisse. Si non concedat, ipsi ta-n, quod decreverunt, faciunt.

XXVI. Triennium præterlapſum eſt, ex quo *Juvenis phthiſicus* conſumma tus deſideraret in patria *Marbaco* vivere vel mori. Interrogatus, nu eum abducere liceret? id ſine ſummo vitæ periculo fieri non poſſe dix Interim per me non ſtare, quin abducatur, *Medicum enim eſſe Conſiliar um non Imperatorem.* Abducitur, poſtridie moritur, ſine dubio, ſi hi manſiſſet, aliquandiu ſupervicturus. Obj. *Medicus* talia recuſans in tereſſe ſuum intendere cenſetur. Reſp. Cenſeatur, dummodo falſ Conſcientia potior inſimulatione. (d.27.*Mart.*)

XXVII.

XXVII.

MErcurius ad quartum præciſe gradum aſcendit. *Thermometrum* dies, qualia heri.

Cylindrus. §. Quod heri ſubodoratus ſum, hodie cum Cylindro factu Abiit, exceſſit, evaſit, erupit. Eum quoque vita exceſſiſſe brevi nunci tum iri confido. Mulier clinica narravit, eum per totam noctem vig laſſe, plus vigeſies e lecto ſurrexiſſe, nonnunquam veluti delira locutu eſſe, mane vix vivum eſſedo inferri potuiſſe.

Cuſani uxor. *Febris tertiana.* §. Cuſani *uxor* brevi poſt meum heſternum diſceſſum, horror qui major eſſe non poſſet, ad animi deliquium per tres vel 4. horas du rante, cum inſequente internecino æſtu & ſudore fetidiſſimo corrept fuit, quod cum aliquoties jam ante, & alternis quidem diebus, factu eſſe, quamvis leviori decurſu, reminiſceremur, *febrim tertianam* adeſſ confiteri cogebamur. Igitur præſcripti per ſingulas 6. horas cum adj cto vehiculo ſumendi *pulveres*:

Rec. ♁. *diaphor. CC. philoſ.*
conch. ppt. matr. perl. ppt. an. ʒß.
ol. caryophyll. gtt. ij. M. F. 4. ℥es.

Rec. *Aq. borrag. ceraſ. n. an.* ℥iij.
conf. alk. inc. ʒj. *ſir. fl. tun.* ʒiij. M.

Sumantur etiam extra *pulveris* uſum ſubinde 2. cochlearia, cu *mixtura* heri ordinata alternando. Menſium adhuc nihil comparui (d. 31. *Mart*)

Campyloxyli *filiola.* *Scabies ſicca.* §. Campyloxyli *Filiola* natu minima, 9. circ. menſium ſcabi la ſicca & pruriginoſa affligitur. *Purgetur*:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xv. ſir. de cich. c. rh.* ʒv.
ſir. cinnam. ʒj. M. *pro 1. doſi.*

Poſte

Postea lavetur balneo aquæ fluvialis, in qua decocti ramusculi *ulmi*: idque fiat bis in hebdomate. Suaserant aliqui, ut infans lavetur balneo *spuma aquæ fluviatilis*, v. gr. Neccarinæ, quæ colligi in angulis, in quas cum impetu confluens aqua resiliendo spumam ... it. Num ob particulas aëreas in ea spuma contentas vel ob vim quan... saponariam juvent ista lavacra, decidere nolo. XXVII.

§. Actuarii *uxor* ordinatum d. 5. *Mart.* decoctum bibere renu... eo quod semel potum *tormina* excitarit. Rogata, num fortasse ...*lis* usum sustinere non queat? respondit, quod sic. Igitur *mel* exjussi. *Rotula* quoque palato non arridebant, neque *axungia canina* ...mta, nec potus ordinarius usurpatus. Absoluto *decocto* devenimus ...*ac caprillum*, quod præterito autumno jam hauserat. Sed brevi ces... cogebamur. Æstus enim pomeridianus indies increscebat, alvus ...truebatur, vires deficiebant, sic, ut fere pedibus adhucdum insi... vix valeat. Perventum ad *jus nummularia*, *hedera terrestri*, *viola*..., *bellide minore*, *medicatum*. Item ad *pulverem* Haly recentem so...tium, mane & pomeridie ad ℈j. sumendum; noctu autem ad quin... grana *pilularum* ex an. *de cynogl.* & *extract. liquir.* compactarum. ...era hujus ægræ conditio. (d. 1. *Apr.*) Actuarii *uxor.* *Phthisis.*

§. Vinariensis *aqua pulmonum vituli* parum profecit, nisi quod ...uanto mitius interdum tussiat. *Ischiaticus dolor* in tantum cessavit; ...rim tamen pedum robore adeo destituitur, ut in lecto continuo ma... cogatur. Appetitus adhuc mediocris. Cum *aqua pulmonum vitu*... huc per quatriduum duret, interea temporis *herbas* pro *jure medica*... colligere jussi; *bellidem* puta, *hederam terrestrem*, *farfaram*, *violari*..., *nummulariam*, *spinachiam*, *folia plantaginis latif.* *Pulmoni vul*... quem supra fornacem tostum in pollinem redegerat, *saccharum can*...*didum* in subdupla, *item rad. farfaræ* in subquadrupla dosi miscere, ...*rimq;* hinc resultantem ter indie ad 2. cusp. cultr. per se assumere ..., & cum de periodica quadam anxietate subito irrumpente ac defi...te, molesta multa quereretur, laudata *mixtura* sequens, illius paro...bi tempore cochleatim haurienda: Vinariensis *Phthisis.*

Rec. *Aq. veron. hyssop. an.* ℥iij.

🜍. *vol. oleos. conf. alk. c. an* ℈j. *sir. viol.* ℥ß. M. (d. 4. *Apr.*)

§. De Cetocrenis *Filiolo* (d. 20. *Mart.*) mater ad me sequentia ...sit: *Pulveris Cornachini* gr. xxiiij. ne semel quidem alvum moverunt. ... altero *pulvere* & *lite* præscriptæ methodo institimus. Tumor abdominis Cetocrenis *filiolus.* *Natta.*

minis

XXVII. minis in dextro latere decreſcit, verſus ſiniſtrum magis inclinatus. In femore & ſura idem eſt, qui antea, præterquam quod eſt mollior. Natta dorſi interea temporis magis ſuccrevit, & tres vertebræ illius loci notabiliter prominere videntur. Quid porro ſit faciendum, expectamus. Filiolam *potiuncula laxativa* ſemel tantum movit. In uſu *pulveris* ſumus diligentes.

Pergendum eſſe judicavi cum *pulvere* & *linimento*. Quod tumor abdominis verſus ſiniſtram declinet, ſtagnationem lymphæ confirmat. Poſt 14. dies a prima *pulveris Cornachini* exhibitione, hujus ʒß. propinetur. Remoto *emplaſtro domeſtico nattæ* imponatur ſequens *emplaſtrum*, non per omnem regionem lumbarem extendendum, ſed tantum pro tumoris exigentia, ſingulis quoque 24 horis renovandum:

Rec. *Empl. diaphor. Mynſ. de ran. vig. c.* ☿*io. an.* ℥j.
malax. cum ol. philoſoph. D.

Ephippi *filiola.* *Variola lymphatica.* §. Ephippi natu minor *filiola* æſtuat valde, ſitit, hinc inde papulas oſtendit, quas hic loci vocant variolas aquoſas (Waſſerdurchſchlechten) quæ reliquis eſſe pauciores, nec in pus perfectum excoqui, sed ſola ichoris forma denique exſiccari, utplurimum autem a variolarum verarum, ſuo tempore, eruptione liberos non præſtare ſolent. Opus tamen habent *diaphoreſi* & regimine temperate calido, ne recedant intra corpus. Alias benignæ ſunt plerumque nec periculi quidquam portendunt. Ordinata *mixtura* cochleatim ſumenda:

Rec. *Aq. fumar. fl. ſamb. til. an.* ℥iß.
♁. *diaph. pulv. march. an.* ℈j.
ſir. fumar. ℥ß. M. (d. 28. *Mart.*)

Plycamus. *Dolor hypochondriacus.* §. Plycamus 62. annorum ante ſemeſtre tertianarius, & aliquoties recidivus, accepto nuper valde triſti nuncio, horruit cum inſequente æſtu. Dolor inceſſit in hypogaſtrio ſiniſtro verſus inguen punctorius absque *tumore* vel rubore; qui valde cruciat, quoties *tuſſit*, *ingeſſit* autem vehementer: *Hypochondriacus* eſt a multis annis. Accepit *rob ſamb.* & largiter ſudavit, nil diſcuſſo dolore: Niſi foco aſſideat, ſtatim alget. Parum appetit, ſitit. Urina eſt *ſcorbuticorum* ruffa & turbida. Flatus exercent, quibus exantlatis levatur. Dolorem iſtum pro *ſymptomate hypochondriaco* agnoſcens, medicamenta pectori, ſpleni & flatibus accommodata proficua futura ratus, ordinavi *Decoctum*, cujus ter in die hauſtus calidus aſſumatur, mane & noctu, ſemper inſtillando gtt. xxx *mixturæ decocti* deſcriptionem ſecuturæ.

Rec

Rec. *Spec. pro Dec. pector.* ℥iij. XXVII.
rad. ap. filic. an. ℥ß. *herb. fumar.* mj.
Conc. cont. coq. in mens. iß. aq. fontan. ad consumt. ¼.
Rec. R. ♂. *helleborat. ess. carminat. an.* ʒiij.
⁓. cochl. ʒj. *ess. anod.* ʒß. M.

Antemer. hor. 10. & pomerid. hor. 5. de sequenti tragemate sumat 3. cusp. cultr. per se:
Rec. *Spec. diacret. Myns.* ʒvj.
elaosacch. e 4. ol. carminat. ℥j. M.

Tumori imponatur *empl. regium Burrhi.* (d. 6. *Apr.*)

§. Rebhuni *Filiolus* (d. 24. *Mart.*) stadium *variolarum* confertim erumpentium non admodum periculose decurrens, statim 25. Martii sub ipsa eruptione homines agnoscere mentique restitui visus; sed Medicamenta omnia fastidit. *Materiam perlatam* linteo illigatam potui ordinario immergant.

Rebhuni *filiolus. Variola.*

§. Melodidascalus doloris acerbitate victus omnia sustinere potius, quam eo modo cruciari cupiebat. *Emplastrum* removit. Gnomilegus *litus spirituosos & cephalicos* scripsit; ego postea *decoctum* tale, *miscellaneis* quoque meis alicubi insertum, Auctorem agnoscens optimum senem D. WOHNLICHIUM, *Physicum Suevo-gemundensem* octogenarium.

Melodidascalus.

Rec. *Herb. scord.* mj. *stoech. arab.* mij. *geran. Robert.* miij.
pariet. fl. samb. an. mj.
pulv. olib. ℥iiß. *succin. fl.* ℥j.
benz. ʒiiß. *as. fetid.* ʒiij.

Conc. cont. coq. in mens. j. *vin. & mens.* ⅛. *aceti* per quadrantem horæ. Cola & in Colaturam intinge pannos quadruplicatos, quos expressos calide occipiti frequenter admoveto. (d. 29. *Mart.*)

XXVIII.

XXVIII.

MErcurius mane hesternus vesperi ad primam quarti gradus lineam descenderat: liquor *thermometri* mane quarti gradus medietatem occuparat, vesperi tertium gradum una linea superaverat. Dies erat mane frigida, pruinosa, hinc serena, sub vesperam nubila cum pluviola.

§. De Lineti *uxore* [14. *Mart.*] sequentia per litteras significata: Nondum mitius vivo, nisi quod *vomitus* aliquantum remiserit. *Cephalaea* adhuc atrox, & artus quasi contusi; eructationes & flatulentiæ, quales nuper; stomachi dolor vix tolerabilis: Urina multa, sed tenuis & aquosa [NB. signum, secundum Sydenham, fere pathognomicum

Lineti *uxor. Hysterica passio.*

XXVIII. symptomatum hystericorum ἐν ἀκμῇ constitutorum.] Cras, DEO volente, *pulverem laxativum* sumere constitui. *Magnesiam albam* promissam expecto, atque, ut aliquid pro sopiendo capitis dolore excogitare suscipias, etiam atque etiam rogo.

Respondi, nil immutari posse, sed esse cum medicamentis d. 14. *Mart.* ordinatis pergendum. Capiti autem raso ordinavi *epithema* Melodidascalo heri scriptum. Quod, si non juverit, *emplastrum* toti capiti applicandum:

Rec. *Pulv. olib. ℥iiiß. succin. ℥iiß.*
benz. ℥ij. as. fetid. ℥iiß.
rob. samb. ebul. an. ℥ij. ungu. anod. ℥iß.
op. theb. ℈ij. philon. Rom. ℥ß.
ol. lumbric. papav nymph. an. ℥ij.
M. F. *massa emplastriformis.*

Eundem cum *epithemate*, Dn. D. Wohnlich, Auctorem agnoscit. Ventriculus inungatur seq. *linimento*:

Rec. *Ungu. de hyosc. ℥ß. bals. peruv. ℈j.*
ol. lumbric. ℥ j. nuc. mosch. expr. ℈j.
absinth. menth. aa. gtt. ℈j.
schoenanth. q. s. ad consist. linim.

Linetus. §. Linetus ipse a 5. septimanis de *perpetua siti* queritur, *capitisq; gravitate & vertigine*; petitur auxilium, vel utrum *Decoctum Bromium* bibere debeat? Praescripsi meum *electuarium purgans*, & postea, si asuetus sit, suasi *venaesectionem*; qua peracta curam *decocti Bromii* [Haber-Cur;] Potus ordinarius diluatur *liquore betulae*, quamdiu haberi potest. [d. 29. *Mart.*]

De hoc *Decocto bromio* alibi scribendi occasio dabitur: nunc enim non vacat.

Tyvonis *filiola*. §. Tyvonis *Filiola* cum bellissime ad se rediisse a medicamentis 26. *Martii* ordinatis perhibeatur, atque ad assumenda pharmaca non nisi adhibita vi compellenda sit, utrum diutius his insistendum, Parentes quaerunt? Necessitate non amplius cogente, ut omittantur, praestare dixi. Medicamenta enim tanta vi obtrusa raro feliciter operari, cum hostilis ad ea sit animus patientis, animum autem corpori compati, & vice versa solere. Idem esse, ac si quis invito & nauseanti cibum manducandum obtrudat. Nosse me, quod *maniacis* interdum pharmaca per tritorium infundantur, [mann macht einen Einguß/ wie bey Pferden] idque non

non sine fructu; sed efficaciam esse revera minorem, quam a sponte assumtis; quin apud maniacos necessitate adstantes premi, quod in hac passione locum non habet. In ejusmodi tamen casibus opus est prudentia. XXVIII.

§. Ephippi *Filiola* melius quidem habet, adhuc tamen p. n. calet, ac mixturam heri scriptam non sine horrore sumit. Matre *pulveres* siccos facilius exhiberi posse adstruente, talem ter in die ad 2. cultri cuspides præbendum ordinavi: Ephippi *filiola*.

Rec. *Mater. perlat.* ℨ*ß.*

lap. bez. occ. ras. ebor. subt. an. gr. xv. M.

Inde plene convaluit, arescentibus pustulis ac decidentibus.

§. Hypogæus globulum plumbeum, quo jam ante triennium petitus fuit, adhuc in altero genu gestat, ob alia quædam impedimenta ferro non exscindendum. Dolores per intervalla & eundi difficultatem experitur; Ante annum *balneis* Bollensibus cum levamine quidem, sed minus durabili, usus est. Nunc interrogat, num liceat adire *thermas* nostras *ferinas*. Dubium excitat *tussis sicca* jam diuturna cum *phthiseos* metu & *inappetentia*. Hæc symptomata contraindicare dixi, cum alioqui *therma*, quod frequenter observatum, globulo plumbeo exitum parare valeant. Has igitur me non penitus dissuadere, modo humectantia simul intro sumantur. Lavetur methodo consueta, sed tempore prandii ac cœnæ simul intus usurpet 2. cochlearia *gelatinæ ex an. ras. CC. & ebor. cum aq. font. parata* & in scutella juris carnei liquefactæ. Mane vero & noctu sumat 3. cuspides cultri de *pulvere seq.* ex haustu bono *emulsionis amygdalinæ*: Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ℨ*ß. diatrag. frig.* ʒ*iij.* Hypogæus. *Symptomata a globulo plumbeo.*

balſ. ind. ſicc. ʒ*j.* M.

Vitet excessum vini & aromaticorum.

Uxori ad *varos* faciei suasi lotionem cum *lacte virginis*, ex *styr. calam. benz. & myrrh. c.* 🜄*. extr.* *Uxor. Vari faciei.*

§. Mosellani *Filiolus* (26. *Martii*) aliquanto mitius *febricitare* incipit, sed lassus adhuc valde, ac inappetens. Pergant cum ☿ & *mixtura*, & insuper frequentius in die præbeant *electuarium*, quantitate *nuc. moſch.* Mosellani *filiolus*. *Tertiana.*

Rec *Elect. e ſumt.* ℨ*j. conſ. acetoſell.* ℨ*ß.*

carn. citr. cond. ʒ*iij.*

pulv. anal. fr. Mind. inc. Corſ. alk. c. an ʒ*j.*

ſir. acet. ſ citr. q. ſ. F. *elect. molle.*

§. Conradina parum quidem mitius degit (d. 26. *Mart.*) sed tamen dorsi, lateris, stomachi doloribus adhuc urgetur. *Purgatione* opus esse ratus dedi haustulum meum cras sumendum, hodie vero noctu *pilulas*: Conradina. *Cardialgia.*

Rec.

XXVIII. Rec. *Extr. bez. papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. ol. carv. gtt. ij. M. F. *pil. viij.*
Latus dolens ungatur *ungu. de hyosc.* ℥vj. cum *ol. carv.* ℈j. mixto. (d. 29. *Mart.*)

Lineti *uxor.* §. Eadem die, qua responsorias ad Linctum exaraveram, venerunt secundæ litteræ: Nondum melius habet uxor. Pulvis laxativus (erat ℞. *cornach.* ʒß.) bis alvum solvit, sed aliquoties vomere coacta fuit. Me, quod attinet, expecto, quid contra sitim sis ordinaturus.

Respondi nuperis meis omnibus quæstionibus satisfactum iri. Tempore debito *pulverem laxativum* eodem pondere repetendum. Pituitam viscidam interea per reliquorum medicamentorum virtutes incisum iri, hinc laxans operaturum esse. (d. 29. *Mart.*)

Gensa. *Hemitritæus.* §. De Gensa (14. *Mart.*) sequentia ad me scripta jam 19. *Martii.* Non incrementum sumsisse *febrim*, sed parum tamen decrevisse, appetitum ad cibos nullum, vires attritas; solam somnolentiam remittere; caput esse levius; pulsum mane languidum & inæqualem, vesperi intendi: Quæritur, an cum medicamentis continuandum?

Respondi, me parum curare, si in his morbis primis octo diebus a pharmacis nil effectus boni sentiatur, modo res in pejus non dilabantur. Nos non plane nihil lucratos, si *somnolentia*, pessimum symptoma, remittat. In medicamentis nihil mutari posse. Diutius omnia usurpanda. Scripta hæc erant, & ecce hodie aliæ venerunt litteræ, sequentis tenoris: Cum responsio tua nondum appulerit, en tibi nuncium. Gensa mea non tam immodice dormit, interdum per dimidiam, immo integram horam extra lectum manere potest, *calor febrilis* quoque remittit. Pulsus adhuc idem, qualem nuper scripsi, mane, sed vesperi cum æqualitate semper celerior, æstus tunc parvus. Non singulis diebus æque bene vel male habet. Virium prostratio. Eructationes nonnunquam. Alvus libera. Tinnitus aurium, cum obauditione; appetitus melior, sed ad varia delatus. Os semper siccum & limosum: Quid porro faciendum? In eandem sententiam scripsit ad me Medicus D. Lahmerus.

Respondi: Nuper ordinata, donec *febrilis* insultus plane cessaverit, semper usurpanda esse. Rem in melius mutatum iri, *febrimq;* in declinatione constitutam. Virium defectioni & oris ariditati *gelatinam Caponis cum ras. CC. & ebor.* Interdum *lac amygdalinum.* Tinnitum aurium & pulsum inæqualem hic provenire a spirituum paucitate ac inertia; restaurato appetitu cessatura. Huic velificandum esse, dummodo non ad plane absurda & liquido noxia feratur. [d. 6. *Apr.*] Mer-

XXIX.

XXIX.

MErcurius mane, qualis heri: *Thermometrum* tertii exacte gradus, vesperi hunc gradum una linea superaverat. Dies erat serena.

§. Thrabi *Filiola* [20. *Mart.*] *major natu* meliuscule habet a nuperis, symptomatis tamen adhuc plerisque præsentibus: *Purgans* octies alvum movit. Suasi, ut cum *pulvere* nuper ordinato diligenter pergerent. Thrabi *filiola major.*

Filiola natu media 5. ann. tussit, anhelat, ventrem prominentem habet, edit tamen, bibit & hilaris est. Congestionem pituitæ ab ἀδδηφαγίᾳ præsentem judicans, ordinavi *purgans* tale: Media.

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xviij.* ☿ *ij. dulc. rit. par.* ℈ß.
sir. de cich. c. rh. ℥*vj.* M. pro 1. dosi.

Postea mane & noctu gtt. xv. *Tinct.* ♂. *aperit.* ex quol. vehiculo.

§. Agaleus, 30. annorum, *cephalæa* diuturna laborat, cum tussicula sicca, & flatuum retentione; sanguis e naribus frequenter stillat. Suasi *venæsectionum*, sanguis erat laudabilis, sed nimio sero dilutus. Ordinavi meum *electuarium purgans*; & mane noctuque gtt. xx. ~Ⓓ. d. ex quol. vehiculo: suoque tempore *jus medicatum*. Agaleus. *Cephalæa.*

De sanguine judicaturus venam prius incidere curo, quam *purgans* exhibeo. Non enim tam promte judicatur, ubi sanguis per antecedens *purgans* jam est quasi defecatus: & e sanguine haut raro apparet, utrum sit opus *purgante*, nec ne?

§. Nisseti *ancillæ purgationem* e tribus officinis petenti, nulla dabatur, nisi Medicus juberet. Recte fecerunt, atque utinam semper & ubique tam essent religiosi! Me igitur accessit, & cum nossem ejus constitutionem, plethoricam nempe, & biliosam: ordinavi *pulverem*: Nisseti *ancilla.*

Rec. *Pulv. gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈*j.*
dacryd. gr. iij. Tart. emet. gr. 1. M. *pro 1. dosi.*

Sequatur *venæsectio.*

§. Melodidascalus (d. 27. *Mart.*) quoties visitatus, toties idem offenditur, id est, ex capite dolens. *Epithemate* a me ordinato nondum est usus, eo quod a Gnomilegi *linimento* melius habere videretur: cum tamen dolorum constans ἀνάπαυσις non percipiatur, se tentaturum promisit. A meridie venit Pelerinus, qui laudavit *pulveres* sequentes, cum epithematis mei usu externo intus adhibendos: Melodidascalus.

Mm Rec.

XXIX. Rec. ☉. *horizontal. gr. xxiiij.*
off. triquetr. specif. cephal. Mich. an. ʒj.
agagropil. ver. ℈j. *laud. corr.* LANGEL. *gr. iij.*
F. *6. doses:*

Sum. mane & noctu una ex *aq. ceras. n.* si hæ consumtæ sunt, repetendæ;

Auri horizontalis varii circumferuntur processus. Procul autem dubio est medicamentum aliquod *mercuriale*, & forte nil aliud, quam ☿*ius diaphoreticus fixus*, quem solutione ☿*ii vivi c. liquore alkahest* parandum esse vult ETTMÜLL. *comment. Ludovic. opp. Tom. II. p. m. 496.* Alii vero parant *triplici* ♎*tione part. ij.* ♁ ☿. *c. part. ij.* ♁. *nativ.* cujus ♎*ti part. ij. denuo cum* ♁. *nat. p. j. ter* ♎*antur.* Quidquid sit, *mercuriale* esse consentiunt, qui de eo scripserunt.

Os triquetrum itidem ab ETTMÜLL. *Schröd. Opp. p. II. p. 178.* describitur, quod fiat ex concursu *suturæ sagittalis* cum *lambdoidea* sitque præ reliquis specificum in *epilepsia. vid. m. Bartholin. anat. nov. libell. IV. cap. 5. Schröderus pharmacop. & ex eo Hoffm. in clave* hoc os vocant, *os triquetrum temporum*, sed male; omnium optime describitur a SACHSIO *schol. ad obs. 53. Ann. II. Dec. I. Eph. Cur. p. m. 110.* CNÖFFELIUS, ait, loco *usneæ cranii humani*, *ossiculum* ejusdem *triangulare seu triquetrum* accepit, quod aliquando in craniis circa principium *suturæ lambdoidis* manifeste apparet, quod cum summa diligentia avide quærere solebat, sed raro, nec in omnibus reperitur. (d. 1. *Apr.*)

Linetus. *Obauditio.* §. Linetus ad me denuo: Quando accipiam aliquid contra nimiam sitim, susurrus capitis, *obauditionem*? Resp. si *Decoctum Bromium*, quod iterum tamen suadeo, fastidiat, mane, pomeridie & noctu assumat haustulum *vini granatorum cum sirubo granatorum* dulcificati vel potius temperati. *Liquorem betulæ* admisceat vino in pastibus. Auribus, noctu cumprimis, cum *bombace* applicet *decoctum sequens:*

Rec. *Caryoph arom.* ʒß. *bulliat in* ℥vj. *vin. rubr. veteris,*
Colat add.
🜄. *camphorat.* ℥ß. ⊖. *fraxin.* ʒß. M.

Mane interdum masticet *granum mastiches* purum, quamdiu salivam inde cieri sentit.

Lineti *uxor.* § De Lineti *Uxore* hodie tale nuncium accepi: Præterita *Martii* 27. uxor mea post *infusi theiformis* potum pessime habuit, & fere *deliquium* est passa. Nocte insequente molestissimum supervenit *alvi profluvium*

vium, cum torminibus horrendis ac dolore dorſi ignis ad inſtar urente. XXIX.
Ceſſavit aliquatenus, non tamen omnino, profluvium, tormina vero cum dolore dorſi non ceſſant. *Flatibus* urgetur. Gravidam ſe credit, cum venter & mamillæ turgere incipiant. Mitto urinam, quæ parce fluit.

Reſpondi, alvum a medicamentis ordinariis turbatam non eſſe; ſed *hyſtericis* uſu venire, ut nunc ſint conſtipatæ, nunc profluvio laborent. Sperare me, halcyonia hunc fluxum ſecutura. Niſi tormina cum dorſi dolore interea ceſſaverint, me commendare hauſtum ſequentem, pro re nata quoque repetendum:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. ſir. chamom. an.* ℥ iß.
eſſ. aned. ✡, *aniſ. an.* ℈ j. M. *pro* 2, *doſibus*.

Pergendum eſſe cum reliquis medicamentis; *pulvere* autem CORNACHINI poſthac omiſſo, ſi alvus officium non faciat, me ſuadere illius loco *magneſiam albam*. Urgentibus doloribus *cataplaſma* paretur e *ſem. lini cum lacte vaccino cocto*. (d. 22. *Apr.*)

§. Præterita 26. *Martii* in vicinia de feneſtra foras ſuſpenſus repertus fuit ſutor. Carnifex e quibusdam indiciis ſuſpenſum ſibimetipſi manus non intuliſſe, ſed vim ab aliis paſſum, intrepide pronunciabat. Obſervatum pone alteram aurim vulnuſculum, quaſi ſubula transfixa factum. Præter uxorem, ſervum & ancillam in domo nemo fuit; carnifex igitur, quod ajunt, juſſit, ut ordine corpus mortui tangerent admota manu; cum admoviſſet uxor, vulnuſculum ſanguine ſtillaſſe; idem cum ſervo factum; Ad tactum vero ancillæ nil obſervatum. Hinc iſti, uxor nempe & ſervus, a Carnifice rei judicati. Novum, ſi ita res habet, cruentationis cadaveris ad tactum occiſoris experimentum. Exploratus eſt ſuſpenſus ab urbico *Phyſico Chirurgiſq;* loci. Tumor inventus ad *alterum muſculum temporalem*, cum *ecchymomate*: ſubter calvariam ibi loci congeſtio ſanguinis grumoſi. Uxor, ſervus, ancilla, captivi detinentur.

§. Conradina nondum melius valet. Juſſi urinam cras mane adſervare, num forte in penitiorem affectus cognitionem ejus exploratione penetrare valerem. (d. 30. *Mart.*) Conradina.

§. Renardus mihi narravit, ſe ante hos quadraginta annos NORIBERGÆ *Phthiſicum* decubuiſſe, admodum juvenem. Multa ſine fructu uſurpaſſe. Fuiſſe *tuſſim, aſthma*, ſudores, tabem, ſcreatum materiæ purulentæ ſanguinisque grumati, quem ipſe pulmonum fruſtilla reputabat. Mulierem Ruſticam ſuaſiſſe, ut *baccas lauri* aliquot de die perfunctorie comederet. Feciſſe, & ſucceſſive ſanatum jam ab eo morbo ſemper liberum fuiſſe. Eſt jam valde obeſus. Renardus. *Phthiſis.*

XXX.

XXX.

MAne *Barometrum & Thermometrum*, qualia heri; vesperi liquor 3. gradum una linea transcenderat. Præterita nocte pluit.

Scherifii *uxor.* *Tertiana.*

§. Scherifii *uxor (26. Mart.) tertiana* sua semper 3. horis anticipante adhuc laborat. Ordinatæ *pilulæ*, quarum usus idem, qui priorum:

Rec. *Cort. peruv. subtiliss.* ℥iß. ʒij.
extr. castor. ℈j. *ess. trifol. fibr. q. s.*
M. F. pil. pond. gr. j.

Binis pulsibus applicetur *emplastrum febrifugum* mihi familiare ex ℥. *rad. Zingib. fulig. camin. &* ⊖ *com. an. cum vitello ovi subact. super alut. extens.* & singulis 24. horis utrisque carpis eo loci, ubi pulsus exploratur, recenter impositum.

Refectioni virium *electuarium* sequens quantitate *nucis moschatæ* pro lubitu sumendum:

Rec. *Elect. resumt.* ℥j. *conf. alk. inc.* ʒij.
conf. acetosell. fl. tun. an. ʒij.
spec. cordial. temp. ʒj. *sir. granat. q. s. M.*

Dolor lacerans in suris compescatur illitu *ol. lumbr. c. an.* ∇. *camphor.* (d. 6. *Apr.*)

Badizodromi *filiolus.* *Rhachitis.*

§. Badizodromi *Filiolus* 1½. ann. rhachitide laborat cum tussi ferina. Sumat ter in die guttulas 12. de sequenti *spiritu* cum adjecto vehiculo seorsim quoque hauriendo:

Rec. *Aq. scabios. acac. rosar. an.* ℥iß.
sir. jujub. pap. err. an. ʒvj.
~⊖✱*ci. anis.* ℈j. M.

Rec. ~⊖✱*ci. anis.* ʒj. *Tinct. croc.* ℈j. M.

Pectusculum elatum, abdomen prominulum, spina dorsi, hoc *unguento* ter in die calide ungantur:

Rec. *Ungu. alth. resumt. an.* ʒvj. M. (d. 3. *Apr.*)

Cum intrarem hypocaustum, odor *unguenti* nares feriebat: Roganti responsum, se puellum ungere *unguento cardiaco domestico* ex *hedera* ∇. *terebinthina*, olivo & adipe porcino [Reinbargenschmer] confecto; quod mulierculis hic loci familiare est.

Lanikii *filiolus.* *Variola.*

§. Lanikii *filiolus variolosus* ab octiduo, nunc demum incipit nimium debilitari, anhelare, sitire. Medicamentis hactenus domesticis sunt usi, conclave supra modum calefecerunt, vinum dederunt &c. Puellus medicamenta ægre admittit:

Rec

XXX.

Rec. *Aq. fumar. til. acac. an.* ℥ij. M.

Semper tantillum admisceatur potui ordinario. Singulis 6. horis quocunque modo præbeatur e *pulvisculis* unus:

Rec. *Lap. bez. occid. unic. ver.*
matr. perl. ppt. an. ℈j. M.F.4. *ses.*

Materia perlata cum linteolo in nodulum colligata immergatur ordinario potui. Calor hypocausti sit magis temperatus.

§. Saraceni *ancilla* (d. 20. *Mart.*) postquam ad se rediisset, a præbito *electuario* purgante plene convaluit. Saraceni *ancilla.*

§. Conradina aliquoties alvum dejecit, dolores etiam leniti, sed minus constanter. Intra scapulas, circa os sacrum, ilia, umbilicum, femora, semper adhuc, quamvis per intervalla, affligitur, & pressio stomachi durat; Urina est satis colorata, cum parva nubecula. *Nervis* igitur eorumque *spasmodicis irritationibus* rem deferens, rem paullo aliter aggressus sum, ordinando: Conradina. *Dolores spasmodici.*

Rec. ⁓ *nervin.* ℥ß. *ess. lign. sassafr.* ʒj.
ess. anod. ʒß. M.

Sumantur mane & noctu gtt. LX. ex vehiculo adjecto seorsim quoque per cochlearia hauriendo:

Rec. *Aq. lavend. chamom. an.* ℥iij.
elix. uter. Cr. ʒj. *sir. fumar.* ℥ß. M. (d. 5. *Apr.*)

§. Pogonati *Filiolo* post *variolas* exhibui purgans, & curam ita consummavi: Pogonati *filiolus. Variolæ.*

Rec. *Pulv. gial. n. resin. gr. xv. Crem. Tart.* ʒß.
sir. de cich. c. rh. ʒvj. *aq. cinnam.* ʒß. M. *pro 1. dosi.*

§. Priotomus 36. annorum a longo tempore passus erat *cardialgiam*, denique cum totali inappetentia, flatibus hypochondriacis, pallore, languore, dyspnœa. D. 17. *Nov.* 1708. a me sequentia sunt ordinata: Priotomus. *Cachexia.*

Rec. *Aq. laxat. Vienn.* ℥iiij. *cinnam.* ʒß.
sir. de cich. c. rh. ℥j. M. *pro 1. dosi.*

Postea *Decoctum Bromium* per 24. dies. Et post quemlibet pastum 1. cusp. cultr. de *pulvere* tali, per se:

Rec. *Diaph. Mal.* ʒij. *pulv. cach. qu. inc.* ʒiij.
spec. diacret. Mynf. ℥j. *elaosacch. cinnam.* ʒx. M.

Hodie ad me scribit, „se, per DEI gratiam, bellissime & sic quidem restitutum, ut ne vestigium priorum symptomatum sentiatur & stomachus officium faciat. Quæsivit autem, utrum hoc vere laxativum tunc

XXX. ordinatum repetere liceat? Annui, sed monui, ne nimium stomacho suo fidens, in diætæ errores licentius se præcipitaret, recidivamque incurreret.

Uxor. Tumor mamillæ. Febris lactaria.

De *uxore* vero sua sequentia refert: Ante 4. septimanas filioli felix mater est facta; sed prima statim a partu die horrorem sensit in dextra mamilla, unde tumor intus ad ovi gallinacei magnitudinem ortus. Omnis *Chirurgi* nostri opera fuit inanis: tametsi enim tumor interdum dissipari videretur, novus tamen subinde horror cum insequente æstu dolorem cum tumore revocavit, qui hucusque durus est, forte non discussibilis, sed in *ulcus* abiturus. Puellus quidem mammam adhuc adgreditur, sed invitus, & matre magis hinc dolente. Augetur malum, quod *lochia* propemodum plane emanserint, quæ per varia nostra remediola cieri nolebant. *Catarrhis* est obnoxia, cumprimis quoque erysipelati. Sitis magna, appetitus ad cibos parvus, frigoris impatientissima, sic, ut in calefacto conclavi semper algeat. Alvus constipata, quam, etiamsi sana, remediis sollicitare cogitur.

Respondi, *lochiorum retentioni* mala hæc unice deberi. *Febrim lactariam* esse, mamillam *abscessum* minitari. Assumat ter in die cusp. 2. cultr. de *pulvere* sequenti ex vehiculo seorsim hauriendo:

Rec. ♉. *diaph. CC. philos. an.* ℥ß.
☽. *ppti.* ʒij. M.

Rec. *Aq. fl. samb. Card. bened. ceras. n. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒj. *sir. rub. id* ℥j. M.

Mamilla inungatur *oleo e flor. Slot.* imposito *emplastro*:

Rec. *Empl. de ammoniac. de sperm. cet. an.* ℥j.
ungu. de hyosc. ℥ß. M.

Huic *emplastro* imponatur *sacculus ex oryza sicca*.

Abscessu se colligente & rupto mammam aliter esse tractandam; læsamque raro curari, nisi sana altera exsiccetur. Hinc, si non obedierit medicamentis, *ablactationem* esse decernendam. Alvum, quoties opus, per OSWALDI *potiunculam* officii monendam. Vitandum vinum.

Mazus. *Phthisis consummata.*

§. Mazus (d. 26 *Mart.*) ante dies aliquot, me conscio &, quod assuetus esset, annuente, venam solvit. Nihil fuit levatus, *Raucedo, tussis, asthma* æque fero.iunt ac antea. *Lac caprillum* bibit sine levamine. Sitim *acidulis* levare conatus observavit, quoties has biberet, *illis cum lacte non convenire*. Dolorem punctorium sentit in latere sinistro. Relinquat *acidulas*. Bibat *decoctum*. Latus ungat *unguento de hyoscyamo*. Cum *lacte caprillo* pergat; quin & cum *electuario*, Cochleatim hauriat:

Rec.

Rec. *Aq. veron. scabios. farfar. an.* ℥ij. XXX.
~⊖✱ci *anis.* ʒß. *Ra. croc.* ℈ß.
diacod. crocat. ℥ß. M. (d. 21. *Apr.*)

§. Regnüzii *Filiola variolarum* prodromos sentit: Regnüzii *filiola. Variola.*
Rec. *Aq. fumar.* ℥ij. *fl. samb. til. an.* ℥j.
♁. *diaph. CC. philos. an.* ℈j.
conf. alk. c. ʒß. *sir. fumar.* ʒiij. M. [d. 15. *Apr.*]

§. Hypogæi *uxorcula* 17. annorum a potu sine dubio vini recentis & aciduli incidit in *colicam nephritico-hystericam*. Dolores summi circa umbilicum, regionem lumbarem, *epigastrium* sinistrum, stomachum, cum *vomitionibus*, & perpetua ad excernendam urinam irritatione. Hypogæi *uxor. Colica nephritico-hysterica.*
Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. de alth. Fern. an.* ℥iß.
ess. anod. ℈j. *M.*

Dimidia pars statim hauriatur; altera, vel doloribus urgentibus post noctis medium, vel cras mane. Cochleatim per horas sumatur *mixtura*:
Rec. *Aq. fragor. chamom. fœnic. an.* ℥iß.
oc. ♋. crud. cont. test. ov. calcin. an. ʒß.
ess. anod. ℈ß. *elaosacch. anis.* ʒij. M.
Partes dolentes ungantur calide:
Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥ß.
ol. scorp. ʒij. *carv.* ℈j. M. [d. 31. *Mart.*]

XXXI.

XXXI.

B*Arometrum* & *thermometrum*, qualia heri mane & vesperi. Dies utplurimum serena.

§. Rhabdaulitis *Filiolus* æstuat, sitit, inquiete dormit, nauseat, tussit: variolarum formidine cohleatim data *mixtura*: Rhabdaulitis *filiolus. Accessus febrilis.*
Rec. *Aq. fumar. fl. til rub. id. an.* ℥ij.
bez. miner. CC. phil. an. ℈j.
sir. fumar. ℥ß. M.

Materia perlata nodulo illigata potui ordinario, cui etiam *aq. fumaria* admiscenda, immergatur, cum regimine temperato.

§. Trichuli *Filiolus* (d. 19. *Martii*) medicamenta sua non sine fructu usurpavit. Sublata *narium obstructio*; Pustulæ tamen nondum plane cessant; interdum rhonchi in spiratu. Trichuli *filiolus.*

Rec.

XXXI. Rec. *Eff. lign. ~⊖ * ci anis. an.* ℈ij. M.

Dentur ter in die gutt. *viii.* ad *x.*

Fissura labiorum. *Fissuræ labellorum* inunctio:

Rec. *Ol. amygd. d.* ℥j. *ceruss.* ℥iss. ℈j. M. & conquassa.

Hypogæi uxor. §. Hypogæi *Uxor* hanc noctem satis tolerabiliter transegit; ob murmura tamen ventris, irritationem crebram ad urinandum & dolores non plane sopitos, jussi, ut ter in die calidus *Decocti* FORESTI haustus propinaretur, &; propter stomachi dolorem cochleatim sumeretur mixtura:

Rec. *Aq. menth. fœnic. an.* ℥iiß. *cinnam. cydon.* ℥j.
pulv. anticol. Cam. ʒß. ♁. *nat. ppt. ess. anod. an.* ℈j.
sir. chamom. ℥ß. M.

Noctu assumantur *pilulæ*:

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr. iij.* F. 6. *pil.*

In lecto quiete decumbat, &, qua possibile, parum moveatur. Vitet potum frigidum. (d. 1. *Apr.*)

Cusani uxor. Diarrhœa. §. Cusani *uxor* ab usu d. 27. *Martii* ordinatorum, d. 28. levem paroxysmum *febrilem*, absque deliquiis, sustinuit. Hinc pergendum esse suasi cum *pulveribus*. Altera vero die *diarrhœa* corripitur excretorum nunc flavorum, nunc viridium, nunc fuscorum intolerabiliter fetentium, quam nullatenus compescendam esse ratus, præter *emulsionem* amygdalinam, nihil ordinavi. At vero cum non tantum illa continuaret, verum & *menses* simul cum aliquali impetu venirent, viresque valde deterer entur, ne tamen intempestive menstruus fluxus sisteretur, scripsi *electuarium* pro 2. dosibus hac nocte & cras mane sumendum:

Rec. *Diascord. Frac.* ʒij. *extr. papav. c. gr.* vj.
cor. r. ppt. CC. ust. ppt. an. ʒß. M. *pro 2. dosibus.*

Cum *emulsione amygdalina* pergatur.

SOLI DEO GLORIA!





J. N. J.

ETEODROMI MEDICO-PRACTICI LENTILIANI.

MDCCIX.

APRILIS.

I.

I.

MErcurius primam quarti gradus lineam occupavit; fluidum *thermometri* gradum tertium una linea superaverat. Vesperi *barometrum* ad tertiam exacte lineam descendit, *thermometrum* vero impletum erat usque ad secundam tertii gradus lineam. Dies erat nebulosa.

§. Hypogæi *uxor* præter spem nocte præterita dolorum grande augmentum sustinuit. Quæsita, num alvus succederet? hoc a triduo non factum asserebat. Caussam igitur pertinacium torminum [præsertim, cum urina liberius nunc flueret, ac vomitus cessarent,) quærens, præter continuandum FORESTI quoque humectans ac diluens *decoctum* ordinavi *potiunculam* OSWALDI, &, nisi hæc officium faceret, *Clysma* domesticum; fore ratus, ut alvo soluta dolores sopirentur, & ante solutam alvum *narcotica* præbere hæsitabam, præter litum unguenti: — Hypogæi *uxor.* *Nephritis.*

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥vj.
ol. scorp. ℥ij. *carv.* ℈j. *M.* (d. 2. *Apr.*)

I. Herpyllii *filiolus*. *Variola*. §. Herpyllii *Filiolus* 6. annorum ante biduum hilaris per totam diem, ſubito languere cœpit cum æſtu ſummo, inquietudine, ſiti, oculorum dolore; non vomuit, *exanthemata* tamen hodie quædam comparere cœperunt, quæ *variolarum* latentium fidem facerent. Diſpoſitis diſponendis, nec inutiliter toties repetendis, ordinavi, ad modum quoque frequenter jam delineatum, *mixturam diaphoreticam* temperatam, cochleatim ſumendam. (d. 2. *Apr.*)

Actuarii *uxor*. *Phthiſis*. §. Actuarii *Uxor Jus medicatum* (d. 26 *Mart.*) ordinatum bibere cœpit, ſed ſtatim poſt hauſtum ſe dolore ſtomachi torqueri dicit. Juſſi, ut in juris hujusce cochleari ſumeret *ol. nuc. moſch. expr.* quantitatem piſi minoris, poſtea reliquum potaret. Ac, cum, ratione *tuſſis*, aliquanto mitius degere videretur, *pulveris* HALY uſum ſimul continuandum volui: *Pilulas* vero *de cynogloſſa* alternis tantum noctibus, ob *opium* ingrediens, vel quoties *tuſſis* nimium urgeret, deglutiendas, cum *opiatorum* enim continuato uſu caute hic mercandum.

Melodidaſcalus. *Cephalæa*. §. Melodidaſcalus a *pulveribus* d. 29. *Mart.* ordinatis non multum profecit in *cephalæa* medela. Cumprimis autem conqueſtus eſt de pectoris quadam oppreſſione a congeſta pituita, quam cum labore exſcreare tentans, per illos niſus & cohibitum ſpiritum dolores capitis ſemper auget. Suaſi, ut per *magneſiam albam* evacuationem lenem cieret, & *pulviſculis* uti inſtaret; in publicum etiam his diebus temperate calidis prodiret, aëreque libero frueretur. (d. 2. *Apr.*)

Cuſani *uxor*. §. Cuſani *uxor* ab *electuario* mitius habet; alvus ſucceſſive ſiſtitur, menſes ordine, nec violenter, fluunt, *febris* ceſſat. Pergat cum potu *emulſionis amygdalinæ*, & quamdiu menſium fluxus durat, ab aliis medicamentis ferietur.

Mazus. *Phthiſis*. §. Mazo (d. 30. *Mart.*) pro potu ordinario, præſertim alvo adſtrictiore, ordinavi *paſſulatum* HORSTII; cum *lacte caprillo* & reliquis pergere jubens. (d. 6. *Apr.*)

II.

II.

BArometrum vacuum erat propemodum usque ad lineam ultimam tertii gradus; Tinctura *thermometri* ad medium quarti gradus aſcendit; dies erat ſerena & calida.

Hypogæi *uxor*. *Cardialgia*. §. Hypogæi *uxorem* dolor lancinans dorſi & *hypogaſtrii* reliquit, ſed *cardialgia* adhuc torquet. Alvo licet aliquoties ſoluta, nihilo tamen minus noctem ſine ſomno dolorificam tranſegit. Accipiat interdum 2. cuſp. cultri per ſe de *pulvere ſtomachico*.

Rec.

Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ʒij. *trag. arom. offic.* ℥ß.
extr. papav. comp. gr. iiij. ol. NM. expr. gr. ij.
M.F. ℞.

Regio ſtomachi ungatur *linimento balſamico*:

Rec. *Ungu. pomat.* ℥ß. *balſ. peruv.* ℈j.
ol. maſtich. coct. ʒij. *nuc. moſch. expr.* ʒj.
menth. abſinth. an. ℞ *ll.* ℈j. M.

Imponatur *ſacculus* e *fl. chamom. abſinth. menth. bacc. junip.* & *ſem. arv.* Veſperi, cum illam viſitaram, recruduerunt omnes dolores & *olica* cumprimis *hyſterica* omnium vehementiſſime exercebat. Errorem in diæta commiſſum eſſe diffitebantur. Igitur rem ſic aggrediebar:

Rec. *Aq. meliſſ. puleg. an.* ℥ij.
hirund. c. caſtor. hyſter. offic. an. ℥ß.
elix. uter. Cr. ʒj. *eſſ. anod.* ℈j. *ſir. chamom.* ℥ß. M.

Sumat cochleatim & in hac aqua ſingulis 6. horis, vel pro doloris igentia, gtt. xxx. *mixturæ* ſequentis:

Rec. *Tinct. caſtor.* ʒj. *eſſ. anod.* ℈j. M.

Noctu dedi *pilulas* Wildeganſianas n. *iiij.* Umbilico applicetur nplaſtrum:

Rec. *Gumm galb. depur.* ℥ß.
aſ fetid. caſtor. opt. an. ʒß.
ol. caſtor. q. ſ. F. empl.

Hoc *emplaſtro* frequenter utor ad *colicam hyſtericam* nunquam ſine ccceſſu ſperato.

§. Herpyllii *Filiolus* *morbillos* excluſit; ſymptomata remiſerunt. uſſi pergere cum *mixtura* heri ordinata. *Herpyllii filiolus. Morbilli.*

§. Eoſdem partus edit Ruſſeti *Filiolus* 5. annorum, quibus proovendis ordinata *mixtura* cochleatim haurienda: *Ruſſeti filiolus. Morbilli.*

Rec. *Aq. fumar. borrag. an.* ℥iiß.
♁ *. diaph. CC. philoſ. an.* ℈j.
conf. alk. c. ʒß. *ſir. acetoſ. citr.* ℥iij. M. (d. 4. *Apr.*)

§. Tribula 40. annorum *colica nephritico-hyſterica* ſæpe quidem, l nunc omnium vehementiſſime torquetur, cum irritatione ad matulam vomitibus; Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. ſir. menth. an.* ℥iß.
elix. menth. ʒj. *eſſ. anod.* ℈j. M. *Tribula. Colica nephritico hyſterica.*

II. Media pars statim calide hauriatur, altera, quum dolor urgere videtur. *Species emollientes* cum lacte coctæ abdomini calidissime frequenter applicentur.

Melodidascalus. §. Melodidascalus, cum heri *cephalææ* majus, quam multis ante diebus, levamen sentiret, non tantum *pulvisculis* ex ☉ *horizontali*, sed *magnesia* quoque, ne scil. sopito paroxysmo, turbas in corpore novas excitaret, uti cessavit. Connivendum erat, quamvis medicamentum continuare, sicque incipientem convalescentiam firmare, præstitisset.

Ceratius. *Phthisis consummata.* §. Vocatus sum ad Ceratium, 45. annorum, jam ab aliquot annis ægre spirantem ac tussientem, nunc autem per tres circiter menses plane decumbentem, totum emaciatum & summe *asthmaticum*, malo sine dubio per *musicam diætam* contracto. *Medicus* ordinarius, ipso consentiente, alius quoque *Medici* sententiam auditurus, me elegit. A levissimo corporis motu *suffocationem* timet subsistente pectorali antlia. In lectum ubi concedit, aliquandiu ægerrime spiritum ducit, hinc, ubi paulum quievit, etiam valde resupinatus dormire potest, non, ut *asthmatici* alii solent, erecta cervice, elatoque pectore. *Tussis* non est adeo vehemens; pituita excernitur non admodum difficulter, neque purulenta, neque sanguine striata, nec fetens. Appetitus plane dejectus est. Plures *Medicos* consuluit, adhibitis *pulveribus* & *decoctis pectoralibus*, *juribus medicatis*, cura *lactis*, *gelatinis*, *electuariis*, *rotulis*, nullis non ad *phthisin* domandam alias efficacissimis, sed omnibus sine fructu vel apparenter tali. Sedens quoque, igitur perpetuo, altum spirat, gradu tantum secundum corporis motum, nunc majore, nunc minore. *Axungiam caninam* diu comedit. Thoracem habet elatum & angustum, reliquias, ni fallor, passæ in pueritia *rhachitidis*. Pulsus est debilis & suppressus, non tamen inæqualis; Urina tenuis & aquosa; æstu & sitis nulli. Corpus magis frigidum, quam calidum. Pensitatis probe omnibus, cum 1. non admodum tussiat, 2. nec pus, nec sanguinem spuat, 3. non febricitet, 4. supinus decumbere possit 5. *dyspnœa* vel *asthma* perpetuo exerceant &c. 6. ab omnibus tam decantatis *pectoralibus* & *antiphthisicis* nil omnino profecerit &c. Conclusi denique, *pulmonem utrinq. costis*, *forsan & ipsum diaphragmati*, *adhærere*, hinc neque expandi rite in inspiratione, nec in exspiratione contrahi vel concidere posse, *respirationem* hinc pro modo adhæsionis necessario difficilem sequi debere, totam œconomiam animalem turbari, omniumque viscerum *functiones* depravari. Modum fiendi ita concipio: 1. Ceratius puer fuit *rhachiticus*, unde *dorsalis* spina cum *sterno* elatiora, lateribus utrinque

qu

que intropulsis, & thoracis cavitate utrinque angustiore facta. 2. *Pulmones* in quavis inspiratione, spatio sibi libero non dato, ad utramque *pleuram* allisisse. 3. Perpetua hac allisione cuticulam loborum, eo loci, ubi allidunt, excoriatam fuisse: 4 Paullatim hinc ita saucium pulmonem pleuræ adhæsisse. 5. excoriationem promotam partim ob respirationem in cantu musico auctiorem, partim ob generosorum potuum crebram ingurgitationem, sanguine, vel ejus potius sero, hinc acriore reddito. Prognosticum admodum lætum dare non potui. Pulmones, qui semel adhæserunt, quis ab adhæsione separabit? Cultro locus non est, *cathæreticis* imperare non possum, ut nullibi, quam in loco affecto, vim suam exerceant. Tolerandum igitur malum & *pectoralibus* temperatis, *abstergentibus*, quoad possibile, ulterior accretio impedienda, ita sub strictiore diæta & motus corporis evitatione vitam aliquandiu fortasse, tametsi miseram, trahi posse. II.

§. Ad Lümleri *uxorem* peregre profectus, talem inveni: Est mulier obesa 36. circ. annorum 6. liberorum, utplurimum periculosa, puerpera. Ultimum partum ante 5. dies edidit, magno quidem conatu, sed feliciter tamen. *Lochia* successerunt, hilaris primis diebus erat, & fortasse justo hilarior, in convivio *baptismali* plus vini, quam pro modulo, nacta. Dolores post partum satis atroces remediolis suppressi. Heri summus incessit rigor, postea intolerabilis æstus, tormina ventris ad pectinem usque atrocissima, animi deliquia, vomitus crebri, tussis vehemens, qua excitata dolores abdominis magis ferociebant. Ordinatum sequens:

Lümleri *uxor.* *Dolores post partum.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. capill.* ♀. *an.* ℥iß.
ess. anod. ℈j. M.

Dimidia pars hauriatur statim, altera pro exigentia doloris, vel sub noctem, vel cras mane. Deliquiis opponatur *mixtura* cochleatim propinanda, viribus, tussi, stomacho, torminibus, dicata:

Rec. *Aq. confortat. offic.* ℥iij.
scabios. chamom. cinnam. cydon. an. ℥j.
bezoard. ♃*al. cryst all. ppt. an.* ʒß.
ess. anod. ℈j. *sir. jujub.* ℥ß. M.

Ter in die bibat haustum *decocti pectoralis* calidum. Abdomen ungatur *ungu. de hyoscyamo.*

Citius, quam speraveram, convaluit.

NB. Dolores post partum, si possibile, tolerandi. *Febribus* enim *continuis* ansam porrigunt, præter necessitatem sopiti. Tamen, quoties

 urgent,

II. urgent, leniendi: Leniuntur tutissime *epithematibus* vel *sacculis* e *herbis aromaticis in vino coctis*.

III.] III.

MErcurius mane per dimidiam lineam infra gradum tertium descenderat, liquor *thermometri* occuparat medium tertii gradus. Dies nunc serena, nunc nebulosa; vesperi pluvia larga.

Badizodromi *filiolus*. §. Badizodromi [d. 14. *Mart.*] *Filiolus* mitius aliquanto degit. Abdomen non æque tensum, sed tussicula adhuc perpetua, cum stertore:

Rec. *Specif. antatroph.* ʒij. *spec. diair. simpl.* ʒj. *M.*

Dentur bis in die cusp. 2. cultri ex *mixtura* nuper ordinata, cum qua & *spiritu* guttatim sumendo, quin & *unguento*, pergatur. Hæc medicamenta tamen præcedat *laxativum* tale:

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *sir. de cich. c. rh.* ℥ß. M.

Hic puellus vix evasurus videtur, cum nimium sit extenuatus, & insuper cibi calidi propemodum nihil admittat, ac indesinenter tussiat. (d. 12. *Apr.*)

Tribula, *Colica nephritica*. §. Apud Tribulam dolor fere omnis remisit cum tenesmo vesicali: Cum diu non sit purgata, sequens *infusum* more nostro, jam frequenter descripto, parandum, & mane ad ⁝ mens. calide bibendum, cum regimine ordinavi:

Rec. *Rad. 5. aperient.* (quia diuret. &c.) an. ʒij.
rhabarb. ver. ʒiij. *polypod. quern.* ʒv.
mechoac. a. ʒiiß.
fol. absinth. fl. cent. min. an. mj. *acac.* mß.
fol. senn. s. s. ʒx. *agar. troch.* ʒiij. *passul. min.* ℥j.
⊖. *Tart. cass. lign. an.* ʒij. *mac.* ʒj.
conc. cont. D. (d. 23. *Apr.*)

Cusani *uxor*. §. Cusani *uxori* [d. 1. *Apr.*] post exantlatum mensium fluxum ordinavi *jus medicatum bell. de c. fl. plantag. maj. sanicula, auricula mu. is, fragar. & rad. symphyt. maj. addita maci* ad. 3. septim. (d. 19. *Apr.*)

Hypogæi *uxor*, *Colica*. §. Hypogæi *uxor* ab hesternis, cumprimis Wildeganſianis *pilulis*, omnem dolorem sopitum sensit, jussi tamen, ut usum medicamentorum ultimorum nullatenus intermitteret.

Nezelii *filia*. *Ulcus tibiæ*. §. Nezelii *Filia* 12. annorum ante mensem *erysipelate* faciei laboravit; quo forte non recte, neque cum decente cura, exantlato, in parte domestica tibiæ sinistræ inter suram & tarsum accepit *pustulas*, scalpture

ra unguium apertæ plorarunt ſerum cryſtallinum quaſi ex innumeris ſiphunculis ſcaturiens. Dilatabat ſe malum, ulteriusque ſerpebat cum *inflammatione* & ſummo dolore. Cura externa Chirurgo relicta, defecationi ſanguinis intentus, ordinavi *pulverem* catharcticum. III.

Rec. *Gial.n.reſin. Crem. Tart. an. gr. xv.*
dacryd.gr.ij. ol. mac. gtt. j.
M. pro 1. doſi.

Poſt *purgationem* mane & noctu gtt. xxx. *mixturæ* ſequentis, ex quolibet vehiculo:

Rec. *Eſſ. lignor.* ℥iij. *fumar.* ℥iß. *M.*

Vitet acida, acria, ſalſa, muriatica, cruda, fumo indurata.

IV.

IV.

MAne Mercurius primam lineam quarti gradus iterum attigerat; *Thermometrum* fuit, quale heri. Dies erat ante meridiem ſerena, pomeridie pluvioſa.

§. Herciliæ nutrici 28. annorum, gibboſæ, perpetua fere cephalæa laboranti purgans vernale ordinavi: Hercilia. *Cephalæa.*

Rec. *Pulv.gial.n.reſin. Crem. Tart. an.* ℈j.
M. pro 1. doſi.

Poſtea jus medicatum *bellide*, *chærefolio*, *hedera* ▽*ſtri*, *veron. ſpinachia* & *rad. cichor. ſilv.* per menſem.

Ejusmodi curas complures, toties quoties hic non repetendas, mutatis mutandis usque ad ſolſtitium æſtivum ordinare conſuevi. *Jura* vero *medicata* ſemel pro ſemper ita parare doceo: Colliguntur herbarum recentium æquales portiones, v. gr. uniuscujuslibet manipulus unus; conciduntur & in patina vel olla terrea vitreata ſervantur in cella ſubterranea. Mane manipulus unus coquitur in $\frac{3}{4}$ menſuræ *Wurtenb.* juris carnium inſulſi, per horæ quadrantem, jus poſtea colatur exprimendo, dimidiumque mane, medietas altera pomeridie calide bibuntur, continuando per menſem. Liberum cuique relinquo, ſi recens quoque juſculum pomeridie coquere malit, & ſic dimidia tantum pars & herbarum & juſculi recipitur. Permitto quoque, ut tantillum macis, quin & ſalis, immo butyri addatur: inſulſum vero mihi peto primum juſculum, quum juſcula ſale condita, ubi coquuntur, magis adhuc ſalſa evadant. Si herbæ, ſale volatili turgidæ, quales ſunt *antiſcorbuticæ*, v. gr. *cochleariæ*, *naſturtii*, ordinentur, aliqui harum ſuccum expreſſum juri jam cocto non imprudenter addunt, ne coctione ſimultanea cum reliquis herbis illud volatile ſal aufugiat.

Hæc

IV. Hæc *jura medicata* locum sibi vendicant inter *alimenta medicamentosa*, vel *medicamenta* potius *alimentosa*, egregie alterant, neque Naturæ vim ullam inferunt, pluribusque indicationibus satisfaciunt, postremo & ægrotis, cum raro ex officinis petantur, ceu domestica, gratiora sunt.

Russeti *filiolus. Morbilli.* §. In Russeti *Filiolo* (d.2. *Apr.*) *morbillorum* haut sterilis progenies, quod autem ob pertinaciam in lecto detineri nequeat, ut expulsivis insisterem, opus esse judicavi: Cui fini destinati *pulveres*:

Rec. *Unicorn. ver. bezoard. miner.*
cryſtall. ppt. an. gr. xv. F. 3. ℞es.

Sumatur una dosis hodie mane, altera pomeridie, tertia cras mane, singulæ cum vehiculo sequenti, alias quoque dando:

Rec. *Aq. fumar. card. bened.*
rub. id. an. ℥iß.
ſir. acetoſit. citr. ℥ß. M.

Cusanus. *Metus febris.* §. Cusano 44. annorum jam diu febriles prodromi sparserunt minas, horripilationes, *phlogoses*, languores, inappetentia, pallor, &c. Potionem sudorificam dedi mane bibendam:

Rec. *Aq. card. bened.* ℥ij. *mixt simpl.* ʒj.
ſir. fumar. ʒij. M. *pro 1. doſi.*

Postea *laxativum* lene, *potiunculam* nempe mihi consuetam, nec semper hic repetendam, ex *aq. lax. Vienn. aq. cinnam & ſir. de cich. c. rh.*

Toparii *uxor. Febrilis insultus.* §. Toparii *uxor* (d.25. *Mart.*) nuper *gelatina* Brunneri uti non potuit, quia in loco, licet non calfacto, asservata, statim mucorem contraxit, nescio, an parantium, an alio quoquam vitio? Dixi igitur, ut ipsamet sibi pararet *mucilaginem ſem. cydon. cum aq. acac. & ſir. violarum*; quod factura corripitur horrore *febrili* cum insequente magno æstu, & postea ventris torminibus, quo paroxysmo exantlato, altero die melius habuit, sed tertio cum impetu recruduerunt accessus febriles. Noctu accersitus præscripsi *pulverem* pro 1. dosi.

Rec. *Bez. ♃al. unicorn. ver.*
cryſtall. ppt. an. gr. viij. ther. cœleſt. gr. j.
M. F. ℞. *pro 1. doſi*, repetendus quoque, si doloris ratio postulet.

Cochleatim accipiatur *mixtura* sequens:

Rec. *Aq. borrag. ceraſ. n. meliſſ. an.* ℥iß.
mixt. ſimpl. ℈j.
conf. alk. inc. ʒj. *ſir. fl. paralyſ.* ʒij. *M.* (d.5. *Apr.*)

§. Vina.

§. Vinarienſi præter *jus medicatum* d. 27. *Mart.* ordinatum, cujus ingredientia nunc demum congeſta fuerunt, commendavi quoque *vinum medicatum* recentibus herbis *plantaginis latifoliæ*, *chamædr. veron. agrimon. hepat. nobil. & ſtellat. rad. caryophyllat. & helenii.* Modum infundendi & utendi non ſemel inculcavimus. IV. Vinarienſis. *Phthiſis.*

Pergat cum *pulvere* ex *pulm. vulp. rad. alth.* & *ſaccharo.* Radices *farfaræ recentes* (quippe jam primo vere efficaciſſimas) coquat & aſſumat cum juſculis carnium, inſtar radicum *petroſelini.*

Non deſiſtat frui *gelatina* conſueta ex partibus animalium addita quoque *mucilagine raſ. CC.* & *ebor.*

Conſerva roſarum genuenſium ad nucis muſcatæ quantitatem pro lubitu ſumatur. Illa *conſerva*, ringentibus licet noſtris *Pharmacopœis*, revera colore, odore, ſapore, *conſervam roſarum vulgarem* longe poſt ſe relinquit, ſuave medicamentum, ſenibus *maraſmo* laborantibus a me ſæpe multo cum fructu exhibitum. Compoſitionem ejus aliquæ mulierum noſtrarum imitari ſuſtinuerunt; ſed, hoc ſolo cum fructu, ut elegantiorem vulgari pararent, finem abſolute non attingentes. (d. 12. *Apr.*)

V. V.

MAne Mercurius ultimam lineam quarti gradus attigerat, liquor *thermometri* lineam unam ſupra tertium gradum. Mane frigus erat, dies tota pluvioſa & frigida. Veſperi Mercurius ad quartum exacte gradum adſcendit, *thermometro* in eodem manente.

§. *Uxori* Dioptrici (d. 29. *Feb.*) *Jus medicatum* vernale ex *fol. plantag. latif. numular. fragar. violar. bellid. c. fl. & rad. cichorii ſilv.* ad 3. ſeptimanas, prævia venæſectione. Dioptrici *uxor.*

NB. Si radix *cichorii* additur, imperare ſoleo, ut ſcapus eximatur, alias *decoctum* amaritie valde ingratum evadit.

Id quoque in his *juribus* attendendum, ne ingredientia numero excedant. Subſiſtendum igitur intra ternum & ſenarium, nec ſine cauſſa limites hi transgrediendi. (d. 13. *Apr.*)

Ancillæ chloroticæ d. 18. *Mart.* ordinaveram *pulverem chalybeatum* cum *elixiri*, quæ duo medicamenta ſymptomata mirum in modum propulerunt; interrogavit igitur, an illis non diutius uti liceat? Omnino, reſpondi, fructum enim tunc fore & majorem & valetudinem magis conſtantem, & convenientiſſimum eſſe, ſi ad hujus farinæ medicationes menſis unus impendatur. Ancillæ *Chloroſis.*

§. *Uxor* Toparii noctem inquietiſſime & magno cum æſtu transegit. Toparii *uxor.*

V. egit. Dolor lacerans artus fere omnes occupaverat valde molestus. Fauces quoque dolebant. Decumbenti in alterutrum latus, quod non sine summa molestia fiebat, pondus quasi simul in ventre labi videbatur. *Mixturam diaphoreticam* cochleatim sumendam ordinavi:

Rec. *Aq. fl. samb. card. bened. fumar. an.* ℥ij.
♁ *diaph.* (*C.C. philos. an.* ℈ij. ⊖ *nat. ppt.* ℈j.
mixt. simpl. ʒß. *eff. anod.* ℈j.
sir. fumar. ℥ß. *M.*

Collum circumdetur *emplastro de meliloto*, Gargarisetur lacte calido saccharato, cui *salvia* incocta. Fricentur artus ▽. *camphorato*, cum *essentia anodyna* tantillo remixto. (d. 6. *Apr.*)

Namaplusii *cursor.* *Febris tertiana int.* §. Namaplusii *Cursori* jam diu *febre quotidiana intermittente* laboranti, postquam alibi jam sufficienter *purgatus* esset, ordinavi *electuarium febrifugum* efficaciæ nunquam fere frustrantis, de quo quantitatem juglandis minoris singulis 5. horis capiat:

Rec. *Cort. peruv. fraxin. an.* ℥ß.
rad. gentian. ℥ß.
caryoph. arom. ⊖. *absinth. an.* ʒj.

In pulverem subtilissimum redacta excipiuntor *an. rob. samb.* & *sir. rub. id.* ut fiat *electuarium.*

Baccalaurea. *Chlorosis.* §. Baccalaureæ d. 25. *Mart.* præscripseram *vinum medicatum chalybeatum*, quo summo cum fructu & emansione plerorumq; symptomatum chloroticorum usa fuit, mensibus quoq; jam rite fluentibus. Cum tamen scalas ascensura adhuc sit quadamtenus *asthmatica*, rogavit anne liceret *infusum* adhuc semel bibere, & quidem virtute purgantium quadamtenus auctum? Examinatis ingredientibus & ægræ habitu, contraindicante nullo reperto, concessi, additione tali facta:

Rec. *Rad. polypod. quern.* ʒvj. *mechoac. a.* ℥ß.
fol. sen. n. ℥iß. *passul. min.* ℥j. *M. conc. cont.*

Baricelus. *Cardialgia.* *Vomitus.* §. Baricelo 40. annorum *cardialgia* cum *vomitu* aquæ ex gula matutino laboranti, ac præter *purgans* & quidem *catotericum*, nil petenti, tale scripsi:

Rec. *Pulv. gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈j.
dacryd. gr. v. *M. p.* 01. *dosi.* (d. 8. *Apr.*)

Ejus *infanti* tussiculoso, torminibus & flatibus sonoris vexato cochleatim sequens:

Rec.

V.

Rec. *Aq. anis. scabios. fl. til. an.* ℥ iss.
pulv. cephal. Cam. ʒ ss. *ess. anod.* ℈ ss.
sir. papav. err. ℥ ss. *M.*

Pectusculo *unguentum pectorale.*

§. Epimeletis *uxor* (25. *Mart.*) non parum profecit hactenus per sua medicamenta. Vires enim majores, sic ut per totam diem extra lectum manere possit. Sitis non adeo intensa, melior appetitus, sed *sudor frigidus* permolestus parum vel nihil cedens. Jussi pergere cum omnibus medicamentis, & cum *sudor frigidus* plerumque spinam ac lumbos magis obsideret, oblinendis quasi poris, annuente quoque Gnomilego, commendatum *unguentum* bis in die usurpandum: Epimeletis *uxor.* *Sudor frigidus nimius.*

Rec. *Ung. resumt. infrig. Gal. an.* ℥ ss.
ol. rosar. nymph. an. ʒ ij. *M.* (d 8. *Apr.*)

§. Conistici *Filiola* 3. annorum, indiciis omnibus præsentibus, excludet *variolas.* *Materia perlata* immergatur potui in nodulo, cui *aq. fumar.* admiscenda. Cochleatim præbeatur *mixtura*: Conistici *filiola.* *Variola.*

Rec. *Aq. fumar. card bened. ceras. n. an.* ℥ iss.
♁ *diaph. CC. philos. an.* ℈ j.
sir. fumar. ℥ ss. *M.*

Regimen, quale semper institui.

§. Conradina (30. *Mart.*) parum adhuc se levatam sentit a *torminibus ventris scorbutico-hystericis.* Morosa est. Alvus fere semper constipata, interdum profluens. Ordinavi *pulverem chalybeatum* mane & pomerid. ad cusp. 3. cultr. cum insequente corporis motu per se sumendum: Conradina *Colica scorbutico-hysterica.*

Rec. *Alcohol. chalyb.* ℥ ß. *diaphor.* ♂ *al.* ʒ ij.
⊕ *nat. ppt.* ♁ . *rectif. an.* ʒ ß.
myrrh. r. ℈ j. *rad. mechoac. a.* ʒ j.
elæosacch. caryoph. ℥ ß. *M.*

Noctu gtt. xxxx. *mixturæ* seq. ex cochl. vini:

Rec. ~. *nervin. elix. uter. Cr. an.* ʒ iß. *M.*

VI.

VI.

MErcurius iterum ad medium quarti gradus descenderat; *Thermometrum* hesterno simile. Dies partim clara, partim nubila, tamen calida.

VI. Heliniæ *filiola.* *Febris tert. int.*

§. Heliniæ viduæ *filiola* 3. annorum laborat *febri tertiana* intermittente:

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *syr. ros. solut.* ℥vj.
M. pro 1. dosi.

Postea ter in die 2. cusp. cultr. de *pulvisculo antifebrili*, ex quolibet vehiculo:

Rec. *Conch. ppt. oc.* ♋. *ppt. an.* ʒj.
fl. ⊖✱*ci*, *arcan. dupl. an.* ʒß.
ol. caryoph. gtt. ij. *M. F. pulvis.*

Filiola vinum appetit; quærit mater, an dare liceat? Resp. Bonum esset, si ante decimum ætatis annum nemo vinum gustaret. Aliquid autem consuetudini vel mori dandum, nisi velis immisericors haberi. Dandum ita, ne multum noceamus. Igitur apyrexias die vini modicum *Acheloo* temperati concessi.

Pusillis *cortice peruviano*, quamdiu locus est aliis, parcendum. Nauseosus enim sapor, quantumlibet suavia remixta sint, semper præeminere solet.

Toparii *uxor.* *Tumor tonsillarum.*

§. Remisit *dolor rheumaticus* in corporis habitu ap. uxorem Toparii, meliusque de latere in latus volvitur; interim viribus adeo languet, ut in lecto vix erecta sedere possit, & dolor faucium in tumorem *tonsillarum* abiit, jam intensior, quam fuerat, sanguine etiam cum sputo exscreato. *Gargarismum* parare & per syringam injicere aliquoties in die jussi, semper post hanc injectionem assumendo *mixturæ* sequentis uno cochleari:

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. prunell. extr.* ℥j.
∾. *cochl.* ⊖✱. *anis. an.* ℈j.
syr. violar. rob. moror. an. ℥ß. *M.*

Cataplasma ex nido hirundinum contuso & in *oleo lini* frixo, ab aliis commendatum, facile admisi. Virium habita ratione ordinavi *mixturam* cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. borrag. bugloss. an.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥j.
bals. embr. ℥ß. *conf. alk. inc.* ʒij.
syr. fl. tun. ʒij. *spec. cord. temp.* ʒß. *M.*

Alternis vicibus cum *mixtura* heri ordinata sumatur. Umbilico *emplastrum* ex *pane mellito*, cum *nuce mosch. cinnam. caryoph. vino rubro* & V. coctum.

§. Jora-

§. Jorami *Filiolus* (25. *Mart.*) post ablactationem hactenus satis vegetus, nunc deprehenditur in emittenda urina vociferari, *arena* in involucris reperiuntur. Detur bis in die cum pulticula pauxillum *oculorum cancri* in pulverem comminutorum: cochleatim vero sequens: VI. Jorami filiolus. *Dysuria.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. de alth. Fern. an.* ℥ß.
~. tereb. ℈ß. *M.*

Pubes & perinæum ungantur calide & sæpe:

Rec. *Ungu. alth.* ℥vj. *ol. scorp.* ℥ij. *M.*

§. Mazus *lac caprillum* perferre non potest, [d. 15. *Apr.*] quod in pluribus vidi. Calor præternaturalis intenditur cum siti magna. Desinere jussi, surrogato *jure floribus bellidis cum toto, veron. fragar. heder.* ~ *str. violar. spinach.* & *rad. farf. medicato*, qua ultima radice quoque partim in *pulvere*, partim in jure, instar *rad. petrosel.* decocto, utatur, cum *electuario* pergendo. (d. 20. *Apr.*) Mazus. *Phthysis.*

§. Erythroclathri *filiola* 8. annorum *variolas* exclusura videtur, præsentibus jam toties enarratis signis & symptomatibus. Erythroclathri *filiola. Variola.*

Rec. *Mater. perlat. ebor. philos. an.* ʒß.
F. 3. ~es.

Detur pomeridie & noctu unus, tertius cras mane, cum vehiculo:

Rec. *Aq. fumar. card. bened. rub. id. an.* ℥iß.
sir. fumar. ℥ß. *M.*

Potui ordinario, aquæ scil. cum crusta panis conditæ, misceatur *Aq. fumariæ.* (d. 7. *Apr.*)

§. Plycamus a medicamentis d. 27. *Mart.* ordinatis melius successive habuit, dolore in inguine dextro adhuc præsente, sed tolerabili, cui medelam affert *Chirurgus* Oeconomus. Cum tamen adhuc de *sudore nimio* queratur, languidus sit, non satis appetat, & levia *febris intermittentis* lipsana adhuc restent, suasi *jus medicatum herb. plantag. latif. alchim. fragar. hepat. stellat. bellid. min. cum flor. spinach.* & *rad. cichor. silv.* In quolibet autem pastu cum primo vini haustu sumat gtt. xxx. ~⊖. *dulc. c. sir. cydoniorum* æqualiter mixti. Plycamus. *Sudor nimius.*

§. Crotalogreji *Filia* 22. annorum, parvæ staturæ, macilenta, novercaliter habita, *mensibus parce fluens*, pallet, languet, *cardialgia* & *palpitatione* laborat, difficulter spirat, idque a longo jam tempore; Bibit *vina chalybeata* domesticisque multis est usa, non quidem nullo, sed neque durabili cum fructu. Crotalogreii *filia.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈ij. *Tart. emet. gr.* j. *M. pro 1. dosi.*

Postea mane, pomer. & noctu cusp. 3. cultr. de *pulvere* sequenti ex jure *armoracia* & *croco* medicato, insequente motu:

Rec. *Limat. ♂. subtil. trit.* ℥j.
fl. ♂ Hassiac. pulv. lign. sassafr. an. ʒij.
myrrh. r. croc. opt. an. ℈j. *Cass. lign.* ʒj. *M.*

Nisi autem requisita diætæ observentur, quod in hac puella vix fieri potest, non admodum fausta promitti potest medela.

Scherifii *uxor.* *Febris. tert. int.* *Dolor oculi periodicus.*

§. Ad *Uxorem* Scherifii [30. *Mart.*] sum ipse profectus; Ante biduum filius aderat & *febrim* quidem remittere nunciabat, sed matrem torqueri quodam dolore supra oculum dextrum in ipso supercilio: dolorem venire mane hora 6. & per 3. horas durare, certamq; servare periodum. Ne igitur *clavus hystericus* pertinax irroboraret, affectus penitius explorandi animo eam ipse visitavi. Sed mulier narravit, illum dolorem se jam a multis annis, singulo fere semestri, pati ad 3. septimanas, nec adeo esse atrocem, quin sit tolerabilis Ingruere post *æquinoctia*, statam horam exacte observare, & primum esse mitem, postea indies augeri, denique in augmento per 12. circ. dies perseverare, hinc indies minui & post 3. septimanas, neque pure, neque sanguine, nec sero, sed solo mediæ consistentiæ muco, e nare illius lateris magna copia profluente, penitus aboleri. Noti sunt *clavi hysterici*, sed hunc præ aliis peculiare quid habere, circumstantiæ docent, & affectum hunc esse memorabilem credo. *Febrim* quod attinet, ea penitus emansit vix ullo paroxysmi vestigio relicto. Languebat adhuc viribus, & appetitus melior quidem, non tamen integer, & adhuc sitis, orisque siccitas. Ordinavi *jus plantagine*, *fragaria*, *hepatica stellata*, *bellide min. c. fl. agrimonia*, *acetosa*, *spinachia & rad. cichor. silv. medicatum* ad mensem; In quolibet autem pastu gutt. xxv. ~⊖. d. cum æquali portione *sir. rub. id.* mixti, ex primo vini, vel cervisiæ, qua magis delectatur, haustu. Nari dextræ *pulverem errhinum* ex *elæosacch. errhino* cum *elaterio* & ⊕*lo albo* exaltato.

§. De Gensa (28. *Mart.*) litteræ ad me datæ sequentia referebant:

Gensa. *Hemitritaus.*

Virium debilitas non cessat; *febris* quotidie adest cum frigore ac æstu, appetitus semper minuitur; *pilulas* aversari incipit; Jam per 5. dies *diarrhæam* patitur, quod *pilulis* cum nausea sumtis acceptum fert, quas ubi assumit, statim ad vomitum incitatur, & vix se movere vel loqui audet, metu secuturæ vomitionis. Sitis non admodum intensa. Noctu dormit, attamen a somno non refocillatur; pulsus mane est inæqualis.

lis. Heri & hodie raucet, & *asthma* sonorum sentit. Scripsisti vires e culina & cella reparandas esse: Vellem. Sed vinum bibere prohibitum; Jura carnium aversatur cum carnibus ipsis, & alia vires non reficiunt. Si modo *febris* aliquando domari posset, &c. Respondi, duo contineri in litteris, quæ mihi valde displiceant. Primo, quod medicamenta horrere incipiat; Sec. quod diarrhœam his morbis minus congruam patiatur, quæ, nisi brevi cessaverit, fausti nihil portendere queat. *Febrim* adeo pertinacem esse, ut, nisi per *chinam china*, domari non possit, hujus vero nauseosum saporem ita comparatum, ut, quoquo modo suavia misceantur, ille tamen prædominium sibi vendicet. *Chinam china* in substantia propinare, ob aversationem medicamentorum, me nullatenus audere, a qua tamen præsentior medela sperari possit. Vino me non omni interdixisse, sitim tamen extra pastum eo sedare incongruum esse. Probare me *essentiam febrifugam* mane, pomeridie & noctu ad gtt. xxxx. ex quolibet vehiculo sumendam: VII.

Rec. *Ess. chin. chin.* ℥ij.
absinth. trifol. fibr. an. ℥j.
ol. caryoph. ℈ß. *M.*

In quolibet autem pastu haustum vini sequentibus herbis medicati:

Rec. *Flor. cent. min. com. absinth.*
herb. trifol. fibr. an. m. j.
rad. caryophyllat. ℥j. *gentian.* ℥ß. *acor.* ℨiij.
bacc. junip. ℥j. *cinnam.* ℨij.
Conc. cont. D.

Olei nucis moschatæ expressi quantitas pisi minoris in jusculis liquefacta bis in die sumatur. *Emplastrum stomachicum* e pane mellito, &c. Pro habitu capiat interdum *j. ij. iij.* cochlearia *vini cydoniorum* cum *syr. cydon.* temperati. Pulsibus *emplastrum* meum *febrifugum.*

Gnomilegus suasit, ut *china china* in substantia daretur, utrum sint consensuri, tempus dabit. Medicamentum illud *antipyreton* egregium est, sed saporis utinam aliquanto suavioris! Non potest plane obliterari, præcipue si detur in substantia, quod etiam de Rheo valet.

VII. VII.

Mercurius ad primam quarti gradus lineam descendit; Liquor *thermometri* tertium gradum exacte attigit. Dies erat mediocriter serena.

§. Campyloxyli *uxor* horruit vehementer, insequente summo æstu & dolore capitis. Languor, sitis & omnia *febrim* denunciant, cujus *xor.* Campyloxyli uxor.

VII. jus typus adhuc expectandus. Interim ordinati 2. pulveres, quorum unus antemeridie, alter pomeridie sumendus ex vehiculo adjecto:

Rec. *Mater. perlat. matr. perl. ppt.*
☽. ppt. an. ℈j. M.F. 2. ℥es.
Rec. *Aq. scord. rub. id. an.* ℥iij. *mixt. simpl.* ℈ij.
sir. granat. ℥ß. M.

Emulsio externa fronti. Vesperi calor deferbuerat, adhuc tamen præsente capitis, & cumprimis cervicis, dolore cum colli rubore intenso, quasi erysipelatoso. Sumat noctu *pilulas*:

Rec. *Extr. bez. papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. F. 8. *pil.*

Cum mixtura pergat. Roganti, an *placentam rosarum* cum *aceto lavendulæ* imprægnatam capiti imponere liceret? ne remedium domesticum rejicere viderer, concessi; quin & *acidulas* bibere cupienti consensi. (d.8. *Apr.*)

Erythroclathri *filiola.* *Variola.* §. Erythroclathri *Filiola* plura *variolarum* indicia, quam heri præbet, calor intenditur, genæ rubent, alvus est adstricta, corpus inquietum, deliria levia. Repetantur pulveres hesterni. *Emulsio* cochleatim detur:

Rec. *Sem. melon.* ℥ij. *nap aquileg. an.* ℨß.
aq. fumar. borrag. an. ℥iiß. F. *emuls. add.*
sir. fl. tun. ℥ß. M.

Potui *aqua fumariæ* misceatur. Pomeridie *pustulæ* parvæ comparuerunt circa nasum & mentum, cum aliquali remissione symptomatum. In medicatione nihil mutatum. (d.9. *Apr.*)

Toparii *uxor.* *Cardialgia.* *Vomitus matutini.* §. *Uxor* Toparii neque calorem præternaturalem, nec colli vel faucium molestiam, nec in artubus vel *epigastrio* dolorem amplius sentit. Vires pedetentim redeunt. Querela est de *cardialgia* & vomitibus matutinis.

Rec. *Extr. bezoard. cal. arom.*
castor. papav. errat. an. gr. ij.
F. 8. *pilulæ noctu sumendæ.*

Cum reliquis nuper ordinatis pergatur. (d.9. *Apr.*)

VIII.

VIII.

Barometrum & *thermometrum*, qualia heri. Dies serena & calida.

Campyloxyli *uxor.* *Dysuria.* §. Campyloxyli *uxor* hac nocte bene quievit, æstus cum dolore capitis remiserant, *apyrexia* totalis erat. Interim querebatur de dolore circa

circa lumbos lacerante, cum aliquali urinandi difficultate, unde *nephritidem* conjectans ordinavi familiarem haustum ex *ol. amygd. d. rec. expr.* & *sir. de alth. an.* ℥iß. cum *ess. anod.* ℈j. ante & pomeridie bipartiendum. Quo pomeridie demum ex officina impetrato, hora 3. medietatem hausit; noctu *pilulas* repetiit, & sic per totum diem satis tolerabiliter habuit, etiam satis appetens, sic, ut fere crederem accessum pridianum fuisse merum *erysipelas capitis*. (d. 9. *Apr.*) VIII.

§. Actuarii *uxor* (d 27. *Mart.*) viribus quotidie magis exuitur, sudor hecticus cum *febricula* vespertina, contabescentia, *dyspnœa*, *tussis* augentur, solo hoc adhuc laudando, quod appetitus non plane dejectus sit. Pergere jussi cum *pulvere Haly* & *jure medicato*. *Vinum* insuper recentibus herbis *plantag. nummular. veron. agrimon. pimpin. hepat. stellat. summit. absinth. fl. cent. min.* & *rad. caryophyllat. medicatum*, hujusque primum in quolibet pastu haustum. Noctu gtt xv. ℞*æ. antiphthis.* ex vehic. seq. Rec. *Aq. plantag.* ℥vj. *sir. rub. id.* ℥j. M. Sumat interdum quant. nucis myrist. de *conf. rof.* Genuens. (d. 13. *Apr.*)

Actuarii *uxor*. *Phthisis.*

§ Russeti 4. *liberis* purgationes vernales institui, qua occasione ipse de se narravit, ante hos sedecim annos ab amico sibi commendatum fuisse *acetarium* e *turionibus sambuci* primo vere prodeuntibus fine *purgationis catotericæ*. Ancillam autem dictos turiones sursum versus evulsos decerpsisse, unde factum, ut ad *hypercatharsin* usque vomere coactus fuerit, viribus a tam violentis *vomitibus* non nisi longo tempore exacto reparatis. Atque ab eo tempore se aversari *acetaria* herbarum quarumcumque medicatarum, v. gr. *bellidis*, neque eorum sine nausea mentionem tolerare. *Turiones sambuci* sursum versus evulsos vomitum, deorsum vero alvum movere vulgaris traditio est. Ego, cum alia dentur per utrasque vias evacuantia, periculum experimenti nunquam feci. ETMÜLL. *Schröd. dilucid. p. m. 149.* Observatur, ait, de *turionibus*, quodsi decerpantur sursum, soleant evacuare per vomitum, si deorsum, per alvum; alias promiscue decerpti sursum & deorsum, non sine impetu purgant. Helmontius allegante Hoffm. in *clav.* Schrôd. p. 539. caussam conjicit in *phantasiam decerptoris*, quæ imprimat illam vim plantæ; sed relinquimus illi *Philosopho* suam phantasiam & adsentimur Judicio Hoffmanni l. c. Cum succedat interdum experimentum, sæpe autem non, & effectus sine dubio expectandus sit a constitutione & dispositione assumentis, quandoquidem & ipsa quædam alia ordinarie per alvum purgantia, vomitum ciere solita sint, aggravato cumprimis ventriculo. Homo-

Russeti *liberi*. *Purgatio.*

VIII. psyphum habemus Ill. WED. de *medicam. facult.* *Lib. I. sect. II. cap. 7. p. 156. s.* ita dicentem: *quod hi turiones* modo ἄνω modo κάτω operentur, id sane non tam modo decerpendi, quam dispositioni subjecti & humorum adscribendum esse puto, &c. De vehementia autem hujus purgantis testatur quoque Exc. Sommeri *Obs. 17. Ann. IX. Dec. I. Eph. Cur.* cum scholio. Unde apparet, hos *turiones* vix esse remedium elegantis *Medici*.

Epimeletis *uxor*. *Frigidi sudores.*

§ Epimeletis *uxorem* visitavi. (d. 5. *Apr.*) omnia symptomata valde remittunt, excepto sudore, qui, simul ac vel comedit vel bibit, statim per totum corpus exoritur frigidissimus, ut sæpius in die indusium mutare cogatur & vix recalescere possit. Maritus asseverat, ipsam in lecto sudantem fere nunquam calefieri, immo tactum cum ubique, tum in regione præcipue lumbari glaciale frigus manui offerre. Rara sunt hæc exempla, & vix intellectu humano capi potest, quo pacto, hominem fere semper extra lectum se detinentem, appetitu viribusque sic satis integris, foco semper instructo, sic algidissimum sudare posse. Si frigus, quod multis, cumprimis Sylvianis, placet, est ab acido, necesse esset hanc mulierem in vasis & glandulis merum acetum recondere, quod vel cogitatu absurdum est. Novimus aliquando senem 66. annorum, qui per plus quam viginti annos perpetuo sudore madebat, hocque non minus frigido, de reliquo vegetum, sed *hydropysi* denique extinctum. Jussi pergere *infuso*, *essentia* & *unguento*, meque meditaturum esse, quo pacto, nisi hæc omnino juvent, sudor ille tuto supprimi possit. In hoc subjecto mihi videtur esse *symptoma hypochondriacum*. Possident hi serum & multum & mobile, & a sanguine quam promtissime secedens, unde sunt interdum sputatores & sudatores. Nostra parum exspuit, parcissime & lixiviosissime mejit, manifesto indicio, serum aliorsum abripi. Glandulæ fortasse sunt p. n. patulæ, de quibus elegantem dissertationem habuit B. Camer. Tub. An. 1689. &, si fibræ motrices vasorum spasmodice contrahuntur, vasa compressa liquorem contentum ejaculantur, vid. *Diss. Cam. th. 7.* Genus autem hujus mulieris nervosum ad spasmodicas contractiones valde pronum esse supra d. 25. *Mart.* morbi ante triennium exantlati historia persuadet. Fortasse *diuretica* hic aliquid valerent. Notabilis est *observatio* Schuyliana in *Dekker. Exerc. Pract. p. m. 627.* matronæ nobilis, quæ spirituosis liquoribus assueta, cum siti continua, sudores primum nocturnos, denique etiam diurnos continuos, immo postremo plane sanguinolentos sustinuit, & *incrassantibus*, *roborantibus*, *adstringentibus* tertio demum, quartove mense integre curata

rata fuit. Legi quoque meretur WILLIS. *pharmac. ration. part. I. sect. V. cap. 1. p.m. 115. s.* ubi cumprimis huc facit, quod laudatus] *Auctor* inter caussas nimiorum sudorum recenset, si vel renes vel lymphæductus officio suo non satis ubique defungantur. Quæ vero p. 11. de *sudoris frigidi* caussa philosophatur, huc non quadrant. Adolescentem post *quartanam decimestrem* in continuos sudores exsolutum & tabescentem, *lactis asinini cura* & diæta reliqua ex lacte vaccino curatum, idem recenset p. 134. quod in nostra fortasse locum habere posset, eo magis, quod idem WILLISIUS *loc. ult. cit.* caussam assignet sanguinis dyscrasiæ ac debilitati; quatenus ejus liquor instar lactis acescentis, continuo fundi, inque serositates præcipitari comperitur, cui corrigendo *antiscorbutica, chalybeata*, item medicamenta ⊖*e vol.* ⦶*so & alkalisato* prædita non imprudenter destinat. *Tincturam antiphthisicam* Excell. WEDELIUS alicubi laudat, ceu fidissimum in hoc affectu; sed, ut verum fatear, ex quo nobis in Ducatu nostro virulentia *Saturni* per effectus *vinorum lithargyriatorum* innotuit, medicamenta quæque *saturnina*, si eis carere possum, formidare cœpi. Plane paradoxa est LISTERI cura *de morb. chron. p. 83.* quando *sudorem nimium* in aliquo, qui indusia ter quaterve diu noctuque mutare coactus fuit, curavit, ei præscribendo 🜄. ℞. *a. cerasor. nigr.* imprægnati uncias aliquot, item, ut in uno prandio *vini rubri optimi* ad ℔ij. biberet, augendo quoque, ni malum cessaverit, hanc dosin. Videantur quoque, quæ de sudore frigido SPINDLERUS habet Obs. 95. ejusque Scholiastes RAYGERUS. (d. 16. *Apr.*) VIII.

§. Eod. die Dn. Epimeletes mihi narravit, sibi ante plusquam viginti annos cognitum fuisse rusticum quendam LINZINGENSEM, cui præter vocem, in- & egestionem vivi nihil supererat. Jacebat enim, idque per aliquot jam annos, rigidus, frigidus, & instar statuæ plane immobilis. Quodsi gentilium næniæ locum haberent, ex aspectu MEDUSÆ vel GORGONUM eum in lapidem versum fuisse quis credidisset. Nam sicuti de MEDUSA *Poëtæ* fabulantur, vim ipsi a *Minerva* inditam, ut quicunque illam aspicerent, fierent lapides; ita non minus de his commenti sunt, quod omnes, a quibus aspicerentur, in lapides convertere consueverint, uti est apud NATAL. COMIT. *mythol. lib. VII. cap. 11. & 12.* Quæ sit, vel fuerit caussa ejusmodi rigidæ & frigidæ ἀκινησίας in corpore humano viventе, non facile fuerit explicare illi, cui omnes historiæ circumstantiæ sunt notæ, nedum mihi, qui, præter nudam istam recensionem, quod magis afferam, nihil habeo.

 §. Thra-

VIII. Thrabi Filiola. §. Thrabi *filiola* cum Medicamentis d. 20. *Mart.* ordinatis hucusque non sine magno fructu usa fuisset, ut in valetudine magis firmaretur, meo consilio bibere cœpit *jusculum bellide, charefol. nasturt. hort. armorac. & fragaria medicatum* ad 3. septimanas. Insuper jussi, ut *elixiris balsamici* hor. 10. antemer. & noctu ante somnum guttulas xx. ex quolibet vehiculo assumeret. Puella multis jam morbis obnoxia pro ætatis ratione staturam habet valde humilem, nec eam admodum prospera posthac valetudine usuram esse multa persuadent.

Baricelus Cardialgia. §. Baricelus (d. 5. *Apr.*) sufficienter purgatus attamen adhuc *de cardialgia & ventriculi ardore* queritur, cui ordinavi *pulvisculum polychrestum* ex *creta alba cum nuce moschata & pauco sacchare* mane & noctu ad 3. cusp. cultri sumendum.

Ejus infantulus. Tussis ferina. Ipsius autem *infantulo* adhuc ferociter *tussienti* purgans tale:

Rec. *Sir. rof. solut.* ℥ *ß. gial. n. resin. gr. iiij.* M. pro 1. dosi.

Facta evacuatione cum nuper ordinatis *mixtura* & [*unguento*] pergant. Emphraxes infantum *catarrhales* raro sine catharsi tolluntur.

Caprœni uxor. *Menses per os.* §. Caprœni *Uxor* (18. *Febr.*) me suadente adiit *balneas Ferinas*, rediit *mensibus* nondum consuetam viam petentibus, sed adhuc per *hæmorrhagias & sputum sanguineum* exitum quærentibus cum lassitudine & pectoris gravitate. Postquam eam cum *hysterergia* consolatus essem, commendavi *jus medicatum charefol. meliss. fragar. numular. nasturt. aquat. radd. cichor. & petrosel.* ad 3. septimanas. (d. 15. *Apr.*)

Mellesii *uxor. Hysterica.* §. Mellesii *Uxor* 40. annorum a multis annis jam conflictatur cum symptomatis *hystericis*, contractionibus spasmodicis, *melancholia* per intervalla affligente. Præterito autumno diu decumbens a me *chalybeatis* tentata postea melius habuit. Præservationis loco suasi *Venæsectionem* largam e cephalica pedis alterutrius: postea mane & noctu ∼. *nervini gtt. xxxx.* ex *aq. fumar.* Mense *Majo* *jus medicatum rosmarino, salvia, melissa, flor. lavend. herb. beton. charefol. rut. Cucupham* e *castor. ass. fetida & succino.*

IX.

IX.

MErcurius fere medium quarti gradus attigit, liquor *thermometri* duas lineas ultra tertium gradum. Dies erat serena.

Usias. §. Usias, vir 50. annorum, obesus, plethoricus, erroribus diætæ obnoxius, multis negotiis distractus, a juventute militiam secutus, *cephalæa* sæpe, hoc autem vernali tempore solito magis affligitur, ad-

sunt

IX.

sunt *phlogoses*, *rheumatismus* in nucha, sinistra scapula, illoque brachio, appetitus non satis promtus, pressio stomachi. Petit, ut, quum negotiis jam quasi obrutus esset, nec otii tantum suppetat, ut rite sibi medicari valeat, saltem aliquid excogitarem, cujus beneficio dolorum incrementum averruncari possit, reliqua otio majori servarentur. Sumat cum primo vini haustu in prandio ac cœna gtt. xxxx. *elixiris balsamici*. Prævia *frictione* fiat inunctio crebra.

Rec. 🜄. *camphorat.* ℥ij. *lumbric.* ℥j.
ess. anod. ʒj. M. (d. 15. *Apr.*)

Conjux Phlogoses post pastum.

Conjux, ipsius 48. annorum post pastum *phlogosibus* afficitur valde molestis. Sumat mane, pomeridie & noctu gtt. xxv. *mixturæ* ex quovis vehiculo, vitando nimium calida, aromatica &c.

Rec. 🜍. *dulc. sir. rub. id. an.* ʒiß. M.

Erythroclathri filiola.

§. Erythroclathri *Filiola* [d. 7. *Apr.*] *variolis* confertissima. Continuetur *mixtura*; *raucedini* obviam eatur medicamine cochleatim præbendo:

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. fl. samb. extr.* ℥j.
sir. viol. mell. rosat. an. ℥ß. M.

Monile medicatum gestabat in collo. Quid esset, interroganti, responsum: Consilio matronorum, ut oculis prospiceretur, monili circumdatum fuisse collum, quod constaret e *novem summitatibus rutæ hortensis* (Rautenknöpflein.) *totidemque margaritis orientalibus* filo rubro alternatim transfixis. Risi, quod tamen circumstantiæ suspectæ non adessent, nec prohibui, addito solo, ne huic uni remedio fiderent, sed oculos *lacte muliebri*, in quo *crocus* ☿ilatus licuit, diligenter oblinerent. (d. 10. *Apr.*)

§. Hydropica 28. annorum in Nosodochio nostro defuncta corpus aperiendum præbuit. *Microcosmicum diluvium* fere universale (si caput excipias, quod intactum relictum) se conspectui sistebat. Abdomen, pedes, manus prætumida, umbilicus valde protuberans. Aquæ vis non pœnitenda per illud noctis, quo mortua jacebat, exstillaverat. Sectum abdomen seri subcitrini non minus duodecim mensuris *Würtenbergicis*, quarum unaquæque ℥LVj. continet, profudit. Ingens quoque hujus copia thoracis cavum oppleverat. Evacuatis ventribus *omentum* plane putrefactum repertum, *stomachus* & *intestina* flatu propemodum solo turgidissima & mirum in modum, ut transparerent, expansa. Ex *intestinis* tenuia passim inflammata reperta. *Pancreas* consumtum. *Hepar* & *lien* substantiæ sic satis laudabilis; *vesicula* felle vacua. *Ren*

IX. dexter aliquot calculos, sed vix semen cannabis æquantes in pelvi continebat, in sinistro repertus abscessus, utrorumque cætera maximam partem illibata substantia; *vesica* vacua, in *mesenterio* nihil scirrhosi, neque glandulæ solito majores. *Uterus* labis expers. *Pulmones* inflammati, flaccidi, immo gangrænosi, *cor* flaccidum sanguine grumoso impletum. At vero omnium pæne viscerum ubique tanta cum ambientibus adhæsio, ut sine substantiæ læsione nusquam separari potuerint, antidhac a me nullibi visa. *Pulmones* utrinque non *pleuræ* tantum, sed & *diaphragmati* firmissime coaluerant; *Hepar* non tantum *diaphragmati*, sed *peritonæo* ubique, quod idem cum *liene* & *mesenterio* factum, sic ut omnia hæc viscera dilacerari, quam illæsa separari, maluerint. Sic igitur spiratio non nisi difficillima & impeditissima ut fuerit, plane necessum est. Adhærebant diaphragmati superne pulmonum omnes lobi, inferne hepar, ventriculus & lien, hinc libere moveri non poterat. Magis igitur defuncta, quam quivis alius hydropicus, anhelabat. Porro Morini sententiæ supra adductæ lumen accenditur. *Ventriculi* erat largissima expansio & raritas, *vesica* corrugata & parvissima. Patuit igitur sero per ventriculi poros transitus & egressus, non item per vesicæ poros transsumtio & ingressus.

Campyloxyli uxor. *Febris interm.*

§. In Campyloxyli U*xore* typus *intermittentis tertianæ* nunc expressissimus. Fecunda mater est, substitere menses, purgare non ausus sum. Tentavi mitiora *febrifuga*, donec de statu febricitantis certior evaderem.

Rec. ♁. *diaph. CC.philos.Oc.♋.ppt.*
⊕.*ppt. an.* ℥ß.
ol. caryoph. gtt. ij. ther. cœl. gr. ij. M.
F. 4. ℞. *sum. singulis 6. horis unus.*

Repetatur *mixtura* d. 7. *Apr.* ordinata. Stomacho acerbe dolenti litus.

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥vj. *ol. NM. expr.* ℥j.
ol. menth. absinth. an. ℞ *ll.* ℈j.
bals. peruv. ℈j. *M.*

Durante frigore, sitim, quæ tunc erat magis, quam in æstu, intensa, qua pote, sustinere laboret. In æstu bibat *acidulas.* (d 16. *Apr.*)

Filiola

Filiola primogenita (20. *Mart.*) recidivam tertianæ passa est, quamvis levem. Dentur ter in die gtt. xx. *mixturæ* ex quolibet vehiculo:

Rec. *Ess. chin. chin.* ℥iß. *aq. cinnam.* ℥ß. M.

§. Sex.

§. Sextarii *uxori* (d.20.*Mart.*) ad sanguinem densandum & vasorum uteri tonum roborandum, præcavendosque menses nimios, *jusculum plantagine, tormentilla, anserina, fragaria, acetosa, pentaphyllo, rad. symphyt, & acori palustris medicatum* ad mensem. IX. Sextarii uxor.

§. Pogonati *filiolæ*, post fraterculum, *variolas* feliciter excludenti, more meo ad præcavendam *scabiem* vel *furunculos* ordinavi *purgans:* Pogonati filiola.

Rec. *Pulv. gial. n. resin. gr. xij.*
sir. ros. solut. ℥vj. M. pro 1. dosi.

§. Hierocomus de *infuso* [12.*Mart.*] ordinato parum vel nihil bibit, ob alia quædam negotia, quæ eum detinebant. Interim non modo *tussis* & *asthma* increverunt, sed pedes utrique præmodum intumere cœperunt, relictis pressuræ vestigiis, appetitu tamen adhuc satis constante. Prodit in publicum. Metuitur ascites. Præscripsi aliud *infusum.* Hierocomus. Cachexia.

Rec. *Rad. 5. aperient. an.* ℨiij. *squill. ppt.* ℥j.
herb. marrub. absinth. soldanell. an. mj.
cort. ebul. samb. an. ℨvij.
fol. senn. s. s. ℨx. *rhabarb. ver.* ℥ß.
mechoac. a. agar. troch. cass. lign. an. ℨiij.
passul. min. ℥j. *sem. anis.* ℨij.

Conc. cont. infundantur more solito. Mane & pomeridie sumatur haustus calidus. Antemeridie vero 10ma, & noctu ante somnum gutt. xxxx. *mixturæ* ex quolibet vehiculo:

Rec. ~. *cochl.* ℨj. *Ræ. succin.* ℨij.
elix. balsam. ℨiij. *M.*

Pedes induantur *emplastro diaphoretico* MYNS. sæpe repetendo. Diæta sit congrua.

Hujus *Filia*, puella 16. annorum menses nondum passa *chlorotica* est, comitatu symptomatum consuetorum hic non semel recensitorum stipata. Dedi *pulverem emeticum*: Filia. Chlorosis.

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. Tart.* ℈j. M. pro 1. dosi.

Sumat mane & pomeridie, altero post vomitum die incipiendo, cusp. 3. cultr. de *pulvere* sequenti per se, insequente semper levi corporis motu:

Rec.

IX. Rec. *Limat. ♂. inst. ar alcohol. trit.* ℥j.
lign. sassafr. diaphor. ♂*al. an.* ʒij.
flor. ♂. *Hassiac.* ʒj.
myrrh. r. croc. opt. an. ℈j.
balsamo sacch. peruv. ℥ß. M.

Noctu sumantur guttæ 40. *elix. aperit. Cl.* ex vino. Vitentur acida, lacticinia, in butyro frixa, pastilia, cruda.

Toparii *uxor.* §. Toparii *Uxor* (d. 7. *Apr.*) per omnia melius habere incipit, excepta *tussi*, quæ eam noctu cumprimis exercet, jussi, ut alternis noctibus bis, vel ter ad summum deglutiret 4. *pilulas de cynogl.* Cæterum de graviditate adhuc plane incerti sumus. Persuasa fuit nuper de motu embryonis, at aliqui jam dies sunt lapsi, quod ille motus cessavit. Interim hebdomates 24. præterierunt, dolores in dorso sentiuntur, vomitus matutini adsunt.

X.

X.

MErcurius ultra dimidium tertii gradus surrexerat; *thermometrum*, quale hesternum. Dies serena,

Erythroclathri *filiola. Variolæ.* §. Erythroclathri puella bene progreditur in cursu *variolarum*. *Raucedo* faucium mitigata. Nauseam a medicamentis concipere incipit. Nova rursum pro defensione oculorum remediola suggesta. Fricandæ scil. *palpebræ* quotidie non semel *aureo ducato*. It. masticentur *baccæ lauri*, & spiritus harum effluviis impraegnatus exhaletur in oculos. Non facile talibus, nisi aperte noceant, resistendum. (d. 23. *Apr.*)

Thyrebola. §. Thyrebola petit *purgationem vernalem*, & stomacho confortando, *cardialgiæq;* tollendæ medicamen; ordinavi *haustum laxativum* mihi consuetum & postea *pulverem*, mane, pomeridie & noctu ad cusp. 3. cultri per se sumendum:

Rec. *Spec. diacret. Myns.* ℥ß.
pulv. cach. qu. inc. ʒij.
extr. papav. c. gr. iiij. M.

Senesii *filiolus. Variolæ.* §. Senesii *Filiolus* 3. annorum *variolis* laboravit. In lecto detineri non poterat, artus crebro nudavit, unde factum credo, ut materiæ *variolosæ* multum intra pellem remanserit. His enim, nulla opera medica, persanatis, successit *fera scabies* & ulcuscula hinc inde valde manantia. Purgandum esse censui:

Rec. *Pulv. gialan. resin. gr. xij.*
sir. de cich c. rh. ʒvj. M. pro 1. dosi.

Postea

Postea bis in die gutt. xx. *mixtura* ex *aq. fl. acac.* X.

Rec. *Ess. lign sassafr. fumar. an.* ℥j. *M.*

Manus & pedes foveantur *decocto furfurum.*

Ita plures infantes & puelli post *variolas* demum *scabiosi* sunt facti, immo tumores in brachiis in *abscessus* periculosos denique degenerantes lapsi. Caussa semper fuit, vel quod omnis insolidum medicina negligeretur, totumque negotium, nullius debiti regiminis ratione habita, *decocto lentium*, *aquæ fumariæ*, naturæque soli committeretur, vel quod convalescentes non purgarentur. Multi enim *variolas* adeo vilipendunt, ut operæ pretium non æstiment in subsidium vocare *Medicum*; unde casus tragici multi pusionum ex *gangræna* tunc demum mortuorum, cum *variolarum* omne stadium decursum esset, quales aliquot, si necesse esset, recensere possemus.

Filiæ 12. annorum *scabiosæ* scripsi *purgans electuarium*, postea usum *liquoris betulæ*, denique *balneas cervinas* commendavi. Filia Scabies.

§. Facepius 34. circ. annorum, cœlebs, fere semper, officii ratione, vagabundus, igitur certæ cuidam diætæ vel vivendi rationi semet addicere non valens, *hypochondriaco* malo a multis annis obnoxius est, omnia *scorbuticorum* symptomata patitur, morosus est, suspicax, interdum vere *melancholicus*, præconceptis opinionibus inhæsitans, *psora scorbutica* fœda ac pertinaci fere nunquam non afflictus, anhelosus, *cupreus* in facie, *phlogosibus*, siti, torminibus, eructationibus, lassitudini, appetitui nunc aucto, nunc diminuto, doloribus artuum, cephalææ, vertigini, &c. obnoxius. Alvus nunc adstricta, nunc debito solutior, urina nunc pauca & turbide lixiviosa, nunc multa aquosa. Ollas & urceos officinarum pæne omnes delibavit, acidas bibit, balneavit; Hac hieme, diætam magis accuratam observans, melius quam antea habuit, nunc sollicitus de symptomatum repullulatione, præcautiones flagitat. Utatur *infuso*: Facepius. Hypochondriacus.

Rec. *Rad. filic. ap. an.* ℥vj. *fibr. helleb. n.* ℥ß.
polypod. quern. ℥v.
herb. fumar. trifol. fibr. cochlear. an. mß.
fol. senn. s. s. passul. min. an. ℥iß.
rhabarb. ver. rad. mechoac. a. agar. troch. an. ℨiij.
limat. ♂ *. fin.* ℥iß. *fl. genist. mß.*
sem. anis cass. lign. an. ℨij.
Tart. crud. ℥ß. *mac.* ℨj.

Conc. cont. infundantur & bibantur more solito.

X. Postea *venaesectio*, hinc *pulveris* usus mane & pomeridie ad ʒ. cusp. cultr. ex scutella *thea*, insequente motu:

Rec. *Alcohol. chalyb.* ℥j.
diaphor. ♂. lign. sassafr. pulv. viper. an. ʒij.
cinnam. opt. ʒj. *balsamosacch. peruv.* ℥j. *M.*

Noctu vero ante somnum gtt. xxxxx. *mixtura* ex cochleari vini:

Rec. R℞. ♂. *hellebor.* ℥ß.
~. cochlear. ʒij. ⊖✻*ci.* ʒj. *M.*

Diæta sit congrua. Potus vinum vetus aqua dilutum.

Odontius. §. Odontio petenti ordinatum *emetico-purgans vernale*, quale mihi frequenter est in usu & efficaciter operari solet:

Rec. *Tart. em gr. ij. Crem. Tart.* ℈j.
dacryd. gr. ij. ol. mac. gutt. j. M. pro 1. dosi.

Silurulus. §. Silurulo scripsi *purgans vernale*, & cum talis formula in his schedis nondum exstet, *Neopracticis*, ut variare queant, eam exhibeo:

Rec. *Fol. senn. s. s.* ℥iij.
rad. mechoac. a. agar. troch. an. ℥iß.
Crem. Tart. cass. lign. an. ʒß.
coq. in s. q. Dec. prun. dulc. Colat. ℥iij. *add.*
sir. de cich. c. rh. ʒvij. *emet.* ʒij.
aq. cinnam. ʒj. *M. pro 1. haustu.*

Fine *purgandi* solo *sirubus emeticus* omittitur, quin & *purgantium* dosis, pro intentionis varietate, nunc augetur, nunc minuitur. Ejusmodi haustus grati sunt & commode operantur.

Lactistis ancilla. §. Iterum alia *purgationis* formula Lactistis *ancilla* talis ordinata fuit:

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈ij. *troch. alhand. gr. iiij.*
sir. de cich. c. rh. ℥j. *aq. acac.* ℥iij.
M. f. haustus pro 1. dosi.

XI.

XI.

Mercurius mane fere attigit quartum gradum; *thermometrum* quale heri. Noctu Mercurius, adscendendo adhuc parum, quartum exacte gradum assecutus est. Dies fuit serena.

Lagotis Anasarca. §. Lagotis me convenit, sartorculus monogrammus, annorum 16. Mediam tam gelida hieme *Sueviam* pervagatus, neque magistrum opificii sui nutricium nactus, frigus intensum perpessus & fortasse, cum ante hos 4. dies a magistro reciperetur, nimium pastus, corpore toto, cum-

cumprimis pedibus intumuit, *asthma* vix tolerabile cum *tussi*, corporis tanta lassitudo, ut non nisi scipione nixus incedere, hocque tamen ægerrime, potuerit. Cum *Leberide nudior* esset, Magistratus opem, ut nosodochio frueretur, imploravit, me libellum supplicem, pro more, attestante. Est autem hoc peculiare beneficium a Majoribus usui servorum & ancillarum dedicatum, quod alibi locorum plerumque desideratur. Opificum famuli & ancillæ, dum ægrotant, non tantum ibi reperiunt lectos & cubicula, sed & alimoniam & medicamentorum gratuitum usum. Non tamen æque omnibus gratificatur Magistratus. Quid hic futurum sit, nescio. Velim interim notari, quid gelu intensum valeat in corpus humanum non probe munitum, quid porro defectus alimoniæ, immo quid, subita & copiosa refectio, nutrimentique post longam inediam, ut ita loquar, pleonasmus? (d. 12. *Apr.*) XL.

§. Nezeri *uxor* quinquagenaria, obesa, *tussi catarrhali* jamdiu vexata, remediis contra illam non nisi domesticis usa fuit. Præcipue laudavit *succum raphani cortice nigro expressum cum saccharo canto*. Nunc a biduo laborat *clavo hysterico*, cum dolore atrociori & vix tolerabili per *tussim* facto, siti quoque & æstu. Cum sanguinis ebullitionem e faciei rubore, æstu, venarum prominentia & pulsu magno celerique animadverterem, ægra insuper *venæsectioni* asueta esset, hoc inprimis vernali & commodo tempore eam non amplius differendam esse censens, sanguinem e mediana dextri ad ℥v. eduxi, scripto insuper sequenti linimento:

Nezeri *uxor.* *Clavus hystericus.*

Rec. *Ol. e flor.* SLOT ℥ß. *lumbric. castor. an.* ʒij.
axung. castor. ʒj. *bals. peruv.* ℈j. *M.*

Sanguis erat rutilus, consistentiæ bonæ, seri hujusque valde salsi multum habens. Dolor pomeridie aliquantum remiserat. Ordinavi *mixturam* per horas cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. verben. beton. fl. til. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ℈ij. *ess. anod.* ℈j.
bez. ♃ *al.* ♁. *nat. ppt. an.* ʒß.
sir. fl. pœon. ʒiij. *M.*

Noctu autem *pilulas* hor. 9. deglutiendas:

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr.* iij.
castor. gr. ij. *M. F. pil. n.* viij. *pro* 1. *dosi.*

Bibat *acidulas.* (d. 12. *Apr.*)

XI. §. Rotogi *Uxori* obesæ, ultra quam quinquagenariæ, tussienti, *hysterica*, difficulter per cathartica mobili, *asthmatica*, coactus fere præscripsi validum purgans:

Rotogi *uxor.*

Rec. *Aq. laxat. Vienn.* ℥iij.
pulv. Cornach. ʒß. *sir. de cich. c. rh.* ℥j.
M. pro 1. dosi.

Obesi utplurimum quidem facile moventur; non autem id semper fieri & hæc ipsa mulier ostendit. Tutius tamen semper in difficulter mobilibus præmittere *digestiva*, quam ordinare δραστικά. Sed hæc bis vel ter pharmaca deglutire recusavit.

Erythroclathri. *Filiola.*

§. Erythroclathri *Filiola mixturæ* nuper ordinatæ usum ulteriorem detrectat. (7. *Apr.*) Semina *napi* & *aquilegiæ* eam insuavem reddunt. Cum satis *variolarum* adsit, eæque decenter in continua quantitate augeantur, hinc expulsione forti præcise non sit opus, ipsius gustui aliquid esse dandum ratus, *mixturam* magis roborantem ordinavi talem:

Rec. *Aq. scabios. rosar. fl. til. an.* ℥iß.
cinnam. bugl. ℥ß.
conf. alk. c. ʒj. *sir. fl. tun.* ʒij. M. (d. 22. *Apr.*)

Boidarii *filiola.*

§. Boidarii *Filiola* (27. *Febr.*) præter spem parentum assumsit medicamenta tunc ordinata. A *pulvisculo* sufficienter fuit *purgata*; alterum *pulverem* assumsit, & multum sane profecit; postea vero, quam medicamenta consumta fuissent, jam pluribus non opus esse putantes, ab ulteriori usu destiterunt. Cum vero semicurata in eodem semper statu puella maneret, denuo consultus, insistendum esse tam diu dixi, donec omnia symptomata remisissent; cum tamen e quibusdam signis aliquid *verminosi* suspicarer, *pulverem* ita mutavi, usu eodem permanente:

Rec. *Æthiop. miner.* ʒij.
elæosacch. cinnam. corallin. an. ʒß. M.

In morbis chronicis haut infrequenter sibi vulgus persuadet, ordinata prima medicamenta morbum omnem abolere, quod nisi fiat, ea nil juvisse credunt, & ne quidem amplius *Medicum* adeunt. Ubi tale quid suspicor, proprio motu, quomodo valeant ægroti, percontari soleo. Non enim semper visitationes a *Medicis* requiruntur.

Russetus.

§. Russeto de congestione pituitæ, indeque orto *asthmate* querenti, & *infusum* præcise petenti, *pectorale incidens* ac *purgans* tale ordinavi:

Rec.

XI.

Rec. *Rad. helen. ap. farfar. an.* ℥ß.
liquir. ʒiij.
herb. marrub. trifol. fibr.
fl. cent. min. acac. an. mß.
foll. senn. s. s. ℥x. *turbith. alb.* & *gummos.* ℥ß.
rad. mechoac. a. agar. troch. an. ʒiij.
passul. min. ℥iß. *Cass. lign.* ʒiß.
sem. anis. mac. an. ʒß. M.

§. Ccobicus, 26. annorum e *Silesia* nuper ad aulam nostram veniens, neque vini potui assuetus, queritur de *ardore* insolito *palati* totiusque oris per sibi molesto, cum ratione caloris, tum siccitatis. Appetitus non adeo firmus est. Alibi nil mali sentit, v. gr. in *faucium isthmo*, *tonsillis*, &c. promte deglutit: sed lingua & palatum sicca sunt & squalore quasi obducta. In dentibus nil *scorbutici*, nil cariosi, neu alias insoliti. Dedi *Electuarium purgans* consuetum, mane quoque & noctu gtt. xxxx. *mixt.* seq. ex *infuso thea*, vel haustu cervisiæ: Ccobicus. *Oris siccitas.*

Rec. ~⊖. *dulc. sir. rub. id. an.* ʒiß. M.

Collutionem oris calidam & frequentem, semper aliquandiu in ore tenendo, & agitando:

Rec. *Rad. alth. symphyt. an.* ℥ß. *rasl. lign. sassafr.* ℥j.
herb. prunell. semperviv.
fl. ligustr. malv. arbor. an. mß.
sem. cydon. ʒiij. *fic. pingu. n.* iiij.
Conc. cont. coq. in aq. font. ℔iiß. *Colat. add.*
⊕. *ppt.* ℨj. *mell. rosat.* ℥iß. M.

Post quamvis collutionem assumat cochlear unum *mixturæ*:

Rec. *Mucilag. sem. cydon. cum aq. endiv. extr.* ℥iß.
sir. viol. mell. rosat. an. ʒvj. M.

Vitet aromatica, acria, acida; cervisiam, cui assuevit, vitato *vino*, bibat.

§. Jorami *Uxori* post præscriptam (d. 6. *Apr.*) *purgationem* vernalem, ex Jorami uxor.

Rec. *Pulv. giall. n. resin. Tart.* ⊕*lat. an.* ℈j.
dacryd. gr. iij. *ol. mac. gtt.* j. M. pro 1. dosi.

unde sufficientissime, ἄνω quoque, evacuata fuit, ordinavi *vinum*, recentibus plantis v. gr. *absinth. fragar. hepat. stellat. bellide*, *violar. acetos. rad.*

XI. *cich. silv.* & *caryophyllata medicatum*, cujus primum haustum in pastu quolibet assumat per mensem.

Filiolus. *Filiolo* [6. *Apr.*] adhuc valde stertenti nec admodum promte digerenti, ter in die sex guttulas *mixturæ* ex quolibet apto vehiculo:

Rec. ~⊖ *ci. anis.* ʒj. *Ra. croc.* ℈j. *M.*

Foris litum stomachalem:

Rec. *Ol. nuc. mosch. expr.* ʒj.
menth. ℈j. *caryoph. gtt.* vj.
bals. peruv. ℈j. *ungu. pomat.* ʒij. *M.*

XII.

XII.

MErcurius mane ultra quartum gradum adscenderat; *thermometrum* semper idem. Vesperi Mercurii casus per unam lineam; *thermometrum* duabus lineis a quarto gradu distans. Dies erat serena.

§. Nactus sum hodie *lumbrici* ita dicti *lati* frustum 1½. ulnas longitudine absolvens: Tam latus erat, qualem antea nunquam conspexi; trium sc. immo quod excedit, unciarum. Prodierat ex ano *filiolæ* Neandri, de qua (d. 5. *Mart.*) candidissimus. Pater a me denuo interrogatus, recenter ex ano prodeuntes ejusmodi massulas vixisse, motumque se clarissime observasse affirmat. Hic *lumbricus* neque initium visibile capitis ullius, neque caudæ finem habebat. Erat potius vermes quam vermis, massulæ nempe d. 5. *Mart.* descriptæ sibi invicem invaginatæ, ad instar geniculorum *equiseti*: Mulier quædam Rustica Gnomilego persuadere voluit, has massulas duplici ore præditas esse, finemque earum æque, quam principium, oris vicem præstare; se nempe vidisse, quod lacte semet impleverint, usque ad sui medietatem turgidæ factæ, postea altero suo ore tantundem hauserint æqualiter inde turgentes. Quod, si verum est, alter alterum ore suo excipiens unum denique commune eque multis vermibus constans frustum constituent. Mira sane res. Si sunt animalia, vix certe, immo ne vix quidem talia dici merebuntur, & nihil unquam debiliora vitæ vestigia ostendisse, plane dicendum erit.

Lagotis *Anasarca.* §. Lagotis voti nondum damnatus in impetratione receptionis in nosodochium, sententia Magistratus ob impedimenta quædam per aliquot dies dilata, cum *asthma* perferre amplius non posset, interim aliquid a me pharmaci flagitavit. Sumat mane, pomeridie & noctu quantitatem juglandis minoris de sequenti *electuario*:

Rec. *Rob. samb. ebul. an.* ℥ß.
asell. ppt. test. ov. calcin. an. ʒß. *M.*

Pedes

Pedes ungat *unguento arthanitæ*, & *corticem medianum sambuci* intra tibialia gestet. XII.

§. *Uxor* Neceri per totam noctem suaviter dormivit, nullo doloris vel vestigio relicto, surgebat, muniis suis præerat, appetebat, interdum adhuc tussiebat. Dixi tamen, ut, quod *mixturæ* reliquum esset, successive consumeret, ac per menstruum tempus *jure medicato fragaria, acetosa, bell. de c. fl. hepat. nob. stellata, chærefolio, radice cichorij silvestris*, frueretur. Neceri *uxor.*

Cum etiam se nonnunquam *doloribus nephriticis, micturitione*, sabulo minimorumque calculorum excretione laborare quiritaretur, laudavi *pulverem* meum *nephriticum* euporistum jam sæpe descriptum.

§. Rhopali *uxor* aliquando *hypercatharsin* fere deleteriam passa, ab eo tempore *purgantia* quælibet horruit. Cum autem necessitas inevitabilis, ut aliquando purgaretur, urgeret, *mixturam evacuantem* ordinavi cochleatim sequenti modo sumendam: Primo capiuntur tria cochlearia, hinc per singulas horas cochlear unum, tumdiu continuando, donec alvus turbari & egerere cœpit. Quod ubi fit, pharmaco dantur induciæ, ut videas, quoties alvus moveatur. Si juxta Medici intentionem sufficienter purgetur, medicamenti reliquum in ulteriorem usum non cedit; si semel tantum, vel bis, ter, &c. alvus solvitur, denuo per singulas horas cochlear unum ingeritur, donec sufficienter evacuatus fueris. Hoc technemate efficitur, ut *purgans* nec alvum nimiopere turbet, nec sine effectu resideat, quod expertus loquor. Hoc familiariter utor apud eos, quorum natura mihi nondum est explorata. Pharmacum autem fere tale est: Rhopali *uxor.*

Rec. *Sir. de cich. c. rh. ros. solut. an.* ℥ij.
pulv. Cornach. ʒj. *magist. gial.* ℈ß.
~⊖✱. ℈j. *aq. acac. parum.* M.

Notandum enim, fortia esse debere, ob rationes facile assequendas. Huic autem mulieri, quod admodum esset mobili alvo & insuper hystericis passionibus obnoxia, tale jam ante triennium ordinavi:

Rec. *Pulv. Cornach.* ʒß. Ræ. *castor.* ℈j.
sir. de cich. c. rh. ʒj. *ros. solut.* ℥ß.
aq. meliss. ʒx. *cinnam.* ℥j. M D. cochleatim.

Hoc ipsum tanto cum successu assumsit, ut idem hactenus bis in anno, verno scil. ac autumnali temporibus, unice desideret.

§. Badi.

XII. §. Badizodromi *Filiolus* [3. *Apr.*] antiquum propemodum obtinet, immo magis consumitur, ac indesinenter tussit; abdomen adhuc turgidum, quamvis non adeo tensum. Appetit, plus quam digerere valeat. Mutavi *pulvisculum*, relicto utendi modo:

Rec. *Specif. antatroph. elæosacch. anis. æthiop. miner. an.* ℨij. *M.*

Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. acac. veron. an.* ℥iiß.
*~⊖*ci, cochlear. an.* ℥ß.
sir. capill. ♀. ℥j. *M.*

Cum linimento pergant.

Campyloxyli *uxor.* Febris. §. Campyloxyli *uxorem* propemodum *febris* reliquerat, (9. *Ap.*) a summo vero terrore, novus isque vehementissimus paroxysmus eam invaserat. Et, quamvis diceret, se gravidam non esse, cum nulla, antea semper prægressa, signa graviditatis observet, immo nunc a biduo *fluorem album*, octiduanum hactenus semper mensium fluxurorum prodromum, pateretur, nondum tamen eam purgare sum ausus, ob casus varios, eosque miros, mihi jam aliquoties visos, non sine caussa circumspectissimus. Donec igitur certior evaderem, ordinavi *pilulas febrifugas*, singulo quinquehorio nr. *xij.* deglutiendas.

Rec. *Extr. cort. peruv.* ℨj.
gentian. cent. min. an. ℨß.
bez. ♂al. ℈ij. ♁. ♁ii ℈j.
ess. abs. q. s. F. pil. pond. gr. j.

Vinariensis. Phthisis. §. Vinariensem accessi (d. 4. *Apr.*) visurus, quomodo valeret, ac quid medicamenta ultimo ordinata operarentur? Mutatis ultro citroque sermonibus, in sequentia denique erumpebat: Amicus quidam hisce diebus apud me fuit, qui multos consummata *phthisi* laborantes curatos dicebat solo *electuario* e *rob juniperi cum radice gentiana & rhabarbaro* mixto, bibito simul *decocto herbæ bellidis*, *rad. cichor. fol. hepat. nob. & nasturt. aquat. cum dimidio vini & aquæ parato. Locumtenentem* instar sceleti emaciatum & ab omnibus derelictum illis usurpatis ex orci faucibus ereptum. *Poligraphum* BEILSTEINENSEM, nunc senem pancratice valentem, a *phthisi* consummata liberatum esu jugi *baccarum juniperi*, quas eo fine semper in pera gestaverit; idem cum cive LEONBERGENSI factum. Sibi igitur magis arridere laudatum ab Amico remedium, quod potissimum ingrediens esset *rob juniperinum*. Dixisse eundem amicum, non adesse *phthisin pulmonarem*, sed vitium omne in *hepate*, aliqua sui parte

te indurato, radicari.] Respondi, me dubitare de amici theoria, ipsumque vere pulmoniacum esse tumprimis demonstravi a prægressa *pleuritide* vera. *Tussim* esse sicciorem, calorem semper præternaturalem cum immodica siti, alvum adstrictam, excrementa arida. Hinc opus esse humectantibus, qualia non sint commendata ab amico medicamenta. *Rob juniperi*, cum *gentiana* & *rhabarbaro* esse in loco calidorum ac siccantium. Cum *nasturtio aquatico* hoc anni tempore caute procedendum, quia *spermate ranarum* conspurcatum reperiatur.&c. Regessit ille, constipatam alvum per *rheum barbaricum* solutum iri. Dixi constipationem ab intestinorum siccitate oriri, neque *purgantibus* calidis & siccis tolli posse. Sed surdo narrabatur fabula. Tentaturum se, si per me liceret, medicamentum revera innoxium, quod allegata testarentur exempla: se magnam in id fiduciam collocasse, neque tentamen paucorum dierum adeo nociturum. Ni conveniant, regressum ad alia dari. Quid hic facerem? *Consiliarius*, inquiebam, non *Imperator* sum. Corpus est tuum, sanitas tua. Tuo potius, quam meo periculo, quæ in te decrevisti, exsequere. Conniveo, non suadeo. Quid futurum sit, experiemur. XIII.

Eodem tempore, quo ista gerebantur, a milite quodam nobili huc vocatus fuit *Anabaptista* quidam *Palatinus*, *medicaster famosus*. Hic passim in urbe domos ægrotorum irrepsit. Eundem fuisse *Vinariensis* consultorem, quæ mihi persuadeant, non pauca sunt. Præsentia hominis, remedia, quæ propemodum omnibus eadem ordinare solet, ætiologia morbi, genius ægrotantis. *Vinariensis* enim cum pluribus commune habet, ut in morbis chronicis per omnes *Medicorum* & medicantium classes vagetur, & quorumlibet consiliolis aures præbeat. Proinde clinicis medicari valde molestum est. Nisi enim cito juventur, (quod in *chronicis* est impossibile, alias non essent *chronici*,) quidvis a quovis experiuntur, & semetipsos haut raro jugulant. Immo libentius auscultant agyrtis & *medicastrorum* quisquiliis, quam veris *Medicis*. *Quid vero homini Lutherano cum anabaptista?* Nonne & hic objici posset: *Nunquid non est DEUS in* Israël, *ut abeatis consultum* Baal-Zebub *Deum* Ecron? 2. *Reg*. 1. De Milite non miror, quem enim alium adorarent, quam militiæ modernæ Deum? Miror de illis, qui credunt esse DEUM. (d. 24. *Apr*.)

§. Accessit me puella rustica ex Ulmensi ditione, pannosa, statura, qualis puellæ duodecennis, 18. tamen annorum, verbosa. Ostendit nudum abdomen & sub regione stomachi eo loci, ubi intestinum

XII. *colon* ab *epigastrio* dextro versus sinistrum protenditur, motum animalis quasi viventis perpetuum & oculis visibilem & manib9 palpabilem, æqualem tamen semper & quasi cum κλόνῳ existentem. Narravit, se ante annum bibisse *aquam* impuram e rivo, indeque statim male habere cœpisse. Motum primo vix fuisse sensibilem, hinc sensim accrevisse, nunc eundem semper manere. Adisse se Operatorem *Palatino-Neoburgicum* ad *Danubium*, qui dixerit, puellam bibisse *aquam spermate serpentino conspurcatam, indeq; vivum alere serpentem in ventre.* Brevi se curaturum & salvam esse præstiturum, emendicaret modo sostrum, sex florenos. Interrogavi num sonitum nonnunquam ederet animal? dixit, nonnunquam quasi grunnire. Num dolores patiatur? immo, nonnunquam horrendos. Num majores pasta vel jejuna? majores jejuna reponebat. Num perpetuus diu noctuq; esset ille motus? perpetuum asserebat. Ego, cum Gnomilego, fucum judicavi. 1. Si motum ostendisset puella, spiritum semper cohibuit. 2. Motus erat semper æqualis, & in eodem loco, quod contra naturam *serpentis* est, qui rursum prorsum, sursum deorsum reptare solet, alibi magis, alibi minus protuberare. 3. Motum huic similem aliæ historiæ alentium in ventre serpentes non exhibent. 4. Vix tamdiu vegeta posset esse, hilarisque, immo jocosa, puella. 5. Serpentes sibilant, non grunniunt; 6. Nec semper moventur, sed interdum quiescunt. 7. Nec sperma in aquas deponunt, sed ovipari sunt. 8. Sex florenos STUTGARDIÆ mendicare non opus fuit. Nancisci poterat non in pluribus, quam sex domibus, NEOBURGI. Tacemus alia. Explorator fortasse dexterrimus hic fuisset carnifex.

XIII.

XIII.

MErcurius hesternam, eamque vespertinam, stationem retinuit. Liquor *thermometri* medium quarti gradus obtinuit. Vesperi Mercurius descenderat fere, usque ad primam lineam quarti gradus, liquor *thermometri* sustulerat se, usque ad medietatem dicti gradus. Nox præterita fuit valde nubila. Dies autem serena & calida.

Dioptrici *uxor.* Laß-Tafel.

§. Ut *hæmorrhagiam uteri* prævenirem (5. *Apr.*) *uxori* Dioptrici suaseram *venæsectionem* in hodiernam diem. Mane per ancillam quærebat, utrum in ea sententia persisterem? Se enim explorata *tabella phlebotomica* (Laß-Tafel.) invenisse diem hanc venam secantibus esse fatalem, quippe, quibus sit subita morte moriendum, (Müssen des gähen Tods sterben.

sterben.) Respondi, me quidem nil æstimare dictam tabulam, quippe ridiculam & nullo rationali fundamento suffultam, interim tamen si quam ipsa fidem illi haberet, per me omnino licere, ut *venæsectionem* in aliud tempus differat, me enim de eventu respondere nec posse nec velle, cum in *Medicina* nihil sit vulgatius, quam committere caussas fallaciæ. Diu tamen eam non esse differendam, ne fluxu uterino, cujus jam prodromi semet ostendant, incauti obruamur. Audito meo responso, venam sibi tundi passa est. Mirum, quod obtemperavit. Nam multorum animis ita insedit de *tabulæ phlebotomicæ* veritate opinio, ut ei fidem juxta cum *Evangelio* habeant. In superiore *Suevia* vocatur, **die Juden-Tafel.** Numerare jubentur dies a novilunio, incipiendo, si novilunium ingruat ante meridiem, ea ipsa die, si pomeridie, die sequenti: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 13. 14. 16. 19. 20. 27. 29. 30. sunt pravi dies & valde minaces. 4. cumprimis & 16. it. 27. omnium deterrimi: Reliqui dies laudantur, omnium maxime 17. 22. & 25. qui ultimus judicium acuere perhibetur. Stolida est hæc tabula: nam, ut reliqua taceamus, bona sæpe dies cadit in ipsummet *plenilunium*: veluti hoc ipso mense dies decima quinta est ipsius lunæ plenæ, quæ tamen, ut bona, orexinque firmans prædicatur. Idem fit mense *Junio*, *Julio*, *Augusto*, idem factum est mense *Januario*, *Februario*, ideoque sexies hoc anno jubentur venæ utiliter ipsa *plenilunii* die pertundi. Nihilominus tamen ita quærentibus, uti supra, semper respondere soleo, nisi venam pertundere summa necessitas urgeat, velut in morbis acutis, &c. (d. 15. *Apr.*) XIIII.

Thesei *filiolus*. *Ulcera post Variolas.*

§. Thesei *Filiolus* (d 23. *Mart.*) post variolas hinc inde ulcuscula accepit, fortasse, quod neglecto meo consilio pusionem non mature purgassent. Ordinavi igitur:

Rec. *Pulv. gial. n. resin. gr. xij.*
sir. de cich. c. rh. ℥v. aq. acac. ℨj. M. pro 1. dosi.

Rebhuni *uxor. Cardialgia.*

§. Rebhuni *uxori* 30. annorum de appetitu dejecto & *pressione stomachi post pastum* querenti ordinavi *tragema*, cujus ter in die cusp. 3. cultri, per se assumeret:

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ℥ß.
diaphor. ♃al. specif. stomach. POT. *an. ℨj.*
trag. aromat. ℥iß. M.

XIII. Filiolus. *Filiolo* (27. *Mart.*) post *variolas* ordinavi:

Rec *Pulv. gial. n. resin. gr. xv. sir. de cich. c. rh.* ℨvj. *aq cinnam.* ℨß. *acac.* ℨij. M. pro 1. dosi.

Nezelii *filiola. Morbilli.* §. Nezelii *Filiola* 5. annorum vestigia *morbillorum* ostendit: *vomitiones* sunt largæ, æstus cum siti, pavores.

Rec. *Aq. fumar. card. bened. ceras. n. an.* ℥iß.
♁. *diaph. CC. philos. an.* ℈j.
sir. fumar. fl. tun. an. ℨiij. *M.*

Detur cochleatim, & regio stomachi mulceatur *linimento*:

Rec. *Ungu. pomad.* ℨij. *ol. nuc. mosch. expr.* ℨß.
ol. menth. ♌ *ll.* ℈j. *M.*

Potui ordinario misceatur *aq. fumar.* (d. 14. *Apr.*)

Actuarii *uxor. Phthisis.* §. Actuarii *uxor* (d. 8. *Apr.*) indies viribus decrescit, symptomatis interea *phthisicis* incrementum sumentibus, præcipue conqueritur pomeridie 4ta. de incipiente vix sensibili frigusculo cum oscitatione & pandiculatione, sed insequente æstu fere intolerabili per totam noctem durante, & largissimo sudore soluto, cum languore fere syncoptico. *Febrim* habemus *hecticam consummatam*, vires fractas, inter has & morbi ferociam nullam proportionem. *Febri* non domita reliquis etiam symptomatis frustra occurri ratus, *pilulas* ordinavi:

Rec. *Cort. peruv. subtiliss.* ☿*iʃ.* ℨj. *extr. gentian.* ℨß.
c. ess. absinth. F. pil. pond. gr. j.

Sumantur singulis 6. horis nr. *xij.* omissa noctu ℞*æ. antiphth* & cum *jure medicato* pergendo. Hæc ægrota cuculum cuculantem vix audiet. (d. 17. *Apr.*)

Neritius. §. Neritius post *purgationem* d. 4. *Apr.* præscriptam venam hodie sibi tundi passus est. Sanguis superne pellem gelatinosam densissimam vix cultro divisibilem habebat: inferne partes mucido-terrestres multas, globulos ♀eos fere nullos, serum multum gustu valde acre. Cum lassitudo per se adsit, & inappetentia cum decremento carnosarum partium, *cachexiæ* occurrendum ratus, jussi, ut bis in die assumeret gtt. L. *mixturæ* seq. ex jure calido:

Rec. *Elix. balsam. ess. absinth. an.* ℨiij. *M.*

Primum in quolibet pastu haustum absolvat *vinum* sequenti nodulo e vegetabilibus recentibus, quoad talia haberi possunt, *medicatum*:

Rec

XIII.

Rec. *Com. absinth. fl. cent. min. herb. trifol. fibr.*
*fol. menth: cr. an. m*j.
rad: caryophyllat. ℥j. *gentian.* ℥ß. *acor.* ʒiij.
bacc. junip. ℥j. *cinnam. opt.* ʒij. *sem. anis.* ʒj.
cort. aur. rec. de pomo uno.

Conc. cont. modo jam ſæpe dicto condiant vinum.

§. Transmiſſa mihi ſunt hodie duo vitra vino repleta. Venditum erat vinum ante tres hebdomatas e pago ad *Nicrum* ſito cauponi ſilvæ hercyniæ accolæ. Duo milites ab illius potu ſe male habere, dolores in abdomine pati, & contabeſcere cœpiſſe aſſerebant. Transmiſſum igitur, ut *liquore noſtro probatorio, ex auripigmento & ♆ confecto* tentarem, an forte quid *lithargyriati* ineſſet. Simul ſcriptum, hoc vinum ipſo venditionis tempore fuiſſe clarum & album, nunc autem obſcure ruffum ac turbidum evaſiſſe. Tentatum liquore noſtro ſtatim colorem accepit magis obſcurum & cupreum, *plumbeæ* vel lithargyriacæ pollutionis teſtem: Re vero explorata, compertum, iſta vina lagenis ſtanneis a *ſilva hercynia* usque ad iſtum *Nicri* pagum advecta fuiſſe, in iisque minimum per triduum quieviſſe. Hauſtum igitur ex eopte dolio, e quo vendita fuerunt, idem vel ejusdem generis *vinum* in examine *plumbei* nihil oſtendit, quamvis & ipſum jam non amplius clarum & album, ſed obſcure fuſcum eſſet, uti illud, quod venditum erat.

Cum ante triennium vini *lithargyriati* tragœdia apud nos luderetur, quædam vina alicunde ad examen transmiſſa ad liquorem probatorium erubuerunt, (quod eſt ſignum admixti *lithargyrii*, nempe ſi vinum ab inſtillato liquore magis rutileſcit, quam antea, immo pro quanto *lithargyrii* illi admixto, brunneſcit, immo nigreſcit, perſiſtente eo colore) Sacramento ſe obſtringentibus venditoribus, *lithargyrii* ne micam admixtam fuiſſe. Denique ſuſpicati ſumus eum colorem provenire a lagenis ſtanneis, in quibus advecta erant. Nec ſuſpicio fefellit. Idem enim vinum in urceis lapideis vel vitris transmiſſum examen ſuſtinuit. Quinimmo, ut certiores fieremus, vinum ullius labis neutiquam ſuſpectum vel convictum, per noctem infudimus in cantharum ſtanneum, mane a liquore probatorio rubere vidimus: quod nulli alii cauſſæ, quam *plumbo ſtanno permixto* adſcripſimus, idque merito. Nam in vas e puro *ſtanno anglico* paratum per noctem infuſum nulla labe contaminatum experti ſumus.

Quæſitus porro, cur vinum quæſtionis ante tres ſeptimanas cla-

XIII. rum & album, nunc fusco colore & turbido compareret? respondi, me persuasum esse, quod ipsi dolose fuerit admixtum *pomaceum*. Hoc enim non odore tantum & sapore semet prodebat: Sed experimentis quoque sum edoctus, pomaceum vino permixtum colorem primo non alterare, dummodo servetur loco seu vase clauso & aëri inaccesso, admisso autem aëre sensim obscurius ac turbidius, immo successu temporis plane e fusco nigrum fieri. Ante aliquot annos hic fuit civis, qui vinum pomaceo mistum cauponaretur; hoc, nisi hospites celerius ebiberent, antequam vitrum exhausissent, colorem ex albo in fuscum mutavit.

§. Die 16. *Jan.* dictum aliquid de puero, si non *leproso*; saltem *elephantiaco*, vel psora lepræ proxima deturpato. Repetitum a Magistratu Decretum, ut, cum vernum tempus appulisset, quid cum eo faciendum, judicaremus? Reperimus adhuc aliquid velut impetiginosi in mala sinistra, atque ad eandem ulnam vel cubitum unicum adhuc aliquando manans ulcusculum, adeoque tutam ejusdem e leprosorio dimissionem nondum decernere potuimus.

Grisonius. *Epilepsia.*

§. Grisonius, olim miles, postea ob prætensam *epilepsiam* dimissus jam ante biennium in leprosorium nostrum sub eo titulo receptus est. Cum ibi diu, nempe ultra semestre, commoratus fuisset, nemo omnium unquam vidit eum interdiu cecidisse vel ullo *epileptico* insultu affectum fuisse: de nocte vero, qui circum ejus cubiculum versabantur, dicebant, eum frequenter stertere, motusque insolitos ad parvum temporis spatium edere. Interrogatus de multis, nihil, quod *epilepsiæ* fidem faceret, proferre potuit; Sed stulta potius & incongrua loquebatur, nempe, ab incantatricibus se circa mediam noctem torqueri, quæ objiciant, parentes ipsiusque majores fuisse maleficos, eumque capite plectendum esse; se vero precibus ad DEUM fusis ipsas vincere, ut aufugere cogantur. Torosus est & lacertosus, bene appetit, torvum non videt, a *lunæ phasibus* nil patitur, judicio est integro, rixosus, iracundus, laborum impatientissimus, hocque unum desiderans, ut impetrato DUCALI de *epilepsia* testimonio mendicatum dimitteretur. Malitiam summam in homine, eumque beneficio leprosorii indignum esse judicantes, effecimus, ut domum mitteretur; sed, ubi vix per tres menses ibi hæsisset, remittitur a Pastore & Judicibus loci, comitatus litteris ipsius iracundiæ, insultuumque *epilepticorum* denuo observatorum indicibus, &c. Ut igitur melius observaretur, utrum esset vere *epilepticus*, in Nosodochium delatus & Chirurgo cumprimis in ea domo habitanti injun-

junctum fuit, ut surgens de nocte ejus actiones probe observaret; cujus relationes in nostra sententia, quam ante annum jam edideramus, hominem nempe *incubo* premi, nos confirmarunt, donec ab inquilinis aliis in area domus hora circiter prima pomeridiana *veros motus epilepticos* edidisse spectaretur. Quamvis igitur, sub spe dimissionis ad mendicandum unice desideratæ, simulatam suspicaremur *epilepsiam*, antea a nemine hic loci in ipso, etiam, ubi ad iram quam calidissime exarsisset, observatam, refragari amplius noluimus, id tamen judicavimus, hominem robustum, cum, si maxime *epilepticus* esset, intervalla tamen adeo rara pateretur, ad labores vel operas publicas applicandum potius, quam otio degeneri magis corrumpendum esse. Hinc in propugnaculo quodam ducali ad operas detrusus non diu duravit, sed eo prætextu rursum huc delatus fuit, quod ob efferam iram ejus consuetudine uti nemo posset, metumque esse, ne aut occideret alios aut incendia meditaretur. Rursum igitur in leprosorio nostro per 2. menses & ultra versatur. Sed neque in propugnaculo, neq; hic interea quid *epileptici* visum. Igitur a *superiori Justitiæ Consilio* nobis demandata provincia, ut affectum hujus viri denuo exploraremus, &, cum intervalla tam dilucida essent, annon ad operas publicas rursum, & quo modo, an per vim & verbera? &c. tuto applicari posset, judicaremus, quod in sequentem sententiam factum: Quemadmodum jam ante plusculos menses in ea fuimus opinione, GRISONIUM, non obstante prætenso affectu *epileptico*, ad operas publicas tamen applicari posse, imo debere; ita, post institutum noviter scrutinium & nunc aliter sentire non possumus, eo magis, quia a tempore mansionis ultimæ plusquam bimestris eorum nemo, qui *leprosorium* nostrum inhabitant, ullum *epilepticum* insultum in isto homine viderunt. Unde, si modo vera laborat *epilepsia*, & paroxysmus in nosodochio observatus non simulatus fuit, cum interdiu fere nunquam aut rarissime tale quid patiatur, cur propterea ad operas adigi non possit, nulli videmus, cum plures dentur *epileptici*, qui, malo hoc non obstante, laboribus victum quærunt; Exempla horum in urbe nostra, immo ipso leprosorio, non esse rara: Nobis autem necesse videri, ut, pro more ergastulorum, ob pertinacissimam malitiam, scuticis & fustibus ad perficiendos labores adigatur. XIII.

XIV.

MAne *Barometrum* & *Thermometrum*, qualia heri vesperi. De nocte parum pluit. Dies erat serena & calida. Vesperi mercurius ad tertiam tertii gradus lineam resederat, liquor *thermometri* quartum exacte gradum impleverat. XIV.

§ Im

XIV. Nezelii *filiola. Morbilli.* §. In Nezelii *filiola morbillorum* hodie proventus uberrimus. Cessarunt pleraque symptomata, cumprimis autem *vomitus.* Cum *mixtura* heri ordinatæ usum respuat, *materiam perlatam* in nodulo potui ordinario, *aqua fumaria* remixto, immersam dedi. (d. 15. *Apr.*)

Morosus. *Clavus cephalicus.* §. Morosus, 19. annorum, studiis operam navans, *clavo* torquetur *cephalico* periodos exacte observante: præcedit torpor & somnolentia, sequitur dolor circa os frontis versus suturam coronalem in dextro sincipitis latere; serpit per oculum istum ad genam: durat per 5.6. horas, iterum post evanescens, idque plerumque bis in septimana. *Purgetur*:

Rec. *Aqu. laxat. Vienn.* ℥iij. *sir. de cich. c. rh.* ℥j. *M.*

Vena post *cephalica* in *pede* altero secetur. Mane & noctu sumantur gtt. xxxx. de *mixtura* sequenti ex quovis vehiculo:

Rec. ∾. *nervin.* ℥ß. ℞æ. *castor.* ʒj. *M.*

In ipso paroxysmo singulis 3.4. horis sumatur eadem *mixtura*, caput eo loci, quo dolet, frequenter *linimento* fricando:

Rec. *Ol. lumbric.* 🜄. *camphor. an.* ℥ß.
ess. anod. ℞æ. *castor. an.* ʒj. *M.*

Æstate imminente curam *acidularum* non dissuaserim.

Melodidascalus. §. Cum Melodidascalus a repetito *auri horizontalis* usu nil quidquam in sua *cephalæa* levaminis perciperet, *Bromium* quoque *Decoctum* ab amico sibi laudatum experiri decrevit. De quo, cum jam aliqua & sint dicta, & porro dicenda veniant, quo modo paretur & usurpetur, paucis differendum. Patriam agnoscere dicitur Angliam. Laudatur propemodum, ut *panacea*, ad nullos fere non morbos. Commendatur a Patria, quum nil apud *Germanos* valeat exotica nomenclatura non insigne. Sic habemus *Panaceam* ANGLICAM, *Thee* HELVETICUM, *saccharum lactis* ITALICUM, *Theriacam* VENETAM, *pulverem ptarmicum* HISPANICUM, &c. Descriptio extat in sylloge germanica medicamentorum *Lowerianorum*, alibi quodammodo varians, eadem tamen in fundamento. Sequens nobis in usu est: Rec. avenæ pinguis, selectæ, & per frequentes aquæ puræ affusiones ope tritorii probe ac ita elutriatæ, ut aqua superfusa æque clara defluat, quam affluxit, ℔ij. Coque in olla nova vitreata ampla cum aquæ fontanæ puræ Mens. *xij.* igne leni, vase non tecto, usque ad medietatis consumtionem, circa finem addendo *rad. cichor. rec.* demto nucleo concis. mj. & *lap. prunell.* ℥ß. Coctum coletur sine expressione, addita *sacchari canar.* ℔ß. Stet per noctem, mane decantetur,

quod

quod clarum est, & in lagenis vitreis servetur pro usu. Bibitur mane quartarius calidiuscule; idemque fit pomeridiana quarta. Quantitate illa fere consumta denuo recens cremor eodem modo paratur & bibitur, ut tota cura absolvatur 24. diebus. Aliquibus addere placet ⊖. *genistæ*, aliis aliquid *cinnamomi*. Variant etiam in utendi modo. Nam alii bibunt mane tantum, alii pauca quantitate incipiendo, hanc augent quotidie, sicuti cum fontibus acidis fieri consuevit, rursum alii per 15. saltem dies, alii per aliquot septimanas, ac tamdiu, donec morbosi nil amplius sentiant, bibunt. Alii rursum *hystererg iam* curæ laudant & expectare jubent. Ante usum convenit primas vias eluere, vel *magnesia alba*, vel ⊖e *polychresto*, vel alio quodam *eccoprotico* leni. Ego me non sic addixi ingredientibus, ut ea, pro re nata, mutare non ausim, substituendo *radices* alias, alios *sales*. Varia tamen admiscere incongruum judicamus. *Bromius* hic *cremor* somnolentos facit, virtute quadam *avenæ* propria. Interim est *medicamentum* egregie *abstergens* & acorem in humoribus, multorum morborum parentem, contemperans, hinc *scorbuticis*, *hypochondriacis*, *ad febres* dispositis, utile. Mota MELODIDAscalo controversia de *radice cichorii*, nucleum nempe seu scapum retinendum esse, non abjiciendum, cum potior vis in eo, tametsi amaro, contineatur. Non negamus, sed dicimus, id minimum esse vitium, quod potatores *decocti bromij* sibi ab additamento *radicum cichorii* polliceri valeant; hinc dandum aliquid esse sapori: non enim tanti valere quidquid inest illi *radici* amaroris, ut propterea *decoctum* insuave reddi deceat, præsertim cum non cochlearibus, sed quartariis hauriatur. Quos igitur effectus apud Melodidascalum nostrum præstiturum sit hoc *Decoctum bromium*, anheli præstolamur. (d.26. *Apr.*) XIV.

XV. XV.

MErcurius in tertio; liquor *thermometri* paullo infra quartum gradum mane substiterat, vesperi hydrargyrum per 1½. lineas adscenderat, liquore *thermometri* quatuor exacte gradus metiente. Dies erat calida, antemeridie nebulosa, interspersis raris pluviis.

§. Usias *linimentum* d. 9. *Apr.* ordinatum usurpavit, sed, cum itineribus & concatenatis laboribus obrutus esset, in sopiendo dolore parum profecit: hinc venam heri pertundi jussi, sanguis erat cætera laudabilis, nisi quod fervidus & seri parum ostendens. At vero *rheumatismus brachii* illa die tantum sum sit incrementum, ut dolores essent

XV. pæne intolerabiles. Non neglectis *diaphoretico-anodynis* internis litum mihi valde familiarem ordinavi sequentem:

Rec. ♈ *camphor.* ℥iij. *bacc. junip.* ℥j. *formic.* ℥ß.
sapon. venet. ʒj. *mithrid. Dam.* ʒß. *croc. opt.* ℈j.
ol. lumbric. ℥j. *hyosc. expr.* ʒij. *M.*

Inungatur pro ratione exigentiæ sæpius brachium cum humero calide, prævia frictione & superimposito postea *empl. sapon.* Mynſ.

Rec. *Aq. fl. samb. lavend. fumar. an.* ℥ij.
♉. *diaph. CC philos. an.* ℈j.
mixt. simpl. ʒj. *sir. card. bened.* ℥ß. *M.*

Maneat in lecto & singulis horis capiat cochl. j. ad promovendum sudorem cutis. (d. 15. *Apr.*)

Merom*sii filia.* *Icterus.* §. Meromsii *filia* 28. annorum, *surdastra*, per aliquot jam menses ictero flavo laborat, cutis tota, oculi sclerotica, *ungues* artuum aureo colore tincta, languor adest, sitis, os perpetuo siccum, alvi excrementa pallida & picea, urina oleo lini similis, lintea croceo colore tingens. Præcesserunt jam diu inappetentia, lassitudo, pressio circa præcordia. Quod autem palmarium, *regio tota stomachi subtumida & lapidea duritie rigens.* Jam sexcentis remediolis usi sunt, a nemine non commendatis, quæ inter fuerunt etiam *crocata*, *mictio super urticetum*, *urinæ vesicæ suillæ inclusæ de camino suspensio, &c.* Dixi, morbum esse gravem & curatu valde difficilem, eo quod non tam suspicarer, quam certus essem, si non totum *hepar*, saltem ejus lobum, quo ventriculus tangitur & tegitur, *scirrho laborare.* Bibat mane & pomeridie haustum calidum *infusi*:

Rec. *Rad. filic.* ℥j. *rub. tinct.* ʒvj.
curcum. rhabarb. an. ℥ß.
herb. marrub. mij. com. absinth. fl. cent. min. an. mß.
fl. calend. cheir. an. pij.
fol. senn. s. s. ℥j. *agar. crud.* ℥ß.
passul. min. limat. ♂. *an.* ℥iß.
Zingib. ʒij. *croc.* ℈j. *E Conc. cent. F. infusum more consueto.* (d. 20. *Apr.*)

Nezelii *filiola.* *Morbilli.* §. Nezelii *filiola profluvium alvi* cum *tenesmo* nacta est, interspersus est excrementis mucus subcruentus. Interim *morbilli* pedetentim disparent, ipsa comedit, & calor defervescit. Ordinavi *mixturam* cochleatim præbendam:

Rec.

XV.

Rec. *Aq. plantag. ceras. n. rosar. an.* ℥ißß.
sir. de symphyt. Fern. aq. cinnam. cydon. an. ℥ß.
CC. ust. ppt. ℈j. *smaragd. ppt.* ℈ß. *M.*

Regio stomachi ungatur *oleo nuc. mosch. expr.* Potui detur *emulf. amygdal. saturata.*

§. Regnüzii *puellæ* (30. *Mart.*) post exantlatum morbum *variolosum* ordinavi evacuans : — Regnützii *Filiola. Variola.*

Rec. *Pulv. gial. n. resin. gr. xij.*
sir. de cich. c. rh. ℈vj.
☿*ii dulc. rit. par.* ℈ß. *aq. gramin. parum.*
M. pro 1. dosi.

Respectu simul habito ad *lumbricos.* (d. 20. *Apr.*)

§. Caprœni *uxor* (d. 8. *Apr.*) *jure* suo *medicato* summa cum utilitate fruitur. Cessant lassitudo, sputum sanguinis, mucus narium cruentus, lacerans dolor in suris, anxietas circa præcordia, noctes inquietæ. Menses ordinariam viam quæsitam repererunt. — Caprœni *uxor.*

§. Namehlio *Locumtenenti* cum Würtenbergicis copiis in militiam Belgicam abituro, *nephriticis* interdum doloribus, & contractione spasmodica artuum laboranti, præcautionis loco dedi *pulverem* præservative alternis diebus, curative, id est, in ipso paroxysmo *nephritico* ter in die ad 3. cusp. cultr. sumendum per se, vel ex jure : — Nahmelius. *Nephritis. Spasmi.*

Rec. *Rad. alth.* ℥iß. ℥ß. *gumm. ceras.* ʒj.
oc. ♋. *crud. cont.* ʒj. *sacch. a.* ʒiij. *M.*

Spasmis artuum interne *mixturam* ad gtt. L. ex quolibet vehiculo, quoties opus est, sumendam :

Rec. *∼. nervin.* ℥ß. *Ra. succin.* ʒij. *M.*

Externe litum talem :

Rec. *Ol. lumbr.* ℥j. *castor.* ℥ß. *M.*

§. Vocatus sum ad Technastis filiolum circiter semestrem, jam per aliquot septimanas ægrotantem & ab alio Medico peregre profecto tractatum. Adveniens misellum inveni *convulsionibus epilepticis* continuis a trihorio circiter afflictum. Oculorum & oris peripheria livebant, pessimo indicio. Data prædictione, quod affectus mihi videretur periculosissimus, ob continuam paroxysmi durationem, quæ medicamentorum internorum applicationem impediret, viresque nimium frangeret, nescius eorum, quæ ante me acta sunt, ordinavi *mixturam* cochleatim, sub intervallis brevissimis paroxysmi infundendam : — Technastis *filiolus. Epilepsia.*

XVI. Rec. *Aq. ceras. n. fl. til. an.* ℥iß.
epil. L. ℥ß.
specif. cephal. spec. cordial. temp an. ℈j.
conf. alk. c. ʒj. *sir. fl. pœon.* ʒij. *M.*

Emplastrum theriacale fontanellæ capitis & scrobiculo cordis. Vertici, nuchæ & temporibus *balsamum cephalicum* consuetum. Hic infans mortem vix evasurus est. NB. Scripsi etiam pulvisculum, sed non ante dandum, quam si pusillus *convulsionum* forte induciis frueretur:

Rec. ☉. *fulmin. gr. ij. arcan. dupl. gr. iij. M.*

Dioptrici *uxor.* §. Dioptrici *Uxor* [d. 13. *Apr.*] a *venæsectione* sensit *phlogosin* & præcordiorum anxietatem, cum anhelatione & *palmo*, deliquiisque *hystericis*; non immediate quidem, sed hodierna demum nocte. Si quis assensum præbuisset, facile persuasisset sibi, caussam mali esse diem in tabula phlebotomica lapillo nigro notatam. Ego *hæmorrhagiam uteri* præsto esse credebam, nil tamen per vim coërcendum esse ratus, sequentem *mixturam*, habita pectoris ratione, cochleatim sumendam ordinavi:

Rec. *Aq. veron. meliss. an.* ℥ij.
hirund. c. castor. ℥ß.
⌒⊖✱*ci. anis.* R*æ. croc. an.* ℈j.
sir. de hyssop. ʒiij. *M.*

Maneat in lecto, &, quoad possibile, quieta, immotaque jaceat. (d. 17. *Apr.*)

Usias. *Rheumatismus.* §. Vesperi dolor capitis, humeri item & brachii *rheumaticus* apud Usiam multum decreverunt. Noctu degluttiendæ ante somnum *pilulæ*:

Rec. *Extr. bez.* CAMER. *papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. M. F. *pil. nr. viij. pro 1. dosi.* (d. 16. *Apr.*)

Rotarius. *Arthritis.* §. Rotarius, vir 30. annorum, doloribus *arthriticis* affligitur, sine dubio contractis a nimio hiemis rigore. Sumat noctu *pilulas*:

Rec. *Extr. bez.* CAM. *papav. comp. an. gr. iij. M. F. 8. pil.*
Rec. *Mucilag. sem. psyll. c. aq. fl. paralys. extr.* ℥ij.
sir. de alth. Fern. ℥j. *ess. anod.* ℈j. *M. sum. cochleatim.*
Rec. *Ol. lumbr.* ♀. *camph. an.* ℥ß. *ess. anod.* ʒj. *M. pro inunct.* (d. 17. *Apr.*)

XVII.

XVII.

MErcurius mane iterum adscendit usque ad tertiam lineam quarti gradus; liquor *thermometri*, qualis heri mane. Nox erat serena.

Vespe-

Vesperi statio ☿ ij. in prima quarti gradus linea, liquor *thermometri* quartum gradum attigerat. Dies erat serena & calida. XVII.

§. Thraso 44. annorum petit *infusum purgans* pectorale, quod ipsi tale scripsi more nostro parandum & bibendum; Thraso.

Rec. *Rad. helen.* ℥ j. *liquir.* ʒ iij.
herb. marrub. mj. *fl. acac.* mß.
sem nasturt. sinap. anis. an. ʒ ij.
fol. senn. s. s. passul. min. an. ℥ iß.
rad. mechoac. a. agar. troch. an. ℥ ß.
Tart. crud. ℥ ß. *Zingib.* ʒ ij.
conc. cont. D.

§. Dioptrici *uxori* evenit, quod præsagieram: Venerunt nempe *menses* cum impetu, grumisque magnis sanguinis, viriumque deprædatione & torminibus. Moderari fluxum decrevi *mixtura* tali cochleatim exhibenda: Dioptrici *uxor.* *Menses nimii.*

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥ iiß.
acet. destill. ℥ ß. *ess. anod.* ℈ ß.
oc. ♋. *crud. cont.* ʒ ß. *Cor. r. ppt. lap. hæmat. ppt. an.* ℈ j.
conf. alk. inc. sir. myrtill. an. ʒ ij. M.

Quiescat, & , qua pote, immota jaceat.

§. Acremon 46. annorum nudius tertius horruit, æstuavit, sitivit, postea sentire cœpit dolorem punctorium sub sinistra mamilla, cum tussi, & spiratu difficili; nil tamen sanguinei exscreans: *Pleuritidem* metuens ordinavi prius, quam recte in affectum penetrarem, *mixturam* cochleatim sumendam: Acremon. *Pleuritis.*

Rec. *Aq. fl. samb. chærefol. card. Mar. an.* ℥ ij.
♁. *diaph. CC. philos.* ♁. *nat. ppt. an.* ℈ j.
mixt. simpl. ʒ j. *ess. anod.* ℈ j.
sir. papav. err. ℥ ß. *M.*

Loco dolenti litum:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ʒ vj. *axung. mur. mont.* ʒ iij. M.

Interdictum vino potuque frigido. Asservetur in crastinum urina.

§. Russeti *Filiolo* tertio biennali morbillorum signa edenti cochleatim: Russeti *filiolus tertius.* *Morbilli.*

Rec. *Aq. fumar. fl. samb. card. ben. an.* ℥ iß.
epil. L. ʒ ß.
♁. *diaph. cryst all. ppt. an.* ʒ ß. *sir. fumar.* ℥ ß. M. [17. *Apr.*]

XVI. Campyloxyli uxor. *Febr. tert. int.* § Campyloxyli *Uxor* (d. 9. *Apr.*) paroxyſmos ſuos *tertianarios* ſatis vehementes hactenus ſuſtinuit, &, cum nulla plane graviditatis ſigna comparerent ipſaque *purgans* medicamentum indeſinenter flagitaret, alia quoque via *febrim* ſine recidivæ metu curari non poſſe ſcirem, re probe ponderata ordinavi *pilulas*:

Rec. *Extr. cathol. gr. xv.*
magiſt. ſcamm. gial. an. gr. vj. M.
c. elix. propr. F. pil. nr. xviij. de ☉, pro I. doſi.

Luſca. *Tertiana.* § Luſca, alutarii *uxor*, 46. circ. annorum jam ab octiduo *febritat*. Typus eſt *tertiana*. Paroxyſmi ſunt valde vehementes, cum *vomitibus*, frigore per 3. horas, æſtu per 12. horas durante, cum ſolutiſſimo ſudore & ſummo fere ſyncoptico languore, fere ſemper per trihorium anticipantes, ſiti, maxime durante frigore, affligente. Dixerat, ſe interea perſuaſam fuiſſe de *febri continua maligna*, propter *deliria* quoque in æſtu tam diuturno præſentia; bibiſſe ad æſtum compeſcendum ſuaſu muliercularum *aquam deſtillatam iridis noſtratis*, & ſe refrigerari ſenſiſſe. Capitis dolor ſummus in paroxyſmo. Pauperi dedi *electuarium purgans* conſuetum & poſtea *pulverem febrifugum*, cujus ſingulis 5. horis, etiam in medio paroxyſmo, 3. cuſpides cultri dentur cum quolibet vehiculo:

Rec. *Rad. gentian. cort. fraxin. an. ℥ſs.*
⊖. *abſinth. ʒj. caryoph. arom. ʒſs.*
ſacch. a. ʒj. M.

Carpis *emplaſtrum febrifugum* conſuetum. Abſtineat a potu tempore frigoris. Bibat aquam, in qua panis toſtus madeſcit.

Pulvis ille me nunquam, quod conſcientiam teſtor, etiam in biennalibus *quartanis*, deſtituit, ſed ob inſignem amaritiem ab omnibus aſſumi vel non vult, vel non poteſt. [d. 17. *Apr.*]

Uſias. § Uſias cum ſuis medicamentis multum profecit omni pæne & capitis & brachii dolore ſublato: Et, cum adhuc de *mixtura diaphoretica* nonnihil reſtaret, ut hac quoque die in lecto maneret, reliquumque ſucceſſive exhauriret, non omiſſo *linimento* & *emplaſtro*, ſuaſi. Cum etiam nuper ſerum ſanguinis e vena ſecta prolecti valde ſalſum eſſet, ipſeque cum copiis noſtris in BATAVIAM abituriret, loco *thea* vec *caffe* in itinere potare juſſi *infuſum*:

Rec. *Rad. ſarſapar. ℥ij. chin. ℥j. liquir. ℥ſs.*
herb. thee. ℥j. trifol. fibr. beton. an. mſs. ſcc. cont. D.

In quolibet autem paſtu ſcum primo vini hauſtu ſumere gutt. 60. *elixiris balſamici*, vitatis, quantum poſſibile, diætæ erroribus.

§. Epi-

§. Epimeletis *Uxor* [d. 8. *Apr.*] jugi uſu *infuſi*, *elixiris* & *unguenti* a languore, inappetentia, ſiti & cumprimis horrido ſymptomate, *ſudoribus* ſcil. glaciei contra gelidiſſimis omnino liberata, per DEI gratiam, læta vivit. XVI. Epimeletis *uxor.*

§. Requiſiti a *Magiſtratu* inſpeximus mulierem 36. annorum a marito derelictam; Totum caput *tuberibus*, cervix & collum *ulceribus venereis* fœdiſſime conſpurcata; Labia ſcabie fœda obſeſſa. Pedes utrinque ad usque genua *ulceribus venereis* adeo deturpari, ut dexter ab initio ſuræ usque ad tarſum profunde ad tibiam usque depaſtus, profluente cadaveroſo pure, ſiniſter autem ab iisdem *ulceribus* perſanatis, veſtigiis multis interſtinctus fuerit. Virium debilis eſt ac tota contabuit, parum appetit, noctes inſomnes ducit. Et cum iſta *lue* jam per quadriennium laboret, a *Medicis*, *Chirurgis* & *Pharmacopolis*, forſan & aliis, curas multas ſuſtinuerit, earumque aliquas ſine ullo, nonnullas cum apparente ad tempus fructu; igitur eam quidem incurabilem non pronunciamus, medicationem tamen & requiri diuturnam & ſumtuoſam arbitramur.

Hæc mulier infantem a parentibus derelictam ante quadriennium ſuſcepit nutriendam, quam ea labe infectam, ſeque inde contagium hauſiſſe, affirmat. Hoc fieri poſſe, immo fieri frequenter, haut inficiandum. An vero & hæc ipſa per hujusmodi contagii modum iſthanc *luem* contraxerit, ejus conſcientiæ relinquimus.

XVII.

XVII.

MErcurius mane tertiam quarti gradus lineam propemodum attigit, liquor *thermometri* qualis heri noctu. Veſperi Mercurius iterum ad primam quarti gradus lineam deſcendit, & liquor *thermometri* medietatem quinti gradus attigit. Serena dies erat & valde calida.

§. Mane vocatus ſum ad puellum 24. ſeptimanarum Phacaulitis, qui per aliquot horas cum indeſinentibus *convulſionibus epilepticis* colluctabatur. Dixerunt vegetum & hilarem, bene quoque paſtum infantulum in cunas noctu repoſitum eſſe, poſtea vero, quum convelli cœpiſſet, ſe præter alia adhibita ante horæ dimidium cervicali ſuppoſuiſſe ſoleam equi ferream cum clavis caſu repertam (ein ungefehr gefundenes Hufeiſen) & ſtatim ſenſiſſe puellum mitius convulſum & quietiorem factum. Ego, animadverſa in ore ſpuma, ſudore frigido & reſpiratione lente reciprocante cum ſtertore; nolite, inquam, iſthanc quietem ſoleæ ferreæ acceptam ferre, nam puellus veſter agonizat, neq; volui quidquam ordinare. Victus tamen impudicis flagitationibus, naribus admoverent ſuaſi Phacaulitis *filiolus*, *Epilepſia.*

liquo-

XVII. *liquorem CC. succinatum*; fontanellæ cerebri & scrobiculo cordis, *emplastrum theriacale*; nuchæ, vertici, temporibus *balsamum ex ol. nuc. mosch. expr. succin. rut. ℞ llatis & axungia castorei vera*, dato prognostico, puellum ante exspiraturum, quam ancilla ex officina rediisset. Paullo post animulam exhalavit.

Reminiscetur *Lector* eorum, quæ supra suo loco dicta sunt de *medicamentis* durantibus motibus *epilepticis* nunquam intus propinandis, & de longa duratione paroxysmorum plerumque lethali.

Monstrabant quoque communicatum sibi ab amico insigne frustum *ungulæ alcis*, & *visci querni*, capiti supponenda, quæ jam multa miracula patrarint. Inepta hæc sunt, nec tamen ea semper amoliri convenit.

Mater infantis lamentabatur valde, num forte caussa mortis filiolo fuisset *lapis bezoar* propinatus, quem aliqui nimis drasticum fuisse dixerint. Se angi in conscientia &c. Dixi, frustra angi, nec prudenter inquirere in caussas mortis externas. DEUM sæpenumero nolle, ut parvuli diu vivant.

Acremon. *Pleuritis notha.* §. Acremon noctem bene & quiete transegit. Dolor punctorius sub mamilla cessavit, æstus deferbuit, pulsus erat naturalis. *Tussis* tamen adhuc cum *dyspnœa* vexabant; Urina erat turbida cum multo sedimento farinaceo albo, venæ turgidæ. Cum venæsectioni adsuevisset, ea hodie administrata; sed sanguis erat pelle alba densissima investitus, qualis apud *pleuriticos*, cujus tamen nulla amplius vestigia aderant, solet. Talem tamen in omnibus venæsectionibus jam inde pluribus annis observari, nec inde se pejus unquam habuisse, affirmabat. Dixi, ut reliquum suæ *mixturæ* successive exhauriret, ac *infusum* catharticum sequens ordinavi:

Rec. *Herb. prass. chærefol. an. mj.*
rad. bryon. helen. an. ℥ß. liquir. ʒiij.
sem. anis. ʒij. bacc. junip. ℥j. agar. troch. ℥ß.
fol. senn. s. s. ℥jß. rad. mechoac. a. rhabarb. an. ʒiij.
passul. min. ℥ij. Tart. crud. ℥ß. cass. lign. ʒiij.
Conc. cont. infundantur & bibantur more consueto.
(d. 19. *Apr.*)

Artotauri *filiola.* §. Artotauri *filiolæ* natu majori (26 *Mart.*) post variolas desiccatas ordinavi *haustulum laxantem*, ex *gial. n. resin. gr. xij. sir. de cich. c. rh. ʒvj. aq. cinnam. ʒj. M. pro 1. dosi*: & labrum inferius adhuc turpi crusta inductum inungere jussi *unguento albo camphorato*.

§. Apud

§. Apud Rotarium medicamenta heri ordinata, quoad *arthriticos* dolores multum profecisse videbantur, sed *asthma*, cum tussi & exscreatione pituitæ viscidæ adhuc negotium facessebant, quibus tollendis *purgatione* ad aliquot dies opus esse dixi. Postquam vero *infusum* deprecatus esset, hujus loco tres *pulveres* ordinavi, ex jure calido mane sumendos cum regimine: XVII. Rotarius *Arthritis.*

Rec. *Rad. gial. n. resin.* ℥j. *mechoac. a.* ♁. *diaph. an.* ʒß.
Crem. Tart. ℈ij. *dacryd. gr.* vj. *M. F.* ♃. *divid.*
in 3. p. æqu. (d. 19. *Apr.*)

§. Grapteris emissum cum sanguine serum erat valde salsum, substantiæ inæqualis, globuli sanguinis mucori innatantes. Parum appetit. Sæpe ex capite, & cumprimis occipite ad nucham dolet. Ordinatum *jus chærefol. pimpin. bellid. cochl. spinach. & rad. petrosel. medicatum* conditum, & in singulo pastu haustus *vini absinthitis compositi*, ex *com. absinth. fl. cent. min. fol. menth. c. salv. rad. caryophyllat. cort. aurant.* Grapter.

§. Apud *phthisicam* Actuarii *uxorem* (d. 13. *Apr.*) nil profecimus omnino *pilulis antifebrilibus*. Conqueritur potius de summo & vix tolerabili æstu nocturno prævia levi horripilatione. Res ad interitum properare videtur. Summis precibus flagitat, ut æstui illi, si possibile, mederer. Sumat mane & pomer. 3. cusp. cultr. de *pulvere* tali ex vehiculo in magna siti seorsim quoque hauriendo: Actuarii *uxor.* *Phthisis.*

Rec. *Rad. alth. liquir. an.* ʒij.
lap. prunell. siliq. dulc. an. ʒij.
elæosacch. anis. ʒij. *M.*

Rec. *Aq. acac.* ℥iiij. *endiv.* ℥ij.
sir. rub. id. ℥j. *M.*

Noctu sitibunda capiat identidem haustum *seri lactis caprilli*, cum *succo citri* parati. Pergendo cum *vino medicato.* (d. 22. *Apr.*)

§. Trichuli *Filiolus* (31. *Mart.*) cum satis bene convaluisset a nuperis nunc magno obruitur æstu c. siti & inappetentia: Trichuli *filiolus.*

Rec. *Aq. fl. til. rut. resar. an.* ℥iß.
sir. fl. pæon. ʒiij. *rub. id.* ʒiß. *M. D. cochleatim.*

Emplastr. theriacale fontanellæ capitis & scrobiculo cordis. (d. 20. *Apr.*)

§. Kobius 22. annorum, Musicus, texturæ teneræ, nuper diætæ multis erroribus per aliquot tempus obnoxius, lassitudine corripitur, cum *dyspnœa*, inappetentia, scotomia, dolore capitis. Patitur inter- Kobius. *Dyspnœa palpitatio*

XVII. dum anxietates circa præcordia, solvitur in cogitationes tristes, continui sunt in capite susurri. Nonnunquam etiam tormina. Plura, quæ persuadeant, de affectione hypochondriaca, signa. Mane dedi ⊖. *polychr.* ℥ß. in jure soluti. Postea imperavi *venæsectionem*, & post hanc *jusculum cochlearia, fumar. acetos. chærefol. pimpin. & rad. filic. rec. medicatum*, ad 3. sept. Item in primo haustu *vini* tempore prandii, & noctu ante somnum, *elixiris balsamici.* guttas 60. (d. 23. *Apr.*)

Lusca. §. Lusca vehementer ab *electuario* fuit evacuata, & hac vespera petit aliquid refrigerans, sitimque leniens, alias se id noctis manere non posse. Scripsi *mixturam* cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. acetos. borrag. rub. id. an.* ℥iij.
sir. acetos. citr. ʒvj. ~🜂. ℈ß. *M.*

Incipiat nunc uti *pulvere febrifugo.*

Cephali *filiolus Epilepsia.* §. Ad Cephali *Filiolum* semestrem hora noctis decima vocatus, eundem plane inveni, qualem hodie mane *filiolum* Phacaulitis. Eadem quoque flagitantibus præscripsi; sed idem etiam eventus. Moriebatur enim intra 11. & 12. mane horas.

XVIII.

XVIII.

MErcurius ascendit præterita nocte usque ad tertiam quarti gradus lineam; liquor *thermometri* occupavit exacte quartum gradum. Vesperi Mercurius iterum ad primam dicti gradus lineam descendit, & liquor *thermometri* medietatem 5ti gradus attigerat. Dies erat serena & valde calida.

Raretedius *Cardialgia.* §. Raretedius, vir 25. annorum, conqueritur de oris amaritie siti, *phlogosibus*, lassitudine, inappetentia. Assuetus est *venæsectioni*. Pressio præcordiorum post pastum. Dedi *electuarium purgans* consuetum. Jussi e mediana dextri prolicere ℥vj. sanguinis. Postea per 3. hebdomatas bibere *jusculum acetosa, acetosella, fragaria, hepatica stellata, bellide, sempervivo & rad. cichor. silv. medicatum.*

Conistici *Filiola.* §. Conistici *Filiola* post cursum plenum *variolarum*, more meo ordinavi haustulum *laxantem*:

Rec. *Pulv. gial. n. resin. gr. xiij.*
sir. de cich. c. rh. ʒvj.
aq. rosar. ℥ij. *M. pro 1. dosi.*

Magiri *filiola.* Idem factum cum MAGIRI *Filiola*, quamvis, dum *variolas* haberet, a me non curatu, 6. annorum; ea tamen differentia, ut gialapii gr. xv.

gr. xv. scriberem, & loco *aqu. rosar. aquam acaciarum reciperem.* [d.27.*May*] XIX.

XIX.

MErcurius medium quarti gradus occupavit mane, *thermometrum* hesternum. Dies erat serena, usque ad vesperam. Ventus orientalis. Vesperi Mercurius rursum quartum gradum attigerat, *thermometro* eodem, quo heri vesperi, loco consistente.

§. Acremon [d.17.*Apr.*] *infuso* sufficienter & cum euphoria semper purgatus est, sic ut doloris punctorii nil quidquam adesset amplius, immo extra lectum manere & cum suis mensæ assidere posset. Hodie autem de nausea & vomitibus multis queritur. Stomacho *infusum* esse minus gratum ratus, præcipue, quod cum nausea biberet, *emplastrum* mihi consuetum ex *theriaca nuce moschata* & *fermento* ordinavi, cum prius ægrum visitassem, exploraturus num alia quædam suspecta caussa *vomitum* cieret. Qua nulla visa, & pulsu cumprimis naturali, eoque cætera vegeto existente, *infusum* continuare jussi, roborando tamen stomacho intercalari *electuarium* ad quantitatem nucis moschatæ sumendum; Acremon.

Rec. *Elect. diacor.* ℥j. *resumt.* ℥ß.
Cor. r. ppt. CC. ust. ppt. an. ʒj.
nuc. mosch. ʒiß. ℈j. *miv. cydon.* ℥ß.
sir. cidon. q. s. M. (d.20. *Ap.*)

§. Hipparius, 40. annorum, natura macilentus, potui vini matutino assuetus, & cumprimis in ipsamet cella, de sicca *tussi* cum *asthmate*, inappetentia, horripilationibus, phlogosibus, *ephidrosibus*, languore, prodromis *phthisicis*, dudum conquestus, antidhac quoque doloribus *nephriticis* obnoxius fuit. Mense *Januario* anni præteriti vehementer *tussienti* ordinaveram *mixturam* cochleatim sumendam; Hipparius. *Phthisis.*

Rec. *Aq. acac. veron. scabios. an.* ℥ij.
-⊖ ✱ *ci. anis.* ℈j. *conf. alk. c.* ʒj.
sir. jujub. ℥ß. *M. D.*

Pilularum sequentium mane & noctu nr. *xij.* ex quolibet vehiculo deglutiantur:

Rec. *Extr. helen. liquir. an.* ℈j.
papav. err. gr. xv. croc. gr. ix.
bals. poruv. q. s. F. pil. pond. gr. j.

XIX. It. bis in die 2. cochl. *gelatinæ* ex an. *raſ. CC. & ebor.* cum aq. font. ſimpliciter paratæ ex jure carnis.

Per uſum horum aliquandiu continuatum, quum jamjam videretur *phthiſeos* Candidatus, valde contabuiſſet, artubusque tremeret, vires collegit, quales per multos retro annos non habuerat, toroſus quoque & longe, quam unquam, habitior factus. Cum vero congrue vivere, præcipue, potui vini matutino in ipſamet cella renunciare nollet, per totam hiemem præteritam iterum *tuſſivit*, quod, ob appetitum ſic ſatis vegetum, flocci pendens, ante nil uſurpavit, quam a dolore ſiniſtri lateris punctorio coactus. Interim valde contabuit, cum *tuſſi* tantum non *ferina* & *aſthmate ſonoro*. Scripſi *hauſtum laxativum* cras mane hauriendum, inſimulque, ut hac nocte experiretur, an ſuper latus affectum, an ſanum melius decumbere poſſet, imperavi. Idque hac fini, quia, ſi decumbere poſſunt ſuper latus affectum, non item ſuper ſanum, ſignum eſt vel adhæſionis pulmonum validæ in latere affecto, vel *abſceſſus* ibi latitantis, unde ſuas indicationes deſumere licet. Immo, ſi *tuſſi chronica* laborantes ſuper alterutrum latus, etiam ſine dolore, cum augmento tamen tuſſis, decumbere non poſſunt, ſignum eſt, *pulmonem* illius lateris *pleuræ* adnatum eſſe. (d. 20. *Apr.*)

Rabulus. *Anorexia.* §. Rabulus 40. annorum de *anorexia*, laſſitudine &c. queritur; eſt homo diætæ erroribus valde deditus, cruda comedere aſſuetus, & aquam frigidam in æſtu ſummo bibere ſolitus; hinc ſæpe *vomens* ac *diarrhœam* patiens. *Tuſſit*, ex capite dolet. Dedi *electuarium purgans*. *Venæſectionem* aſſueto imperavi. Ter in die *pulverem* ad 3. cultr. cuſpides per ſe aſſumendum præſcripſi:

Rec. *Pulv. ſtomach. Birkm.* ℥ß.
ſpec. diair. ſimpl. ʒij. *M.* (d. 20. *Apr.*)

Rotarius. *Arthridis.* §. Rotarius [d. 17. *Apr.*] ſufficienter *purgatus*, quoad pectoris gravitatem mitius quidem habet, ſed *arthritici dolores* more ſuo hinc inde vagantur cum tumore, unum articulum ſubinde denuo occupantes: Præſcripſi *pulveres articulares* mane & pomeridie ex quolibet vehiculo aſſumendos:

Rec. *Lumbr.* 🜄 *ſtr. ppt.* ʒij.
♁ *diaph. CC. philoſ. an.* ʒj.
♁ *nat. ppt.* ♁ *rectif. an.* ʒß.
extr. pap. comp. ℈ß. F. 10. *pulveres.*

Eodem

Eodem modo noctu assumat gtt. xxx. *mixturæ*: XIX.

Rec. ~. *cochl.* ʒj.
ess. trifol. fibr. ʒij. *anod.* ʒß. *M.*

Articulis dolentibus linimentum:

Rec. *Ungu. nervin.* ʒvj. *ol. e flor. Slot.* ʒiij.
ess. anod. ʒj. *M.*

Vir hic laboriosus est, &, cum opificii ratione in officinis frigidis laborare soleat, præterita hieme aspera vitium articulos contraxisse sentio. (d. 22. *Apr.*)

§. Thilo *potiunculam purgantem* sibi consuetam præterito autumno non, uti solebat alias, officium fecisse querens, & alias tamen formulas respuens, vesperi ante *purgationem* assumsit ʒß. *Cremoris Tartari* ex jure; mane postea hausta *potiuncula* movit alvum ex animi sententia. Thilo.

Rec. *Aq. laxat. vienn.* ℥iij. *cinnam.* ʒß.
sir. de cich. c. rh. ℥j. *M.*

Adeo non culpanda *veterum* methodus *præparantia purgantibus* præmittentium, quæ tametsi semper necessaria non sunt, humoribus per se ad secessum dispositis, non tamen omnino rejicere & ridere convenit.

§. Halietor 32. annorum a juventute delicatus & decoctor, vino ac voluptatibus deditus, largas crebro *hæmorrhagias narium* passus est, interdum etiam sanguinem exscreavit, ac eo quidem tempore, quo nares non fluebant. Quoties e vena secta sanguis mittitur, toties propemodum nihil aliquo post tempore in scutellis reperitur, quam orbiculus albus, densus, viscidus, cultro ægerrime divisibilis, instar *gelatinæ* nimium coctæ, innatans sero multo, turbido, & valde salso, ut mirum sit hominem non tantum vivere, sed satis valere posse. Nam appetit, helluatur, itinera multa suscipit, lacertosus est, quamvis pallens. Cum hodie rursum sanguinem emisisset supra delineato modo comparatum, urinam itidem exhiberet pallidam cum sedimento crasso, suasi *infusum* tale: Halietor. *Cachexia principium.*

Rec. *Rad. helen. liquir. polypod. quern. an.* ℥ß.
rhabarb. mechoac. a turbith. alb. & gummos. an. ʒiij.
herb. absinth. cent. min. trifol. fibr. an. mß.
fol. senn. s. s. ℥iß. *passul. min.* ℥j.
agar. troch. cinnam. opt. an. ʒij.
sem. anis. ʒß. *mac.* ʒj. *Conc. cont. D.*

§. Cusani *uxor* bibit *jus medicatum* (d. 5. *Apr.*) ordinatum non sine euphoria; sed a biduo conqueritur de summo, immo interdum syn- Cusani *uxor.*

 coptico *Dyspnæa.*

XIX. coptico languore ac *dyspnœa* vix tolerabili. Non diu supervictura videtur. Ordinavi *mixturam* cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. acac. veron. meliss. an.* ℥ij.
spec. diair. f. ʒß. *croc. opt.* ℈ß.
ol. anis. gtt. iiij. diacod. crocat. ℥ß. *M.*

Mane, pomeridie & noctu sumat gtt. xxv. de *mixtura* ex quol. vehiculo:

Rec. *Ess. carminat* WED. ʒiij. *croc.* ℈j. *M.* (d. 21. *Apr.*)

XX.

XX.

MErcurius hoc mane rursum per lineam unam cum semisse supra quartum gradum ascendit, liquor vero *thermometri* totidem lineis a quarto gradu adhuc distabat. Vesperi Mercurius in quarto gradu substitit, quem eundem quoque *thermometri* fluidum æquavit. Dies erat serena & calida.

Georgander. *Cerebri humiditas.*

§. Georgander 25. annorum, a pluribus jam annis usu pedum carens, hinc inter lectiones vitam continuo sedentariam agens, de gravitate capitis, *tinnitu aurium* &c. conqueritur.

Rec. *MPil. de succin. Cr. gr. xvj.*
magist. gial. gr. vj. scammon. gr. v.
F. pil. n. xviij. una vice sumendæ.

Mane ad salivam ciendam sæpe masticet granum *mastiches.*

Metadromus. *Febris continua.*

§. Metadromus 32. annorum peregre huc profectus primo lassitudinem & inappetentiam, hinc sitim post horrorem & æstum cum magno capitis dolore sensit. Dixerat, se mane rixam domesticam habuisse, hinc jejunum cœlo fervidiore huc profectum in pago duabus abhinc horis distante, frigidissimam affatim haussisse, quum hic appulisset, evacuasse scyphum cervisia plenum, & inde statim languere cœpisse. Videbatur esse *febris continua.* Scripsi *pulveres bezoardicos*:

Rec. ♉. *diaph. CC. philos.* ⦶. *ppt. an.* ℈j.
ther. cœl. gr. ij. F. 2. *ʒes.*

Sumatur alter antemeridie, alter pomeridie ex cochleari potus ordin.

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒiß.
aq. borrag. rub. id. an. ℥iij.
F. *l. a. Emuls. add.*
oc. ♋. *ppt.* ℈ij. *Jul. rosat.* ℥ß. *M.*
subinde 3. vel 4. cochlearia hauriantur.

Os frequenter eluatur *solutione lapidis prunellæ* cum *aq. fontana.* Vitetur vinum. Indulgeat quieti & *diaphoresi.*

§. Tri-

§. Trichuli *Filiolus* [d. 17. *Apr.*] hactenus utcumque vixit. Semper adhuc æstus, cumprimis vespertini adsunt. Evomit lac, retentis pulticulis. Suasi, ut ablactaretur, si non simul & semel, sensim tamen ac paullatim. Lac enim erat serosum, tenue & cœrulescens, neque puellus libenter sugebat. Suctibus intercalari volui potum e *CC. usto, sem. anis. fœn. & fruct. dactyl.* Ægre matri, quod plerumq; solent, persuaderi poterat. In maximi enim beneficii loco collocant, si suis infantulis, cumprimis languentibus mammam præbere possunt. Locum tamen allatis a me rationibus cessit. *Pulvisculum* præterea scripsi bis in die ad cusp. 1. cultr. dandum: XX. Trichuli Filiolus. Ablactatio.

Rec. *Cryst all. appt. ℈j.*
ebor. fossil. oc. ♋. ppt. an. ℈ß. M.

Et cochleatim *mixturam*:

Rec. *Aq. rub. id. fl. til. an. ℥iij. sir. papav. err. ℥ß. M.*

Multæ mulieres pusillos propterea non libenter ablactant, quod persuasæ sint, infanti nociturum potum non semper æqualiter calidum. Dicunt, v. gr. *Lac* in mammis æqualiter semper calere, quæcumque sit aëris temperies, quæcunque diei vel noctis hora, vel anni tempus, dummodo vestibus ab externis injuriis illæ defendantur. Sed *potum decoctum* non semper æqualiter calere posse, nunc esse justo calidiorem, nunc frigidiorem, idque pusionibus detrimentosum esse. Hinc notæ mihi sunt mulieres, quæ summo studio, diu noctuque lagenulam, in qua potus asservatur, (das Mümmelein) intra manus suas detinerent, sollicitudine sane vana & superflua. *Lac* enim in mammillis quod attinet, illud æqualiter semper calere posse, quis credat? quamvis fatendum sit, illud æque non posse frigefieri atque *decoctum*, sed & hoc actu frigidum pusillis ab initio non exhibetur, ad minimum exhibendum non est! quid autem, si manus ipsæ non æqualiter caleant, immo nonnunquam æstuant? Medico prudenti determinandum relinquimus, utro vitio magis noceatur infanti, lacte nimirum in primis qualitatibus non æque temperato, an in secundis, acrimonia, aquositate, pinguedine ♃ea, terrestreitate caseosa, exorbitante? (d. 22. *Apr.*)

§. Hipparius in latere uno decumbere potest sicut in altero. Ejus urina est sanæ similis. Leniter, at sufficienter, evacuatus est. Cum tamen dolor punctorius in sinistro latere nondum cesset, per tussim semper exercitatior, illud latus *unguento de hyoscyamo* ungere jussi, *pilulasq;* de sequentibus manæ, pomer. & noctu nr. xij. quovis modo deglutire; Hipparius. Phthisis.

Rec.

XX. Rec. *Extr. helen. liquir. an.* ʒß. *papav. err.* ℈j.
♁ *nat. ppt. gr. xvj. croc. opt.* ℈ß.
c. balſ. peruv. F. pil. pond. gr. j.

Bibat bis in die hauſtum calidum *ſpecierum pectoralium* cum aqua fontana decoctarum. Cum eum mane viſitarem, uxor urceum vino repletum e cella petitum iverat. Percontanti reſponſum, HIPPARIUM ita jentare ſolitum. Exprobranti reponebat, impoſſibile ſibi eſſe usque ad meridiem vini potu non uti. Tanta eſt vis pravæ conſuetudinis. Quis autem ejusmodi hominibus feliciter medicetur?

Sextarii *uxor.* *Suffocatio hyſterica.*

§. Sextarii *uxor jus medicatum* (d. 9. *Apr.*) ordinatum nondum bibere cœpit, partim quod *menſes* interim rediſſent, partim quod omnes herbas nondum recentes haberi poſſe prætenderet. Prius quod attinet, nihil, quod contradicam, habeo. Secundum gratis dicitur. Et poſito, quod aliquæ nondum ſuccreverint, poterant tamen illæ interim tuto omitti, dum ſuccreviſſent. Ac fortaſſe præcaveri ſymptomata & ſuffocationes hyſtericæ, quæ miſeram a biduo torſerunt, ut, prævertigine erecta conſiſtere vix poſſet, vel auderet, palpitationem cordis, *tuſſim. dyſpnœam*, ſuſurrum aurium &c. pateretur. Ordinavi *hauſtum laxativum* conſuetum. Cochleatim præbui *mixturam*:

Rec. *Aq. papav. rhœad. acac. an.* ℥ij.
hyſter. offic. hirund. c. caſtor. an. ℥ß.
ſpecif. cephal. ʒß. *ſucc. gran. cherm.* ʒiij. M.

Sub quolibet paroxyſmi inſultu gtt. xxx. *ſpir. nervin.* aſſumat, eundemque naribus admoveat. (26. *Apr.*)

Regnüzii *filiola.*

§. Regnüzii *Filiola* a pharmaco (d. 15. *Apr.*) ordinato ſufficienter purgata eſt. Nihilominus mater hodie queritur eam denuo valde æſtuare & quaſi anxietate præcordiali preſſam lanquere. Credo, non tantum maturius eam in publicum (quod jam ante *catharſin* fecerat.) prodiiſſe, ſed forte jam ſine diſcrimine incongrua varia, poma, pyra, acetaria comediſſe. Nam talia pleræque matres petacibus puſillis, dum vix caput erigere cœperunt, indulgere ſolent. Ordinavi *mixturam* cochleatim dandam, e qua ſtatim convaluit.

Rec. *Aq. rub. id. fl. til. ſcord. an.* ℥iß.
pulv march. ſpecif. cephal. an. ℈j.
ſir. rub. id. ℥ß. *M.*

Detur, & puella per diem in lecto detineatur.

§. Hale-

XX.

§. Halesii *uxor* inappetentiæ & *ardori stomachi* remedium quærit. Laudatus *pulvis* ter in die ad 3. cusp. cultr. per se capiendus: — Halesii *uxor.* *Ardor stomachi.*

Rec. *Pulv. stomach.* Birkm. ℥ß.
diaph. ♂. siliq. dulc. an. ʒj.
cret. alb. ☿. ʒij. *extr. papav. err.* ℈ß. *M.*

§. Eleutherus 32. annorum a multis jam annis valetudinarius, militiam tamen secutus, queritur de *vertigine*, *cephalæa*, anxietate periodica, murmuribus ventris, *colica* interpolata, flatibus retentis, inappetentia, *dyspnœa*, palpitatione, animi ægritudine, artuum crebris & atrocibus doloribus *Reumaticis* potius, quam *arthriticis*. Urina est utplurimum vel plane aquosa, vel nimium tincta & crassa. Multis jam usus est medicamentis: *acidas* quoque bibit. Symptomata hæc collective sumta mihi *hypochondriacam affectionem* significare videbantur: Noctu cubitum iturus, cras mane, & rursum noctu sumatur *pulvis digestivus* ex jure calido, vel alio vehiculo: — Eleutherus. *Affectio hypochondriaca.*

Rec. *Rad. ar. ppt.* ʒj. *Tart. ⊕ lat.* ʒß. *M. F. 3.* ☿.

Postea mane haustus *infusi* sequentis, deambulando per horæ dimidium:

Rec. *Herb. fumar. mj.*
fol. ceterach. trifol. fibr. fl. cent. min. an. mß.
rad. filic. gentian. an. ℥ß. *Zedoar. liquir. an.* ʒiij.
ras. lign. sanct. sassafr. an. ℥iß.
fibr. helleb. n. rad. polypod. qu. an. ʒvj.
fol. senn. s. s. passul. min. limat. ♂. fin. an. ℥iß.
cinnam. ac. sem. anis. an. ʒij.
⊖. Tart. ℥ß. *mac.* ʒj. *Conc. cont. D.*

Pomeridie & noctu sumat gtt. LX. *mixturæ* ex haustulo vini:

Rec. *Elix. balsam.* ♌. *nervin. an.* ʒij. *M.*

Ab externis, cum & parum juvare soleant, & ægrotus hic famulitio aliisque commoditatibus, quippe peregrinus, destituatur, consulto abstinui, contentus, dummodo ad regulas diætæ magis necessarias, de quo dubito, vivere possit. (d. 2. *May.*)

§. Magiri *Filiola* (d. 18. *Apr.*) *biennis* in *variolarum* tramite alacriter deproperat, sed difficilis valde est ad medicamenta. More igitur solito *materiam perlatam* ordinario potui, ulterius *aqua fumariæ* Medicando, imergere, nares *butyre læo majorana* pollingere, oculos *lacte muliebri crocato* delinire, jussi. — Magiri *filiola.* *Variola.*

XX. Teloni *uxor.* *Hysterica.* §. Teloni *uxor* 30. annorum a 4. ſeptimanis puerpera cum frigori ſe nimium expoſuiſſet, *tormina immania*, ac roſiones circa umbilicum patitur, cum nauſea, vomitionibus, languore ac ſiti; quæ ſymptomata cum *hyſterica* judicarem, ordinavi *mixturam* cochleatim ſumendam:

Rec. *Aq. meliſſ. ſumar. an.* ℥ij. *hirund. c. caſtor.* ℥j.
elix. uter. (r. ʒj.
♁. *nat. ppt.* ☿. *rectif. an.* ℈j.
elæoſacch. aniſ. ʒij. *M.*

Noctu pil. Rec. *Extr. bezoard. Zedoar. an. gr.* vj.
caſtor. gr. iij. *M.F. pilulæ xvj.*

Octo nocte hac, reliquæ cras mane deglutiantur. Immota, quantum poſſibile, jaceat, probe tecta ſit, potum frigidum fugiat.

Metadromus. *Febris continua.* §. Metadromus probe ſudavit a *pulveribus* hodie ordinatis, nec æſtus poſt *emulſionem* adeo fervidus ac intenſa ſitis. Cum tamen de pervigilio quereretur, & alia conſentirent, ordinatæ ſunt ipſi *pilulæ* noctu ante ſomnum ex potu ordinario ſumendæ: Rec. *extr. bezoard. gr.* iiij. *papav. c. gr.* ij. M. F. 6. *pil.* Pergat cum reliquis, & mane urinam inſpiciendam ſervet. (d. 21. *Apr.*)

Acremon. *Dolor lateris.* §. Acremon quidem vomere ceſſat, ſed *tuſſis* nondum dedit inducias, cujus ferocia revocatus *dolor lateris punctorius* negotii multum faceſſit. Juſſi abſtinere, a *decocto purgante*, ejuſque loco ſubſtitui *pectorale decoctum.* Noctu dedi 5. *pilulas de cynogloſſa.* Loco dolenti impoſui *ceratum anodynum*, mihi familiare:

Rec. *Empl. de melil.* ℥ß. *ung. de hyoſc.* ʒij.
cer. fl. ʒj. M. (d. 24. *Apr.*)

Rabulus. *Anorexia.* §. Rabulus hac nocte more ſuo incontinentiſſimus, cum ſitiſſet, potus duos aquæ frigidæ, uxore fruſtra ringente, hauſit. Inde tormina, vomitus bini, dejectiones binæ. Differenda igitur *purgatio*, *pulvis* vero heſternus aſſumendus. *Hemicraniæ*, qua ſimul afficitur, oppoſui *unguentum de hyoſcyamo.* Cras venam ſecare juſſi, & acriter exprobravi, quod apetitui maleſano pueriliter indulgeret, nec a potu frigido eum adeo manifeſto damno conjuncto abſtinere poſſet. (d. 22. *Apr.*)

Mazus. *Phthiſis.* §. Mazus (d. 6. *Apr.*) hactenus ſine fructu utitur *jure medicato*, cui interea quoque ſuaſeram, ut *axungiæ caninæ recentis*, in qua *bellis cum floribus* ad nigredinem frixa, cochlearia duo bis in die ſumeret, unde ſibi primis diebus melius habere videbatur. Sed hodie derepente magna obrutus fuit *leipothymia* cum extremorum frigore a qua diutule durante,

cum

cum suscitaretur, summus virium & emortualis quasi languor ortus. XX.
Cochleatim sumat:

Rec. *Aq. confortat. offic.* ℥ij.
melliss. ceras. n. an. ℥iß.
spec. cord. temp. pulv. analept. fr. Mind. inc. an. ʒß.
sir. fl. tun. ʒij. *M.*

Epithema cordi: Rec. *Aq. carbunc. aur.* ℥ij.
~ lavend. ʒij. *M.* (d. 21. *Apr.*)

§. Soror *Filia* Meromsii retulit, sororem *ictericam* bis circiter hausisse *infusum* (d. 15. *Apr.*) ordinatum, summa cum nausea, nunc autem, cum levamen nullum inde sentiret, neque hoc, neque alio amplius medicamento, uti, remque suam DEO commendare decrevisse. Respondi, morbum esse gravem, inveteratum & sine dubio cum *hepatis* per se incurabili *scirrho* conjunctum. Per sororem & Parentes stare, utrum & aversioni & morbo indulgere, an in medicamentorum usu pergere velint. Mihi quidem perinde esse. **Es ist doch mit Narren kein Kind zu tauffen.** Ita plures e vulgo facere assolent. Ni statim juves, DEO se rem commendare velle dicunt. Quasi sub usu medicamentorum caussa sanitatis DEO commendanda non sit! Valeant ejusmodi patientes?

Meromsii *filia.* *Icterus.*

XXI.

XXI.

MErcurius quartum exacte gradum occupavit, liquor *thermometri* non plane medietatem illius gradus. Nox erat clara, sed frigida. Vesperi mercurius ad medietatem usque sui gradus ceciderat, fluidum contra *thermometri* gradum dictum duabus lineis superaverat. Serena dies erat, & calida.

§. Tarrhœnus 56. annorum *nephritidi* obnoxius, jam ante triennium a me accepit *pulverem nephriticum* euporistum jam aliquoties descriptum, a cujus usu primo diligenti exoptatissime levatus fuit. Quod vero jugem usum alternis, ternis &c. diebus negligeret, subinde recidivam, licet longe mitiorem, passus est, quæ præsens statim repetito *pulvere* abigitur. Nuper neonuptus cum juvencula, nimium fortasse rerum suarum satagere nitens, miles veteranus, nephritica, rursus symptomata, sed cum pectoris angustia & *asthmate* cum *ronchis, tussi, &c.* sensit. Ordinavi *infusum* utrisque malis accommodatum;

Tarrhœnus. *Nephritis.*

XXI. Rec. *Rad. helen. filic. an.* ℥vj.
Zedoar. angel. liquir. an. ℥iij.
herb. marrub. veron. scabios. an. mj.
fl. acac. mß. sem. anis. ℥ij.
bacc. junip. fol. senn. s.s. an. ℥j.
rhabarb. ver. ℥ß. *rad. mechoac. a. agar. troch. an.* ℥iij.
passul. min. ℥iß. ⊖. *Tart. cass. lign. an.* ℥ij.
mac. ʒj. *croc.* ʒß. *Conc. cont. more nostro infundantur & bibantur.*

Metadromus. §. Metadromus hac nocte magis, quam præcedentibus, dormivit, sub diluculum in sudorem solutus. Cum tamen & sitis adhuc premeret, & pulsus esset cum celeritate magnus, & urina tinctior, administrata fuit *venæsectio* e mediana dextri ad ℥vj. De dolore capitis rugitibus ventris verba insuper facienti, eosque flatibus adscribenti, scripsi *mixturam* cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. fœnic. fl. til. an.* ℥iiß. *cinnam. buglos.* ℥j.
♁. *diaph. cryst all. ppt. an.* ʒß.
conf. alk. c. ʒj. *sir. acetos. citr.* ℥iij. *M.*

Pomeridie offendi, qualem meliorem optare non poteram. Pransus erat cum appetitu, capitis dolor cessaverat, tremores artuum remiserant, calor p. naturalis cum siti abacti, sanguis emissus floridissimus, apte sibi cohærens, sine difficultate scissilis, serum paucius & flavum; sic ut ipsum bene sperare juberem de exantlata *febri continua*. In urina tamen animadvertebam phænomenon mihi ad minimum rarum, cuticulam nempe versicolorem, rubram, flavam, cœruleam, argenteam, auream instar caudæ pavonis vel cuticulæ aquis stagnantibus nonnunquam innatare solitæ, quam Alchimistæ nonnulli curiose collectam vocare sueverunt *terram adamicam* & *mercurium Philosophorum*, ibiq; nescio quid universalis & benedictæ materiæ extorquere nituntur. B. noster Keiselius *Ann. VIII. Dec. I. Eph. Cur. Obs. 28.* B. Tackium ita de urina differentem adducit: *Si diu in vitro, detinueris urinam, illa prope fornacem colores varios induet, & instar auri colorabitur in superficie. Sic enim humidum radicale paulatim ad superficiem egreditur, ob menstrui salisq; extraversi conditionem, cum videamus* aquas vitriolatas *auri colore tingi stantes & solari luce irradiatas, &c.* Sed nostri urina neque diu in vitro detenta, nec prope fornacem, sed in cubiculo frigido ad fenestram collocata fuerat. Ettmüllerus *Opp. Part. I. p. m. 378.* de pellicula pingui urinæ supernatante

tante scribens, eam sæpe cum simili crusta ⊖na confundi dicit. Rationem autem differentiæ in eo consistere, quod talis crusta, si sint recrementa ⊖na inspissata ad latus juxta lucem aspecta varios colores instar pavonis caudæ vel instar *iridis* repræsentent; infallibile signum *mali hypochondriaci* aut *scorbutici*. Sed urina nostri etiam oculis perpendiculariter applicatis hos colores exhibuit, & crusta tam erat crassa, quam etiam luscus in luce non admodum clara spectare potuisset. Vid. m. WILLISIUS *de urin. cap. 5. th. 6.* Ubi concretionem hujus crustæ dependere ait a particulis ⊖*is* fluidi vel acetosi, cum aliis ⊖is fixi & alcalisati combinatis & sanguinem indicet a natura dulci & balsamica in acidum & corrosivum desciscere, affectusq;, in quibus reperiri solet, esse *sputum sanguineum*, *athrophiam* & dispositionem *hypochondriacam*. Nos cum anno præterito varias aquas minerales examinaremus, cumprimis observavimus, si *acidulis* GÖPPINGENSIBUS & UBERKINGENSIBUS instillaremus solutionem ♂. ♀. ⊕*li* ♂. & ⊕. ♀. ortam fuisse in superficie caudam ejusm. pavonis; sed idem quoq; factum ab affusione solutionis gallarum, immo admixtus violarum sicubus postero die talem pelliculam exhibuit. Quidquid sit, dependent talia a *salibus in fluorem & fixitatis statum redactis*; hinc nostrum quoque *hypochondriacum* esse nullus dubito. (d. 22. *Apr.*)

§. Mazus hodie melius habet, ac leipothymiæ desierunt. Interim tamen vires quotidie decrescunt, tussis autem augetur. Pergit cum *pinguedine canina* viribus *bellidis* impraegnata, & bibit *decoctum pectorale*. [d. 26. *Apr.*] Maz us. *Phtisis.*

§. Cusani *uxor* (d. 19. *Apr.*) mitius equidem respirat interdum, sed summa tamen adest virium debilitas, interdum *leiporthimiæ*, *cordis palpitatio* &c. jussi pergere cum *mixtura*. Sumat interdum cusp. cultr. de sequenti *pulvisculo cardiaco* per se, vel ab aliis requirente languore ipsi præbeatur: Cusani *uxor.*

Rec. *Elæosacch. cinnam.* ℥ij.
♁. *nat. matr. perl. ppt. subtiliss. trit. an.* ʒj. *M.*

Scrobiculo cordis super corium extensa *mixtura* ex an. *ungu. pomat. cerat. santal. & succ. gran. cherm.* imponatur. Bibat *emuls. amygdal.*

§. Ephippi *Filiola minima* (de qua 28. *Mart.*) hactenus vires egregie collegit ad sensum facta sanissima. Heri cœpit affligi diarhœa, excrementa habent strias sanguineas. Frequentissime excernit, nec tamen admodum viribus frangitur aut æstuat. Appetitus est bonus. *Tenesmi* signa quædam. Perterritos ac de *dysenteria* sollicitos bono animo esse Ephippii *filiola min.*

 jussi.

XXI. jussi. Vegetior enim cætera fuit infans, quam in *fluxu dysenterico* licuisset, neque striæ sanguineæ statim sunt indices *dysenteriæ*, quales etiam in symplici *tenesmo* cum mucosa excretione observantur. Cochleatim præbere jussi:

Rec. *Aq. plantag. fl. til. an.* ℥iß.
cinnam. cydon. ʒvj.
Cor. rubr. ppt. ebor. fossil. an. ℈j.
extr. papav. c. gr. iij. *sir. cydon.* ℥ß. *M.*

Stomachi regio ungatur oleo *nucis moschatæ expresso*. Potui detur *emulsio amygdalina*. [d. 26. *Apr.*]

Artigoni *uxor.* §. Artigoni *uxor* 40 annorum ante triduum horruit cum æstu insequente valde intenso, dolore capitis, rubore faciei, oculorum inflammatione, ac tumore: sudavit, sed sine levamine: adest sitis ac inappetentia cum pervigilio. De *erysipelate faciei* pronunciavi. Nox erat. Nil aliud ordinavi, quam sex *pilulas* ex vehiculo frigido sumendas:

Rec. *Extr. bez. Cam. papav. comp. castor. an. gr.* ij.
M. F. 6. pil. pro 1. dosi.

Collyrium ex *mucilag. sem. cydon. c. aq. ros. extr. & cum album. ovi conquassato remixta*, spleniisque excepta, & oculis superligata, calefaciendo prius. Potus sit aqua, in qua crusta panis tosti maduit. (d. 22. *Apr.*)

XXII.

XXII.

MAne *Barometrum*, quale heri vesperi, *thermometrum*, quale heri mane. Mercurius vesperi subsederat per dimidiam lineam, liquor *thermometri* hesternum vespertinum locum occupavit. Tonabat vesperi, sed sine pluvia.

Trichuli *filiolus. Convulsionum metus.* §. Trycholi *Filiolus* (d. 20. *Apr.*) adhuc varia præludia *convulsionum epilepticarum* præbet, reciprocante æstu singulis vespertinis horis, cum tussi tantum non ferina. Priori *pulvisculo* admiscui *lap. bez. occid. gr. xv.* & insuper laudavi *mixturam* cochleatim propinandam:

Rec. *Aq. scabios. fl. til. an.* ℥ij.
sir. jujub. fl. pœon. an. ℥ß.
🜍⊖✱ci. anis. ℈j. *M.*

Balsamum cephalicum scripsi tale:

Rec. *Ol. nuc. mosch. expr.* ʒß.
rut. succin. an. ℈ß. *M.*

Et cum gingivulæ tumeant, transparentibus dentibus, eas illinere volui *mucilag. sem. cydon. cum melle rosato mista.* (d. 25. *Apr.*)

§. Meta-

§. Metadromus meus, cum omnia esse in vado sperassemus, hac nocte miras lusit comœdias: surrexit e lecto, phantastica varia locutus est, adesse fures pecuniam ablaturos, latrones occisuros & alia sexcenta, sic, ut in lecto detineri non posset. Mane inveni vestibus indutum, in cauponis hypocausto sedentem, ac numerantem pecunias, & cum insuper artuum novum tremorem conspicarer, pulsus celer & magnus esset, oculi scintillarent &c. malignitatem adesse ratus ordinavi pulveres: XXIII. Metadromus.

Rec. ♁ *diaphor.* ⊖ *ppt. an.* ℨß. *camph. gr. iiij. Divid. in 2. p. aq.*

Sumantur antemeridie & pomeridie ex quolibet vehiculo. Cum *mixtura* hesterna pergatur. Conferat in lectum semet ocyus & ibi maneat, nec per momentum solus relinquatur. Patiatur sibi affigi vesicatoria. (d. 23. *Apr.*)

§. *Uxor* Artigoni hanc noctem benetransegit; tumor faciei aliquantillum subsederat, cum eo, qui palpebras infestarat. Urina nil febrile ostendebat. Ut reliquiæ *erysipelatis* propellerentur, suasi *mixturam* diaphoreticam, cujus per singulas horas unum cochlear assumatur, pro cienda diaphoresi, ad quam promovendam in lecto maneat per totam diem: Rec. *Aq. fl. samb.* ℥iij. *fumar. card. bened. an.* ℥j. Artigoni *uxor.* *Erysipelas.*

♁ *ij diaphor.* ℨj. *rob. samb.* ℨij.

CC. philos. ♁ *nat. ppt. an.* ℈j. *M.* (d. 23. *Apr.*)

§. Erythroclathri *Filiola* per omnia bene habet, squammæque *variolarum* ubique decidunt. Petit solummodo, ut *tussis* levaretur, quod sequentem in modum tentavi: Erythroclathri *filiola.* *Variola.*

Rec. *Aq. scabios. veron. an.* ℥ij. *cinnam. bugl.* ℥ß.

sir. capill. ♀. *jujub. an.* ℥ß. *M. D.* (d. 29. *Ap.*)

§. Actuarii *Uxor* (d. 17. *Apr.*) tussit & spirat, ut antea, & de nulla re magis queritur, quam de æstu nocturno intolerabili, rationi quoque infenso, cum sudore frigido perpetuo. Nec æstum a nuper ordinatis minui dicit, *serumq; lactis caprilli*, ut a se bibatur, impossibile asserit. Suasi perunctionem totius spinæ dorsalis cum an. *ungu. resumt. & infrig. gal.* *emulsionem* sibi paret ex *amygdalis dulcibus* quarta parte seminis cucurbitæ admixtis. Cum reliquis pergat. [d. 10 May.] Actuarii *uxor.* *Phthisis.*

§. Lineti *Uxor* (29. *Mart.*) sic ad me scribit: Significo, me aliquanto melius habere & in publicum egredi posse. Subinde tamen recurrunt dolores capitis, ventriculi & lumborum. Interim potu *theiformi* defuncta summagno meo cum gaudio, siquidem, quoad vixi mihi nil magis insuave visum. Interim de gravitate propemodum convicta sum. Tumet venter, *tument mamillæ*. Cum autem quatuordecim septimanæ demum Lineti *uxor.*

præ-

XXII. præterierint, motum sentire nondum valeo. Velim igitur, mihi scribas, an adhuc eo sis animo, ut gravida GÖPPINGENSES *aquas* ac *thermas* BOLLENSES adeam. Porro, quo tempore, quantum bibendum, quam profunde balneo insidendum, quamdiu hæc continuenda? quippe hæc omnia me scire necesse est. Cura enim tali me hoc anno carere posse non credo, &c.

Respondi, me de affulgente spe convalescentiæ lætari, sanitatem promotum iri, si *confectione alkermes hysterica* tali diligenter utatur, mane & noctu, ea quantitate, quæ *nucem* æquat *avellanam*:

Rec. *Sir. gran. cherm. Coral. an.* ℥ß.
pulv. cinnam. ac. lign. al. succin. a. ppt.
smaragd. ppt. an. ℈j.
extr. castor. ℈ß *fol.* ☉. *nr. ij. M. F. elect.*

Dolori capitis & ventris absque dubio continuatus *cucuphæ cephalicæ & sacculi hysterici* usus medebitur. *Fontem* & *balneas* adeunda, non obstante, quod sit gravida. Adfuturas hujus commatis plures feminas. Expectandum vero graviditatis medium, & tunc me curaturum, ut circa omnia, quæ his in locis quoquo modo sunt observanda, sufficienter instruatur.

Linetus. Præterea scripsit ipsummet LINETUM jam per duodecim dies bibisse *decoctum bromium*. *Vertiginem* & *aurium tinnitum* nondum cessare, sitim autem præternaturalem evanuisse. Spem feci, quia me satis profecisse putem per has 12. dies in expugnatione molesti *symptomatis dipsii*, fore, ut continuato potu, de *vertigine* quoque ac *aurium tinnitu* triumphaturi simus.

Vertagi *filius. Morbilli.* §. Vertagi *puer* 12. annorum texturæ teneræ, dolet ex capite, sitit, æstuat, tussit *vomit*; genæ rubentes, pulsus celer & magnus, dormituritio. Parturit exanthemata; cochleatim præbeatur *Emulsio*:

Rec. *Sem. melon.* ℥iij. *aquileg. nap. an.* ℨj.
aq. fumar. card. bened. veron. an. ℥ij.
F. l. a. Emulsio. add.
bez. miner. cryst all. ppt. an. ℈j.
sir. fumar. ℥ß. *M.*

Maneat in lecto, bibat *arthydrum aqua fumaria* mixtum. (d. 23. *Ap.*)

Rotarius. *Arthritis.* §. Rotarius (d. 19. *Apr.*) tumet quidem adhuc in articulis plerisque, sed sine dolore notabili. Queritur tantum de *tussi* sibi valde molesta,

lesta. Pergat uti medicamentis *arthriticis* tempore supra dicto præscriptis, & in die ter hauriat calidum potum *decocti pectoralis*. (d. 27. Apr.) XXII.

§. Rabulus (d. 20. *Apr.*) post venam heri sectam pejus quam ante habuit; æstus fuit auctus, levia fuere *deliria*, dolor capitis summus, anxietas circa præcordia: *febris continua* non sine malignitate signa. Sumat partem dimidiam *haustus alexipharmaci* hac nocte, medietatem alteram cras mane: Rabulus. *Febris continua.*

Rec. ♁. *diaph. CC. philos. an.* ℈j
mixt. simpl. ℈ij.
aq. card. bened. scord. an. ℥iij.
elect. diascord. ʒij. *M.* (d. 25. *Apr.*)

XXIII.

XXIII.

MAne Mercurius iterum medium quarti gradus tenuit, liquor *thermometri* quintum exacte gradum. Vesperi Mercurius parumper adscenderat, liquor *thermometri* contra per integrum gradum subsedit. Dies erat serena, ventis levibus intercalatis.

§. Arcterius miles quadragenarius apluribus annis languet. Afflictus *cephalæa*, & doloribus artuum lacerantibus, *lui venereæ* adscriptis. Hinc *salivationem* bis nullo cum levamine sustinuit, sed curam dirigentibus *Chirurgis Castrensibus*, qui haut raro *scorbutum* pro *lue venerea* habent, ac in *salivatione* instituenda valde quidem audaces, raro tamen felices, quidquid etiam glorientur, existunt. Sane, si ulla est cura, quæ insignem prudentiam cautelasque maximas requirit, est ea *salivatio Mercurialis*, cujus sinistras applicationes eventu sinisterrimo comitatas non semel observavimus. Ante annum me hic homo convenit, petens purgationem; Dedi *pulverem*: Arcterius. *Scorbutica sympt.*

Rec. *Gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈j.
dacryd. gr. iij. *M. pro una dosi.*

Erat 18. *Aprilis*. Nullam sedem movit. Redeunti 25. *Aprilis* ordinavi *pilulas*:

Rec. *Extr. cathol.* ☿ *ii dulc. rit. par. an.* ℈j.
magist. gial. gr. vi. M. F. pil. pond. gr. j. pro 1. dosi.

Respondit voto successus. Artubus adhuc vehementer dolentibus prospecturus post purgationem adivit nostras *ferinas*. Balneavit. Semper absoluta lotione sumsit consueto more tragema:

Rec. *Pulv. stomach. Birkm.* ℥j. *trag. arom. offic.* ℥ij. *M.*

XXIII. Fructum a balneo percepit, sed non durabilem. Hinc enim in militiam denuo abiens, in locisque palustribus, æstu summo, multum degens, paulatim incrudescere cassa symptomata comperit. Accepta venia contendit in opidum vicinum, ibique se curæ *Neopractici* submisit. Inter varia præscripta potissima sunt sequentia:

Rec. *Ess. lign. mixt. simpl. an.* ℥j.
Rad. bezoard. essent. ʒiß. *anod.* ℈ß. *M.*

Mane & pomeridie sumantur gtt. 50. ad 60.

Rec. *Pulv. cephal. March. bezoard.*
♁. ♂. cachect. ♁. nat. opt. ppt. an. ℈j.
pulv. stomach. Birkm. ℈ß. *ther. cœl. gr.* iiij. *M.*
F. ☿. pro 4. dosibus.

Hora 9. nocturna sumatur una dosis.

Rec. *Spir. formic.* ℥ß. *lumbric. volat.* ʒj.
CC. ʒij. ⊖✱. ℈j *M.*

Mane & noctu ante somnum articuli dolorifici omnes inungantur. Hæc ordinata 6. *Oct.* 1708. Cum parum proficeretur d. 11. *Octobr.* substituta talia:

Rec. *Pulv. cachect.* ♁*n.* ʒiß. *bezoard. cephal. Cam.* ʒj.
stomach. Birkm. ʒß. *anis. querc.* ℈ij.
acid. Tart. rubr. ℈ß. *Spec. diaturb. c. rh. gr.* xv.
ol. carminat. Myns. gtt. iij. *M.*

Sumat mane & pomerid. cusp. 4. cultr. ad sopienda, quæ simul excitata fuerant, tormina. Continuus simul fit usus *essentiæ* D. 6. *Oct.* ordinatæ. His igitur nil efficientibus Compositio magistralis *arthritidi vagæ* dicata Orchestram occupavit: Potio nempe, cujus cochlearia quatuor mane adhuc in lecto cubanti, bibenda, & adhuc per horam quiescendum fuit;

Rec. *Rad. pœon. bardan. an.* ℥iß.
lign. sassafr. lentisc. an. ʒvj.
visc. quern. til. an. ʒij.
sem. cochl. nasturt. hort. vitic. eruc. an. ʒij.
Coq. in s. q. aq. font. ad ℔ij. *Colat. admisc.*
lumbric. major. vino ablut. & contus. n. xxxv.
succ. cochl. beccab. nast. aquat. fumar. an. ℥iiiß.
cinam. el. cubeb. an. ℈iiiß.

Bulli-

Bulliant iterum una & altera ebullitione, postea clarific. *album ov.* add. sub fin. *ther. Androm.* ℥iß.
-⊖. dulc. ℈ij.
sir. de succ. citr. q. s. ad grat. accidit. D.

Cum hæc potio sola sufficere non videretur, d. 16. *Octob.* hora post matutinam potionem una 4. cuspides cultri capere jussit de *pulvere*:

Rec. *Pulv. absorb.* WED. ℥ij.
⊖. vol. oleos. Sylv. lap. ♋. *♁. nat. opt. an.* ℈ß.
pulv. anis. qu. ℈iß. *limat.* ♂. *fin.* ℈ß.
acid. Tart. rubr. gr. viij. *M.*

Interim dolores capitis cum aurium susurris incrementum capiebant. Infixum cuti *setaceum*, excitatæ *vesica*. Mane & noctu admissus pulvis fumalis, cujus illa descriptio:

Rec. *Lytharg.* ☉*rat.* ℨij. *bol. rubr.* ℨß.
succin. alb. ℥iß. ☽. *crud.* ℈ß.
pulv. fumat. Haug. ℨiß. *M. F. pulv. subtiliss.*

Quæsitum etiam ab *errhinis* auxilium:

Rec. *Majoran. summit. lavend. rosmar. salv. an.* ℨij.
fl. ros. r. lil. convall. an. p. ij.
tabac. ind. ℨß. *sacch. a. ad P. O.*

Omnia subtilissime comminuantur pro sternutamento.

Eo denique perventum, ut *pilulæ arthericæ*, non omissis superioribus bis in hebdomate nr. xiij deglutiendæ fuerint:

Rec. *Gumm. tragac. frig. bdell. an. gr.* vj
aloës socot. turbith. a. an. ℥ß.
hermodact. ℈ß. *cent. min.* ☿. ℨß.
pulp. colocynth. gr. v. cort. mirabal. citr. ℨj.
sem. verbasc. petrosel. an. ℈iß.

F. c. s. q. aq. fœnic. massa peculiaris, ex ℈j. nr. xiij. consp. ☿. ♁. diaphor.

Potus ordinarius præscriptus talis:

Rec. *Spec. decoct. lign. guajac. sassafr.*
rad. sarsapar. an. ℨj.
fl. 4. cord. p. ij. M. D.

XXIII. Laudata *purgatio* aliquoties repetenda triduo ante novilunium.

Rec. *M. Pil. coch. gr. xiv. magist. gial. gr. vj.*
ol. fœnic. gr. ij. F. pil. nr. xv. De ☉.

Judicium Lectori ſuper iſtas formulas relinquimus, id ſaltem innuentes, militem indies factum eſſe languidiorem, vixiſſe poſtea regulis Medicaſtri Paſtoris vicini, nil profeciſſe, ad me denique veniſſe *ſcorbuti* ſymptomatis adeo ſtipatum, ut *crepitu* quoque *oſſium* afficeretur. Conquerebatur de *vertigine*, de *tinnitu aurium*, de preſſione circa præcordia, torminibus ventris, tenſione cervicis & ſtrepitu ligamentorum colli, quod ſi caput flectere ſuſtinet, de formicationis ſenſu in artubus, horumque debilitate, eructationibus, ventris rugitibus. Urina eſt obſcure rubens; appetitus mediocris. Rem, de *ſcorbutico & hypochondriaco* affectu certus, ita ſum aggreſſus; ſcripſi *infuſum* noſtro more parandum & bibendum, inſequente poſt ſingulos hauſtus corporis motu:

Rec. *Herb. fumar. trifol. fibr. an. mj.*
rad. ar. armorac. helen. an. ℥ ß.
cort. tamariſc. ʒvj. Winteran. ʒiij.
ſem. ſinap. naſturt. an. ʒj.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥j. fibr. belleb. n. ℥ß.
rad. mechoac. a. agar. troch. an. ʒiij.
limat. ♂. fin. paſſul. min. an. ℥iß.
Tart. crud. ʒvj. rad. Zingib. ʒij. mac. ʒj. Conc. cont. (d. 30. Ap.)

Artigoni uxor. §. Artigoni *uxori* melius per omnia habenti in curæ ſupplementum ordinavi *pilulas*:

Rec. *Ext. cathol. gr. xv.*
magiſt. gial. gr. viij. ſcammon. gr. vij.
F. c. Ra. ſuccin. pil. nr. xx. pro 1. doſi.

Vertagi filius. Morbilli. §. Vertagi *Filius morbillorum* ſtadium non infeliciter decurrit, ſaltem querens de *tuſſi*, *raucedine* & faucium dolore. Præter ea, quæ heri ordinata ſunt, adhuc ſcripſi *mixturam* ſequentem cochleatim ſumendam:

Rec. *Mucilag. ſem. cydon. c. aq. acac. extr. ℥j.*
ſir. viol. jujub. an. ℥ ß.
🜄⊖✱ aniſ. ℈j. M.

Metadromus. Delir. melanch. Studioſe vitet potum quemvis frigidum, immo, ſi poteſt, calide ac theiformiter bibat. (d. 26. *Apr.*)

§. Metadromus heri ſe prodidit affectum *delirio melancholico*.

Varia

Varia stolide & incongrue locutus, pomeridie in publicum prodiit ac una, XXIII.
vespera plus quam in triginta domos intravit, nullibi quod serio ageret, habens. Ea nocte se vestibus non exuit, ac datus ei custos, qui exire volentem prohiberet. Hinc effatus in jurgia, domesticis negotii multum facessebat. Quæ cum hodie cognovissem, & ex *apyrexia* perfecta, visu torvo, sermonibus inter se non admodum cohærentibus, &c. tanquam avem ex cantu deprehendissem, ut domum deferretur, auctor fui; quin ipsi quoque affecto multis persuasionibus, ut migraret, persuasi. Dedi autem, quibus domi uteretur:

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. Tart.* ℈j.
dacryd. gr. iiij. ol. mac. gtt. j. M. pro 1. dosi.

Postea mane & Pomeridie cum quolibet vehiculo sumat 12. *pilulas* inseq. motu.

Rec. *Extr. trifol. fibr. fumar. helleb. n. an.* ʒj.
gumm. ✱. depur. ʒj. *myrrh. r. ⊕li ♂. an.* ℈j.
limat. ♂. trit. in star. alcohol. ʒij.
c. ess. trifol. fibr. F. pil. pond. gr. j. consp. ☿. liquir.

Noctu sumat gtt. xxxx. R*a. ♂. helleborat.* ex cochleari vini. Medicamentorum horum usus sit menstruus. Diæta congruat. Potus in mensa vinum dilutum, extra id temporis, *acida Göppingensis*, quos suo tempore medicinali more bibat. [d. 1. *May.*]

§. Cephali *uxor*, 24 annorum, texturæ tenerioris, 2. liberorum mater, queritur de languore totius, *anorexia*, *cardialgia*, phlogosibus post pastum, siticula, tussicula præludiis *hectica*. Cephali uxor. Hectica metus.

Rec. *Aq laxat.* VIENN. ℥iij. *sir. de cich. c. rh.* ℥j. *M.*

Postea *jus medicatum bellide tota, acetosa, acetosella, lactuca tenera, fragaria, charefolio & rad. petrosel.* addita *maci* ad 4. septim.

Primus in quolibet pastu haustus absolvatur *vino recentibus herbis fragar. acetos. absinth. rad. caryophyllat. alterato.* Absoluto *jure medicato* repetatur haustus *laxativus*. Est valde difficilis ad medicamenta.

§. *Infusum* [d. 3. *Apr.*] Tribulæ ordinatum sic satis, quod suum erat, ex sequutum est, ac jam ista mulier de re fere nulla, quam *intensa siti* queritur, cum oris amaritie & siccitate, sic ut dicta amarities gustum adeo depravet, ut nauseam sentiat a ciborum assumtione. Sumat mane & noctu gtt. xx. *mixt.* seq. ex quol. vehiculo: Tribula.

Rec. ~⊖. *dulc. sir. acetos. citr. an.* ʒiß. *M.*

Quantitatem castaneæ de sequenti *electuario* frequenter, cumprimis affligente *siti* sumat:

XXIV. Rec. *Conf. acetosell.* ℥iij.
Cryſtall. tart. diaphor. ♃ *al an.* ʒij.
pom. citr. integr. conquaſſ. n. I. *M.*

Heſychioli *Filiola.* *Lumbrici.* §. Heſychioli *Filiolæ* 4. annorum *verminoſæ*, pallidæ, edaci; tumens abdomen habenti, panis eſui nimio indulgenti, pruritu narium vexatæ, datum purgans:

Rec. *Pulv. Gial. n. reſin. gr. xij.*
☿ *ij dulc. rit. par.* ℈ß.

Sir. de cich. c. rh. ʒvj *aq acac* ʒij. *M. pro doſi.*

Vulgus indubitatum fere ſignum *lumbricorum* agnoſcit *appetitum tenellorum ad panes domeſticos affatim ingurgitandos.* Cauſſam, ſi quis quæſat, ego arbitrer, *lumbricos* delectari panis eſu hunc que præ aliis cibis appetere, ventrem vacuum, inteſtina ſc. morſibus adoriri, poſt eſum panis quieſcere. Cum itaque puſilli ſe a doloribus poſt eſum panis liberari ſentiant, eum pro cibis alijs quibuslibet appetunt, quamvis in, cum & ſub pane *ova vermium* plurima ſimul deglutiant, lumbricorum novæ excluſioni occaſionem datura. Cur autem *nares pruriant* verminoſis? me hactenus capere non valuiſſe, ingenue fateor. Cauſſam quidem affert *D. Glyz Diſp. inaug. de lumbricis habita Jen. 1685. Cap. 5.* dum ait, *halitus acres ex ventriculo, i. em ſanguinem acrem & peregrinis qualitatibus imbutum ad vaſa capillaria narium propelli inq; eorum poros inſinuari, atq; adeo ob irritationem fibrarum pruritum ciere*: Sed generaliora ſunt hæc, quam ut animum ſciendi cupidum ſatiare valeant. Forte fortuna occurrit quæſtio, *cur anthelmintica luna decreſcente felicius operari comperiantur?* Reſpondet *Exc.* Vater *diſp. de verm. inteſt. habita Witteb.* 1687. *th.* 17. *cum luna etiam alimentum vermium decreſcere; Pleno corpore illuminatam, lunam vi lucis magis rarefacere humores, quam dimidiam, vel quadratam ſolum.* Judicium ſit penes Lectorem.

Bartholomæi *ancilla.* *Tabes.* §. Bartholomæi *ancillæ* 30. annorum jam ab anno & quod excedit in æſtu ſummo frigidam affatim bibens, languere, tuſſire, tabefieri, altum ſpirare cœpit. Adeſt in appetentia, ſitis. Non admodum fauſta prædicere potui. Datum *purgans* tale:

Rec. *Pulv. Gial n. reſin. Crem. tart. an.* ℈j.
Dacryd. gr. iiij. M. pro 1. *doſi.*

Sumat mane & noctu quantitatem juglandis minoris de ſequenti *electuario*;

Rec.

Rec. *Rob. junip.* ℥ij. *rad. gentian.* ℥. ℥ß.
Rhabarb. ver. ʒij. *fir. de hyssop.* ℥j. *M.* XXIII.

Calide ter in die hauriatur *Decoctum* ex *herb. card. ben. nasturt.* 🜄 *heder.* 🜄. *rad. cichor silv. an. rece cum vino & aqua peratum.*

Kobius medicamenta d. 17. *Apr.* ordinata hactenus diligenter usurpavit atque sibi primis diebus multum levari videbatur; sed heri *dyspnœa* tanta cum *palpitatione cordis* exercuit, ut in lecto manere non posset, sed per totam noctem subinde surgere, aëremque haurire cogeretur. Non aderat simul sibilus in pectore, non excretio sputi vel pituitæ. Crediderim potius asthma *convulsivum hypochondriacum* fuisse, præterierat, cum adventarem, paroxysmus sed spiritum adhuc quasi e profundis attollebat, molimine laborioso & venia sit verbo, suspirioso. Præter tunc scripta, quibuscum pergere jussi, *mixturam* in ipsomet paroxysmo cochleatim hauriendam ordinavi: Kobius, *Asthma convulsivum.*

Rec. *Aq. lavend. puleg. an.* ℥iiß *hirund. c. castor.* ℥j.
Elix. uter. Cr. ʒj. ~ ✱ ⊖ R. *croc. an.* ℈j.
Specif. cephal. ℈ß. *fir. fl. pæon.* ℥iij. *M.*

Naribus tunc admoveatur lagenula *liquore CC. succin. & ~ lavend.* partibus æquis repleta, (d. 1. *Maij.*)

XXIV.

Mercurius eodem, quo heri noctu, loco mane consistens, vesperi lineam unam supra tertium gradum emetiebatur. Fluidum *thermometri* mane duabus lineis infra quartum gradum, vesperi saltem una subsistebat. Tota dies erat nubila, vesperi pluvia cecidit. XXIV.

§. Impudica mulier 40 præterpropter annorum, corpore quæstum jam olim nacta, omnia nostra ptochotrophia jam pereptavit, undique ita se gerens, ut perpetuis querelis aures *Magistratus* perstreperent. Rixosa enim est, litigiosa, insatiabilis, cupediarum & vini appetens, & moribus adeo incommodis, ut, simul ac ejusmodi domum intrasset, pax & concordia illinc relegarentur. Præterea *Physicis* ac *Chirurgis* plus laboris & molestiæ sola creabat, quam omnes alumni reliqui. In tibia sinistra *ulcus annosum* gestabat a multis annis carnes musculosas circumcirca depascens ac dolorificum. Quoties consolidationis aliqua spes affulgeret, ipsa vel unguibus teneram cutim scalpendo, vel alia quavis malitiosa methodo, novam ulcerationem, hoc solo fine, ne curata e domo relegaretur, revocabat. Immo, processerat aliquando, il-

XXIV. illuc malitiæ ut cruris amputationem omni modo ac instantissime urgeret, eo scil. facto persuasa, futurum ut ad vitæ dies in leprosorio nostro aleretur. Cum nuper rursum ulcus aptissime solidatum fuisset, e Xenodochio, ubi tunc versabatur, exire coacta in civis cujusdam domo ancillæ munia suscipiebat; Sed otio assueta non diu morata sine dubio, ut ulcus denuo pullularet, effecit. Eo perpetrato *Magistratum* denuo, ut in ptochotrophium aliquod, labores scil. sustinere non valens, reciperetur, adorta est. Libellum supplicem testimonio meo firmari cupiebat, quod sequentem in modum præstiti: Mulierem hanc ancillari non posse testor, idque ob *ulcus pedis* jam sæpe quidem curatum, sed absque dubio malitiose semper refricatum. Eget igitur novæ receptionis in quoddam ptochotrophium gratia. Cum vero propemodum in omnibus hisce domibus, ubi successive nutrita fuit, nil aliud egerit, quam ut bella domestica excitaret, præpositis & syntrophimis insultaret, *Physicis* importunitate magna permolesta esset, ut coacti non semel fuerimus, ore & calamo querelas apud *Magistratum* instituere, sic, ut novam hujus personæ receptionem vere horreamus; ita, si maxime libuerit Serenissimo DUCI hanc illi gratiam rursum exhibere, submisse rogamus *Physici*, ut simul eidem severissime injungatur beneficiariam & alumnam decens vita pia, sobria, pacifica, modesta? idque cumprimis, ne perpetuis & plerumque minus necessariis aggressibus *Physicis* molestiam creare nitatur.

Petrus Phthisis. §. Petrus, cum a *nephrica colica* post excretionem lapillorum quorundam, (24 *Mart.*) liberatus esset, ab eo tempore *tussire*, difficulter spirare, carnes ac cibos calidos aversari, sitire, languere, tabefieri cœpit. Collapsam faciem, cum hodie viderem, mirabar. *Phthisin* adesse dicebam, cui, quoad possibile, superandæ sequentia ordinata: Bibat mane & pomeridie lac caprillum cum *conserva rosarum*, dosin quotidie augendo usque ad mens. dimidiam. Sumat interdum quantitatem castaneæ nucis de electuario:

Rec. *Elect. resumt.* ℥j.
Cons. fl. papav. rosar. an. ℥ß.
Pulv. Halyrec. ʒij. ♁ *diaph.* ʒj.
Sir. papav. err. q. s. M.

Radices farfaræ recentes cum jure carnium coctas edat instar *radicum petroselini*. Vinum (quo se penitus abdicare non vult.) in pastu temperetur fontana, extra pastum nullum plane bibatur. Vitet quævis acida & cruda.

Acre-

Acremon per medicamenta *d. 20. Apr.* ordinata quotidie magis profecit, sola tussi adhuc vehementer quatiente, quam, si sustulissem, ad valetudinis culmen reliquum nil esse credebat. Cochleatim sumat. XXIV. Acremon *Tussis.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥j.
Sir. capill. ♀ ℥ß. ∽⊖✱. *anis.* ℈j.
Sperm. cet. ʒß. *ess. anod.* ℈ß. *M.*

Ter vel quater in die *lac caprillum* calidum cum *conserva rosarum* hauriatur. Diæta sit congrua. Convaliturum spero.

§. Machetes, assumto hausto laxativo *d. 15. Febr.* ordinato sufficienter & cum euphoria evacuatus, *pulverem errhinum* feliciter usurpavit, oculorumque illa molestia liberatus est. Per hos aliquot dies opificij sui laboribus nimium intentus, qui oculorum potissimum ministerio perfici debeat, *vertiginem* veram cum rotatione sentit, ut etiam in lecto cubans sibi de lapsu metuat; magis tamen id accidit stomacho vacuo. Affectum per hæc phænomena partim *idiopathicum* partim *sympathicum* judicans ordinavi *tragema* mane & noctu ad 4. cusp. cultri per se sumendum; Machetes *Vertigo.*

Rec. *Spec. diacret. Mynf.* ℥ß. *pulv. cach. qu. inc.* ʒij.
Sem. coriandr. ppt. ℈ij. *elaosacch. fænic.* ℥ß.
🜔 *nat. ppt.* ♁. *rectif. an.* ʒß. *M.*

In quovis vertiginis paroxysmo naribus admoveat pilam antidinicam:

Rec. *Rad. doron. ver. sem. coriandr. ppt. an.* ʒj.
Sem. nigell. ʒß. *styr. calam. castor. opt. an.* ℈j.
Conc. cont. irror ol. succin. gutt. aliquot & cum
Sindone rubra. F. pila odorifera. (*d.* 16. *Maji.*)

Vinariensis a medicaminibus anabaptisticis sibi levamen persuadebat non pœnitendum. Dixit, se melius appetere, minus tussire, liberius spirare, &, quod ipse viderem, habitiorem fieri. Tametsi vero anguem in herba latere suspicarer, & cutim attolli potius a stagnatione lymphæ viscidæ & inertis, quam carnes augeri, censerem, nolui tamen quidquam regerere, ne aut conceptam spem bonam turbarem, aut ex capite invidiæ loqui viderer. At vero, ante biduum dolor in regione *ossis sacri* acerbissimus sine rubore vel tumore, stupor simul in utrisque cruribus & pedibus, quæ propemodum insensibilia & emortua Vinariensis. *Phthisis.*

XXIV. extincto etiam omni calore actuali, deprehensa: facies erat plumbea, & corpus continuo algens cum sudore frigido. Pronunciavi *dolorem Ischiaticum*, & suasi impositionem *emplastri regij Burrhi*, frictionem pedum cum *pulvere fumali Haugij*, *balneum deniq; aqua dulcis*, cui incocta *chamomilla cum sem. lini*, affusis 3. mensuris *lactis vaccini*.

Arthritis vel *Ischiaticum malum phthisi* superveniens omnia mala portendit, neque tales unquam evasisse comperi.

XXV.

XXV. MAne Mercurius per dimidiam lineam cecidit, ac in ea statione mansit; liquor *thermometri* in ultima linea tertij gradus mane, & in medietate quarti gradus vesperi quiescebat. Dies erat nubila, frigida, interspersis pluviolis, præcedens quoque nox tenebrosa & valde frigida. (*d. 26. Apr.*)

Corthodes. *Sputum sanguinis.*

§. Corthodes 24. annorum juvenis in adolescentia sæpe *narium hæmorrhagiam* est passus, eamque non raro valde copiosam, cætera sanus sibi visus. Nunc a semestri & quod excedit, post præcedaneam pectoris gravitatem *exspuere se vidit sanguinem sincerum*, nulla tussi comite; appetebat interim, dormiebat, nec quidquam languebat. Perterritus rei novitate accessit Graphedium, & acceptis ab eo, nescio quibus, remediis levamen sensit. Cum, absente illo, denuo recurrat, meam opem experiri decrevit. Examinatis, quæ circumstarent, omnibus, nondum esse de *phthisi* timorem dicebam, nec etiam proprie nominandam *hæmoptysin*. Id potius juvenibus *plethoricis* usu venire, ut, qui adolescentes, e naribus, hi juvenes e faucibus sanguinem profunderent. Nec tamen esse malum nauci habendum, eo quod ad *phthisin* corpus disponere possit Venam igitur secare, nec manu novercali sanguinem prolicere jussi. *Serum lactis cum herbis hepaticis dictis & temperate refrigerantibus ordinatum*, postquam prius *Decoctum* mane, pomeridie & noctu calide hauriendum, cum *electuario* interdum castaneæ nucis quantitate devorando, absolverit:

Rec. *Rad. farfar. glycyrrh. nymph. scorzon an. ℥ß.*
herb. veron. pillosell. numular. fl. bellid. min. an. mj.
passul. min. tamarind. an. ℥j.
Sem. acetos. ʒij. sacch. cant. r. ℥ij.
Conc. cont. coq. in mens. ijß. aq. font. ad consumt. quart. partis.

Rec.

Rec. *Conf. bellid. symphyt. rof. r. rob. passul. an.* ℥j. XXV.
♁ *diaph.* ʒiß. *Cor. r. ppt. bol. arm. ppt. an.* ʒj.
c. sir. de farf. F. mixt. mollis.

Vitet acria, salsa, acida, aromatica, vini excessum, & omnem spirituosorum etiam moderatum usum, motus nimios, iram &c.

Cum Rubulus (22. *Apr.*) purgante d. 19. *Aprilis* ordinato, ob alia quædam intervenientia contraindicantia, uti non posset, evacuatione tamen opus haberet, aliud illo mitius ob vires nondum plane recuperatos tale scripti. Rabulus.

Rec. *Aq. laxat. vienn.* ℥iij. *menth.* ℥ß.
Sir. de cich. c. rh. ℥j. *M. pro* 1. *dosi.* (*d.* 1. *Maij.*)

Trichuli *Filiolus* (22. *Apr.*) hactenus cum sanitate in gratiam rediturus videbatur, sed hodie mane suffocatum iri metuebant tantum erat & tam streperum *asthma* cum tussi; Cochleatim præbeatur *pulticula mannata*: Trichuli *filiolus. Tussis.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥j. *sperm. cet.* ʒj.
mann. calabr. pur. ℥ß. *M. ad consist. pulticulæ.*

Hæc pulticula, nostris Manna-Breylein dicta, multo cum emolumento infantibus *asthmaticis* præberi solet, nostratibus commentatissima, pectusculo *pectorale unguentum* ter in die. (*d.* 5. *Maij.*)

Lusca ($\frac{16}{17}$. *April.*) *tertiana* sua adhuc affligitur & *pulverem* assumere sibi impossibile esse autumat, quod eundem semper revomere cogatur; hinc rogat, ut quid aliud ordinarem, Datæ *pilulæ*, quarum singulis 6. horis n. xij. sumantur ex quolibet vehiculo: Lusca, *tertiana.*

Rec. *Cort. peruv. subtiliss.* ʒij.
Extr. gentian. ʒj. *caryoph. arom.* ☿ ℈j.
ess. absinth. q. s. F. pil pond. gr. jß.

Toparij uxor (9. *Apr.*) petit *jus medicatum* e herbis constitutioni suæ appropriatis. Laborat autem *phlogosibus*, inappetentia, doloribus dorsi & lumborum, lassitudine, *fluore albo.* Gravidam se adhuc suspicatur. Commendata *salvia, rosmarinus, pimpinella, melissa, fragaria, fumaria, cochlearia.* Toparij *uxor.*

§. Campyloxili *uxor* a *pilulis* 16. *April* ordinatis egregie purgata fuit, ac *febriles* paroxysmi, continuato, post evacuationem, *pilularum* usu, semper diminuti denique emanserunt. Cum autem menses debito tempore hactenus non comparuerint, adhuc, utrum forte gravida sit, dubij fluctuamus. Certe *purgans* detrimento sum non fuit, quamvis, si menses emansuros certo scivissem, nullum ordinaturus fueram, Campyloxyli *uxor.*

Yy 2 Inte-

XXV. Interim, cum eam hodie visitarem, e superiori *suevia* advenerat medicamentum *antifebile* infallibile, foliola nempe teneriora plantaginis lati foliæ, quæ aureo quodam instrumento, v. gr. Ducato, rescindere & effodere par est. Horum foliolorum terna semper esse debent, adeoque ad perficiendam tertianæ curam ter terna, id est, novem, tribus semper uni radiculæ junctis. Comedantur foliola terna, tribus matutinis, stomacho vacuo. *Febris* emanebit certo certius, idque plus mille sunt experti, Ita quidem, qui transmiserunt, affirmarunt. Non opus habebat nostra. Alioqui plantaginis stillatitiam ad ℥vj. contra *febres intermittentes* haurire Botanicis notum.

XXVI.

XXVI. Mercurius paulo altior, quam heri, liquor *thermometri* 2. lineas ultra tertium gradum emensus erat. Nox frigida. Dies per vices clara & nubila.

Melodidascalus. *Cephalæa.* Melodidascalus [d. 14. Apr.] *Decoctum Bromium* bibere cœpit & per triduum nuper profectus ad *Chiliarcham* quendam, indeque rediens, ad *dolorem capitis*, qui valde adhuc dum cruciabat, auferendum, præter laudatissimum *decoctum* extus nil esse valentius, quam *ceram catholicam* Burrhi impositam, hanc vero aliunde peti non posse, quam a *Medico* celebris cujusdam in superiori suevia civitatis imperialis. Dixi, me non improbare, sed Stuttgardiæ quoque parari posse. Descriptio talis est:

Rec. *Gumm. epopan.* ℥ij.
Bdell. anim. carann.
heder. tacamah. elem.
Sagapen. thur. an. ℥iij.
Balſ. Ind. ℥iij. *terebinth.* ℥v.
ceræ ad P. O. l. a. M.

Imposuit, sed effectum fortasse non magis eximium præstiturum, quam sexcenta hactenus in usum tracta. (*d. 5. Maji.*)

Clinecosmi *uxor.* *Nephritis.* Clinecosmi *uxor* vomit, lumbos dolet, tormina patitur, micturit cum dolore & ardore, urina tenuis & aquosa cum sedimento arenario. *Nephritidem* audis.

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. ſir. de alth. Fern. an.* ℥iß.
eſſ. anod. ℈j. *M. pro 2. dosibus.*

Una

XXVI.

Una statim, altera hac nocte, conquassato prius vase, sumantur. Partes dolentes ungantur *ungu. alth.* cum dimidio *Ol. scorpionum* remixto, (*d. 27. Apr.*)

§. Lersmarus medicamenta d. 19. *Febr.* præscripta diligenter, ut dicit, usurpavit, *raucedine* nil quidquam remittente & gravitate pectoris adhucdum subinde vexante. Quod reliquas functiones rite obire possit, nec male cætera habeat, malum sit inveteratum, ipseque jam multa sine effectu sumserit, tolerare, quam ingratas porro potiones haurire se malle decrevit, sibi proinde relinquendus. Lersmarus. *Raucedo.*

§. Apud Ephippi *Filiolam* (*d. 21. Apr.*) adhuc *diarrhœa* cum strijs quandoque sanguineis ac *tenesmo* sensibili observatur, puella de reliquo hilari existente, lusitante, comedente &c. Securus igitur de *diarrhœa* farinæ, quacum pultes loquuntur, quartam amyli partem adjicere curavi, non neglecto interno *Olei nucis moschatæ expressi* usu. Podicellum ungant *unguento de linaria.* Ephippi *filiola.* *Diarrhœa.*

In Vertagi *Filiolo* (*d. 23. Apr.*) cum disparuissent *morbilli*, ipseque vegetus esset, ac *tussis* non amplius adeo frequens, curam *potiuncula laxativa* consueta consummavi. [*d. 27. Apr.*] Vertagi *Filiolus.*

§. Sextarii *uxori* (*d. 20. Apr.*) contra susurros ac *tinnitus aurium* remedium externum anxie sollicitanti suasi *decoctum* sequens auribus cum gossypio calide immittendum ita, ut per noctem semper relinquatur interdiu vero nonnunquam extractum, denuo immitatur. Sextarij *uxor.* *Tinnitus aurium.*

Rec. *Herb. card. bened. p. 1.*
Aq. card. bened. vin. rubell. an. ℥ij.
Coq. & in Colat. solv.
⊖. fraxin. ʒß. ~⊖ ✱. gtt. xx. M. [*d. 30. Apr.*]

§. Mazum (*d. 21. April.*) de tanta siccitate faucium queri referunt, ut *suffocationem* metuat. Ita queri solent, qui a *phthisi* consummata jam aliquandiu raucuerunt, fauces enim ad tactum quoque raucissimæ sunt, humectantibus fere nihil omnino juvantibus. Tales raro diu supervivunt: *Gargarismum* ordinavi *e fl. papav. rad. alth. sem. cydon. fic. pingu. cum aqua coct. & cum melle rosato edulcoratis:* post *gargarismum* Cochlear unum *mixturæ:* Mazus *Phthisis.*

Rec. *Mucilag. s. cydon. c. ▽ farf. extr. ℥j.*
Mell. rosat. Sir. viol. an. ℥ß. M.

Unam & alteram *e rotulis tragacanthæ* in ore liquescere sinat, (*d. 28. Maij*).

 Per.

XXVI. Perfermi uxor Hypercatharsis.

Perfermi *uxor* 46. annorum nuper a me flagitavit *purgans* medicamentum, addens, alvum difficulter moveri. *D.* 23. *Apr.* adsumsit *electuarium purgans* consuetum, quod ipsam, *hystericis* alioqui symptomatis obnoxiam, vehementissime exercuit, non illa tantum, qua accepit, sed reliquis quoque diebus, ut valde hinc debilitata fuerit. Dedi *pilulas:*

Rec. *Extr. Bezoard. papav. c. an. gr. iij.*
M. F. 6. pilulæ.

Inde pacata omnia. Discant juniores *Practici* duo præcipue: 1. ut non simpliciter fidem adstruant difficulter se moveri adserentibus. Id frequenter studio faciunt meretrices partum abacturæ, vel abortum excitaturæ constitutio non est singulis annis eadem. *vid. Miscellan. mear. p. 1. p. 288. 20.* Præsertim *hystericæ* facillime hypercatharsin patiuntur l. c. p. 275. Promtius quoque excitandam a *medicamentis saccharratis* vel *mellitis* facile fermente scibilibus. Hinc semper tutius intra mediam dosin subsistere. Facilius enim est *purgantis* segnitiem stimulare, quam violentiam reprimere.

Vinariensis.

§. Vinariensis (*d. 24. Apr.*) dolores a balneo nudius tertius inchoato & heri repetito, hodieque tertium instituendo quadantenus sopitos comperit, sed noctu semper recrudescentes, quod, ut præcaveretur, deglutiendos hac nocte scripsi quatuor *pilulas de cynoglossa.* (*d. 28. Apr.*)

Cattus Scorbutus.

§. Jam ultra biennium est, ex quo Cattus, vir quinquaginta annorum, a me consilium petijt, contra *pruritum corporis scorbuticum* & cum primis *pedum* summam *debilitatem*, cum aliquali, sed indolente, nec tamen œdematoso, tumore: passus tamen jam olim erat *arthritidem*, scripseram tunc sequentia. Primo *Decoctum viscerale:*

Rec. *Rad. cichor. silv. ℥jß.*
Lapath. ac. plantag. min. an. ℥j.
Sem. papav. alb. bacc. alkek. an. ʒij.
Herb. fragar. fumar. hepat. nob. endiv. an. mj.
Fl: nymph. papav. err. an. mß.
Passul. min. mund. ℥j. caric. pimp. n. iiij.

Inc. cont. M. & infunde per noctem in fictili in s. q. Dec. hord. cal mane coq. vase clauso △ leni ad ʒas. Colat. expr. & clarif. ℔ iij. add. sir papav. err. juleb. rosat. an. ℥iij. M. Divide in 6. p. æqu. & per triduum mane sumatur pars una in lecto calide, sudorque largus intectis stragulis expectetur. Die quarta mane corpus evacuandum *elect. e athol. ℥ß. cum pulv.*

Cornach:

Cornach. ℨß. remixto: insequentibus 3. diebus rursum, quod *Decocti* est reliquum, hauriendum & sudandum & octava die repetendum *purgens electua ium.* Vena secanda. Post *venesectionem infuso theiformi* nostro more parato mane & noctu per mensem utatur: XXVII.

Rec. *Rad. chin. et sarsapar. an* ℥ß
Ras. lig. sanct. ℨij. *sassafr.* ℨij.
rad. liquir. ℨij. *cort. lign. sanct.* ℨijß.
herb. trifol. fibr. scabios. an. mj. fumar. mß.
fl. bellid. min. papav. rh. an. p. ij.
Sem. fœnic. ℨj. *cinnam. ac.* ℈ij. *Conc. cont. D.*

Primæ cuilibet scutellæ instillentur guttæ 50. *mixturæ*:

Rec. *Ess. trifol. fibr. lignor.*
R. ♂ *an.* ℥ß. *M.*

Potus ordinarius temperandus *Dec. fragariæ.* Forinsecus usurpata parum juvant. *Pediluvia* ex *hord. integr. sem. lin. fol. salic. fl. nymph. & malvæ, capitibus papaveris* & ⊕ conducunt. *Sali culinario* admisceatur octava pars *nitri puri.* In primo cochleari juris quibuslibet pastibus solvatur ⊖ *polychresti* ℨß. Caveatur in usu *Dec. visceralis*, ne *purgationes* & *venæsectio* incidant in *lunæ quadraturas.*

Effectus hujus curæ quoad pleraque symptomata fuit optatissimus. Et, cum dixissem, *jus medicatum* mense *Majo* utiliter sorberi posse, *d. 6. Maij*, 1707. ut tale ordinarem, insimulque, annon pedum debilitati efficacius occurri posset, rogavit. *Jus medicatum* constabat *e fragaria, violaria, acetosa, chærefolio, cochlearia, nasturtio, lactuca tenera, & radice petroselini,* instillando semper *mixturam* seq. ad gutt. 40.

Rec *Ess trifol. fibr.* ℨß. ♎ *cochl.* ℨij.
♎ ⊖ ✱. ℨj. *M.*

Vesperi ante cubitum, vel, si placet, mane quoque sequens instituatur *fomentatio*: Rec. *Summit. origan. herb. serpill. absinth. fl. chamom. fol. salv. rorismar. bacc. junip. calic. rosar. an. mij. conc. cont. coq. cum s. q. aq. font.* In brodium situla exceptum injiciantur silices candentes, vapor collocatis supra situlam pedibus, intecto linteo, excipiatur, qui postea pannis calidis & fumigatis detergeantur & fricentur. Adeat suo tempore *Göppingenses.*

Dici non potest, quam bene se gesserit illa *fomentatio*, sic ut hocce lien-

XXVI. biennio jam aliquoties ea fit usus. Et quamvis cursoris officio fungi non possit, sic tamen satis promte, promtius certe, quam aliquot retro annis, incedit, sibique abunde valere visus fontem medicatum non adiit.

Hoc autem vernali tempote, quum affectibus quoque *nephriticis* id entidem se tentari sentiret, ab amico quodam sibi suasum esse dicit, ut singulis mensibus evacuationem corporis lenem institueret. Se, nisi me prius consulto, tale quid non audere. Non male suasisse amicum dixi, cum ad præcavendam *nephritidem*, tum *arthritidem*. Scripsi igitur tale *electuarium*.

Rec. *Elect. de tamarind.* ℥ij. *caryocost.* ℥j.
hermodact. ver. ʒiij. *æthiop. miner.* ʒij.
sir. rosf. solut. ℥ss. *M.*

Singulis mensibus biduo vel triduo ante vel post plenilunium sumat ʒij. expectando 2. vel 3. sedes.

Bibat rursum per mensem inter 2. primas hasce *purgationes infusum theiforme* aliquatenus a priori diversum & *nephritidi* quoque dicatum:

Rec. *Rad sarsap. chin. el. fœnic. an.* ℥ss.
ros. lign. sanct. ʒiij. *nephrit. sassafr. an.* ʒij.
rad. liquir. ʒij. *sem. dauc.* ʒj.
herb. trifol. fibr. chærefol. Mercurial.
fl. papav. rhæad. an. mss.
bacc. junip. ℥j. *cinnam. ac.* ʒiss. *Conc. cont. D.*

Primæ scutellæ semper instillentur gutt. 50. mixturæ:

Rec. *Tinct.* ♂. *succin.*
ess. trifol. fibr. an. ℥ss. *M.*

Nephritidi porro præcavendæ suasi *pulverem* meum præservativum non semel in his paginis descriptum.

Rogavit, quid sentirem de *pulvere cochlearum domiportarum*, sibi ab Amico, ceu *nephriticum* insigne, laudato. Respondi, *lubricantia* mihi semper in *nephritide*, præ fortiter *pellentibus*, qualis est ille *cochlearum pulvis*, proficua visa. *Pulverem* istum parari e domunculis cochlearum *calcinatis*, hinc abundare ⊖ *e fixo caustico*, naturæ nostræ nullatenus amico: si diutius ejus usus protrahatur, excitari posse *urinæ incontinentiam*. Nec tamen a me penitus contemni medicamentum aliis probatum. Datur & alia descriptio *pulveris cochlearum*, quæ licet minus noxia, tamen & minus *diuretica*, quia salibus orba, & talis est: Rec. *cochlear. domiport.* & (si haberi possint.) *operculat. q. v. indantur ollæ vitreatæ*

prob

probe lutatæ, calcinentur bis vel ter in fornace figulino ad omnimodam albedinem calx comminuta in pulverem tenerrimum iterata calidæ aquæ affusione ab omni salsedine liberetur & in △ temperato exsiccetur: teratur super marmore in ☿. subtilissimum. Dos. gr. x. xv. xx. xxx in doloribus nephriticis & Colicis. XXVI.

XXVII.

XXVII.

MErcurius mane & vesperi substitit in tertio gradu, *liquor thermometri* emensus est 2. lineas ultra hunc gradum & vesperi adhuc per dimidiam descendit. Per totam noctem ac dimidium quoque diei profusissime pluit, aëre existente frigidiusculo.

§. Cum Gnomilego & Dumarcha consilium initum, quo pacto medela sit afferenda mulierculæ *difficultate mensium* laboranti. Recensebat Dumarcha mulierem statim post initum valde maturum, nempe ætatis anno septimo decimo matrimonium laborasse *nimio mensium fluxu*, ex quo tamen vultu roseo semper manserit, nullis *cachexiæ* vestigiis usquam præsentibus. Post medicationes congruas denique redactas in ordinem *menses*, nunc autem a longo tempore fieri *difficiles*. Illis instantibus dolere mulierem in coxendice, & quidem dolore ad pectinem usque penetrantissimo, & acerbissimo protenso, fere cum deliquiis & frigido sudore; vomere postea, & exantlatis per aliquot horas doloribus *menses* erumpere, sub ipsa eruptione mulierem ad se redire, immo statim accumbere & fere supra modum comedere. Non habere, de quo vel tantillum queratur, modo hoc symptoma non esset. Tentata varia, non sine successu, sed quæ semel vel bis juverant, repetita nil amplius valuisse. Profuisse interdum spirituosa, cumprimis *elixir* quoddam *pestilentiale* &c. alio tempore *venæsectionem* juxta methodum Stahlianam in ipsomet æquinoctio celebratam, &c. Denique in mentem venisse, annon forsan a nimia sanguinis rarefactione expansa supra modum uterina vasa sanguinem transmittere non possent? cujus ebullitioni sedandæ dati *pulvisculi* ex an. ⊖. ♉. ⊕. *crudi & elæosacch. aurantiarum* per affrictum corticum parati, Prima & secunda vice malum ad miraculum sublatum, sed idem ulterius pharmacon exhibitum ne hilum profuisse Sententiam & ego rogatus, *plethoram* mihi concedi postulavi, sed talem qua sanguis simul lentore peccet. Fluidiorem fuisse primis annis, hinc ortum *nimium mensium fluxum*, concentratiorem postea, ubi rite *menses* sine molestia fluxerunt, lentorem nunc acquisivisse: cumulari quidem circa vasa uterina, sed in ebullitionem & expansionem *Mensium difficultas.*

 ægerrime

XXVII. ægerrime redigi, hinc esse dolorem & concomitantia symptomata, levari repagulis ruptis, & mulierem statim ad se redire, quod cæteroqui sit sana. Juvisse *venæsectionem* ob diminutam *plethoram*, juvisse *spirituosa*, cum primis *elixir pestilentiale*, hinc *elixir menthæ* eleganter viride, ob resolutum per *leptomariam* pharmacorum sanguinis lentorem, juvisse *pulvisculos*, non æque propter *nitrum*, quam *cinnabarim antimonij* sanguini fluiditatem conciliare aptam, & aptiorem, si per tenues *olei aurantiarum* atomos vis ejus promoveatur. In id igitur unice nitendum, ut sanguinis copia diminuatur & lentor corrigatur, idque tum præservative, tum curative tentandum. Convenit igitur inter nos de sequenti methodo. 1. Corpus leniter evacuetur. 2. Vena secetur largiter. 3. *Decoctum e nervinis & hidroticis* per aliquot dies mane in lecto calide bibatur, expectato sudore. 4. Absoluto Decocto pulveri ex nervinis & sanguinem attenuentibus aperitivis. In paroxysmo decoctum calidum ex herbis nervinis & carminativis theiformiter crebro bibendum, quum calidi potus hic utramque paginam faciant, ac denique fomenta ex ijsdem ingredientibus vino incoctis facta. Suo tempore suasimus acidulas.

Dictum paullo ante de *elixiri menthæ* tam jucunde viridi, viridescir autem ab adjecta *petrosilini* herba & simul extracta, alias e nigro viride.

Illa occasione narravit Gnomilegus notam sibi esse fœminam, mensibus difficilibus quoque & dolorificis laborantem, quæ simul sonoros crepitus ex antro muliebri buccinaret, illamque olim adjutam fuisse per usum *elixiris aperitivi* Clauderi, sed neque hanc medelam fuisse constantem.

Dumarcha notabilem casum recensuit, qui nuper in opido ducalis circiter ab hinc horis distante acciderat. Moriebatur in pago vicino vir præterpropter 40. annorum. Parabatur sandapila a fabro lignario ex asseribus aridis quidem, sed dolabrum non passis, coagmentatis quoque solis clavis ferreis. Ita per biduum jacuit, sed cum capulo imponeretur, nihil omnino rigens (quod signum in his terris credunt mox iterum alius e consanguineis morituri.) Curru vehebatur versum locum sepulturæ, cui cum appropinquassent, funus aliquorum humeris exceptum ad sepulcrum delatum. Cum vespillo in sandapila glebis obruenda occupatus esset, sonitus audit ternos, quasi pulsantis in illa mortui. Territus parum ab opere desistit, iterum audit; vocat æditum, eo deducit, & hic pulsus aliquot auribus percepit suis. Quid facerent incerti

Pa-

Pastorem loci e templo (ubi sacra funebria fiebant.) accersunt. Nil amplius auditur. Jubetur aperiri sandapila. Mortuus exploratur, erigitur, movetur, sed manet mortuus, nil tamen etiamnum rigens, sed mollis & flaccidus. Id tamen notari merebatur, complicatas antea a vidua manus nunc explicatas ad latera feretri utramque suo loco jacuisse. Cum indicia vitæ non essent, mortuus denuo tumulatur, nullo amplius sonitu animadverso. Dumarcha non incongrue ratiocinatus est ita: sonus ille non fuit mortui pulsantis, sed ipsiusmet feretri. Asseres erant aridi, solis compacti clavis ferreis. A cadavere (si fas est Christiani defuncti corpus ita vocare) putredinem inchoante humefacti intumuerunt, & per omnes dimensiones aucti sunt: accedente porro glebarum humiditate & violentis adjectionibus factum, ut clavi per vim quandam e foraminibus, quibus infixi erant, aliquatenus retraherentur, inde fragor, sub terra pulsum mentiri valens. Manus complicatæ per succussum vecturæ eo facilius explicari poterant, quod corpus non rigeret. Cæterum cum B. nostro Garmanno *de mirac. mort. lib. 1. tit. III. §. 1.* novum, dicimus, & inauditum plane non est, sonos inconditos audiri circa feretra & sepulcra. Tonum pulsantis in sutoris tumulo Anno 1665. Lüzenæ Stockmannus *Hodoget. pestilent.* q. 14. p. 125. & *Garmannus* aliquando cum aliis Martisburgi, dum Romano-Catholicæ fidei addictus conderetur, audiverunt. Sonos autem hos aut præsentis aut imminentis *pestis* tempore esse familiares, idem ait, l. c. §. 2. XXVII.

§. Præter alios *Botanicos* Zwingerus noster in *Theatr. botan. lib. I. cap. 133.* de *hedera* dicit: *Utraq; hedera, major scil. & minor semper viret, resistens omni frigori, serpentibus propterea grata, quippe cui tempore hiemali innidulantur. Hinc aliquibus etiam* Wintergrün / *communi cum* Pyrola nomine, appellatur. Sed præterita hieme neque hæc planta frigori resistere potuit, sic ut eo periisse vetustissimas quoque murorum accolas, *hederas* non sine stupore conspicati simus. Ubi & hoc admirationem omnino meretur, arbores nimirum teneras, &, si loqui fas est, etiamnum infantes, immo frutices, puta *ribesia*, præ vetustissimis & crassis arboribus, tyrannidem frigoris vicisse.

§. Sed & hoc memoratu non indignum est, quod ab Amico in Discursu privato audivi, nempe tempore hiemali & capillos & barbam minus, quam æstivo, crescere, unde joco parata excusatio, Daß einem der Barth erfriere. Supradictus B. Garman, lib. I. tit. I. §. 13. 14. *De mi-*

XXVII. *rac. mort.* evincere conatur, capillos & pilos in corpore nostro esse vegetabilia seu plantas, habere semina, gaudere radice, nutriri vegetabilium more &c, quemadmodum igitur vegetabilium reliquorum incrementa hiemali tempore cessant, sic & capillorum, cessatura plane, ni calore capitis foverentur, sicut & plantæ hypocaustis illatæ quadantenus crescunt.

Clinecosmi *uxor.* *Uxor* Clinecosmi revomuit *mixturam* ex *ol. amygd. d. &c.* heri ordinatam ac dolores *nephritici* adhucdum durant. Ordinata *Emulsio* cochleatim sumenda:

Rec. *Sem. violar. lithosp. papav. a. an.* ℥ij.
aq. veron. fragor. chærefol. an. ℥ij.
F. l. a. Emulf. add.
Oc 69. crud. cont. test. ov. calcin. an. ʒß.
Sir. de alth. Fern. ℥ß. *M.*
Rec. *Extr. liquir. gr. xv. papav. comp.* ℈ß.
castor gr. v.
terebinth. parum, F. pil. n. xxiiij. consp. ☿ *liquir.*

Quarum XXII. hodie noctu, reliquæ cras mane sumantur, pergendo cum inunctione.

Vertagi *Filiolus.* *Tussis ferina* Vertagi *Filiolus* de re nulla magis, quam de *ferina tussi* querelas instituit:

Rec. *herb. thée opt.* ℥j. *liquir. ras.* ℥ß.
Sem anis. ʒj. *M.*

Bibatur theiformiter, loco *sacchari* communis addendo *rot. tragac.* contusas. Hauriatur aliquoties in die scutella. (d. 2. *Maji.*)

Filiola Morbilli. *Filiola* quoque *morbillosa* fieri cœpit cum immani tussi, quæ, præter istud *thee* pectorale, quod simul bibere jussa fuit, cochleatim assumsit:

Rec. *Aq. acac. papav. rhœad. an.* ℥ij. *fumar.* ℥j.
Sir. papav. rhœad. ʒvj. *ess. anod.* ℈ß.
Bez. ♃ *al. CC. ust. ppt. an.* ℈j. *M.*

Variolosi & morbillosi ut plurimum tussire solent; sed *tussim* adeo ferinam & pertinacem, qualis erat fratris hujus atque sororis, in his morbis nondum observavi. (d. 1. *Maij.*)

Rotarius *Arthritis.* Rotarius, (*d. 22. April.*) cum omnis dolor articularis abactus esset, mutare domicilium, & quidem via satis longinqua, cogebatur. Rheda vero in novum vectus conquassatione ista recidivam dolorum illico passus est. Hinc *mucilaginem* meam *arthriticam* denuo adhibere coactus sum.

Rec.

Rec. *Murilag. sem. psyll. c. aq. fl. paralys. extr.* XXVII.
Sir. de alth. Fern. an. ℥j.
Aq. fl. paralys. ℥ij. *ess. anod. gtt. xxx.*
M. D. pro 2. dosibus nocturnis.

Mane vero & pomeridie sumantur guttæ xxxx. *mixturæ* talis:
Rec. *Tinct. Castor.* ℨj.
Ess. trifol. fibr. ℨij. *anod.* ℨß. *M.*

Illa mucilagine pertinacissimas arthritides feliciter abegi, quod etiam hic factum. (d. 2. *Maji.*)

XXVIII.

XXVIII.

MErcurius adscendit ad primam lineam quarti gradûs, in qua *thermometri* quoque liquor substitit. Nox erat valde frigida, ut metus sit, ne flores arborum damnum inde ceperint. Frigus per totam diem duravit, & interstinctæ pluviæ ceciderunt.

§. Gresselius, vir 50. annorum, Discum sclopetatium (Schieß-Scheibe/) ex arce ducali petiturus & per scalam cochlidem, via sibi insueta, descensurus, vacillante talo, prostratus est, magis tamen de disco, ne forte læderetur, quam sua salute sollicitus; quo magis illi parcere conatus fuit, eo graviore lapsu ruebat, Deliquium animi passo cyathus vini spiritum reddidit; viribus utcunque collectis, domum petrexit. Dolor summus erat in *epigastrio sinistro* subter costas spurias: Vulnus in sinistro cubito leve. Vena statim secta, datusque *pulvis ad casum.* Nec spuebat, nec mingebat cruentum, neque vomebat etiam. Illa nocte magna inquies & sitis; in sinistram *emplastro* & *sacculis* munitam sponte sua verti non potuit. Mane summo vocatus inveni pulsum non admodum debilem, sitim non intensam, urinam sanam neque aliud quidquam mihi suspectum. Externa cura *chirurgo* commissa præbui cochleatim:

Gresselius *Lapsus.*

Rec. *Aq. charefol. plantag. an.* ℥iij.
✠ ℥ß *Sir. capill.* ♀. ℥ß.
Oc. 69. crud. cont. bol. arm. ppt. an. ℨß. *M.*

Interdixi vino, petenti vero cerevisiam, concessi, quum & hæc aliquid balsamici contineat.

§. Nullam calamitatem esse solam, egregregie noster Vinariensis, (*d. 26. Apr.*) experitur. Pilulæ de cynoglossa dolorem ischiaticum levarunt, nocte sic satis quieta hinc secuta. Sed ecce aliud malum

Vinariensis. *Dysuria.*

XXVIII. malum! Urinæ non equidem totalis ſuppreſſio, ſed excretio ſtranguriformis cum acerbo dolore. Dedi *emulſionem* Clinecoſmi *uxori* heri ordinatam. Pomeridie rurſum inſideat *balneo*, & noctu, ſi opus, repetat *pilulas de cynogloſſa.* Novis ejusmodi ſymptomatis ſuſtinendis vix par erit hic Ægrotus. Adſunt præterea ſigna valde ſuſpecta, & quæ apud *phthiſicos* mortis prodromi eſſe ſolent. Facies eſt livida, una tantum, &, aliquando ſolum, gena rubente, palpebræ tument ſacculorum ad inſtar, digiti cum dorſo manus tumefiunt. [d. 29 *Apr.*]

Annus eſt, ex quo *febre tertiana intermittente* laboravi. Laſſitudo ulceroſa, dolor gravativus in lumbis, alia quædam, averruncandum & aditu prohibendum eſſe hoſtem, antiquum diverſorium fortaſſe petiturum, monebant. *Infuſum* e ſequentibus mihi ordinavi:

Rec. *Com. abſinth. fl. cent. min.*
herb. trifol. fibr. fumar. an. mß.
rad. mechoac. alb. rhabarb. an. ℥ß.
polypod. qu. fibr. halleb. n. an. ʒv.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥iſs. paſſul. min. ℥ij.
agar. troch. ʒij. ⊖ Tart. ℥ſs.
cort. aur. ſicc. caſſ. lign. ſem. aniſ. an. ʒij. Conc. cont. D.

Saraceni *uxor.* §. Saraceni *uxor*, obeſula, vitæ ſedentariæ aſſueta, firmo appetitu prædita, *plethorica*, ſed ſanguine lento & viſcido, paucitate menſium laborat. Singulo ſemeſtri uſa eſt *purgante*, ſed omne, quod erat hactenus præſcriptum, ſegniter ſe geſſit. Cum vero *purgatione* carere non poſſit, corpus *infuſo* tentare decrevi, ut, quod una vice effici nequiret, doſibus aliquot penſaretur. Ingredientia fuerunt talia:

Rec. *Rad. bryon. filic. rub. tinct. an. ℥ſs. gentian. ʒij.*
herb. fumar. ceterach, meliſſ. fl. cent. min. an. mſs.
ſem. aniſ. dauc. an. ʒiſs.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥iſs. paſſul. min. ℥ij.
rad. rhabarb. ver. polyp. qu. fibr. helleb. n. an. ℥ß.
limat. ♂. fin. ℥j. Tart. crud. ℥ß.
caſſ. lign. ʒij. croc. opt. ʒß. Conc. cont. D.

Horridula. *Hyſterica.* §. Horridula 26. annorum virgo, ante plusquam ſemeſtre Noribergæ in æſtu ſummo frigidam affatim hauſit. Preſſo pede ſequebatur ſicca tuſſis, difficilis anhelitus, appetitus proſtratus, *cardalgia, colica.* Ibi medicamentis diu uſa utcumque convaluit. Huc profecta, multisque laboribus fatigata denuo ſentit valde augeri *dyſpnœam, tuſſim,* ſtomachi, ventrisque dolorem. Cum erecta manere non amplius poſſet,

me

me vocari curavit. Cruciatus in ventre magni erant, *tremor in artubus. dyspnœa*, quæ supinum decubitum sufferre non posset, tussicula frequens & plane sicca, pulsus debilis: XXVIII.

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. syr. capill.* ♀. *an.* ℥iß.
ess. anod. ℈j. *M. pro 2. dosibus.*

Horum una statim, postquam allata fuit, altera post medium noctis, si dolor urgeat, sin, cras mane sumatur.

Noctu ante somni tempus deglutiantur *pilulæ*:
Rec. *Extr. bezoard. papav. c. an. gr.* iij.
castor. gr. ij. F. 8. pil. pro 1. dosi. (d. 29. *Apr.*)

Oragus. *Ulcus ani & vesicæ.*

§. Demiurgus hodie me convenit, & narrato morbo Dn. Oragi, rogavit, ut cum Gnomilego consilia ad servandum egregium virum conferre ne detrectatem: Ita vero se res habebat: Vir hic ultra quam quinquagenarius, *gutta rosacea* affectus, circa vini potum excedens, jam a decem annis appetitum habet prostratum, præprimis abhorrens carnes, cæteroquin vegetus munia sua ecclesiastica inculpate diu obire poterat. Nunc ab anni spatio sub ingressum lecti horripilationem cum subsequo calore p. n. animadvertit, prodente se jam manifestius *febri lenta quotidiana* circa vesperam ingruente. A trimestri, & quod excedit, conjungebatur assiduus fore vomendi conatus, tricies & pluries nychthemeri spatio patientem vexans, excreta semper materia mucosa in parca quantitate, cui conatui per octiduum duranti successit & subinde adhuc animadvertitur excretio globulorum seu grumulorum sanguinis per alvum & vesicam, magnitudine lentes æquantium. Pluries vero, & tantum non semper, cum urina excernit verum pus, quandoque alia, quæ per alvum alias prodire debebant, flatus puta sonoros, valde fœtidos, *lupuli* ante comesti, quin & *lactucarum* comminuta strigmenta, *cynosbati arillas &c.* Prorumpunt sæpe cum multo crepitu, plures flatus ex pene, præter voluntatem & nisum ægri, tunc etiam, quando non micturit. Æger emaciatur in dies, fit summopere languidus, torquetur *anorexia*, siti, alvi siccitate & *stranguria*. Nonnunquam cum pure feces alvi liquidores non sine dolore cum urina prodeunt. Addebat Demiurgus, Patientem difficili nisu alvum exonerare, & quasi impedimentum quoddam non in sphinctere, sed ipsomet intestino recto sentire, quod remoretur & flatus & excrementa, ipsum *hæmorrhoides* olim sæpe passum, & interdum aliquid urinosi per alvum reddi, &c. Ponderatis omnibus in eo quidem convenimus, adesse debere

XXVIII. bere *ulcus in intestino recto*, *alteri cuidam vesicæ ulceri correspondens*, unde communicatio viscerum utrorumque sit orta, sic ut feces cum flatibus in vesicam, & rursum e vesica liquor urinosus in intestinum rectum fluere possint. At vero, cum ocularis inspectio nobis ante necessaria judicaretur, quam, quid opus sit facto, decerneremus; demandata Onisimo nostro accuratæ explorationis provincia. (d.20. *Apr.*)

XXIX.

XXIX.

MErcurius tertium gradum paulisper transcendit, liquor autem *thermometri* mane quarti gradûs fere medium occupavit. Nox erat frigida & pluvialis, Dies nocti fere per omnia similis, quamvis præ die hesterna temperatior.

Horridula. §. Apud Horridulam dolor quidem immanis per heri adhibita consopitus fuit, sed reliqua tamen symptomata, cumprimis insignis illa *dyspnœa*, pulmones vitium cepisse, *phlogoses* vero cum interpolatis horroribus vesperi cumprimis exacerbatis aliquid *hectici*, respondente quoque urina, significabant. Suasi *cursum medicatum* cum *lacte caprillo*, in quo *salvia* decocta, addita *conserva rosarum*. Bibatur calide mane & vesperi, dosi quotidie aucta.

Antemeridie hora 10. & noctu ante somnum *castanea* quantitas de sequenti *electuario* sumatur:

Rec. *Elect. resumt.* ℥ij. *spec. diatrag. fr.* ʒij.
antihect. Pot. ʒj. *extr. papav. c.* ℈j.
ther. Androm. ʒij. *diacod. crocat. q. s. M.*

Sacculo stomachus & venter muniatur e speciebus nobis consuetis. Potus sit *passulatum* Horstii. (d.2. *Maij.*)

Vinariensis. §. Vinariensem extra lectum reperi schedas varias volutantem, &, quæ essent alicujus momenti, seligentem. Quoad *Ischiaticum malum*, id tolerabile asserebat, *emulsionem* autem urinam nondum proliciusse: & cum insuper jam per biduum esset alvo constipata, insimulque in *dysuria* jam olim maxime præsentem usum *olei terebinthinæ* semet expertum testaretur, alia quædam adesse dixi, quæ *spiritum* vel *oleum* hoc a nostris usibus, solitarium saltem, arceant. Ut aliquo tamen modo satisfacerem, sequens præscripsi:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. de alth.* F. *an.* ℥iß.
ess. anod. ℈j. *~ tereb. gtt. vj. M. pro 2. dosibus.*

Capiatur una dosis statim, altera noctu. Sic enim fore sperabam,

tu

ut *oleo & sirubo* alvus lubrica redderetur ignea *Spiritus Terebinthinæ* spicula obtunderentur, & sic forte cum urina feces quoque alvinæ succederent. XXIX. Etiam *Cataplasma* ordinavi ex *rad. alth. herb. malv. & sem. lini cum lacte coctis*, atque ut mature in lectum se reciperet, imperavi. Agebantur hæc circa horam decimam ante meridianam. Audita vix duodecima statim revocor ad patientem, interea summe debilem factum. Advolans video ipsum tentari *motibus convulsivis*, qui tamen, prouti adstantes referebant, ante meum Adventum longe graviores erant. Nondum sumserat *oleum amygdalarum*. Ad se parum redierat, loquebatur, sed sine connexione, neque proferendis conceptibus verba suppetebant.

Rec. *Aq. fl. til. ceras n. an. ℥iiß. epil. l. ℥ß.*
Specif. cephal. pulv. march. an. ℈j.
Conf. alk. c. sir. fl. pœon. an. ʒij. M. D. cochleatim.

Balsamo meo *cephalico* inungantur vertex, nucha & tempora.

Noctu adhuc semel ad me ventum, & relatum, non quidem amplius convelli ægrotum, sed interdum quasi deliquia pati. Scriptum cordiale:

Rec. *Conf. fl. tun. ℥ß. conf. alk. c. ʒij.*
Diacinnam. reg. ʒj. M. F. Elect.

Capiat interdum quantitatem avellanæ. (d. *30. Apr.*)

§. Thrabi *Filiola*, natu major (8. *April.*) a *jure medicato & elixiri balsamico* sic satis bene habuit, e lecto surrexit, appetivit &c. Sic ut in vado plereque esse parentes ipsimet arbitrarentur. Sed a paucis diebus iterum observant non tantum antiquum languorem & molestum illud *oscitationis* symptoma (quod ita comparatum est, ut non nisi cum metu suffocationis oscitare valeat, inde, quamdiu possibile, *oscitationem* supprimat,) ingruente vespere caloris quasi *febrilis* incrementum, cum motibus artuum irregularibus, quasi spasmodicis. Sumat ter in die gutt. xxv. essentiæ seq. ex cochl. pot. ordin.

Thrabi *filiola.*
Febris anomala lenta.

Rec. *Ess. carminat. ʒj. croc. ℈j.*
Chin. chin. ʒij. M.

Cochleatim præbeatur talis *mixtura*:

Rec. *Aq. scabios. fl. til. an. ℥iiß.*
hirund. c. castor. ℥j.
♁ nat ppt. C. alc phil. an. ℈j.
Diacrod. crerat. ℥ß. M.

Nam & spiritus supprimebatur *asthmatis* convulsivi specie, cum

XXIX. preſſione ac dolore circa pectus: Hinc *unguentum* quoque ſcriptum pro pectoris inunctione ter in die calide perficienda:

Rec. *Ungu. car diac.* ℥vj. *ol. aniſ.* ℈ß.
∽⊖✱. ʒß. *M.*

Aliquot jam liberi, ut audio, huic viro ex tabe deceſſerunt neque hæc etiam puella evaſura videtur. (d. 3. *Maj.*)

Hippari-us. *Phthiſis.* §. Hipparius hactenus medicamenta d. 20. *Apr.* ordinata uſurpavit, ſed non omiſſo potu vini matutino, a quo arceri non poteſt. *Tuſſis* tamen, *aſthma* & dolor lateris multum remiſerunt, & ipſe putat, nil eſſe reliquum, ut convaleſcat, quam appetitus integritatem, huc igitur opus dirigendum. Ego vero, nondum in pectore tutam eſſe fidem pronuncians, curam pulmonum abjiciendam non eſſe, pharmaca tamen ita componi poſſe dixi, ut ſtomacho, quo poſſibile, ſimul proſpiciatur. Mane igitur & pomeridie ſumat 3. cuſp. cult. de *pulvere* tali per ſe:

Rec. *Rad. ar. ppt. irid. flor. an.* ʒij.
antih. Pot. ʒj. *extr. liquir. gr.* vj.
elæoſacch. aniſ. ℥ß. *ſpec. diacret. Myn.* ʒvj. *M.*

Noctu ante ſomnum quantitatem juglandis minoris de ſequenti *electuario*: Rec. *Elect. reſumt.* ℥iß. *diacor.* ℥ß.
ſpec. diatrag. fr. ʒiß. *ſir. jujub. q. ſ. M.* (d. 12. *Maji.*)

Campy-loxyli *Filiola minima. Pervigilium.* §. Campyloxyli *Filiola* natu minima (d. 27. *Mart.*) a *ſcabie* curata nunc bene valet, niſi quod mater queratur, eam per totam fere noctem vigilare, ſine ejulatibus aut alio valetudinis incommodo. Et cum iſtæ *vigiliæ* toti familiæ permoleſtæ eſſent, rogare ſe, ut tutum contra *agrypniam* iſthanc remedium præſcriberem. Juſſi cochlearia 3. l. 4. non quotidie, ſed alternis noctibus infantulo, ſemeſtre circ. ætatis emenſo, de ſequenti præbere:

Rec. *Aq. papav. rhœad. fl. til.* *ſir. papav. alb. an.* ℥ij. *M.*

Non ultra facile progrediendum, quoniam funeſta mihi nota ſunt exempla infantum in lethalem *veternum* lapſorum. Nutrices ſomnolentæ puſionibus de noctu parum dormientibus præfectæ, haut raro ex officinis, clam parentes, petunt *ſirubum papaveris albi*, quo incautius propinato alumnalis periculum creant.

Nota eſt mihi familia nobilis, in qua infantes per integrum primum ætatulæ annum de nocte ne per quadrantem horæ dormiunt, etiam, licet interdiu a ſomno violenter arceantur, aniculi vero facti, demum horis debitis dormire incipiunt.

Erythro-clathri *Filiola.* §. Erythroclathri *Filiola* (22. *Apr.*) poſt *variolas*, immo & *tuſſim*

tussim, superatas, appetitu quoque redeunte, in supplementum curationis meo more ordinavi *laxativum*: XXIX.

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xvj.*
sir. decich. c. rh. ℥vj.
aq. cinnam. ℥ß. *acat.* ℥ij. *M. pro 1. dos.* (d. 27. *Maij.*)

§. Onisimus ab Orago rediens aliqua retulit, quæ multum a relatione Demiurgi differebant, scil. Dn. Patientem in ano molestiam nullam percipere, non adesse *tubercula*, non *condylomata*, nullum *tenesmum*, *hæmorrhoides* nunquam passum, &c. Reliqua concordabant, &c. Narrabat quoque Onisimus de dolore valde nonnunquam acerbo e regione utriusque *renis*, per ductum ureterum versus vesicam protensum, unde suspicabatur, *intestinum colon*, *eo loci*, *ubi renibus per mesocolon annectitur ulceratum*, renes in erosionis consortium traxisse, atque commune hinc ulcus factum, per quod ex intestino colo liquidiora excrementa, pus & alimentorum reliquiæ primum renibus illata hinc per ureteres in vesicam amandentur, per urethram foras protrudenda. Cum negasset ægrotus quidquam se pati in intestino recto, propterea explorationem Onisimus intermisit, cujus caussa tamen illuc præcipue missus erat. Ego proinde eum Gnomilego ponderatis rite singulis in hanc sententiam scripsimus: Oragus. *Ulcus ani & vesicæ.*

Cum relationes Demiurgi & Onisimi non tantum ab invicem discrepent, sed sibi alicubi e diametro contradicant, ante quam circumstantiæ necessariæ nobis penitius innotescant, quis sit hic affectus, quod ejus subjectum & caussa, accurate determinare non possumus, determinaturi fortasse facilius, si Onisimus ad ocularem inspectionem pro voto nostro admissus fuisset. Petimus igitur, ut, quod ingratiis nostris fuit intermissum, adhuc institui patiatur ægrotus. Operationem esse indolentem, periculo carentem & ad morbi dignotionem curamque apprime necessariam, perficiendam a *Medico* vel *Chirurgo* loci. Certiores itaque fieri desideramus:

1. Utrum in intestino recto nullæ *verrucæ*, *condylomata*, *tubercula*, *&c*, vel quid aliud præternaturale, quoad penetrare digitus potest, animadvertatur?

2. Utrum digitus retractus vel evadat sanguineus, vel purulentus, vel excrementis & qualibus, vel alia materia maculatus?

3. Utrum exploratio dolorem, ubi, qua profunditate, excitet?

4. An nihil unquam de *hæmorrhoidibus* vel cœcis vel fluentibus, observatum?

XXIX. 5. An excrementa flatusve libere per anum sine ulla molestia, dolore, renisu prodeant?

6. An per alvum neque cruenti quid, neque urinosi, neque cibi indigesti cum fecibus excludatur.

7. An dolor urens in intestino recto?

8. Annon urina & feces per vias ordinarias simul, præter ægroti voluntatem, secedant?

9. An *nephritidi* nunquam fuerit obnoxius, nunquam arenas vel lapillos excreverit?

10. An nunquam *pollutione* vel *gonorrhœa* laboraverit?

11. Num in emissione urinæ non observetur ardor, ante, in vel post mictionem?

Interim e phænomenis nobis vere cognitis efficaciter concludimus, *necessario alicubi ulceratum esse intestinum, idq; ulcus cum partibus vel visceribus urinariis communicare*. Utrum vero id ulcus sit in *colo* an *recto*, cum vesica immediate, vel mediate per renem unum, vel alterum, vel utrumque communicans, ante problematum solutionem dijudicare non valemus.

Convenit tamen inter nos, ne ægrotus medicamentis diutius carere cogatur, de sequenti, quocunque modo comparatus sit affectus, forte non inutili futura, medendi methodo:

Mane jejunus & noctu ante somnum deglutiat *pilulas* decem ex cochleari *aqua destillata traumatica*, cujus aquæ insuper 4. cochlearia hauriantur. Sub initium prandii ac cœnæ sumentur 8. vel 10. guttæ *balsami de* Copaiba in cochleari juris calidi. Vitentur cibi acres, acidi, salsi, crudi, dyspepti, nimium aromatibus conditi, cum butyro frixi & omnes, qui stomacho laborem faciunt, ad viscerum quoque obstructiones ansam porrigunt, alii. Vinum exesse non plane jubemus, volumus autem vetustum cum *decocto agrimoniæ* temperatum in pastu. Extra pastum sitis vel *arthydro* vel *ptisana* leniatur. Absint spirituosi potus. *Gelatinæ e partibus animalium cum ras. CC. & ebor.* in carnium jusculis liquefactæ omni malo proficuæ sunt. Medicationi DEUS ex alto benedicat.

Rec. *Extr. liquir. hyper. an.* ℥j. *papav. comp.* ℈j.
Sang. Drac. bals. ind. sicc. an. ʒß.
c. terebinth. F. pil. pond. gr. iß. consp. pulv. liquir.

Rec. *terebinth. cypr. clar.* ℥viij.
herb. fabar. mij. summit. Virg. aur. mij.
fl. hyper. mi. rad. consol. maj. ℥ij.

Sem.

XXIX.

Sem. hyper. fœnic. an. ℥iß.
Vin. alb. mens. j. Conc. cont. ♌ *ll. l. a. ex.* MB. (d. *6. Maji.*)

XXX. XXX.

Mercurius, qui mane medietatem quarti gradus attigerat, vesperi ad tertium fere gradum resedit, & liquor *thermometri*, qui mane vix tertium gradum superarat, vesperi duas quarti gradus lineas assecutus est. Horæ matutinæ frigidæ erant, dies postea serena, & supra vernalem modum calida.

§. Arcterius (d. 23. *Apr.*) postquam *infusum* suum absolvisset, idque sufficienter purgasset, nunc reliqua medicamenta eo avidius petit, quod se ab *infuso* levatum sentiat. Ordinatus est *pulvis*, cujus, insequente semper motu, mane & pomeridie 3. cuspides cultri per se sumat, hauriendo statim scutellam unam *infusi theini*: Ar cterius *scorbutus.*

Rec. *Limat.* ♂ *fin. instar. alcoholtrit.* ℥j.
Ras lign. sassafr. cort. chaquarill.
Diaphor. ♂. *an.* ʒij.
Cinnam opt. ʒiß. ⊖ *succin. vol.* ℈j.
Balsamosacch. peruv. ℥j. *M.*

Antemeridie hor. 10. & noctu ante somnum assumat gutt. 40 *mixturæ* ex quolibet vehiculo:

Rec. *Ess. trifol. fibr.* ℥ß ∾ *cochlear.* ʒij.
⊖ *vol. oleos* ʒij. *M.* (d. 15. *Maij*)

§. Scherlosi, *vidua* 68. annorum horrore prævio nudius tertius æstuavit cum ingenti siti, *cephalæa* & *dolore punctorio sub sinistra mamilla.* Vena secta, *oleum lini* præbitum, *poma putrida in eodem oleo frixa* loco dolenti applicata. Cum insisteret morbus ad me itum' Pulsus erat celer & magnus, frequentes leves horripilationes & æstus quasi simultanei, sitis, arida lingua, in latere affecto cubare non potest, non tussit, non exscreat, non altum spirat. Pleuritidem spuriam agnovi: Scherlosi *vidua. Pleuritis spuria.*

Rec. *Aq. card. Mar. chærefol. anis an.* ℥iß.
mixt. simpl. ℈ij. *ess. anod.* ℈ß.
♉ *Diaph.* ℥ß. ♁ *nat. ppt.* ℈j.
Sir. papav. err. ℥ß. *M. D. cochleatim.*

Latus dolens ungatur *unguento de hyoscyamo.* Promoveatur *ephidrosis*, a vino abstineat & ab omni potu frigido. (d. 2. *Maji.*)

XXX. Crocheti *filiola.* *Variola.*

Crocheti *Filiola* 6. annorum aliquot diebus est *variolosa.* Cum aliquot jam parvuli, hac sola superstite, alio tempore ex *variolis* decesserint, puella vero de *asthmate*, faucium dolore, summo æstu &c. queratur, anxij parentes me vocarunt. Nihil, quod periculum portenderet, observavi. Parentibus autem, ut *lapidem Bezoar* (in quo salutis proram & puppim vulgus collocat.) præscriberem, instantibus, quum caussa recusandi non esset, præscripsi binas *mixturas*, unam roborantem, alteram faucibus dicatam, easque cochleatim per vices exhibendas:

Rec. *Aq. fumar. fl. til. an.* ℥iß.
lap. bez. occid. matr. perl. ppt. an. gr. xv.
sir. acetos. citr. ℥ß. *M.*

Rec. *Mucilag. sem. psyll. c. aq. fl. tit. extr.* ℥j.
sir. fl. tun. viol. an. ℥ß. *M.*

Hydrandri *Filiolus* *Dentitio.*

§. Hydrandri *filiolus* 6. annorum ante biduum subitò correptus fuit æstu intentissimo, cum rubore faciei, pavoribus, & magno capitis circa regionem suturæ coronalis dolore. Semper dormiturit, cibum assumere detrectat. Ante triennium ex hypocausti fenestra de media domus contignatione super plateam delapsus, caputque eo loci, ubi dolet, allidens, detrimenti cætera nihil cepit. Non vomuit, non constipatus est, *variolas & morbillos* jam habuit, utrosque confertissimos. *Dentitioni* acceptum tuli, quod jamjam patitur.

Rec. *Aq. ceras. n. rub. id. an.* ℥iß.
fumar. ℥iß. *epil. L.* ℥ß.
♉ *diaph. CC. phil. an.* ℈j.
sir. rub. id. ℥ß. *M. D. cochleatim.*

Rec. *Ol. Nuc. mosch. expr.* ʒß.
succin. rut. an. ℈ß.
Bals. peruv. ℈ß. *M. pro inunct. vertic. nucha & temporum.*

Sextarij *uxor.* *Fluor albus.*

§. Sextarij *uxor* (26. *Apr.*) contra fluorem album remedium petiit. Interrogavi, an nil quidquam juverit *jus medicatum* d. 9. *April* ordinatum? Respondit, se nondum usurpasse. Caussam rogata, dixit aliquos herbas tum nondum haberi potuisse; Quasi *Medici* tunc consilium non fuerit exquirendum? Poterant enim herbæ parabiles tunc usurpari; nondum parabiles, usque ad succrementum, omitti. Sed ita solent multi, ut sub frivolis prætextibus, quæ *Medicus* suaserat, omittant, modo, ut voluntati suæ indulgeant. Quo, nisi proprio, damno? Dixi igitur, ne diutius *juris medicati* potionem differret, simul mane & pomeridie sumendo cusp. cultr. 3. de sequenti *pulvere*:

Rec.

XXX.

Rec. *Coral. a. ppt. thur. masc. succin. fl. an.* ℨj.
Pulv. anserin. ℨij. *elaeosacch. rorism.* ℨß. *M.*

Noctu autem ante somnum 6. cochlearia *aqua composita*:

Rec. *Aq. heleocathart. scret.* ℔j.
Eleosacch. rorismar. ℥ij *M.* (d. 9. *Maij.*)

Apud Vinarienſem dolores quidem ſunt tolerabiles, interim vires quótidie magis diſſipantur, Non ſemper mentis eſt compos. Pergere juſſi cum *mixtura & electuario* cordialibus, &c, ſi forte *lipothymia* afficeretur pro odorifero ſcripſi: Vinarienſis.

Rec. *Aq. roſar. lavend.* ℥iß.
~ lavend. lil. conv. an. ℨij.
† *rub. id.* ℨß. *M.*

Cum quæreret, utrum ulterius balneare licitum eſſet? negavi. *Ubi ſpiritus vitales pauci deprehenduntur, balneandum non eſt!* Aliqui enim in balneis ita mortui reperti. Recordor adhuc valde Juvenis Tinctorem ſenem ultra quam ſeptuagenarium, *maraſmo* laborantem, balneum intraſſe, in eoque mortuum repertum, nullis ullius morbi ſuffocativi veſtigiis obſervatis, a ſola, ut credo, ſpirituum reſolutione, (d. 1. *Maii.*)

In tractatulo Gallico, *Nouvelles de la Republique des Lettres*, dicto, menſe *Aprili* 1706. p. 469. legi Qulielmi Cockburni *Med. D.* ſolutionem problematis, *de purgantium & emeticorum medicamentorum doſibus determinandis, in quacunque hominis ætate temperamento, temperamenti varietate per univerſum terrarum orbem* &c. Rhapſodiam facturi per univerſam iſtam ſolutionem, ſuppoſita ipſius & elicitas inde concluſiones in examen amicum breviter & curſorie vocabimus.

"Supponitur primo: *Purgantia & emetica* nihil prius operari poſſe, "quam in maſſam ſanguineam appulerint, & eidem penitus immiſceantur: Conſtare enim, ni nauſeam moverint, nullum ab iis effectum ſenſibilem produci multo poſt tempore, quo in eandem devehi poſſint. Secundo: Generaliorem eorum effectum eſſe temperamenti ſanguinei aliorumque liquorum gyrantium alterationem,

Primum ſuppoſitum eſt falſum, cum *emetica*, fibras ventriculi vellicando & ſpasmodice contrahendo, ſæpe citius dicto operentur, & hujus contenta foras eliminent, ante, quam earum moleculæ maſſam ſanguineam intrare valeant, Et, quid dicendum de *Oleo olivarum tepido*,

XXX. de *aqua tepida*? qualem hæc, etiam in massam sanguineam transsumta, alterationem ibi efficiant? quid dicendum de operatione *emeticorum* post assumta *venena* mature propinatorum? sane post festum operarentur prius in massam sanguineam transvehenda, cum impediri non possit, quin venenatas quoque moleculas secum abripiant, istique massæ infundant. Historiarum & observationum fide docemur, *purgari aliquos sola imaginatione*, v. gr. dum alios *purgantia* haurire vident. Et, quamvis hic forte supponi queat sanguinis quædam alteratio, ea tamen ab immixtione pharmaci non dependet: Immo, spirituum perverso motui potius acceptum ferendum est. Neque, *purgantia semper nauseam ciere*, verum comperitur.

Hoc fundamento subruto, suppositum alterum per se cadit, neque quod effectus evacuantium generalior sit liquorum gyrantium alteratio, cum *nausea*, *purgatio*, quin & *vomitus* etiam oriatur *purgante* nondum assumto.

„ Tertium suppositum est tale: Si certa quædam dosis exigatur ad „unius libræ sanguinis v. gr. crasin alterandam ad certum aliquem gra- „dum, duplicem oportebit dosin adhibere, ut ℔ij. ad eundem gradum „alterentur; triplam ut tres &c.

Hoc iterum oppido falsum est, & Chimicis experimentis è diametro repugnans. Nam sicut ista humorum gyrantium alteratio consistit in *fermentatione*, ita in hac nil amplius requiritur, quam, ut *fermenti*, id est, *medicamenti purgantis* tantum suffundatur libræ v. gr. uni sanguinis, quantum sufficit ad excitandam ejus *fermentationem*. Hæc libra semel si *fermentat*, non opus est, ut alii libræ dupla *fermenti* dosis affundatur, sed sufficit hujus vel quarta pars ad alteram libram itidem *fermentandam*, siquidem a priori agitatione etiam hæc secundæ libræ agitatio promovetur. Præterea caussa principalis *purgationis* omnis consistit in irritatione fibrarum motricium ventriculi & intestinorum, minus principalis in *fermentatione*. Unde patet, quam minime hanc mensurare liceat per libras sanguinis certas, cum potius irritatio dependeat a fibris texturæ suæ ratione mechanica magis vel minus irritabilibus, unde tota hujus hypotheseos machina collabitur. Porro, si paucis tantum granis in dosi excedas, *hypercatharsis* excitari potest; v. gr. ut, qui a granis *xij*. sufficienter moventur, non opus habeant per grana *xxiij*. *hypercatharsin* incurrere, granis *xvj*. vel *xviij*. sufficientibus. Si metallum, v. gr. plumbum funditur, ista particularum ad statum fusionis dissolutio consistit in certo

certo quodam caloris ignei gradu, quo præsente, fusio fit in momento: haut dissimiliter comparatum est, si sanguis ad *fermentationem* sit disponendus. XXX.

" Pergit *Auctor*: Cum quantitas humorum circulantium ex animalis pondere possit æstimari, exinde sequitur, dosium quantitates, cæteris paribus, esse corporis ponderi proportionales, adeoque medicamentorum dosin infanti recens nato propinandam esse, ad eorundem dosin provectioris ætatis hominibus, ut est infantis pondus ad hominis. (adulti) ex. gr. *pilulæ Rudij* pondere gr. xxx. unica plerumque dose adulto exhibentur, & adultorum pondus commune est 160. libr. & infantum ℔xij. Quapropter, ut est 160. adultorum pondus ad 12. infantum, ita sunt gr. xxx. adultorum dosis, ad gr. ij. ¼ quæ sunt infantum, ac semper in eadem ratione medicamentorum doses augendæ veniunt, ut crescit infans, dehinc doses exhibendæ manet eædem ad annum 50. ex quo tempore sanguinis quantitas & vis quotidie minuuntur, qua quoque ratione minuendæ sunt medicamentorum doses.

Recte additur: *cæteris paribus*. Nam quis *purgationis* dosin ad corporis pondus æstimet? Et, quomodo probabit Auctor, quantitatem humorum circulantium ex animalis pondere æstimandam? Omnium enim consensu quam maxime obesi minimum sanguinis obtinent, immo & hi facilius macilentis purgantur. Contrarium ex ista hypothesi sequeretur, sic, ut obesissimis propinanda esset dosis, quæ in macilento hypercatharsin deleteriam excitaret. Præterea, ut adultis eadem semper *catharticorum* dosis usque ad quinquagesimum ætatis annum præbeatur, cuiquam imperare plane absurdum est, cum intra 25. & 50. annum idem semper corporis pondus foret supponendum. Falsum itidem est, corporis pondus post quinquagesimum annum quotidie decrescere; nam inde sequeretur, si quis quintum & septuagesimum annum vivendo complevit, eum, quasi duodecim libras ponderaturum, purgandum esse sicut infantulum, cum *pilularum* v. gr. Rudij, 2¼. gr. Nec etiam probari potest, sanguinis quantitatem post annum quinquagesimum minui. Denique notandus Auctoris gallicismus, qui solos adultos vocat *homines*, quasi infantes non essent *homines*.

" Dicit Auctor: Dosium quantitates ob temperamenta diversa non semper proportionantur corporis ponderi &c.

Immo nunquam, per ea, quæ paullo ante dicta sunt. Igitur Auctoris hypothesis infirmo stat talo.

XXX. „ Porro scribit: Diversum temperamentum in certa quadam parti-„um sanguinis cohærendi dispositione consistit, qua sanguis magis vel „minus fluidus evadit; Hinc, pro variis cohærentiæ gradibus, etiam me-„dicamentorum in sanguine operationes fiunt diversæ.

Hi gradus possunt esse in amplissima & tali latitudine, ut vix acumine ingenii deprehendi possint, & inde sequeretur, *Practicum* adeo accuratum esse debere, ut, deprehensis istis gradibus, dosin *purgantis* interdum ad gr. ß. vel etiam gr. ¼ augere vel minuere cogatur. Idem obtinet de *sanguinis velocitate* ab Auctore supposita, quum dicit: *Medicamentorum dosin ad saguinis velocitatem esse metiendam.* Quis enim gradus hujus velocitatis accurate metiatur? Præsuppositis igitur falsis, fallunt etiam elicitæ conclusiones, de duplicata nempe dosi *purgantium* in hominibus duobus, æqualem sanguinis quantitatem habentibus, sed cohærentiæ gradibus differentem, &c. It. quæ porro sequuntur, nec satis intelligi possunt. Nam, cum nec sanguinis quantitas, nec graduum cohærentiæ ipsius vel velocitatis, exacte determinari queat, immo in eodem homine identidem variet, etiam dosis ad illa rite mensurari valet.

„ Additur Corollarium: Hinc quantitatem & qualitatem sanguinis „scientibus, doses ad vomendum & purgandum necessarias determi-„nate non adeo est arduum. Hæc qualitas & temperamentum sanguinis „a perito Medico e pulsu, urina & aliis secretionibus facile inveni-„tur &c.

Immo, non tam facile, ut sibi hic Auctor imaginatur, quid enim de pulsu, etiam nonnunquam apud sanos, intermittente judicandum? quid de pulsu *asthmaticorum*? polypis laborantium? Et, quam fallacia sunt urinarum judicia.

„ Postremo adest *Scholium*: Eadem sequuntur ex vulgari medica-„mentorum hypothesi de *purgatione* & *vomitione*. Nam dispositio, quam „habent ventriculus & intestina, ut stimulentur, est, ut memorati quan-„titatis & cohærentiæ in sanguine gradus.

Quis hoc demonstrabit? Nonne facilitas aut difficultas stimulandi ventriculum & intestina, oriri potest, immo, ut plurimum oritur a fibrarum textura teneriore aut firmiore? Et, an hæc omnia dependent a sola dispositione humorum, exclusis plane partibus solidis?

Si hæc Auctoris hypothesis valeret, quid non agendum incumberet Medico in vestigatione doseos *purgantium* & *emeticorum*? quippe

1. Corpus ponderandum.
2. Examinanda juxta hoc pondus sanguinis quantitas.

3. Ejus-

3. Ejusdem item tenacitas aut fluiditas. XXX.
4. Ejusdem velocitas.
5. Fluiditas & velocitas conjunctim.
6. Vel seorsim.
7. Et, cum non facile supponi possit, dari v. gr. duos homines quorum gradus cohærentiæ aut velocitatis sanguinis sint per omnia æquales, hinc ejusdem per omnia temperamenti, sed hac sint fere individualia; Inde sequeretur, unam *emetici* vel *purgantis* dosin, uni tantum individuo, nec pluribus, congruere, quod est absurdissimum.

Ejusmodi commenta fundantur in falsa hypothesi *mechanismi* corporis humani, & *principii automatici*.

SOLI DEO GLORIA!





J. N. J.

ETEODROMI MEDICO-PRACTICI LENTILIANI.

MDCCIX.

MAJUS.

I. I.



Ercurius mane tertium gradum una linea superarat, vesperi ad dimidiam lineam iterum subsederat; liquor *thermometri* fere in medio quarti gradus mane subsistens vesperi usque ad illius gradus primam lineam ceciderat. Dies mane frigidior & nubila sensim clarescebat, pomeridie vero tonitru auditum cum vespertina larga pluvia.

§ Mensem auspicamur cum nostro Vinariensi, cum eodem vix finituri. Nox erat inquieta, *rheumatismus ischiadicus* denuo vehemens; alvus a triduo constipata, urina suppressa, vires debiles. Ordinavi potionem *laxativam* Oswaldi, qua nihil movente applicatus vesperi *clyster domesticus* alvum reseravit. Pubi *cataplasma e cœpis in dimidio vini & aqua coctis* aplicatum, non quidem nullo, quoad *urinam*, parco tamen cum effectu. Cum internis reliquis pergendum. (d. 3. *Maij.*) Vinariensis.

§. Rabulus a potione laxativa d. 25. *Apr.* ordinata sufficienter evacuatus hodie meipsum convenit, reliqua omnia rite habere asserens, Rabulus *Diarrhœa.*

L. nisi quod alvo sit nimium laxa, caussam in *dyspepsia* non inepte quærens. Sumat interdum quantitatem castaneæ de sequenti *electuario*:

Rec. *Elect. diacor.* ℥j. *miv. cydon.* ℥ß.
Spec. diacr. Mynſ. ʒij. *bol. arm. ppt.* ʒj.
nuc. moſch. ☿. ʒß. *ſir. cydon qſ. M.*

Valedicat, si vivere cupit, pravæ consuetudini, noctu vel mane aquam frigidam ingurgitandi.

Vertagi *filiola.* *Morbilli.* §. Vertagi *Filiola* (27. *Apr.*) sanguine stillavit e naribus aliquoties, hinc morbillis leviter, & sine ullis gravioribus symptomatis, defuncta, convaluit. Cui, pro more nostro, in supplementum curæ dedimus *potionem laxativam.*

Neritii *filius.* *ſcabies ſicca.* *Impetigo.* §. Neritii *Filius*, 13. Annorum jam a 2. mensibus incipit affligi molesta *scabie sicca* per totum corpus, pruritum immanem excitante, & *impetigini* plane simili. Purgavi corpus *electuario* huic ætati accommodato:

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *elect. e pſyll.* ʒij. *M.*

Mane postea & noctu sumat gtt. xx. *mixturæ hæmocatharticæ* ex cochleari juris aut vini.

Rec. *Eſſ. lignor. fumar. an.* ʒij. *M.*

Impetigines fricentur ter in die *spiritu ligni sancti*, quo nil unquam efficacius in *impetiginibus* expertus sum.

Kobius. *Aſthma hypochondr.* §. Kobius per medicamenta d. 23. *April* ordinata quoad *asthma* convulsivum haut parum profecit, recurrente tamen a biduo, quamvis non eadem vehementia, malo. Morosus interdum est homo, quales solent esse hyporhondriaci. Sumat mane & pomer. 6 *pilulas* ex quolibet vehiculo, movendo post assumtionem corpus pro rata virium:

Rec. *Extr. gentian.* ʒiß. *helen.* ʒß. *croc.* ℈j.
Limat. ♂ *in alcohol. red.* ʒij. *myrrh. r.* ʒß.
c. eſſ. abſinth. F. pil. pond. gr. ij.

Noctu ex cochleari vini sumat *mixturæ* gtt. xxxx.

Rec. *T.* ♂ *helleborat.* ʒij. *croc.* ʒß.
♒⊖✱ ʒj. *M.* (d. 10. *Maji.*)

Nisseti *filiola.* *Ex anthematum prodromi.* Nisseti *Filiola* triennis corripitur subitaneo æstu, vomitione, somnolentia, siti, alvus est constipata. Cum neque *variolas* neque *morbillos* adhuc passa sit, pavoribusque concutiatur, ordinavi *mixturam diaphoretico-epilepticam* cochleatim dandam:

Rec.

Rec. *Aq. fumar. fl. til. an. ℥ij. epil. L. ʒiij.*
mater. perlat. ℈ij. lap. bez. or. gr. vj.
sir. fumar. ℥ß. M. D. cochleatim.

Decocto pro potu ordinario misceatur aqua *fumaria*, eidemque nodulo conclusa immergatur *materia perlata*. (d. 3. *Maji*.)

§. Actuarii *Filiolus* natu minor 7. annoruum eadem *exanthematum* erupturorum signa exhibens, cochleatim assumat: Actuarii *filiolus*. *Variola*.

Rec. *Aqu. fumar. card. bened. fl. samb. an. ℥iß.*
♁. diaphor. CC. philos. an. ℈j.
Extr. Bezoard. gr. iij. sir. fumar. ℥ß. M.

§. A Metadromo, cui 23. *April* medicamenta contra *deliria melancholica* ordinaveram, litteras ad me dedit sanæ mentis indices, quarum contenta hic erant: Medicamenta mihi præscripta efficacissime operantur. *Pulvis catharticus* novem excitavit vomitus. Id igitur solum peto, annon liceat, durante usu *pilularum* & *mixturæ* guttatim sumendæ interdum vini puri haustum assumere, vel an mihi *acidula* vel denique cervisia pro potu ordinario eligenda sit, ut eo tutius in cura progrediar? Respondi, tempore pastus bibendum esse vinum acidula temperatum, intermediis horis levendam sitim solis acidulis, has etiam suo tempore ad fontem curative potandas esse. Pilulas & mixturam per mensem continuandas, sic enim demum laudabilem & constantem effectum esse sperandum. [d. 27. *Maji*.] Metadromus. *Melancholia*.

Cum Dn. Collega meo visitavi miserum juvenem in leprosorio. Admodum adolescens in militiam abierat, rediens totus pannosus, pediculosus, scabiosus & ulcerosus. Squalori & sorditiei assuetus nullo modo, precibus & jurgiis frustra impensis, ad munditiem redigi poterat. Quin immo *ulceribus* solidatis ipse indies magis sordere, &, cum virium caussa latrinam petere posset, omnia excrementa in ipsummet cubile excernere non verebatur. Caussam rogatus idem, quod stipes, respondebat. Hoc modo per aliquot septimanas vivens, cum cibi parum, *medicamentorum* nihil assumeret, viribus fractis, animoque abjectissimo, misericordes omnium oculos ad se convertebat. Quod consanguineis ipsius sequentem in modum significavimus. Cognatus vester suarum rerum miserrime satagit. Vires corporis & animæ propemodum omnes evanidæ. Alvum & urinam deponit in cubile suum; qua de caussa lecti plumei auferendi & storea substituenda fuit. Omnia assumta revomit. Torvum videt. Lingua est arida vix verbum profari potens. Judicicium va-

I. cillat. Animus est dejectus. Desiderio tamen alloquii & consolationis spiritualis tangitur. *Medici*, quod nostrarum est partium, egimus, ulterius acturi. Nos autem animam periclitari veremur, eamque opus habere solatio & informatione opinamur, eo magis, quod non diu supervicturus videatur. Ut igitur hoc uno necessario missello homini prospiciatur, id significandum esse censuimus.

Hæc non ea fini adducuntur, quasi necessaria, curiosa, vel momenmentosa reputentur, sed, ut novelli *Practici* discant, *Physicum ordinarium* non extra aleas vagari, sicubi de salute spirituali ægrotorum sollicitus est. Adstantes interdum aut sunt stupidi, aut negligentes. Ego semper maturius urgere soleo tum reconciliationem cum DOMINO *vitæ & mortis*, tum dispositionem in temporalibus. Si non semper grata, necessaria tamen sunt isthac monita.

II. II.

BArometrum & thermometrum, qualia heri mane. Vesperi Mercurius linea una cum semisse supra tertium gradum quiescebat: Liquor *thermometri* saltem una a quarto gradu linea distabat. Dies erat serena & clara, noctu tonitru.

Scherlosi *vidua. Pleuritis spuria.* §. Apud Scherlosi *viduam* (30. *Apr.*) medicamenta se probe gesserunt. Æstus deferbuit, sitis cessavit, vires cum appetitu instaurantur, & dolor punctorius plane desiit. Saltem adhuc adest gravitas pectoris, & interdum respiratio cum stertore ac sibilo. Quapropter dedi *haustum laxativum consuetum.*

Dissoluta *Melancholia.* §. Dissoluta 24. annorum teneræ texturæ muliercula ante semestre marito affectu maniaco laboranti; gravida ministrans, terrores, noctes insomnes, & alia mala multa sustinuit, ut taceam, maritum, quo cum vix ultra annum vixerat, ex eo morbo, nullatenus integra ratione, mortuum esse. Ab eo tempore vitæ solitariæ ab infantia nunquam assueta subtristior indies fieri cœpit. Rem solis caussis moralibus deferens, neglectam medelam tempori reliquit. Nunc ab aliquo tempore malum augetur, anxietates occupant præcordia, sudores simul frigidi, vertigo, suspiria. Lacrymatur, & se levari sensit. Purgatum corpus.

Rec. *Extr. cathol. gr. xv.*
Magist. scamm. gial. an. gr. vj.
F. pil. n. xviij. deaur. pro 1. dosi.

Post purgationem mane & noctu ordinarie, extraordinarie vero in quolibet quovis tempore affligente paroxysmo *melancholico*, sumat guttas 30. *Tincturæ* cum vehiculo grato:

Rec.

Rec. R. ♂ *helleborat.* ℥iij. *D.* II.

D. 6. Maji medianam dextri dividere jubeat, indeque prolici sanguinis circiter uncias quinque. Mihi successor in thoro præsentissimum hic *antimelancholicum* creditur. (d. 6. *Maj.*)

§. Vertagi *Filiolus* (27. *April.*) desiderio revitendi scholam incitatus, in publicum prodiit, nimium in aëre moratus, & forte nimis appetitui suo indulsit. Heri *diarrhœa* prehensus per totam noctem aliquoties petere sellam coactus est. Inappetentia nova cum calore præter naturali. *Oleum nucis moschatæ expressum* pisi minoris quantitate in jusculo solutum bis in die præbeatur, *emulsio amygdalarum* potui detur. De sequenti *electuario* stomachico & leviter adstringente capiat interdum quantitatem castaneæ: Vertagi *filiolus.*

Rec. *Elect. diacor.* ℥vj. *Conf. ros. r. antiq.* ℥ß.
Miv. cydon. ℥iij. *extr. papav. c. gr. vj.*
Cor. r. ppt. ▽. *catech. nuc. mosch.* ℞. *an.* ℈j.
Sir. cydon. q. s. F. Elect.

Cum *tormina* simul adessent, Pater induit filiolo pectorale e *pelle cati silvestris*, simul narrans, se ante plusculos annos cruciatum doloribus *colicis* immanibus, re nulla juvante, talismodi pectorali abdomen quoque muniente, dolores incantamenti instar abegisse, tales hactenus nunquam redisse, immo alios, mutuo datum in iisdem casibus, sæpe numero juvisse, quod Schröderus *in Pharmacop. de pelle cati* in genere scribit, eam nempe ventriculum calfacere artubusque contractis mederi, id in specie de *silvestris cati pelle* prædicat in *Clave* Hoffmannus, & hujus *cati axungiam umbilico* illitam dolores *Colicos* aufferre, ibidem affirmat. Nordlingæ quoque novimus virum primarium, qui ante viginti & aliquot annos jam ejusmodi pectorale, *colici doloris* averruncum, gestavit, & fortassis adhuc gestat.

§. Erythroclathri *uxori* 40 annorum *asthmaticæ* a congestione pituitæ ordinavi *infusum* vernale *pectorale, incidens & purgans*: Erythroclathri *uxor.* *Asthma humidum.*

Rec. *Rad. helen.* ℥vj. *glycyrrh.* ℥ß.
Rhabarb. polypod. qu. mechoac. a. an. ℥iij.
Agar. trochisc. ℥iij *fol. senn. s. s.* ℥iß.
Herb. marrub. a. mj. cochlear. fl. acac. an. mß.
Passul. min. ℥j. *cass. lign.* ʒij. *croc.* ℈j.
Sem. anis ʒij. *nasturt. sinap. an.* ʒj. *Conc. cont. D.*

Superfluum est semper addere modum *infundendi & bibendi*; cum idem

II. idem fere sit mihi in omnibus, jam aliquoties in his paginis adumbratus.

Horridula. *Colica hysterica.*

§. Horridula (29. *April*) *lac caprillum* cum levamine bibit, *tussis* eleganter compescitur, *dyspnœa* tolerabilis est. Solus Stomachi & intestinorum *dolor* vicibus interpolatis furit, quamvis usu *pilularum* 3. Wildegansianarum semper compescendus, quales & hodie rursum porrexi noctu, si necessitas urgeat, sumendas: umbilico applicari volui emplastum *in Colica hysterica* mihi familiare & expertissimum.

Rec. *Gumm. galb. depur.* ℥ß.
castor opt. as. fœtid. an. ℨß.
ther. Androm. ℨij. *ol. castor. q. s. F. empl.*

Extendendum super alutam quantitate orbis fenestræ majoris umbilico calide imponendum. Cum lacte & *electuario* pergat.

D. 25. *Martij* mentio injecta *calculorum* duorum triquetrorum in *Dynastia* Heidenheimensi e vesica quadragenarii excisorum. Transmissus mihi fuit e limo figulino in speciem *calculi* istius majoris effictus calculus, quem non sine admiratione conspexi. Difficillimum captu est, quo pacto vel artificio nasci possint in vesica humana calculi bini, triquetri, cubici, tantæ magnitudinis & in figura æqualitatis? quin etiam quantitate non multum dissimiles? Heic semet exerceant illorum ingenia, qui totum mundum *regulis mathematicis* coërcent.

Cæterum quod patientem concernit, ille fere penitus curatus est, præter restitans adhuc vulnusculum: vix semen sinapi capiens, e quo hactenus adhuc urina profluxit. Chirurgus loci heri noctu compressis munivit, unde nihil effluxit hucusque. Annon vulnusculum hoc, quantumvis tantillum, Chirurgo vel Lithotomo adhuc negotium facessere possit, eventus docebit?

Odontius. *Purgatio.*

Odontio *Musico* d. 10. *Aprilis* scripseram *pulverem* emeto-catharticum ibi quærendum. Non prima vice hunc usurpavit, sed aliis temporibus præmisso *pulvere digestivo*. Cum autem præterito autumno ipsum solito vehementius exercuisset, *pulvis digestivus* nudius tertius (nam heri demum *catharcticum* assumsit) neglectus fuit. Saltem bis *vomuit*, ne unam quidem, sedem passus, quinimmo illi ipsi vomitus vix attendi merebantur. Si heri meridie rem significasset, solis ℨij. *Sir. emet.* datis operationem promovere potuissem. Hodie vero, an quiescendum, an nova *purgatio* superingerenda quærit? Cum autem nil quidquam incommodi sentiret, appeteret, vegetus esset, prius electum.

§. Bryo-

§. Bryocepuri *Filiolus* (2. *Mart.*) jam nil amplius *rhachitici* exhibens, ad me portatur, ut ſcrotulo adhuc nimium tumenti conſulerem; quod 21. *Febr.* jam dixeram, eſſe nempe *pneumatocelen*, in eo perſtiti, tumoremque ab illo multum decreviſſe dixi. Nunc autem, ut, imponerent ſuaſi ſequens *emplaſtrum*, bis in die: II. Bryocepuri *Filiolus. Pneumatocele.*

Rec. *Empl. de bacc. laur. diaphor.* Mynſ. *an.* ℥ß.
Ol. carv. ℈j. *philoſoph. q. ſ. m.*

Cum hæc mulier me conſultura eſſet, alia idem factura jam in area domus præſto fuit, quæ puelli morbum expiſcata, quin, ait, *radicem Fabariæ* plantari curatis (Bruch Wurtzl ſetze.) quo pacto jam innumeri ſunt curati? Cui annuens mulier, audiam, dixit, quid *Doctor* ſit dicturus, in craſtinum namque diem incidit *Paraſceve ſtyli veteris*, convenientiſſima huic operationi dies. Cui altera, nil, ait, de his rebus *Doctori* dicendum, *Doctores* enim talia rident, immo damnant. Hoc mihi relatum a miniſterio meo, nam mulier tam audax non fuit, ut mihi de hac cura quidquam memoraret. Non ſimpliciter rejicio *curas transplantatorias*, modo circumſtantiæ rite habeant. *Vid.* quæ in eam rem ſcripſi *in Miſcellan. part. I. p. 13. & part. III. p. 137. It. Ann. IX. Dec. II. Eph. Cur. obſ. 33. & Ann. X. obſ. 53. Zodiac. Med. gall. Ann. I. p. 124. Ann. VI. & VII. Dec. I. Eph. C. obſ. 11. Act. Med. Hafn. Vol. V. obſ. 92. Vol. III. obſ. 10. Vol. IV. obſ. 23. Vol. II. obſ. 61. & 107. Boccon. obſ. cur. 21. p. 462. Boyl. Util. phil. experim. p 290.* Cumprimis autem legantur exempla a me obſervata in *app. ad Ann. V & VI. Dec. III. Eph. Cur. p. 115.* Noſtram quod attinet, res omnis ſuſpecta redditur, quod requiratur *dies paraſceves*. Nam in licita *transplantatione* abeſſe debet omnis ſuperſtitio, omnis nocendi intentio, omnis dierum v. gr. *veneris*, *vigiliæ natalis* DOMINI electio, omnia concepta verba, divini Nominis adhibitio, ſigilla, characteres, geſticulationes, ſignationes crucis, conſecrationes, conſtellationes planetariæ &c. Sic ut rigidior ſit noſter VELSCHIUS, qui *transplantationes* morborum omnes *Medico* pio ac erudito indignat, parum a *Magia* diſtantes, ideoque ſimpliciter fugiendas affirmat *Hecatoſt. II. obſ. 99.* Cautum tamen ſe præbeat *Medicus*, cumprimis *junior*, qui applauſum ſibi & auctoritatem nondum comparavit, nec facile curas ejusmodi ſuadeat, vel ab aliis deſideratas concedat. Sapienti ſat!

§. Eleutherus (20. *Apr.*) *infuſum* ſuum cum euphoria bibit, & nunc petit, ut eradicando malo incumberem, cumprimis artuum vagis doloribus medicatum irem. Sumat mane & pomeridie XV. *pilulas* ex quolibet, modo non calido, vehiculo, ſequatur ſemper motus corporis. Eleutherus. *Artuum vagi dolores*

Rec.

II. Rec. *Extr. gentian. chamadr. helleb. n. an.* ʒj.
alcohol. chalyb. ʒiij. *diaph.* ♂ ʒj.
Myrrh. r. ʒß. *balſ. peruv.* ℈j.
♁. *nat. ppt.* ♁ *ij. rectif. an.* ℈j.
c. eſſ. abſinth. F. pil. pond. gr. j. *conſp. pulv. liquir.*

Noctu cubitum iturus ſumat gtt. 50. R. ♁ *helleborat.* ex *cochl. vini.* Quo pacto diæta ſit inſtituenda, jam notum eſt. (d. 30. *Maij.*)

Siluruli *filia minima.* *Tormina.*

§. Siluruli *filiola* minima trium ſeptimanarum, partu valde laborioſo edita tamen per id temporis quieta fuit, & pinguicula facta eſt. Nudius tertius cœpit ægrotare, vociferari, inter vociferationem femora ſurſum trahere, ſpumoſa & viridia excernere, crepitus ſonoros edere, pavere, præbuerunt *pulviſculum e pannonico rubro & Marchionis* mixtum cum *aq. ceraſ. n.* ſed puella nihilo mitius habente, tuſſiente, ſpiritum ad totius faciei horridum livorem cohibente, me hodie vocarunt. Agnovi *ſpaſmum inteſtinorum* ad *epilepticos* motus collimantem. Non improbavi *pulverem,* ſed præterea cochleatim præberi volui *mixturam*:

Rec: *Aq. anis* ℥iß. *carv.* ℥j. *epil. L.* ℥ß.
Eſſ. anod. ℈ß. *elaoſacch. anis.* ʒij. *M.*

Inunctionem abdominis commendavi:

Rec. *Ungu. alth. anod. an.* ʒiij.
Ol. carv. ℈j. *M.*

Hæc puella vix mortem effugiet. (d. 3. *Maii.*)

Buvachſi *Filia.* *Hyſterico-ſpasmodica.*

§. Buvachſi *Filia*, 21. annorum, affectibus *hyſterico ſpaſmodicis* alioqui obnoxia, *lactuca* vim non pœnitendam, immo vero pœnitendam, ubi aſſumſiſſet, in *tormina* & *vomitus hypochondriacos*, cum *clavo hyſterico, odontagra* &c. incidit, a ſolo medicamento ſequenti melior facta:

Rec. *Aq. beton. meliſſ. an.* ℥iß. *hirund. c. caſtor.* ℥j.
♁. *nat. ppt.* ʒß *eſſ. anod.* R. *caſtor. an.* ℈j.
Sir. chamom. ʒiij. *M. D. cochleatim.*

Quam poteſt immobilis jaceat, potum frigidum vitet. (d. 4. *Maij.*)

Rotarius. *Arthritis.*

§. Rotarius (27. *Apr.*) cum ſanitate in gratiam rediturus videtur, ac præter *tenſionem ligamentorum* in artubus, dolorifici nil amplius ſentit, vegetus ac bene appetens. Articulorum robori firmando deſtinavi *linimentum ex* 🜄. *juniperino, ſapone veneto, theriaca, camphora & croco*, præmiſſa ſemper *frictione* pannis calefactis perficienda. Et ſic *arthritidem* hanc, vel potius *rheumatiſmum* expugnatum iri confido. (d. 13. *Maij.*)

III. Qui

III. III.

QUi ſupra medietatem tertii gradus mane ſubſiſtebat, veſperi medium quarti gradus æquavit Mercurius. Liquor *thermometri* eodem tempore a quarto gradu parum diſtans, ita veſperi quoque manſit. Medium noctis poſterius erat ſerenum, dies tota ſerena & calida.

§. Horridulæ ob nondum plane ceſſantem *cardialgiam* & *tormina*, quamvis longe remiſſiora ordinavi *gelatinam cydoniatam* Brunneri (de qua *Miſcellan. P. 1. p. 430*) cochleatim ſumendam, non interim neglecto *electuario* & *cura lactis caprilli*. (d. 8. *Maji.*) Horridula.

§. Siluruli *Filiola* non æque ac heſterno die vociferata eſt, ſignum conſopiti doloris, interim ſigna *convulſionum* augentur. Præter heſterna ſuaſi, ut *theriacale emplaſtrum* fontanellæ capitis imponerent, quin etiam cervicem, verticem & tempora *balſamo* ungerent: Siluruli filiola min. Colica ſpasmodica.

Rec. *Ol. NM. expr.* ℥j. *ſuccin.* ℈j. *rut.* ℈ß.
anth. lavend. ſalv. an. gtt. iiij.
~⊖✱. depur. balſ. peruv. an. ℈j. *M.*

Avia, cum a me audiret, motus inteſtinorum ſpasmodicos adeſſe, (Darm-Gichtlein) illico mandavit ancillæ, ut in viam compitalem effunderet aquam, in qua linteamina infantis lota fuerunt. Mater infantis refragabatur, propter rem de ſuperſtitione ſuſpectam, avia defendebat, hinc propemodum lites ortæ. Arbiter ego vocatus; talia me nunquam probare dixi. Avia contra, nil eſſe mali in ea actione, rem fide roborari, ſecundum *Evangelium*, MATTH. VIII. 13. *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi.* Reſpondi, ſi dictum hanc explicationem patiatur, fore, ut, ſi quis firmiter credat corium vetuſtum (Ein alter Schuh-Pletz) morbis medicari poſſe, id etiam futurum, illudque corium in panaceam evaſurum ſit.

Porro dicebat avia, fuiſſe civem in urbe, qui poſſederit, veram *patellam iridis*, ejusmodi efficaciæ, ut, ſi pectori infantis *epileptici* applicaretur, ipſe aut ſubito curetur, aut ſubito exſpiret: Idque multis experimentis, immo ipſiusmet filiæ, noſtri infantuli matris, comprobatum eſſe. Vaniſſima ſunt hæc. *Patellas iridis* nil aliud eſſe, quam *antiqua* Gothorum *numiſmata*, jam dudum fuſe demonſtravimus in *Ann. V. Dec. II. Eph. Cur. obſ. 203.* Non autem immerito quærimus: Utrum *Chriſtianis* vel *Parentibus* vel *Medicis* conveniat ægroto cuidam adhibere *medicamentum* vel in vel externum, quod ipſum *vel ſubito juvet, vel enecet?* Ego quidem vehementer dubito, (vid. infra.)

III. Nisseti *Filiola.* Nisseti *Filiola* (d. 1. *Maji*) non equidem vomit amplius, sed æstus adhuc intensissimus. Quod reliquum est *mixturæ*, assumere detrectat, parum delirat, nil quidquam comedit, nulla adhuc exanthematum vestigia, alvus constipata. *Mixturam* gustatu suaviorem talem præscripsi:

Rec. *Aq. fumar. ceras. n. rub. id. an. ℥iß.*
Mater. perlat. ʒß lap. bez. or. gr. vj.
Conf. alk. c. ʒj. sir. papav. err. ʒiij. M.

Nova *materia perlata* potui immergatur, cui etiam porro commiscenda *aqua fumariæ*. (d. 4. *Maji.*)

Vinariensis. *Ischiaticum malum.* §. Vinariensis noster præterita nocte, licet alvus ter soluta fuisset, tam atroces passus est *ischiaticos dolores*, ut parum a desperatione abfuerit. Ultra sexagies e lecto surrexit, idque subito duplicatis quasi viribus, & se foras proripuit, iterumque conclave ingressus est, de latere in latus se præcipitavit magno cum furore. Miser aspectus. Flagitantibus auxilium coactus quasi dedi tres *pilulas* Wildegansianas, & præscripsi *electuarium* sequens bipartitis vicibus dandum.

Rec. *Diascord. Fracast. ʒiß.*
♁. nat. ppt. CC. philos. an. ℈j. M.

Parti affectæ applicare jussi *emplastrum* ex *an. empl. de melit. & ungu. de hyoscyamo* factum. Pergant cum *cardiacis*. (d. 4. *Maji*)

Thrabi *filiola. Convulsivi motus.* §. Thrabi *filiola* (29. *Apr.*) præter capitis dolorem continuum, licet febriles exacerbationes parum desierint, tamen indies plura *motuum convulsivorum* indicia præbet, taciturna est, interrogantibus fere nihil respondens, expavescit crebro, motusque brachiorum insuetos edit.

Rec. *Pulv. cephal. Cam. ʒj. epil. mir. ʒß. M.*

Dentur ter in die 2. cusp. cultr. cum vehiculo sequenti etiam seorsim sumendo:

Rec. *Aq. ceras. n. lavend. an. ℥iiß.*
Epil. L. hirund. c. castor. an. ℥ß.
℞. castor. ʒß. sir. fl. pœon. ℥ß. M.

Fronti *unguentum anticephalalgicum*:

Rec. *ungu. alabastr. popul. an. ℥ß.*
Ol. N. Mosch. expr. ʒß. M.

Mentionem injiciebant Parentes de *venæsectione*. Fuisse quandam amicam, quæ *puero epileptico* 10. annorum suasu cujusdam, circa novilunium, bis *venam secari* passa sit, multo cum levamine. Non quidem curatum malum, sed longe mitius esse. Sperari posse, cum *venæsectio* in irvobe-

borata *epilepsia* tantum valuerit, plus valituram in *convulsionibus* demum expectandis. Dixi, me dolere, quod *venæsectiones* his in regionibus adeo metuantur in pusillis, cum, quare vena ipsis non sit secanda, nulla ne probabilis quidem ratio sit. Sanguinem in ipsis ebullire, corpori æstum inducere, venas expandi, narium *hæmorrhagias* excitari sicut in adultis; cur igitur ejusmodi *phænomenorum* promta medela miseri prohibeantur? Sed, quis *Practicus* hujus rei initium faciat? *Vena secatur, puer moritur, Medicus occidit.* Sic enim, præter vulgus imprudens, etiam *Medici* quidam aliorum famæ invidiose inhientes, dicturi fuerint. Cum igitur in ista puella pulsus sit magnus, venæ turgeant &c. Cur eadem non tuto administrari queat, me non posse videre dixi, interim vero ob aliorum calumnias nec jubere, nec prohibere. In *variolis* & *morbillis* nunc a quadrimestri hic *epidemice* grassantibus, multi infantes ab initio graviter & periculose decubuerunt, inflammati ubique ac delirantes; in multis natura per *narium* largas *hæmorrhagias* remedium ipsis indicavit. Mortui sunt non pauci, quamvis mihi, per DEI solius gratiam hactenus, ne unus, quem tractavi. Annon aliqui per *venæsectionem* servari potuerint? *vid.* quæ in hanc rem scripsi *Miscellan p. 1. p. 33. s. it. p. 83. (d. 11. Maji)* III.

Cum hanc puellam visitarem, mater mihi de *minore filiola* narravit, multos eam *lumbricos* exclusisse, vi *seminis santonici* ipsi propinati. Rogavi, quomodo propinatum fuerit? respondit cum *haustu muriæ brassicæ capitatæ*, (mit Saurkraut-Brüh) idque communiter apud vinitores ita fieri solere. Vehiculum mihi hactenus inauditum. Si vermes delectantur dulcibus, quid ista *muria*? Puella *minor. Lumbrici.*

§. De Herminij uxore gravida & simul *ascitica* quid scripserim 28. *Febr.* huc referenda sunt. Vitam plus quam miserabiliter traxit, usque ad puerperium. Cum dolores ad partum adessent, vires autem ad retinendum spiritum vel paucæ vel plane nullæ, nemo adstantium aliter credidit, quam matrem cum prole spiritum exhalaturos. Prodiit tamen post laboriosissimos nixus infans mortuus, cum incredibili vi aquorum, unde quidem valde debilis facta tamen successive vires ita collegit, ut in publicum prodire meas ædes 4. septimanarum puerpera visitare posset. Nunc fere nil queritur, nisi de inappetentia & lassitudine. *Purgans* ordinavi: Herminii *uxor. gravida, ascitica.*

Rec. *Pulv. Gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈j.
Dacryd. gr. iij. ol. mac. gtt. j. M. pro 1. Dosi.

Postea mane & pomeridie cusp. 3. cultri de *pulvere* sequenti per se:

III. Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ℥ß.
Diaph. ♃*al. matr. perl. ppt. an.* ʒß:
Elæoſacch. caryoph. ʒij. *M.*

Noctu ante ſomnum guttas xxx. *elixiris balſamici* ex cochl. vini. His uſurpatis redeat, & ulterius conſilium ad viſcerum tonum roborandum expectet. *Hydrops* igitur *uterinus* fuit.

Siluruli *filiola.* *Colica ſpasmodica.*

Vix hodie e domo Siluruli egreſſus eram & infantula rurſum cœpit acerrime vociferri, alvo ſimul conſtipata exiſtente. *Convulſionum* ſigna plura & vehementiora. Cochleatim præbeatur:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥ß.
Sir. chamom de alth. Fern. an ʒß.
Eſſ. anod. ℈ß. *M.*

Abdomini imponatur *emplaſtrum ex an. empl. de melil. & ung. de hyoſcyamo.* (d. 4. *Maji.*)

§. Cuidam vinum medicatum cum nauſea bibenti; immo revomenti, ſuaſum, ut unum vel plures *caryophyllos aromaticos* manderet, & hinc inde lingua ſua in ore & palato circumvolveret. Sic ſenſu hebetato, quod inſuave fuit in vino, linguam & palatum non afficiebat, & absque nauſea hauriri poterat. Hanc methodiam ſimilibus in caſibus imitari licebit. *Spiritus* vini aſſumtus & in ore volutatus palatum & linguam itidem obſurdeſcere faciunt, ut, quidquid edatur vel bibatur, guſtu dignoſci non poſſit.

IV.

IV.

MErcurii mane ſtatio heſterna, veſperi ad ultimam tertii gradus lineam ſubſidentia. Liquor *thermometri* mane aliquanto demiſſior, veſperi ad quartum exacte gradum aſſurrexit. Dies erat mediocriter ſerena.

Siderolithi *uxor.* *Pſeudocyemata.*

§. Siderolithi *uxor* (11. *Febr.*) ad *pſeudocyemata* & *uteri hæmorrhagias* averruncanda me ſuaſore aditura eſt *balneas* Cantſtadienſes. Petit igitur inſtructionem ſcriptis comprehenſam, qualem vocant *Memoriale*? Quo pacto lavari & in omnibus ſe gerere debeat. *Purgetur*:

Rec. *Extr. cathol. gr. xvj.*
Magiſt. gial. gr. vj. ſcammon. gr. v.
F. c. elix. propr. l. a. pil. n. xviij. deaur. pro 1. doſi.

Poſtquam appulit Cantſtadii, quum una vix hora hinc diſtet, ut altera die quieſcat & vires colligat opus non habet, quod alias imperare ſolemus *Medici*, ubi profectio eſt longinqua. Statim igitur altera die *bal-*

balneas intrare potest. Surgendum mane ante horam sextam, vel certe non serius. Curandum, ut corpus evacuetur, exscreando, mingendo, *alvum* deponendo; Leviter inde moveatur, per actis precibus, lotione manuum, faciei & oris,&c. hora circiter octava labro insideat, usque ad umbilicum, super pulvinar acere fartum. Aqua sit ultra teporem calida (calidior, cumprimis apud femellas, *palpitationes cordis, anxietates, cephalaam & dyspnœam* excitat.) Quum aliquandiu sedit, calidior suffundatur, & denique rursum exeat, quando aqua tepidior est facta. Sedeat primo per horam unam,clepsydra, tegmento labri imponenda, metiendam; augeatur mansiomis tempus quotidie quadrante horæ, usque ad 2. horas. (NB. diutius neminem facile balneare sino, quod credam, aquas minerales intra bihorium, omne quod valent corpori largiri posse) in hac balneationis ἀκμῇ perseveret ad dies tredecim vel quatuordecim, hinc quotidie quadrantem horæ minuendo, quum ad unam horam lotio redacta est, curam absolvat. Neque velim se præcise his horis addicat. Sequatur Naturæ ductum, & si per bihorium commode sedere non potest, exeat, quamprimum Naturam gravari, *palpitationes, anxietates, leipothymias* imminere sentit, etiamsi tantum per sesqui horam, immo horam, sederit. Sat enim temporis est, quod Naturæ sat est, &, *quod sufficit naturæ, sufficit etiam curæ.* In balneo neque comedat, neque bibat, neque dormiat. Postquam egressa est labium, pannis HAUGIANO *suffitu* fumigatis probe detergatur, & e *balneo* statim in lectum se conferat, ibi per dimidiam ad minimum horam quietura. Obrepenti somno indulgere licet. Si sudor urgeat, sudandum. Post illam quietem amicta deambulet sub dio, vel inclementiore Cœlo, in diversorio. Hora undecima prandeat. Fercula non sint supra quatuor. Cibi eupepti. Potus vinum *Neccarinum* vetus. Fugiatur somnus meridianus. Pomeridie hora tertia balneum, si placet, rursus ingrediatur, sed non nisi per horam balneet, eadem per omnia, quæ ante meridiem fiebant, in & post balneationem observando. Balneum pomeridianum tuto omitti potest, immo debet, cœlo existente nubilo & pluvioso. Per lavandam igitur stabit, an & quoties pomeridie lavari velit. Vespertinum tempus deambulationibus, ludis aliisque honestis recreationibus dandum: Seria quæque tumulanda. Hora 6. vespertina cœna sit prandio similis, post cœnam corporis motio, hora nona lectus petatur. Jentare non convenit, nisi assuetis, ubi juris calidi quædam cochlearia ante ingressum balnei conceduntur. Idem de merendis pronunciandum. Vita enim sobria, casta & diæta exquisita palmarium sunt in ejusmodi curis. *Mensium tempore* fiant in-

IV. induciæ non ultra biduanæ, etiamsi tunc fluxus nondum cessavit. Constipationibus alvi succurrendum deglutitione vespertina 11. 12. aut plurium *de pilulis Emanuelis*. Aliis non prævisis symptomatibus intervenientibus consulendus est Medicus. Tempore frigidiusculo, pluvioso, conclavia, vestes &c. *Pulvere fumali* supra dicto probe fumiganda. Si stomachus perferre possit, loco jentaculi ante ingressum balnei bibatur *quartarius* Würtembergicus *acidularum* Göppingensium; idem quoque fiat pomeridie, post quietem a balneo peractam. Exsiccant balnea, hinc interna nonnunquam humectatione opus est. Accidit interdum, ut cursu medicationis proxime soluto *scabiola* cutis efflorescat, quod si fit, non ante domum redeundum, quam ista *scabies* iterum curata sit, quod balneum intra pauculos dies efficere solet. Secus qui faciunt, *scabie* fera ut plurimum corripiuntur, non nisi post moram diutissimam persananda. DEUS *ex alto benedicat*!

Buvachsi *Filia*. §. Buvachsi *Filia* a nuperis d. 2. *Maji* ordinatis sibi reddita, præcautionis gratia petit *infusum stomachico-hysterico-catharticum*. Ordinatum tale:

Rec. *Rad. gentian. angel. Zedoar. an. ℥ij.*
Herb. absinth. menth puleg. an. Mß.
Sem. dauc. anis. an. ℥iß.
Fol. senn. s. s. passul. min. an. ℥iß.
Rad. Gialap. Rhabarb. ver. agar. troch. an. ℥ß.
Tart. crud. ℥ß. cass. lign. ℥ij. mac. ℨj.
Conc. cont. D.

Absoluto infuso sub initium cujuslibet pastus primum haustum capiat de *vino absinthite composito*, non semel in his paginis descripto.

Vinariensis. §. Vinariensis *noster*, cum *electuaria* illa ne quidem sumsisset, a solis *pilulis* Wildegansianis, quantum summi dolores, quibus victus *emplastrum* detractum ira percitus in pavimentum projecit, permittunt, indesinenter dormiturit. Prædixeram hoc & a *narcoticis* abstinere volebam. Succumbente enim natura & suppressis vel dispersis *spiritibus vitanimalibus* talia dare non congruum est. Sed perpetuis adstantium arietationibus fractus mitiores istas *pilulas* dedi, lætus quod *electuarium* usurpatum non fuerit. Virium autem summa debilitas, pulsu licet satis robusto, adest. Cochleatim detur:

Rec. *Aq. confort. Offic. ℥iij. ceras. nigr. ℥j.*
Cinnam bugl. ℥ß.
Conf. alk. c. ℨj. sir. fl. tun. ℨij. M.

Non

Non neglecto *electuario cordiali & odorifero*, (d. 5. *Maji.*)

IV. Siluruli *Filiola. Convulsiones.*

§. Siluruli *Filiola convulsionibus epilepticis* indesinenter exercita, circa meridiem exspiravit, non obstante, quod fasciarum fortasse lotura in compitalem plateam effusa fuerit. Interea mater de *mamillis* lacte turgidis sollicita meum exquirit consilium. *Emplastrum* de *spermate ceti* suadeo, superimpositis *sacculis ex oryza* & imperato victu tenui. Reponunt amicam quandam laudasse *emplastrum* nullibi, nisi in officina inferiore prostans & secretum, idque vocari *emplastrum Zachariæ*, superimposita postea herba *petroselini*. Quid igitur, inquam, me consulitis, si, quid facto sit opus, melius nostis? O stultum popellum! quæ vero sit raritas *emplastri* (*Filii*) *Zachariæ*? & cur sola inferior officina exhibeat, quod in omnibus dispensatoriis excusum prostat? Non spernimus antiquum hoc e MESUE petitum *emplastrum*, quippe quod vires sibi adscriptus, præ sui similibus aliis tueri potest, immo propterea in Suevia Knipfel-Pflaster & Brust-Pflaster nominatur. Sed in duritie *mamillarum* & *discussione lactis* ab emplastro de *spermate ceti* Mynsinchtiano, multis parasangis superatur. Interim comperi Amicam illam fuisse *carnificis uxorem*; nec in officina *Silurulo* frequentata commendatum a me *emplastrum* petitum fuisse cognovi. Prævaluit igitur *carnificis* consilium, & mihi fas sit dicere cum Ezechiele *Propheta* XX. 31. *Quum enim polluimini in omnibus Idolis vestris*, (quid aliud sunt isti *medicastri*, quiqui tandem sint illi, *sacrificuli*, *carnifices* &c. Quam idola?) *usq; in hunc diem, & ego quærerer a vobis, O domus Israelis? Vivo ego, ait Dominus DEUS, non quærar* a vobis (ich will von euch ungefragt seyn.)

Nisseti *Filiola. Narium hæmorrhagia.*

§. Hodie mane a hora tertia usque ad octavam in largissimam *narium hæmorrhagiam* soluta est Nisseti *Filiola*, quam, ne ullo modo compescerent, suasi, donec, me judice, sanguinis, quod satis est, profusum sit. *Criticam* enim judicavi, quod quarta die, præcedente magna inquiete, sanguis turgidus repagula rupisset, &, quod inter sanguinis fluxum *calor præter naturalis* defervescere & puella notabiliter levari deprehenderetur. Effectus etiam voto respondit, & *variolæ* nullæ eruperunt. Fermentum *variolosum* cum *hæmorrhagia narium* exterminatum & sic morbum sublatum esse, nullum plane est dubium. Recte Löwius noster *tr. de variol. & morbill.* cap. 6. p. 98. *Hæmorrhagiam narium* ante & in eruptione *variolarum*, quantitatem earum imminuere, adeoque salutarem esse dicit, quæ post eruptionem ut plurimum est lethalis. (*d. 6. Maji.*)

Cum hominum paucissimi morbum hunc declinare valeant, attendi meretur, *annon adulti, qui* Variolas *vel* morbilios *non habuerunt*, *ali-*

aliquando sub insultu febrili largam narium hæmorrhagiam sint passi, cum insequente levamine. Quod, si ita se haberet, universalitati horum *exanthematum* roboris multum accederet.

V. V.

QUi mane usque ad ultimam lineam tertii gradus ceciderat, vesperi dictum gradum rursus attigit Mercurius. *Thermometri* per totum diem hesterna statio. Per totam diem pluit. Cur Mercurio mane præcipiti facto *thermometrum* tamen semper idem mansit? Quia per pluviam aër quidem ponderosior, non autem simul calidior vel frigidior factus fuit.

Trichuli *Filiolus. Metus convulsionum.*

§. Trichuli *Filiolus* (25. *April*) nova iterum motuum *convulsivorum*, signa prodit, tussi quoque nondum cessante. Debilis est virium. Parentes in procinctu sunt migrationis ex hac urbe in aliam 13. abhinc milliaribus distantem. Vereor, ut vivum infantulum illuc loci vectare possint. Data sequentia pharmaca in itinere quoque usurpanda:

Rec. *Aq. ceras. n. fl. til. an.* ℥ij *epil. L.* ℥ß.
Specif. cephal. ʒß. *conf. alk. c.* ʒj.
Sir. fl. tun. ʒij. *M. cochl.*

Bis in die guttulæ quatuor *mixturæ* quovis modo exhibeantur:

Rec. *Liq. CC. succin.* ⊖ *vol. oleos. an.* ʒj. *M.*

Pectusculum & abdomen bis in die ungantur *unguento ex an. dialth. & cardiaci.* Mater *mamillas* probe muniat contra frigus, & ipsa diætæ, quantum possibile, sit studiosa.

Vinariensis.

§. Quum Vinariensis de immanissimo dolore *coxendicis* iterum queratur, & *opiatis* ipsum aggredi non amplius auderem, præter scripta *cordialia* unum vel alterum cochleare *mixturæ* demulcentis, præbere jussi.

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. chamom. extr.*
Sir. de alth. Fern. an. ℥iß. *cinnam.* ʒj.
Spec. f. cephal. ʒß. *conf. alk. c.* ʒij. *M.*

Propior semper fit morti, rationis usu nunc præsente, nunc penitus abolito. Nil per totam diem petit, sed oblata omnia & avide quidem haurit, si concederetur, plenas quoque medicamentorum ampullas ἀπνευςί ephausturus. Signo rursum non bono.

Observant mecum omnes accurati *Practici*, ægros illos, qui ad *Medicamenta* sunt alioqui valde difficiles, cum avide omnia haurire incipiunt, fere pro conclamatis habendos esse. (d. 7. *Maji.*)

§. Quam-

Quamdiu vivitur, discendum est. Novum remedium ad *expulsionem, maturationem, sanationem variolarum & praecavendas cicatrices*: Nimirum ægrotus frequenter intueatur in *squalum* vel *incerniculum*. (solle fleissig durch einen Seyher oder Pfeffer-Pfanne gukken.) V. *Variola.*

§. Arminius, 50. annorum, heri frigore quassatus est, æstuavit, sudavit, etiamnum æstuat, sitit, ex capite dolet, viribus languet, *febrile* quid parturit. Sumat hodie noctu & cras mane unum e *pulvisculis* cum adjecto vehiculo etiam seorsim hauriendo: Arminius *Febris.*

Rec. ♁ *Diaph. CC. philos.*
Oc. ♋. ppt. ⊕ ♁ iat an. gr. xv.
ther. cœl. gr. ij. F. 2. ☿
Rec. *Aq. cichor. fl. samb. an. ℥iij.*
Mixt. Simpl. ℈ij. sir. ceras acid. ℥ß. M.

Vitet vinum, & frigus externum. Sitim non sufferat, sed bibat parum, sæpe, & temperatum potum, qui sit aqua font. in qua crusta panis tosta madet. (d. 13. *Maij*)

§. Lycaonis *privigna* 11. annorum a biduo male habet, horruit, secutus est adhuc durans æstus cum siti & inappetentia, vomuit semel, indesinenter tussit, sed sine exspuitione. Cum ipsa dixisset, se in alia domo, vehementer æstuantem, largiter potasse, indeque statim male habere, ac tussirè cœpisse, parentes huic soli intenti inter alia comedendum præbuerunt *butyrum cum sacchara canto mixtum*, item *ficum*, super quo *spiritus vini* deflagraverat. Sed calore semper aucto, capitisque dolore affligente cum somnolentia, accitus ego & exanthemata subesse ratus, dedi mixturam tantum leniter expellentem, cochleatimque præbendam: Lycaonis. *privigna.*

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an. ʒj. papav. a.* (ob agrypn.) *ʒij.*
Aq. veron. scabios. fumar. an. ℥ij.
F. l. a. Emuls. add.
♁ *diaph. CC. philos. an. ℈j.*
Sir. papav. err. ℥ß. M.

§. Corvini *Filius* 16. annorum *phthisi* consummata laborat, per omnes medicastrorum classes jamdiu vagatus. Ut in curriculo vitæ post concionem funebrem prælegendo dici possit, adhibita fuisse legitima & ordinaria media, (quod factitare multi solent) me consultum iverunt. Darentur *Medici*, qui negarent consilium. Secus mihi semper est visum, quamvis ita facientibus conscientiam propterea turbare nolim. Pauperes sunt. Ordinavi pulverem euporistum ter in die ad 3. cusp. cultri sumendum: Corvini *Filius. Phthisis.*

Rec. *Pulv. veron.* ℥ij.
Sassafr. helen. irid. flor. an. ℥j.
Sacch. alb. ℥ß. *M.*

Bibat *lac caprillum* cum *conf. rosarum* mane & vesperi curative. (d. 14. *Maji.*)

Melodidasculus. §. Melodidasculus d. 25. *Apr.*) in potatione *decocti bromij* hactenus diligenter perrexit. Tamias, *Medicus* vicinus percelebris, ut per aliquot septimanas immo menses hoc *decoctum* biberet, simul vero ⊖ *vol. oleoso* uteretur, suasit. Interim tantum abest, ut *cephalalgia* remittat, ut potius intendatur. Nec *cera catholica Burrhi* quidquam valuit. Bibere tamen pergit, & cum dolores sint supra modum intensi, *sacculos* consuetos cum vino coctos & expressos diligenter applicare, *diascordiumq;* intus exhibere jussi. (d. 18. *Maji.*)

Amnocopus. *Transplantatio scorbuti.* §. Amnocopus, quinquagenarius, obesus, diætæ multis olim erroribus obnoxius, jam ante aliquot annos laboravit *asthmate scorbutico, hypochondriaco suffocationem* non raro minitante. Post usurpata varia morbum, nescio quo modo, *transplantavit in arborem pomum*, & ab eo diu mansit immunis. Nunc ab aliquo tempore malum adeo incruduit, ut a suffocatione nuper quam minimum abesset. Notabile vero est, arborem pomum præterita rigida hieme frigore perisse. Unde mali reditum ipsemet ægrotus arcessit. Res inquisitu digna.

VI.

VI.

Mercurius in tertio gradu quievit, vesperi ad lineam unam descendens. Liquor *thermometri* immobilis. Dies erat serena.

Nisseti *filiola.* Nisseti *Filiola* post hæmorrhagiam in horas fere melius habet. Perfecta adest apyrexia. Redit appetitus. Lusitat. Hilaris est. (d. 7. *Maji.*)

§ Accessit me *Nutrix* quædam, & quartum jam annum proxime præteriturum dixit, ex quo varios infantes continua serie lactare cœperit & hucusque indesinenter lactavit. Se nunquam interea ægrotasse, nec infantibus lac suum, quo semper abundavit, nocuisse, & cum alumnus brevi sit ablactandus, ipsaque jam iterum conducenda sit a muliere gravida brevi paritura, consilium meum exquirit, utrum convenientius existimem, ut jam per quadriennium nutricis officio defuncta, lactare aliquando desinat, vel pergat? Hæc in sui gratiam ex me quærebat, nutrix 40. annorum mulier. Respondi, quamvis obesa sit ac ad sensum sana, perpetuo tamen lactare nimium mihi videri, proptereaque Naturæ inimicum, quæ aliquando, quod de *athletharum bono habitu* Hippocra-

crates dixit, ex improviso & subito deficere possit, cum detrimento tunc equidem vix sarciendo. Tutius igitur esse, ut naturam aliquando quiescere permittat. Sed ulterius quærere non otiosum est, quomodo respectu habito ad futurum alumnum ad hunc quæstionem respondendum sit? Multi sunt, quibus perinde videtur, quamdiu lactaverit nutrix, dummodo lac sit bonæ consistentiæ, saporis, coloris: quotidie enim e novo cibo, novum chylum, sanguinem, lac, generari. Sed ego semper contrarium sensi, prout legi potest *Scholium* meum *ad Obs. 152. Ann. II. Dec. II. Ephem. cur.* jam ante viginti septem annos scriptum. Revera enim *lac, quo vetustius, eo pinguius*, & infanti tenellulo minus congruum. A nostris partibus stat *celeb.* Stahlius *Disp. de requis. bon. nutric.* §. 19. Ubi vere sic ait: *semper Nutricibus, quæ non multum retro matres sunt factæ, consistentia magis fluida & e contrario crassa observatur, si jam per aliquot menses, aut* annos *officio tali præfuerint*. Et §. 33. circa finem & 34. *Nutrix adhibeatur, quæ non a longo tempore peperit. Nam serosum tale fluidum, quod ex mammis harum provenire solet, apprime convenit ætati huic ratione aquosarum juxta ac salinarum particularum intus conclusarum &c. Quodsi tamen non impetrari potest nuper facta puerpera, sufficiet, selegisse nutricem, cujus lac moderate tenue, fluidumq́ possideat temperamentum. Excoctum etenim magis, crassumq́ & spissum haud convenit recens natis primo hausta; parit enim obstructiones alvi, inflationes abdominis, suffocationes, sæpeq́ mortem, cum nullo modo viscera hæc tenerrima ferre possint nimis nutritivum hujusmodi lac.* Subscribo his verbis, & si ab illa muliere, quæ nutricem quæstionis conductura erat, consultus fuissem, ut illi futuram prolem crederet, non suasissem. Novum quidem *lac* a novo indies cibo generari verum est. Sed antiquum lac vel ejus certe proxima materia non adeo consumuntur, ut iis novus chylus s. sanguis non suffundatur, antiquioris proinde portio cum nova lactis materia jungatur. VI.

§. Dissoluta (2. *Maji*) sufficienter purgata sanguinem e vena hodie secta exhibuit plane laudabilem, cæteroqui etiam vegeta, hilaris, & ab illo multum mutata, sic, ut confirmer in nupera sententia, Cajum novum isti Cajæ præsentissimi remedij loco futurum (*d. 21. Maji.*) Dissoluta.

§. Dilibra, vir 40 añorum vegetus olim & robustus ante decennium *febri maligna* laboravit, & ab eo tempore, fortasse propter intemperantissime ingurgitatum *potum frigidum*, inversam quasi natutam habet. Roseus ante nunc semper pallet, torosus ante & lacertosus, nunc macilentus & gracilis, ad quævis munia promtus ante, nunc torpidus, & *hectica* metu propter Dilibra.

IV. *lam ſiccam* ſubinde affligentem, cruciatus. Ante annum *ſcabiola ſicca* cum pruritu fero inſigniter vexabat, atque ad maciem magis reducebat. Prævia leni evacuatione per *menſtruum* tempus bibit *lac caprillum*, tali cum effectu, ut non tantum ſcabiola ſanaretur, ſed ipſe melius, quam unquam antea, per hiemem rigidiſſimam degeret. Quærit igitur ex me an lectionem illam hoc anno repertere liceret. Nullo contra indicante viſo, *hauſtum laxativum* mihi conſuetum iterum *ordinavi*, atque, ut *lac caprillum* curative hauriret, conſenſi.

Oragus. Recordaberis lector, quas cum Gnomilego quæſtiones Orago d.29. *Apr.* propoſuerim. Exploravit ipſum Phyſicus D. Tichopœus, atque ad quæſtiones propoſitas ita reſpondit:

I. Neq niſi quod in exploratione cum digito veſicam urinariam prætumidam obſervarim, immo inſtar uteri ferentis turgentem. Idque Dn. ægri potior querela, nempe *flatibus* diſtendi veſicam, hosque cum urina ſonoros non ſine moleſtia egredi.

II. Nihil, niſi quod digitus, ut facile concipi poteſt, fecibus alvinis nonnihil conſpurcetur.

III. Nihil horum, quamvis ſurſum, antrorſum &c. quousque cum digito potui, exploraverim, nec de ullo dolore intra hoc ſpatium Patiens queſtus eſt.

IV. Nunquam. Niſi quod, durante hoc affectu, ſanguinis congrumati tantillum per alvum æque ac veſicam prodeat.

V. Urina ſæpe ſine dolore redditur, pomeridie cum primis & noctu, quando patiens bibit. Sed nocte ſe in diem præcipitante, & maxima pars urinæ jam profluxit, excrementa alvi tenuiora ſæpe urinæ reliquo mixta cum dolore mejuntur. Elapſo hinc bihorio clara rurſum profluit urina, quæ tamen, ubi quievit adhuc aliquas fecum alvinarum reliquias in vaſis fundum deponit. Summa autem patientis moleſtia in eo conſiſtit, quod continuo diu noctuque ad mejendum incitetur.

VI. Cum excrementis alvi neque urina, neque cibi indigeſti, præter ſupra memoratos ſanguinis grumulos, egeruntur.

VII. VIII. IX. X. in totum negantur.

XI. Poſt abſolutam mictionem communiter adeſt dolor brevi deſinens, nec cum ardore conjunctus. Sed a multis jam annis, quoties, in exoneratione alvi laborioſi niſus impendendi fuerunt, poſt urinæ miſſionem denique muccoſa quædam & albicans materia e genitali prodiit, ſine dolore. Qualem etiam nec in lumbis, nec renibus ſentit. Siccitas autem faucium ſummam creat moleſtiam, quæ, niſi continuo humecta-

tæ

tæ, corticis querni ad instar rigent, unde sibi de tabe metuit, præcipue, quia noctu, postquam obdormivit, sudatiuncula cietur, & corpus valde macrescit. In sensibus externis nullum adhuc vitium. Appetitus est valde diminutus. VI.

RESPONSIO.

Ponderatis omnibus nunc denuo ex ultima relatione haustis circumstantiis pronunciamus esse *ulcus circa principium intestini recti*, cujus maleficio incumbens huic intestino in maribus *vesica* itidem *exulcerata* fuerit, hæc autem duo viscera eo loci, ubi sunt *ulcera*, coaluisse, sicque e duobus ulceribus unum esse factum credimus. *Ulcus* autem *vesicæ* non procul ab hujus fundo, & supra *insertionem ureterum in vesicam esse*, cum necesse sit, conficitur, quod excrementa quidem alvi per istud ulcus in vesicam, non itidem *urina* ex vesica in intestinum rectum meare queat, cum *vesica* raro, rarissime vero apud illos, qui stranguria, vel quasi, laborant, *urina* ab immo ad summum impleta sit: unde liquet, *cur e vesica flatus & excrementa liquidiora, non item ex intestino recto urina prodire possit*. Cum etiam *intestinum rectum* longitudine sua palmam unam cum dimidia absolvere comperiatur, ideo digitus explorantis usque ad intestini exulcerationem penetrare non potuit, quod fortasse promtius per *speculum ani* fieri potuisset. Proinde non mirum, si neque *condylomata*, neque *tubercula* &c. reprehendi potuerunt, quippe, quæ propius versus *sphincterem & orificia vasorum hæmorrhoidalium* reperiri solent. Grumuli quidam sanguinis prodeunt, quia sine dubio *ulcus* successive viciniores sibi partes, & in his *vascula capillaria depascitur*. Facile hinc etiam conceptu, quomodo masticati *turiones lupuli*, *acini baccarum cynosbati* &c. cum *urina* excernantur, quia nempe per hoc *ulcus*, non vero e renibus per ureteres, istæ portiunculæ cum excrementis in vesicam devehuntur. Et quamvis (ita referente ONISIMO, cujus relationi responsio ad quæstionem undecimam contradicere videtur.) e regione lumborum utrinque dolor vesicam versus protensus sentiretur, is tamen magis consensui nervosarum fibrarum substantiæ *vesicæ* & *ureterum*, præcipue tunc, quando a flatibus *vesica* expanditur, quam exulcerationi mutuæ renum & intestini coli adscribi debet, eo magis, quod Patiens per omnem vitam nunquam *nephriticus* fuerit, & captu perdifficile sit, qua ratione *intestinum colon* utrinque, & *præcise in connexione cum* exteriore renum tunica per *mesocolon*, exulcerari immo exulceratum statim utrosque renes, & densum horum parenchyma in ulceris consortium rapere possit. Morbum autem

VI, tem hunc esse curatu perdifficilem non tantum experientia testatur, sed ratio quoque confirmat. Nam in locis affectis est perpetuus & inderivabilis affluxus humorum excrementitiorum putridorum, ubi *Balsamicis medicamentorum traumaticorum portionibus*, ut se parietibus ulcerum affigere possint, sat quietis & spatii non conceditur. Quo tamen non obstante, hic nihil intentatum relinquendum, cum miras interdum affectuum deploratissimorum curationes historiæ loquantur. Volumus igitur, ut *Medicamenta* a nobis nuper ordinata quam diligentissime adhibeantur; &, quum *abscessuum internorum* individua comes, *febris*, puta, *lenta tabifica* præsto sit, illi opponendum esse arbitramur pulverem roborando quoque *stomacho* dicatum, cujus tres cultri cuspides hora ante quemlibet pastum una, vel per se, vel ex jure calido sumantur. Addimus quoque *clysterem traumaticum* quotidie circa vesperam applicandum, & quamdiu possibile, retinendum, priori nostræ methodo simul inhærentes, DEUS *ex alto benedicat*!

Rec. *Oc. ♋. ppt. ℥ß. diaph. ♃al. ʒiiiß.*
fl. ♀ ʒß. ol. nuc. mosch. expr. ℈ß.
Sacch. albiss. ℥j. M.

Rec. *Rad. alth. symphyt. an. ʒvj.*
Herb. alchimill. equiset. plantag. hyper. c. tot. an. mß.
Sem. lin. psyll. an. ʒiij.
Conc. cont. coq. in *jusc. carn.* Colat. *℥viij.* add.
Ol. hyper. mell. rosat. colat. an. ʒvj. M.

Abscessum ani visum est quandoque in vesicam penetrare, ac cum micturo *crepitus* e pudendo perinde atque e podice, deinde *puris*, atque etiam *fecis* nonnihil mistum urinæ, prorumpebat. Fernel. Pathol. lib. VI. c. II.

Secto cadavere *Petri de* Schartes in recto intestino, e regione colli vesicæ, inventa est *carnositas putris*, quæ sua putrilagine vesicam ita laceraverat, ut intestinorum excrementa, ante obitum, una cum urina redderet, ad miraculum usque, & forsan antea non visum. Schenk. Obs.

Dn. Goltberg, vir *hypochondriacus*, urinam cum subsequo *strepitu* fetente reddebat, scil. (ita judicat Borrichius) propter viciniam, *abscessus intestini recti* nonnunquam ita erodunt vesicam, ut, quod e postico amandari foras solet, parte antica erumpat. Raro hæc mala bona fide coalescunt, præsertim in natu provectioribus, in quibus similia συναποθνήσκειν *docuit* Hippocrates. *Act. Med. Hafn. vol. III. obs. 40.*

Pet-

Petrus Asselinæus retulit, quendam *uvarum acinos* & *frustula lactucæ* aliorumque ciborum excernere cum urina solitum, cui dissecto a morte *vesica tota exulcerata & pure repleta visa sit*. Bonet. *in sepulcret.* p. 3293. Non est impossibile in hoc ultimo explorationem *intestini recti* neglectum fuisse, quod profectores in vesica se fontem mali jam reperisse putarint. Quid si hoc quoque intestinum exulceratum fuisset? (d. 11. *Maji*.) VI.

§. Xeraulites 40. annorum 4. *Maji* horrorem sensit ac æstum cum dolore capitis. Noctu assumsit *rob sambuci*, mane sudavit 5. *Maji* bene habuit; Hodie in vineam egressus iterum horrore corripitur, cum insequente æstu & languore tanto, ut vix domum se recipere potuerit; In lectum se conferens & sudans per totum corpus maculis rubris efflorescit, quas e descriptione (nam ipse ægrum invisere non poteram) non *petechias, nec morbillos, sed purpuram* potius credebam. Sitis erat intensa, capitis dolor magnus. Nondum certus de *typo febris* interim scripsi tres *pulveres* vesperi quarta, noctu nona & cras mane sumendos & vehiculo adjecto etiam seorsim hauriendo: Xeraulites. *Febris purpurata.*

Rec. ♁ *diaph. CC. philos.* ⊕. *ppt. an.* ʒß.
⊖ *CC. vol. gr. xij. M. divid. in 3. p. aqu.*
Rec. *Aq. fumar. card. bened. scord. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ʒj. *sir. card. bened. rub. id. an.* ʒiij.

In conclave calidum deferre jussi, vino interdixi (d. 8. *Maji*)

Morosus a pharmacis d. 15. *April* ordinatis *dolorem capitis* omnem amisit, studiisque rursum invigilare potest. Jam autem de *lassitudine in artubus* queritur, doloribusque vagis. Post pastum, quem bene appetit, *tormina*, quæ, dum in lectum se confert, in *flatus* resoluta finiuntur. *Flatuum* copia Patienti permolesta est. Ego *dyspepsiæ* caussam assignans ordinavi *pulverem*, cujus 3. majores cultri cuspides statim post quemvis pastum sumantur: Morosus. *Cephalea.*

Rec. *Pulv. stomach. Birkm.* ℥ß.
trag. arom. off. elæosacch. e. 4. ol. carmin. an. ℥iß.
pulv. cort. aurant. ʒij. *extr. papav. c.* ℈j. *m.*

Noctu cubitum iturus sumat gtt. 40. *Tincturæ proprietatis ex cochleari vini*. Suo tempore curative bibat *Acidulas*.

VII.

Mane Mercurii statio, qualis heri vesperi, hac vespertina hora linea una

VII. una ſubter tertium gradum ſubſtitit. Liquor *thermometri* mane idem, qualis heri, veſperi quartum gradum parum tranſcendit. Tonabat veſperi & largiter pluebat.

Vinarienſis. §. Vinarienſis (d. 5. *Maji*) hac meridie fatis ceſſit.

Niſſeti filiola. Lumbrici. §. Niſſeti *Filiolam* per omnia quidem melius habere, vegetam & hilarem eſſe, ſed grandem *lumbricum* excreviſſe nunciabant, &, cum plures in ea hoſpitari non inepte concludant, cum raro tantum ſit unus, puella vero ad medicamenta ſit difficillima, petierunt a me *rotulas anthelminticas* olim jam datas. Quos conceſſi. Sunt autem *rotulæ mercuriales*, quarum deſcriptio extat in *Miſcellan. Tom. III. p.* 116.

Phagœnus. Cachexia. Aſthma. §. Phagœnus Vir 62. Annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, macilentus jam ab aliquo tempore *tuſſivit*, ſed cum exſcreatione pituitæ: aliquando & *aſthmate* laboravit; Queritur inſuper de laſſitudine, *vertigine, ſpaſmo*, memoriæ debilitate. A biduo *aſthmate* quaſi *ſuffocativo* obruitur, derepente veniente & mox iterum recedente, ſed tali, quod metum incutere valeat. Venam per omnem vitam tundi non paſſus eſt. Ordinavi *decoctum*, cujus ter in die hauſtus calide capiatur:

Rec. *Spec. pro Dec. pector.* ℥iij.
Rad. ar. helen. an. ℥ß.
Sem. naſturt. ſinap. an. ʒj.

Conc. cont. coq. in mens iß. aq. font. addendo ſub finem mellis deſpumati ℥vj. *Colatura D.* Singulis hauſtibus inſtillentur gutt. xxx. *mixturæ*:

Rec. ∽. *cochlear.* ⊖ *vol. oleoſ. an.* ʒiß.
Eſſ. croc. ʒß. *M.*

Cochleatim præbeatur *mixtura* ſequens:

Rec. *Aq. veron. hyſſop. an.* ℥iij.
Aſthmat. ℥j. ℞. *croc.* ʒß.
∽. *cochl.* ʒj. ⊖ ✱. *anis* ʒß.
Oxym. ſquillit. ℥ß. *M.*

Vena ſtatim mediana ſecetur ad ℥vj. Caveat a frigido potu. Pectus fricetur *aq. Regin. Hung.* (d. 11. *Maji.*)

Scherifii uxor. Febris interm. §. Scherifii *uxor* (6. *April.*) *Febris intermittentis* recidivam eſt paſſa; Sine dubio ab inordinata diæta & in opibus ſat amplis, vita cynica. Denuo dedi *electuarium purgans* jam ab initio prioris *febris* ſcriptum: Hinc *electuarium febrifugum*, cujus ſingulis 5. horis quantitatem juglandis capiat:

Rec.

Rec. *Cort. peruv.* ℥j. *rad. gentian.* ʒiij. VII.
Caryoph. arom. ʒß. ⊖ *absinth.* ʒj.
Subtilissime pulveri satis adde
Ther. Androm. ʒij.
Rob samb. sir. rub. id. an. q. s. F. Elect.

§. Chlorancus, puer nobilis 10. annorum in consortio *morbillosorum* vivens ejusmodi præludia jam sensit nudius tertius. Heri Ordinata ipsi *mixtura* cochleatim sumenda: Chlorancus. *Morbilli.*

Rec. *Aq. fumar. borrag. fl. samb. an.* ℥iß.
mater. perlat. ʒß. *lap. Bez. or. gr. vj.*
Sir. acetos. citr. ℥ß. *M.*

Aqua fumaria potui ordinario misceatur. Hodie puerum noctem inquietam esse passum, impatienter se gerere, magno æstu laborare, vehementer sitire, *exanthemata*, quæ plura & majora mane fuerint, nunc retrocedere, anxietate premi, ordinati *pulveres*, quorum singulis 6. horis unus sumatur ex potu ordinario:

Rec. *C. C. ust. ppt. Oc.* ♋. *ppt.*
⦶ *perlat. an.* ℈j. *M. F. 3.* ☿.

Singulis horis exhibeantur duo vel tria cochlearia *emulsionis*:

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ℥j.
nap. aquileg. an. ʒß.
Aq. Borrag. acetos. fumar. an. ℥iß.
F. l. a. Emulsio add.
Bez. miner. oc. ♋. *ppt. an.* ℈j.
Sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Arceant ægrum a frigore externo, &, quamlibet petenti, vinum nullatenus concedant, (*d. 9. Maji.*)

§. *Italus* quidam *circulator*, nomine Jannis, cum mercibus suis ad me ducebatur, ut eas examinarem, quales sint? Accito ergo Dn. *Collega* meo & *pharmacopeo* quodam nostrate perlustravimus omnia accurate, judicium nostrum scripto comprehensum sequentem in modum tradentes: Non possumus negare, materialia quædam (nam ex his merces illæ constabant) esse notæ non adeo malæ, pleraque tamen falsa, effeta, rejicula bonosque viros nequaquam decentia. *Gialapa, rhabarbarum* erant cariosa & ne obolo digna; *folia senna* vetustate corrupta, stipitibus multis, aliisque quisquiliis permixta, *Zedoaria* cariosa, *iris Florentina* nostrati similior & sine dubio adulterata, *sanguis Draconis* factitius, *asa fœtida* corruptissima, *oleum nucis moschata expressum* referebat medullam ossium pau-

VII. co oleo NM. ℞ llato im prægnatam, *Mumia* erat effeta. *oleum amygdalarum dulcium* rancidum, *Oleum Jasmini* inodorum, *galanga, storax* vetustate corrupta. Præterea aderant multa *medicamenta composita*, quæ solis officinis pharmaceuticis sunt propria, rhopopolis autem vendere non licita. Talia sunt *confectio alkermes*. Vas erat grande signatum: *Confectio alkermes completa*, quæ tamen ne atomum *ambræ & moschi* continet, interim pro completa duplo pretio venditur. Reperimus porro *Cremorem Tartari* valde squalidum; *vitrum antimonii*, *Tartarum emeticum* (medicamenta drastica, quæ Pharmacopœis indistincte vendere inconcessum) *Magisterium gialapii*, *præparata Chimica* pleraque, *pulverem rubrum pannonicum*, *Marchionis*, *rotulas alkermes*, *antimonium diaphoreticum*, *tincturam bezoardicam*, *elixir proprietatis*, utraque pessimæ notæ, *Mercurium dulcem*, *sublimatum*, *præcipitatum* (hosque tres in una scatula, ne quid desit periculi) *Lapidem prunellæ*. Horum compositorum aliqua erant omnino inutilia, aliqua valde periculosa, ceu gladius in manu furiosi, aliqua ob farraginem ingredientium de bonitate non æstimanda. Cum igitur mercatura hæc ostiatim exerceri solita (das Hausiren) quæcunque denique sint mercimonia, tam in, quam extra urbem, *Rescriptis & Ordinationibus* DUCALIBUS clare prohibeatur, per se detrimentosissimæ existat, in præjudicium ac damnum *Medicorum* & *Pharmacopœorum* cedat, per eam vitæ hominum insidiæ struantur, per quam etiam *Chirurgis* paganis ad exercendam illicitam praxin porta aperitur, qui pretio viliori merces effetas ab ejusmodi circulatoribus emtas corporibus hominum suffundunt. Ita *Physicorum* æque & *Pharmacopolarum* desiderium eo tendit, ut, cum tandem aliquando veri *Corporis delicti* participes facti sint, animadversio sit severa & sensibilis, efficacissimé perficienda per *confiscationem mercium* &c. Neque defendere potest hos ardeliones, quod veniam merces suas venum exponendi mercati sint ab illis, quos Magistratus *Dataria* præfecit (Accifer) nam in genere dicunt, se vendere materialia, quæ neque examinantur ab istis quæstoribus, nec examinari possunt. (d. 24. *Maji*.)

VIII.

VIII.

MAne Mercurius in tertio, liquor *thermometri* in quarto gradu. Vesperi Mercurius aliquantillum adscenderat, liquore *thermometri* eodem manente. Dies erat partim nubila, partim serena. Circa vesperam tonitru eminus auditum. Pluvia cecidit larga.

§. Xerau-

Xeraulites medicamenta nudius tertius ordinata usurpavit; Sudavit largiter, sed *exanthemata* disparuerunt, calor magis augetur, hodie delirat, adest præcordiorum anxietas, & interdum expavescit. Neque hodie, quod in tertiana fieri debebat, horror rediit, neque heri *apyrexia* fuit &c. Prava signa & nil boni ominantia. Ordinavi *pulvisculos* tres, quorum singulis sex horis unus cum vehiculo sequenti, alias quoque cochleatim hauriendo sumatur.

VIII. Xeraulites. *Febris continua.*

Rec. ♁. *diaph.* ♃ *nat. ppt.* ☽. *ppt. an.* ʒß.
Camph. gr. ix. F. 3. ☿.

Rec. *Aq. scord. card. ben. borrag. an.* ℥ij.
Mixt. simpl. ℈ij. *sir. herb.* ℥ß. *M.*

Vesicatoria duo utrisque brachiis affigantur. Os sæpe eluatur aqua fontana, in qua licuit *prunellæ lapis.* (d. 10. *Maji.*)

§. Horridula (3. *Maji*) iterum ingentem dolorem in abdomine & cumprimis epigastrio sinistro sentit, cui rursum dedi 3. *pilulas Wildegansianas*, & locum affectum sinistri lateris *oleo capparum* inungere, cum *lacte* vero *caprillo* & *electuario* pergere jussi, (d. 10. *Maji.*)

Horridula.

Quod d. 28. *Aprilis* mihi præscripseram sequens *infusum.* Rec. *Com. absinth. fl. cent. min. herb. trifol. fibr. fumar. an. mß. fibr. helleb. n. rad. polypod. quern. an.* ʒv. *mechoac. a. Rhabarb. an.* ℥ß. *fol. senn. s. s.* ℥iß. *passul. min.* ℥ij *agar. troch.* ʒij. *cort. aur. sicc. cass. lign. an.* ʒij. ⊖. *Tart.* ℥ß. *Sem. anis* ʒij. *M. Conc. cont. D.* Nudius tertius demum bibere cœpi, sed non eo cum effectu, quo ante annum, post exantlatam *febrim*, Caussam cum GNOMILEGO rejeci in robur naturæ & ventriculi nunc firmius, quam ante annum. Post *febrim* enim vires se nondum collegerant, *infusoq;* propterea major erat vis turbandi sanguinem & viscera. Sæpe miratus sum, quod a purgantibus, quæ aliis vix talia ordinare audeo, parum tamen movear, nunc, homo 52. annorum, qui in Juventute mea hucusque tanta sustinui omnis generis mala, quanta commemorare propterea supersedeo, ne vana & inania proferre judicer. Interim, dum hoc *infusum* bibens domi manere cogor, querelarum apud ægrotantes non est modus, neque finis. Res oppidò mira! Satisfactum sibi non putant formula domi præscripta, nisi *Medicus* ægrum præsens intueatur, nec tamen desinunt extra urbem varios consulere Medicastros, Anabaptistas, Pastores, balneatores, carnifices, qui nunquam viderunt, vident aut visuri sunt ægrum. Quanta cum utilitate, loquuntur exempla tristia. Methodus medendi requirit in *febricitantibus* aspicere linguam, oculos, tentare pulsum; in *pleuriticis* obser-

VIII. observare sputum, in *dysentericis* dejectiones &c. idque, si rite medicari velis, necessarium est: Requirunt etiam talia a *Medicis* veris ægroti, es heisset nur immer: der HErr solle selber kommen. Quomodo igitur fides haberi potest illis *medicastris*, ægrotum neque adeuntibus, nec adire cupientibus? O dementiam!

IX. IX.

MErcurius paullo supra tertium & liquor *thermometri* paullo infra quartum gradum, quem tamen vesperi attigit, substiterunt. Dies erat pluviosa. Ingressus lunæ novæ non admodum amœnus.

Molybdinus. *Febris continua.*

§. Molybdinus, Juvenis 24. annorum jam ab octiduo male habet, appetitus prostratus, artuum lassitudo, capitis gravitas; His neglectis ante quatriduum frigus, cum insequente calore præter naturali, siti ac dolore capitis: venam secavit. Pulsus est celer & magnus. *Febrim* adesse continuam symptomata innuunt.

Rec. ♁ *diaph.* ☽. *ppt. an.* ʒj.
F. 4. ℞.

Sumatur singulis 6. horis una dosis cum vehiculo sequenti etiam seorsim usurpando:

Rec. *Aq. endiv. acetos. fl. samb. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ℈ij. *sir. ceras. acid.* ℥ß. *M.*

Dolori capitis *unguentum alabastrinum.*

Sextarii *Uxor.* *Syncope cardiaca.*

§. Sextarii *uxor* (30. *Apr.*) nihil quidem amplius de *fluore albo* sentit, interim capitis gravitas, tinnitus aurium, *obauditio* non tantum adhuc durant, sed ex improviso nonnunquam, quasi sensibiliter e capite defluunt nescio qui humores, qui *palpitationem cordis*, *dyspnœam* & veras *syncopes cardiacas* excitant, ut sibi & Adstantibus quasi e vestigio moritura videatur. Pergat cum jure medicato. In quovis, qui fere semper noctu ingruit, paroxysmo sumantur gtt. xxv. ad xxx. *mixturæ*:

Rec. *Liq CC. succinat.*
R. succin. an. ʒj. *M.*

Vehiculum sit *aqua cerasorum.* Vertex, nucha, tempora inungantur calide:

Rec. *Ungu. nervin.* ℥ß.
Ol. castor. ʒij. *succin.* ℈j. *majoran.* ℈ß. *M.*

Explorandum, annon suppressus forte violentius *fluor albus* ejusmodi symptomata excitare valuerit? (d. 12. *Maji.*)

§. Chlo-

§. *Chlorancus* (7. *Maji*) morbillis feliciter exantlatis 11. *Maji* sumat purgans: IX. Chlorancus. *Morbilli.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *magist. gial. gr.* iiij.
Aq. acac. ℥ß. *cinnam.* ʒj.
Sir. de cich. c. rh. ʒvj. *M. pro 1. dosi.*

§. Melanius 50. Annorum scorbuticus, macilentus, valetudinarius perpetuus, & nulla medicamenta cujusvis qualitatis gradu eminentia perferens, petit sibi *jus medicatum.* Ordinatum temperatissimum e *bellide, fragaria, chærefolio, hepatica nobili, spinachia, & radice cichorii silv. demta medulla.* Melanius

X. X.

MErcurius paullo altior, quam heri, *thermometrum*, quale heri mane, vesperi utrique liquores in quarto exacte gradu constituti; Nox pluviosa, dies utcunque serena.

§. Nittonia, vidua, paupercula, jam ab aliquotdiebus, prævio frigusculo, sentit dolores lacerantes in artubus, vagos, absque tumore & rubore; sitit, appetitus est prostratus. Ordinavi *electuarium*, cujus ter in die quantitatem juglandis minoris assumat, mane & pomeridie se ad sudorem componendo, non autem noctu: Nittonia. *Arthritis vaga.*

Rec. *pulv. lumbric.* 🜃 *ppt.* ʒij. 🜃. *sigill.* ʒj.
Ther. Androm. ʒij. *rob. samb.* ℥ij. *M.*

Xeraulitis *uxor* (8. *Maji.*) ad me venit, referens maritum semper sudare, sed *exanthematum* nil amplius comparuisse, sitim interim lenitam, dolorem capitis nullum, appetitum redire, ipsumque per omnia levari; maximam tamen sustinere molestiam cum perpetuo sudore. Petere aut vinum, aut alium potum, cui virtutis magis in sit, quam *aquæ simplici panatæ.* Consideratis omnibus, & sudore isto mihi critico viso, jussi feriari a medicamentis, ægrum tamen in lecto manere, appetitui non nimium indulgere, & *lac amygdalinum* bibere. Xeraulites.

Optimum interdum medicamentum, medicamento non uti. Quid scriberem isti ægroto? *Diaphoretica* non amplius indicabantur. Cordialibus nec opus habebat, nec ea crumena solvere poterat. Nec aliæ indicationes aderant. Interim metuebam mihi de salute hujus ægri, eo magis, quod ipsum, ob *infusum* a me tunc potatum, invisere non possem. (d. 5. *Jun.*)

§. Artigonus misit formulam *infusi vernalis* a *Graphedio* scriptam, sed nondum usurpatam, talem: Artigonus.

X. Rec. *Fol. senn.* ℥iß. *Rhabarb. ver.* ℥ß.
passul. min. ℥ij.
herb. absinth. cent. min. an. mj.
cort. aurant. rec. ℥ij *sem' anis.* ℥iß.
Conc. cont. D.

Petebat, quum Graphedius peregre profectus sit, ut examinarem formulam, utrum ea tuto sit usurpanda, an quid corrigendum censerem. Approbavi, eo solo adjecto, admodum mitem esse, nec sedes multos moturam; dixit uxor, maritum facile moveri. Dedi schedulam peculiarem, cui inscripseram *rad. mechoac. a. agar. troch. polypol. qu. an.* ℥iij. Cum hac instructione: Parent infusum juxta solam GRAPHEDIANAM formulam, *infuso* autem a. non, aut lenius, quam par sit, movente adjiciant supra scripta.

Medicus, cum omnis, tum præcipue *junior Practicus* non taxet, vel traducat formulas aliorum *Medicorum*, & nisi admodum sint absurdæ, vel certo nocituræ videantur, eas ab ægris usurpari concedat, vel certe mitiorem in modum prudenter explicet aut mutet, semper ejus, qui scripsit, famæ parcentes. Novi *Medicum*, quem aliûs cujusdam Assentatoris Medici calumniæ, cui occasionem dederat unica *formula purgans* certe innocentissima, eo redegerunt, ut omnium nobilium maledicentiæ maximo suo cum detrimento, ob noxius fieret. Interim istius *Medici* nec vola nec vestigium, immo vix ejus nominis recordatio supersunt, altero adhucdum, quamdiu DEO placuerit, vivente, valente; immo florente.

Actuarii *uxor. Phthisis.*

§. Actuarii *uxor* (22. *Apr.*) hactenus semper quidem *mixturam* pectoralem, & alia quædam medicamenta in & externa usurpavit, sed sine omni successu: vires indies magis dissipatæ, & nunc incipiunt pedes utrique tumefieri. Referenti dixi, eam intra paucos dies morituram: & cum simul adsit dolor lacerans in pedibus, inunctionem parare jussi:

Rec. ☿ *camphor.* ℥ij. ~. *bacc. junip.* ℥j.
Ol. Philos. ℥ij. *ess. anod.* ʒj. *M.*

Thée potum cum desideret, bibere concessi, sed addito *semine anisi* ad præcavendos flatus, & loco *sacch. comm. sacchar o canto.*

Stibeus. Phthisis.

§. Eadem vespera consulor nomine *Stibei*, *phthisicis* consummatissimi, quid mihi videretur de *tumore pedis dextri*? Respondi, spem vitæ nullam superesse, & ægrum intra dies non multos vitæ pausam facturum, scil. extrema in hisce morbis tumentia notant *spirituum vitanimalium* penum

num exhaustam, humoresque activitate sua exutos in extremis stagnare, X.
motumque vitalem successive sisti. (d. 12. *Maji.*)

§. Nolani *uxor* 36. annorum jam ab aliquo tempore *fluori albo* obnoxia, incipit præter caussam *tristari*, *solitudinem petere*, *vigiliis* affligi, delassari, *phlogosibus* & *horripilationibus* vicissim impeti. *Purgavit.* Imperavi *venasectionem.* Scripsi *jus fumaria, nasturt. aq. anserina, melissa, rosmarino & rad. petroselini medicatum*, mane & pomeridie ad 4. septimanas: antemeridie vero decima & noctu nona gtt. 50. R. ♂ *helleborata* ex quol. vehiculo. (d. 23. *Maji.*) Nolani *uxor.*

§. Kobius (1. *Maji*) cum per aliquot dies satis bene habuisset, nudius tertius & heri de syncopes cardiacæ augmento tantas querelas format, ut illico sibi moriendum esse existimet. Spiritus intercipirur, cor vehementer palpitat, arteriæ carotides in collo fortiter pulsant, ad oculorum sensum. Ipse e lecto exsilire & spiritum haurire cogitur. *Pilularum* usum ulteriorem detrectat, mali hujus augmentum *pilulis* acceptum ferens Dixi me inhærere sententiæ meæ de *asthmate hypochondriaco convulsivo*: ordinavi loco *pilularum pulverem*, cujus 2. cultri cuspides bis in die per se sumantur: Kobius. *syncope cardiaca.*

Rec. *CC. philos. alc. philos. rhinocer.*
ebor. fossil. diaph. ♂ fl. ♂ Hassiac. an. ℥ij.
Crystall. ppt. ♁. nat. ppt. an. ℥j.
balsamosacch. peruv. ℥vj. M.

Noctu ordinarie & interdiu, quoties paroxismus affligit, sumat gtt. 40. de *spiritu nervino* ex *mixtura* nupera cochleatim exhibendæ quin & in quovis paroxysmo ⊖. *vol. oleosum siccum* naribus ad moveatur.

§. Recrudescente denuo HORRIDULÆ (d. 8. *Maji*) summo ventris, lateris & ventriculi dolore, dedi, quod primo statim præscripseram, pro 2. haustibus: Horridula.

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. fir. chamom. an. ℥iß.*
Ess. anod. ℈j. M. pro 2. dosibus. (d. 11. *Maji.*)

XI. XI.

BAremetri & thermometri hesternæ matutinæ stationes, quæ tales quoque vesperi manebant. Dies erat pluviosa & nubila.

Phagœnus (7. *Maji.*) antequam Filia domum rediisset, jam levius spirare cœpit, &, quia per totam vitam sanguinem non misit, etiamnum venam secare neglexit, usus autem est medicamentis reliquis præscriptis cum euphoria. *Decoctum bromium*, quia magna cum nausea bibit, Phagœnus. *Asthma Cachexia.*

&

XI. & fere ſemper *vomendi conatum* inde ſentit, ut intermitteret, conceſſi ; ejusque loco *pulverem antapoplecticum præſervativum* pro uſu diuturno ſuaſi ; primo ſingulis matutinis, hinc alternis, ternis diebus ita ſumendum ad ℨß. ex *aq. ceraſ. n.* ut nuuquam ab eo plane deſiſtat.

Rec. *CC. philoſ. alc. philoſ. rhinocer.*
Ebor. foſſil. an. ℨij.
♁ nat. ppt. ♉ rectiſ. an. ℨj.
Succin. a. ppt. ℨj. *balſamoſacch. peruv.* ℥j. *M.*

In quolibet autem inſultu *vertiginoſo* & *aſthmatico*, quavis diei vel noctis hora, ex eodem vehiculo, *mixturæ* ſequentis guttas xxx. aſſumat:

Rec. *∽: nervin.* ℨiij. *eſſ. croc.* ℨj. *M.*

Vitet omnes *aquas* ſic dictas *apoplecticas ſpirituoſas, ſpiritum vini, ceraſorum nigrorum*, hujusque commatis alia. (d. 25. *Maji*)

Thrabi *major filiola.* Thrabi *natu major Filiola* (3. *Maji*) difficillime ſpirat, & ſimul æſtu tanto laborat, cui extinguendo nullus potus ſufficiat, moroſa eſt, ad quæſita parum reſpondens, queritur de dolore ſtomachi & ventris, ubi percipiuntur *murmura multa, flatuum incarceratorum* indicia: præter nervina nuper ordinata ſcripſi *emulſionem cochleatim dandam*:

Rec. *Aq. acac. aniſ. an.* ℥iij. *endiv.* ℥j.
Sem. 4. frig. maj. an. ℨj.
F. l. a. Emulſ. add.
cryſtall ppt. CC. uſt. ppt. an. ℈j.
conf. alk. inc. ℨß. *Sir. portul.* ℥ß. *M.*

Notabile eſt, poſt nuperam *venæſectionem* puellam ſtatim melius habuiſſe, ſic ut altera die ſurrexerit, menſæ aſſederit &c. Appetitus redibat, ſic ut plus ſolito comederet, idque per biduum duravit, & hinc rurſum ſubito incepit preſſionem circa præcordia pati cum *aſthmate.* Credo puellam appetitui nimium indulſiſſe, quod frequenter fieri ſolet apud eos, qui diu parum comederunt, ut poſtea nimium comedentes denuo in morbum incidant. (d. 15. *Maji.*)

Horridula. *Colica hyſterica.* §. Hortidula non ſenſit levamen dolorum ab *Oleo Amygdal. dulc.* heri ordinato; immo dolores hodie ſic aucti, ut etiam *deliquia* imminerent. Dedi quatuor *pilulas* WILDEGANSIANAS, quibus vix deglutitis dolor imminutus fuit. Ordinavi quoque *electuarium* ſequens bipartiendum; cujus media pars hodie noctu, altera cras mane, ut dolores ceſſent ſumatur:

Rec.

Rec. *Diascord. Fracast. Philon. Rom. an. ℥ß. bez. ♃al. ♁. nat. ppt. an. ℈j. M. F. Elect. pro 2. dosibus.* XI.

Rec. *Empl. de melil. ungu. de hyosc. an. ℥ß. M.*

Inducatur panno lineo & imponatur lateri sinistro maxime dolenti. (d. 12. *Maji.*)

§. Quæ Hierocomo, *hydropiseos* candidato, d. 9. *April* ordinaveram medicamenta, ab aliis negotiis impeditus ante hos 4. dies demum usurpare cœpit. Hodie per filiam mihi nunciavit, *infusum* plus sexies de die alvum movere, se viribus orbari & observasse pomeridie demum operari incipere, annon liceret per unum diem interdum feriari? Concessum hoc non tantum, sed insuper dictum, ut mane tantum biberet, ac *mixtura* guttatim usurpanda non antemeridie hora 10. sed pomeridie hora quarta, loco *infusi*, & noctu ante somnum uteretur. Hierocomus. *Cachevia.*

§. Amicus quidam mihi retulit, se legisse consilium *antipodagricum* celeberrimi Scretæ, ubi inter alia *venasectio* in digito majore alterius pedis sub ipsius novilunii ingressu celebranda laudata fuerit. *Venæsectionis* locum quod concernit, ea fuit commendata ex hypothesi Kozakiana, qui fuit Scretæ conterraneus, & tum passim in suis scriptis, tum *Cap. 9. sect. 14.* tractatus sui de *sale* sanguinem ex venis ab extremitate remotioribus prolicere suadet, ibi enim non saltem pondere vel quantitate sanguinis exonerari venas, sed seminariis aliis, quæ massam sanguinis integram variis inquinarunt tincturis; nam portionem sanguinis in extremitatibus pedum hærentem non esse inquinatam sed inquinantem, ita, ut hujus unica gutta plus molestiæ & damni causare possit, quam superioris unciæ plures; quod item *sect. 15. de scarificatione*, quam ibi quoque locorum, nempe *circa unguem pollicis pedum* institui vult, cum nullus sanguis sit salsior, atque proinde corpori perniciosior, ac ille, qui ad radices unguium hæret, ex quo putrescente *pterygia* nascantur. Liquet igitur hinc, qua intentione *Cel.* Screta, suaserit ejusmodi *venæsectionem* podagricis, nempe, ut sanguis *salsus*, podagræ architectus, proliciatur. Memini B. D. MEGERLINUM, *Ser. Princ.* Oetingensis *Archiatrum* ejusmodi *venæsectiones* & *scarificationes*, præ aliis, suadere solitum, & Kozakii scripta mihi semel & iterum legenda commendasse. Interim, quid efficere præ aliis possit hic *phlebotomiæ* modus, me nunquam tentasse, ingenue fateor. Podagra.

Recordabitur Lector, nos d. 6. *Maji* Orago commendasse quotidianam applicationem *chrysmatis traumatici*. Relatum interea, post quam Oragus. *Ulcus ani & vesicæ.*

XI. quam primus *clyster* vix applicatus fuisset, *ægrum ad reddendam urinam stimulatum, portionem una clysteris per vesicam eminxisse*. Quid jam clarius, quam id, quod ultimo statueramus, nempe *intestinum rectum non procul a sui principio ulceratum vesicam circa fundum successive arrosam etiam exulcerasse, binaque viscera coaluisse, & e duobus unum ulcus factum esse? excrementorum quidem portionem ex intestino in vesicam, non idem ex hac urinam illuc permeare posse, quod vesica fere nunquam urina, qua totam suam εὐρυχωρίαν impleatur?* Quid, inquam, clarius? Cum enim propemodum immediate ab applicatione clysteris portio cum urina reddita sit e vesica, quis concipere valeat, *clysterem* per *ulcera intestini coli in renes, & hinc per ureteres in vesicam tantis ambagibus circuisse?* Sed & hoc phœnomenon simul ostendit, quam ardua sit hujus mali sanatio? Interim tamen cum medicamentis pergendum esse suasimus, & cuilibet *clysteri tereb. n. h. ven.* ℥j. in *ovi vitello soluta* admiscere jussimus. Et, cum de sudore per molesto simul quereretur Patiens, dorsum bis in die ungi voluimus *oleo violarum*, (d. 26. *Maji*)

XII.

XII.

Mercurius mane in tertio gradu, *thermometri* liquor linea una infra quartum gradum substiterunt, atque sic per totam diem manserunt. Et nox præterita, cum tota die, pluvia maduerunt.

Hippari-us. *Phthisis.* §. Hipparius (29. *April*) eodem fere, quo nuper, modo tussit, anhelat & extenuatur, sed & eodem modo bibit. Nisi fieri velit *phthisicus* confirmatus, tempus est, ut morbus mutetur in melius. Appetitus adest fere nullus, sitis tamen non magna, *dyspnœa* tolerabilis, sed *tussit* vehemens, non admodum sudat. Unum quod desiderat, est illud, ut stomacho prospiciatur. Ego cum stomacho tum pectori intentus, ordinavi *pulverem balsamicum*, mane, pomeridie & noctu ad 3. cusp. cultr. cum vehiculo sequenti, alias quoque cochleatim sumendo:

Rec. *Rad. ar. ppt. helen. irid. flor. an.* ʒj.
♁ *diaphor.* ℈iiij. *bals. ind. sicc.* ℈ij.
Extr. pap. err. ℈ß. *ol. NM. expr. gr.* iiij.
balsamosacch. peruv. ʒß. *M.*

Rec. *Aq. fl. samb. acac. an.* ℥ijß. *cinnam cydon.* ℥j.
elix. vit. Matth. c. ʒij. *sir. fumar.* ℥ß. M.

Bis in die, temporibus nempe prandii & cœnæ sumat cochl. I. *gelatinæ ex an. ras. CC. & ebor.* communi more paratæ, & in scutella juris carnium calidi liquefactæ. (d. 23. *Maji.*)

Ad

Ad Stibeum (vid. 10. *Maji.*) accessi, & in summo *phthiseos pulmonaris* cacumine constitutum reperi. Sitis, æstus, sudor, urina ruffa, pulsus magnus & celer, *dyspnœa*, *tussis*, exscreatio viridis, inappetentia totalis, alvus solutior, tumor pedum, suasi *passulatum* Horstii pro potu ordinario, *mixturamq́; cordialem* cochleatim sorbendam: XII. Stibeus. *Phthisis.*

Rec. *Aq. confortat. offic. ℥iij. acac. anis. an. ℥j. cinn. bugl. ℥ß.*
Conf. alk. c. ʒij. sir. fl. tun. ℥ß. M.

Linguæ & faucibus reficiendis *conservam rosarum Genuensem*, (d. 13. Maji.)

Leontii *filia* 30. circ. annorum, valde gibbosa, & propterea a Juventute *asthmatica*, præterito autumno tota *chlorotica* fuit, *menses* substiterant, palpitatio cordis, pulsus arteriarum spectabilis in collo, lassitudo summa, pallor plumbeus. Dedi *electuarium* meum *purgans*, quo sufficienter evacuata, *venasectionem* ex saphæna pedis alterius imperavi, quod autem Chirurgus nollet, sanguis e mediana sinistri brachii missus. Postea mane & pomeridie 3. cultri cuspides de sequenti *pulvere* per se sumti, motusque corporis institutus: Leontii *filia.* *Chlorosis.*

Rec. *Diaph. ♂al. ʒij. chalyb. c. 🜍. ʒiij.*
Succin. alb. ppt. ʒj. myrrh. r. ʒß.
Croc. ℈j. elæosacch. caryoph. ℥ß. M.

Noctu sumat gtt 40. *elix. fuliginis* Clauderi ex quolibet vehiculo. Licet igitur sanguis eo, quo præceperam, modo missus non fuerit, attamen puella post medicamentorum usum exoptato & sic sibi restituta fuit, ut per totam hiemem, verisque principium incommodi nihil sentiret. Vere adacto dyspnœa cum *palpitatione* redierunt. Proprio consilio *purgationem* autumnalem repetiit, levata venam quoque fundi passa est. Sed terrore quodam panico subitaneoque vehementer perculsa, de anxietate præcordiorum summa cum *asthmate* pene *suffocativo* queri cœpit; Incondita nonnunquam loquitur, in lecto manere non potest, frigido sudore perfunditur, metu vano quassatur, veluti *attonita* est. Timeo ne hinc oriatur *melancholia* vel *mania*?

Rec. *Liq. CC. succin. ʒij. R. croc. ʒß. M.*
Sumat cum *aq. ceras. n. gtt. xxv.* in qualibet *exacerbatione.*

Rec. *Aq. meliss. puleg. an. ℥ij. hirund. c. castor. ℥j.*
Mixt. simpl. ʒj. elæosacch. anis. ʒij. M. D. cochleatim.

Scrobiculo cordis super alutam extensum imponatur *magma*:

XII. Rec. *Succ. gran. cherm. ungu. pomat.*
cerat. santalin. ℥ß. *M.*

Chirurgi erat, venam ad Medici mandatum tundere; sed nescio, cur multi *Chirurgorum*, & illi cum primis, qui puri nominari volunt, tam inviti sint ad *venæsectiones manum & pedum*, sic ut non vereantur eas dissuadere, non obstante, quod a *Medico* sint ordinatæ? Causam quidem me scire credo, sed *crabrones irritare* nolo. (d. 13. *Maji*)

§. Nisseti *Pædodulis* jam 46. ad minimum annos habens, petit *infusum vernale*, sed ita concinnatum, ut respectus habeatur ad *capitis dolorem* ferè continuum. Ordinatum igitur tale:

Rec. *Rad. pœon. mar.* ℥ß. *levist.* ʒij.
rhapont liquir. an. ʒiij.
herb. verben. beton. fumar. an. mß.
fol. senn. s. s. ℥iß. *rad. polyp. qu. gial. n. resin. an.* ℥ß.
Agar. crud. ʒiij. *passul. min.* ℥j. *mac.* ʒj.
Tart. crud. ℥ß. *sem. anis. cass. lign. an.* ʒij. *M.*
Conc. cont. D.

Nipsi *servus*. *Febris*. §. Nipsi servus 28. annorum, vino deditus, jam a multo tempore syncopi stomachicæ obnoxius, heri horruit cum dolore punctorio, uti referebant, lateris sinistri, & in sequente æstu. Qui narrabant, alia scitu ferè necessaria ignorabant, v. gr. *de tussi*, *dyspnœa* &c. Conjiciens tamen e narratis adesse quid *febrile* & fortasse *pleuritici*, nec diaphoretica quidquam nocere posse, donec luce crastina (nox enim jam erat) ipsummet ægrum vidissem, præscripsi *mixturam* cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. card. Mar. papav. rhœad. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒj. *ess. anod.* ℈ß.
♁ *diaph. dent. apr. philos.* ♁ *nat. ppt. an.* ℈j.
sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Latus dolens crebro ungatur *unguento* de *hyoscyamo*. Vitetur vinum. Cras urina conspicienda servetur (d. 14. *Maji.*)

Sextarii *uxor*. §. Sextarii *uxor* (d 9. *Maji*) a nuper ordinatis aliquanto mitius habuit, ut igitur cum *medicamentis* istis pergerent, imperavi (*d.* 14. *Maji.*)

Horridula. *Colica hysterica*. §. Horridula dimidiam *electuarii* partem heri noctu, postquam a *pilulis* Wildegansianis dolor jam esset sopitus, solam assumsit, fere per solam noctem dormivit, & jam satis tolerabiliter habet. Cum igitur *tussis* plane cessaverit, ipsaque libere spiraret, ac soli tam immanes

ven-

ventris & *stomachi dolores* miseram cruciarent, *balneum aquæ dulcis* suadere nullus dubitavi. Coquere jussi in aqua fontis *fl. chamom. Mviij. sem. lini Miiij.* ipsamque nec nimis calide, nec nimis diu usque ad umbilicum insidere: quodsi natura sufferret *balneum*, postea repeti posse. (d. 13. *Maji.*) XII.

XIII.

XIII.

UTi Mercurii ascensus, ita liquoris *thermometrici* descensus hodie mane lineam unam absolvit, vesperi autem ☿ primam lineam quarti gradus attigerat. Nox fuit pluviosa; dies erat mediocris.

§. Alector 30. annorum *diarrhœam* a triduo patitur *biliosam*, cum torminibus, sed nulla excretione sanguinea. Defluxionem antea passus erat cum *tussi* & *raucedine*, cui perdomandæ bibit *lac caprillum calidum*, cui *salvia incocta*, sed simul edit *acetaria*, *brassicam muria conditam*, idque generis alia. Dederunt *ova frixa*, ad duritiem cocta, cum nuce moschata &c. Sed sine fructu. Deglutiat statim tres *pilulas* Wildegansianas, postea singulis 4. horis capiat quantitatem castaneæ de sequenti *electuario*: Alector. *Diarrhœa biliosa.*

Rec. *Cons. ras. r. antiq.* ℥j. *miv. cydon.* ℥ß.
bol. arm. ppt. ʒj. *CC. ust. ppt. nuc. mosch.* ℈. *an.* ʒß.
extr. pap. comp. ℈ß. *sir. cydon.* ℥ß. *M.*

Lacticinia libenter edit, ergo pultibus admisceatur *amylum*: Bibat *emulsionem amygdalarum* cum glumis contusarum, vesperi nunciat uxor, ab assumtione *electuarii* & *pilularum* alvum frequentius, quam antea, moveri, quid opus esset facto! Dixi, pergendum esse, nec statim posse alia scribi, sedesque frequentiores perperam adsumtis *Medicamentis* imputari. Me crastina luce ægrum visitaturum. (d. 14. *Maji.*)

§. Estote *Filiolus* ¾ annorum tensum & turgens habet abdomen, cætera contabescens, laborat infantili *cardiaca*, quam in his terris vocant angewachsen. Es sey dem Kind angewachsen: Proba est, si digitos subter costas adigere non licet, quod non est signum alicujus coalitionis, sed propter solam tensionem & protuberantiam abdominis digitos sine dolore ibi locorum non sustinent infantes. Causa videtur in *mesenterii* infarctu latere, quorum vasis & glandulis impactus succus nutritius ibique hærens abdomen inflat, unde reliqua membra nutrimento suo defraudata contabescunt: Estote *filiolus.* *Cardiaca.*

XIII. Rec *Pulv. Cornach. gr. xvj. ☿. dulc. ℈ß.*
sir. de cich. c. rh. ℥v. aq. acac. ℥ij. M. pro 1. dosi.

Postea bis in die *pulvisculi* cusp. 1. cultri ex quolibet vehiculo:

Rec. *Æthiop. miner. ʒj. specif. antatroph. ʒij. M.*

Abdomen in die calide ungendum *unguento cardiaco.*

Technastes. *Asthma humidum.* §. Technastes 26. annorum, de *asthmate* cum *tussi*, sicca queritur ab aliquo tempore; pituita non nisi multo cum labore excernitur: mane surgens tussire cogitur, pituita viscida in faucibus & buccis hærente & fere cum vomitus violentia excernenda, quod illis familiare observo, qui laute pasti statim post cœnam in lectum se conferunt, quod huic, quippe aulico, quoque solemne. Cæterum facie est rubra, sanguineus, & frequenter e naribus stillans. Imperavi *venæsectionem* & post hanc *infusum* nostro more parandum & bibendum:

Rec. *Herb. charefol. serpill. veron. an. Mß.*
rad. helen. ar. ppt. an. ℥ß.
sem. anis nasturt. an. ʒiß.
fol. senn. s. s. ℥ij. passul. min. ℥iß.
Rhabarb. ver. rad. gial. an. ℥ß.
agar. crud. liquir. ras. cass. lign. ⊖. Tart. an. ʒiij.
mac. ʒj. Conc. cont. D. (d. 27. *Maji.*)

Stibeus. *Phthisis.* Stibeus est Stibeus, id est, idem, qui nudius tertius & heri fuit, nec alius futurus, donec Atropos officio suo defuncta fuerit. Cum ordinatum nuper *thée cancrinum*, ex naturali *cancrorum aversatione* ulterius assumere detrectet, substituta simplex e *ras. CC. & ebor.* parata *gelatina* cum jusculis carnium bis in die sumenda, non neglecta *aqua cardiaca.* (d. 15. *Maji.*)

Temnandri *Filiola.* *Dentitio.* Temnandri *Filiola natu minima* 6. annorum heri inexpectato languere cœpit, æstuare, sitire &c. Parentes morbillosi quid (nam variolas jam habuit) subesse rati, parari curarunt *emulsionem expulsivam* jam ante semestre a me in simili casu ordinatam. Sed calore aucto puellaque per intervalla *delirante* & pavente ad me accurritur, præter calorem & sitim nulla *morbillorum* vestigia. Non vomuerat, non dormituriérat, alvus succedit. Dentitioni accepta ferens symptomata, ordinavi 3. *pulvisculos* sex horarum semper intervallis ex adjecta *mixtura*, cochlearim quoque danda sumendos:

Rec. *Bez. mineral. ♁. nat. ppt.*
cryst all. ppt. an. ℈j. M. F. 3. ℞.

Rec.

Rec. *Aq. borrag. rub. id. card. bened. an.* ℥iß. XIII.
Conf. alk. c. ʒj. *sir. fl. tun.* ʒij. *M.*

Vinum non detur. Regimen ſit temperate calidum. (d. 14. *Maji.*)

§. Thrabi *Filiola* (d. 11. *Maji*) antiquum obtinet, niſi quod jam per quatriduum. Alvo ſit clauſa. Suppoſitoria non admittit; Alternatim ſumatur cochlear *mixturæ* & quantitas nucis moſchatæ de *electuario*: Thrabi *filiola.*

Rec. *Aq. ceraſ. n. fl. til. an.* ℥ij.
ſir. roſ. ſolut. ℥ß. M.

Rec. *Rob. paſſul.* ℥ß. *conf. alk. c.* ʒj.
rad. mechoac. a. ℈ij. *ſir. fl. fun.* ʒij. M. (d. 15. *Maji*)

§. Arminii (5. *Maji*) morbus denique in *tertianam intermittentem* erupit. Dedi *electuarium purgans* mihi conſuetum, (d. 14. *Maji*) Arminius *Febris tert. int.*

§. Rotarius (2. *Maji*) ab affectu ſuo *rheumatico* fere in totum curatus, appetitu viribusque integris jam jam ſcalas aſcendere & deſcendere poterat, brachiorumque motu nullatenus impedito pollebat. Nunc a triduo ſiniſter humerus denuo tumet ac dolet. Nullius erroris externi ſe conſcium eſſe dicit, & rogat, cum venas turgentes haberet, *phlogoſibusq;* vexetur, utrum non liceat *venam* adhuc ſemel *tundere*. Conceſſi, & ſuaſi, ut poſtea *balneas* Cantſtadienſes adiret, iisque curatione lavaretur. Rotarius. *Rheumaliſmus.*

§. Quamvis Horridula per quadrantem horæ tantum in balneo maneret, attamen dolor illico ſopitus eſt & emanſit; hinc ſuaſi, ut balneum hodie repeteret, ſed diutius, ad tolerantiam tamen, in eo ſederet. (d. 14. *Maji.*) Horridula.

§. Leontii *filia* hac nocte inquietiſſima fuit, varia inconcinna locuta eſt, ne per momentum dormivit. Metuo de *mania*: juſſi pergere cum ordinatis, & dedi 6. *pilulas* Wildeganſianas, pro 2. doſibus, ad refrenandum ſpirituum impetum. (d. 15. *Maji.*) Leontii *filia.* *Metus maniæ.*

XIV. XIV.

MAne Mercurius dimidium quarti gradus occuparat a quo veſperi una tantum linea diſtavit. Liquor *thermometri* fere ad dimidium quarti gradus mane reſederat, veſperi una tantum a dicto gradu linea diſtans. Mane frigus. Dies ut plurimum ſerena.

§. Sextarii *uxor* (12. *Maji*) per ancillam mihi nunciavit, ne ægre ferrem, quod conſulere decreverit matris ſuæ *Medicum*, eo qnod *medica-* Sextarii *uxor.*

XIV. *dicamenta* a me scripta effectum optatum edere nollent. Se tamen, si familiam quid male haberet, meo consilio usuram. Quid tu, *Lector*, respondisses? Ego, subridens, renunciavi salutem & dixi: Sextariam corporis, sanitatisque suæ Dominam esse, per ipsam igitur stare, quò vellet, uti *Medico*, optare me, ut alius quispiam sit me felicior, nec tamen vel ipsi, vel suis inquilinis consiliolis meis rogatum me defuturum. Cum ejusmodi vagabundæ deseruntur a priore *Medico* denuo vocato, digna factis recipiunt, *Luc.* 23. Sed *Medicus* deserens, quod Christiano dignum est, non facit. In multis enim labimur omnes. *Jac.* 3.

Temnandri *filiola*. §. Temnandri *filiola* morbillosi nihil exclusit, & hodie rursum hilaris ac vegeta est, nullo amplius calore p. naturali, neve siti præsente. Jussi tamen, ut, quod pharmacorum restaret, successive consumeretur.

Ascetes. *Astma hum.* §. Ascetes quadragenarius, *asthmaticus* a congestione, vinolentus petit *infusum* vernale, *pectorale*, incidens:

Rec. *Rad. helen.* ℥j. *liquir.* ℥ij.
herb. prass. hyssop. an. mj.
Sem. anis ℥ij. *rad. squill. ppt.* ℥j.
fol. senn. s. s. ℥iß. *passul. min.* ℥ij.
rad. gial. mechoac. a. agar. crud. tart. crud. an. ℥ß.
rad. tingib. ℥ij. *mac.* ℥j. *Conc. cont. D.*

Uxor. *Tussis sicca.* §. Ejus *uxor* 51. annorum adhuc per *menses* ordinarie & largiter fluens, quamvis admodum puella *menstruari* cœperit, quod rarius est, ante octiduum sole calente pedestri itinere Marbaco huc profecta Ludovici-Burgi æstu fervida vini haustum frigidum non contemnendo præbio per gulam demisit. Ab eo tempore *tussicula sicca*, spiratus difficilis, inappetentia, lassitudo. Datum *electuarium purgans*. Postea sumantur bis in die 3. cusp. cultri de tali *pulvere*:

Rec. *Rad. ar. ppt. helen. irid. flor. an.* ℥j.
♁ *diaphor. lign. sassafr. an.* ℈iiij.
croc. opt. ℈j. *trag. arom. offic.* ℥ij. *M.*

Noctu gutt. 40. *mixtura* cum cochleari vini:

Rec. *Elix. balsam.* ℥ij. ⊖ *vol. oleos.* ℥iß.
℞. *croc.* ℥ß *M.*

Alector. *Diarrhæa.* §. Alector liquida & biliosa dejicere, *torminaque* pati nondum cessat. *Electuarium* absolvit. Surrogavi *pulverem*, cujus singulo quadrihorio cusp. 3. cultri per se sumantur:

Rec.

Rec. *Spec. diacret. Mynſ. trag. gran. act. an.* ℥ß. XIV.
Cor. r. ppt. ♁. *catech. an.* ʒj.
ol. nuc. moſch. expr. gr. vj. extr. papav. comp. ℈j. *M.*

Meridie ac veſperi in primo cochleari juris liqueſcat gr. j. *ol. nuc. moſch. expr.* & ſumatur. (d. 16. *Maji.*)

§. Cum heri ad Nipſi *ſervum* (d. 12. *Maji*) veniſſem, ipſe a medicamentis ſe levius dolere prædicavit, dolorem autem oſtendit in *epigaſtrio* potius utroque per abdominis latitudinem vel in vel ſubter ſtomacho extenſum. *Urina* fuit valde tincta, pulſus magnus & celer, ſed nulla *tuſſis* neque ſpirandi difficultas, alvus conſtipata. Pulſus & caloris ergo juſſi tundere venam, a *venæſectione* ſtatim ſyncope ſtomachica rediit, non tamen diu durans: cum *mixtura* pergebat, ſanguis non erat, qualis *pleuriticorum*, ſed rutilans, bene cohærens, & non illaudabilis. Hodie, cum aliquoties illam ſyncopen redire dicat, cætera longe melius, quam heri, haberet, appetitu nimium proſtrato, ordinavi bis in die 2. cuſp. cultri de ſequenti *pulvere* per ſe: — Nipſi *ſervus.* *Syncope ſtomachica.*

Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ʒiij. ♁ *diaph.* ʒj.
Extr. papav. comp. ℈ß. *ol. caryoph. gtt. iij. M.*

Noctu autem ante ſomnum gutt. xxx. & in quovis inſultu *ſyncoptico* gtt. xx. *mixturæ* ex potu ordinario:

Rec. *Elix. balſam.* ʒiij. *eſſ. anod.* ʒß. *M.* (d. 16. *Maji.*)

§. Diſchmus 30. annorum ante annum *febri tertiana* intermittente laboravit, quæ hoc anno circum idem tempus rediit, brevi tamen, per neſcio quæ, fugata, jam ante ſeſquimenſem. Heri rurſum horruit cum inſequente æſtu & colore, uti uxor referebat, *auriginoſo.* Dum ipſe patientem vidiſſem, ejusque urinam exploraſſem, ordinavi gtt. 40. *mixturæ* ſequentis e potu ordinario ſingulis ſex horis: — Diſchmus. *Icterus.*

Rec. *Elix. propr. dulc. eſſ. abſinth. an.* ʒj.
℞. *croc.* ♂ ⊖ ✱. *an.* ʒß. M.

In colore auriginoſo urina ſemper eſt inſpicienda, quæ, ſi verus eſt *Icterus* ex fuſco flaveſcit inſtar *olei lini*, & immiſſa tinguntur colore croceo. (d. 15. *Maji.*)

§. Eſmori *Filiolus* 6. annorum prævio levi calore & torpore *puſtulas* exhibuit in facie, brachiis & femoribus inſtar granorum milii; cum *variolas* jam habuiſſet, parentes *morbillos* eſſe ſecururos arbitrati ſunt & me vocarunt. Non vomuit, non conſtipatus fuit, calor erat æqualis, non nimius, pulſus bonus puer vegetus & luſitans, appetens etiam. *Morbillos* adeſſe negavi ſimpliciter, de *variolis* autem me dubita- — Eſmori *Filiolus.*

XIV. re dixi, cum præter dictas *pustulas* earum nulla signa adessent. Attamen diaphoreticum scripsi cochleatim sumendum & ut in lecto detineretur, suasi:

Rec. *Aq. fl. samb. fumar. an.* ℥ij. *R. bezoard.* ʒß.
♁. *diaph. CC. philos. an.* ℈j. *sir. fumar.* ℥ß. M.

Horridula. *Colica hysterica.* §. Horridula heri per dimidiam horam in balneo morata est, nullos plane *dolores* sentiens, & sibi multum levata visa. Sed post octavam demum vespertinam tanto furore recruduerunt, ut lenimen eorum magna cura postularet. Dedi rursum tres *pilulas* Wildegansianas; reliquum *electuarii* ut adsumeret, suasi, & scripsi *balsamum stomachicum* pro frequenti lotu externo:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥ß. *ol. nuc. mosch. expr.* ʒj.
Ol. menth. absinth. an. ☊ ℈j.
caryoph. mac. an. gtt. iiij.
bal. peruv. schœnanth. subt. pulv. an. ℈j. M. (d. 16. *Maji.*)

Arminius *tertiana interm.* §. Arminius heri non amplius, quam quinque vicibus, ab *electuario purgante* ad egerendum compulsus est, sedes tamen erant copiosæ. Nunc dedi *electuarium febri fugum*, cujus singulis 5. horis quant. juglandis sumatur:

Rec. *Cort. peruv. subt.* ☿. ʒvj.
fraxin. rad. gentian. an. ʒiij.
⊖. *absinth.* ʒj. *caryoph. arom.* ʒß:
ther. Andr. ʒij. *rob. samb. sir. fumar. an. q. s.* M. (d. 28. *Maji*)

Auris dolor cum tinnitu & obauditione. *Uxor* mea jam a triduo *dolorem in aure dextra* sentit, cum levi *tinnitu* & *obauditione*. Foris neque rubor, neque tumor, immo & *auris externa* dolet, ut super illud latus decumbere non possit. Cum bombace auri calide indatur, & per totam noctem relinquatur, etiam interdiu aliquoties repetatur:

Rec. *Ol. papav. expr.* ʒj *amygd. amar.* ʒß.
Chamom. ☊. ℈ß. *M.* (d. 16. *Maji.*)

Enthadandri *uxor.* *Scabies fera.* §. Enthadandri *uxor* 28. annorum ante plusculos annos aliquando accepit in digito indice alterutrius manus *pustulam*, qua unque refricata serpigo insecuta est, brevi totum corpus occupans, cum *pruritu* magno; ab usu *medicamentorum*, nescio quorum, sæpe abactum malum ut cutis esset nitida, non pacem sancivit, sed inducias dedit, mala victus ratione sine dubio multum contribuente. Successit denique *fluor*, uti dicit, *albus* acris & fœtidus, sic, ut matrimonio cuidam juncta virum bonum in-

inficeret, *mercuriali cura salvandum*. Rursum quadantenus curata peperit. Sed cute universa, non exclusa facie, denuo defœdata *scabie* serpente, fœda, pruriginosa, serum acre & clarum plorante ante annum suasore, nescio quo, adiit Göppingenses nostras; curative potavit, curative lota est. Curæ gratia, cum per 3. septimanas ibi morata esset mulier, eo quoque veni. Me consultum ibat, & monstrabat *impetiginosas maxillas, mentum* &c. in corpore eodem se modo habere dicebat. Jussi adhuc per aliquot tempus curam protrahere, præsertim, cum effectum aquarum laudaret, seque adventantem longe pejus habuisse affirmaret. Loca extantiora *impetigine* fera deturpata aliquoties in die, præsertim post *balneum*, tangere curavi ~. *ligni sancti*, intus autem mane & noctu 3. cuspides cultri dari de sequenti *pulvere*: XIV.

Rec. *Pulv. viper. diaphor. ♂tial. an.* ʒij.
Elæosacch. sassafr. ℈ß. *M.*

Horum, balneique & potus ulteriori, adjumento dici non potest, quantum profecerit, glabra etenim & omnino persanata domum rediit; ibi autem ad veterem diætam, sordidamque œconomiam denuo rediens, brevi relapsa est. Usurpavit longe plurima a *Medicis* & *non Medicis*, ut fieri solet, aliqua non sine, aliqua nullo saltem nunquam durabili, cum levamine. Bis quoque *salivationem mercurialem* sustinuit, a *balneatore* quodam rurali primam, ridiculam & impertinentissimam, per sesquimensem continuo durantem, cujus maleficio ad incitas pene redacta fuit, multo, quam abierat, miserior domum reversa. Secundam a *Chirurgo* quodam nostrate non inepte institutam, adeoque & magis fructuosam: Hac absoluta ab eodem *Chirurgo* tractata fuit ad modum Sculteti *Armament Chir. part. II. obs. 99.* Brevia nempe *purgatione* potu *seri lactis caprilli* incoctis herba *fumaria* & *rad. cichor. rotulisq.* 🜔*atis ibi descriptis*; In speciem quidem felicissime, non omissis variis *litibus* & *emplastris*. Enimvero tres circiter sunt septimanæ, cum foliis scil. arborum erumpentibus, ipsa denuo tanta *scabie* obsidetur, quantam fere per praxin meam non vidi. Caput biunciali crusta circumcirca obductum est: tota cutis *ulcerosa*, saniem profundit serosam, corrosivam. Cuticula abscedit continuo, ut frusta arida palmam lata nullo negotio detrahantur, cute subjecta obscure rubra, madorem acrem plorante. Facies eadem fœdissima quoque *scabie* obducta & subtumida, tantis tamen cutriculæ laciniis non abscedentibus; Fœtor propemodum est into-

 le-

XIV. tolerabilis, nullisque suffitibus vincendus; quæ omnia vocatus magno cum stupore vidi. Dorso interim recurvo prona incedit, appetitu magis aucto, quam imminuto, siti intensa. *Elephantiasin* pronunciare non potui; sed *psoram leprosam* nominare nihil dubitavi. Ante omnia ipsam consortio commercioque hominum prohibui, curamque sequentem institui;

Rec. *Extr. helleb. n.* ℈j. *magist. gial.* ℈ß. *m.*
F. pil. n. xx. pro 1. dosi.

Sumantur mane & pomeridie cuspid. 3. *pulveris* per se:

Rec. ♁. *crud. in subtiliss. pollin. redact.* ℥ß.
pulv. viperin. assell. ppt. ♁. *nat. ppt. an.* ʒij.
⊖. *CC. vol.* ʒß. *elaeosacch. sassafr.* ℥j. *M.*

Ad imitationem Dolæi noctu cubitum itura sumat ℈j. *axung. viperin.* cum *cons. fumar. mixt.* Post octiduum superioribus *pilulis* iterum purgetur, continuato post usu *pulveris & axungiæ*, iterata semper singulis hebdomatibus *purgatione.* Post assumtum *pulverem* bibat scutellam *theæ* in quam instillatæ sunt gutt. xxx. ℞. ♁. *veræ*, superhauriendo adhuc 2. scutellas. Interim ex *Italia* huc perferendam curet ℥j. ⊖. *viper. volat.* cujus usum, quando advenerit, sum docturus. Absoluto mense aliquandiu usurpetur insessus;

Rec. *Rad. helen.* ℥ij. *lapath. acut.* ℥iij.
herb. fumar. saponar. scabios.
calaminth. fol. helen. an. mij.
tabac. mj. *bacc. laur.* ℥j.
🜄 *crud.* ℔j. 🜄 ℔ß *conc. cont. D.*

Diæta respondeat, vitato vino & salsis omnibus. Potus ordinarius sit *Dec. chin. cum sarsapar. liquir. sem. anis. & passulis.*

Not. *Chirurgus*, sine præscitu *Medici*, curam hujus ægræ suscipere non debuit. Majus enim hic morbus habet momentum.

Qui proclives sunt ad *lepram*, non debent unctionibus *hydrargyri* subjici, nec aliis quibuscunque *medicamentis* σιελοκινητικοῖς uti, quia his lepra sepulta in facie mox se prodit. *Velsch. mictomin. Cent. II. obs. 29. App. ad Ann. IV. & V. Dec. I. Eph. Cur.* (d. 21. *Maji*)

Corvini *Filius.* *Tussis. Asthma Phthisis.*

§. Corvini *Filius* (5. *Maji*) aliquanto melius habet, sed *tussis* tamen cum *asthmate* adhucdum vexant. Cochleatim detur:

Rec. *Aq. veron. hyssop. an.* ℥ij. *ros. scabios. an.* ℥j.
♁ *diaph. CC. philos. an.* ℈j. *sir. viol.* ℥ß. *M.*

Rec.

Rec. *Conf. rof. r. viol. an.* ℥iij. XIV.
Pulv. Haly rec. ℥j. *fir. papav.* ℥ij. *M.*
Detur interdum quantitas castaneæ (d. 16. *Maji*)

XV. XV.

Mane Mercurius quartum gradum attigit, vesperi ad 1½ lineas subsidens; liquor *thermom.* mane possidens medium quarti gradus, vesperi linea tantum una ab illo distabat, Aër mane frigidus, dies postea serena & calida.

§. Cum *Filiola* Thrabi (13. *Maji*) semper queratur de abdominis dolore, succutiatur, inquieta dormiat, *motibus spasticis* afficiatur & *medicamenta* hactenus fere sine effectu sint usurpata, quin olim jam *lumbricos* dejecerit, in eam suspicionem devenimus, num forte *lumbrici* ejus interanea inhabitarent, quod ut experiremur, *vitrum venetum* ☿*fatum & c. melle in formam pastæ subactum*, dimidioque juglandis putamini infartum umbilico imponere, & *emplastro de spermate ranarum* munire jussi. (d. 16. *Maji.*) Thrabi *filiola.* *Suspicio lumbricorum.*

Filiolo unius anni *rhachitidis* signa edenti ordinatum primo *purgans*: *Filiolus. Rachitidis.*

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xvj. fir. de cich. c. rh.* ℥v.
Aq. gramin. ℥ij. *M. pro 1. dosi.*

Postea antemeridie detur cusp. 1. cultri de *pulvisculo* in quovis vehiculo:

Rec. *Arcan. duplic.* ℥ß. *æthiop. minor.* ℥j. *M.*

Pomeridie vero quovis modo guttulæ v. ad vj. R. ⊕. ♂ Zwölf:

§. Cum Dischmum hodie visitatum abirem, eum reperi luctantem cum *horrore febrili*, adeo *intermittentis tertianæ* verum typum. Oscitaverat ante, pandiculabatur, vomebat, dolebat in lumbis. Alioqui nihil *icterici* veri vel habitus corporis, vel urina hodie missa, exhibebant. Ordinavi *pulverem catharcticum* pro 1. dosi mane cum jure sumendum: Dischmus. *Febris tertiana int.*

Rec. *Tart. emet gr. ij. Crem. tart.* ℈j.
dacryd. gr. v. ol. mac. gtt. j. M.

Postea commendavi usum *electuarii antifebrilis* mei, cujus descriptio & modus utendi jam aliquoties tradita.

§. Bohemi *uxorculæ Balneas* Zellenses aditur æ, prævia *venæsectione* ordinavi 2. *pulveres digestivos*, alterum hodie, alterum cras, utrosque noctu ante somnum cum calido jure sumendos, ex an. *tart.* ⊕ & *Crem. tart.* ℈j. perendie, mane *pilulas.* Bohemi *uxor.*

XV. Rec. *Extr. cathol. gr. xv.*
magist. scam. gial. an. gr. iij
cum elix. propr. F. pil. n. xv. de ⊖ pro 1. dosi.

Leontii *filia.* Leontii *filia* (13. *Maji.*) a *pilulis* Wildegansianis perbelle habuit; *metu* autem *præter naturali, anxietate, palmo, dyspnœa, pervigilio* nondum plane cessantibus, ordinavi *infusum hysterico-catharticum* nostro more parandum, & bibendum:

Rec. *Herb. absinth. fumar. fl. cent. min. an. mß.*
Rad. gentian. liquir. levist. an. ℥iij.
sem. anis ℥iß.
fol. senn. s. s. passul. min. an. ℥iß.
rad. mechoac. a. polypod. qu.
fibr. helleb. n. agar. crud an. ℥ß.
limat. ♂ fin. ℥ij. tart. crud. ℥ß.
cass. lign. ℥iij. mac. ℥j. Conc. cont. D.

Silurulus. *Debilitas stomachi.* §. Silurulus nudius tertius in aula potui nimium indulgens, ab eo tempore non appetivit, languidus est, auribus *tinnit* cum *obauditione.* Purgavit jam & venam pertudit. Sumat mane & noctu gtt. xxx. de *mixtura,* ex scutella *caffè* & cochleari vini:

Rec. *Elix. balsam. ℥ij. R. succin. ℥j.*

In prandio & cœna primus haustus absolvatur *vino absinthite composito*, nostræ, non semel traditæ, descriptionis.

Regenotti *ancilla. Purgatio.* §. Regenotti *ancilla* petenti præscripseram nudius tertius *pilulas purgantes*: Rec. *Extr. cathol. gr. xvj.*
magist. gial. scammon. an. gr. vj.
c. elix. p opr. F. pil. n. xx. pro 1 dosi.

Ne sedem unam moverunt. Ancilla est macilenta, complexionis calidæ & siccæ, quibus *pilulæ* raro turbant alvum; sed petebat expresse hanc formulam. Hodie igitur dedi *electuarium nostrum*, sed dosi auctum v. gr.

Rec. *Elect. e. psyll. ℥ß. pulv. Cornach. ℈j. M.*

Arcterius *Hypochondriacus.* §. Arcterius a motu post assumtum d. 30. *Apr.* ordinatum *pulverem*, se dolorem punctorium in regione iliaca valde molestum sentire, nonnunquam etiam umbilicalem regionem occupantem cum ventris rugitibus. Dixi, an leniter, an vero vehementer moveretur? posterius affirmavit. Dissuasi motum nimis concitatum, quod non tantum *pulvis* in operatione sua præpediretur, sed flatus hinc etiam suscitarentur.

Jussi

Jussi reliquo *pulveris* admisceri gtt. vj. *olei anisi*, & *sacculum carvo repletum* abdomini admoveri. Multi putant, quum a *Medico* post assumtionem *chalybeatorum* imperatur motus, in eo se non excedere posse, hinc montosa & convalles percurrunt magis, quam permeant, sudore diffluentes, quod imprudentes etiam in *acidarum potu* solent. Est modus etiam his in rebus *modus*, inquam, in *motu* (d. 17. *Maji.*) XV.

§. Ponica (7. *Jan.*) *fonticulum* cruri affixit, sed nescio quomodo *Balneator ulcera tibiæ* tractet. Certe non sanantur, vel sanata alibi prorumpunt. scil. non omnes *Chirurgi* in sanandis ejusmodi *ulceribus* sunt satis periti, Medicisque saniora suadentibus non obtemperant in sapientia sua, si DIIS placet, nimium confisi; qualis hic noster est. Suasi mulieri, ut pedem lavaret in *aquis* nostris *cervinis*. Non fecit. Interim cum crus totum magnus tumor occupasset, cui removendo *Chirurgus* per se negligens, impar erat, ipse mihi hodie narravit, *corticis betulæ suffitu* intra paucos dies & constanter sublatum esse, quod *euporiston* notandum. *Fonticulo* parum vel nihil fluenti loco pisorum indere jussi *globulum e cera sigillari viridi*, quo usa fluxum uberem sentit. Nunc adire parata est *palneas Cantstadienses*. Ponica. *Ulcus antiquum tibiæ.*

Stibeus (.13. *Maii.*) a perpetuo decubitu super prominentes lumborum vertebras processusque ossium ilium, sentit *excoriari cuticulam*. Er ligt sich auff. Applicaverant *Ceratum de minio*. Non equidem rejeci, sed dixi tamen, *emplastrum de spermate ranarum* commodius esse, quum cuti promtius adhæreat & insuper laudavi multoties a me in his casibus probatam *pinguedinem eliquatam ex omento vitulino*. Stibeus. Auf ligen.

Alii *leporinam pellem* supponunt, illinunt *sevum cervinum*, aut *unguentum ex flore lactis cum creta mixtum, aut adipem suillam cum album; ovi mixtam*, &c. (d. 17. *Maii.*)

XVI.

XVI.

MErcurius mane in medio quarti gradus constitutus vesperi per dimidiam lineam adscenderat. Liquor thermometri duobus infra eundem gradum lineis substitit. Dies erat frigida & pomeridie pluviosa.

§. Variola *uxor* 46. annorum ante aliquot septimanas noctu in tenebris per scalas delapsa brachium fregit. Nunc autem in illius lateris humero usque ad digitos sentit dolorem *rheumaticum* acrem, qui primo caput hinc collum, inde humerum, occupaverat. Simul adest calor præter naturalis cum siti. Brachium a *Chirurgo* decenter tractatur; dolor Varioli *uxor. Fractura Brachii.*

XVI. lor igitur non est a deligationis vel aliûs erroris *Chirurgici* vitio. Hæc mulier a multis annis *erysipelati capitis*, *hemicrania* & *clavo hysterico* obnoxia fuit; Cum igitur per *fracturam* brachium sit debilitatum, hoc aptum natum est, præ aliis sanis & robustis partibus, ad *defluxiones* suscipiendas; uti fieri solet in omne parte debilitata, ut morbum, in corpore alibi præsentem, quasi primitus compatiatur. Ad calorem igitur præternaturalem, *phlogoses ac seri acrimoniam* temperandam, appetitum dejectum instaurandum, flatus itidem, de quibus ob continuum decubitum queritur, *discutiendos* ordinavi *pulverem* ter in die ad 3. cusp. cultri per se assumendum:

Rec. *Spec. diacr. Mynf. ℥ß. diatrag. fr. ʒij.*
succin. a. ppt. raf. lign. sassafr.
Bezoard. ☿al. CC. ust. ppt. an. ʒj.
elaosacch. anis. ʒvj. M.

Mixturam itidem cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. plantag. rub. id. lavend. an. ℥ij.*
♁. dulc. ℈j. sir. acetos. citr. ℥ß. M.

Et cum *acidarum* potui a multis annis assueta sit, eas hoc anno impune neglectum non iri pronunciavi, (d. 23. *Maji.*)

Thrabi *Filiola. Suspicio lumbricorum.*

§. Quamvis putamen nucis juglandis præterita nocte cum *vitro veneto* & *melle* Thrabi *filiolæ* umbilico impositum, nil quidquam mutatum fuerit, adeoque de præsentia *vermium* non sufficienter liqueat, attamen, cum de experimenti infallibilitate convictus non sim, licet raro fallat, immo si quid *magmatis melliti* mane deperditum sit, de *lumbricorum* præsentia certò, non autem fortasse contra, testetur: interim alia quædam signa pro *vermibus* loquantur, experimenti defectu non obstante scripsi *pulverem* bis in die ad 2. cusp. cultri præbendum:

Rec. *Corallin. sem. santon. an. ʒj.*
☿ dulc. rit. par. ℈j. spec. diatrag. fr. ʒij. M.

Quocum cochleatim detur.

Rec. *Aq. gramin. veron. an. ℥ij.*
sir. balsam. ℥ß. M.

Cæterum cum puella ita comparatum est, ut vel *symptomata* sint *verminosa*, vel illa brevi sit exspiratura. Nam sæpe per aliquot horas, apertis sed vitreis, oculis, interdum immota, interdum inquieta, sine omni intellectu vel sensuum externorum ministerio jacet, ad quæsita nihil respondens: Cum ad se redit, vociferatur, tundit ventrem, & ibi se torqueri dicit, utraque excrementa in lectum invita deponit, frigidum su-

sudat, pavet, ac tremit, interdum tanta *dyspnœa* laborans, ac si e vestigio suffocanda esset, & quæ sunt alia. Est & hæc e patientum numero, *sine quibus esse non nolo, sed libentissime volo.* (d, 20. *Maji*) XVI.

§. Herpyllii *filiolus* 6. annorum, qui a principio *Martii morbillis* laboraverat, postquam ex iis convaluit, *purgandus* erat more mihi consueto, hoc autem præter meam intentionem neglecto puellus interea utcumque valuit, donec heri in *febriculam* incidisset, cum levi horripilatione, æstu, *tussicula* & siticula, quare sibi parentes de *hectica* metuunt. Ad æstum compescendum & *diaphoresin* promovendam ordinata *mixtura* cochleatim præbenda. Herpyllii *filiolus*. *Febricula*.

Rec. *Aq. ros. borrag. acetos. an. ℥iß.*
♁ diaph. ℈ij. sir. acetos. citr. ℥ß. M.

In crastinum autem diem *purgans vermibus* quoque nonnihil dicatum; ut, quod nuper fieri oportuit, nunc postliminio quasi effectui daretur:

Rec. *Pulv. Cornach. ℈j.*
☿ dulc. ℈ß. sir. de cich. c. rh. ℥j.
aq. gram. ℥ij M. pro 1. dosi. (d. 18. *Maji.*)

§. Nipsi *servus* (d. 14. *Maji*) heri per totam diem bene habuit, etiam, si talis perseverasset hodie surrecturus & officio suo defuncturus. At vero noctu novus *paroxysmus dyspnoicus* cum dolore totius *epigastrii*, & *syncopticis invasionibus*, valde vehementibus cum anxietate summa prehensus fuit, Paroxysmus, tametsi declinans, adhuc decima antemeridiana hodierna duravit, Consolatus sum eum & aliquid *febrile* subesse ipsumque pomeridie, usque in crastinam noctem melius habiturum, dixi: Ordinavi 2. ℞. *diaphoreticos*, pomeridie & noctu sumendos: Nipsi *servus*. *Febris tert. suspicio.*

Rec. *♁. diaphor. CC. philos. an. ʒß. m. F. 2. ℞.*

Et cum splenetici quid affectum comitari cernerem scripsi *mixturam* talem cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. meliss. ceras. n. an. ℥iij.*
R. ♂. helleborat. ʒiß. conf. alk. c. ʒj.
sir. ceras. acid. ℥ß. M.

Quum etiam a quatriduo alvum non deposuisset, *potiunculam* Oswaldi suasi, (d. 17. *Maji.*)

§. Horridula (d. 14. *Maji.*) ob defectum labri, quod mutuo datum reddere coacta fuit, amplius balneare non potest. Interim heri summo rursum dolore non tam pristino, quam compressivo præcordio- Horridula.

XVI. rum, & instar *sodæ* ad fauces usque ardente cruciata fuit. Prospiciendum esse dixi de alio quodam labro, & ordinavi ter in die 3. cuspides cultri de *pulvere* per se sumendo:

Rec. *Spec. diacret* Mynſ. ℥vj. *pulv. anticol. Cam.* ℥ij.
extr. papav. comp. ℈ß. *ol. nuc. mosch. expr. gr.* vj. *M.*

Scrobiculus cordis ungatur *linimento*:

Rec. *Ol. lumbric. absinth. coct. an.* ℥ß.
nuc. mosch. expr. ℥ß. *M.*

Gelatinam usurpat ex partibus animalium cum *ras. ebor.* & *CC.* paratam, quæ liquefiat bis in die cum *jusculis*; utatur in pastu *vini absinthitis* compositi haustu; hæcque ultima duo ad resuscitandam ὄρεξιν, (d. 28. *Maji.*)

Musurgi *puella. epilepsia post variolas.*

§. Musurgi octo mensium *puella*, variolis jam per triduum eruptis, *motibus epilepticis* corripitur sat violentis *variolæ* sunt pallidæ & quasi sebaceæ, facies detumescit & cum corpusculo friget. Stomachabar fere, quod hactenus inter plus quam sexaginta *variolosos* & *morbillosos* ne unus quidem, me rem dirigente, per DEI gratiam, mortuus sit, nunc demum is, qui meæ curæ a morbi primordio non creditus fuerat, ad plures certo abiturus videretur. Enimvero quid facerem? Et huic auxilium denegandum non fuit. Dentur ter in die guttulæ 6. *liquoris CC. succinati* in vehiculo sequenti etiam seorsim frequenter infundendo:

℞ec. *Aq. fumar. scord. an.* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
pulv. epil. mirab. ℈j. *bez. miner. gr.* xv.
sir. fl. pæon. ℥iij. *M.*

Fontanellæ imponatur *emplastrum theriacale.* Omne frigus externum arceatur. Vinum nullatenus detur. (vid. *infra.*)

Trullus. *vitium in visu.*

§. Trullus 48. annorum jam ab aliquo tempore, quum sol resplendet, omnia videt duplicia, nec scribere, nec legere potens. Dolor oculis non inest, sed humescunt valde & mane palpebræ compaginantur. Noctu legit & scribit æque ac interdiu, aëreque turbido bene videt, solo radiis solaribus collustrato objecta duplicantur. PLEMPIUS caussam, *cur ebrii dupliciter rem unam videant*? nimiæ oculorum humiditati adscribit, *ophthalmograph. lib. IV. probl. 16. circa* finem. Quod, si verum conducet Trullo *tragema ophthalmicum* a me præscriptum. Cujus ter in die 3. cusp. cultri per se sumantur:

Rec. *Rad. valerian. silv.* ℥vj. *pæon. mar.* ℥iij.
Sem. fœnic. ℥ß. *herb. ac. flor. euphrag.* ℥iij.

Oc.

Oc. ♋. ℨij. *thur. masc. flor. ros. r. an.* ℨj. XVI.
sacch. alb. ℥ij. *M. F.* ℞. *subtil.*

§. Machetes a *medicamentis* d. 24. *Apr.* præscriptis a *vertigine* sua multum liberatus fuit, appetitu quoque sic satis laudabili. Admodum vero nuper malo podagrico sibi non insueto prehensus heri *leipothymiam* quandam est passus, deficiente & ecclipsato omni sensu, ut de vita periclitari videretur. Cæterum dolores *podagrici* remittunt. Cum plures hoc malum recursurum metuant, postquam casu in domo præsens Gnomilegus *erhinum* ordinasset, ne omni medicamine necessitate postulante, destitueretur, petierunt, ut aliquid cochleatim hauriendum, futuris usibus adservandum præscriberem. Machetes. *vertigo. Leipothymia*

Rec. *Aq. lavend. beton. an.* ℥ij. *epil. L.* ℥j.
Conf. alk. c. ℨiß. ⊖. *vol. oleos.* ℨß.
sir. acetos. citr. ℥ß. *M.*

Proximis diebus *venasectionem*, cui assuetus est, celebrare jussi, (d. 29. *Maji.*)

Filia 16. annorum a quatuor septimanis *obauditione* laborat. Est phlegmatica, Colli glandulæ tument. Scripsi *pilulas purgantes*: *Filia. obauditio.*

Rec. *Mpil. de succin. gr. xvj.*
Magist gialap. scammon an. gr. vj.
c. ℞. *succin. F. pil. n. xviij. pro 1. dos.*

Postea *decoctum cardui benedicti cum vino rubello* factum, *bombace* calidum auribus intrudat, & mane jejuna masticet granum *mastiches*, quamdiu pituita cietur. (d. 8. *Jun.*)

§. Grapteris *Filiolus* nondum colligit vires. (vid. 17. *Mart.*) Extenuatur valde, carnes fiunt flaccidæ, edit quidem, sed ingesta sæpe revomit, nonnunquam alvo fluida laborat, ubi ciborum indigestæ species agnoscuntur; Haut raro *dyspnea* vehementi, immo *asthmate*, affligitur. Hilaris tamen est. In ventriculo vitium latitare persuasus ordinavi *elixiris balsamici* gtt. xii. bis in die, cum *aq. cinam. cydoniat.* c. *sirubo cydoniorum* edulcata exhibendas. Et *pulverem pepticum* itid. bis in die ad 2. cusp. cultr. per se sic alternando ut medicamentum utrumque bis ante-meridie & pomeridie sumatur: Grapteris *filiolus.*

Rec. *Spec. diacret.* Mynſ. ℨij. *trag. arom. offic.* ℥ß.
elaosacch. caryoph. ℨij. *M.*

Foris *emplastrum stomachale* domesticum. Cibi sint eupepti (d. 30. Maji.)

XVI. Alector, *Diarrhaa*. §. Alector (14. *Maji.*) nondum cessat torqueri in ventre & biliosa dejicere, quamvis interdum dentur induciæ. Sumat interdum haustulum sequentis *mixturæ*:

Rec. *Vin. cydon* ℔ß. *sir. cydon.* ℥ij.
ess. anod. ʒj. *M.*

Ventri applicetur *saculus* frequenter *calefaciendus* ex foliis quercus & *equiseti* concisis & cum *furfure* permixtis. Cras autem sumat *pulvisculum sequentem*.

Rec. *Rad. ypecacuanh. subtiliss.* ☿. ℈j.
cinnam. ℈ß. *m. pro 1. dosi. superb. b. multum juris calidi.* (d. 18. *Maji.*)

Elaphander. *Scorbutico-hypochondriacus.* §. Elaphander, vir 58. annorum, macilentus, pallidus, *hæmorrhoidibus* frequenter obnoxius, a multis annis *hypochondriacus*, jam ante decennium me consuluit, cui *chalybem* in substantia cum *extractis* in *pilulas* redactum ordinavi cum paucis aliis medicamentis, cujus usum cum proficium expertus esset, repetente, uti solet, malo, sæpenumero, ad minimum in anno semel repetens, levamen malorum semper sensit. Nunc autem fere a biennio eundem effectum non amplius experitur, immo gravatur a *chalybeis*, sive quod creber usus in consuetudinem versus characterem efficaciæ in eo deleverit, sive quod *senectus* appropinquans, naturæque robur deficiens, *chalybem* non amplius sustinere possit. Hic ad me veniens de novo quodam sibi valde molesto & suspecto symptomate queritur. Nempe sæpenumero excitatur a somno, cor vehementissime palpitat, invitatur ad reddendam urinam, quæ majore, quam pro potus ordinarii, modulo profluit, limpidissima & clarissima: impletis aliquot matulis omnia cessant, ipseque rursus alacrior surgit, relicta quadam lassitudine. Gribelius consultus *hepati* succurrendum statuit, vehementer debilitato, malumque hoc esse *hydropis* prænuncium edixit. Cum hæc talia mihi, non sine turbulento gestu, narraret, subridens bono eum animo esse jussi. Malum enim hoc revera esse *symptoma hypochondriacum* mihi crebro in aliis observatum (vid. *Miscellan. Part. I. p.* 8.) A diligentissimo Sydenhamio peculiari *tract. de affectu hysterico* haberi pro signo *pathognomonico in maribus hypochondriacæ, in feminis hystericæ affectionis*. Secundum ipsum oriri, ab inordinato motu *spirituum animalium*, qui partem unam, v. gr. *renes deferentes*, in alium, v. gr. hic cor impetuosius irruentes confusionem excitant; *Fibræ* enim *renales* ita relaxatæ, tonoque eorum debilitato serum non retinetur, sed, invita quasi na-

si natura, per *ureteres*, ante quam salibus tinctum est, in *vesica* collectum, clarum & crystallinum excernitur: veteres dixissent, *facultatem* retentricem esse debilitatam: e contrario motu spirituum dictorum in cor impetuosius irruente, hoc fortius agitatur & inde est *palpitatio*. Nam hæc theoria firmo stet undique talo, nunc disquirere non vacat; interea certum est, in hoc affectu plerumque frigus in hac; æstum e contrario in alia corporis parte simul observari, quod signum haut adeo vanum est desertæ ibi, hic autem obrutæ partis ab *influxu spirituum animalium*; Certum itidem hoc symptoma *hypochondriacos* infestare solere, quacumque demum modo in corpore generetur. Non igitur est vel hepati debilitato *succurrendum* vel metuendus *hydrops*, potius denique a nimium relaxato *fibrarum* renalium tono urinæ incontinentia, *vel, quod alibi observavi, præsertim in mortuo ante annum viro*, de quo in miscellan. l. c. a motu concitatiore & furioso quasi eorum in cor & partes adjacentes *catarrhus suffocativus*, vel etiam *apoplexia*. Cum vero *chalybeata* præ aliis hic sint maximi usus, æger autem, ut supradictum, in substantia cum toties usurpatum ulterius sufferre non valeat, laudavi præservative *mixturam* sequentem, cujus guttæ 60. mane ex scutella *theé*, noctu ante somnum cum cochleari *vini* sumatur. XVI.

Rec. ℞. ♂ *helleborat.* ~. *nervin. an.* ℥ß. *M.*

Pomeridie Nro. xx *pilularum* cum quolibet vehiculo deglutiantur:

Rec *Gumm. galb. depur. myrrh. as. fœtid. an.* ʒj.
castor. opt. ʒß. *c.* ℞. *cast. F. pil. pond. gr. j. cons. pulv. cinamom.*

His utatur per mensem integrum, & in quovis languore, præsertim *palpitatione* & *urinæ profluvio*, *mixturæ* talis cochl. 1. pro re nata frequenter iterando, hauriatur;

Rec. *Aq. lavend. lil. convall. an.* ℥ijß.
hirund. c. castor. ℥j. *tinct. castor.* ʒß.
~ *CC. tart. an.* ʒj. *sir. fl. pæon.* ℥ß. *M.*

Diæta sit congrua, suoque tempore *aquis* Bollensibus, quibus assuetus est, & quæ præcipue in *ani procidentia*, quæ jam diu nullis remediis obediens, patientem vexat, semper bene contulerunt, iterum curative lavetur.

Uxor mea (d. 14. *Maji.*) *litu* suo tantum profecit, ut *auris* internæ dolor non tantum, sed ille quasi explosionis in ea sensus cum obauditione cessarint, auris vero externa vehementer adhuc doleat. Jussi non tantum *Obauditio*

XVI. tum pergere cum *turunda bombacina*, sed aurim quoque externam isto magmate calide *oblinere*, cras autem mane in lecto sudare. (d. 17. *Maji.*)

Corvini *Filius*. *Phtisis*. §. Corvini *Filius* (14. *Maji.*) præter spem vires colligere incipit; tussis cum *asthmate* longe mitiora, melior appetitus. Pauperculis commendavi diuturnum usum *electuarii euporisti e pulvere veron. & heder.* ☿*str.* cum *melle* despumato in *electuarium* consistentiæ rob juniperini redactum, cujus mane, pomer & noctu quantitas juglandis minoris capiatur.

Filiolus gemellus Pneumatocele. *Filiolo gemello* bienni ad *scroti tumorem flatulentum* impositionem emplastri de bacc. lauri *suasi*.

XVII.

XVII. MErcurius mane ultra quartum gradum ascenderat; liquor *thermometri* saltem una linea tertium gradum superaverat, vesperi in medietate illius gradus subsistens. Nox erat valde frigida, glacies adhæsit plantis in horto, quarum plurimæ ob teneritatem frigore perierunt, cumprimis *fabæ*, *majorana* &c. Idem in multis editioribus cumprimis montibus (quod vento boreali simul flanti, magis, quam ipsi frigori, adscriptum, cum vitium gemmulis factum, eoque loci, ubi præcisæ usque ad radicem, præterita hieme rigida enecatæ vites novos palmites protruserant, quamplurimæ denuo hoc frigore perierunt. Dies enim tota erat valde frigida, sic ut aliquoties nivula rara ceciderit. DEUS misereatur pauperum.

Musurgi *filiola*. *Variolæ cum convulsionibus*. §. Benedixit DEUS ex alto remediis *filiolæ* Musurgi a me heri præscriptis, ut successive *convulsiones* emanerent, *variolæ* in meliorem statum redigerentur, calor naturalis rediret; sic ut de morte infantuli, dummodo errores externi caveantur, & medicamenta hesterna porro dentur, non amplius timeam.

Boidarii *filiola*. *Ulcera cacoëthea*. §. Cum Boidarii *filiola* quinquennis a medicamentis d. 11. *April* ordinatis melius habere visa sit, eorum usus hactenus diu continuatus fuit, sed nullo cum ulteriori fructu; Nam puella adhuc utrinque in collo ostendit *ulcera*, quibus jam ultra 8. menses laborat, a Trullo *Chir.* intra 22. Septimanas non vincibilia, me judice *sinuosa*, pus quamvis laudabile reddentia Mater per amorem DEI rogat, ut modum ostenderem, quo pacto sine *Chirurgi*, quos horreat, ope *ulceribus* istis efficaciter mederi posset: Se aliarum suasu deligasse nunc ab aliquot septimanis *emplastro Noribergensi*, sed, uti viderem, parco cum fructu: indere quoque *turundas* &c. Respondi, rem isthanc non ad *Medicum* stricte sic di-

ctum, sed ad *Chirurgum* proprie pertinere, consilio quidem & ordinatione *medicamentorum*, qua in-qua externorum, me non defuturum, grande vero momentum esse situm in encheiresi & accurata observatione mutationum, quibus ipse rebus præesse nec possim, nec mei quoque sit officii. Sed institit summis precibus, ut, si unquam possibile sit, efficerem, ne *Chirurgico* præsidio opus haberet, se diligentiam omnem in deligatione *ulcerum* præstituram, dummodo, quid opus sit facto, docerem. Dixi, quamvis id minime fieri posse præviderem, me tamen rem ponderaturum, &, quod tutissimum videretur, intra paucos dies expositurum esse. XVII.

Dicebat præterea hæc mulier, aliam quandam vicinam suam suasisse, ut puellam *novies* lavaret in fluviali, sed hanc præfiscini (unbeschryen) semper & asportandam & exportandam, profundendamque esse sic *ulcera mali moris* multa se curata novisse. Risi superstitionem, neque id bona cum conscientia, fieri posse dixi.

Deplorandum est, quod multi *Chirurgorum* manus, in affectibus præcipue diutius durantibus, horreant, persuasi, chirurgos data opera, ut scilicet sostrum eo sit amplius, curam protrahere; quod, uti bonum virum, nedum *Christianum*, quam minime decet, ita quandoque a malitiosis rasoribus fieri certissimum est. Narravit mihi quidam, cui pes alter amputatus erat, se fracto per lapsum crure suo delatum fuisse in opidum, quod paullo ante per incendiarios gallos conflagraverat, ad *Chirurgum* quendam, ut curaretur, seque suis auribus audisse uxorem ad maritum dicentem: Mi vir, hic rusticus est dives, tu rem ita dirigere noveris, ut domum novam his sumptibus simul exstruere valeamus: quo percepto se isti Chirurgo statim valedixisse, sed e Scylla in Charybdim præcipitatum & ab alio usque ad pedis amputationem excarnificatum fuisse se quoties *Chirurgi* mentio injiceretur, horrore totum profundi, adeo ab illo tempore id hominum genus aversari. Male actum esset cum ægris quam pluribus actum, si omnes *Chirurgi* tales essent. Interim, ubi tales deprehenduntur, labes & invidia facti in totam societatem redundat, ut, si *ulcera* per se difficulter sint sanabilia, statim audire cogantur: Man mache aus einem Schädlein einen Schaden. Quod etiam fiat, ubi imperiti, quorum est pars si non maxima, major tamen, diu miseros patientes sine ullo fructu excruciarunt, accitus postea vel *opilio*, vel alius quispiam vir infimæ sortis, felicissimam curæ manum intra paucos dies imponit.

Interim *Physicum* eo niti decet, ut *Chirurgorum* fama, quantum possibile servetur illibata, quos, si rem inepte aggredi comperiunt, monere & in

XVII. in viam reducere debent, dummodo gens illa superba monitorum sit audiens, nec sapientia se *Medicum* superare sibi imaginetur; *Medicus* etiam ipse rem suam ita teneat, ne *chirurgorum* sibilis atque cachinnis merito fiat obnoxius. (d. 28. *Maji*.)

Arcterius *Scorbutico-hypochondriacus*. §. Arcterius eo modo, quem nudius tertius commendaram, procedens, dolorem punctorium non amplius sensit, cum autem & peregre ad suos abiturus esset, & *pulvis* cum *mixtura* consumti essent, parum mutata, sed eodem modo utenda præscripsi:

Rec. *Limat. ♂. subtiliss. trit. ℥j.*
pulv. lign. sassafr. cort. aurant. diaphor. ♂. an. ʒij.
sem. anis ʒiß. ⊖ succin. vol. ℈j.
balsamo sacch. peruv. ℥j. M. F. ☿.

Rec. *Spir. cochlear. ʒiij.*
ess. trifol. fibr. ℥ß. carminat. ʒij. M.

Stibeus *Phthisis*. §. Stibeus (15. *Maji*.) in lecto resupinatus utcumque respirat, sed modo paullum erectus vult suffocari. In deterius omnia quotidie, viribus fatiscentibus ruunt, semper tamen medicamenta variari desiderat. Non neglecta *mixtura* cordiali nuper scripta, sumat alternis quantitatem castaneæ de *electuario resumtivo*. Pectus calide ungatur *linimento*:

Rec. *Ungu. pectoral. ℥vj. ⊖ ✱. ʒj.*
ol. anis. ℈j. M. (d. 27. *Maji*).

Boidarii *ancilla*. *Asthma*. §. Boidarii *ancilla* spiratu difficili, palmo cordis, inappetentia & lassitudine laborat:

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. tart. ℈j.*
dacryd. gr. iij. M. F. ☿. *pro 1. dosi.*

Purgetur & postea ter in die capiat gtt. 40. *Elix. balsam*, ex quol. vehiculo.

Pogonati *Filiolus*. *Lumbrici*. §. Pogonati *Filiolus* d. 30. Mart. post *variolas* etiam purgatus nihilominus interea nunquam vires omnino recepit, torpidus, vicissim algens, æstuans & sudans, inquiete dormiens, dolorem abdominis querens, frigidis tantum assumtis delectatus &c. Suspicio de *vermibus* nata, quos si adessent luna decrescente exturbaturus eram. Sed puellus de die in diem lanquidior factus & minus appetens in somno pavere & subito vociferari, omniaque assumta vomere cœpit. Itaque Luna adhuc crescente opem ferre coactus, ordinavi *pulverem* ter in die ad 2. cultr. cuspides sumendum,

Rec.

XVII.

Rec. *Spec. diacr.* Mynſ. ʒj.
Corallin. ſem. ſanton. an. ʒß.
☿. *dulc. rit. par.* ℈j. *M.*

Cochleatim exhibeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. gramin. fœnic. an.* ℥ij. *cinnam. cydon.* ℥ß.
ſir. fl. perſic. ʒiij. *M.*

Abdomen ter de die calide ungatur:

Rec. *Ungu. de arthan.* ℥j. *croc. metall.* ʒj. *M.*

Pro vomitu compeſcendo *emplaſtrum* ſcrobiculo cordis ſuper corio tenero extenſum e *fermento piſtorum, theriaca & nuce moſchata* (d. 19. *Maji.*)

Syngenia. *Menſes immodici & inordinati.*

§. Syngenia 32. annorum *anticipante* non tantum, ſed & *nimio menſium fluxu* laborat, de reliquo bene colorata, mediocriter appetens, roſeo vultu & virium robore prædita. Venam jam ſecavit. In *ſanguinis* nimia tenuitate & facilitate ad ebullitionem, cauſſam quærens, ordinavi pulverem *pachynticum* ante meridie & noctu ad cuſp. 3. cultri ſumendum:

Rec. *Spec. diacret.* Mynſ. ℥ß. *diatrag. frig.* ʒij.
Cor. r. ppt. CC. uſt. ppt. ebor. foſſil. an. ʒj.
trag. arom. offic. ℥iß. *M.*

Jus medicatum ad 4. ſeptimanas hauriat *plantagine latifolia, fragaria, hepatica nobili & ſtellata, acetoſa, meliſſa & rad. cichor. ſilv.*

Egerticulus. *Anorexia.*

§. Egerticulus, etiamſi *electuario* d. 31. *Jan.* ordinato fere nihil purgatus fuiſſet, attamen *tuſſis* pedetentim ceſſavit. Nunc de nauſea & fere totali inappetentia queritur. Interim a vino nulla nauſea.

Rec. *Extr. cathol. gr. xv. magiſt. gial. gr. vij. ſcammon. gr. vj. c. elix. propr. F. pil. n. xviij. pro 1. doſi.*

In paſtu bibat *vinum abſinthites compoſitum ex abſinth. cent. min. fragar. acetoſ. rad. caryophyllat. pimpin. ſalv. & cort. aurant. rec. de pomo integro.*

Hierocomus. *Metus hydropis.*

§. Non quotidianum eſt, quod ſum allaturus. Hierocomo *hydropiſeos* candidato d. 9. *Apr.* præſcripſeram *hydragogum infuſum,* cum *mixtura* guttatim ſumenda, quibus ante 14 demum dies uti cœpit cum euphoria, detumuere pedes, *aſthma* fuit ſublatum, appetitus rediit. Ante triduum in platea mihi obvius factus de *faucium dolore & deglutiendi difficultate* conqueſtus eſt: cum præter naturam non caleret, non ſiti afficeretur, non langueret, juſſi tamen domi manere, ſudare, & fauces crebro *gargariſando* eluere lacte bubulo calido, cui incocta ſalvia, remque nullius eſſe momenti reputavi. Sed hac veſpera per Filiam mihi nunciari curat,

XVII. rat, se adeo nihil adhuc profecisse, ut potius diu noctuque vim incredibilem tenacis pituitæ exscreare cogeretur non sine summa molestia. Impediri se a manducando, bibendo, dormiendo, nam os continuo ista nautea impleri. Cæterum se debilem non esse & satis ciborum appetentem, dummodo pituita non adeo tenax esset, ac tanto labore exantlanda.

Ptyelismus criticus. *Ptyelismum criticum*, opus Naturæ, pronunciavi, fluxum proinde nullo modo sistendum, immo promovendum; cras mane me ipsi adfuturum: Interim jussi cochleatim assumere *mixturam* resolventem:

Rec. *Aq. majoran.* ℥iiij *cochl.* ʒj. ⊖✱. ℈j,
Oxym. squillit. ℥ß. *M.*

Cubile sit calidum, vitet potum frigidum. (d. 18. *Maji.*)

Otalgia. §. *Uxor mea* post medium noctis in spontaneam sudorem soluta fuit, eumque largissimum, qui equidem virium nonnihil rapuit, simul autem *otalgiam* pæne omnem omnino sustulit. Cum externa tamen unctione pergere jussi. (d. 19. *Maji.*)

Nipsi *servus.* §. Quod prædixeram Nipsi *servo*, factum est. Alvum ab Oswaldi *potiuncula* quinquies cum euphoria deposuit, & hodie per omnia melius habet; *Pulveres* tamen repetere, & cum reliquis pergere jussus. (d. 18. *Maji.*)

XVIII.

XVIII.

BArometrum & *thermometrum*, qualia heri mane; vesperi autem hydrargyrum tertiam lineam quarti gradus attigerat, liquor *thermometri* in illius gradus medio substiterat. Frigus hesterno paullo mitius, dies tota nubila; ventus frigidus & admodum molestus. Tubinga venientes omnes ibi vites frigore periisse nunciabant. In montosis nostri Ducatus, (auff der Alb.) nix aliquandiu permanens ceciderat.

Nipsi *servus.* *Febris tertiana continua.* §. Ad Nipsi *servum* mane hora quinta vocatus sum. Circa mediam noctem paroxysmus redierat cum æstu, anxietate summa, dolore epigastrii consueto, *dyspnœa* suffocativa, *lipothymiis* creberrimis, delirio, ploratu muliebri, vociferationibus; Adstantes mortem in propinquo autumarunt. Quamvis autem rem non adeo periculosam esse nossem, attamen, ne functione meæ quoquo modo deesse velle judicarer, tempore hoc incommodo (quo tempore æstivo consultationibus domesticis vacare soleo, alias per totam fere diem extra domum versans) ipsum accessi. Adhuc anhelantem, ejulantem, anxium invenio, sed rationis usu pollentem, æstu jam multum imminuto & deliquiis cessantibus. Dixerant varios motus inconditos & succussus se observasse, quasi quid *epileptici*. Pronun-

XVIII.

nunciavi *febrim* esse *tertianam continuam* cum *syncope stomachica*, rem iterum in vado futuram usque in crastinam noctem. Paroxysmum quartum, qualis præteritus fuerit, plerumque vehementissimum esse solere: Opus autem esse, ut decumbat in conclavi calido; frigus intensius esse, quam hoc anni tempore expediat, noctu cumprimis. Erumpentem sub declinatione paroxysmi sudorem ab externo frigore, protractis incautius artubus magno suo malo, cum anxietatis, *dyspnœa* & syncopes augmento supprimi; Alio se migraturum promisit. Interim tres rursum *pulveres* ordinati singulis sex horis ex jure assumendi:

Rec. *♁ diaphor. CC. philos. matr. perl. ppt. an. ʒß.*
M. divid. in 3. p. æqu.

Cochleatim hauriatur *mixtura*:

Rec. *Aq. meliss. borrag. an. ℥iij.*
cinnam. cydon. ℥ß.
Specif. cephal. ♁ diaph. an. ℈j.
Conf. alk. inc. ʒß. sir. aurant. ℥ß. M.

Cum *cephalalgiam* quoque pateretur, ordinatus litus ex *unguenti alabastrini* & *populei* æquis portionibus. (d. 19. *Maji.*)

§. Herpyllii, *Filiolus* heri sufficienter, sed sine animata excretione, *purgatus* est. Cæterum calor præternaturalis cum languore adhuc durant. Jussi pergere cum *mixtura* nudius tertius ordinata, & insuper scripsi 3. *pulvisculos*, quorum hodie adhuc bini, tertius cras mane ex quolibet vehiculo propinentur, scripsi: Herpyllii *Filiolus.* *Febricula lenta.*

Rec. *Matr. perl. ppt. bezoard. miner.*
cryſtall. ppt. an. ℈j. *F. 3. pulveres.* (d. 21. *Maji.*)

§. Ipsummet Hierocomum accessi. Pituita equidem per *mixturam* paullo fluidior erat, sed copia adhuc insignis, quasi a *salivatione mercuriali*, non tamen tanto cum fœtore & acrimonia excedente. Ne ullum quidem formidabile symptoma aderat. Hinc in opinione mea de *ptyelismo critico* confirmatus, præter *mixturam* hesternam ordinavi *collutionem oris* crebram & calidam, *decocto* diutiuscule in ore retinendo: Hierocomus. *Ptyelismus.*

Rec. *Rad. angel. pyrethr. imperator. an. ℥ß.*
herb. salv. majoran. fol. nicot. an. mj.
fol. laur. mß. sem. staphid. agr. ℥iij.
mastich. sel. ℥ß. cubeb. cardamom. min. an. ʒij.
Conc. cont. coq. in vin. alb. mens. ¾. Colat. add.
mell. anthosat. ℥iß. ~⊖*. ʒj. *M.*

XVIII. Diſpoſitio *hydropica* haut dubie ab iſto *ptyeliſmo* ſolvetur; eodem modo, quo *vertiginem ptyeliſmo critico* ſublatam memorabili hiſtoria *Zodiac. Med. gall. Ann.* I. *p.* 160. & *arthritidem Ann.* IX. *Dec.* 2. *Eph. Cur. obſ.* 102. recenſent. De excretione pituitæ limpidæ & ſalſæ poſt *hemicraniam* itid. legatur *Ann. I, Dec. III. Eph. Cur. obſ.* 83. & de *ptyeliſmo* ſingulari potum *aquarum* Spadanarum inſequente Henr. *ab* Heer. *obſ.* 1. p. 26. quando autem *ſalivationem* minime convenire *hydropicis*, contra Turquetum aſſerit Velſch *miſtomim.* 63. *Cent. I.* id de *ſalivatione* non ſpontanea & critica, ſed *mercuriali* vult intellectam. (d. 21. *Maji.*)

Blepomactis *uxor. Cephalæa. Tinnitus.*

§. Blepomactis *uxor* d. 6. *Maji* ordinatis, & nobis uſitatis, *pilulis* ſufficienter purgata nunc tamen a triduo *cephalæa* cum aurium tinnitu laborat. Eſt mulier diætæ erroribus largiter obnoxia, *acetariis* cumprimis & *lactis* frigidi potui dedita: Temporibus imponat *emplaſtrum de tacamahaca.* Mane & noctu ſumat gtt. xxx. *mixturæ ex aqua ceraſorum*:

Rec. *Tinct. ſuccin.*
Eſſ. lignor. an. ℨij. *anod.* ℨß. *M.*

Venæſectionem, cui adſueta eſt, celebret.

Leroli *uxor. Nephritis.*

§. Leroli *uxor* 26. annorum *dolore nephritico* vexatur: Dolor eſt circa lumbos, protenſus verſus pectinem; urina excernitur crebro & cum ardore, comitibus arenis & pituita alba. Vomiturit. Purgetur *electuario*, poſtea mane & noctu ſumat 3. cuſp. cultri de *pulvere* pei ſe:

Rec. *Rad. alth.* ℥ß. *ſacc. perid.* ℨvj.
Gumm. ceraſ. tereb. coct.
Aſell. pp. Oc. ♋. *crud. cont. an.* ℨj. *M.* (d. 20. Maji.)

Alector. *Diarrhœa.*

§. Alector heri ab aſſumta *Ypecacuanha* vomuit aliquoties cum euphoria, & inde ſubſtitit alvus. Hodie tamen adhuc tormina & eructationes, ſed ſine egeſtione; Malum ſine dubio penitus ceſſaturum eſt, ni per errorem revocetur. Sumat cochleatim *mixturam* ſtomachico carminativam:

Rec. *Aq. menth. chamom. an.* ℥ij. *Zedoar.* ℥j.
Eſſ. carminat. ℨj. *anod.* ℨß.
Ol. anis gtt. iiij. *ſir. cort. aur* ℥ß. *M.* (d. 21. *Maji.*)

Melodidaſcalus. *Symptomata ſcorbutica.*

§. Melodidaſcalus (d. 5. *Maji*) præter dolorem capitis, iterum cruciatur variis ſymptomatis, *hypochondriacis*, dolore epigaſtrii, rugitibus ventris; alvus erat conſtipata, reſerata *clyſtere domeſtico.* Per binas noctes fere nihil dormivit. Dedi quatuor *pilulas* Wildeganſianas noctu ſumendas (d. 19. *Maji.*)

XIX. Bi-

XIX. XIX.

Bina vaſa, qualia heri veſperi. Hodie veſperi *Barometrum* impletum erat, uſque ad lineam ultimam quarti gradus: liquor autem *thermometri* quartum exacte gradum attigerat. Dies erat mediocris, tamen frigidiuſcula.

§. Epargyrius 24. annorum robuſtus & de re nulla querens, cum 31. *Aprilis* venam in brachio ſecaſſet, ab eo tempore miram ſenſit in artubus laſſitudinem, cum dolore quadantenus lacerante in pedibus, quamvis adhuc tolerabili, cæterum artus erant ad contactum quaſi pellicei. Nihil intus inſoliti, & appetitus eſt integer. Conſultus *Chirurgus* dixit provenire malum a ſanguinis gravitate, internis nihil opus eſſe, *venæſectionem* repetitam in pedibus moleſtum omne ſublaturum. Pertuſæ igitur d. 17. *Maji* in utroque pede venæ *ſchiaticæ*, ſed adeo nullo cum comodo, ut potius in lecto manere ab eo tempore debuerit, nec amplius pedem movere poſſet, ab uxore aliter, ſi vellet, huc illuc reponendum, dolore tamen lacerante ſemper adhuc præſente. De *paretico malo* ſollicitus, an *colica* laboravit, ac purgatus fuerit, quæſivi? Utrumque negatum. Nec frigus, nec tremor, neqne quid aliud præceſſerat. Indicabant interim *aſpectum planetarum* vel *Zodiaci ſignum* ſub iſtis *venæſectionibus* parum fauſtum fuiſſe, atque aſſumtum aliquoties pro ſudore *rob ſambuci*. Quidquid ſit, cum ante *venæſectionem* de re plane nulla conqueſtus ſit æger, cauſſam inſequentis mali in ea *venæſectione* quærendam eſſe, probabile ſaltem, quamvis conceptu difficile.

Epargyrius. *Pareſis.*

Non decuit *Chirurgum ſchiaticas* venas inconſulto *Medico* pertundere. Sed, quid non audet ἀμέλωπον hominum genus?

Rec. ♁ *diaph.* ʒj. *pulv. lumbr.* 🜃 *ppt.* ʒij.
∼. *CC.* ℈j. *rob. junip. ſir. card. ben. an.* ℥j. *M.*

Sumatur ter in die quantitas juglandis mane & pomeridie ſe ad ſudorem componendo, noctu autem naturæ relinquendo. Fricentur artus frequenter *vino, cui ſalvia, lavendula & roſmarinus incocta* [d. 21. *Maji.*)

§. Melodidaſcalus a *pilulis* quidem Wildeganſianis per quinque horas continuo & placide dormivit, reliquumque noctis, quamvis in ſomnis, tamen ſine vel capitis, vel ventris dolore tranſegit, in lecto cubans ſatis vegetus ſibi viſus. At, cum peracta ſudatiuncula ſurgeret, tantum torporem, & univerſalem languorem, cum animi ſumma dejectione paſſus eſt, ut *leipothymia* quoque afficeretur; Pulſus erat depreſſus & languidus &

Melodidaſcalus. *Languor a ſudore.*

XIX. vix verbum profari poterat. Aliquandiu in lecto cubans iterum vires recepit. Quamvis igitur quatuor istæ *pilulæ*, quippe medicamentum opiatum, ad istum torporem aliquid contulisse censeri queant, *suppressioni* tamen *spirituum hypochondriacæ*, ab animi *pathemate tristi* suscitatæ languorem istum potius esse deferendum censui. Spirituum igitur suscitabulum, sequentem *mixturam* cochleatim hauriendam ordinavi:

Rec. *Aq. lil. convall.* ℥ij. *fl. til. borrag. an.* ℥iß.
cinnam buglossat. naph. an. ℥ß.
⊖ *vol. oleos.* ʒj.
Elix. vit. Matth. *c. conf. alk. c. sir. cinnam. an.* ʒij. *M.*

Quamvis igitur languor non penitus discuteretur, bis tamen pentecostali hoc festo sacris interfuit & hac vespere Consiliarium quendam visitatum, ivit. (d. 20. *Maji.*)

Nipsi *servus.* *Febris tert. cont.*

§. Nipsi *servus* post exantlatum *paroxysmum* heri alio in calidum conclave delatus, per dimidium hesternæ diei & hoc noctis bene habuit. Hodie in ipsa meridie paroxysmus anticipavit, sed priori longe mitior & nulla cum *syncope*, neve ventris dolore conjunctus, neque vomebat, ut antea. Fractas igitur hostis vires cernens, eas successive *cortice peruviano* penitus esse deterendas decrevi, hinc ordinavi *pilulas antifebriles*, quarum sexta qualibet hora decem deglutiantur, ex quovis, modo non calido, liquore:

Rec. *Extr. gentian. chin. chin. an. gr.* xij.
Bez. miner. ℈ß. *ol. caryoph. gtt.* iiij.
c. ess. abs. si opus, F. pil. xxxvj.

Cum reliquis pergant. (d. 22. *Maji.*)

Pogonati *Filiolus.* *Lumbrici.*

§. Pogonati *Filiolus* a medicamentis d. 17. *Maji* ordinatis successive partim dejecit, partim ultro ex ano prorepentes extraxit decem prægrandes *lumbricos*; quod autem symptomata nondum cessent, de ventriculi dolore adhuc queratur, hinc inde in lecto jactetur, semi clausis, oculis dormiat &c. Horum plures adesse ratus, ut *anthelmintica* propinare pergerent, jussi. (d. 20. *Maji*)

§. Uxor *mea* ab *otalgia*, per DEI gratiam, se plane liberatam sentit.

XX.

XX.

MErcurius idem, qui heri vesperi, liquor *thermometri* linea una subter quartum gradum. Vesperi utræque machinæ contenta sua stitetant

rant lineis duabus subter quartum gradum. Nox præterita, totaque dies hodierna pluviis madebant, quæ pomeridie per trihorium erant densissimæ. XX.

§. Quæ symptomata d. 7. & 9. *Martii* nobis in Lycaonis *Filiolo* suspicionem *variolarum* erupturarum fecerant, irrito tamen, & solam *dentitionem* prodente eventu, eadem, majore cum impetu, denuo semet jam a triduo ostendunt. Cum nuper *variolas* frustra expectasset mater, de talibus jam nihil sollicita, *dentitioni* rem iterum deferens, pusionem sub dium portare nihil dubitavit, donec in & circa mentum *pustulæ* quædam, cum aucto calore & pavoribus in dormituritione momentaneis quid aliud subesse significarent. Nondum tamen vomuerat, nec alvus erat clausa. *Convulsionibus* intentus & simul ad exanthemata respectum habens ordinavi *mixturam* cochleatim exhibendam: *Lycaonis filiolus. Dentitio.*

Rec. *Aq. fumar. fl. til. an. ℥ij. epil. L. ℥ß.*
mater perlat. pulv. march. an. ℈j.
sir. fl. pæon. ℥ß. M.

Adhibitum quoque *balsamum cephalicum*, consuetum, vel saltem analogum. (d. 21. *Maji.*)

§. Pogonati *filiolus* totam noctem insomnem traduxit, hinc inde jactatus, debilis, identidem rursum vomens: Pulvis hodie non datus, cum sumere detrectaverit. Scripsi viribus reficiendis *mixturam* cochleatim: *Pogonati filiolus. Convulsiones.*

Rec. *Aq. confort. offic.* ℨiij. *borrag. ceras. n. an. ℥j.*
Conf. alk. c. ℨj. *sir. fl. tun.* ℨiij *M.*

Melius habere videbatur, sed postquam hodie tres adhuc grandes lumbricos excrevisset, vesperi derepente *convulsionibus epilepticis* tentari cœpit ante, quam *pulvis anthelminticus* repeteretur:

Rec. *Liq. CC. succin.* ℨj. *ess. anod.* ℈j. *M.*

D. 8. ad 10. guttulæ ex quovis liquido. *Vomitibus* denuo infestantibus opponatur *emplastrum antemeticum* jam nuper laudatum. *Pulvis & unguentum anthelmintica* hodie omittantur. (d. 21. *Maji.*)

§. Leroli *uxor* (d. 18. *Maji*) heri purgata *nephriticos* tamen dolores vix tolerandos sentit cum *vomitione*. *Calculos* subesse ratus præbui potionem mihi consuetam pro 2. dosibus, quarum altera statim; altera, si dolor remiserit, cras mane, si non, hodie noctu assumatur: *Leroli uxor. suspicio calculorum.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. de alth. Fern. an. ℥iß.*
ess. anod. ℈j. *M.*

Semen lini cum lacte coctum pectini calide admoveatur. Cum *pulvere nephritico* pergat. (d. 23. *Maji.*)

§. Hac

XX. Thrabi *filiola*. §. Hac meridie Thrabi *Filiola* mortua. (d. 16 *Maji.*)

Melodidascalus. §. Melodidascalus hodie multum levatus est. Per totam quoque noctem suaviter quievit, Jussi cum reficiente *mixtura* pergere. (d. 29. *Maji.*)

XXI.

XXI.

Barometrum & *thermometrum*, qualia heri noctu; Vespeti Mercurius per unam lineam adscendit. Post noctis meridiem continua pluvia, quæ etiam per totam fere diem duravit.

Namaplusii. *Filius Hypochondriaca. Affectio.* §. Namaplusii *Filius* 28. annorum, erroribus diætæ valde obnoxius, jam ante tres septimanas mihi conquestus fuit de symptomate valde molesto interdum quotidie, nonnunquam alternis, ternis & ultta diebns affligente. Prehenditur *oscitatione*, hinc *nausea* & interdum *vomitu* cum *præcordiorum anxietate* & *palmo*, hinc *nebula oculis obversatur*, ut vix objecta, nec aliter, nisi per fumum quasi, cernere possit, deniqne *cephalalgia* dirissima per aliquot horas durans, ac tandem cum lassitudine desinens. Flatus per borborygmos, crepitus & ructus, cum tensione abdominis. Morositas ad functiones, *δυσαρεσία melancholica*, dorsi dolor, ut interdum erectus stare non possit; ad mejendum irritatio crebra; Urina sabulo rubro referta. Alvus nunc fluida, nunc obstructa Appetitus, præcipue in prandio justo major. A vini potu *phlogoses*, quod propterea mixtum *acidulis* bibit. Cervisia ob flatulentiam ingrata, Delectatur *acidis*, *brassica muriata*, *carnibus fumo conditis*, *caseo*, *nicotiana*. Quinquennium est, quod hæc omnia pati cœpit. Egranæ *acida* aliquando multum contulerunt, ut cura durante, ne semel & post curam absolutam aliquot septimanis elapsis leviores denuo paroxysmos sustineret Pronunciavi tunc de lerna malorum, *affectione hypochondriaca*, suasi, ut, prævia purgatione a me ordinanda, *venam* secaret, mihique sanguinem examinandum præberet, Ille vero catharsin alibi locorum, pharmaco a balneatore recepto instituit, venamque sibi ab eodem tundi passus est, quem judicasse ait ex sanguine de *affectione hypochondriaca* ordinavi sequentia:

Rec. *Limat chalyb instar alcohol trit.* ℥j,
Rad. gentian. ℥ß.
Cort. aur. ☿ ⊖ *fraxin an.* ʒij.
Balsamosacch. peruv. elæosacch. anis. an. ℥ß. *M.*
F. ☿. *subtil.*

Hujus

Hujus mane & pomerid. 4. cultri cuspides, mane quidem sumantur e scutella *theé*, haustis insuper 2. scutellis, pomeridie vero ex haustu *vini absinthitis compositi* infra dicendi. Noctu sumantur guttæ 60. *mixturæ* ex cochleari vini: XXI.

Rec. ℞. ♂. *hell. borat.* ℨß.
aurant. ess. carminat. an. ℨß. *M.*

Primus in prandio ac cœna haustus absolvatur *vino absinthite composito* tali:

Rec. *Com. absinth. mij. herb. cent. min. mj.*
rad. gentian. caryophyllat. an. ℥vj.
bacc. junip. ℥j. *sem. anis. cinnam. ac. an.* ℨij.
cort. aurant. de pomo integro rec.

Species hæ nostro more aliquoties commemorato infundendæ. Continuanda sunt isthæc *medicamenta* per mensem integrum, nullius diei pactis induciis. Sumtionem *pulveris* semper sequatur motus. *Vinum absinthites* etiam absoluta cura diu bibatur. Adeat postea *fontem* Göppingensem.

In ipsomet paroxysmo, cum ejus prodromi veniunt, *oscitationes, anxietas* &c. statim sumat gtt. xxxx. *essentiæ* ex cochleari vini, qualibet diei noctisve hora, si, dolor urserit, etiam repetendas:

Rec. *Ess. castor.* ℨij. *anod.* ℨj. *M.*

Tempora oblinantur *linimento* calfacto:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℨij. *axung. castor.* ℨj.
bals. peruv. ℨß. *M.*

Diætæ vero errores corrigere necessarium est, si curæ felix eventus desideratur. Abstineatur igitur ab *acetariis* omnibus, *carnibus infumatis, caseo, nicotianæ fumo.* Licet enim appetat, stomachum tamen propterea suo officio non fungi, ob acorem peregrinum esurire, nec assumta decenter subigere & in chymum laudabilem convertere. (d. 3 *Jun.*)

§. Æxuri *uxor* quinto mense, ut putat, gravida hinc abiens, ut, quo pacto se variis in casibus, gerere deberet, scripto comprehenderem, instructionem a me talem accepit: *Æxuri uxor. Graviditatis regimen.*

Cum *dyspnœam* & *palpitationem cordis* sentiat, mittendus est sanguis, idque commode facere licebit d. 13. *Junii*, luna nempe rursum crescente, e mediana dextri ad ℥iiij. Neque hoc ullo modo intermittendum.

In siti, adstricta alvo, dolore capitis, bibat *emulsionem amygdalarum*, paratam cum *decocto hordei passulato* additis *oc. 69. centusis.* Ab-

 sti-

XXI. stineat a vino forti, & omni *aceto*. Potus sit vinum oligophoron lympha temperatum.

In *vomitionibus* identidem pocillum vitreum, ejus capacitatis, ut uncias circitet *iß*. capiat, de *malvatico composito* sequenti bibat:

Rec. *Vini malvat.* ℔j. *syr. moror.* ℥iij.
Aq. cinnam. balf. embr. an. ℥j. *M.*

In ipso *vomitionis* actu super lectulum resupinata pedes, quam potest alte, attrahat, ut matrix quasi comprimatur, sic enim vomitionis impetus embryoni minus officit.

Balsami embryonum cochlear itidem unum vel alterum capiat, quoties vel irascitur, vel terretur, vel præceps cadit, vel aliud quid insoliti patitur. Idem quoque faciendum, quoties motum infantis justo diutius non sentit; ubi etiam *emplastrum* ex *pane mellito Noribergensi cum aromatis in dimidio vini rubelli & spiritus vini coctum*, umbilico calide applicandum.

Commendatam sibi habeat *confectionem Dominarum in* Franconia *a nobilibus Matronis* multum æstimatam;

Rec. *Amygd. ambros. excort.* ℥j.
incisis minutim admis. Zingib. in pulverem redact. ʒij.
mac. caryoph. an. ʒß.
cort. aur. rec. itidem minutim incisarum ʒij.

Excipiantur omnia frigide melle despumato, & redigantur in electuarium mediæ consistentiæ. Cujus quantitas castaneæ mane & noctu post medium gravitatis tempus assumtum, *secundinam* ab accretione salvam præstare, & *embryonem* a variis morbis præservare creditur.

Epargyrius. *Paresis.* §. Epargyrius (19. *Maji*) licet ab *electuario* semper largiter sudaverit, & artus fricare quoque curaverit, multo tamen, quam hucusque, magis ex pedibus dolet ac languet: immobilis plane jacere cogitur, brachia tamen elevare quidem potens, sed ad tactum æque ac pedes, pellicea esse affirmans. Interdum quasi *leipothymiis* corripitur, semper tamen appetens ac dormiens, calore præter naturali nullo præsente. Tensio est in nucha. Mihi semper aliquid *paretici* animo obversatur, & vitium principio nervorum in cerebello, spinalisque medulla nidulari: Tota *spina dorsi* a cervice usque ad os sacrum ter quaterve in die *ungatur linimento nervino anodyno*:

Rec. *V. camphorat.* ℥iij. *ungu. de hyosc.* ℥j.
Ol. lumbric. ℥ij. *bacc. junip.* ʒj. *M.*

Non

Non omissa tamen artuum *frictione*. Cum *electuario* pergatur, sed in dosi magis concisa, nec ad sudorem coacto corpore. Viribus reficiendis inserviat *mixtura* cochleatim sumenda: XXI.

Rec. *Aq borrag flor. paralys. an. ℥iij.*
cinnam buglo∫∫. ℥ß.
sir fl paralys. ℥ß. M. (d. 24. *Maji*)

Lycaonis filiolus. Morbilli.

§. Lycaonis *filiolus* noctem inquietissime traduxit, quamvis non adeo pavens. Corpus quidem purpurascit, sed exanthemata sunt depressa nec altius tolluntur. *Aquam fumariæ* strenue bibit, sæpissime vomit, alvus adstricta est. Dixerunt, utrum non *vesicatoria* sint affigenda? Quamvis ea minus esse necessaria vidissem, attamen ne culpa sinistri exitus in me derivaretur concessi. Tres insuper *pulvisculos* ordinavi, quorum unus sexta qualibet hora detur, non omissa *mixtura* cochleatim sumenda:

Rec. *Mater perlat. unicorn. ver. an. gr. xv.*
lap. bez. orient. gr. vj. M. F. 3. ℞.

Affixa *vesicatoria*, cum vesperi aperta deligarentur, puellus expalluit quasi *syncopticus* & exanthemata æque, ut hodie mane depressa. Consternata mater, jam se funditus perisse credebat. Exprobravi tantam animi impotentiam, præsertim cum instantis partus metam suo jam calculo attigisset, ægroti puelli corpusculum attentius lustravi, & ecce, non variolas, sed morbillos efflorescere vidi. Vix asserenti fidem habuerunt. Ego vero, certus in opinione, pergendum esse cum ordinatis, neque novi quidquam moliendum, judicavi. (d 22. *Maji.*)

Pogonati filiolus. Lumbrici.

Pogonati *Filiolus* jam exclusit vermes septendecim. Per totam noctem post bis præbitum liq. CC. succinatum, convulsiones non amplius habuit. Interim vero deliravit, & virium valde debilis est. Cessat tamen *vomitio*, quamvis igitur e narium pruritu, ventris dolore, reliquisque symptomatis corpus a *lumbricis* non penitus liberatum agnoscerem, *helminthagoga* tamen ob virium defectum ulterius propinare non ausus sum, ea post plenilunium, si DEO visum, repetiturus. Horum loco præscripsi tres *pulvisculos intervallo* sex horarum semper propinandos:

Rec. *Unic. ver. matr. perl ppt.*
lap. bez. or. gr. ix. F. 3. ℞.

Balsamum cephalicum consuetum ordinavi, & perseverantem usum *cordialis mixturæ* suasi. (vid. *infra.*)

Herpyllii filiolus. Lumbrici.

Herpillii *Filiolus* calore suo præternaturali (vid. 18. *Maji*) tussicula, siti, *colore lurido faciei*, somno inquieto, pavoribus, appetitu ad quævis

 cali-

XXI. calida fracto, *narium pruritu* &c. Et ipse se *verminosum* esse prodit. Ter in die 2. cusp. cultri de pulvisculo sequenti cum *melle* dentur:

Rec. *Corallin. sem. santon. an.* ℨj.
☿ *dulc. rit. par. pulv. gialap. an.* ℈j.
Sacch. perlat. ℨij. *M.*

Abdomen ungatur *linimento* calefacto:

Rec. *Ungu. arthan.* ℥j. *croc. metall.* ℨj. *M.*

Mox a meo discessu rursum vehementer incaluit; a dato tamen *pulvisculo* bis brevibus intervallis viscida & viridia vomuit, & circa vesperam, de re nulla sollicitus, vehementer languit. Dixi, ut ulteriorem *pulveri* usum, donec cras mane puellum visitassim, differrent, ejusque loco cochleatim præberent *mixturam*;

Rec. Aq. confort. offic. ceras. n. an. ℥ij.
⊖. *vol. oleos.* ℈j. *conf. alk. c.* ℨj.
syr. flor. tun. ℨij. *M.* (d. 22. *Maji*)

Dissoluta, *Melancholia.* §. Dissoluta, (d. 6. *Maji*) quamvis a medicatione d. 2. Maji usurpata, prout suo loco narratum, abolita quæque mala speraverit, ab aliquot tamen diebus (caussam, credo, solitudinem, cui ab infantia non assuevit) denuo *melancholicos*, tametsi leviusculos, insultus experitur. Sumat mane & pomeridie duodecim *pilulas* ex quolibet vehiculo, insequente motu:

Rec. *Extr. gentian. cent. min. helleb. n. an.* ℨj.
chalyb. alcoholis. ℨiij.
myrrh. r. ⊖. *succin. vol. an.* ℈j.
ess. absinth. liq. q. s. F. pil. pond. gr. j.

Tinctura mart. helleborata ad gtt. xxx. noctu repetatur. Et, cum simul de *dolore capitis clavo hysterico* simili queratur, fieri jussi *cucupham* mihi consuetam, ex *castor. as. fœtid. ac succino flavo.* Suo nihilominus tempore bibat *acidas* Göppingenses. (d. 29 *Maji.*)

Pogonati *filiolus.* §. Hac vespera cum Pogonati *filiolus* continuo de ventris dolore fere solo quereretur, uni, qui adhuc restabat, *pulvisculo* admisceri curavi *ther. cœlest.* gr. j. Abdomini vero extensum *emplastrum* ex *an. empl. de melil. & ungu. de hyosc.* addita pro consistentia concilianda *ceræ* s. q. imponi, cum *mixtura* denique *Cordiali* diligenter insistere. (d. 22. *Maji*)

Toparii *uxor. Apepsia.* §. Toparii *uxor*, de qua jam plura passim, nunc de *impragnatione* sua certissima, & jam in septimum mensem gravida propemodum nihil omnino comedere potest, revomit comesta post aliquot horas fere prorsus

ius nihil mutata, prævia cardialgia insigni. Post pastum sunt *phlogoses* & alioqui *dolores lumborum* lacerantes fere continui. Suasi usum *confectionis Dominarum* & *malvatici compositi* hac ipsa die Æxuri *Conjugi* ordinata; Cum *venæsectione* in augmento lunæ instituenda. XXI.

§. Alector a *diarrhœa* sua per DEI gratiam liberatus, viribusque receptis, in publicum rursum prodire cœpit. Alector. *Diarrhœa.*

§. Hierocomus ab oris collutione d. 18. Maji ordinata a molestissimo *ptyelismo* liberatus, *podagricæ* fortunæ nunc exponitur. Interrogatus, quibus uti frameis contra hunc hostem consuesset? Nullis respondit, (meo enim consilio hactenus nondum vixerat) varia quidem se usurpasse, sed omnia nullo cum fructu, multa cum dolorum augmento. Sudorem interdum cum *spissamento sambuci* provocare, *farina avenacea tosta* fovere dolentes artus & involvere *pelli leporinæ*, reliqua patienter ferre. Uxor ejus narrabat, se olim in servitiis Ribaldi *senioris*, edecumati *podagrici*, stetisse. Comedium *Medicum* pultes e *medulla similaginis cum croco, vitello ovi, & lacte coctos* (forte ad imitationem Verulamii) applicari jussisse; Consultum postea Feupure alium & peregrinum *Medicum*, si paralysin artuum, præpodagra, mallet, ut eo cataplasmate uti pergeret, enunciasse. Ab eo tempore, suadente quoque *Medico* Emplexio, *avenacea farina tosta* semper usum fuisse, cujus beneficio pori artuum aperti servati *podagricum* virus exhalare possint. Verum est, sicut in aliis quibusdam morbis, ita præcipue in *podagra optimum esse medicamentum, medicamento non uti*, semper tamen exceptis *symptomatis urgentibus*, *cataplasmata* demulcent, sed poros oppessulant ac fibras relaxant. Salutis autem prora consistit in eo, ut ne transspiratio prohibeatur. Hierocomus, *Podagra.*

Idem Hierocomus mihi conquestus est, se frequentissime internecino *artuum* & præcique *surarum spasmo* torqueri, quin aliquando usu venire, ut simul cum *podagrico* dolore, dolor ille *spasmodicus* conjungatur. *Carnificem* aliquando dedisse *portionem funiculi, de quo fur suspensus fuerat, laciniam itidem hominis decollati sanguine cruentatam*. Ea diu circumligasse, sed sine ullo cum levamine. Quin & *exuvias anguillæ*, & *lorum e pelle humana* promissis buccinatorum non stetisse. *Immersio artuum in oleum calens* est egregia; sed in Italia potius ob annonam *olei*, quam apud nos in usum ducenda: nam quis tantum *olei* dabit? Valet hic proverbium: *Non semper oleum*. Quid vero, si *oleum lini* recipiatur? Forte quis parum erraverit. *Spasmus artuum. s. Crampus.*

XXI. Capsopœi *filiolus*. *Rhachitis.* §. Capsopœi *filiolum*, cum medicamenta d. 25. *Martii* ultimo ordinata officium fecissent, pro meliori artuum, pedum præcipue, robore conciliando, in *aquis* nostris, *cervinis* aliquoties lavari jussi, quo facto a malo suo *rhachitico* penitus liberatus nunc pancratice vivit. (d. 24. *Maji.*)

Enthadandri *uxor*. §. Consilium, quod Enthadandri *uxori* die 14. *Maji*, scripseram, supervacaneum fuit. Mulier enim rustica eam invisens promtissimam, citissimam & constantissimam promisit sanationem, se multos jam a *Medicis* & *Chirurgis*, post tot pecuniarum profusionem, tot medicationum martyria, derelictos expedito curasse gloriata. Profectam esse, se licet invito, cum ista muliere, salutisque spem per allata nuncia jamjam affulgere, maritus narravit. Nec præcepta *diætetica* tam esse severa, qualia *Medicorum* & subalternorum. Concedi vinum, concedi quælibet edulia, præter *muria conditam brassicam*. Videbimus.

XXII.

XXII.

Mercurius hac nocte rursum ad dimidiam lineam resedit, vesperi amplius paullo infra tertium gradum descendens. Liquor *thermometri* mane infra medietatem quarti gradus quiescens, vesperi vix sensibiliter sublatus est. Ante meridiem sol aliquando fulsit, reliqua dies constanter nubila, cum interspersis pluviis.

Stibeus. §. Hac nocte Stibeus (d. 17. *Maji*) ad plures abiit.

Forgerius *scabies*. §. Forgerius 23. annorum ante annum a pertinacissima scabie per me curatus fuit sequentibus: d. 28 *Martii* 1708.

Rec. *Pulv. fol. senn. Alex.* ℨij.
hermodact. turpeth. alb. & gummos. an. ℨj.
lign. sassafr. guaj. c. rad. Sarsapar. an. ℈ij.
c. sir. fumar. F. elect. molle.

Dividatur in 3 p. æqu. ternis matutinis sumendas cum regimine. Corpore sic evacuato bibat *infusum th. iforme* mane & noctu, ea quantitate & modo, sicut a nobis jam aliquoties traditum:

Rec. *Ras. sassafr. guajac. lentisc. an.* ℥j.
Rad. sarsapar. ℥x. *chin.* ℥vij.
helen. bardan. lapath. ac. an. ℥ß.
liquir. ℥iij.
herb. fumar. trifol. fibr. an mj.
fl. pap. v. e r. mß. *passul. min.* ℥ij.
saff. lign. ℥iij. *sem. anis.* ℥ij. *Conc. cont. D.*

Primæ

Primæ ſcutellæ hujus *infuſi* ſempet inſtillentur gutt. 40. ad 50. de *mixtura* tali: XXII.

Rec. *Eſſ. trifol. fibr. lignor. an.* ℥ß.
fumar. ʒij. *M.*

Poſtquam his usque ad 18. *April.* uſus eſſet, artus demum alternis diebus inungere ſemel conceſſi, circa articulationes *cubiti*, *carporum*, *genuum & tarſorum* calide:

Rec. *Ungu. de litharg.* ℥ß. *æthiop. miner.* ʒj.
ol. laur. ʒij. *tart. per deliq. lign. rhod. an.* ʒß. *M.*

Oleum ligni rhodii euoſmiæ gratia additum.

D. 16. Maji *potione laxativa* medicationi feliciſſima manus impoſita. Eadem methodo multos curavimus in litu iſto compendium invenientes in *Æthiope minerali*, adæquato ob ♁. & ☿. talem combinationem, quæ nocere non poſſit, ſicut interdum fit, ubi ſeparatim utraque *linimentis* miſcentur.

Hoc vere denuo nonnihil minimarum *puſtularum* cum *pruritu* ſentiens, ut ſcabiem præveniret, opem meam rogavit. Dati *pulveres digeſtivi*, noctu ante ſomnum, ex quolibet vehiculo capiendi, & poſtero mane *electuarium noſtrum purgans*. Poſtea (cum etiam de congeſtione pituito in bronchiis quereretur) mane & noctu gtt 50. *mixturæ* ex *juſculo fumaria, chærefolio, naſturtio aquatico, cochlearia & radice cichor. ſilv. medicato*:

Rec. *Eſſent. lign. fumar. an.* ʒiij.
∽. cochlear. ⊖✱. *anis an* ʒj. *M.*

§. Pogonati *filiolus* per medium noctis quiete dormivit, ſine dubio ab *emplaſtro* ventri admoto. Reliquam noctem tametſi fere inſomnem tolerabiliter transegit, edens, bibens & loquens. Hodie circa nonam iterum pejus habet; pulſus quidem non temnedus, ſed *ſubſultus tendinum*, parva *deliquia*, inadvertentia omnium, ſic ut nil peteret, reſponderet, vel neminem fere agnoſceret, oculi erant torvi. Cum convulſiones denuo metuerentur, datus *liquor CC. ſuccinatus*, & præbita *mixtura cochlearim*; Pogonati filiolus. Convulſiones.

Rec. *Aq. fl. til. ceraſ. n. rut. an.* ℥iß. *epil. l.* ℥ß.
ſpecif. cephal. pulv. march. an. ℈j.
conf. alk. c. ʒj. *ſir. fl. pœon.* ʒiij. *M.*

Impeditæ quidem ſic convulſiones, ſed puellus tamen ad ſe ita non rediit, uti mane: ſuos tamen rurſum agnovit, ad quæſita, quamvis invitus quaſi, reſpondit, oblata edit ac bibit. *Lumbricus* quidem nullus amplius excretus, ſed tormina tamen, pruritus continuus narium, & alia *convulſionum* ſigna plurium præſentiam manifeſtabant. At vero debilitas virium

XXII. *anthelminticis* consuetis, in tanta præcipue plenilunii vicinitate, locum non dabat; hinc *roborantibus, antispasmodicis & anodynis* insistendum putavi. *Vomitiones* tamen cessant. Pomeridie aliquando cum *dolore minxit*, urina erat lactea & pituitosa, qualis antea nunquam, mihi autem alioqui in verminosis observata. Timeo de hujus puelli salute, ob expectandum crastina luce pomeridiana *pleni lunium* & alia. Quodsi terebrata sint alicubi intestina tenuia, vel ipse ventriculus a tam vastis animalibus, quod non raro fit; de ejus vita actum est. *vid. Miscellan. nostr. p. I. p. 364. seqq.* (d. 23. *Maji*)

Lycaonis *Filiolus, Morbilli.* §. Lycaonis *Filiolus morbillorum* stadium cum euphoria decurrit, qui confertissimi totam cutim obsederunt, symptomatis omnibus valde remittentibus. Aderat adhuc *pulvisculus Bezoardicus*, quem præbere, reliquumque *mixturæ* successive consumere jussimus. Cum stragula quæcunque projiceret, fornaci auctior ignis suppeditatus. (d. 24. *Maji*)

Nigremmergi *Uxor, Hysterica passio.* § Nigremmergi *uxor* 32. annorum a juventute *hystericis* affectionibus obnoxia fuit, quæ a biennio fere in tantum augentur, ut lecto prope magis alligetur, quam erecta incedat. Querela maxima de insultu alternis fere semper diebus eam mane prehendente: *Oscitat* creberrime & quasi dormiturit, (olim *pandiculabatur* etiam hinc per spinam dorsi repit quasi *frigusculum*, postea *cordis & arteriarum in collo palpitationes* & summæ *anxietates*, hinc deliquia vera, denique *clavus* immo *hemicrania*, nunc dextrum, nunc sinistrum capitis latus cum oculo occupans, usque ad medium noctis acerbissime affligens, postea sensim remittens cum *sudore effusissimo* & insequente magna lassitudine. Intercalari die non quidem perfecte valet, surgit tamen munia sua obit, edit, dormit. Nonnunquam est *melancholica*, sine caussa lacrymatur: in somno terretur. Interea menses ordine fluunt, alvus succedit rite, non vomit, neque ad urinam reddendam irritatur Usurpavit a longo tempore aliquam multa, sed omnia fere sine ullo fructu.

Demiurgus vim magnam *morsulorum* præscripsit. Graphedius, illa sic referente, *mixturam e viginti aquis destillatis, & 600 pilulas. Circumforaneus* quidam, audacissimus Impostor, inter alia plura, dedit *Tincturam cœruleam*, cujus maleficio propemodum interemta fuit. Saporem referebat orichalceum fuisse, & *tincturam* jusculo calido Instillatam statim viriduisse. Suspicor fuisse ℞. ⊕. ♀. *cum* ♆. demum in filtro cœruleo colore tinctam & minus inde paratam, de qua vid. *Miscellan. Part. II.* p. 576. Et quis omnia narraverit?

Ego

Ego conjicio malum esse merum *hystericum*, *nervos* simul affligi, & periodicis suis exacerbationibus omnia hæc symptomata *febrim intermittentem* magis mentiri, quam sistere. *Chinata* tamen, quamvis alio fine, nullatenus rejicienda existimans, omissis *purgantibus*, hactenus sæpe, sed semper cum augmento morbi, propinatis, ordinavi mane & noctu gutt. xxx. *mixturæ* sequentis ex *aqua lavendulæ*: XXII.

Rec. *Essent. cort. peruv.* ♁. *nervin. elix. uter. Cr. an.* ʒj.
ess. anod. ʒß. *M.*

Quamprimum poroxysmi prodtomi, *oscitationes* præcipue, visuntur, statim sequentis *mixturæ* 2. cochlearia, durante paroxysmo aliquoties repetenda hauriantur.

Rec. *Aq. meliss.* ℥iiij.
hirund. c. castor. hyster. offic. an. ℥j.
mixt. simpl. elix. uter. Cr. an. ʒj.
Elæosacch. anis. ʒij. *M.*

Cucupha vertici imponenda paretur *ex asa fœtida, castor. & succino.* Durante dolore splenio allitum, *linimentum* tempori dolenti applicetur:

Rec. *Axung. castor.* ʒß. *bals. peruv.* ℈j.
laud. op. gr. iiij. *M.* (d. 24. *Maji.*)

§. *Circumforaneus*, de quo paullo ante, nomine Zeitschel, *Bohemus*, bipedum fere nequissimus fuit. Omnes quoscunque morbos curandos suscepit, & urbem hanc pecuniarum vix credibili numera emunxit, sortis quoque non infimæ homines in rete suum pelliciens. Morionem sui theatri ab hausto *arsenico* per *Orvietanum* suum salvum equidem præstitit; sed ille homo, quæsitus, num si juramento adstringeretur fateri utrum verum venenum assumserit, jurare vellet, recusavit. Cataractam deposuit in theatro, sed homine, æque ac antea, cœco manente. *Balsamum catholicum* externum vendidit, sed, uti mihi relatum, e re nulla alia, quum *charta emporetica in cineres combusta, addita terebinthina & pauxillo Zibethæ paratum.* Cum nostris denique fraudes mille artificis subolere cœpissent, ipse fortasse monitus, solum subito vertit, relicta parte sarcinarum.

§. Ad dicti paullo supra Nigremmergi Filiolam tunc aliquot septimanas ætatis emensam vocatus fui d. 23. *Julii* 1708. Alrernatim vociferabatur & convellebatur; excernebat viridia, vomebat interdum &c. *Convulsiones* erant horrendæ. Dentur ter in die 2. cusp. cultr. de *pulvisculo* ex vehiculo sequenti etiam seorsim exhibendo: Nigremmergi *Filiola. Convulsiones.*

XXII. Rec. *Lap. bez. orient.* ℈ß. *occid.* ℈j.
matr. perl. ppt. Cor. r. ppt.
♁ *nat. ppt.* ♉ *rectif an.* ℈j.
Sacch perlat. ʒj. *M.*
Rec. *Aq. chamom. rut fl. til. an.* ℥j. *epil. l.* ʒiij.
sir. fl. pœon. ℥ß. *M.*

Nuchæ, vertici, temporibus *balsamum cephalicum* jam cognitum.

Proficere videbamur, sed gaudio non admodum durabili. Nam d. 24. *Augusti* denuo vocatus easdem *convulsiones*, cum æstu fere ardente, in pusione reperio. *Pulverem* iterum præscripsi cum *balsamo*. Bis in die quoque propinavi *liquoris CC. gtt. viij.* Cochleatim præbui *emulsionem*:

Rec. *Sem. pœon. excort. papav. a. an.* ʒij.
Aq. fl. til. ceras. n. rut. papav. err. an. ℥j.
F. Emuls. add.
pulv. march. ℈j. *sacch. perlat.* ʒij.

Cum matri *lac* una nocte evanuisset, non sine fascini suspicione, *decoctum* pro potu ordinario factum e *CC. rasp. sem. anis & visco querno.* Postea non amplius vocatus sum. Mater autem hodie monstravit puellam nunc fere biennem, bacchico vere corpore & monstrose obeso præditam & valentissimam: Sed ærumnas cum dicta puella perpessas graphice satis depingere non potuit. Ultra sexcenties nempe convulsam fuisse; instar *sceleti* contabuisse, omnium judicio fascinatum verbis fuisse (beschreihen) Nullo autem post me *Medico* accito, varia & innumera remedia, pleraque externa, tentata. Suppositas *ungulas alcis cervici*, it. *viscum quernum.* Varios *litus* usurpatos. *Carnificis uxorem* dedisse vinculum nigrum sericeum, argenteis fibulis firmatum, hoc vinculo dorsum ita cingendum fuit, ut aliud quoddam corculum rubrum, cui, nescio quæ, insuta erant, vinculo affixum cordis scrobiculum ad amussim tangeret, relinquendum per 24. horas. Ab applicatione hujus vinculi vigesies adhuc redisse *convulsiones*, deinde constanter emansisse. Atrophiæ postea ex fascino contractum *balneo e Sideritide*, quam propterea vocant Beschreyh-Kraut/ sed nullo cum juvamine. Denique novies & bis in septimana lotam fuisse puellam *aquis nostris cervinis*, post lotionem, seu *balneum*, vino rubello perfrictum, intus autem cum *cremore hordei* exhibitam *gelatinam nostram aulicam*: indeque puellam sensim ad omnium stuporem convaluisse, ac in giganteam hanc molem excrevisse.

Campyloxyli §. Campyloxyli minima natu semestris filiola per aliquot dies lan-

languet, interdum clamitat, sitit, pavet aliquando, tussicula adest cum æstu identidem remittente & redeunte. Cum osculum saliva perfluat, ipsaque digitulos continuo gingivis admoveat, aliaque *exanthematum epidemicorum* nulla signa adessent, *dentitioni* rem omnem detuli, & scripsi *mixturam* sequentem flatibus quoque appositam: XXII. *minima Filiola. Dentitio.*

Rec. *Aq. ceras. n. fl. til. an.* ℥ij. *specif. cephal.* ʒß.
~⊖ *. *anis.* ℈j. *sir. cort. aurant.* ℥ß. *M.*
præbeatur cochleatim (d. 23. *Maji.*)

§ Herpylii *Filiolus* hac nocte bene dormivit, hilaris rursum est, & antiquum obtinet, id est, qualis erat aliquibus retro diebus. Dederunt heri Striblitarum portionem, quas vocant **Schneeballen**. Paratur e farina siliginea & lacte pasta, quæ primum in tenues lamellas, extensas dividitur in quasdam lacinias & in sartagine cum eliquato butyro frigitur. Arbitror puellum ab horum esu tam vehementer languisse. Nihilominus instante cras plenilunio cum *anthelminticis* per aliquot dies feriandum esse judicavi; quæ luna decrescente semper melius operari creduntur. (d. 26. *Maji*) Herpyllii *Filiolus.*

§. Nipsi *servus* (d. 19. *Maji*) leviculum sustinuit continuæ tertianæ paroxysmum, sine dolore, anxietate & vomitione; æstu quoque tolerabili existente, totoque paroxysmo ultra trihorium non durante (d. 29. *Maji.*) Nipsi *servus. Tertiana cont.*

XXII.

XXIII.

HAc nocte rursum pluvia, quæ per diem etiam fere duravit; sub ingressum vero plenilunii desinens radiolis quibusdam solaribus transitum concessit. Mercurius tota die linea una infra tertium, liquor autem *thermometri* in medietate quarti gradus subsistebant.

§. Pogonati *Filiolus* noctem præteritam tranquillius, quam præcedentes aliquas transegit. Bis alvum deposuit, sed sine *vermibus*. Excrementa erant consistentiæ debitæ, quamvis cinetei coloris. Oblata assumsit & locutus est. Pulsus erat satis bonus. Præbeatur antemeridie 10, & pomeridie 2. horis *pulvisculus* e potu ordinario: Pogonati *Filiolus.*

Rec. *Unicorn. ver. mater perlat.*
♁. *nat. ppt. an.* ℈ß. *M. F.* 2. ℥.

Cum *mixtura* ultima *spasmodico-cordiali* pergant. Quid pleniluni-um instans allaturum sit, expectamus. (d. 24. *Maji.*)

XXIII. Bromiostrabus. §. Bromiostrabus *jure* suo *veronica, bellide min. fragar. acetos. cochlear. spinach. hepat. stellat. nasturt. hort. & rad. cichor. medicato* & d. 3. *Maji* ordinato utitur ab octiduo, & quærit, an non simul licitum esset in pastu *vinum herbis recentibus medicatum* bibere? Alios enim dixisse, quod hæc duo simul stare non possint. Rogavi, quasnam *herbas* putaret? Nominavit *scolopendriam, pimpinellam, hepaticam nobilem, stellatam & rad. caryophyllata.* Respondi, cum institutum *juris medicati* eo collimet, ut fervor & acrimonia sanguinis temperetur, caryophyllatam saporis gratia, sed in parva quantitate, quum calida & sicca sit, addi, *pimpinellam* ob eandem rationem omitti, reliqua concedi posse.

Campyloxyli *min. Filiola. Dentitio.* §. Campyloxyli, *Filiola minima* ab usu *mixturæ* multum levata fuit, quamvis nondum plene restituta; pergere jussi, confirmatus in opinione concepta de *dentitione.*

Nolani *uxor.* §. Nolani *uxor jusculum medicatum* de 10. *Maji,* cum R. ♂ *helleborata* ordinatum non sine laudabili effectu bibit, appetitus redit, *dyspnœa* minuitur, lassitudo cessat; igitur cum ambobus usque ad 4. septimanarum completionem pergendum (d. 29. *Maji.*)

Leroli *uxor. Nephritis.* §. In *uxore* Leroli dolores *nephritici* a *mixtura* d. 20. *Maji* ordinata pæne omnes cessarunt, interim adhuc, sed longe mitius, semet exserentes. Rogat, num adhuc semel usurpare licitum sit *oleum amygd. dulc. compositnm?* Respondi, differendum usum, usque dum atrocior dolor quispiam urgeat, ac strenue potius pergendum cum *pulvere* d. 18. *Maji* præscripto. *Oleum amygdalarum dulcium* cum sui similibus ventriculo non commodum est, ejusque fibras relaxat ac appetitum dejicit, igitur, non nisi urgente necessitate, nec multis in serie continua vicibus propinandum, ne dum hic prodesse volumus, alibi noceamus.

Anerisma. §. *Netrix* quædam 45. circ. annorum, cujus nomen expiscari oblitus sum, brachium dextrum inspiciendum dedit. In flexura cubiti, prope medianam venam, juxta situm basilicæ, adeoque parte domestica, usque ad ventrem musculi bicipitis, digiti circiter medii longitudine & minimi crassitie conspiciebatur quoque eminus *pulsatio arteriæ axillaris. Pulsatio concordabat cum pulsu arteriæ in carpo.* De nullo cætera dolore querebatur, nisi interdum de aliquali stupore brachii ab humero usque ad digitorum apices, idque se demum ab octiduo sentire. Rogata, num brachio quoquo modo violenter usa esset? respondit, se nil tale meminisse, nisi quod sub id temporis in domo quadam in expurpando pulvere occupata, sæpe brachium sursum versus extendere, detergendoque hinc inde move-

movere coacta fuerit; non autem sensisse, quod vel aliquid dissilierit, ibi loci, vel sensibiliter læsum fuerit. Nihil aliud, quam aliquid *aneurismatici* concipere potui, quamvis me tale *anevrisma* teres & longum vidisse non recorder. *Aneurismata* enim alioqui sunt globosiora. Interim revera tale quid est, & ad minimum, forte per diuturnam illam brachii extensionem, præternaturalis interioris tunicæ expansio, si non fissura. Dixi, affectum hunc suæ functioni parum respondere, quum netrices brachium dextrum innumerabili vice extendere cogantur; se in periculoso statu versari, & ab arteriæ ruptura in subitaneam mortem præcipitari posse; vitam proinde Christiane semper instituendam, & brachio, quantum possibile, parcendum esse. Suasi, ut *laminam plumbeam*, *aneurisma* longitudine æquantem superligatam continuo gestaret, ac *emplastrum diachalcitidis* imponeret, quum alio modo, neque per interna, neque externa miseram juvari posse hactenus cernam. (d. 30. *Maji*) XXIII.

§. De Varioli *uxore* jam 16. *Maji* aliqua dicta. Hodie literæ exhibentur ab Hardisio *Medico*, significantes inter alia, dictam mulierem in humero brachii non fracti, ut nuper dictum, sed luxati tantum & contusionem notabilem cum *ecchymosi* passi, suo tempore præcedente *frigisculo* vix sensibili, *oscitatione*, *somnolentia*, denique sentire dolorem acerbum in humero, qui postea ad brachium ipsum protendatur; idque se factum observasse intercalatis semper 2. diebus, adeo tertia quoque die, proinde de *typo quartanario* audacter pronunciasse, & præscipsisse *electuarium antifebrile*, & ob alvum constipatam dedisse lene *laxativum e fol. sen. & rhabarbaro*, inde post unum adhuc leviculum paroxysmum, *quartanam* cum doloribus esse deletam. Ante sextiduum menses comparuisse, sed per unam saltem diem & instar loturæ carnis, ægram ad avertenda, quæ metuebat, mala, *venæsectionem* flagitasse, se, *Medicum*, consentire noluisse, reposuisse ægram, aliter secum, quam cum aliis, comparatum esse, D. Lentilium, in hisce casibus pertusionem *venæ* suasisse; pertusa itaque, me consentiente, vena in pede, triduo post *fluxus mensium* largissimus, cum massulis membranosis & sanguine grumoso multo, sed sine *quartanæ* recidiva. *Dolor* autem ac *tumor brachii* maximam partem sublati, Chirurgo quoque imperavi, ut juxta tuum præscriptum brachii totius ambitum filo circumducto diligenter exploraret, utrum forte atrophia posset observari, quo casu quid faciendum censeas expectamus. quas illa mulier *idiosyncrasias* & *anomalias* possideat, ut æque significes rogo, cum constanter affirmet, se longe alia, quam reliqui homines methodo tractandam esse; &c.

Varioli uxor.
Fractura Cubiti.

XXIII. Respondi, ægram nunc ultra octennium a me tractatam esse non tantum valde *plethoricam*, sed abundare quoque simul acri, tenui & facillime ad ebullitiones *febriles* promto sanguine. Menses semper largiter fluxisse, eam multoties *erysipelate* capi, *pleuriticam* factam esse, & *febres continuas* passam; *Clavo hysterico* sæpe multumque in utraque successive capitis hæmisphæria cruciari. Cum autem per *idiosyncrasiam* sudare non possit artificialiter, *inediam* aversetur & præter sinceram depletionem sanguinis alia quantitatem ejus minuendi ratio non suppetat, igitur nos fuisse coactos ad crebras *venæsectiones*, temperandoque sanguinis fervori, & ebullitioni & acrimoniæ cum fructu non pœnitendo quotannis potasse acidulas ad fontem, quod hoc ipso quoque anno intermittere minus consultum judicem: His talibus me permotum, cum de symptomatis brachii a me tunc judicatam *fracturam* comitantibus certior factus fuissem, magis de *clavi hysterici* & forte simul *erysipelatis capitis* consuetorum præsentia, & nata inde, ob debilitatem atque ad receptivitatem dispositam partem de *rheumatismo* brachii magis, quam *febri*, conclusisse, & medicamenta d. 16. *Maji* præscripta, non neglecto respectu ad flatus & ventriculi debilitatem, eo direxisse; Nolle tamen vel opinioni de *quartana*, vel alius *febrilis typi* contradicere, cum *Medico* præsenti plura, quam absenti, observare liceat, & *erysipelata febribus* adnumerentur. Cæterum ægram nolle tentari *salinis* vel *sulphureis volatilibus*, sed *castoreatis*, *Zinnabarinis*, *nervinis alcalicis fixis*, crebrasque *venæsectiones* sine detrimento pati, non tamen imprudenter administrandas, quæ, ut petito satisfacerem, significanda duxerim (d. 30. *Maji.*)

Hippari-us. *Phtisis.* §. Hipparius (12. *Maji*) potius mihi videtur in *phthisicis* symptomatibus, quam convalescentia, proficere. Languores augentur, ut sæpe decumbere cogatur; magis contabescit, *dyspnœa* major, *tussis* non semper æqualiter ferox, cum exscreatione tamen conjuncta, & optimum quod utcunque appetat non amplius vomat, & *sudores colliquativi* desint. Vinum interim mane bibere non desinit. Sumat antemer, & pomer, cusp. 4. cultri de *pulvere* Dekkeriano:

Rec. *Sem. papav. a. ℥ij. portul. melon. an. ℥iß.*
amyli, fl. 🜍.
Gumm. arab. tragac. an. ℥j.
Rad. ir. flor. croc. opt. an ℥ß.
♁. *diaph.* ℈iij. *facch. ros. tabul.* ℥j. *M.*

Noctu sumat quinque *pilulas*:

Rec.

Rec. *Mil. de cynogl.* ℥j. *croc. opt.* ℈ß.
succ. liquir. ℥ij. *balſ.* 🜂. *anis q. ſ. F. pil. pond. gr. ij.*
Cum *gelatina* & *vino medicato cum recc. herbis* pergat. (d. 3. *Jun.*)

XXIV.

XXIV.

VAſa, quæ heri. Mane ſerenitas, ſed quæ jam ante quintam matutinam a nubibus abacta fuit: duravit hæc viciſſitudo per totam diem, usque ad veſperam, ubi circa ſeptimam horam tempeſtas ſatis gravis cum tonitruum fragoribus & imbre ſecuta: poſtea Mercurius tertium iterum gradum ſcandendo attigit, fluidumque *thermometri* itidem adſcendit.

Epargyrius. *Pareſis.*

§. Epargyrius, (vid. 21. *May.*) nihil quidquam proficit immo, cum pedes plane maneant immobiles, brachiis indies magis debilitatur, cætera ſanus, ut proinde de *pareſi* non amplius dubitare licet, quamvis ob ſuperſtitem adhuc aliqualem in cruribus ſenſum & brachiis quoque motum, nondum perfecta. Hic affectus unde venerit, præciſe determinare non valeo. *Colica* non præceſſit: Sine vero hac præcedente ego *pareticos* in praxi mea nondum vidi, quamvis dari poſſe non negem: Veriſimile, ab horrendo præteritæ hiemis frigore, quod, nunciantibus conſanguineis, magnum eſt perpeſſus, eique ſe non ſemper ex neceſſitatis quadam lege, expoſuit, *cerebellum* & *ſpinalem* medullam detrimentum eſſe paſſa. Difficilis erit ac diuturna hæc cura. Sumat mane & pomer. cuſp. 2. cultri de *pulvere*, ex jure calido.

Rec. ♁. *diaph.* ☾. *alc. philoſ. an.* ℥j.
♂. *nat. ppt.* ♁. *rectif. an.* ℥ß.
⊖. *vol. ſuecin.* ℈j. *M.*

Pomeridie decima & noctu ante ſomnum ex eodem vehiculo præbeantur *ſpiritus nervini gtt.* 40. Et quotidie, ſi bis fieri non poteſt, ad minimum ſemel ex aqua dulci, cui incocta *chamom.* & *herba paralyſ.* balneet. Cum ante me conſultum uxor jam veſicatoria cruribus affixiſſet, rogatum, an tamen *balneare* liceret? Reſpondi affirmando, veſicas autem non tantum *emplaſtro de minio*, ſed inſuper faſciis latioribus muniendas eſſe. (d. 25. *Maji.*)

Pogonati *Filiolus. Convulſiones.*

§. Pogonati *Filiolus* heri veſperi denuo *convulſionibus* tentatus per totam fere noctem inquietiſſimus fuit. Inventus in ejus lecto *lumbricus* minor, quam priores. Nates & pedes media nocte per 2. horas alſerunt. Nunc ad ſe parum rediit, ſed *tendinum ſubſultus, ſtridores dentium*, aliaque ſigna convulſiones leves ſemper præſentes teſtantur. Spes convaleſcentiæ mihi valde dubia videtur. Cochleatim ſumat: Rec.

XXIV. Rec; *Aq. fl. til. ceraſ. n. rut. an. ℥j.*
epil. l. hirund. c. caſtor. an. ℥ß.
cryſtall. ppt. ♁. nat. ppt. an. ℈j.
ſir. fl. tun. ℥ß. M.

Scrobiculus cordis, nares, tempora, fricentur *aqua carbunculi aurea.*

Propoſui *clyſma domeſticum ex Decocto abſinthii cum lacte, addito olivo.* Recuſavit mater propterea, quod a matre ſua non ſemel audiverit, ſe *Medicorum* Conſilio infanti cuidam applicaſſe *clyſterem*, qui bihorio poſt mortuus ſit, ab eoque tempore, ſe nunquam tale quid amplius facturam, voviſſe. Dixi, hiſtoriis cognitum eſſe, quod aliqui mortui ſint poſt *emetica, purgantia, venæſectiones*; qua autem fronte propterea hæc omnia ſanitatis tam prætioſa præſidia damnanda ſint? E mille venam ſecantibus, purgantibus & vomentibus ne unum perire. Per ipſos tamen ſtare, quid facere decreviſſent. Meum eſſe conſulere, non cogere. Pomeridie puellus aliquo modo ad ſe rediit, hinc *chyſterem* omiſerunt, non obſtante, quod intra plusquam 24. horas alvum non depoſuerit. Igitur ſibi ſapiant! (d. 25. Maji.)

Sigeroxerus. Colica bilioſa.

§. Sygeroxerus homo vinolentus & fortaſſe præcepti ſexti non admodum tenax, 44. circiter annorum, multis jam morbis obnoxius fuit, fomitem *venereum* ut plurimum agnoſcentibus, utpote cui jam ante quinquennium *gonorrhœa virulenta* laboranti medicatus ſum. Nunc ab aliquot diebus laborat *colica bilioſa*, cum *vomitibus* & *conſtipatione*, urina ſuccedente, nec dolore ſe usque ad lumbos extendente. Poſt varia jam uſurpata, vocatus ordinavi binis vicibus hauriendam *mixturam*:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. ℥iß.*
ſir. de alth. Fern. roſ. ſolut. an. ʒvj. M

Dimidium ſtatim hauriatur calidiuſculum, quo vomitu non rejecto medietas altera noctu ante ſomnum aſſumatur; non retento, hora poſt hauſtum primum ſorbeatur. Cochleatim vero detur ſequens:

Rec. *Aq. chamom. ℥iiij. Zedoar. ℥j.*
tinct. aurant. ʒj eſſ. carminat. ℈ij.
ſir. cort. aur. ℥ß. M.

Abdomen ungatur *ungu. de hyoſcyamo*, & foveatur *cataplasmate e ſemine lini cum lacte cocto.* (d. 25. Maji.)

§. Recordabitur *Lector* benevolus, quæ de errone *Italo*, Jannis, dicta ſunt, d. 2. *Maji* Sereniſſimus omnes ejus merces Fiſco adjudica-

vit,

vit, pariterque mandavit, ut eos omnes adhuc semel viseremus, inutilia ab utilibus separaremus, illa statim, præsente Jannis, annihilata projiceremus, hæc autem ponderata, & secundum *taxam materialium* æstimata divenderentur, pecuniæque Cameræ *Ducali* traderentur. Hac igitur die congregati cum Dn. Wôlffingio *Pharmacopœo*, quod nobis *Physicis* in mandatis datum erat, exsequuti fuimus; projecta tunc & prorsus annihilata, *Oleum nuc. mosch. expr. oleum aurantiarum infusum*, ♁, *diaphoreticum, oleum succini album, oleum carvi, Tinctura bezoardica, radix china, Elixir proprietatis, bezetta rubra.* Reliqua in 2. Classes, bonorum nempe & mediocrium non nullo usu præditorum divisa; v. g. *ol. amygd. dulc. jasmini*, & quædam alia externis litibus destinenda quamvis non intra corpus sumenda. *Crem. Tart.* purificandus; *rhabarbarum, gialap. Zedoaria iris flor.* & pauca alia, cum bona malis mixta fuissent, demum seligenda, cariosumque, quod nobis ob temporis angustiam tum non vacabat, projiciendum, idem forte fatum experientur *medicamenta* quædam *composita*, quorum bonitas externis sensibus non patet: v. gr. *Pulvis pannonicus, marchionis, it. mercurius dulcis, Tartarus emeticus, &c.* quis enim *Pharmacopœus* talia emet, & quis Practicus illis remediis fidem adhibebit? XXIV.

§. Suburrana 43. annorum, aliquot liberorum mater, obesula, plethorica, *menses* semper ordinario tempore & quidem largissime fluentes habuit; Cum autem nuper *colica hysterico-nephritica* affecta fuisset, suasu mulieris cujusdam (sine dubio *uxoris carnificis*) *balneum* ingressa, *menses*, quos ante decendium habuerat, revocavit, nunc per 9. dies non tantum durantes, sed in veram *uteri hæmorrhagiam* degeneratos, Sanguinis vis longe quam plurima indesinenter profunditur, nec tamen ipsa hactenus debilior viribus facta, vultu semper adhuc roseo & appetitu constante, nullis *doloribus* vel *torminibus* præsentibus. Usurpavit varia sic dicta remedia domestica, quæ inter fuit *sanguis proprius menstruus tostus & absorptus, ligationes, epithemata varia, emulsionem amygdalarum cum aq. bursæ pastoris factam; dicta bursæ pastoris recentis manipulum intra manus tennit*, assumsit quoque varios *pulveres*; incassum omnia. Cum igitur medicamenta per avia petita suum non faciant, *hæmorrhagia uterina* nimium furens metum incussit, ut a mulieribus ad *medicum* appelleretur. Mediana dextri ad ℥v. pertusa pomeridie sanguinem exhibuit cum ingenti copia seri, crusta alba, crassa, obductum. *Tinctura antiphthisica ad* gtt. xvj. præbita. Cochleatim data *mixtura*:

Suburrana. *Uteri hæmorrhagia.*

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥iiß.
bol. arm. ppt. lap. hæmat. ppt. sang. Drac. an. ℈j.
laud. op. gr. ij. ✱. *sir. myrtill. an.* ℥ß. *M.*

XXIV. Porro bibatur *amygdalarum emulsio*, sed *amygdalis* cum *glumis* suis, prius a pulverulentis sordibus mundatis, contusis. In lecto quieta maneat. Dum pomeridie visitarem, sanguis largius quam antea fluxit, vires tamen adhuc integræ, sed pulsus magnus.

Rec. *Sperniol. Cr.* ℨß.
bol. arm. ppt. ♁. *catech. lap. hæmat. ppt. an.* ℈ß.
laud. op. gr. iiij. M. F. 2. ℞.

Dentur utrique quatuor horarum intervallis ex aqua *bursæ pastoris*, non interim neglecta *mixtura* cochleatim usurpanda. Lumbis intra lintea calidiuscule imponatur cataplasma:

Rec. *Bol. arm.* ♁. ⊕. *dulc. an.* ℥iij.
lithargyr. arg. ℥ij *an. F.* ℞.

Et cum *album ov.* conquassato ac *aceto cataplasma*.

Rogata, num cibo quoque reficeretur, negavit se intra triduum quidquam comedisse, metuentem, ne forte cibus sanguinem augeret cum *hæmorrhagia*? (die Speise mögte das Blut mästen) Dixi, metum inanem esse, ægram opus habere refectione, quum spiritus simul multi dissipentur, pharmacis non sarciendi, præoptare me, ut sanguis crassescat magis, utendum esse *lacticiniis, pultibus, animalium partibus mucaginosis*.

Noctu nunciatur, semper, non obstante internorum apparatu, sanguinem largissimo rivo fluere, circa præcordia sentiri debilitatem, cor *palpitare*, metum adesse, ne profluat sanguis arteriosus, (das Hertz-Geblüt) *cataplasma* non admotum, ne motu corporis ad applicationem necessario sanguis magis agitetur. Dedi tres *pilulas* Wildegansianas e cochleari *sir. Coralior.* sumendas, hisque non sistentibus, alias, hora post una deglutiendas:

Rec. *Extr. torment. bistort. papav. comp. an. gr. iij.*
F. pil. n. jx. pro 1. dosi.

Scrobiculo cordis imponatur *emplastrum e succ. gran. cherm. cerat. santal. & ungu. pomato.* Cataplasma imponatur non obstante dicta exceptione; necessarium enim id est. (d. 25. *Maji.*)

Helophylactis *Filia.* §. Helophylactis Filia, 25. annorum, semper pallida; lassa & anhela, dyspnœa nuper augeri visa, cum *palpitatione cordis & mensium, paucitate* e secta vena exhibuit sanguinem valde serosum, substantia cæterum satis laudabili, quamvis tenui cœrulescente pellicula obducta. Habitus corporis subtumidus. Sumat bis in die cusp. 3. cultr. de seq. *pulvere* ex quolibet vehiculo, insequente semper motu:

Rec.

XXIV.

Rec. *Chalyb. c. ♃. ʒiij.*
rad. ar. ppt. gentian.
asell. ppt. test. ov. calcin. an. ʒj.
lign. sassafr. diaphor. ♂. an. ℈iiij.
⊖. CC. vol. ℈j elæosacch. sassafr. ℥j. M.

Noctu gutt. xxxx. *elixiris* seq. ex cochl. vini:
Rec. *Elix. fulig. Claud. ʒiij. ♒. cochl. ʒj. M.*

§. Hypocamiso sepultus est hodie *Filiolus*, ex *variolis* mortuus, ad quem *Medicum* nullum accersiverant. Suo damno cautiores facti me vocant ad alium *puellum* 5. annos natum *variolarum* prodromos ostendentem, sed difficillimum ad *pharmaca*, quale quid etiam de mortuo prædicabant. Meo more immergere jussi *materiam perlatam* potui quotidiano, remixta quoque *aqua fumar.* & præscripsi *mixturam* spasmodico-expulsivam toties non repetendam; immo, nisi adsumere vellet *medicinam*, *vesicas* inuri jussi. Nunc animo anguntur, quod *Medici* opem in morbo defuncti non implorarint, adeo stulti sunt homines! — Hypocamisi *Filiolus.* *Variola.*

§. Capsopœi *uxor*, cui 25. *Martii* pro *alvi constipatione* proficua quædam ordinaveram, de tussi nocturna valde molesta queritur, cum aliquali *dyspnœa.* Dedi *electuarium purgans.* Sumat mane & pomer. gtt. xxv. *mixturæ* ex cochleari juris: — *Capsopœi uxor.* *Dyspnœa.* *Tussis.*

Rec. *♒⊖✱. anis ℥j. ℞. croc. ʒß. M.*

Noctu autem ante somnum *pilulas de cynogl.* n. 4. ex potu ordinario. (d. 9. *Jun.*)

§. Hypeneti *uxor* 63. annorum heri vesperi post frigus excalfacta & sitiens more suo intritam fecit ex pane cum vini veteris quartario, sensim omnia haurit, æstus hinc ingens cum lateris dolore punctorio, & siti valida. Putaverim ego, anum semiebriam factam. Data *emulsio* pro 3. haustibus 3. horarum intervallis assumendis: — Hypeneti *uxor.* *Calor præternat.*

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an. ʒj. papav. alb. ʒiij.*
aq. acetos. borrag. card. bened: an. ℥ij.
F. l. art. Emuls. add.
♁. diaph. CC. philos. an. ʒß.
syr. rub. id. ℥ß. M. pro 3. dosibus.

§. Cum ob instans plenilunium Herpyllii *Filiolo anthelmintica* d. 21. *Maji* scripta ulterius utiliter propinari posse dubitatum sit, post illud hodie initium rursus factum est. — Herpyllii *Filiolus.*

§. Nigremmergi *uxor* (d. 22. *Maji.*) hodie, quem expectarat, paroxysmum, passa non est, cæterisque paribus nec male habet, in publicum — Nigremmergi *uxor.*

XXIV. cum quoque prodiens. Dixi proinde, ut medicamentis ordinatis uti pergeret, quaterque etiam in die sumeret *aqua hysterica* d. 21. *Maji* tantum præsenti paroxysmo destinatæ, etiam extra illum cochlear unum hauriet. (d. 29. *Maji*)

Capsopæi *Filiolus*, *Rhachitis*. §. Capsopœi *Filiolus* (d. 22. *Maji*) adhuc *cervinis balneis* cum effectu lavatur pedibusque suis egregie insistit. Suaseram quoque ut articulationes perlinerent mane & noctu *unguento* parato ex *medull. cervin. cum vino hispanico impastata*. Fecerunt, & nacti nunc ex cruribus cervinis novam medullam quærebant, utrum necesse sit præcise eam eliquare? Respondi, quod non.

Melodidascalus. §. Melodidascalus (d 20. *Maji*) novam denuo curam hodie inchoavit ex præscripto D. de *Champagne*; *Infusum* est *laxativum*, *pulvis* temperans, cui multum ☽. inest, alius *pulvis nervinus ruber*; & denique *spiritus externus* pro faciei lotione *contracturis spasmodicis* oppositus; *medicamenta* ipsa transmissa sunt, igitur ingredientium numerus & modus non liquet. Si ex Theoria judicandum, Auctor insistit, vel certe insistere conatur *principiis* STAHLIANIS. Benedictionem divinam precamur. (d. 1. *Jun.*)

Lycaonis *Filiolus*. *Morbilli*. §. Lycaonis *Filiolus* (d. 22. *Maji*) pedetentim *morbillos* deponit, & vires recuperat. Mater anxia tota mihi dixit, mulierem quandam post morbillos eum *variolis*, & quidem periculose decubiturum; aliam dixisse, non fuisse *morbillos*, sed *phlyctenas*. (Wild-Feuer) Respondi, ne de *variolis* metueret, *laxativum* propediem exhibendum filiolum salvum, nunc equidem, præstiturum. Stultas mulieres de *phlyctanis* loqui, meque melius internoscere posse ac debere, quid *morbilli* sint, quid *phlyctana*? (d. 28. *Maji*.)

XXV.

XXV.

MErcurius ultra tertium gradum ad dimidiam lineam mane adscendens vesperi vix sensibiliter subsederat; liquor *thermometri* medium quarti gradus mane obtinens eum vesperi una linea superavit. Dies erat usque ad quintam pomeridianam maximam partem serena, postea vero cum paucis tonitrubus pluvia larga.

Phagœnus. *Hæmorrhagia narium*. §. Phagœnus (11. *Maji*) hactenus tolerabiliter vivens heri derepente *hæmorrhagia narium* ad aliquot horas continuata correptus fuit, cum insequente virium magna debilitate; ebullitioni sanguinis scorbuticæ, in corpore ad *insultus apoplecticos & cachexiam* prono, rem deferens, illi refrenandæ opposui *electuarium*, cujus interdum (v. gr. quater in die) quantitas castaneæ sumatur:

Rec,

Rec. *Conf. rof. antiq.* ℥j. *symphyt.* ℥ß. XXV.
cor. r. ppt. bol. arm. ppt. lap. hamat. ppt. an. ℈j.
fir. Coral. ʒvj. *M.*

Quiescat. Bibat *tincturam rosarum* vel *emulf. amygdalarum* Ingruente rursum *hæmorrhagico* paroxysmo sumat *pulvisculum* e vino rubro, singulis horis, si opus, repetendum:

Rec. *Sperniol. Cr.* ʒj. *laud. op. gr. iij. M.*
F. 3 ℞.

Sumantur æquales portiones *rubricæ fabrilis & amyli*, & cum *album. Ovi ac aceto* fiat pasta, qua linteum crassiuscule oblitum fronti ad radicem nasi frigidum imponatur & circumligetur.

Omnes circumstantiæ innuunt in hoc viro sanguinem successive vappescere & dissolvi, illumque ad hinc emigrandam disponi:

§. Sigeroxerus heri usque ad mediam noctem adhuc aliquoties vomuit, & ex torminibus colicis, quamvis mitius, doluit, donec alvo soluta dolores sopirentur. Attamen assumta quælibet videntur amara & est perpetua vomituritio cum *agrypnia*. Jussi pergere cum *mixtura* cochleatim sumenda & litu abdominis, noctu vero præscripsi *emulsionem* paregoricam a cujus media parte hausta si somnus obrepat, altera pars usque in crastinam noctem servetur, sin minus, post mediam noctem bibatur: Sigeroxerus.

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒj. *papav. alb.* ʒiij.
aq. chamom. papav. rhœad. an. ℥iij.
F. l. a. Emulf. add.
pulv. anticol. Cam. ʒß. *fir. papav. alb.* ℥j.
M. pro 2. dosibus. (d. 26. *Maji*)

§. Suburrana *pilulas* WILDEGANSIANAS heri noctu statim, &c, cum *sanguinis* fluxus persisteret, una post hora *pilulas* alteras deglutivit, utrasque cum *sirubo coraliorum*, unde refrenatus hic impetus, ipsaque per aliquod tempus placide dormivit. Evigilanti præcordiorum anxietas & *vomitiones* pituitoso-biliosæ materiæ negotium facesserunt, cum insequentibus levibus *deliquiis* & summa virium prostratione, cordis terrore, pallore faciei; Vix digitum movere, aut verbum profari poterat. Sanguis iterum a vomendi violentia, quamvis parcius longe, quam antea, fluere cœpit. Accedens pulsum satis robustum & εὐρυθμον inveni, circumstantiisque examinatis non adesse *syncopem cardiacam*, sed *deliquia hysterica* pronunciavi. *Vomitus* autem, si non ab inanitione, certe a medicamentorum assumtorum farragine concitatos fuisse. Prostrationem virium me non mirari, si considerem tantum Suburrana. *Uteri hæmorrhagia.*

 sangui-

XXV. ſanguinis, theſauri vitæ, profluvium. De reliquo me bene ſperare, quum *convulſionum* nulla veſtigia viderem. Ordinata *mixtura ſtegnotico-cardiaca* cochleatim ſumenda:

Rec. *Aq. plantag. borrag. an. ℥iß.*
Confort. offic. ℥iij.
Cor. r. ppt. matr. perl. ppt. an. ʒß.
conf. de hyac. inc. ʒß. ſir. Coral. ℥ß. M.

De *pulvere analeptico frigido* MINDER. *inc.* ſumat interdum cuſp. 1. cultri per ſe, eumque ſuper linguam liqueſcere ſinat. Reprimendis *vomitibus cataplaſma conſuetum* ex *fermento panis &c.*. Naribus *pilam odoriferam*:

Rec. *Styr. calam. ʒß. gran. parad. ℈j.*
aſ. dulc. balſ. ind. ſicc. an. gr. xv.
contuſa irror. ol. ſuccin. & inſuantur ſyndoni rubræ.

Subſtitit conſtanter, per DEI gratiam, periculoſus hic fluxus, & vires quaſi per horas colligebantur, ſic, ut veſperi plurimum ab illo mutata compareret. Roganti, num vini quid bibere liceat? reſpondi, tutius eſſe, ut *emulſionem amygdalinam* adhuc per temporis breve ſpatium hauriat. Dormire hoſtem, nec temere excitandum. Conſpiciebam in cubiculo vitrum medicinale aqua limpida plenum; quale ſit, interroganti, reſponſum, eſſe *aquam hyſtericam* magnarum virium, quam guſtans valde ſpirituoſam reperi, ocyusque removendam eſſe dixi, nam ejusmodi ſpirituoſis hauſtis ſanguinem magis agitari & *hæmorrhagiam* promoveri. Sic *Medicus* circumſpectus multa præcavere poteſt, luſtrando, quæ circumſtant ægrotos, vaſa. Mulieres enim ſapientulæ ſæpe communicant invicem ſuas *aquas hyſtericas*, quin & alia plura in & externa, medicamenta, eorumque uſum præſcriptis *Medicorum* commendant, unde detrimentum ægrotantes haut raro non leve capiunt. (d. 26. *Maji.*)

Schoarchi *uxor.* *Menſes nimii ſuppreſſi.*

§. Schoarchi *uxor* 40. annorum lactens, a terrore *menſium fluxum immodicum* nunc a novendio paſſa eſt, quem remediis multis domeſticis fruſtra reprimere tentavit. Inter alia heri *ſeptem flores ſeu roſas malvæ arboreæ cum ovo frixas deglutivit*, unde ſtatim ſubſtitit fluxus, ut ne gutta prodiret. Inde vero cœpit affligi *torminibus hyſtericis & cardialgia* cum *vomitibus*, *artuum tremore* ac *cephalæa*. Dedi *pilulas* una vice degluttiendas:

Rec. *Extr. bez. papav. comp. an. gr. iij.*
Caſtor. gr. ij. F. 8. pil. pro 1. doſi.

Coch-

XXV.

Cochleatim præbeatur *mixtura*;

Rec. *Aq. plantag. meliss. chamom. an.* ℥iß.
hirund. c. castor. ℥ß.
♁*.nat.ppt.bez.* ♃ *ial. an.* ℈j.
extr. papav. comp. gr. vj. sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Abdomini *unguentum de hyoscyamo.*

Cum *hysterici* quid adesse dicerem, ipsa, se credere, neque hactenus scivisse respondit, quid sit *matrix*, nunc autem eam ex abdomine, usque ad fauces raptam sensisse. Hoc modo philosophantur mulieres, adeo ut aliquas pejerare audiverim, se matricem propemodum digitis in fauces immissis arripuisse negotio non difficili extrahendam. *Medicus* Juvenis in contradicendo prudens sit, præcipue si res agatur cum mulieribus primaris. Taceat potius, quam dissentit.

Hæc observatio quoque docet, *quam parum tuta sit mensium etiam immodicorum subitanea & simultanea suppresio sistentibus validis facta.* Modus utendi has malvas non placet, cum *ova frixa* per se stomachum gravare soleant. Et cur præcise sint septem? (d. 26. *May.*)

§. Pogonati *filiolus* adhuc frequenter convellitur, parum intelligit, vel loquitur. *Clysma* non applicuerant. Videtur brevi migraturus. (d. 25. *Maji.*) Pogonati *filiolus.*

§. Gnomilegus me interrogavit, an *a pedum sudore limaturis metallicis, v. gr. orichalci, aut calce cupri foris adhibitis represso dyspnœam, vel cachexiam quoq; excitatam observaverim? & quomodo sudorem ejusmodi revocare liceat, cumprimis ab aliquot annis jam suppressum? se* suasisse inter alia *lixivium calcis vivæ* pro pedum crebra lotione, frictiones postea sedulas ac denique *Thermas nostras ferinas*? Respondi, me in adolescente observasse ab hoc sudore represso *asthma*, sed nondum *cachecticum* adolescentem illum calceis imponere solitum fuisse *soleas ex fungo ad suscitandos ignes aptato,* (Zündschwammen) quæ sudorem imbiberint, noctu exprimendæ, cum emolumento. Credere me suppressionem ejusmodi in dispositis *cachexiam* promovere posse; utrum vero solis externis, præcipue post aliquot annorum decursum, intra quod tempus natura sibi quædam alia, sed forsan incommoda, sanitatique detrimentosa quæsiverit emunctoria, revocari possit, me fere dubitare, nam ita poros equidem pedum patefieri vel dilatari, non itidem partem olim mandantem ad illuc denuo propellendos squalores invitari; quod fortassis expectari posset ab usu *ferinarum*, si modo ob *cachexiam* præsentem his tuto uti liceret, de quo itidem sit dubitandum, præsente cumprimis asthmate; Sudor pedum.

XXV. tasse junctum his *pediluviis decoctum lignorum sudorificum* proficuum esset. RULANDUS pedes *aqua ♆ lavare* jubet ad reprimendum hunc sudorem, quod si verum, ergo sic revocari non poterit. Quod autem idem RULANDUS suadet, *frictionem* nempe pedum *cum lythargyrio*, non incitandum putem. SCRETA jubet *soccos* gestare *lineos isatide tinctos*. Ruffis peculiaro hoc malum.

Epargyrius. *Paresis.* §. Ipse fui apud Epargyrium in quodam vico prope urbem habitantem, Imperfecte *pareticum* revera inveni. Imperfecte propterea dico, quia in brachiis est adhuc aliqualis motus, & in pedibus sensus motu prorsus abolito. Principium nervorum & spinalem medullam aliquid passa propterea certum, quod cervix dolore tensivo afficiatur, & in lecto sedere non possit. Cum enim erigitur, dolor summus oritur in vertebris lumbaribus. Hinc etiam est, quod labro insidere non possit, ad suscipiendum lavacrum. Nam insidens sellæ non tantum culcitris suffulciendum est dorsum, sed probe resupinandum, & pedes extensi manere non possunt, sed versus abdomen quasi repellendi sunt, man muß ihm die Füsse gegen dem Leib biegen. In lecto vero protensis pedibus cubat. Excogitanda machina, qua cubans æger, tanquam super grabato, vaporem ad minimum *balnei medicati* dorso excipere possit, ac interim cum in & externis jam ordinatis pergendum. (d. 28. *Maji*.

XXVI.

XXVI.

MErcurius mane primam quarti gradus lineam non penitus attigit, quam vesperi parum transgressus est. *Thermometrum* quale heri mane, & vesperi. Dies erat frigidiuscula, nebulosa, interdum serena.

Teloni *uxor.* *Colica hysterica.* §. Teloni *uxor* a medicamentis d. 20. *April.* ordinatis convalescens hactenus commode vixit; ante biduum vero, postquam irritata excanduisset, *torminibus* rursum & *vomitu hystericis* non sine *cephalæa*, frigusculo & *phlogosibus* cum in appetentiæ, correpta fuit, lacte propemodum omni evanescente, quod ultimum tamen *inedia biduana* acceptum tuli, queritur etiam de borborygmis & ructibus. Cochleatim detur:

Rec. *Aq. meliss. anis. an.* ℥ij. *hirund. c. castor.* ℥j.
ess. anod. ℈j. *sir. papav. err.* ʒij. *M.*

Ex eodem vehiculo semper horarum 6. intervallis *mixtura* sequentis guttæ xxx. Rec. ⊖ *vol. oleos.* ʒj. Ṫa. *castor.* ʒß.

Applicetur *antemeticum Cataplasma* ex *theriaca*, *nuce moschata* & *fermento panis*. Bibat *emuls. amygdalarum*. Reficiatur *jusculis*.

Pome-

Pomeridie symptomata multum sedata. *Lactis*, quamvis nondum copia sufficiente, reditus. Comederat etiam. Pergere jussi. (d. 27. *Maji.*) XXVI.

§. Linelda 40. annorum, iracunda mulier & obesa, nuper ad furorem irritata, jam quatuor sustinuit paroxysmos tertianarios, cum quinto, per sex horas anticipante, in mea praesentia colluctans. Frigus praecedaneum semper comitantur horrendi *vomitus*, conjunctis postea *levibus deliquiis hystericis* & *cardiogmi* cruciatibus. Scripsi ad interim *mixturam* cochleatim sumendam:

Linelda. *Febris tertiana interm.*

Rec. *Aq. plantag. menth. an. ℥ij. cinnam cydon. ℥j.*
♁. *diaphor. matr. perl. ppt. an. ʒß.*
sir. cydon. ℥ß. M.

Stomacho balsamicum litum:

Rec. *Ungu. pomat. ʒij. bals. peruv. ℈j.*
Ol. nuc. mosch. expr. ʒß.
Ω. menth. absinth. an. ℈ß.
caryoph. mac. an. gtt. iij. M.

In crastinum diem *emetico-catharticum*:

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crom. tart. ℈j.*
dacryd. gr. v. ol. mac. gtt. j. M. (d. 27. *Maji.*)

§. Sigeroxerus a dimidio *emulsionis* hausto non equidem multum dormivit, sed nec valde inquietus fuit. Dolores valde tolerabiles. Rogavit, utrum non liceat, *oleum amygdalarum* nudius tertius ordinatum repetere? Cum nil contraindicaret, concessi. Nec vero vesperi adhuc, quod sperabat tamen, insecuta sedes, quamvis tormina plane abessent. Omnia adhuc amara, quae gustaret, asseruit. Petiit *Cervisiam*, negavi ob *flatulentiam colicis doloribus inimicam*, & alvi constipationem. *Acidulas* concessi, cras medicamentum *purgans*, volente DEO, ordinaturus. (d. 27. *Maji*)

Sigeroxerus.

§. Suburrana placide dormivit per totam noctem, appetitus redit, fluxus non plane suppressus est, sed parcus, instar loturae carnis, commendavi quietem & usum *pulveris analeptici* cum *cordiali mixtura* heri ordinatorum. A meridie pransa est pullum assatum cum appetitu, bibit nonnihil vini lymphati. Vesperi fluxum parum augeri & magis iterum rutilescere dixit. Bibat *emulsionem suam amygdalinam*, omisso vino; & noctu sumat 3. *pilulas* Wildegansianas. (d. 27. *Maji.*)

Suburrana. *Haemorrhagia uteri.*

§. Pogonati *filiolo*, antiquum obtinenti, cochleatim:

Ponati *filiolus.*

XXVI. Rec. *Aq. confort. offic.* ℥ij. *rut. fl. til. an.* ℥j.
Specif. cephal. ℨß. *sir. fl. pæon.* ℨiij. *M.*

Litum ſpinæ dorſi calidum;

Rec. *Ungu. nervin.* ℥ß. *ol. caſtor. coct.* ℨij.
ol. ſuccin. ℨß *M.*

Cum per binas noctes inquietiſſimus fuerit, &, dum aliquid rationis recuperat, de dolore interrogatus, ſemper abdomen monſtret, noctu repeti volui *emplaſtrum* ex *empl. de melil. cum ungu. hyoſc.* mixtum. Pergatur quoque cum *balſamo cephalico* & pulſibus ſuperligentur taleoſæ recentes *rad. pœon. mar.* ubi aruerunt, ſemper mutandæ. Circumdetur quoque collum hiſce taleolis (d. 27. *Maji.*)

Oragus. §. Oragum (11. *Maji.*) ante dies aliquot ex morbo ſuo obiiſſe nunciatum fuit, ac ſumme dolendum, quod ſectio corporis vel neglecta, vel non conceſſa fuerit.

Metaboli *Filiolus.* *Variolarum metus.* Dentitio. §. Vocatus ſum nudius tertius ad Metaboli *filiolum* 1½. annorum, qui omnia *variolarum* ingruentium ſymptomata oſtendit: Æſtum, ſitim, pavores, vomitiones, ſomnolentiam, conſtipationem. Scripſi præſcribenda *diaphoretico ſpasmodica*, excitatæ quoque *veſica*. Indies melius habuit, exanthemate nullo erumpente. Alvus quoque ſolutior, cum *tuſſicula*, & continuis digitorum in os immiſſionibus, *dentionis* fuiſſe, quæ *variolis* adſcripta erant, teſtatum fecere. Quod hactenus in multis factum.

Si *variolæ* vel *morbilli* epidemice graſſantur, quoties puſilli nondum antea his *exanthematibus* tentati, male habent, eo fere modo, quo alii decumbentes *varioloſi* ab initio habere ſolent, *Medicus* hos morbos merito ſuſpicatur, licet in opinione poſtea falſus. Medicamenta tamen ſic dirigenda, ne, ſi natura non intendat *exanthemata*, noceant.

Schoarchi *uxor.* §. In *uxore* Schoarchi *dolores hyſterici* ſopiti ſunt, ſuccedente tamen *cardialgia* majore cruciatu, cum preſſione & tumore quoque ſtomachi; *Vomiluritio continua*, alvus conſtipata; pulſus celer, ſitis. Res nondum eſt ſalva. Præſcripta *mixtura*, cujus ſingulis 2. horis 2. cochlearia ſumantur:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥jß.
ſir. de alth. Fern. roſ. ſolut. an. ℨvj.
eſſ. anod. ℈j.

Item *electuarium* bipartiendum, cujus una portio hodie noctu hora 9. altera cras mane ſumatur:

Rec. *Diaſcord. Frac.* ℨij.
♁ *diaph. CC. philoſ. an.* ℨß. *M.*

Scro-

Scrobiculo cordis *catapl.* ex *ferm. pan. cum ther.* & *nuc. mosch.* XXVI.
Abdomini *semen lini cum lacte coctum*, non neglecto *ungu. de hyosc.* Infantem ablactare coacta fuit, hinc *mammæ* quoque incomodum creant. Imponatur *emplastrum de sperm. ranar.* & *lintea aqua salsa madida*, expressa, calfacta pro fotu inserviant, quod est *euporiston ad lac discutiendum* in pauperculis. (d. 27. *Maji.*)

§. Vocatus sum ad *Arnoldi Filiolum* sesquiennem miserabiliter *rhachiticum*, & omnia cujuscunque generis medicamenta respuentem. Totus contabuit, ventre solo adhuc turgido, pedibusque in tumorem sublatis. Brevi exspiraturum dixi. Cum tamen, ut aliquid præscriberem, instarent, præter *cordialem officinalem aquam*, & *unguentum* sequens, nihil ordinavi: Arnoldi *filiolus. Rhachitis.*

Rec. *ungu. cardiac.* ℥ß. ℣. *camph.* ʒij. *M.*

Trullum *Chirurgum* dixisse ferebant, nil medicamenti ordinandum esse *infantibus rhachiticis*, nulla enim juvare: Sed expectandum patienter, donec erumpant dentes, tunc enim malum sponte cessurum. Utinam illi homines extra oleas vagari, & solicitos alioqui parentes ab usu medicamentorum impedire desisterent! Multi tales ne *rhachitidis* nomen quidem audierunt, nedum, ut sciant, quid istis malis opponendum sit? Et quis, obsecro, in pusione sesquienali expectet dentium eruptionem; Eruperunt hic, sed malo nullatenus cessante, (d. 28. *Maji.*)

§. Herpyllii *Filiolo* nudius (d. 22. *Maji.*) tertius iterum propinari cœpta *anthelmintica* sed nullis plane *vermibus* cum alvo licet solutiore, comparentibus. Umbilico per noctem imponatur *pulticula ex vitro veneto contuso cum melle mixto*, putaminique juglandis infarta fasciaque firmata. (d. 27. *Maji.*) Herpyllii *Filiolus. Lumbrici.*

XXVII. XXVIII.

MAne ☿ una linea cum semisse tertium gradum attigerat, vesperi sic descendens, ut primam quarti gradus lineam non plane tangeret; Liquor *thermometri* mane duas quarti gradus tertias, vesperi quartum gradum usque ad lineam unam tetigit. Dies erat serena.

§. Sigeroxerus hac nocte alvum *ab oleo amygdalarum* semel, quamvis, ob fecum duritiem, non sine labore, deposuit, cætera pars reliqua *emulsionis* noctem satis quietam largita est. Hodie propinavi *emetico-catharticum*: Sigeroxerus.

XXVII. Rec. *Aq. laxat. vienn.* ℥ij. *pulv. Corn.* ʒß. *sir. de cich. c. rh.* ʒv. *emet.* ʒij. *M. pro 1. dosi.*

Quod quinquies vomitum & octies alvum movit, ipso quidem fatigato, cætera multum levato. Jussi quiescere, visurus quæ hanc lustrationem secutura sint? (d. 28. *Maji.*)

Erythroclathri *filiola.* *Purgatio.*

§. Erythroclathri *Filiolæ* d. 29. April. post *variolas* more meo laxativum præbueram:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xvj. sir. de cich. c. rh.* ʒvj. *aq. cinnam.* ʒß. *acac.* ʒij. *M. pro 1 dosi.*

Inde vix binæ sedes, quod vesperi demum nunciarunt, cum circa meridiem stimulum addere potuissem. Non statim iterandam *purgationem*, sed per mensem circiter adhuc expectandum judicans, in crastinum diem auctius tale scripsi:

Rec. *Pulv. gial. n. resin. gr. xij. sir. de cich. c. rh.* ℥j. *aq. cinnam.* ʒß. *acac.* ʒij. *M. pro 1. haustu.*

Suburrana. *Hæmorrhagia uteri.*

§. Apud Suburranam nondum desinit sanguinis fluxus, sed non est admodum vehemens, & qualis ordinario tempore solet esse. Interim appetit & vegeta est, quamdiu decumbit; extra lectum vero supra modum languida. *Pulvis* ordinatus, de quo quater in die 3. cusp. cultri sumat,

Rec. *Spec. diatrag. fr.* ʒiij. *pulv. gran. Kerm.* ʒß. 🜃. *catech. sigillat. an.* ʒj. *extr. papav. comp.* ℈j. *sacch. rosat. tab.* ℥ß. *M.*

Pergatur cum *mixtura* cochleatim sumenda. Sitis fallatur potu tali:

Rec. *Tinct. rosar.* ℔ij *sir. e ros. sicc.* ℥ij. *M.*

Reparandis viribus *Gelatinam caponis* proficuam judicavi, quam aversatur. Quæ gustum nulla suavitate afficiunt, sine refectionis ægris a *Medico* frustra obtruduntur, quod junioribus *Practicis* probe observandum. Detineatur in quiete. Vesperi fluxus idem, qui mane, sed citra notabilem molestiam. Pulsus erat naturalis. Dixi non æque sanguinem adhuc ebullire, quam uteri poros adhuc patere. Noctu jussi deglutiret quatuor *pilulas* Wildegansiauas. (d. 28. *Maji.*)

Pogonati *Filiolus.*

Heri decima nocturna Pogonati *filiolus obiit.* Aperturam corporis frustra tentavi. Quid autem hanc mater concederet, quæ *clysmatis* applicationi adsensum non præbuit? Relinquendum est suis moribus imprudens vulgus, rationi non auscultans, & præconceptis opinionibus immersum: Quantum conjectura valeo, *Filiolus* hic in apertura exhibitu-

turus fuiſſet inteſtina tenuia a *lumbricis* terebrata. Poſt mortem non parum intumuit, ſicut *puella* Dinkelsbühlenſis, de qua ſuperioribus paginis. Interim matri filiolam lactanti valdeque contriſtatæ ordinavi *mixturam* cochleatim ſumendam: XXVII.

Rec. *Aq. c. raſ. n. meliſſ an. ℥ij. cinnam bugloſ. ℥ß.*
conf. alk. c. ʒß. ſir. gran. cherm. ʒiij. M.

Apud *uxorem* Teloni larvatus ſub affectus *hyſterici* perſona *Icterus* hodie conſpectui ſe præbuit. Cutis tota *crocea*, Album oculi luteum, urina obſcure rubra chartas croceo colore tingens, laſſitudo magna, ſitis, preſſio circa præcordia. Juſſi ablactare infantem, & ſcripſi medicamenta ſequentia: Teloni *uxor. Icterus.*

Rec. *Rad. rub. tinct. curcum, aſell. ppt. an. ʒj.*
d aphor. ♂. ℈iiij. croc. opt. ℈j.
e æ ſacch ſaſſafr. ſſ ʒiij. M. F. ℞.
Rec. *Eſſent abſinth. an m rhabarb.*
Elix. propr. P. an ʒij. R. croc. ʒß. M.

Pulveris mane hor. 7. & pomer. hora 4. tres cultri cuſpides; *mixturæ* antemer. hor. 10. & noctu ante ſomnum gutt. xxxx. utraque ex calido jure ſumantur. Juſcula ſint *crocata*. *Crocus* in nodulo potui ordinario immergatur. Jam aderat mulier ſuppeditatura *numiſma aureum* & quidem *hæreditate acceptum*, poculo argenteo probe inaurato injiciendum, infuſo potu ordinario; ægræque ut non ex alio, quam hoc poculo, biberet, præcepit. (d. 28. *Maji*)

§. Linelda ſufficienter *ἄνω καὶ κάτω purgata* fuit, viribus aliquanto fractior. Bilis ultra dimidiam menſuram ſe vomuiſſe conſtanter aſſerebat. Vulgus enim, quod evomit flavum & amarum, meram bilem eſſe putat, hocque *a balneatoribus & agyrtis* ſibi perſuaderi patitur; cum potius ſit *bilis*, aliis ſeroſis & pituitoſis humoribus *diluta*. Nam, qui ſit ille Fellis folliculus, qui tantam bilis quantitatem capiat? Juſſi quieſcere, futurumque cras paroxyſmum expectare (d. 28. *Maji*,) Linelda. *Febris tert. interm.*

§. Bromioſtrabi *uxor cephalalgia* laborans linteolum *aqua mirabili*, quæ in hac urbe venum exponitur, madidum, fronti applicavit, ſeque inde ſemper levari ajebat. Quæ præciſe ſint ingredientia illius *aquæ*, quis parandi modus, ignoro. Si quid tamen ex ſapore judicandum, nil eſt aliud, quam *elixir aromaticum, elixiris vitæ* Quercetani æmulum. Ejus virtutes in ſcheda typis excuſa, ſub titulo Wunder-Waſſer circulatorie deprædicantur, & pæne ad omnes corporis affectus internos, ſine diſtinctione perſonarum, ætatis, craſeos &c. mirifice extolluntur. Nondum vidimus effe- Bromiſtrabi *uxor.*

 ctus

XXVII, ctus magnificos, Laudatum per me sit *medicamentum* ad affectus certos, ubi plegma dominatur & sanguis lentore peccat. Commendare ad omnes, eosque calidissimos morbos, omnibus hominibus, iisque cholericis, macilentis, exsuccis, stultum est & ab omni sana praxi plane alienum. Et sic modo stultum esset? detrimentosum est, immo deleterium? Interim hæc talia tolerantur.

Herpyllii *filiolus.* *Lumbrici.* §. Herpyllii *Filiolus* hac nocte super umbilico suo gestavit, *nucis juglandis dimidium putamen*, hodieque media sui parte vacuatum exhibuit. *Emplastro* quidem aliqua portio adhæsit, sed tantilla, quæ nec quartam illius vacui partem, explesset. Igitur cum *anthelminticis* pergendum esse duxi. (d. 29. *Maji*)

Schoarchi *uxor.* §. Stoarchi *uxor* noctem bene transegit. Calor tamen adhuc præternaturalis cum siti. Tentare jussi *acidulas*, & cum *oleo amygdalarum dulcium composito* per hanc diem continuare (d. 28. *Maji.*)

Conistici *filiola.* *Nephritis.* §. Conistici *filiola* biennis, quæ nuper ex *variolis* convaluit, (vid. 5. & 18. *April*) fere a partu fuit *nephritica*, & talis adhuc perseverat; *calculi* jam complures, cum urina sæpe suppressa, prodierunt. Laudavi *pulveris* jugem usum ad 2. cusp. cultr. Rec. *Rad. alth.* ℈ij. *facch. alb.* ℈iij.
gumm. ceras. oc. ♋. *crud. cont. an.* ℈ß. *M.*

Alectoris *uxor.* §. Alectoris *uxori* ad *balneos* Zellenses abituræ, *affectibus hystericis, scorbuticis, fluori albo, constipationi alvi* &c. obnoxiæ, ordinavi *pulverem*, cujus mane ante *balneum*, & noctu cubitum itura tres cultri cuspides pro dosi per se assumat: Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ℥ß.
rad. ar. ppt. lign. sassafr. diaph. ♃.
mechoac. a. arcan. dupl. an. ℨj.
balsamo sacch. peruv. ℥ß. *M.*

Eusebius *scabies.* §. Eusebio *scabioso* d. 12. *Martii* quædam ordinata. *Potio laxativa* primo duas, hinc repetita, quaternas tantum sedes movit. Venam postea tundi passus est. Bibit *Decoctum* satis diu. Manus *lixivio* ♆ lavit, *scabiem* siccavit, sed, cum aliquid se hinc *asthmatici* sentire sibi imaginaretur, lotionem istam intermisit. Manus equidem & femora (nam alibi *scabiosus* non est) non adeo, quam prius, affecta; *pustulæ* tamen adsunt, clarum, sed acre serum plorantes, prurientesque. *Squaloribus œconomicis* medendum prius, quam illi *scabiei*. Dixi mihi verisimile non videri, quod *asthma* provenerit a lotione cum *lixivio* ♆, hoc enim non esse repellens, sed *alcali* porius *acidum psoræ* temperans, ideoque, me judice, tuto adhiberi posse, adjutum cumprimis *hæmocatharticis* internis. Et, cum *jus medicatum* more quotannis consueto bibere constituisset, utrum *laxativum* repetere non liceret, sua-

ſua vero doſi auctius, interrogavit? Annui, ſed *pulveres* tres *digeſtivos* præmitti debere dixi, talesque ante ſomnum tribus noctibus aſſumere juſſi; poſtea mane *laxativum*: Rec. *Rad. ar. ppt. Crem. tart. arcan. dupl. an.* ℥ß. *M. F.* 3. ✕. (d. 1. *Jun.*) XXVII.

§. Litteras accepi ab *uxore* LINETI (vid. 22. *Apr.*) ſignifico, quod vicibus rurſum trinis ex cauſſa mihi incognita *dolores capitis attrociſſimos* paſſa ſim, cum *cardialgia* & *vomitibus*, ſic, ut ante 14. dies plus vigeſies mihi vomendum fuerit, poſtremo *deliquiis* quoque præſentibus; poſtero die dolor lumborum vehemens, usque ad veſicam protenſus. Vomitus aceto contra ſunt acerrimi, fauces quoque exedentes; idque nudius tertius iterum factum. Quid faciendum?

Lineti *uxor.* *Symptomata hyſterica.*

Reſpondi hæc ſymptomata omnia deberi *morbo hyſterico-hypochondriaco.* Multum me confidere in uſu *aquarum* GÖPPINGENSIUM & *balnearum* BOLLENSIUM futuro JOHANNIS *Feſto* adeundarum. Interim geſtetur *cucupha caſtoreata* nuper laudata. Creber ſit uſus *ſpecierum diacretæ* extra paroxyſmum. In eo alternis trihoriis ex *aq. ceraſ. n.* accipiantur 10. *pilulæ* & 30. *guttæ mixturæ* ſeqq. Rec. *Aſ. fœtid. extr. caſtor. an.* ℈ß. *extr. papav. comp.* ℈j. *beZ. Cam.* ℈ß. ♁. *nat. ppt.* ℈j. *c.* ℞. *caſtor. F. pil. pond. gr.* j. Rec. ℞. *ſuccin. caſtor. liq. CC. ſuccin. an.* ʒj. *Eſſ. anod.* ʒß. *M.*

Uſus ſit continuus, quamdiu paroxyſmus duraverit. Medicamenta valentiora dari non poſſunt, ob *graviditatem.*

§. Metadromus (1. *Maji*) laudat iterum effectum medicationis tunc ordinatæ ſaluberrimum. *Acidularum* curam ſe ſuſcepturum, quamvis domi, pollicetur. *Pilulæ* noctu ſemper alvum moverunt. Conſilium exquirit, quid præcautionis loco faciendum, & quo pacto laudabilem nunc appetitum conſervandum eſſe exiſtimem?

Metadromus. *Affectio hypochondriaca.*

Reſpondi, quietem animi grande momentum in edomando hic *affectu hypochondriaco* habere, hanc itaque mœrore & ira turbandam non eſſe. In *acidularum* uſu circumſpecto multum auxilii poſitum. *Purgationem menſtruam* fore proficuam, perficiendam adſumtione *pilularum* biduo vel triduo ante plenilunium: Rec. *Extr. helleb. n. gr. xv. magiſt. gial. ſcam. an. gr. vj. F. pil. n. xviij. pro* 1. *doſi.*

Dum in ventriculo moleſtiam ſentit, cum primo hauſtu vini vel cerviſiæ in quolibet paſtu ſumat gutt. xx. *mixt.* ſeq. Rec. *Elix. propr. dulc.* ʒij. *eſſ. fumar.* ʒj. *M.*

§. TECHNASTES potum *infuſi*, 13. *Maji* ob iter neceſſarium abrumpere coactus fuit, cum per triduum bibiſſet. Poſt reditum in *acetum* mutatum amplius bibi

Technaſtes.

bibi non potuit. Rogavit, annon reperere liceret, cum sibi non sine fructu bibi videretur? Contra indicante nullo præsente, concessi. (d. 3. *Jun.*)

XXVIII.

XXVIII.

BArometrum [&] *Thermometrum* mane, qualia heri vesperi talia per integram diem manserunt. Dies antemeridie Serena, pomeridie pluvia mediocris, hinc iterum Serenitas.

Erpargyrius. *Paresis.*

§. Epargyrii *Pater*, (d 25. *Maji.*) nunciavit, filium nullatenus in labro manere potuisse, frustraneam adeoque lotionem illam esse. Interim in pedibus abolitum omnino, in brachiis indies, immo per horas debiliorem fieri motum, nec sensum in artubus amplius adeo exquisitum esse. Appetere tamen & sibi cætera sanum videri, quamvis alvum diu non deposuerit. Cibum uxoris manibus ori ingerendum. Jam igitur in perfectionis statum successive *Paresis* labitur. Expectandum esse dixi cum *balneo* (sic etiam sentit GNOMILEGUS) donec cum motu sensus omnis perierit, tunc enim futurum, ut, abolito sensu, labro commodius immitti queat. Melius plerumque curavi malum, si per aliquod tempus jam duraverit. Alvum autem ante omnia reserandam esse; cui fini ordinata *potiuncula* OSWALDI. Mane & noctu sumat gutt. 40. *Spiritus nervini* ex *aq fl. paralys.* Spina dorsi ter in die inungatur ℣. *juniperato & camphorato* cum *ol. lumbricorum* mixto. Atque, cum metus adsit excoriationis cuticulæ circa vertebras lumbares, imponatur *empl. de sperm. ranar.* (d. 29. *Maji.*)

Suburrana.

§. Apud Suburranam fluxus equidem uterinus nondum penitus cessat, sed pallidior iterum est; vires cum appetitu sensim redeunt. Hodie mensæ accubuit. Pergat cum heri ordinatis & hac nocte rursum deglutiat 3. *pilulas* WILDEGASIANAS. (d. 29. *Maji.*)

Acidulæ Gœppingenses.

§. Discursus fuit ortus de *acidulis* Gœppingensibus. Dicebatur multas post earum usum in *febrim intermittentem* incidisse. Allegabatur exemplum Fragosi & Opsopœi, qui ambo eodem tempore ibi potantes, domum reversi *tertiana* correpti sunt, qua cum hac ipsa die adhuc colluctantur. Qui mecum sic loquitur, equum in planitiem vocat. Caussam enim *aquarum* Gœppingensium me tueri, frustra, si maxime vellem, diffiterer. Argumentum hoc tanti est, ut præsenter id exhaurire, nec tempus nec instituti ratio ferant. Reservabitur fortasse peculiari loco. *Febrim* autem quod attinet, post Gœppingensem curam non supra dictos modo, sed alios plures tali correptos fuisse, me expertum

non

non ſemel, affirmo: immo cauſſam aquarum potui adſcribo. Ergo *aquæ* XXVIII. GÖPPINGENSES *febrim* excitando ſunt noxiæ? Utrum hæc conſequentia firmo ſtet talo, diſquirendum? *Aquæ minerales, quo magis ſunt efficaces, eo ſe minus abuti patiuntur; quo magis abuſum ferunt, eo minus ſunt efficaces.* Idque locum habet in omnibus *medicamentis*, etiam *artificialibus*, locum habet in ipſomet vino. Quis abuſum *aquarum e vegetabilibus deſtillatarum* non ſuſtinet facilius, quam *ſpirituum* ex eadem materia *petitorum*? Immo, quis non *aquarum phlegmaticarum* præ *balſamicis* & *oleoſis aquis*? quis in genere non facilius ab uſum medicamentorum *Galenicorum*, quam *Chimicorum*? Vini generoſi menſura una, quod oligophori tres, efficit. Sapienti ſat. *Aquæ* efficaciſſimæ quævis, quam minime ſecum jocari ſinunt. Multi adeunt *fontes acidos* ſolius recreationis fine. Liceret adire, modo non curative, ſed, quid dico curative? modo non cum aliis imprudenter vim potiorem ingurgitarent. Dormiunt ad ſeptimam, potant menſuram unam, poſtea non deambulant, ſed *hemerodromorum* ad inſtar decurrunt, nemora pervagantur; ſudore diffluentes prandium accedunt, lautius invitantur, meracius & largius potantur, pranſi dormiunt, poſt ſomnum denuo potant, poſt potum, vel etiam ſub potu mane & pomeridie violentius exercentur, tripudiant, luctantur, in cœna crapulam contrahunt, ad ſeram usque noctem diſcurrunt, lectum denique non ſine *hypnopotiſmo* ingrediuntur. Quid mirum ſi *acidæ* tales potores *febribus* ulciſcuntur? Audio dicentes: *Ad alium fontem eodem vivendi genere tempus contrivimus, nec inde febris orta?* Qui veri ſunt rerum æſtimatores, & fontes medicatos intimius norunt, pro me reſpondebunt, ego, cum crabrones irritare nolim, ne γρῦ quidem. Porro, qui de modo potandi *minerales aquas* ſcripſerunt, ad unum omnes præcipiunt, *ne accedant imparati*, ſed præcedente per aliquot ſemptimanas diæta congrua corpus ad aquarum curam diſponent: Præcipiunt iidem, ut domum a cura reverſi non ſtatim ad priſtinæ diætæ vitia dilabantur. An ita ſe geſſerint, qui poſt *acidarum* GÖPPINGENSIUM potum domi *febres* excluſerunt, utriusque ſexus potores, excuſſis propriæ conſcientiæ receſſibus ipſi diſpiciant. Plerumque fontem udituri faciunt, quod PONTIFICII in *Bacchanalibus*, qui carnibus ante ad nauſeam farciuntur, quam vivere ſub *carnis privio* cœperint. Ita & hi crateribus ſuis prius egregie valedicunt, ſie lezzen ſich zuvor mit einem guten Rauſch ab / und reiten das Maul rechtſchaffen in die Schwemme / quam iter ingrediuntur, nec tamen ſub ipſo curſu medicationis aliqui ſobrie vivunt; Immo, ſi vixerint, neglecto veri verbio: *Omnia tunc bona ſunt, clauſula quando bona eſt*, ab acidis non diſcedunt,

XXVIII. nisi prius instituto largo symposio valedictorio; id est, uno quasi actu & jactu, illius quod per 3. septimanas in valetudine lucrifecerant, proterviam faciunt, idque solum, per impendia nonnunquam satis larga, lucrantur, ut non ægrotent, si vero ægrotant, pretio damnum & vitæ periculum, si non mortem, sunt mercati: Domum reversi viri ad pateras; mulieres ad lactucas redeunt, id vero tunc pleno spiritu buccinantes: *Bibi* GOEPPINGENSES, *febri correptus sum*! Alsdann hat der ehrliche Göppinger das Leberle gefressen. FRAGOSUS, de quo supra; *delirio melancholico* laborans, fontem accessit medio *Augusti*, absolvit fere medio *septembris*. Matutinæ horæ, potui maxime dicandæ, frigebant, pomeridianæ plus satis calebant. Mentis suæ non compos, nullius imperio parebat, in *maniacum* haut raro *furorem* actus. Opsopœus ibat, redibat, idque vice non una, nunc per aliquot dies bibens, nunc per alios aliquot a potu ferias agens. Fatuam dixissem *aquam* Gœppingensem si hanc intemperiem non ulta fuisset. Et, cur adhuc *febri* laborant? quia, luxuriante nihilominus culina, medicinas non capiunt. Adeat quis illam *aquam*, consulto *Medico*, bene præparatus, prudenter bibens, sobrie vivens, domum reversus exquisitiore per aliquod adhuc tempus, diæta utens; atque, si tunc mox a reditu *febri* corripiatur; fonti secure dicam scribat. In his undecim annis nondum vidi circumspecte bibentes *febricitasse*. Vidi potius cum *febre* ad fontem profectos ibi perfecte liberatos. Exemplo sit Rhabdaulites. Claudo Discursum duobus paradoxis:

Aqua mineralis multis potoribus nocens est salubris;

Et contra:

Aqua mineralis nulli potorum nocens, non est salubris.

Arminius *Febris tertiana.* §. Arminius a *febri tertiana* per *electuarium* d. 14. *Maji*. Ordinatum expeditissime liberatus est.

Alethris. *Febris tertiana continua.* §. Alethris, *puella* 18. annorum jam ante 14. dies post magnum horrorem calere cœpit *febriliter*, calor diu durans denique sudore temperatus est. Altero die mitius quidem semper habet, semper tamen præternaturaliter calet, nec est totalis *apyrexia*. Jam diebus semper alternis *caloris exacerbatio* sine præcedaneo frigore. Anxietas in paroxysmo cum vomituritione, *cephalæa*, siti. *Anorexia* totalis etiam die remissionis. Typus est *tertianæ continuæ*. Vena jam secta fuit sponte *Chirurgi*, neque ego, si *febri* huic ipse suffecisset, vocatus fuissem. Hodie, die scil. exacerbationis, ordinata *mixtura* cochleatim sumenda:

Rec.

Rec: *Aq. borrag. meliss. an. ℥iiß.* XXVIII.
mixt. simpl. ℈ij. ♁. diaphor. CC. philos. an. ʒß.
sir. rub. id. ℥ß. M.

In crastinum diem *emetico catharticum* mane, ex jure calido, pro una dosi, superhausta vi multa juris calentis:
Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. tart. ℈j.*
dacryd. gr. iij. ol. mac. gtt. j. M.
Sitim leniat *acidulis.* (d. 30. *Maji.*)

§. Teloni *uxor* noctem traduxit inquietam, maxime quærens de præcordiorum pressione anxia, indeque orta *dyspnœa* & siti. Color auriginosus intenditur. Abdomen inflatur cum rugitibus. Præter *pulverem & mixturam* heri ordinata, scripta adhuc potio cochleatim sumenda: Teloni *uxor.* *Icterus.*
Rec. *Aq. fragor. borrag. anisi an. ℥ij.*
ess. anod. ℈j. sir. papav. errat. ʒiij. M.
Scrobiculo cordis *litum* calidum sequentem:
Rec. *Ol. lumbric. absinth. an. coct. ʒiij.*
nuc. mosch. expr. ʒß.
ungu. de hyoscyam. ʒiij. M. (d. 29. *Maji*)

§. Linelda paroxysmum *febrilem* hodie sustinuit valde mitem, frigus vix sensibile, vomitus nullus, calor mitissimus; tota Comœdia vix bihorium durans. De *appetitu* saltem *prostrato* querenti ordinatum *tragema*, cujus ter in die tres cultri cuspides sumantur per se, vel post pastum more tragæarum; Linelda. *Febris interm.*
Rec. *Trag. arom off. ℥iij. spec. diacr. M. ℥ß.*
Oc. ♋. ppt. diaphor. ♃. an. ʒj. M. (d. 29. *Maji.*)

§. Arnoldi *pusillus* (26. *Maji.*) nunc toto fere corpore intumescit ad modum *anasarca*; perpetuo ejulat, nil vel alimentosi vel medicamentosi admittit; extrema frigent. Mortem in propinquo esse credo. Arnoldi *filiolus.* *Tumor corporis.*

§. Dioptrici *uxor* post nuperam *uteri hæmorrhagiam* (vid. 16. *April.*) *jure medicato usa, menses suo tempore sine dolore & excessu passa est.* Nunc abitum parat ad *Balneas Zellenses*, quæ in morbis muliebribus debellandis reliquas nostri *Ducatus* anteire creduntur. Rogavit, num simul *acidas* Deinacentes curative bibere liceat? Curative simul bibere & lavari Naturæ nimium esse respondi, cumprimis in subjecto molli, teneriorisque texturæ. Nisi velit in curam ad minimum quinque septima- Dioptrici *uxor.*

XXVIII. nas impendere, curam *acidularum* ad ipsum fontem, usque ad summitatis medium complere, hinc in *Zellenses*, proficisci, sic enim fore, ut balneando ascendens ad summum ventura sit eo tempore, quo quantitas *acidarum* quotidie minuitur. Ob rationes œconomicas tantum temporis non suppetere reposuit. Cum itaque potior *balnearum* quam *acidularum* ratio habenda sit, suasi, ne curative potaret, sed mane ante balneum *aquæ Deinacensis* quartarium hauriret, absolutaque moderata deambulatione labro insideret, idemque faceret pomeridie post quietem a balneo transactum, postea rursum deambulanda.

Cum dixissem *tempore mensium* per biduum a lotura feriandum esse; ipsa respondit: Se ante aliquot annos *Deinacenses* ad fontem bibentem *hæmorrhagia uteri* enormi correptam fuisse, reque nulla juvante semianimem ad ZELLENSES abvectam a primo statim *balneo* sanguinem ad miraculum, & constanter, brevi recepta sanitate, substitisse. Qui *balnearum* effectus est notabilis. Dixi tamen a *statu mensium naturali ad hæmorrhagiam uteri præternaturalem* non valere consequentiam, praxinque toto die docere, quod *aquæ minerales* pleræque cum *suppressos menses* extricent, tum nimios *reprimant*. Expedire tamen, ut BALNEATIO per biduum circiter intermittatur mensium tempore, quum æque mihi compertum sit, eas per dictas *balneas* nunc supprimi, nunc ultra modum cieri.

Cæterum ipsi data instructio illi pæne per omnia similis, quam d. 4. *Maji.* tradideram *uxori* SIDEROLITHI ad balneas Cantstadienses, proficiscenti. (d. 31. *Maji.*)

Sigeroxerus. *Inappetentia.*

§. Sigeroxerus a *purgatione* sua sibi quasi regenitus videbatur, adeo omnis inde e corpore molestia sublata. De appetitu solo revocando sollicito, suasi, ut *elixiris balsamici* guttas 40. mane ex jure *calido* & noctu ex cochleari vini sumeret; primumque *haustum* in prandio & cœna ordinavi *vinum absinthites compositum* jam aliquoties descriptum, & *vinositati* aliisque diætæ vitiis interdixi.

Acropolitani *uxor.*

§. Acropolitani *uxorcula*; 36. circ. annorum, aliquot liberarum mater teneræ texturæ, de lassitudine, *phlogosibus*, artuum tremore, cumprimis genuum, ubi prona in terram inclinatur, *dyspnœa*, *cordis palpitatione*, laborat. *Splenetica* est: aliquoties jam symptomata isthæc sensit, a me semper his & similibus curata: *Secetur mediana dextri* ad ℥v. Mane & pomeridie sumat tres cultri cuspides de *pulvere* per se;

Rec.

Rec, *Spec. diacr. Mynſ.* ℥ß. *conch. ppt.* ʒj.
⊖. ſuccin. vol. ʒß. *elaoſacch. caryoph,* ʒvj. *M.* XXVIII.

Noctu guttas 40. *elixiris* ex cochl. vini:

Rec. *Elix. balſam.*
R. ♂ helleborat. an ʒiij. *M.* (d. 16. *Jun.*)

§. De qua ſæpius jam dictum, NEANDRI ſcil. *Filiola minima, lumbricos lates cucurbitinos* identidem excernente, ſignificandum, habeo, excretiones illas adhucdum ſemper durare, fruſtaque nunc longiora, nunc breviora, nunc breviſſima ex ano prodire. Vegeta cæterum eſt puella & affatim comedens, ſed valde macilenta. *Lumbricorum* hoc genus omnium difficillime expelli cum experientia tum Auctorum ſcripta paſſim confirmant. Ratio mihi videtur in eo verſari, quia inter omnia viventia hæc animalcula quam minime vivunt, ac propterea minus, quam omnia reliqua. organice ſtructa ſenſu vel nullo, vel obtuſiſſimo prædita ſint, e ſubſtantia conflentur viſcoſa, atque adeo vim *anthelminticorum* deterant quaſi, obtundant & eludant. Nil igitur ſupeteſſe putavi, niſi, ut nutrimentum, quo dulci gaudent, corrumpatur, & ſic alteretur, ut inde contabeſcere ac mori cogantur. *Acidis* hoc fieri poſſe credebam & *amaris*. Illa prohibent alia mala puellæ alibi nocitura. Hæc difficulter huic ætatulæ propinatur quidem, propinata vero non nocent. Interdictum fuit omnibus lacticiniis, paſtilibus infermentatis & ſaccharatomellitis, Præbitum *laxans*: Neandri *filiola min.* *Lumbrici lati.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *troch. alhand. gr. iij.*
ſir. de cich. c. rh. fl. perſic. an. ℥ß.
aq. gramin. ʒij. *M.*

Poſtea mane & noctu guttulæ primum 15. hinc ſenſim per unam guttam quotidie, usque ad 25. aſcendendo de *mixtura* ſequenti ex vino, quod amat:

Rec. *Eſſ. abſinth. elix. propr. P. an.* ʒjß:
∾. ⊕. dulc. ʒß. *M.*

Iisdem quoque temporibus abdomen calide ungatur:

Rec. *Ungu. arthan.* ℥j. *athiop. miner.* ʒij.
ol. petr. alb. ʒj. *ſuccin. a.* ℈j.
Zedoar. ℈ß. *lavend. gtt. iij. M.*

§. Quod uxori Boidarii d. 17. *Maji.* promiſeram, hodie ſum exſecutus: *Ulcera* 3. *Colli* puellæ rurſum vidi, multum pus profundunt, labia ſunt prominentia, ſinus abſque dubio multi, conſpectus revera fœdus ac horridus loco *Noribergenſis emplaſtri diachylon ſimplex* impoſuit ma- Boidarii *Filiola.* *Ulcera colli.*

XXVIII. mater, turundas quoque, sed valde exiles, illo emplastro obducens *Pulverem* nuperum sumit, sed *vermis* nullus excernitur. Dixi adhuc semel, immo instantissime monui, ut *Chyrurgi* manum imploraret, se enim tractandis hisce *ulceribus*, quamvis medicamentis utilibus & adæquatis instructam, parem non esse. Sed *Surdæ fabulam*! *Trulli* servum nuper dixisse, Magistrum suum *Chirurgum* per illas 22. hebdomatas, quibus puellam deligavit, nil nisi *emplastrum diachylon* adhibuisse, nec alium quemque aliter facturum esse. Indolui, cumque pertinacissime in ea sententia persisteret, turundas dixi majores faciendas & *unguento Apostolorum* oblinendas; *emplastrum* vero de *lap. calaminari* imponendum. Intus, cum *pulvere* nupero, *radicem symphyti tostam, contusam & cum sacchara mixtam suasi*, item, ut *taleolas symphyti* recentes a cortice nigro mundatas, linteoloque inclusas urceo *cervisiario* pro potu immergeret, non omisso prognostico, rem eo redituram, ut *Chirurgi* adhuc opem, velit, nolit, imploratura sit. (d.28.*Iun.*)

Horridula. §. Horridula (d.16.*Maij.*) vires interim egregie recepit, de sola adhuc artuum lassitudine, *doloreq; epigastrii*, tametsi tolerabili, abigendis sollicita. Me suasore *balneas* CANSTADIENSES accessit. Instructionem dedi per omnia fere cum *Siderolithi uxoris* d. 4. *Maij.* scripta congruentem, eo solo addito, ut post balneum quodlibet, poris adhuc patentioribus spinam dorsi & latera ungeret *linimento*:

Rec. *Vngu. anod.* ℥j. *ol. philosoph.* ʒij. *M.*

Mane vero & noctu sumat, 3. cusp. cultri de *tragemate* per se:

Rec. *Trag. arom. offic. elæosacch. e 4. ol. carmin. an.* ℥iß. *M.*

(d.25. *Iun.*)

Lycaonis *filiolus.* §. Licaonis *filiolum* (24.*Maij.*) post *morbillorum* stadium feliciter absolutum, dimisi, præscripto *pulvisculo purgante*:

Rec. *Gial.n. resin. gr. xij. dacryd. gr. v. M.*

Mazus, *Phthisis.* §. Mazus a 26. *Apr.* usque huc in cursu *phtiseos* ad ἀκμὴν pervenit. Adsociatunt se multis aliis malis *raucedo* perfecta, *diarrhœa, Tumor pedum œdematosus*, tria scil. merita, quæ suos patientes ad mortis candidaturam habiles reddunt. Semper tamen, quod horum similes factitare solent, *medicam* opem implorat. Nescio, cur deploratis tam invitus medicamenta scribam? scribenda tamen sunt.

Rec. *Pulv. liquir.* ʒj. *fl.* ♃. ʒß. *benz.* ℈ß.
rad. irid. fl. ʒß. *sacch. a. in s. q. aq. font. sol.* ℥iij.
F. l. a. rotulæ, superlinendæ ol. anis. gtt. vj.

Fre-

Frequenter una sumatur & sensim in ore liquefiat. Cochleatim vero *mixtura* seq. hauriatur: XXVIII.

Rec. *Aq. scabios. farf. ros. an.* ℥ij.
cinnam. bugl. ℥j. *spec. diair. simpl.* ʒj.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. capill.* ♀. ʒiij. *M.*

Cum *agrypnia* valde molesta sit, omissis *narcotticis* in *phthisi* suspectioribus, ordinavi 3. cochlearia *mixturæ* noctu ante somnum capiendæ:

Rec. *Sir. papav. a.* ℥j. *extr. papav. c.* ℈ß.
aq. papav. rhaad. ℥iß. *M.* (d. 4. *Iun.*)

§. *Uxor* Schoarchi omnia in salvo futura putat, modo dolor abdominis intolerabilis sedatus esset, qui nocte præterita cum impetu magno recruduit. Alvus aperta quidem, sed simul semper fluida; oris amarities, virium languor, sitis, pulsus magnus & celer. Tantas ludere tragœdias potest *suppressus* intempestive & subito *fluxus uterinus*. Schoarchi *uxor*. *Tormina cum tumore*.

Rec. ♁. *nat. ppt. succin. a. ppt. diaph.* ♃*al. an.* ℈j.
ther. Cœl. gr. ij. *F. pulveres n°* ij.

Sumatur hac nocte unus, alter cras mane.

Rec. *Sir. de symphyt. Fern. chamom. an.* ʒvj.
mucilag. sem. cydon. c. aq. chamom. extr. ℥ij.
ess. anod. ℈j. *M.*

Accipiat tribus quibuslibet horis cochl. *iij.* totique abdomini applicetur emplastrum antalgicum ex empl. de melil. p. j. & ungu. de hyosc. p. ß. Bibat emulsionem amygdalarum. (d. 29. *Maij.*)

§. Cnecias, Vir 25. annorum a juventute caussarius & pallidus nuper *febri tertiana*, diu laboravit, a qua, per quæ, nescio, mediola, utcunque liberatus, lanquere non desiit. Donec heri ex rure domum rediens & sudore diffluens nimium & subito perfrigeraretur poris hinc occlusis & transpiratione cohibita frigus summum invadit ægrum, cum æstu statim horrendo & vomitibus. Ad eum vesperi accedens, reperio vere ardentem, cuti tamen arida & sicca pulsus erat valde celer, *lingua* ligni ad instar *sicca*, anxietas circa præcordia *cephalæa*, sitis. *Febrilem accessum* satis vehementem pronuncio, sed cujus typus demum sit expectandus. Sumat pro una dosi *electuarium*: Cnecias.

Rec. *Diascord. Fracast.* ʒj.
☿, *diaph. CC. philos. an.* ℈j. *M.*

Absoluto sudore *emulsionem*, ad 2. 3. cochlearia sæpe hauriendam:

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒj. *papav. alb.* ℥ß.
aq. fl. til. borrag. acetos. an. ℥ij.
F. l. a. Emulsio, add.
ocul. ♋. *ppt. matr. perl. ppt. an.* ʒß.
sir. rub. id. ʒvj. *M.*

Interdixi vino. (29. *Maji.*)

XXIX. XXIX.

QUi mane mediam quarti gradus partem occupaverat, vesperi ad lineam unam dictam partem rursus deseruit, descendendo ad gradus illius lineam primam. *Termometrum* mane quasi hesternum, vesperi quartum exacte gradum emensum est. Dies calida & fere serena usque ad septimam vespertinam; postea tonitrua & imbres.

Cnecias. *Febris maligna.* §. Cnecias, hanc noctem miserrime & inquietissime transegit, continuo deliravit, flavissima frequenter vomuit, alvo quoque aliquoties solutæ excrementa erant liquida instar aquæ tenuia, quæ omnia inscio ægro una cum urina in lectum deponebantur. Ne gutta sudoris protrusa. Hodie mane neminem agnovit flores legit, & alia pessimi moris signa, quæ inter quoque *succussus convulsivi*, edebat: Pulsus erat celer & frequens, subsultus tendinum tangentis digitos feriebat; nil loquebatur, nil poscebat, oblatum tamen potum assumens. Mirum sane fuit post tantillum temporis intervallum *febrim* isthanc malignam ad ἀκμὴν pervenire potuisse, quod raro fit. Denunciato summo vitæ periculo, utrisque brachiis *vesicatoria* affigere jussi. Scripsi *haustum bezoardicum* pro 2. vicibus:

Rec. *Aq. scord. fl. samb. card. bened. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ʒj. ⊖. *CC. vol.* ℈ß.
♁. *diaphor. CC. philos. an.* ʒß.
croc. opt. ℈ß *sir. card. bened.* ℥j. *M.*

Pars una statim, altera quarta post hora sumatur. Viribus reficiendi s cochleatim:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iiij. *conf. alk. c.* ʒj.
sir. fl. tun. ʒiij. *M.*

Pomeridie, cum fere vix quidquam sudasset æger, mens nondum constaret, *vesicæq;* ob perpetuas corporis & artuum jactationes emplastris loco motis excitari non potuerint, repetere jussi *haustum bezoardicum* & addidi *camphoræ* gr. viij. accitoque *Chirurgo emplastra vesicatoria* recentia cum ambobus brachiis, tum utrisque suris applicare curavi. (d. 30. *Maij.*)

A con-

§ A continuato *anthelminticorum* usu *filiolus* Herpyllii heri exclusit *lumbricum* unum satis longum, novo argumento, non omnino vanum esse *vitri veneti* umbilico applicati experimentum (vid. 27. *Maji*) Dixi, plures absque dubio in intestinis hospitari, hinc medicamenta continuanda esse. XXIX. Herpyllii *filiolus*. *Lumbrici*.

§. Schoarchi *uxor* doloris lenimentum sentit. Jussi pergere cum *mixtura mucilaginosa* heri ordinata, & stomacho roborando itemquem propter adhuc durans alvi profluvium gr. j. *ol. nuc. mosch. expr.* cum jure calido liquefactum bis in die assumere, *passulas* autem minores in dimidio vini & aquæ bulliendo tumefactas, in ore mandendas ac iterum exspuendas ad sitim fallendam usurpare. (d. 30. *Maji*) Schoarchi *uxor*.

§. Occurrit mihi clinica mulier, quæ NIPSIANI *servi* (vid. 22. *Maji*.) curam habebat. Interrogavi, qui valeret ille servus? Respondit, ante triduum sustinuisse horrorem magnum cum insequente æstu, sie habe ihm aber den Kinum geholt und in Wein eingeweicht und trincken lassen/ (se præbuisse *corticem peruvianum* vino infusum) & inde statim emansisse *febrim*, nunc autem, cum viribus, appetitum redisse, eique fere cibi satis præberi non posse. Eo devenit cum *china china*, ut etiam netrices & ambubajæ eo mediante *febres* propulsare audeant! Nipsi *servus*.

§. Ichthyboli natu minima *filiola* in palato, lingua, labiis internis, pustulas habet a biduo, tota insuper rauca, ut sonum vix edere possit: Cum inspectionem puella morosa nullatenus admitteret interrogavi, num albæ essent pustulæ? flavas dicebant. Num fetor anhelitus? Negabant. Quamvis autem, hac relatione non obstante, palatum & fauces *aphthis* obsideri suspicarer, ordinavi *mixturam* sequentem cochleatim præbendam, interdicto vino: Ichthyboli *filiola*. *Aphthæ*.

Rec. *Mucilag. sem. cydon. cum aq. endiv. extr.* ℥j.
mell. rosat. sir. viol. an. ℥ß. *M.* (d. 30. *Maji*)

§. Suburrana hactenus alvo constipata per quatriduum fuit, & cum illud sibi neutiquam rarum, sed fere consuetum esse dixisset, *clysma* a me laudatum fuit neglectum, sed post medium noctis scybala maximo cum cruciatu induratissima sphincterem indesinenter exercuerunt. Metuens ergo, ne sub tantis conatibus denuo sanguinis aggeres rumperentur, *clysterem* ipsa flagitavit, qui domesticus tantum applicatus fuit ex *jure carnis cum oleo olivo & pauco sacchara*. Intra quadrantis tempus non sine summo dolore quædam, sed pauca, scybala prodierunt. Infusum postea *butyri cum oleo liquati* nonnihil, parum effecit, tandem, me suasore, *oleum lini solum* injectum, & *potiuncula* OSWALDI intus adhibita, ter- Suburrana. *Hæmorrhagia uteri*.

XXIX. tia sui parte, aliquoties alvum solverunt. Herculeus ille labor patientem adeo fatigavit, ut vix prægressa *hæmorrhagia*; dolor ortus fere inflammatorius in ano *verbasci oleo* fovendo; & lacerans in *epigastrio sinistro*, sensim tamen sopiti. Tanti est, *obstructionibus alvi* non diutius, quam par sit, connivere. Medicisque saniora suadentibus, aurim præbere. Mirum interim fuit; *hæmorrhagiam uteri* per illa conamina denuo non excitatam fuisse. (d. 30. *Maji.*)

Dissoluta. *Melancholia.* §. Medicamenta Dissolutæ d. 21. *Maji* ordinata bene succedunt, quibuscum pergere diligenter jussi, usque ad tempus *acidularum*, curative bibendarum.

Linelda. §. Lineldæ post *febris* emansionem de sola *appetitus prostratione* querenti, præter heri præscriptam *tragæam*, *vinum* adhuc *medicatum e recentibus herbis* in prandio & cœna bibendum, ordinavi qualium descriptiones, sub titulo *absinthitis compositi*, cum aliquas passim jam dederim, illuc Lectorem ablegatum volo. (d. 30. *Maji.*)

Teloni *uxor.* *Icterus.* §. Teloni *uxori* scripta heri *mixtura roborans* cochleatim sumenda conducere visa fuit, cum duo cochlearia assumsisset, quapropter, sola relicta, binis haustibus interjectis paucis minutis, omne vitrum evacuavit, ac tantum inde levaminis sensit, ut regenita sibi quasi videretur. Omnis enim molestia circa præcordia sublata fuit, ipsa viribus robustior, magis, quam antea, appetebat. Reiterata igitur fuit *mixtura*, quam eandem nocte præterita rursum exhausit, nihil omnino inde gravata, nisi, quod ob *essentiam anodynam* esset somnolenta. Color flavus notabiliter quoque minuitur, sic ut hodie multum ab hesterna matuta mutatam repererim. Ea sunt illius *mixturæ* ingredientia, quæ excepta *essentia anodyna*, lautius quoque hausta periculi nihil creare potuerunt, male igitur ægra per accidens non fecit. Quid vero, si viribus pollentiora fuissent remixta? Audax igitur fuit facinus & increpationem meruit. Imposterum cautius mercari, *pulveremq;* & *mixturam* guttatim sumendam continuare jussa fuit. Eam convalituram non dubito. *Mixturas cordiales* (Krafft-Wasser) interdum haustiκῶς quam cochleatim sumere, præstaret. (d. 20. *Maji.*)

Metaboli *uxor.* *Tympanites.* §. Metabolus mihi narravit, uxorem suam olim vera *tympanitide* diu laborasse, & innumera, ut huic mederetur, a *Medico* non uno, sine fructu vel minimo, usurpasse. Denique ab amica doctam accepisse *fuliginem camini*, eamque in *pulverem* comminatam & in *jure calido* solutam ad 3. cuspides cultri aliquoties hausisse, ventrem detumuisse,

eam-

eamque sanitatem successive recuperasse, & per aliquot adhuc annos supervixisse. XXIX.

Si *fuliginis* virtus melius dignosceretur, a *Garamantis & Indis* tanti non coëmeremus medicamenta, DOLÆUS noster ait, *Encycl. med. lib. 1. cap. 10. p. 154.* Est enim fuligo species quædam *extracti volatilis* ligni ejus, a quo procedit, loco menstrui per ignem producti, describente *Boyl. Util. philos. experim. p. 369.* Uti plura curiosa de genesi & usu *fuliginis*, *vid. m. p. 221.* *Fuliginis* cum crudæ tum vario modo præparatæ summum in *epilepsia* usum ostendit STISSERUS *Act. Labor. Chym. specim. III. cap. 8.* circa finem, it. *cap. 11.* per totum, ubi plura de *fuligine* elegantissima, ejusque e *ligno querno* producti nobiliorem usum docet. Porro, tanta est *fuliginis* penetrabilitas, ut per experimenta BORRICHIANA ipsa quoque substantialiter porros vitri, hinc illæsi, in ♌llationibus quibusdam penetret, quo de vid. *obs. 71. Act. Med. Hafn. Vol. I.* Hinc etiam demonstrabili penetrabilitate quod *spiritum fuliginis rectificatissimum*, *aurum quoque fixabile reddidisse*, rara & valde curiosa *observatione* sistat LUDOVICI *obs. 248. Ann. III. Dec. I. Eph. Cur.* Unde liquet CLAUDERUM *nostrum tr. de Balsam. at. corp* non frustra summis encomiis *fuliginem* extulisse, elegantiaque hinc medicamenta parare docuisse.

§. Nolani *uxor* (d. 23. *Maji*) jure medicato d. 10. *Maji* ordinato cum ℞. ♂. *helleborata* hactenus non sine levamine usa, *mensium fluxum* recepit, sed valde lentum & paucum, quem promovendum esse ducens, scripsi *pilulas* ternis vicibus ad nr. xv. ex vino sumendas; alias mihi in segni *mensium fluxu* valde proficuas compertas: Nolani *uxor.* *Menses suppressi.*

Rec. *Extr. Zedoar. castor. an. gr. xviij*
croc. gr. jx. F pil. n. 45.

Non obstante quoque hoc fluxu cum *jure medicato & Tinctura* pergere jussi. (d 4. *Iun.*)

Sigeroxeri privignus 22. annorum ante sex annos aqua fervida crus dextrum, paullo supra *tarsum* partis domesticæ perfudit. Materi vitrico litigioso & violento rem aperire nolens, ipsum suis *litibus* curare sustinuit, nullo cum effectu. Sæpius hactenus *ulcera* solidata fuerunt, sed obducta pellicula tenui levissima quavis occasione rupta, sanie denuo profluente. Nunc autem, cum *ulcera* plura sensim semet accumularint, juvenisque amplius dolorem sufferre non possit, eum mihi conspiciendum præbuerunt. Horridus aspectus, totum crus fuscanigrum, pelle quasi congrumato & corrupto sanguine suffusa, Sigeroxeri *privignus.* *Ulcus antiquum tibiæ*

 quæ

XXIX. quæ procul dubio abſcedere tota debet. Nunciato periculo eam ablegavi ad *Chirurgum* Peliduum, non enim ſanari poſſe malum citra opem *chirurgicam*. Conqueſta quidem fuit de more *Chirurgorum* in protrahendis ſanationibus, ulcerum autem conditione victa conſilium ſe non eſſe neglecturam promiſit, *vid.* quæ ſuo loco de *uxore* Boidarii dicta ſunt.

Machetes *Vertigo.* §. Machetes ab ordinatis d. 16. *Maji* vertiginem non amplius ſentit. *Venaſectio* ab Cœli inclementiam omiſſa. De ſtomachi debilitate querenti commendavi uſum *elect. diacori*, (d. 4. *Jun.*

Nigremmergi *uxor. Hyſterica paſſio.* §. Nigremmergi *uxor* (d. 24. *Maji*) a 22. Maji usque huc unicum ſaltem *hyſtericum* paroxyſmum ſuſtinuit, eumque non adeo vehementem, quales illi, qui præceſſerant. Juſſi cum medicamentis pergere, (d. 14. *Jun.*)

Epargyrius. *Pareſis.* §. Epargyrio nunc in perfectam *Pareſin* prolapſo, *veſicatorium* toti capiti raſo ab *Oniſimo* applicatum eſt. (d. 3. *Jun.*)

Lyciſci *filiolus. convulſionum metus.* §. Lyciſci *Filiolo* ſeptem ſeptimanarum, obſervatis *convulſivorum motuum* prodromis, *contractione ſpasmodica, pavoribus*, flatibus, vomitibus, præcipue lactis materni, ordinata ſequentia:

Rec. *Aq. fl. til. aniſ. an.* ℥jß.

⁓. ⊖. ✱. *aniſ.* ℈j. *elæoſacch. aniſ.* ʒij *M. D: cochleatim.*

Rec. *Pulv. March. Epil. mirab. an.* ʒß. *M.*

D. ter in die cuſp. 1. cultri quovis modo. *Emplaſtrum* theriacale fontanellæ capitis. Farina, unde pultes coquuntur, ſit probe ſicca, (d. 31. *Maji.*)

XXX.

Mercurius una linea cum ſemiſſe ſupra tertium gradum ſurrexerat, veſperi per plusquam integram lineam iterum cadens. Liquor *thermometri* lin. 1. ſubter quartum gradum quieſcens, dictum gradum veſperi exacte aſſecutus eſt. Dies erat mediocris.

Cochonius. *Chamanagra.* §. Cochonius 50. annorum, jam ab aliquot annis plura incommoda ſenſit, *ventris tormina*, languorem, *aſthma*, alvum nunc ſolutiorem, nunc adſtrictiorem, urinam nunc ſuppreſſam, nunc multum profluentem, dolores in dorſo & artubus, *Cephalæam, vertigines*, inappetentiam, ſitim. Nunc maxime affligitur dolore tenſivo mediæ in ventre regionis cum preſſione quadam, a cervice ad humeros, usque ad ſcrobem cordis; languet ad omnes labores: *borborygmi, phlogoſes*, ructus acidi & nidoroſi,

rosi, pruritus totius corporis adsunt. Re penitius inquisita compertum, eum ante quinquennium & ultra multum bibisse de *vino lithargyriato*. Dixi, caussarium ipsum mansurum usque ad mortem, hanc autem sub ordinato, quantum possibile, regimine, & medicationibus intercalatis, diu, si vitæ necisque arbitro visum fuerit, declinari posse. Dedi *purgans*: XXX.

Rec. *Extr. cathol. gr. xiij.*
Magist. gial. scamm. an. gr. vij.
F. pil. n. xviij. pro 1. dosi.

Et, cum de *præcipitatione veneni saturnini* post tantum temporis intervallum desperarem, ad illud per *pachyntica* enervandum, & acrimoniam humorum corrigendam, commendavi jugem & diuturnum usum *pulveris*, primo per mensem bis, inde per alium mensem semel, in die, denique alternis, ternis per totum annum diebus al ʒß per se.

Rec. *Rad. alth.* ℥ß.
Gumm. arab. tragac. fl. 🜍.
terebinth. coct. sem. anis. an. ʒj.
elæosacch. sassafr. ʒvj. *M. F.* ℞.

Interdixi *acidis* & *salsis*, concoctuque difficilibus omnibus.

§. *Uxor* Varioli (d. 23. *Maji*) scripsit, brachium se quidem extendere, sed retrahere versus corpus nondum posse, dolores tamen plurimum esse sopitos, nec *atrophiam* in brachio observari. Eo se solo angi, quod appetitus redire nolit, & *cephalæa* cum *vertigine* interdum urgeant. Ut *pulverem* d. 16. *Maji* ordinatum porro usurpare perget, loco vero illius *mixturæ* tunc etiam præscriptæ, sequenti noctu ad gtt. xxv. ex aqua *lavendulæ* vel *cerasorum nigrorum* uteretur: Varioli *uxor*.

Rec. *Liq. C. C. succin.* ℞. *castor. an.* ʒiß. *M.*

Adeat suo tempore *fontem acidum*. Appetitum sine dubio rediturum, quam primum extra lectum manere posset. Nam corpore perpetuo quiescente minus appeti solere.

§. Grapteris *Filiolus* natu major a medicamentis d. 16. *Maji* ordinatis haut equidem pejus habet, cum cibi non amplius inconcocti per alvum prodeant, & *vomitus* omnino fere cessarint; attamen habitior nondum fit, & adhuc languidus est, cibum nihilominus capiens. Interim tres dentes molares fere simul prodierunt, & unus grandior gingivam terebrare cœpit, unde mali multum arcessendum putaverim. Dixit, mater sibi commendatam fuisse ab amica *pulverem* foliis *hederæ terrestris* cum *sacharo* permixtum, quippe, quo solo, re nulla juvante, puellum eo- Grapteris *Filiolus*.

XXX. dem morbo laborantem, ſalvatum. Dixi, remedium innocens eſſe, adeoque ſine nocumento propinari poſſe. Non autem convaliturum puellum, niſi dentitio aliquandiu ferias egerit.

Suburrana. §. Poſt alvum heri aliquoties ſolutam melius quidem per omnia habet SUBURRANA ſed adeo viribus eſt depauperata, ut extralectum vix per horam manere poſſit. Bonum interim *hæmorrhoides uteri* conſtanter emanere. Pergat cum *pulvere* & reliquis. (d. 31. *Maij.*)

Eleutherus. *Affectio hypochondriaca.* §. Eleutherus d. 2. *Maji* præſcriptas *pilulas* & *mixturam* hactenus quidem, ut ait, diligenter, uſurpavit, ſed ſine effectu notabili, quamvis excrementa prodeant nigerrima, argumento, quod *chalybs* hoſtem ſuum, id eſt, acidam in corpore invenerit & aggreſſus ſit. Ego in diæta errari puto. Queritur de dolore artuum, humeri, brachiorum, non equidem valde exquiſito, ſed tamen plus quam gravativo. Ablegavi eum ad *balneas* CANSTADIENSES, quas ſe aditurum promiſit. More autem *hypochondriacis* conſueto inconſtans eſt, fluctuat, decreta reſcindit, vult, non vult.

Cnecias. *Febris maligna.* §. Cnecias repetitim *hauſtus bezoardici* medium nocte præterita revomuit. *Emplaſt a veſicatoria* ob corporis jactationem denuo loco mota, cutim quidem arroſerunt, ſed veſicis vix notabilibus excitatis. Poſt largum tamen ſudorem mens rediit, & ſymptomata heſternis longe mitiora, remittente quoque alvi profluvio. De dolore ventris & illius intumeſcentia ipſe mihi conqueſtus eſt. Sitis adhuc erat va ida. Conceſſi potum *acid latum.* Ordinati quatuor *pulveres* horarum trium intervallo ex annexo vehiculo ſumendos.

Rec. ♁. *di phor. CC. philoſ.*
☾. *ppt.* ♁. *na*. *ppt. an.* ʒß.
M. F. 4. ℞.
Rec. *Aq. card. bened. ſcord. rub. id. an.* ℥ij.
mixt. ſimpl. ʒß. *ſir. acetoſ citr.* ℥ß. *M.*

Abdomen ungatur calide ter in die, impoſitis poſtea *ſacculis chamom. ſem. lin. & herb. ſalv. ſæpe calefaciendis*:

Rec. *ungu. anod.* ʒvj. *ol. e flor. ſlot.* ʒiij.
Ol ca v. ℞. ℈j. *M.* (d. 31. *Maji.*)

Schoarchi Uxor. *Tympanitis metus.* §. Schoarchi *uxor* utcunque habet, dolores mites, inappetentia ſola valde moleſta. Credit, dummodo cibum aſſumere valeret, ſe convalituram. Ego vero *Tympanitidem* denique ſecuturam metuo. Scripſi interim pulverem per ſe, vel cum jure ter in die ſumendum ad 3. cuſp. cultr.

Rec.

Rec. *Spec. diacret. Mynſ. pulv. ſtomach. Birkm. an.* ʒij. *M.* XXIX.

Cochleatim vero *mixturam:*

Rec. *Aq. chamom. meliſſ. an.* ℥ij. *cinnam. cydon.* ℥j. *eſſ. anod.* ℈ß. *ſir. cydon.* ℥ß. *M.*

Conceſſi bis in die *ſimilam vino Hiſpanico intinctam* ad buccellas binas vel ternas, & cum externis pergere juſſi, (d. 31. *Maji.*)

§. Alethris (d. 28. *Maji*) heri ſufficienter evacuata fuit per utrumque guttur. Nocte præterita bene dormivit, hodie paroxyſmum *febrilem* nullam experta. Pulſus bonus, ipſaque ſatis valens. Nondum tamen de *febri* ſecurus ordinavi *pulverem* ter in die ad 3. cuſp. cultr. per ſe ſumendum: — Alethris. *Febris tertiana.*

Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ℥ß.
diaph. ♂. *Oc.* ♋. *crud. cont. an.* ʒj.
ol. nuc. moſch. expr. gr. vj. elæoſacch. caryoph. ℥vj. *M.*
(d. 31. *Maji.*)

§. Teloni *uxor* bene habet, colorque *ictericus* ſucceſſive evaneſcit. Heri comedit *pultem gelatinoſam e flore lactis cum ovis & ſaccharo paratam*, quem germanice vocant Raumſülßlein/ & frigide refectionis cauſſa editur, inde refecta quidem bis vel ter alvum depoſuit, excrementis conſiſtentiæ pultaceæ & coloris plane *cinerei* exiſtentibus. Cum excretionem hanc euphoria ſequeretur, ſtatim iterum ſponte ceſſavit, & coloratiora nunc prodeant ſcybala, ipſaque hodie extra lectum manere poſſit, ſemper & quaſi in horas vegetior, eam non multum attendi, quamvis a digeſtione debili pulticulæ e Cremore lactis profectam fuiſſe non dubitem, ſicut in *cœliacis* fieri ſolet. Pergat cum reſiduo *pulveris* & *mixturæ* guttatim ſumendæ. (d. 31. *Maji.*) — Teloni uxor. *Icterus.*

§. Linelda ſaltem de magna adhuc & matutina *ſiti* queritur, ſuaſi *grana granatorum ſucculenta* vel per ſe ex ſugenda, vel cum aſperſo *ſaccharo* comedenda. Cum *vino abſinthite compoſ.* in prandio & cœna pergat — Linelda. *ſitis matutina.*

§. Nunc apud IGHTHYBOLI filiolam *ſtomacace cum aphthis* ſe prodiderunt. Elotum igitur os cum *aqua*, cui *ſalvia in cocta*, & *oximelle*; quod hic vulgo, Ochſenmeel/ vocant, conſiliolo non temnendo. Pergendum tamen etiam cenſui cum *mixtura* heri ordinata, Halß-Safft/ & prohibui potum frigidum. — Ichthyboli *filiola.* *Aphthæ.* *Aneuriſma.*

§. Iterum apud me fuit nutrix, de qua 23. *Maji* dictum & oſtendit mihi brachium, ubi quidem *tumor* & *pulſus arteriæ* viſitur, ſicut ante ſeptendium, ſed eo loci, ubi ramus axillaris in ſuperiorem & inferiorem ramum dividitur in flexura ſcil. cubiti nunc aperte videtur expanſus inſtar ovi columbini tumor, verum *anevriſma.* Cum brachium extendit vel

incautius movet, dicit, se sentire doloriferum quid subter clavicula dextra, quod nullibi esse potest, quam circa principium arteriæ mammariæ.

XXXI.

XXXI.

QUi mane quarti gradus medium fere attigerat, vesperi ad primam ejus gradus lineam resedit Mercurius. Liquor autem *thermometri* in quarto gradu constanter. Dies erat nubila, interspersis parcissime solaribus radiis.

Rhogmeriax. *Febris suppressa.*

§. Rhogmeriax 30. annorum, cum ante trimestre *febre tertiana intermittente* laborasset, accepto a quadam muliere sequenti medicamento paroxysmorum erupriones sufflaminavit: *Accepit novem nucleos persicorum, contritis affudit acetum vini, quantum nuclei imbiberent*; *Crama hoc pane secalino friato superstrato obtexit, & per noctem reposuit, mane comedit omne*; medicamentum ter repetivit, semper ante expectatum paroxysmum, emansit. Sed, ab illo tempore semper vitam egit caussariam, pallet, languet, minus appetit. *Suppressam esse dixi*, *non curatam febrim*, &, cum domi manere non posset, ob inevitabilia quædam negotia. jussi mane ex jure calido, noctu ex cochleari vini grt. xxxx. *elixiris balsamici* ad interim sumere, *vinumq; absinthites* compositum in prandio & cœna bibere, donec rebus suis compositis *febriculæ* reliquias aggredi liceret. Quid? si *ecphractica* ac *diuretica* vi hi nuclei operarentur?

Drialbius *Sudamina.*

§. Drialbius ejusdem ætatis a biduo vel triduo sibi papulas rubras in cute surgere observavit, *granis milii* similes, circa vesperam præcipue & per totam noctem intolerabiliter prurientes, mane, quando in publicum prodisset, disparentes. Medici *Sudamina* vocant. Ni SYSIPHI *saxum volvere* gestiret, domi manere jussi, donec per *diaphoresin* excussa omni materia malum constanter emaneret, quod ab ipso ægre impetratum, cum cætera se plane valentem appetentem & vegetum profiteretur. Instanti tamen aurim præbuit. Sumat mane & noctu gtt. xxx. ex an. *ess. fumar.* & R. *bezoard.* ex cochl. vini sudorem expectando. Corpus, ubi maxime prurit, leniter fricetur panno laneo in *oleum dulcium amygdalarum* intincto, (vid. *infra.*)

Thraso. *Colica.*

§. Thraso jam per aliquot dies de languore insolito & inappetentia quærens, post haustum vini frigidum heri noctu coripitur *colica*. Dolor lacerans acerrimus circa umbilicum cum anxietate & sudore frigido:

Rec. *Ol. amygd d. rec. expr. sir. chamom. an.* ℥jß.
ess. anod. ℈j. *M. pro 2. dosibus.*

Una dosis detur statim, altera bihorio post, nisi dolor cessaverit;

Ces-

cessante vero cras mane. Noctu sumantur tres *pilulæ* WILDEGANSIANÆ. XXXI.
Semen lini in lacte coctum inserviat abdomini pro *cataplasmate.* Vitet potum frigidum. (d. 4. *Jun.*)

§. Dioptrici *uxori* (d. 28. *Maji*) *balneas Zellenses* adeunti, præter suo loco notata generalia, id in specie injunxi, ut ne moveretur nimium, ob sanguinem in ebullitionem facile ciendum, unde nova *uteri hemorrhagia* oriri posset. Petenti *tragema*, scripsi tale, sed moderate usurpandum: Dioptrici *uxor.*

Rec. *Spec. diacr. Mynf.* ℥j. *diaplo.* ♃*al.* ʒij.
trag. arom. offic. ℥iij. *M.*

§. Apud SUBURRANAM constans *uterini fluxus* emansio. Flatus exercent & inappetentia. Cum adhuc superesset aliquid de *pulvere* moderate *stegnotico*, ventriculo quoque dicato, eum successive consumere, interdiuque nonnunquam cochleare unum *aquæ cinnamomi cydoniatæ* haurire jussi (d. 1. *Jun.*) Suburrana.

§. Egerticuli *Filiolam variolas* parturientem more meo tractare cœpi: vesperi tamen ob æstum summum & pavores ordinando 2. *pulvisculos* noctu & mane sumendos: Rec. *Unic. ver. lap. bez. occid. mater. perlat. cryftall. ppt. an.* ℈ß. *M. p. 2. dos.* (d. 1. *Jun.*) Egerticuli *filiola. Variolæ.*

§. Cnecias hanc noctem quietius transegit; æstus tamen adhuc magnus, & in pectore gravitas, cum abdominis intumescentia & dolore. Cum alvus adhuc justo fluidior esset, omisso *nitro pulveres* hesterni sic immutati: Cnecias. *Febris maligna.*

Rec. ♁. *diaphor. CC. philos.*
mater. polat. 🜍. *nat. ppt. an.* ʒß. *M. pro 4. dos.*

Adhuc 2. *vesicatoria* excitari jussa, cum *mixtura* & *unguento* pergenda. Hac die multum *tussire* cœpit. Vesperi ordinatum *decoctum pectorale*, ternis in vicibus calide hauriendum. Hic homo mihi *a febri maligna*, nullum amplius; majus vero a dispositione *phthisica* periculum habere videtur. (d. 1. *Jun.*)

§. Crotalomactis *Filiolus* pertinax & refractarius cum *variolis* laborasset, oculorum defensionem in unctione *croci in lacte nutricis soluti* admittere nullatenus voluit; Hinc in *cornea* oculi sinistri pustula exorta, etiam post *variolarum* abscessionem, *ecchymosin*, excitavit, cum dolore inflamatorio, ut puer oculum non aperire vel intueri lumen queat. Ablegavi ad ONISIMUM *ocularium.* Crotalomactis *Filiolus. Variolæ.*

XXXI. Filiola. *Raucedo.* Filiolæ minimæ propter obſeſſum ſine dubio *variolis iſthmum faucium*, indeque ortam raucedinem, cochleatim dare curavi *mixturam*.

Rec *Mucilag. ſem. pſyll. cum aq. acac. extr.* ℥j.
Sir. viol. mell. roſat. an. ℥ß.
Bez. miner. ℈j. *M.*

Tetini *uxor. Nephritis.* §. Tetini *uxor*, ſexagenaria, ſæpe *jam nephriticos* inſultus, quamvis leviores, paſſa eſt. Levamen ſenſit a ſolo *baccarum cynosbati pulvere*. Nunc ab aliquot diebus dolor augetur, femur etiam dextrum occupans, cum vomituritione. Lapillos in renibus eſſe ſuſpicor, præcipue dextro. Bibatur quotidie ter hauſtus calidus *decocti Foreſti*, & hauriatur *oleum amygdalorum* dulcium cum ſir. *de alth. Fern.* & *eſſentia anodyna*, more non ſemel præſcripto a nobis miſceri & propinari ſolitum.

Drialbius. *ſudamina.* §. Apud Drialbium per hodie ordinata ſudamina cum pruritu ſenſim evanuerunt.

Teloni *uxor. Icterus.* §. Teloni *uxor* indies melius habet, *auriginoſo* colore plane diſſipato. Redit appetitus cum viribus. Alvus rite ſuccedit, Pulſus & urina naturales. Conſumat reliquum *pulveris* & *mixturæ* per guttas uſurpandæ. (d. 2. *Jun.*)

Schoarchi *uxor. Menſes ſuppreſſi.* §. Schoarchi *uxor* denuo magnas de *ventris torminibus* querelas nectit. Venter magis intumeſcit. *Rugitus* audiuntur moleſti. Tuſſis urget ſicca, qua excitata dolor ventris intenditur, Occurrebam *tuſſi decocti pectoralis* ternis quotidie calidiuſculis hauſtibus. Dolori abdominis, flatuumque murmuribus *mixtura* cochleatim ſumenda:

Rec. *Aq. chamom. menth. anis. an.* ℥ij. *Zedoar.* ℥ß.
Diaph. ♃ *al.* ʒß *eſſ. anod.* ℈ß.
ſir. papav. err. ℥ß. *M.*

Siti fallendæ rurſum *amygdalarum emulſionem*. Noctu tres *pilulas* WILDEGANSIANAS. Cum *pulvere ſtomachico* nuper ordinato & *unguento anodyno* pergatur. (d. 1. *Jun.*)

Lyciſci *uxor.* §. Lyciſci *uxori* 38. annorum, mulieri iracundæ, laſcivæ, ſanguine *acri*, *ſcorbutico* & fortaſſe *venereo* depurando, *arthritidiq;*, qua jam aliquoties laboravit, præveniendæ ordinatum *electuarium purgans*, & poſtea per 3. ſeptimanas *jus fumar. pimpin. fragar. meliſſ. naſturt.* ▽. *& rad. cichor. ſilv. Medicatum*, quocum ſemper guttæ xxxx. *mixturæ* adſumantur:

Rec. *Eſſ. trifol. fibr. fumar.*
lignor. an. ʒij. *M.*

Filio-

Filiolus a medicamentis d. 29. *Maji* ordinatis quadantenus levatus videtur a clamoribus & doloribus; interim utrique non plane desinunt, pavet, excernit viridia & lac maternum omne semperque evomit, quod examinatum valde aquosum ac tenue compertum est. Jussi puellum quantocyus ablactari, luna quamvis decrescente, cum ejus incrementum ob metuendos *convulsiones* expectari nequiret. Si verum fatear, cur lactentes in decremento lunæ ablactari non debeant, caussam, quæ sufficiat vel stringat, nullam video. Dicunt vulgo, tales infantes tabefieri. Dicunt, non probant. Præsuppositum est falsum. Interim, cum hæc opinio nimium apud vulgus invaluerit, nisi necessitas urgeat, *ablactationes infantum* consultus præcipue junior *Medicus*, luna decrescente nunquam instituat, nisi ab obstetricibus & nasutulis mulierculis ignorans haberi velit. (d. 1. *Iun.*) XXXI.

§. Alethris, cum semel paroxysmus *febrilis* emansisset, heri denuo horruit, æstuavit, paroxysmum perfectum, sudore largo finitum, exantlavit, antea per triduum libera. Nullius externi erroris sibi est conscia. Præscripsi *electuarium febrifugum* jam aliquoties traditum & cum *pulvere* heri mane scripto pergere jussi. (d. 4. *Iun.*) Alethris. *Tertiana intern.*

SOLI DEO GLORIA!





J. N. J.

ETEODROMI MEDICO-PRACTICI LENTILIANI.

MDCCIX.

JUNIUS.

I.

I.



Mercurius mane in prima linea quarti gradus quiescens, vesperi gradum tertium occupavit. Liquor *thermometri* linea una subter, quartum gradum consistens, eundem gradum vesperi attigit. Dies erat calida, sed fere tota nubila.

§. Lycisci *filiolus* hac nocte rursum vehementer vociferatus est, continuis quassatur pavoribus, excernit viridia, lac maternum, sed plane coagulatum, semper revomit. Igitur *ablactatio* sine mora ulteriori instituta. Præter *pulvisculum* & *mixturam* d. 29. *Maji* ordinata, scriptum fuit *balsamum cephalicum* consuetum, & abdomini *ceratum anodymum ex empl. de melil. cum ungu. de hyosc.* etiam aliquoties jam in scenam productum. Renovetur *emplastrum theriacale* fontanellæ imponendum. (d. 2. *Jun.*) Lycisci *Filiolus.* *Tormina.*

§. Apud Cneciam (d. 30. *Maji*) plane nihil amplius *febrile*. *Tussis* interim augetur, cum *dyspnœa*; excernitur pituita flavescens; in ab- Cnecias. *Phtisis.*

I. abdomine adhuc tumor, & in *epigastrio* sinistro dolor. Vereor, ne ab erroribus diætæ, potibus in æstu frigidis, prægressa *febri*, viscera damnum in substantia ceperint, morbusque evadat chronicus & tabificus, si non *hydropicus*. Reiterentur *pulveres* heri ordinati. Capiat interdum quantitatem castaneæ de sequenti *electuario*:

Rec. *Elect. resumt.* ℥ij.
Conf. fl. bellid. symphyt. an. ℥ß.
spec. diatrag. frig. ʒij. ♁ *diaph.* ʒß.
sir. papav. err. q. l. F. elect. med. consist.

Abdomen totum, & latus cumprimis dolens ungatur *linimento* frequenter & calide:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ʒvj. *ol. carv.* ℈j. *M.*

Abdicatis *acidulis*, (quibus ob intemperiem febrilem cessantem adeo non habet opus) bibat *passulatum* Horstii (d. 2. *Iun.*)

Schoarchi *uxor*. §. Schoarchi *uxor* omnium, quæ heri ordinaveram, nihil sumsit. Neque *decoctum pectorale*, neque *mixturam carminativam*, neque *pilulas* WILDEGANSIANAS. Interim per totam noctem abdominis diros cruciatus, redeunte quoque *alvi fœdo profluvio*, perpessa est. Interroganti, cur non obtemperasset? Respondit, omnia *flatibus* pellendis esse dicata, se *flatus* non habere. Unde igitur, dico, ventris rugitus & intumescentia? Respondere non potuit. Indignabundus ergo, quid *Medicum* accersitis, si ejus consilio vivere detrectatis? Et cur, si *flatuum* caussa præscriptis uti neglexistis, per totam noctem dolores in viscera grassari sinitis, re non ad me delata? Stolidissimum genus hominum *flatibus* se exerceri non credit, quia *flatus* non exeunt. Immo, si exirent, O stulti! molestias vobis non crearent, nec propulsione opus haberent. Præterea non solis *flatibus* destinata sunt ista media. *Decoctum pectorale tussi* oppositum, *pilulæ* doloribus, *mixtura* cochleatim præbenda, præter *carminativa*, *stomachica* quoque & *hysterica* continet. Ocyus igitur, si me curæ porro præesse velint, ad usum illorum accingantur. Abdomini *sacculus* sæpe calfaciendus imponatur e *fl. chamom. herb. menth. absinth. bacc. junip. laur. & sem. carv.* Sitim leniat *Decocto hordei* cum *semine anisi & CC usto* (d. 2. *Iun.*)

Egerticulus, *Cardialgia*. §. Egerticulo de *cardialgia* & *ardore ventriculi* querenti ordinatus *pulvis* ad 3. cusp. cultri ter in die per se sumendus:

Rec. *Spec. diacret. Mynf.* ℈iß. *extr. papav.* ℈ß. *M.*

Rec. *vin. granat.* ℔ß. *sir. granat.* ʒij. M.

Capiat interdum 4. vel 5. cochlearia, cumprimis ubi sentitur ille *ardor*. (d. 27. *Iul.*)

§. Sub-

§. Suburrana rursum per totam diem extra lectum manere potest, ad appetitum tamen plene revocandum, & caput roborandum, quasi ad curæ complementum, ordinata sequentia: I. Suburrana. *Hæmorrhagia uteri.*

Rec. *Spec. diacret. Mynf.* ℥j.
diaph. ♃. Cor. r. ppt. ebor. fossil. an. ʒj.
trag. arom. offic. ℥iß. *M.*

Utatur more *tragematis* bis in die, *cucupham* simul sequentem capiti imponendo:

Rec. *fl. stoechad. lavend. lil. conv. an. p.* j.
herb. rut. salv. an. p. ij.
styr. calam. ʒj.
as. dulc. succin. a. rad. *cyper. rot.*
ras. lign. rhod. an. ʒß.
Conc. cont. irror. ol. angel. gtt. vj. *D.*

Eadem dicebat, se *visum* longe, quam ante *hæmorrhagiam*, *debiliorem* experiri, quod contingere solet illis, qui largiores *hæmorrhagias* sunt passi. Recordamur certæ cujusdam *Comitissæ*, quæ post largissimum *narium hæmorrhagiam* non tantum de *visus debilitate*, sed totius quoque capitis gravitate ac memoriæ diminutione conquesta, receptis per *analepsin* spiritibus ad se rediit. Eadem omnia, quamvis mitiore gradu, SUBURRANA sensit, atque ad *visum debilitatum* præcipue laudavit *oculorum lotionem cum essentia balsamica* SCHAURIANA, *aqua fœniculi diluta*, cujus usum salutarem juxta secum alii plures experti fuerint.

Jam per aliquor annos hic & alibi circumfertur illa *balsamica essentia*, sub nomine Schauer-Balsam ab Auctore SCHAUERO, Destillatore *Augustano*, mutuato. Munita sunt vitra IMPERIALIBUS & BAVARICIS insignibus. De virtutibus, uti solet, mira & incredibilia per schedas typis expressas, prædicantur thrasonice & circulatorie, quibus perraro effectus respondet. Non tamen rejiculum existimo medicamentum, sed vix majora, immo ne tanta, præstare credo, quam v. gr. *balsamum vitæ* SCHRÖDERI, vel aliud simile quodvis. Credo simul per encomia prodigiosa detineri credulum vulgus, ut in ejusmodi confidens a legitimo medicamentorum usu arceatur, nec *Medicum* adeat, donec a sperato *balsami* hujus usu desertum, rem suam in pejus ruisse sentit. Optandum, ut IMPERATORES. PRINCIPES, *Magistratus* in erogandis privilegiis, res vitam & salutem hominum concernentibus, parciores essent (d. 5. *Jun.*)

I. Melodidascalus. §. Melodidascalus, (d. 24. *Maji.*) cum in bibendo suo *infuso laxativo*, aliunde, ut supra dictum, petito occupatus esset, intra quatriduum bis in sua domo convivium instituit, & semel extra domum convivatus est, ibique *lactucam* comedit ac portionem anseris fumo conditi. Quid mirum, si, sub tali regimine bibens *infusum*, tormina passus est, motuumque *spasticorum* augmenta, cum capitis gravitate, torpore & *vertigine*? Dedi *pulvisculum*, a quo assumto pacatiora omnia.

Rec. *Specif. cephal. gr. xv. pulv. march.* ℈ß.
ther. cœl. gr. j. M. F. ℥. (d. 3. *Jun.*)

Chortodes. *Hæmoptysis.* §. Chortodes usum medicamentorum d. 25. *April.* ordinatorum proficuum expertus est, & *sanguinem spuere* desiit. Cum tamen adhuc *palpitatione cordis* & spiratu difficili, a motu quoque leviori, afficiatur, vereor, ut constanter valeat. Ut familiariter ac diu usurpet *electuarium ex herb. heder.* ▽. *veron.* & *rad. helen. cum melle paratum*, ac tempore *palpitationis* assumeret 2. cusp. cultr. de *pulvere* tali suasi:

Rec. *Conch. ppt. matr. perl. ppt.* ♁. *nat. ppt. an.* ʒj.
elæosacch. carsoph. ʒij. *M*

Herpylli filiolus min. *Variolæ lymphaticæ.* §. Vidi puellum *Herpyllii* semestrem *variolarum* genere, quas apud nos Wasserdurchschlechten appellant, affectum, cætera præternaturaliter nihil calentem, vegetum, hilarem, appetentem, lusitantem. Medicamentis aliis non opus esse dixi, modo præberent *aquam fumariæ cum sir. papav. erratici* & puellum in hypocausto detinerent.

De *variolarum* hoc genere altum apud plerosque Practicos silentium, cum tamen a reliquis multum differant. Mentio quidem fit apud pauciores *variolarum pituitosarum* & *serosarum*; sed mentio tantum, præterea nihil. Immo circumstantiæ docent, eos de nostris non loqui, sed *variolarum* stricte sic dictarum solas differentias secundum humorum quaternionem docere. Neque descriptio *Mortoni Pyretol. P. II. cap. 6. p.* 93. & *cap. 11. p.* 334. sub nomine *Chiquen-Pox* satis congruit: quamvis enim & hæ vix ultra triduum durent, symptomata tamen eas concomitantia diriora sunt, quam, ut nostris competant. Omnium optime descripsit illas SIDEBRE *tr. de variol. cap. ult. p. m.* 244. nempe, *quod Italis appellentur* RAVAGLIONES, *Gallis* VEROLES VOLANTS, *nonnullis grandines & crystalli*, MERINDOLIO *ichorosæ atque fatuæ variolæ*, DRELINCURTIO *lymphaticæ, &c.* Ibidem describuntur, *quod appareant sub forma vesicularum albarum, extuberantium, aqua limpida turgidarum, & per universum corpus dispersarum, quæ intra triduum dis umpuntur & exsiccantur.* Parvi momenti est hic affectus & fere semper infantes citra *febrim* prehen-

hendit, hinc medicam opem raro flagitat. *Medico* tamen intereſt noſſe, quei differant ab aliis *exanthematibus*. Aliæ ſunt, quas deſcribit SPINDLERUS *obſ.* 87. Eleganter PECHLINUS *obſ.* 42. *Cent. III. variolas* & *mobillos* appellit *morbos tributorios*, a quibus pauci immunes vivunt. NB. *Vid.* Löw *de variol. p.* 25. I.

§. Apud Egerticuli *filiolam variolæ* confertim prodeunt; ſed, cum nullo pravo ſymptomare ſe ab aliis diſtinguant, nihil addo. Egerticuli *Filiolæ.*

§. Euſebius a laxativo d. 27. *Maji* ordinato durius, quam ipſe ſperaverat, habitus, ab eo tempore ſe minus appetere queritur. Commendavi uſum *electuarii diacori* ter in die ad quantitatem *caſtaneæ* degluttiendi. (d. 16. *Jun.*) *Variolæ.* Euſebius, *Inappetentia.*

II.

II.

BIna vaſa in eodem hoc mane, quo heſterno veſpertino, ſtatu reperta, talia quoque uſque ad hodiernam noctem, perennarunt. Antemeridianæ nubilæ interſperſis pluviæ guttis, reliquum diei radiis aliquando ſolaribus micavit.

§. Toparii *uxor.* ad me miſit mulierem, quæ ex illicito congreſſu ante 9. menſes pepererat, una cum infante, ut ſtatum valetudinis utrorumque, lactisque materni conditionem explorarem ante, quam in *nutricem* conduceretur. Nunquam, ut alibi dixi, talium Patronus fui. Interim, quod a me petebatur, recuſandum non erat. Mulier fuit annorum 27. ſtaturæ mediocris, nec obeſa, nec macilenta, morbi ullius veſtigia nulla oſtendens. *Lac* erat guſtu ſuaviſſimum, colore candidiſſimum, conſiſtentia tale, ut *gutta ungui pollicis inſtillata aliquandiu hæreret prius, quam diffl ueret.* Puellus, quem lactabat, pallidus erat, quippe a morbo demum convaleſcens, cetera elegans, mundus & hilaris. Quoad mores, de muliere ignota pronunciare non potui. Proinde ad lactandum eam habilem declaravi, addito eo, ut, quia mulier egena, in hoc *annonæ caritate*, paupere ruſticoque victa uti coacta fuiſſet, aliquot ante ſeptimanas, quam uxor *Toparii* partum expectaret, in ædes reciperetur, aliique & lautiori victui ſenſim aſſveeſceret. Tobarii *uxor.* *Nutricis electio.*

§. Georgandri *Filiolus* 22. ſeptimanarum, a nativitate valetudinarius, heri æſtu inſolito correptus fuit cum *flatibus continuis*, pavoribus frequentiſſimis, flatibus ſonoris, inappetentia, ſiti: Turget abdomen. Dens nullus adeſt, quamvis digitis gingivas ſæpe tangat, & os ſaliva perfluat. *Carnificis nobiliſſima coſta* conſulta de magno pulmone locuta eſt, Georgandri *Filiolus.* *Dentitio.*

II, ſed nihil medicaminis ordinavit. Alvus ordinarie fere ſemper conſtipata & excrementa duriora. Ego *dentitioni cauſſam ſymptomatum* detuli & flatibus. Ordinata *mixtura* cochleatim danda:

Rec. *Aq. chamom. fl. til. aniſ. an.* ℥iß.
epil. L. ℥ß.
~. ⊖. ✱. *aniſ.* ℈j. *eſſ. anod.* ℈ß.
elaoſacch. aniſ. ʒij. *M.*

Ter in die cuſp. 1. cultri de tali *pulviſculo* in ſuperiori vel alio vehiculo detur:

Rec. *Pulv. epil. mir. anticol. Cam. an.* ʒß.
ther. cœl. gr. ij. elaoſacch. aniſ. ʒj. *M.*

Emplaſtrum theriacale fontanellæ. Abdomen mulceatur *unguento de hyoſcyamo.* Quidam ſuaſerant propinam *ſucci ſenecionis expreſſi cum ſaccharo* miſti. Interrogatus dixi, multo uſu comprobatam ad *colicam* infantum *ſpaſmodicam* herbam, mihi non diſplicere; diſplicere ſuccum crudum, debilioribus infantum ſtomachis non æque gratum, *Aquam* igitur *ſtillatitiam*, ſi vellent, infanti loco vehiculi pro aſſumendo pulviſculo præberent. Vulgus ejusmodi *ſuccos expreſſos* neque per ſubſidentiam neque filtrationem depurat, alioqui minore cum incommodo ſumi poſſe ſcribunt.

Ettmüll. Schröd. *dilucid. p.* 97. *ſenecionem* rariſſimi uſus eſſe ſcribit, nec ſe unquam præſcriptam meminiſſe: ideo facultates ipſi a SCHRÖEDERO *in Pharmacop.* attributas in dubium vocat. De ſingulis iſtis *facultatibus* reſpondere non poſſum. Interim in *Ducatu* noſtro planta hæc ad infantum *colicam ſpasmodicam polychreſta* habetur, ſub nomine, Gold-Kraut. B. noſtro Camerario ſen. inferioris SUEVIÆ, *dum viveret*, MEDICO *Principi, cum primis familiaris.* (d. 3. *Jun.*)

Lyciſci *Filiolus. Epilepſia.* In Lyciſci *Filiolo* jam heri veſpertinis horis *convulſiones epilepticæ* ſatis, atroces eruperunt, adhuc hodie, quamvis brevibus paroxyſmis, miſellum quaſſantes. Præbitus *pulviſculus* in his caſibus mihi probatiſſimus:

Rec. ☉. *fulmin. gr. ij. arcan. dupl. gr. iij. M. pro* 1. *doſi.*

Vomuit ſemel & bis alvum depoſuit, excrementis (quod fieri ſolet) fœtidiſſimis excluſis. Emanſerunt inde *convulſiones* ſtatim, & puellus longe vegetior, quam ante, factus, remittentibus quoque clamoribus & pavoribus. Inſigue profecto eſt illud medicamentum, quo multos infantes ex orci veſtibulo revocavi. Exhibita tamen ſimul *aqua roborans* cochleatim, largiore doſi, vice potus ordin.

Rec.

Rec. *Aq. confort. offic. fl. til. ceras. n. an. ℥iij. M.* II.

Pergatur jam cum reliquis omnibus.

Matri hujus infantis, cum pusionem ablactare coacta fuisset, suasum, ut *lac emulctum muribus comedendum* exponeret, sic enim fore, ut mammas dolorifice distendens lac residuum, citius evanesceret. Hoc experimentum in *sympathia* fundatum videtur. Si succedit, de quo tamen dubito, nec me talibus delectari fateor, metus est, ne in mamillis γαλακτοποίησις omnis, etiam in futurum, deleatur. (d. 3. *Jun.*)

§. Teloni *uxori* (d. 31. *Maji.*) in curæ supplementum ordinavi *haustulum* meum *purgantem*, & *jus fragaria, melissa, marrabio albo* (specifico anticterico, vid. DEKK. *exerc. de meth. med.*) *hepatica nobilis, pimpinella* & *radice cichorii medicatum* ad 3. septimanas. Teloni *uxor.*

§. Lineldæ *Filia* 16. annorum, nondum menstruata, pallidiuscula est, laborat *asthmate*, lassitudine, *cordis palpitatione*. Nares a nativitate habet obstructa. Ordinatum *infusum* nostro more parandum & bibendum, insequente potum quemlibet, corporis motu: Lineldæ *Filia. Chlorosis.*

Rec. *Rad. filic. ap. rub. tinct. an. ℨij.*
Herb. meliss. puleg. an. mß.
fl. calend. cheir. an. p. ij.
fol. senn. s. s. limat. ♂. fin. an. ℥j.
rad. polypod. qu. ℨv. mechoac. a. agar. troch. an. ℨij.
passul. min. ℥iß. ⊖. tart. ℨiij.
Cinam. ac. sem. anis. an. ℥j. croc. ℈j. Conc. cont. D.

§. Cnecias hodie mediocriter valet. Per totam noctem dormivit. Abdomen adhuc turgidulum, quamvis molle, dolor in sinistro *epigastrio* tolerabilis. *Tussis* adhuc vehemens, cum *asthmate*, & excretione pituitæ crassæ, viridis, in aqua partim subsidentis. Pergere jussi cum ultimo ordinatis. (d. 3. *Jun.*) Cnecias. *Febris continua.*

§. Schoarchi *uxor*, cum hodie tolerabilius habeat, monita, ut in usu medicamentorum adhuc præsentium continuo maneret. (d. 3. *Jun.*) Schoarchi *uxor.*

III. III.

EAdem, quæ heri, vasa. Dimidium noctis præteritæ, hujusque diei pluvia maduit, pomeridie cœlum fuit serenum.

§. Nisseti *Pædodulis* (12. *Maji*) horripilationibus & æstu interpolatis, cum oscitatione, lassitudine, clavo hysterico, dolore stomachi, &c. correpta, petit auxilium. Dedi *aquam hystericam* cochleatim sumendam. Nisseti *pædodulis. Hysterica.*

Rec. *Aq. menth. ℥iiij. matriar. hirund. c. castor. an. ℥j.*
elix. uter. Cr. ℨj. sir. cydon. ℥ß. M.

Noctu

III. Noctu sumat 7. *pilulas* pro 1. dosi:

Rec. *Extr. bezoard. gr. iij. papav. c. castor. an. gr. ij.*

M. F. 7. pil. (d. 13. *Iun.*)

Aresteris *Filiola. min. variola.*

§. Aresteris *Filiola* minimæ 4. annorum *variolosa*, præter ea, quæ his ordinare soleo, ob *dysuriam* simul præsentem scripsi *mixturam* cochleatim dandam;

Rec. *Aq. fœnic. fragor. an. ℥ij.*

oc. ♋. crud. cont. ℈j. sir. fragor. ℥ß. M. (d. 8. *Iun.*)

Stoarchi *uxor.*

§. Schoarchi *uxori* summos ventris tumidi dolores denuo passæ; prærer nupera, *clysterem* ordinavi ex *Crem. hordei cum oleo lini, terebinthina in vitello ovi soluta, melle, butyro & sale.* (d. 4. *Iun.*)

Technastes. *Asthma.*

§. Technastes, (d. 27. *Maji*) cum *infusum* d. 13. *Maji* ordinatum abrumpere coactus, denuo, quod supra dictum, bibere cœpisset, denuo quoque a SERENISSIMO DUCE in *fontes* DEINACENSES vocatus est, cum vix per biduum bibisset. Utrum id turo fieri possit, ex me quærenti, negative respondi; & ipsum propterea testimonio munivi, hujus circiter tenoris: *Cum* TECHNASTES *nuper post triduanam vini medicati purgantis potionem, ob alia quædam negotia proficisci, & per octiduum alibi morari coactus fuisset, domum ante quatriduum rediens me consuluit. annon* INFUSUM *dictum repetere liceret, cui quum annuerem ipseq; ante triduum denuo bibere cœpisset, eum alio rursum vocari audio. Cum vero cursus ille medicatus jam semel interruptus fuerit, affectus autem hujus viri asthmaticus medicationem seriam & continuatum sibi postulet, absq; sanitatis magno detrimento curam iterato præpediri non posse, testor.* Igitur hic mansit, cui post absolutum *infusum*, quotidie 5. vel 6. sedes cum euphoria & *asthmatis* decremento movens, commendavi usum *pulveris* & *mixturæ* guttatim sumendæ:

Rec. *Rad. helen. ar. ppt. irid. flor. an. ʒj.*

asell. ppt. ℈iiij. sem. nasturt. ℈ij.

croc. opt. ℈j. elæosacch. anis. ʒvj. M.

Sumat mane & pomeridie cusp. 3. cultri per se. Noctu vero cubitum iturus gtt. xxx. *mixturæ* ex cochleari vini:

Rec. ⊖. *vol. oleos. ʒij.* ℞. *croc. ʒß. M.*

Namaplusius.

§. Namaplusio ante usum *acidularum*, ordinavi *haustum laxativum*, octies leniter & cum euphoria moventem;

Rec. *Aq. laxat. vienn. ℥iij. cinnam. ʒß.*

conf. alk. c. ʒj. sir. de cich. c. rh. ℥j. M.

§. Epar-

§. Epargyrii capiti applicatum d. 29. *Maji vesicatorium* statim iterum fuit exsiccatum, ob negligentem sine dubio curam. Nunc *asthma* sonorum cum impotentia pituitam viscidam excernendi, ob virium debilitatem, miserum vexat, nec appetitus adeo viget, sicut præteritis diebus, viresque magis indies fatiscunt. Mihi videtur res esse periculosa, nec solam *paresin* adesse, sed insuper aliquid *cachectici*. *Facultas* enim *vitalis* (liceat nunc ita scribere) non tam præcipiti nisu labascit in mere *pareticis*. Laudavi *decoctum pectorale* ternis in die haustibus calide bibendum, jussique ut per cochlearia *mixturam* præberent: III. Epargyrius. *Paresis.*

Rec. *Aq. veron hyssop. an.* ℥iij.
-⊖✱. anis R. *croc. an.* ℈j.
-. cochlear. ℈j. *conf. alk. c.* ʒj.
sir. papav. err ℥ß. *M.*

§. Hipparius (23. *Maji*) sorte *phthisicorum* confirmatorum sine dubio potietur, id est, morietur. Vires indies minuuntur, *tussis* & *asthma* augentur. Alvus laxior *diarrhœam* imminere prodit. Appetitus fere nullus, auctior autem sitis. Nunc quoque, qui nondum aderant, sudores nocturni. Pronitas ad iracundiam nil quoque boni prænunciat. Mentem meam uxori aperui: ægro vero præscripsi *mixturam* mane & noctu cum *aq. acac.* ad gutt. xxv. sumendam: Hipparius. *Phtisis.*

Rec. *-⊖✱. anis* ʒj. R. *croc.* ℈j. *M.*

Capiat quantitatem castaneæ nucis de tali *electuario* ter in die:

Rec. *Elect. resumt.* ℥ij.
conf. fl. papav. rosar. an. ℥ß.
spec. diatrag fr. antihect. Pot. an. ʒj.
sir. violar. jujub. an. ℥ß. *M.* (d. 14. *Jun.*)

§. Elæopola quidam, *Tirolensis Erro*, ex eorum numero, qui merces suas ostiatim clamoribus magnis venundare solent, me accessit, venundandique licentiam oravit. Non dedi. Compertum, ubi *Medicos* adeunt, afferre merculas bonas, in quibus desiderare nil possis, afferre quoque non prohibitas. Licentiam autem nacti, ubi diversorium suum ingressi sunt, intercalare non tantum vitiosas & obsoletas, sed vetitas etiam & magicis artibus destinatas. Nam, ante annum vel circiter oblati, qui *amuleta magica*, *pollices furum* suspensorum, aliaque valde suspecta, impenetrabilitati armorum dicata, vendere non verecundarentur. Tales igitur non admittere tutius est; *balsamum* enim *sulphuris*, *olea carvi*, *juniperi*, *succini*, *petræ*, & ejuscemodi plura ex *officinis pharmaceuticis* petere multas ob rationes præstat. Ejusmodi *hirudines* incautos

III. tos emungunt pecunia, parum solliciti de mercium suarum frequenter periculosis effectibus.

Georgandri *Filiolus* §. Georgandri *filiolus* aliquanto melius habet. Hodie mihi relatum, matrem in *balneo publico* lotam, simul ac domum venisset, infanti præbuisse mammam. Balnea humores attenuant & excalfaciunt. Præstiterat cum lactatione tantisper expectare, donec corpus a *balneo* deferbuisset. (d. 4. *Iun.*)

Lycisci *Filiolus.* *Epilepsia.* §. Lycisci *Filiolus* inde a sumtione *fulminantis auri* non amplius convulsus fuit, atque melior indies evadit. Nunc *pulvisculum* primo scriptum una cum *mixtura* præbere pergunt. (d. 4. *Iun.*)

Cnecias. §. Cnecias in eodem statu persistens ultima medicamenta continuat. (d. 4. *Iun.*)

Mactarchi *uxor.* *Maculæ hepaticæ.* §. Mactarchi *uxor maculis hepaticis* prægrandibus totam cutim excepta facie, pingitur fere singulis mensibus vernis & æstivis. Interna non assumit, præter *acidulas*, quas per singulos fere annos bibere consuevit. TERDENI *Chirurgus*, suasit affrictum *succi chelidoniæ majoris*, quem sibi compertissimum in talibus prædicabat. Sed recte respondit mulier: *sibi non deesse externa, quibus illos maculos abigere posset, per ea vero caussam non tolli, & malum semper repullulare.* Quum igitur interna respuat, maculas illas patiatur, necesse est.

Melodidascalus. *Venæsectio.* §. Melodidascalus (d. 1. *Iun.*) hodie ad præscriptum ultimi *Medici venam* in pede *incidi* passus est. Quod cum in brachio uxoris eodem tempore factum esset, accidit, ut pomeridie superficies sanguinis aliqua sui parte eleganter rutilesceret, alibi latis & largis nævis nigresceret. Serum autem jam decantaveram. Caussam igitur illius diversitatis rogatus, respondi, serum incubuisse superficiei sanguinis magis nigræ; hinc eam nigredinem procedere ab aëre per serum incumbens excluso; eamque solam esse caussam, cur sanguis in fundo vasculi semper nigrescat, rubedinem suam, si aëri denuo exponatur, recepturus. vid. BAIL. *Probl.* 5. & *Transact. philos. Anglic.* 1667. *p. m.* 153. Quæ hactenus a multis Auctoribus de *judicio sanguinis e vena secta* scripta sunt, animum lectoris curiosi & ingeniosi revera non satiant; Omnium autem minime ridiculæ regulæ *Calendariis* apprimi solitæ. Videat tamen, qui volet, *Dissert.* JESSENII A JESSEN. *cum. not.* BRUNONIS, & MURALT. *Hippoc. Helvet. p.* 160. Balneatores certe ista *Calendariorum* oracula memoriter tenent, *Medicisq;* cumprimis absentibus per ea tanquam ex tripode de *venam secantium constitutione* perorant, nec raro timitioribus & nimium credulis vanissimos de morbis imminentibus metus incutiunt. Porro videatur BOHN, *Circ. physiol. propym.*

13.

13. p. 189. & *Disp.* elegans Camerarii *de sanguinis colore e venasecta missi florido. habit. Tub. 1700.* (d. 11. *Iun.*) III.

§. Namaplusii *Filius* a medicamentis d. 21. Maji ordinatis, levaminis sane quam multum percepit, *paroxysmo asthmatico vertiginoso & cephalalgico* hactenus non nisi semel, & levius quidem, affligente. Pergit in usu & *acidas* postea est aditurus. (d. 24. *Jun.*) Namaplusii *Filius.* *Hypochondriacus.*

§. De Liebevio *fluxu cœliaco* laborante nos aliquoties, præsertim 7. *Ian.* scripsisse *Lector* recordabitur. De hoc sequentia mihi nunciantur: LIEBEVIUS *decoctum bromium* absolvit. Caput inde levius, & appetitum meliorem, vimque ejus diureticum expertus est, sed *cœliacam* adhuc patitur cum languore & contabescentia. D. SERPILLUS & alii *Medici* suaserunt *thermas ferinas* Würtembergicas, quas cum, occasione sic ferente, absque magnis impensis, adire liceat, sententiam tuam exquirit. Durante potu *decocti bromii* bene comedit, & dormire quoque potuit; nunc ubi cessat, in pristina sensim relabitur. D. Præfectarius laudavit *infusum millefolii theiforme & suffimentum e muribus marinis.* Liebevius *Cœliaca.*

Respondi, *decoctum bromium* a multis per aliquot integro menses, sine ulla noxa, immo multo cum fructu bibi, atque sic esse comparatum, ut naturæ vim nullam inferre possit: me igitur suasore aliquandiu continuandum esse. *Thermas ferinas* quod attinet, cum *cachectici* nonnihil subesse videatur, earum usum esse dubium, tentari tamen posse, si quidem & aëris & diætæ mutatio nonnunquam his malis medicari visa sint. Me quoque *internum ferinarum usum* non plane improbare, periculum itaque fieri posse, quid ferre valeat, quid recuset, Natura, negotiumque prudenter dirigendum.

IV.

IV.

BIna vitra eadem, quæ heri. Circa mediam noctem tonitru magnum. Vesperi Mercurius in medio quarti gradus; *thermometrum*, ut semper. Dies erat maximam partem nubila & ventosa, nulla tamen pluvia.

§. Thraso *colicos dolores* a medicamentis d. 31. *Maji* ordinatis brevi sopitos quidem sensit, interim de inappetentia & magno languore queritur, sic ut vix in publicum prodire & opificio suo præesse queat. Ordinavi *pulverem stomachico-visceralem*, mane & pomeridie ad cusp. 3. cultr. per se accipiendum: Thraso. *Colica.*

IV. Rec. *Spec. diacr. Mynſ. pulv. ſtomach. Birkm. an.* ℥ß.
ol. nuc. moſch. expr. gr. vj.
elæoſacch. caryoph. ʒvj. *M.*

Noctu autem *elixiris balſamici gtt. xxxx.* ex *cochleari vini.*

Georgandri *Filiolus.* §. Qui melius heri mane valebat Georgandri *Filiolus*, eadem veſpera denuo vehementius, quam unquam, ægrotavit, ſic ut animam exhalaturum crederent. Pomeridie tamen noctis ad ſe parum rediit. *Convulſiones* quidem in nervum non eruperunt, pavores tamen continui & reſpiratio ſonora *catarrhi ſuffocativi* metum incutiebunt:

Rec. *Liq. CC. ſuccin.* ♁⊖✱. *anis an.* ʒß. *M.*

Dentur bis in die guttulæ vj. cum *mixtura* nuper ordinata, ſic alternando cum pulvere, ut utraque medicamenta binis in die vicibus adhibeantur. *Balſamum cephalicum* conſuetum ſimul uſurpetur, non neglecto *emplaſtro theriacali.* (d. 14. *Jun.*)

Cnecias. §. Cnecias de re nulla magis, quam lateris ſiniſtri circa regionem lienis dolore, ac ſpiratu difficili cum *agrypnia* queritur. *Tuſſis* & *exſcreatio* viſcida adhuc vigent. Eum eſſe *phthiſicum*, nil amplius quidquam dubito. *Electuario* nuper ordinato addere juſſi *extr. papav. c.* ℈ß. *Mixtura* ſeq. gtt. xxv. bis in die ex *paſſulato* ſumantur:

Rec. ♁⊖✱. *anis.* ʒj. ℞. *croc.* ʒß.
eſſ. anod. ℈ß. *M.*

Lateri dolenti imponatur *emplaſtrum*, ſingulis duodecim horis repetendum:

Rec. *Empl. diaphor. M. de melil. an.* ℥ß.
malax. c. ol. philoſ.

Vinum appetit, quod ipſum, ſed lymphatum, moderatiſſime conceſſi, cum *calor præternaturalis* non amplius adſit, neque æger admodum ſitiat. Nonnunquam aliquid appetitui indulgendum. (d. 5. *Jun.*)

Nolani *uxor.* *Menſes difficiles.* §. Nolani *uxor*, quamvis *pilulas ſtimulantes* d. 29. *Maji.* Præſcripto modo aſſumſiſſet, menſes tamen non multo largius, quam antea, fluxerunt, cætera *nigri* & quaſi ſanguis diu congrumatus fuiſſet. *Ius medicatum* bibere perrexit hucusque; interim *fluor albus* non deſinit, neque languor & *ſplenetica δυσαρεςία.* Ut *hyſterico-ſpleneticis* ſymptomatis & *fluori albo* ſimul occurrerem, datus *pulvis* ad 4. cuſp. cultri mane & pomeridie, vel per ſe, vel cum *aqua roriſmarini* ſumendus, inſequente ſemper motu:

Rec.

Rec. *Limat. chalyb. instar. alcohol. trita* ℥j. IV.
pulv. lign. sassafr. ℈iiij. *diaph.* ♂. ʒj.
coral. a. ppt. spod. ex ebor. an. ʒß.
croc. opt. ℈j. *balsamosacch. de Copaib.* ℥j. *M.*

Noctu autem ante somnum capiat *cochl. v. aqua helaocathartica*, & postquam his per mensem est usa, adeat nostras *thermas ferinas*, simul potando *fontem* DEINACENSEM, vel dictas *thermales* aquas. (d. 13. *Iun.*)

§. Machettes (d. 29. *Maji*) per ordinata d. 16. *Maji*, sic a *vertigine* aliisque suis malis convaluerat, ut functioni suæ rursum accingeretur. Sed ante triduum *caseo* nimium indulgens, incidit in *cardialgiam*, hinc *dolorem capitis* atrocissimum, ut *visum* fere amitteret, ac animo aliquoties linqueretur. *Tremores* artuum fausti nihil præsagiebant, tensio molesta in cervice, loquelæ difficultas, subsultus tendinum, *convulsiones* imminere notabant. Cum hodie demum vocatus essem, statim *vesicatoria* duo utrisque brachiis applicare jussi. *Mixtura* nuper ordinata repetebatur. Ex *aqua lavendula* ter in die 🜍 *nervin. gtt.* 50. mandabantur: Vertex, tempora, nucha *balsamo spasmodico* ungebantur:

Machetes *Cardialgia.*

Rec. *Ol. N. M. expr.* ʒß. *succin. rut. an.* ℈. ℈ß.
Axung. castor. ver. ℈j. *M.*

Metuo, ne hic vir aliquando ex improviso vel *apoplecticus*, vel *epilepticus*, moriatur. (d. 5. *Iun.*)

§. Mazus medicamenta d. 28. *Maji* ordinata diligenter usurpavit, sed adeo sine fructu, ut ne verbum clarum amplius profari queat, indesinenter tussiat, vehementissime sitiat. Pedes utrique, dexter autem præcipue, ad nitorem usque (Glanz) tument, prementium vestigiis relictis. Ob *sitim immanem* bibit *julebum e fontana cum sir. rubi idæi*, a quo lubricitatem alvi, jam satis molestam, auctum iri credo. *Sudores* adsunt *perpetui*, illique interdum *frigidi*. Præter *analeptica* nil ordinavi. Candidatus est mortis. (d. 12. *Iun.*)

Mazus *Phtisis.*

§. Lycisci *Filiolus* indies vires magis recipit. Pergant cum *pulvere* & *mixtura*. (d. 8. *Iun.*)

Lycisci *Filiolus.*

§. Sehoarchi *uxor*, ægra tædiosissima, *clysterem* nondum admisit; sed motu proprio heri vesperi & hodie mane, ut ventris dolorem compesceret, hausit *olei olivarum* ℥iiij. Acriter, præter morem, ipsam increpavi, quod ad *Medici* præcepta tam esset surda, & tamen de fiducia multum prædicaret. Me *olivum* non rejicere, sed id solum monere, quod *hæc unguinosa stomachum adhuc magis laxatura, appetitum penitus* deje-

Schoarchi *uxor.*

IV. *dejectura profluvium alvi* revocatura sint. Salvam se quidem fieri, sed ex præscripto non vivere velle. Meum non esse, patientes hujus farinæ visitare; faceret, quod vellem, aut me domi relinqueret; atque sic stomachosus discessi. Potavit quoque *vinum rubrum*, & excusavit neglectum *clysteris*, quia fine applicandi vocata *obstetrix*, dixisset, eum nihil profaturum. Ergo, inquam, fides major *obstetrici*, quam *Medico* habetur? Sed ita comparatum est stolidum vulgus, ut quibuslibet nasutis magis, quam *Medico* auscultent. Hæc mulier vix evasura videtur. (d. 5. *Jun.*)

Methris. *Febris tertiana.*

§. Methris *febrim* heri non habuit. Spes est, *electuarium febrifugum*, quod equidem solet, munus suum egregie obiturum, quocum diligenter, emanente quoque *febri*, continuare, nec propterea *pulverem stomachicum* negligere jussi.

V.

V.

MErcurius mane paullo supra medietatem quarti gradus, vesperi subsedit ad primam ejus lineam. Liquor *thermometri* lin. 1. subter quartam gradum constitutus, eum vesperi præcise attigit. Dies erat serena & calidior quam e præcedentibus nulla. Quod tamen vesperi Mercurius iterum subsederit, calor & serenitas non diu duraturi videntur.

Meleager. *Affectio hypochondriaca.*

§. Meleager 60. annorum conqueritur de *pressione circa præcordia* cum auxietate & subsequente acri *dolore capitis*, profluente simul, ubi hoc symptomate affligitur, multa & *aquosa tenui urina*, cum morositate subtristi. Cum bene simul appetat, pressioque ista pastum æque ac jejunum impetat, *borborygmis* insuper ac dolore *epigastrii* utriusque vexetur, *hypochondriacæ affectioni* hæc symptomata accepta ferenda judicans, ordinavi *electuarium laxativum*: hinc *pulverem*, cujus mane & pomeridie cusp. 3. cultri per se capiat insequente haustu *thée*, & motu corporis:

Rec. *Alcohol. chalyb.* ℥j. ⊖. *absinth.* ʒj.
diaph. ♂. *pulv. lign. sassafr. cort. aur. an.* ℈iiij.
balsamosacch. peruv. ʒvj. *M.*

Noctu ante somnum sumantur gtt. 50. *mixturæ* ex cochleari vini, ac utrorumque medicaminum usus sit menstruus:

Rec. T. ♂. *helleb.* ℥ß. *ess. carminat.* ʒij. *M.*

Dicta sit congrua. Pritat, si potest, *acidulos.* (d. 11. *Jun.*)

Xeraulites Filiolus. *Febris quotidiana.*

§. Xeraulites, de quo 6. 8. & 10. *Maji*, a *febre continua* liberatus est, & nunc me consulit de *filiolo* 10. annorum *febri quotidiana* laborante cum

cum continuis omnium assumtorum vomitibus. Puer valde contabuit, assumtosque cibos plane immutatos, etiam post paroxismum revomit, cumque vires sunt valde dejectæ, sollicitus sum de ejus convalescentia. *Vomentibus medicamenta in dosi auctiore scribenda non sunt*. Optimæ sunt *pilularum* & *guttularum* formulæ: ultimam seligens, ordinavi gtt. 20. ter in die de *mixtura* ex cochleari *emulsionis amygdalinæ sumenda*: V.

Rec. *Ess. chin.* ℥j. *anod.* ℈j. *M.*

Scrobiculo cordis *cataplasma* consuetum e *fermento cum theriaca & nuce moschata*. Imperavi quietem, potu nimio interdixi, sorbillando tantum *emulsionem amygdalinam* assumere docui; *& oleum nucis moschatæ expressum* ad gr. j. in jure calido bis in die exhiberi volui.

Cum *vomitus* hic symptoma sit *febris quotidianæ*, respectus ad hanc, ceu caussam, omnium primo habendus, alioqui vomitui frustra medicationes opponuntur. (d. 21. *Jun.*)

§. Suburrana (d. 1. *Iun.*) de reliquo satis vegeta, de dolore lateris sinistri pungitivo unice queritur, & metuit, ne forte in nupero per alvum excernendi conatu *rupturam* passa sit? Cum nihil protuberet, neque reliqua consentiant, ego potius de quadam *defluxione* vel decubitu seri stagnantis pronunciavi, eique fini commendavi sudorem e gtt. xxx. ℞. *bezoard*, si videatur opus, etiam repetendum. Pars affecta ter in die fricetur linteo calide *pulvere fumali Haugiano* imbuto, postea ungatur *linimento*: Suburrana.

Rec. *Ol. lumbric.* ♆. *camphor. an.* ℥j.
ess. anod. ʒj. *M.*

§. Machetes a vesicis insignibus excitatis, aliisque medicamentis adhibitis per omnia melius habet. *Dolor capitis* cum *vertigine* & *tremore* evanuerunt; sola adhuc *appetitus dejectio* & virium debilitas adsunt. Jussi vesicas per aliquot dies apertas servare, & cum medicamentis diligenter pergere. (d. 3. *Iun.*) Machetes *Vertigo.*

§. Schoarchi *uxor* neque heri *clysterem* sibi applicari curavit, obstetricem haberi non posse caussata, quasi non dentur aliæ mulieres, artem tantam callentes! Habeat igitur sibi, si quid mali in ejus caput inde redundet. (d. 6. *Iun.*) Schoarchi *uxor.*

§. Cnecias ab *emplastro* levamen egregium sentit; appetitus crescit, extra lectum tamen manere nondum potest. Potiora symptomata *tussis* & *asthma*. Cum *antiphthisicis* insistendum. (d. 6. *Iun.*) Cnecias.

Can-

V. Bromographia uxor. §. Cantstadium cœlo sereno pedester profectus, ut aliquod istis balneis utentes visitarem, in via lexi schediasma D. FRANCI, *Medici* ULMENSIS, Amici & olim in *Atheneo* SALANO commilitonis nostri, quod inscripsit LOWERI *Bromographiam*, anno superiore *Ulmæ* editam. Continet descriptionem *Decocti Bromii* a nobis aliquoties allegati. Non est de nihilo, quod de ista *ptisana* prædicatur, quam pluribus optimo cum successo ordinavi, per jocum dicens: Ich müsse ihnen eine Roß-Cur gebrauchen. Locus HIPPOCRATIS *lib. II. de vict. rat.* allegatus ex interpret. Foësii ita sonat: *Avena in cibo &* SORBITIONE *sumta humectat & refrigerat.* Mirum igitur, quod TUVERNIER *Itin. Pers. lib. I. cap. 8.* scribit, nec in PERSIA nec TURCIA dari *avenam*, cum HIPPOCRATIS Patria Côs, hodie LANGO, in ÆGEO mari sita numeretur ad *Asiam.* Nisi forte HIPPOCRATES loquatur de *avena*, ceu frumento exotico, vel illa frumenti species a modernis ASIANIS coli desiit. Quod ultimum est verisimile, cum teste MATTHIOLO in DIOSCORID. *lib. II. c.* 87. GALENUS *lib. I. de alim. facul.* Hoc *semen* in ASIA dicat esse perfrequens, & potissimum in MYSIA, quæ est supra PERGAMUM. DIOSCORIDES *ibid.* in textu ait: *Prodest tussientibus in* SORBITIONE *avenæ succus.* Interim *jufcula avenacea* TABERNÆMONTANO laudantur in *morbis capitis, vertigine, tussi, phthisi, hepatitide, affectibus spleneticis, alvi fluxibus, febribus intermittentibus, nephritide & stranguria.* vid. ZWINGER. *Herbar. de aven.* Apud Veteres autem *Medicos* plura passim vestigia *ptisanarum Bromiarum* reperiuntur; E multis sit ORIBASIUS *synops. lib. IV. cap.* 35. *de sorbitionibus coquendis*, circa finem, ubi sequentia habentur: AVENA *maxime omnium leguminum ad concoquendum est accommodata, & ejus optima est* SORBITIO. *Fit eodem modo, quo* PTISANA, *ut hemina in decem aquæ heminis incoquatur. Sorbitiones hæ moderate nutriunt, abstergunt & detergunt primas vias, simulque in illis acrimoniam humorum mitigant.* (quæ ultima facultas sine dubio palmaria est *decocti Bromii* LOWERIANI) Eædem in *febribus* sunt alimentum effervescentias temperans: In *raucedine, tussi, exulceratione & asperitate faucium* a *catarrhis* seu lymphæ aciditate temperanda conveniunt. Vid. ETTMÜLL. SCHRÖD. *dilucid. Opp. part. II. p.m.* 13. ubi quoque de D. LUTHERI *syrubo anticolico*, ex *decocto crasso avenæ cum sacchar o facto*, ob aliam fortasse rationem non juvante, quam *humorum fibras intestinales convellentium acrimoniam demulcendo.*

Siderolithi uxor. §. Siderolithi *uxor* balneas *Cantstadienses* optatissimo cum exfectu hactenus usurpavit, non nisi biduo restante. Cum autem nudius ter-

tertius cœpisset sentire fluxum, quamvis parcissimum, sanguinis atri & mucosi e naturalibus, an, si post biduum non cessaverit ille fluxus, nihilominus, quod unice desiderabat, domum redire liceret roganti. Negavi, dicens: hunc esse adhuc salutarem *balnearum* effectum, recrementa ista utiliter evacuari, nec opus impediendum, usque dum fluxus sponte cessaverit. V.

§. Horridula tam salutarem dictarum *balnearum* effectum sentit, ut hodie sola, nullo ductore vel ductrice in campum exspatiari potuerit, appetitu simul integro, absque ulla *tussi*, vel *dyspnæa*. Solus *epigastrii* dolor nondum plane remittit, quod tamen ante absolutum cursum lotionum, quoque futurum spero. Horridula.

VI.

VI.

MErcurius vespertinam hesternam stationem retinuit. Liquor *thermometri* lin. 1. subter quartum gradum quievit. Circa meridiem mercurius cecidit, usque ad tertium gradum; circa vesperam tonitru horrendum cum grandinibus frumentum & botres teneros confundentibus. Noctu liquor *theomomeiri* quartum gradum supergressus erat.

§. Tobarii *uxori* d. 21. *Maji* ordinaveram *confectionem* seu *electuarium Dominarum*, quod ob nauseam *mellis* ægre assumit, & rogavit, annon additione farinæ in solidioram consistentiam redigere liceret, sibi enim tunc, ad modum *placentarum mellitarum* NORIBERGENSIUM, esum gratiorem futurum. Consensi. De nutricæ postea d. 2. *Iunii* a me explorata discursum ferentes, in eo convenimus, ob rationes propemodum innumeras, christianas, physicas, politicas, ethicas & œconomicas, tutius, melius ac decentius esse, prolem lacte materno proprio lactare, quod se omni modo optare, sed liberorum jam trium matrem, tam ob defectum lactis, quam pupillarum, admotis catellis, vitris tractoriis, aliisque in & externis medicamentis, misere ex carnificatam, nunquam lactare potuisse, proinde excusari debere. Inter alia querela instituebatur de negligentia, incuria & segnitie *nutricum*, quæ revera *mercenariis* æquiparandæ sunt: *Joh.* 10. quorum oves non sunt propriæ & quibus non est cura de ovibus. Utplurimum tales in aurim utramque noctu stertere solent, atque ut misellis alumnulis imponatur silentium, eorum ora *pestilentissimis turundis* inferiunt, quorum, interdum nimis *saccharatorum*, maleficio lac in eorum ventriculis acescit, coagulatur, flatus, *colicam spasmodicam*, *epilepticas convulsiones* excitat. Ne repetam, quod alibi dictum, nempe a continuo suctu irritatas tuaxillarium musculo- Toparii *uxor.* *Lactatio.*

VI. rum fibras haut raro convelli, *maxillamq;* cum certissimo tenellorum interitu *reddi immobilem*, quin & vexatis gingivis præmaturam *dentitionem* accieri, labiaque deformiter ampliari &c. Narrabam quoque exemplum ancillæ cujusdam, cujus curæ infans ablactatus noctu creditus fuerat. Cum autem puellus primum circa labia, hinc mentum, genas, immo ipsammet nasum fœdissima, nullaque arte sanabili *scabie* serpente conspurcaretur, parentes denique suspicione in ancillam orta, clanculum observarunt, infantem accubasse ancillæ & mamillam illius continuo suxisse, compertum postea ancillam diu jam id facere solitam, ut infantem nuper ablactatum uberibus suis, nullo tamen lacte, quod maritata non esset, turgentibus admovisse, reque explorata visum, ejusdem quoque mamillas dicta scabie affectas fuisse: ancilla remota labia infantis medicationi sedulæ obedientia denique curata sunt.

Cnecias. §. Cneciæ adhuc tussienti, anhelanti, cætera non adeo male habenti, hodie ordinavi *decoctum Bromium*, cum resumtivo nupero electuario; quid DEUS sit dispositurus, videbimus. (d. 9. *Iun.*)

Metabolus. *Vertigo.* §. Metabolo 57. annorum ob *vertiginem idiopathicam*, (id est, talem, qua omnia in circulum rotari videntur, contradistinctum *sympathicæ*, ex infernis partibus adscendenti, alias tenebricosæ dictæ, qua quidem etiam objecta loco moveri videntur, sed non rotatione quadam itemque oculis quasi tenebræ obversari putantur) *dolores capitis* & alia quædam quid *apoplectici* minantia, *fonticulus* in dextro brachio loco competente, per *cathæreticum* applicatus fuit, spatio prius a me inter *musculum deltoidem & bicipitem* atramento signato, quod est propriè *Medici* munus, qui, si *fonticulum* nondum excitari vidit, consideret BARTHOLINI Figuram primam *Anatomes novæ*, ubi designatum in brachio locum sub litera X. inveniet, quem præter propter in brachio vivo, apice digiti tangens, brachium sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum flectendo sentire potest, ubi loci per varias flexuras pulpa digiti non repellitur musculis subjacentibus motis, sed quasi in foveola quieta manet. Locus ita repertus atramento notatur, & sic vel inciditur, vel inuritur, vel imposito *cathæretico* sensim infigitur *fonticulus* (d. 12. *Iun.*)

Noirei ancilla. *Febris tertiana.* §. Noirei *ancilla* se ante annum *febri tertiana* laborasse dicit, satis diuturna, denique curata novem *asellis* vel *mille pedibus* vivis intra linteum conclusis & de collo suspensis. Cum autem ejus modo præludia sentiat, lassitudinem nempe magnam, *inappetentiam* & leviculas horripulationes, se malum purgatione prævenire voluisse & in *pharmacopolio* petisse pharmacum. Recusasse vero, sub excusatione, se sine *Medici* formula tale

nil

nil porrigere. Scripsi *pulverem*, *emeto-catharticum* mihi usitatum. Quæ sanctimonia tam subito incessit illos homines, ut aliquando sacramenti sui tenaces & memores essent? Forte se habebit illa pietas ad instar *Febris ephemeræ*! VI.

§. De Cusani *uxore* passim plurima jam dicta esse B. Lector recordabitur. Hanc visitare desii, quod sanitatem suam *subulco* nostrati credidisset, egoque *Medico* indignum judicassem, adire patientes, & videre, quid efficiant pharmaca subulcorum? Morietur illa, tametsi centum subulcis semet commiserit, *cancro* quippe *uteri* laborans. Cusani *uxor.*

§. *Infantulo* Billöetti trium circiter septimanarum *obstructione narium* tanta laboranti, ut mammam sucturus metum suffocationis incutiat, ordinavi *errhinum* in ejusmodi casibus mihi valde salutare compertum: Bilötti *Infans.* *Nartium obstructio.*

Rec. *Aq. major.* ℥ß. *mann. calabr. pur.* ʒß.
elater. ⊕. *alb. an.* ℈ß. *M.*

Soluta dentur, & intincta plumula nares illa *mixtura* frequenter delibuantur. Foris radici nasi inunctio parata.

Rec. *Ung. pomat.* ʒij. *Ol. major. gt. iij. M.*

§. Eusebius post triduarum circiter sorbitionem *juris* sui *medicati* correptus est *diarrhœa*, quam non statim esse supprimendam judicavi, præcepi tamen ut *lac amygdalinum* biberet a *jure medicato* tantisper abstinendo. Cum autem hac nocte *diarrhœa* non tantum continuasset, sed *tenesmus* quoque vexare inciperet, fluxum esse moderandum ducens, ordinavi *electuarium* ad nucis castaneæ quantitatem frequentius sumendum: Eusebius. *Diarrhœa*

Rec. *Elect. resumt.* ℥j. *conf. ros. r. ant* ℥ß.
miv. cydon. ʒiij. *confect. de hyac.* ʒj.
Cor. r. ppt 🜃 *sigill. an.* ʒß.
pulv. nuc. mosch. ℈j. *sir. cydon. parum. M.*

Additum *elect. resumt.* quod patiens esset macilentus, atque ad *hecticam* a multis annis inclinans. Pergat cum *emulsione amygdalarum.* (d. 9. *Iun.*)

§. Podoses 26. annorum vir, prævio frigusculo passus est vomitus enormes biliosos & pituitosos, cum *cardialgia*, insequente summo æstu ac siti. Caussam conjiciebat in *vinum absinthites* compositum mane avidius haustum. Vires erant valde dejectæ. Dedi tres *pilulas* WILDEGANSIANAS, quas vomitu statim rejecit. Mixtura cochleatim præbeatur: Podoses. *vomitus.*

VI. Rec. *Aq. menth. fol. querc. an. ℥iij.*
Cor. r. ppt. ▽. catech. an. ʒß.
conf. de hyac. ʒj. extr. papav. ℈ß.
sir. cydon. ℥ß. M.

Potui *lac amygdalinum*. Scrobiculo cordis *emplastrum antemeticum* euporiston sæpius jam descriptum: Non affatim bibat, sed sorbillet potius, & quietus, quantum possibile, jaceat. (d. 8. *Iun.*)

Schoarchi *uxor*. *Tympanitico-ascitica.*

§. *Uxori* Schoarchi *clysma* rite applicatum non fuit, brodio ad latera syringæ statim iterum profluente, hinc neque effectus voto respondere potuit. Interim abdominis tumor magis augetur, quam minuitur; dolor, in dextro cumprimis hypochondrio valde sensibilis; *borborygmi*, sitis, *inappetentia*. Auguror aliquid *ascitico-tympanitici*:

Rec. *Spec. diacret.* Mynf. *elæosacch. e. 4. ol. carmin. an. ℥ß. M.*

Sumat mane & pomeridie cusp. 3. cultr. per se; hora vero decima antemeridiana & noctu 20. guttas *mixturæ* ex cochl. *vini*:

Rec. *~☽. dulc. ʒj. ol. 4. carminat. an. gtt. vj.*
Ess. anod. ℈j. M.

Latus dolens ungatur *oleo philosophorum*. (d. 8. *Iun.*)

Phacaulitis *uxor*. *Melancholia hysterica.*

§. Phacaulitis *uxor* 40. annorum, undecim liberorum mater, & frequentius infelix puerpera, jam a longo tempore patitur *interpolatas anxietates* cum mœrore, lassitudo adest, inappetentia, *fluor albus*, *sitis*, *cephalæa*, alvus constipata, dolores in regione lumbari, nonnunquam *dysuria* & *ardor* in mejendo. Scopus directus ad *melancholiam hystericam* & *fluorem album*. Datum *purgans electuarium*:

Rec. *Pulv. Cornach. ℈ij*
pulp. cass. elect. cathol. an. ʒiij. M. pro 1. dosi.

Postea mane & pomeridie sumantur 3. cusp. cultri de *pulvere*, ex quolibet vehiculo, motu insequente:

Rec. *Rad. alth. ☿. ʒiij. chalyb. c. ♁. ʒij.*
Diaphor. ♂. terebinth. coct.
succin. a. ppt. asell. ppt. an. ʒj.
⊖. succin. vol. ℈j. balsamosacch. de copaib. ʒvj. M.

Hora 10. antemeridiana & noctu ante somnum exhibeantur *mixturæ* sequentis guttæ xxxx. ex jure calido:

Rec. *R. ♂. hellev. ʒiij. castor. ʒj. M.* (d. 11. Jun.)

VII. *Ba-*

VII. VII.

BArometrum hesternum. Liquor *thermometri* in quarto gradu; quæ noctu cœperat pluvia, per totam fere diem continuavit. Per nuncios plures, quantum damni segetibus & vinetis attulerit hesterna grando, passim relatim.

§. Vocatus sum ad Megali *filiolam* ¼ annorum, jam a longissimo tempore caussariam. Caput & abdomen prægrandia, reliquum corpusculum sceletos, articuli protuberantes, elatum sternum, respiratio anhelosa, dextrum brachiolum fere immobile, carnes flaccidæ, sudor frigidus, alvi profluvium. *Rhachitis consummatissima.* Misellam ista ipsa die morituram esse, quamvis dixissem, petebant tamen medicamenta. Jussi præbere 6. guttulas R ⊕. ♂. Zw. & cusp. 1. cultri de *arcano duplicato*, utraque bis in die cum potu ordinario. Suasi *unguentum cardiacum*; & *mixturam analepticam*, cochleatim dandam: Megali *filiola*. *Rhachitis desperata.*

Rec. *Aq capon. Mynf. ℥ij. fl. til. rosar. an. ℥j.*
conf. alk. c. ʒß. sir. fl. tun. ʒij. M.

Ea nocte infans est mortuus.

§. Nisseti Filiolus quartus in dextra sura ostendit impetigines valde molestas, quas ligni sancti spiritu perfricare jussi, remedio salutari & mihi expertissimo. Nisseti *Filiolus.* *Impertigo.*

VIII. VIII.

VAsa, quæ heri. Vesperi Mercurius per dimidiam lineam ultra quartum gradum adscenderat. Per totam noctem vehemens pluvia continuavit propemodum usque ad meridem. Cœlum inde serenius, usque ad vesperam, qua denuo larga pluvia cecidit, versus noctem serenitate rursum sequente.

§. Machetis *filia* per medicationem d. 16. *Maji* præscriptam auditum feliciter recepit, Cujus Pater etiam vires egregie colligit. Machetis *Filia.* *Obauditio.*

§. Aresteris *Filiolæ* natu majori (15. *Maji*) post variolas exhibita *mixtura laxativa.* Minori adhuc variolis laboranti, languidulæ & *dyspnoicæ* ordinata *mixtura roborans* cochleatim propinanda: Aresteris *Filiola major. & minor.*

Rec. *Aq. borrag. rosar. an. ℥ijß. cinnam. bugl. ℥ß.*
conf. alk. c. ʒj. ⁓✱. anis ℈j.
sir. fl. tun. ʒiij. M.

Naribus obstructis *butyrelaum majoranæ.*

§. Schoarchi *uxor* (6. *Jan.*) dolorem quidem sentit mitiorem: Cæterum abdominis idem *tumor*, iidem *rugitus*, id vero novi, quod menses iterum sentiat, quamvis parcissime fluentes. Omen inde non malum Schoarchi *uxor.*

VIII. concipiens, cum ab horū præcipiti suppressione malū omne sit ortum, eos moderate promovendos, esse judicavi, cui fini paratum *decoctum*, de quo ter in die calidus haustus, non neglectis nudius tertius ordinatis, assumatur:

Rec. *Herb. meliss. puleg. fl. chamom. an. mj.*
rad. valerian. levist. angel.
apii, brusci, filic. an. ℥ij.
Conc. coq. cum mens. *iß. aq. font.* ad consumt. sextæ partis.

Abdomini applicetur intra lintea *decoctum herb. petrosel. & nasturt aquat.* una cum herbis, calidum. (d. 9. *Iun.*)

Baredui *uxor. Asthma. Tussis.* §. *Uxori* Baredui (27. *Febr.*) *balneas* CANTSTADIENSES aditura, *tussienti, asthmaticæ*, ordinatum *infusum* prius absolvendum:

Rec. R*ad. helen. liquir. an. ℥ß.*
herb. marrub. a. hyssop. an. mj. salv. mß.
fol. senn. s. s. ℥ij. passul. min. ℥iß.
rad. mechoac. a. agar. trochisc. an. ℥ß.
⊖. tart. ℥ß. sem. anis. ℥ij. Conc. cont. D.

Lycisci *Filiolus.* §. Lycisci *filiolus* (d. 4. *Iun.*) *Lac. bubulum* respuit, ac interdum revomit ac dejicit pinguedinem butyraceam, cætera hilaris & vegetus. *Lac* nimirum *pingue* & crassum removendum esse putantes, decoctum e *semine anis. C. C. raspato* & *dactylis* cum *visco querno* substituimus.

Podotes. *Febris intermittens.* §. Podotes (d. 6. *Iun.*) heri admodum belle valuit, cum *emulsione amygdalina* & *mixtura* cochleatim sumenda pergere jussus. Hodie vero circa meridiem prævio languore & frigusculo *vomitus* valde enormes, & longe vehementiores, quam nudius tertius. Datæ rursum 4. *pilulæ* WILDEGANSIANÆ, quas retinuit vomitu mox remittente, continuatu quoque illa *mixtura*. Cum circa vesperam eum visitarem, se summum æstum post exantlatos *vomitus* sustinuisse & nunc sudore diffluere; cæterum adeo languere, ut, si redierint isti *vomitus*, diu se superfuturum non credat. Ponderatis igitur omnibus circumstantiis mihi de *febri intermittente* subolere cœpit, in animum ea revocanti, quæ in servo *Nipsi* observaveram. Certus igitur ut fierem, *urinam* cras mane vitro excipere & in cellam subterraneam recondere, ægrum vero bono animo esse jussi, rem enim adeo periculosam non esse, crastinamque diem æque tolerabilem atque hesternam, futuram. (d. 10. *Iun.*)

IX.

IX.

MErcurius mane in linea prima quarti gradus constitutus vesperi paullum adscendendo spem cœli clementioris fecit. Liquor *thermometri*

tri fere subsistebat in medietate quarti gradus. Nox erat frigidula: mane nebula sursum lata postea in pluviolam densata. Dies a decima antemeridiana usque ad vesperam serena. IX.

§. Cnecias (6. *Jun.*) *decoctum Bromium* non sine effectu bibit, ac inde valentior factus appetere incipit, Ut diligenter pergeret, imperavi. Cnecias.

§. Schoarchi *uxor decoctum* heri ordinatum bibens fluorem aliquem *mensium*, sed parcum, adhuc sentit. *Nasturtium aquaticum* ob aquarum ripas inundantium altitudinem haberi non poterat, jussi ergo, ut interea reciperetur, *hortense*. (d. 13. *Jun.*) Schoarchi *uxor*.

§. Tribula heri pomeridie horruit, in regione lumbari dolere cœpit, dolor successive intentus per ureterum ductum ad regionem vesicæ penetrans *dysuriam* excitavit; aderant *vomitus*. Affectus est *nephriticus*. Dedi 4 *pilulas* WILDEGANSIANAS hodie summo mane, quas statim revomuit: Alteram hinc partem assumsit *mixturæ* sequentis: Tribula. *Nephritis.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. de alth. F. an.* ℥iß.
ess. anod. ℈j. *M. pro 2. dosibus.*

Loca dolentia mulceantur *unguento de hyosoyamo*, imposito quoque *cataplasmate* ex *semine lini in lacte cocto*. Parum imminutus dolor cum *vomitione* non tamen cessavit, Pomeridie assumta pars altera *elæosirubi*, & noctu repetitæ *Pil.* WILDEG. (d. 10. *Jun.*)

§. Lactistes aliquid de terra sublaturus & subito corpus rursum erigens circa *os sacrum* sensit dolorem paullatim auctum & dilatatum, sine prominentia calore vel rubore, sic ut erectus incedere vix posset. Inunctio *balsami* SCHAURIANI frustranea. Esse quid *Ischiaticum* pronunciavi: ter mane sudare jussus fuit, assumendo partem tertiam *mixturæ* ex jure calido: Lactistes. *Ischiatica passio.*

Rec. ℞. *Bez.* ʒß. *-~. CC.* ℈j. *M.*

Nam facile sudat. Post *sudorem*, itemque noctu ante cubitum, prævia *frictione* cum pannis calidis HAUGII *pulvere* fumigatis, inungatur probe & calide locus dolens *linimento* ex an. *ol. lumbric.* & ∀. *camphor.*

§. Cum toties *pulveris famulis* HAUGIANI mentio fiat, ejus descriptionem *Lectori* communicandam esse talem censui: *Suffitus Haugianus.*

Rec. *Lign. aloës* ʒvj. *junip.* ℥xij *santal. citr.* ℥ij.
bacc. junip. ℥xij.
herb. rorismar. styr. colam.
cort. thymian. benz. an. ℥ij.
rad. cyper. rot. irid. flor. an. ℥ij.

oli-

IX. *oliban.* ℥iiij. *mastich.*℥vj. *ras. succin.* ℥xij.
fl. ros. r. ℥iij. *lavend.* ℥j.
gumm. elem. sandarach. ladan. an. ℥iß.
nuc. mosch. cinnam. caryoph. an. ℥ß.
sem. coriandr. ʒij. ℈ij.
e conc. cont. F. pulvis fumalis.

Qui non illo fine a me ordinari solet, quod mihi præferendus omnibus censeatur, sed quod paratus in *officinis* nostris existat, & nihilominus efficacia sua sit commendabilis.

Phragmi *Filiolus.* *Cardiaca.*

§. Phragmi *Filiolus* 3/4. ann. *casthmaticus* est, abdomen turgidum habet, *cardiaca* infantilis signa præbet. *Purgetur* singulis matutinis tertia parte pulvisculi:

Rec. *Rad. megeac. a.* ʒj. *magist. gial. gr.* xij. *M.*

Post ternas evacuationes bis in die præbeatur casp. 1. cultri de *polline* sequenti ex quolibet vesiculo:

Rec. *Aran. duplic. diaph.* ♂*al. an.* ℈ij.
☿. *dulc. rit. par.* ℈ß. *M.*

Abdomen ungatur *ungueuto cardiaco.* Ejusmodi mala plerumque prehendunt pusillos ob nutricatum nimis largum, & pulmentorum fartus immodicos. (d. 2. *Jul.*)

Phthiriasis.

§. Sparso rumore, magnum quendam & violentum *Tyrannum* laborare *phthiriasi*, difficile quidam dixit esse conceptu, quo pacto tanta pediculornm pullities enasci posset; siquidem id a putredine fieri, *generationem æquivocam* hodie negantes plerique *Physici*, non admittunt, neque liqueat, qua ratione *pediculorum seminia* cum alimentis hauriantur, quibuscum misceri non soleant, velut *ova muscarum* aut aliorum quorundam *insectorum*? Et revera, hic aliquid statuere: in quo mens ingeniosi *Lectoris* adquiescere possit, arduum existimamus. *Generationem* dari *æquivocam*, mihi persuaderi non patior. Sin igitur sola locum habeat *univoca*, seminia pediculorum intra corpus recipi debere certum est. Hoc non nisi binis modis fieri potest. Vel per extremitates aut porositates cutis, vel per os. Illum modum quod attinet, poros cutis adeo dilatari posse in certis subjectis, ut *ovula* ista transsument, & v. gr. in vasorum lymphaticorum oscilla recepta lymphæ refluæ, hinc sanguini quoque communicent, plane absurdum esse non putcmus, cum radices v. gr. *pilorum* sint his ovulis longe crassiores, quod videtur in *tinea* laborantibus, ubi pilis evulsis commodior locus ovulis paratur foveolas relictas subeundi. Videmus porro *pediculos inguinales* arctius infigi cuti, sicque

forte

forte *ovala* sua illuc deponere, promptius inde interiora cutis subitura. IX.
Per eos illa seminia in corpus humanum inferri ope respirationis difficulter capitur ob rationes supra dictas, nisi velimus cum *Cel.* STURMIO ipsiusque asseclis statuere, creata animalium omnium primitus germina in aëre hospitari, per inspirationem attrahi, ibique, ubi convenientem suæ naturæ matricem repererunt, animata demum evolvi & in suæ speciei animalculum evadere. De quo plura dicere jam non vacat, nec instituti nostri ratio, nec tempus aliis negotiis impendendum, concedunt. Binis autem his modis fieri debere *phthiriasin*, liquere existimo, quocumque denique modo res ulterius explicetur. Rarus est ille morbus & per totas 30 annos a me non nisi semel observatus in muliere 25. circiter annorum eleganti & formæ non spernendæ. Quid ipsi tunc ordinaverim, non amplius recordor, vix enim praxin Medicam inchoaveram, necdum in casibus adnotandum decenter curiosus eram. Historiarum interim monumentis docemur, fœdissimo hoc morbo cumprimis *Tyrannos*, justo DEI judicio & supplicio affectos interiisse: Quorum Catalogum nectit B. noster FRANCUS, *Curiosorum* ARGUS, *Disp. de* PHTHIR. *hab.* HEIDELB. 1678. *sect. I. Cl. 1. & 2.* cujus etiam manum in immissione talis morbi specialem & immediatam agnoscere, pium est, quia verum, DEUM igitur intra corpus *suscepta* hæc *ovula* velle ut in certo determinatoque subjecto animantur, in aliis nolle, statuere nec impium est, nec absurdum. HERODEM *phthiriasi* mortuum *vid.* quoque ap. WALTHER. *Postill. Theol. Jurid. Dom. post. Circumc.* §. 43. Non plane rejiciendam, quod D. WOLFFIUS noster *Obs. 5. Ann. 1. Dec. III. Eph. Cur.* suspicatus est: Cacodæmonem haut difficulter colligere posse pediculos interdum ex puerorum, mendicorum, militumque vestibus, præsertim, ubi personarum illarum conventus datur: qua ratione collectos pediculos hostis ille vaferrimus aliis personis afflictionis loco suggerere possit, & quidem ope interdum etiam suorum mancipiorum vel sagarum. Memorabilis quoque est observatio BLONDELL. *de therm. Aquisgr. cap. 14. §. 2. de nobili* quodam *Hollando*, cujus cutis ita repleta fuit *pediculis*, ut ex vola manus, naribus, auribus, oculis, mento, barba, pectore, ano, pene &c innumerabiles extrahere posset viventes & ambulantes. Medebatur huic malo *bimestris potus & fotus aquarum thermalium*. WOLFFII vero puer l. c. curatus est, vestibus sæpe excipiendo *fumum* ♀. *vel succini*, internoque usu *balsami* ♀. ad 12. 15. guttas ter in die sumendi, quamvis, num vera fuerit illa *phthiriasis*, & stricte sic dicta, circumstantiæ dubium faciant.

§. Eusebius (6. *Jun.*) *diarrhœam* quidem non amplius patitur, sed mole- Eusebius. *Tenesmus.*

IX. molestum perpetuo desidendi conatum, fecibus nullis prodeuntibus, nisi muco parvo sanguinolento. Luridam ipsius faciem, *hypochondriaca* & *scorbutica* symptomata, & alia ipsi familiaria mala considerans, in *hæmorrhoidum* suspicionem veni. Confirmabar in sententia, quod se jam bis in lecto, nil tale cogitantem atque ad sensum sanum vestigia sanguinolenta reperisse dixisset, nescium unde venirent, quum externa læsio nusquam compareret. Jussi ipsum bono animo esse, nam fluxum illum, dummodo imposterum rite procedat, fore salutarem: Repetendum quoque censui *jus medicatum*, & *lac amygdalinum* ut aliquando biberet, suasi. (d.19. *Jun.*)

X.

X.

QUi mane dimidium quarti gradus propemodum attigerat, per diem sensim & vesperi quidem usque ad tertium gradum subsedit Mercurius. Liquor *thermometri* in quarto gradu quievit. Nox erat frigidiuscula, sed serena, dies calida, sed tempestatem præsagiens.

Serina, *furtivus Congressus.*

§. Serina in *Leprosorio* nostro curabatur ab *ulcere tibiæ*, de quo suo loco dictum. Cum durante cura venter ipsius aliquibus tumescere videretur, ipsam de furtivo conceptu suspectam habere & ab ea sciscitari cœperunt, quocum illicitum habuisset commercium. Hæc primo negans, denique fassa est, sibi cum alio quodam Mendico, quocum connubii fœdus iniisset, rem fuisse, sed Medicum fuga sibi consuluisse, seque dereliquisse. Interim venter rursum detumuit, ipsaque sana facta est & e *Leprosorio* dimissa. Cum autem paupercula peteret eleemosynam a *Magistratu*, repulsam tulit ob graviditatem illicito modo contractam. Igitur hodie me convenit, & petiit attestatum de irrita graviditate. Turgidum, ajebat, ventrem fuisse a 5. *purgationibus* a CHEMONIO propinatis, quarum nulla moverit vel semel alvum. Cur, inquam, fassa es congressum mendicum? Respondebat, se fecisse, ob indesinentes mulieris clinicæ insultus, ut quietem sibi compareret. Ficta esse, quæ dixisset, neque respondere tempus, quum ante *sacra natalitia* jam STUTTGARDIAM venerit, & hucusque morata sit, mendicumque dictum ne quidem viderit amplius. Computo facto inveni 24. hebdomatas, nulla vero post duas graviditatis tertias præterlapsas ulla sincera illius indicia. Non igitur ob turgescentiam abdominis a *purgantibus*, quippe, quæ firmum hujus rei momentum non exhibuisset, (si quidem non ab omni *purgante*, repetito quoque, retento, venter tumet) sed ob tempus non respondens attestatum tale dedi: *Serina, se deniq; continuis mulieres clinicæ invasionibus delassatam quasi, fassam quidem, cum mendico sibi rem fuisse; purum autem & putum fuisse figmentum. Cum itaq; jam mense* DECEMBRI *1708, hic appulerit, necessumq; adeo sit, ut ante 24. septima-*

ptimanas conceperit, cujus tamen indicia se nulla præbeat, propterea saltem ipsam ab eo tempore gravidam factum credibile non esse, quoque modo cum illo figmento comparatum deniq; sit. X.

§. Capsopœi *uxer* a medicamentis d. 24. *Maji* ordinatis quoad tussim adeo nihil profecit, ut ea potius intendatur, cum *dyspnœa, lassitudine*, inappetentia, tabe, sudoribus. Excernit pituitam viscidam. *Phthisis* pro foribus esse videtur, & quidem *scorbutica* a seri acrimonia; nam & gingivæ levissime tactæ sanguinem fundunt. Cum *electuarium purgans* nuperum fere nil effecisset, potio sequens absque dubio valentur, data: Capsopœi *uxor*. *Metus phthiseos*.

Rec. *Aq. laxat. vienn.* ℥iij. *sir. de cichor. c. rh.* ℥j.
gial. n. resin. gr. xv. ~⊖ ✱. *anis* ℈ß. *M. pro* 1. *dosi*:

Decocti postea *pectoralis* ter in die calidus haustus assumaturo, quin & mane ac noctu *pulveris* pone scripti cusp. 3. cultr. per se;

Rec. *Pulv. irid. fl. ar. ppt. helen. an.* ʒj.
lign. sassafr. ℈iiij. *fl.* ♤. ℈ij. *croc. opt.* ℈j.
♁ *ij. diaph.* ℈iiij. *elæosacch. anis.* ʒvj. *M.*

Pro *gingivarum* illitu:

Rec. ℞. *gumm. lacc.* ʒiij. *mell. rosat.* ʒj.
~ *cochlear.* ℈j. *M.*

Vitentur dyspepta, acida, salsa, fumo indurata, vinum, omnium autem maxime hornum (d 5. *Jul.*)

§. Quum urina Podotis (d. 8. *Jun.*) heri asportaretur, inveni eam intense rubram, cum sedimento multo lateritio, *febris* intermittentis, juxta *Mortonum*, pathognomonico signo. Cum igitur hodie paroxysmi *febrilis* futuri jamjam præludia sentiantur, ipseque tot violentos vomitus horrens remedium ad eos declinandos posceret, ordinavi *electuarium* bipartiendum, cujus pars una statim sumatur, vomitu non remittente, pars altera una post hora, remittente, noctu sub tempus somni: Podotes. *febris interm.*

Rec. *Cons. ros. r. antiq.* ℥ß. *mir. cydon.* ʒij.
Cor. r. ppt CC. ust. ppt. ♁. *catech. an.* ℈j.
laud. op. gr. ij. sir. cydon parum M. pro 2 dos.

Jam autem de *febri tertiana intermittente* certus in crastinum *apyrexias* diem scripsi *electuarium purgans* in dosi majore:

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈ij. *elect. e. psyll.* ℥ß. *M. pro* 1. *dos.* (d. 11. *Jun.*)

§. Vocatus sum ad *Filiolam* PROBATI quadriennem. Jam ab octiduo male habet, correpta calore præternaturali, cum *inappentia*, *siti*, *tussicula*. Cumque *dentitionis* tempore eodem modo jam alias ægrotare consues- Probati *Filiola*. *Convulsionum metus*.

Xxx 2

X. fuesset, parentes rem parvi æstimantes, adierunt *officinam pharmaceuticam*. Data ibi temperans æstum *mixtura* cochleatim præbenda. Hinc PELIDUUS *Chyrurgus* ejusdem commatis aliam substituit: utræque frustra adhibitæ. Nam infans non tantum languidior factus est, sed insuper pavoribus, oculorum & manuum contorsionibus, somnolentia &c. convulsiones mox adfuturas prodidit. Quibus magis, quam interno æstui, occurrendum ratus scripsi *mixturam* cochl. sumendam:

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
specif. cephal. ʒß. *sir. fl. pocoa.* ʒiij. *M.*

Additum *balsamum cephalicum* mihi consuetum.

Referebant Parentes, cum dixissem, cur non maturius opem meam petiissent, PELIDUUM rogatum, annon Medicus arcessendus sit? respondisse, non opus esse, sique, periculum plane nullum adsit! Tantum audent isti *Rasores*! Interim e manibus elabatur εὐκαιρία. (d. 11. *Iun.*)

Fidicinis *uxor*. §. Fidicinis *uxor* 40. annorum jam a longo tempore sentit se fieri macriorem, appetitum non æque, ut antea, vigere, artus lassari; rem parvi pendens neminem consuluit. Nunc ab aliquot diebus appetitus non tantum plane prosternitur, sed *languor universalis* totum corpus prehendit, molestissimumque symptoma est *vertigo tenebricosa*, qua corripitur ex improviso, cum subito caput ad latus vertit, vel sursum tollit, vel reclinato corpore aliquid de terra sublatum est. *Vertiginem sympathicam* & fortasse *stomachicam* esse judicans, dedi *elixir e part. ij. elix. balsam. & part. j.* R. *succini* paratam, cujus mane ex jure calido, pomeri die & noctu gtt. xxxx. ex cochl. vini assumi jubebantur; Mixturæ porro sequentis identidem cochlear unum hauriatur, tempore præsertim paroxysmi:

Rec. *Aq. lavend, chærefol. an.* ℥iij.
♁. *nat. ppt. C. alc. phil. an.* ℈j. *ægagrop.* ℈ß.
sir. fl. pæon. ℥ß. *M.*

Pilam odoriferam naribus in ipsamet *vertigine* admovendam concinnui talem:

Rec. *Rad. doron. ver.* ʒß *styr. calam.* ℈ß.
cubeb. Sem. nigell. coriandr. ppt. rut. an. ℈j.
conc. cont. irror. aliquot guttis ol. rut. &
cum sindone paretur pila. (d. 13. *Iun.*)

Tribula, *Nephritis*. §. Oblitus sum heri commemorare, quod TRIBULÆ vesperi commendaverim incessum in *baln. aq. dulc.* cui incocta *chamom.* cum *sem. lini*; ordinaverim quoque ternos in die haustus *decocti* FORESTI. Quibus cum

cum repetitis *pilulis* WILDEG. usa nocte præterita quietior fuit, dolorque cum *vomitionibus* multum remisit. Præscriptus hodie *pulvis nephriticus* diu usurpandus ad ȝ. cusp. cultri primo bis, post mensem semel in die, ab soluto tursus mense alternis, ternis diebus: X.

R ec. *Rad. alth.* ℥ß.

oc. ♋. *crud. cont. fruct. cynosb. gum. ceras. an.* ʒj.

sacch. q. pl. M. F. ☿.

Repetatur insessus, & quidem bis in die, nempe ante & pomeridie. (d. 11. *Jun.*)

§. Vocatus sum ad TEMACHII *filiolum* semestrem. Ante 14. die *morbillis* laboraverat; Nunc autem illis rursum evanidis nova febris accensio, summus languor, respiratio suppressa, *pavores, alvi profluvium. Rogati, cur* tempore *morbillorum* ope *Medici* non fuerint usi? respondebant, infantem medicamenta nullatenus admittere. Mirabile erat, cutim totam obductam fuisse meris *furfuribus* albis, aridam exsuccam & asperam instar tyroenestis: glabra enim erat ante *morbillos.* Furfures levissimo negotio decutiebantur, & cutis erat *psora maligna* vel scabie sicca maligna laborantium. Tale quid hactenus post *variolas* & *morbillos* non vidi qui cuticulam, instar squammularum, post arefactas pustulas quidem decedere novi. Sed cutis hæc furfuracea longe diversa fuit, succrescentibus, scil. semper aliis post priorum remotionem, comite quoque futore *psorotico.* Cum infans neque alimentosi neque meque medicamentosi micam admitteret, e symptomatum conditione mortem brevi adfuturam præsagiens, vesiculas tamen, ne quid intentatum relinquerem, in *brachiolis* excitare jussi, pedusculo admovi *unguentum pectorale*, dicisque caussa dedi *mixturam* cochleatim, si possibile, propinandam: Temachii *Filiolus.*

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. acac. an.* ℥j.

sir. jujub. papav. err. an. ℥ß. *M.* (d. 11. *Jun.*)

§. Novum ad *mensium tarditatem* remedium didici ab uxore NUDRYMI. *Sumantur novem nuces myristicæ, quarum qualibet æneo vel argenteo potius stylo novem foraminibus transfigatur: immergantur in vinum rubrum, idque vinum, quamdiu nuces aliquid saporis eo deponunt, vel, quamdiu commodum aut necessarium utenti videbitur, bibatur.* Cur non etiam per novem dies, horis nona antemeridiana & nocturna, novies deglutiendo? neun Schlůff! quo pacto *nux moschata* vires *emmenagogas* vino, præsertim rubro, impertiri queat? sane non liquet. Quamvis enim HIPPOCRATES *aromata educere muliebria*, vere dixit, omnium tamen botanico- *Menses tardi.*

X. nicorum consensu, immo experientia teste, *nux moschata* vi adstrictoria gaudet, *leptomeria* per *oleositatem crassam* inviscata: sed & vinum rubellum adstringit. Video quidem GIESWEINIUM in *Hodego* nucem hanc inseruisse catalogo tam *emmenagogorum*, *quam fluxum eorum sistentium*; sed a Practicis aliis ad menses tardiores vel suppressos commendari nusquam video. Elegans est *Disputatio inaug.* DIEZII, habita *Giessa* Anno 1681. de *nuce moschata*, ubi peculiaribus capitibus ejus vires in affectibus trium ventrium excutiuntur, sed *de mensibus, tardis & suppressis* ne γρῦ quidem. Sic, ut me dubitare de veritate experimenti non diffitear, immo rem a consulente male intellectum, & *mensibus nimiis* potius destinatum esse remedium existimem.

XI.

XI.

MErcurius & liquor *thermometri* in hesterna vespertina statione existentes, vesperi sic mutati, ut ille lineam primam quarti gradus, hic dictum gradum præcise occuparent. Post medium noctis *tonitru* cum pluvia larga. Tota dies, maxime pomeridiano tempore pluviosa.

Probati *Filiola.*

§. Probati *filiola* heri vesperi adhuc *convulsionibus*, quamvis levioribus, tentata, noctem haut bene transegit. Hodie adhuc virium debilis, nec sibi constans, cum pulsu celeri ac debili, identidem expavescit.

Rec. ☉. *fulmin. gr* ij. *arcan. dupl. gr.* iiij. *M. pro* 1. *dosi.*

Præbeatur statim quoquo modo; itemque pomeridie & noctu gtt. 6. *liq. C. C. succinati*, cum hesterna *mixtura* pergendo: abdomen & spina dorsi ungantur calide.

Rec. *ung nervin.* ℥vj. *ol. castor. coct.* ℥ß. *M.*

Balsamum cephalicum sit in usu continuo. *Vesicula* adhuc una excitetur. (d. 12 Jun.)

Temachii *filiolus.*

§. Temachii *Filius* hodie moriendo prædictionem meam confirmavit.

Tectonici *Filiolus*, *Variola.*

§. Absente *Medico ordinario* ad TECTONICI *Filiolum* biennem ab octiduo *variolosum* & omnia medicamenta aversantem, saltem eo fine vocatus sum, ut vehementi & periculosæ *narium obstructioni* mederer. Cum æstum adhuc non mediocrem in sanguine decumbentis observarem, jussi *materiam perlatam* in *nodulo* conclusam potui ordinario immergere. Naribus autem delibuendis admovi sequens *remedium*:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥j.

majoran. ☊. *gtt.* iiij. *M. cum pluma illin.*

Melea-

§. Meleager ordinata d. 5. *Junii* hactenus usurpavit. *Pharmacum purgans* leniter, ut sufficienter, evacuavit. A reliquis vero *medicamentis* se calorem & sitim semper sentire queritur, sic ut a potu nec antemeridie neque noctu sibi temperare queat. Jussi, ut sumto statim pulvere haustum *acidarum* GÖPPINGENSIUM, assumeret, noctu vero dictas *acidas Tincturæ martis* loco vehiculi adhiberet; sic enim fore, ut, corpore simul humecto, *pulvis* dilutus efficacius operaretur. XI. Meleager.

§. Tribula dolores jam a *balneo* intendi opinatur, ego contra plures adhuc in *renibus calculos* hospitari, hosque a *balneo* & *pulvere* promoveri ad *vesicam*, indeque dolores instaurari credo: Hinc repetito simul usu *olei amygdal. dulc. c. fir. de alth.* & *ess. anod. balnei* continuationem suadere non dubitavi; jussi tamen ad præscriptum SIM. PAULLI adjicere *stramen avenaceum*, & simul infundi *clysterem* domesticum. Operæ pretium est, ut adjiciam, quæ de *stramine avenaceo* dictus Auctor habet *quadrip. Botan. p. m. 214. m. Qui* CALCULO RENUM *laborant, iis commendantum* BALNEUM EX POLENTA TRITA, LUPULO, & AVENÆ STRAMINE, *quod insigniter mitigat* DOLORES NEPHRITICOS, CALCULUM *ac* URINAM *ita pellens, lumbis stramine avenæ calente & probe percocto circumdato, ut in vanno considentes micturiant, & sæpicule sine ullo dolore*, CALCULUM, *excernant: quod* EVPORISTON *lubens in gratiam* MEDICINÆ CANDIDATORUM *hic publici juris facio, quod jam per triginta & amplius annos, compluribus commendavi ægris, multis remediis incassum adhibitis.* Hucusque SIM. PAULLI. (d. 13. *Jun.*) Tribula. *Nephritis.*

§. Podotes hodie largiter & cum *euphoria purgatus* est, ac satis bene habet. Dixi, ut paroxysmum in crastinum diem expectaret, qualis & quantus fuerit, mihi significaret, me postea, pro re nata, *febri* contraiturum. (d. 13. *Jun.*) Podotes.

§. Bromiostrabi *uxor* 32. circ. annorum jam ab aliquot annis *dyspnœa* valde molesta corripitur, sine tussi & exscreatione. *Cor* tunc *palpitat, venæ in artubus, collo &c. intumescunt*, & nonnunquam *suffocationis metus* adest. Bene cætera ingerit, digerit, egerit, dormit, vultus est roseus, bene habita est, frequenter parit, partus edit vegetos, lactis adest exuberantia. Menses etiam lactanti copiose fluunt. *Hæmorrhagiæ narium* levant suppressum spiritum. Interdum & *sanguinem spuit* Ex omnibus indiciis malum a *plethora* esse concludens, *veæsectione* præsentissimam semper opem tuli, omnibus *antasthmaticis*, quocunque nomine venirent, nil omnino juvantibus, immo, quo magis essent volucria, quoque nocentioribus compertis, sanguine tunc ad majorem Bromiostrabi uxor. *Dyspnœa.*

XI. rem sui & vasorum expansionem disposito, cum inevitabili *dyspnœa* incremento: Paroxysmo *dyspnoico* ægram vexante vena hodie mediana dextri rursum, sed justa minori plaga, pertusa, sanguine tantum stillavit, sic ut mora diuturniore vix ℥iß. illius promanarint. Cum eum pomeridie floridissimum & pulcherrimum conspiceret, mihi prætereunti non sine gaudio conspiciendum præbebat, cum alio tempore gelatinosa crusta semper obduceretur. Emissionis modo comperto, talis, inquam, semper esse solet, sanguis e plaga minore magis exsudans, quam promanans, vel profluens; idque me demonstraturum promisi, si in crastinum denuo venam secare vellet, hanc enim *venæsectionem* nihil omnino valituram ex se, cum *plethora* minuendæ major educendi cruoris quantitas requireretur. Facturum se recepit.

Observatur, sanguis vel scarificatione eductus, vel per narium *hæmorrhagiam* prolectus, vel e plaga minori inflicta stillans, semper floridior, atque ad omnem externum sensum melior, quam e vulnusculo majori profluens, quod alibi jam dictum. De caussa WILLISIUS, BAYLE & alii, illo per plagam minorem sanguinem subtiliorem solum, relicto crassiori profluere solente, hoc autem soli aëris externi admissi modificationi rem deferentibus. Non negamus, nos WILLISIO magis favere, vel hoc solo phænomeno moti: Quod non quidem semper, ut plurimum tamen sanguis e vena secta diversis scutellis exceptus, in prima scutella impuriorem & crassiorem, in sequente jam meliorem, in ultima optimam substantiam quin & colorem exhibeat, cum aër externus æque profluenti primo, quam tertio vel quarto, seu ultimo admisceatur. Ad experientiam provoco, vid. quæ in hanc rem scripsi in *tr. Germ.* vom *Præservir*-Aderlassen §. *28. & præcipua 29.*

Melodidascalus. §. Nondum desistit Melodidascalus ex capite dolere & faciem *convelli*, quin symptomata quoque *hypochondriaca* in sede nativa sentire. Suasore quodam incessit ipsum cupido noctu ante somnum fumandi *nicotianam*, quod impune tentari posse credebam. Effectum tempus docebit. (d. 18. *Jun.*)

Phacaulitis *uxor*. §. Phacaulitis *uxor* remedia d. 6. *Junii* præscripta sibi valde proficua sentit, hinc, ut ex eorum usum diligenter continuaret, suasi.

Moschus. *Febris quotidiana interm.* §. Moschus 26. annorum, Neonuptus, texturæ tenerioris & in itineribus pravæ victus rationi adsuetus ante 14. dies *febri* correptus est, eaque *quotidiana intermittente*. Paroxysmi *vesperi* cum *vomitibus* ingruebant, sequente frigore haut magno, sed æstu vehementi. Dolor insu-

ſuper ſentitur in *epigaſtrio ſiniſtro* & *diarrhoea* ſimul affligit, cum ſtriis ſanguineis excrementis alvi pituitoſis & bilioſis permixtis.) Quamvis de *febri* non dubitarem, juſſi tamen, cum viſcera patientis mihi ſuſpecta eſſent, ut altero die ad intimius cognoſcendum morbi ſtatum, *urinam*, ſed in cellam per aliquid horas collocandam, adſervarent, interimque nil, niſi *mixturam* ſequentem cochleatim dandam, ſcripſi; XI.

Rec. *Aq. plantag. fœnic. an.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥j.
♁. *diaphor. C. C. philoſ. an.* ʒß.
ſir. rub. id. ℥ß. *M.*

Lateri dolenti deſtinavi *unguentum de hyoſcyamo.* (d. 12. *Jun.*)

XII.

XII.

VAſorum ſtatus, qualis heri veſperi. Noctu Mercurius fere medium quarti gradus attigit, liquor *thermometri* non plane quartum gradum. Nimbus hac nocte cecidit, unde rivus ſuburbium Eſslingenſe perluens (Naſenbach) adeo fuit auctus, ut accolis periculum in cellis vinariis non leve immineret. Trabes, ædibus noviter exſtruendis aptatæ, plus ſexaginta, partim maximæ, in urbem ab aquis ſunt advectæ, cum aſſeribus, ſudibus, idque genus aliis, non ſine plurimorum inſigni damno, & inundatione pratorum, & agrorum. Dies erat turbida quidem, ſed de reliquo minus pluvioſa. Imbres ſeu nimbos id generis vulgo vocant *Fragmina nubium* (Wolckenbrüche) quando nubes, præcipiti lapſu in terram devolutæ, maxima aquarum copia agros obruunt.

§. Taurinus, 45. annorum, miles, *hypochondriacus*, *ſcorbuticus*, *febribus variis*, doloribus *arthriticis*, effloreſcentiis corbuticis, &c. jam olim obnoxius, ab aliquo jam tempore *ſemiparalyſi ſcorbutica* ſe affectum ſentit. Artuum eſt ſumma debilitas ſic ut robur neque brachiis inſit ad neceſſarias eorum jactationes vel ſuſtinenda pondera, nec robur, ad promte incedendum. Dolores non admodum affligunt; & appetitus eſt mediocris. De *aquarum mineralium* lavacro conſultus, ut BOLLENSES noſtras adiret ſuaſi, data in eam rem inſtructione ſcriptis comprehenſa, quales cum in iſtis menſibus jam contineantur, hic repetere ſuperſedeo. Curam antecedere volui hauſtum laxativum, cum ſegniter moveretur, ſatis fortem: Taurinus. *Semiparalyſis ſcorbutica.*

Rec. *Aq. laxat. vienn.* ℥iij. *cinnam.* ʒß.
gial. n. reſin. gr. xij. ſir. decicb. c. rh. ℥j. *M. pro 1. doſi.*

XII. Post prandium & cœnam *tragema* ordinavi, cum pane tosto & affuso vini veteris haustu ad 4. cusp. cultri sumendum:

Rec. *Trag arom. offic.* ℥iij *pulv. stomach. Birkm.* ℥j.
Elæosacch. sassafr. ℥j. *M.*

Post quemlibet *insessum* spiraculis cutis adhuc patentionibus, inunctionem *spinæ dorsalis* a vertice usque ad *os sacrum* talem institui volui:

Rec. *Ungu. nervin.* ℥j. *ol. e flor. stot.* ℥ß.
philosoph. ʒij. *succin.* ʒj. *M.*

Ante insessum antemeridianum & post quietem ab insessu pomeridiano hauriat quartarium *aquarum* GÖPPINGENSIUM.

Phacaulites. *Melancholia tristis.* Phacaulites vir circ. 40. annorum, ob illatas contumelias, jam a longo tempore subtristis factus in *melancholiam hypochondriacam*, accitis quoque in mali consortium humoribus, lento passu incidit, sic, ut jam anxietates patiatur summos, cum pervigilio, suspiriis, lacrymatione, solitudinis amore: mens tamen adhuc sibi constat. Nuper *venæsectionem* largum sponte sustinuit, sed nullo cum levamine. Interim ob *inediam* languere & emaciari cœpit. Ordinatum ipsi *infusum* more nostro parandum & mane ad quartar. *ß.* calide hauriendnm;

Rec. R*ad. filic. ap. an.* ℥j. *polypol. quern.* ʒv.
fibr. helleb. n. ʒvj. *rhabarb. ver.* ℥ß.
herb. fumar. mj. ceterach. scolop. an. mß.
fol. senn. s. s. ℥j. *agar. trach.* ʒiij. ⊖. *tart.* ℥ß.
limat. ♂. ℥iß. *mac.* ʒj. *croc.* ℈j.
sem. anis. cinnam. ac. an. ʒij.
conc. cont. D.

Noctu ante somnum assumat gtt. xxxx. ℞. ♂. *helleborat.* ex *cochl.* vini. Absoluto *infuso* adeat *fontem* GOEPPINGENSEM. (d. 27 *Jun.*)

Moschus. *Febris interm.* §. Accessi Moschum, qui noctem satis quiete transegerat, sopitis quoque in latere doloribus. Vrina monstrata *sedimento* suo *lateritio febrim* prodidit, viscerum autem labes nulla notabilis significata. Cum heri dixisset, se medicamento quodam *febrim* sistere conatum esse; quodnam fuisset medicamentum interrogavi. Dixit esse *millefolium*, cujus *novem folia* in ovo frixa mane comedisset, id per novem dies repetere, sed semper foliorum numerum uno minuere jussum esse, sic ut secundo die octo, tertio septem &c. folia fuerint assumenda, quamvis non plus, quam ter, hoc medicamenti genus assumserit. Pergat cum *mixtura* hester-

sterna, hodieque noctu ante somnum ex quolibet vehiculo capiat *pulvisculum digestivum* : XII.

Rec. *Crem. tart. facul. ar. an.* ℈j. *M.*

Mane crastinò *electuarium purgans*, quod imposterum appellabo, *Electuarium purgans majoris doseos*:

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈ij. *elect. e psyll.* ℥ß. *M.*

Post purgationem singulis 6. horis assumat guttas 50. de *elixiri* cum quolibet vehiculo:

Rec. *Elix. balsam. ess. chin. chin. an.* ʒij.
ol. caryoph. gtt. iiij. M.

Millefolium ad *febres* nusquam commendari video. Si quid tamen juvat, constrictioni forte debetur, ex quo principio modernorum plurimi *vim corticis peruviani antipyretam* deducunt. (d. 15. *Iun.*)

§. Bryocepuri *Filiolo*, qui a nuperis symptomatis plane convaluerat, nunc a biduo *vomitibus* vexato *pulvisculum* ordinavi, cujus ter in die cusp. 1. cultri cum pulticula exhiberent: Bryocepuri *Filiolus*. *Vomitus*.

Rec. *Coral. r. ppt. C. C. ust. ppt.*
caryoph. arom. an. ℈j. *M.*

Emplastrum de crusta panis super alutam extensum ventriculo imponatur, & farinæ pro pulticulis addatur pars quarta *amyli*. (d. 15. *Iun.*)

§. *Uxor* Nahmelii 46. annorum, fœnificio in prato intenta, tota sudore diffluens, ingruentis tempestatis violentiam evasura, se domum contulit, sed in via cum esset, larga pluvia totum corpus ad cutim usque perfusa, domi horruit, in lectum se contulit, & per totam noctem æstuavit. Hodie quidem extra lectum versatur, sed lassa plane & languida. Mali caussa sine dubio in *constrictione pororum cutis*, atque sic impedita *transpiratione*, unde facile *febres* accenduntur quærenda; cui proinde medendo *sudoriferum* accommodatissimum visum. Hauriat cras mane potionem, & corpus ad sudorem componat: Nahmelii *uxor*. *Febrilis accessus*.

Rec. *Aq. card. bened. fumar. an.* ℥iß.
♁. *diaphor. C. C. philos. an gr. xv.*
mixt. simpl. ℈j. *sir. card. bened.* ʒij. *M. pro 1. haustu.*
(d. 21. *Iun.*)

§. Neoffi *Filiolus* 6. annorum *variolosus*, a me, prout reliqui omnes, tractatus, lacticinia vehementer appetit. Primis diebus, quam adhuc Neoffi *Filiolus*. *Variolæ*.

XII. huc intensius febricitaret, ea tuto non admitti existimo; sed & tunc plerumque nil comedunt. *Febri* deflagrata semper hactenus impure concessi, & miratus sum, in hisce *variolis* epidemice grassantibus plurium appetitum in *lac* & *lacticinia* latum fuisse, quod omnibus quidem, sed potui non nisi prius *decoctum* & frigefactum, concessi, nullo inde symptomate pravo secuto.

Probati *Filiola. Convulsiones.*

§. Probati *Filiola* ab ☉ *fulminante*, quod alioqui fieri solet, neque vomuit, nec alvum deposuit, immo per totum hujus morbi decursum constipata mansit. Forsan *auri fulminantis* dosis minor debito fuit. Nihilominus *convulsiones* cessarunt, & puella sibi pulchre constat. Pulsus est melior & reliqua in convalescentiam conspirant, dummodo alvus officium faceret. Jussi *clysma domesticum*, tentat s prius *suppositoriis*, applicare, & cum *mixtura* cochleatim sumenda pergere. (d. 14. *Iun.*)

Quæstoris *filiola. Variola.*

§. Quæstoris *filiola* 1½. annorum *variolas* exclusit in aëre libero versato, parentibus nil tale somniantibus. Medicamenta quævis respuit, nec quidquam comedit aut bibit aliud, quam *lac* maternum. Scripsi quidem *mixturam expulsivam*, ea, qua possibile, suavitate præditam, sed frustra. Nam ne guttam admittebat. Nunciarunt parentes, jam a longo tempore puellam nil quidquam comedisse, solo *materni lactis* potu contenta, cum tamen sine dubio ætas ordinarie solidius alimentum sibi postulet. Interim grandescunt *variolæ*, quibus est confertissima, sed in pus tamen laudabile non vertuntur, & puella fit indies languidior. In interaneis, *ventriculo* cumprimis, labem, eamque periculosam, suspicor.

Mazus.

§. Mazum fato suo *phthisico* denique succubuisse, hodie mihi relatum.

Metabolus. *Fonticuli inustio.*

§. *Cauterium potentiale* METABOLO d. 6. *Iunii* pro excitando fonticulo applicatum segnissimæ fuit operationis. Post quatriduum referebat vir ille, cutim ab inde nil quidquam mutatam, nedum adustam, fuisse. *Cathareticum* forte ab hæreditate avita adhuc superstes. Miserum inutiliter cruciari videns chirurgum jussi ex officina petere *lapidem infernalem*, quo applicato res ex sententia cessit; hodie enim vidi cutim crusta subnigra obductam insensilem, & separationi a cute viva, jamjam aptatam:

idque

idque fuit ab applicato primo post septendium. Nunc igitur rem ex voto cessuram auguratus, virum suspicacem bono animo esse jussi. *Chirurgi, præsertim juniores, omnia tenent, saltem, ubi est Rhodus, ibi saltare non possunt,* (d. 6. *Iul.*) XII.

§. Lactistis *uxor* jam a duodecennio post exantlatum gravem morbum, continuis *lumborum doloribus* cum *eundi totali fere impotentia,* ac *pedum tumore*, misere afflicta, Medicos & Medicastros utriusque sexus cominus, eminus, conquisitos, magno numero, quamvis omnes frustra, tentavit, nuper etiam, *Erronis* cujusdam e *Principatu* HENNEBERGICO, hominis admodum juvenis gloriationibus thrasonicis inescata, manum mirificam experiri statuit. Expositis longe lateque symptomatis & medelis omnibus, in hæc denique vel similia *Medicus* erupit: Omnia, o Domina, ista mala e sola pororum corporis constrictione & impedita transspiratione proveniunt, qua promota salus unice & expectanda, & acquirenda est. Audio quidem te multis usam esse medicamentis, at vero solis, quæ in *Germaniæ superioris officinis* solæ habentur, *Galenicis*. Ea vero non satis sunt valentia, non satis penetrantia, corticem lambunt, nucleum non assequuntur, immo, dum movent, nec promovent, malum potius augent, quam auferunt. Nos, DEI *gratia*, nostra manu parare didicimus *chimica*, pollentiora, subtilissimosque corporis recessus intromeantia. Paraturi sumus his nostris manibus *Tincturam* inæstimabilem efficaciæ mirabilis, qua exhibita tota natura quasi rejuvenescet, tuque *innovaberis robore; ascendes alis, sicut aquila, curres & non delassaberis, ambulabis & non fatigaberis.* Es. 40. Prudentior jam mulier illi buccinæ non auscultavit, & corvum delusit hiantem. Quasi vero in nostris officinis nihil reperiatur, nisi mera *Galenica*? Sic autem ejusmodi *planetæ rationales* gloriari solent, ut credulis persuadeant, se esse possessores arcanorum hecatombe dignorum. Qui legere dignatur has pagellas, officinas nostras medicamentis *Chimicis* nullatenus destitui, videbit. Lactistis *uxor.*

XIII.

MErcurius ultra medium quarti gradus ascendit; liquor *thermometri* paullo infra eundem subsistebat. Nox erat frigida, Dies serena & calida. Vesperi Mercurius erat in statione hesterna, fluidum autem *thermometricum* in gradu quarto quievit.

§. Postquam Podotes (d. 11. *Iun.*) ab *electuario* d. 10. *Iun.* ordinato d. 11. ejusdem probe purgatus fuisset, d. 12. *paroxysmus* FEBRILIS tardior, sed & longe mitior, sine *vomitu* eum adortus est. Huic plane com- Podotes. *Febris interm.*

XIII. compescendo datum *electuarium febrifugum consuetum* & *emplastrum* carpis imponendum ex *fulig. Zingib* & ⊖. *comm. cum vitello ovi subactis.*

Halon. *Raucedo. Tussis.* §. Halon vir 40. annorum, torosus, ὀρτοςάδ@, sed vitæ aulicæ, id est, inversæ diætæ assuetus, hieme adhuc inclementissima existente e Patria Silesia huc præfectus, grande sustinuit primo frigus, deinde subitanea per insequentem calorem mutatione facta *raucus* & *tussiculosus* huc venit. Re, cum appetitus sibi constaret, contemtim habita, luxibus aulæ expositus, malum augeri sensit, cui, ut mederetur, nescio cujus suasu, adiit *Fontem* SUALBACENSEM. Per decendium ibi moratus aëre semper frigido, pluviosoque existente potu istarum aquarum frigido adeo nihil profecit, ut potius *raucedo* valde intenderetur; pituita viscidior redderetur, immo & cum hac nonnuuquam aliquid cruenti exscrearetur. Mutato Consilio adiit *thermas* WISBADENSES, quas calidulas bibit, iisque lotus est, multo sane & eximio cum levamine. Sed reditum ad nos parans, inclementiam aëris denuo in itinere expertus æque *raucus*, atque abierat, huc appulit, meumque consilium expetivit. Pulsus bonus, urina bona, spiratus facilis, appetitus constans, nulla sitis, nulla somni infractio, nusquam dolores, nusquam carnis musculosæ aut absumtio, aut flacciditas. A sola igitur per *frigus* externum seri coagulatione, bronchiorumque aliquali oppletione malum oriri existimans bono animo patientem esse jussi, ordinato *decocto Theiformi* mane & noctu ad 3. scutellas calide hauriendo:

Rec. *Spec. pro Dec. pector.* ℥iiij. *herb. cochlear. m*ß.
sem. sinap. nasturt. an. ʒj.
rad. helen. ℥ß. *passul. min.* ℥iß. *Conc. cont. D.*

Primæ cuilibet scutellæ instillentur gutt. xxx. de *mixtura*:

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ♁. *cochlear. an.* ʒiß.
ess. croc. ʒß. *M.*

Vitetur potus frigidus, acria, salsa, acida. Collum contra frigus muniatur.

Fidicinis *uxor. Vertigo.* §. Fidicinis *uxor* ab ordinatis d. 10. *Iunii* non admodum profecit. *Vertigo* adhuc valde molesta, cum inappetentia & languore, ut diu extra lectum manere non possit. Alia igitur via rem aggrediendam, & stomacho determinatius prospiciendum esse ratus, præscripsi *pulverem* bis in die ad cusp. 3. cultri per se sumendum:

Rec. *Pulv. stomach. Birkm. spec. diacret. Mynf. an.* ʒiij.
diaphor. ♂. *C. alc. philos. an.* ʒj.
ol. NM. expr. gr. vj. *elaosacch. caryoph.* ℥j. *M.*

Ter

XIII.

Ter in die quantitatem castaneæ deglutiat de tali *electuario*:
Rec. *Elect. resumt.* ℥ij. *diacor.* ℥j. *M.* (d. 15. *Iun.*)

§. Nahmelii *Filiola* 12. annorum, vino & saccharatis dedita, tenerioris texturæ & educationis laxæ, edit moderate, bibit largius, hilaris est, sed anhela tamen, lassa, pallida, & valde macilenta. (*achectici* quid suspicans dedi *pilulas purgantes* consuetas, postea pulverem, cujus mane & noctu 3. cusp. cultri per se assumantur: Nahmelii *Filiola.* *Cachexiæ metus.*

Rec. *Spec. diacr. Myns.* ℥ß.
Pulv. cach. Qu. inc. ʒiij. *balsamos. peruv.* ʒvj. *M.*

Frequens est in his regionibus *phthisis* vel *atrophia* cumprimis etiam pusionibus, idque sine dubio propter *vini*, frequenter *horni*, præmaturum potum, cui per indulgentiam Parentum a prima statim *dentitione*, assuefiunt. Hanc enim promoveri per *vini exhibitionem* persuasi sunt. Profecto sine fundamento. Accedo potius *Medici* cujusdam nostratis sententiæ; qui dicere solitus fuit: *Infantes ante decimum ætatis annum nescire debere, quid sit vinum* quod apud nos adeo non nesciunt, ut puellos puellasque non admodum raro crapulam sibi contrahere videas.

§. Crotalomactes quadragenarius petit *purgationem*, sed validam, eo quod difficulter mobilis esset; ordinata potio: Crotalomactes. *Purgatio.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈ij. *sir. de cich. c. rh.* ℥jß.
Aq. cinnam. ʒß. *acac. q. s. M. pro 1. dosi.*

§. *Uxori* Schoarchi (d. 9. *Iun.*) æqualiter tumenti suasi, ut ter in die gtt. xv. *mixturæ* ex *decocto bacc. juniperi*, in locum ordinarii potus sufferti, sumeret: Schoarchi *uxor.*

Rec. ℞. *succin.* ~ *tereb. an.* ʒj.

Passulas minores in dimidio aquæ & vini tumefactas masticet, ad sitim fallendam, & os humectum servandum. Hæc vix mortem evadet. Abdomini *sacculus ex furfuribus, bacc. junip. & sem. carv.* (d. 15. *Iun.*)

§. Bractearii *uxor* quinquagenaria, sterilis, caussaria, *scorbuticis, spleneticis, hystericis symptomatis* a multis annis obnoxia, nunc a quadriennio passa est *menses inordinatos*, nunc pauciores, nunc largiores, cum *borborygmis, tumore ventris* interdum valde tenso ac duro, cui variis medicamentis, *aperientibus, chalybeatis* &c. Omnium autem efficacissime *electuario spagirico*, contraitum. Bibit etiam aliquando *fontem salutarem* CYCLOPOLITANUM noviter repertum. Ita vitam hactenus mediocriter tole- Bractearii *uxor.* *Hysterica.*

XIII. toleravit. De hac maritus ad me: Uxor mea rigidissima hieme commodius, quam calore nunc adventante vixit. Jam enim queritur de *cephalalgia, vertigine & lassitudine*; Mane surgens palpebras inflari cum tensione putat. Utrum *fontem* nostrum *Soterium* bibere, vel in eo lavari conveniat, vel quid alias factu opus arbitreris, a te expectamus. Respondi, aquas illas mihi non inefficaces censeri, pauperes tamen esse & spiritibus orbas, illis potius subvenire, qui *sanguinis & bilis acrimonia volatili sint præditi*, quibus calidum abundans, ad *febrium* incendia proclivibus, *cholericis*; minus illis, qui scatent humorum viscidiore saburra, *viscerum obstructionibus* laborant, ad *cachexiam* pituitosam proni, & *phlegmatici* sunt, quorum in numero collocandam uxorem esse symptomata testentur. Alias autem magis penetrantes ac spirituosas me non damnare, sed cum suspicer ipsos aliorsum ad fontem peregrinum proficiscendo, labem affricare domestico nolle, me suadere, ut per dies 14. vel 3. septimanas mane & noctu assumat ℈ß. ⊖. *viper. Italic. volatilis cum cochleari vini.*

Sclerogoniodes. *Aquarum salubrium examen.* §. Sclerogoniodes *Medicus Cyclopolitanus*, cum a me percepisset, *plurium aquarum nostrarum Würtembergensium examen Chimicum me instituisse*, se idem cum fonte suo facturum decrevit, atque, ut methodum meam ipsi aperirem rogavit. Respondi, vim omnem *aquarum Soteriarum* in *solis spiritibus salinis* radicari, minus in contentis illis fictis, *nitro, sulphure, alumine, bitumine, metallis* &c. Hinc omissis *destillationibus, calcinationibus*, &c. me per sola *reagentia*, instillatos scil. varios liquores, *spiritus salinos, solutiones* &c. rem felicius, ac ita tentare, ut, utrum *alcali* vel *acidum* in illis præemineat (de quo utroque ut plurimum participant) per ebullitiones, effervescentias, præcipitationes, colorum mutationes planum fiat. Sic v. gr. inesse *aquis* GOEPPINGENSIBUS *acidum*, monstrat instillatus ⁓⊖✱. quocum parum ebulliunt & *opalescunt*; inesse *alcali* probat conflictus, licet momentaneus, cum instillato ⁓⊕. probat idem viridescentia ab admixto *sirubo violarum* &c.

Nolani *uxor.* §. Nolani *uxor* aliquo modo mitius vivens a medicamentis d. 4. *Junii* ordinatis, lassitudinem tamen adhuc insignem, cum vagis in corpore artubusque doloribus sustinet, quibus sopiendis usum *balnearum cervinarum* suasi, & post mensium futuram eruptionem potum *acidularum*. *Fluor albus* plane cessavit. (d. 20 *Jun.*)

Nisseti *Geraria. Hysterica.* §. *Geraria* Nissleti cum *hystericorum affectuum, vertiginis, cephalalgiæ* &c. Nullus sit finis nec modus, & omnium in contrarium exhibitorum effectus vel nullus, vel certe parcissimus, (5 *Jun.*) ordinavi usum *decocti bromii*, visurus, quid laudatissima hæc medicatio valeat?

§. Ly-

§. Lycam eodem *decocto* cum euphoria insigni potatur, vires & appetitum instaurari sentit, & sibi quasi renasci videtur. Quum tamen adhuc *tussis* urgeat, una cum illo *decocto*, diu continuando, laudavi usum *electuarii pectoralis euporisti*, constantis ex *pulvere veronicæ, hederæ terrestris, rad. helenii an. cum melle despumato crudo in rob consistentiam redactis.* (d. 21. *Jun.*) XIII. Lycaon.

§. Tribula (d. 11. *Jun.*) continuato *balnei dulcis* usu dolores *nephriticos* abegit, cui jugem assumtionem *pulveris nephritici* præservativi, nuper descripti, sollicite injunxi. Tribula. *Nephritis.*

XIV. XIV.

MErcurius, qui mane ultimam quarti gradus lineam attigerat, vesperi per dimidiam lineam subsedit. Liquor *thermometri* hesternam vespertinam stationem retinens, hac vespera quartum gradum una linea superavit. Nox erat clara, dies serena, calida, suavissima.

§. Acoluthi *uxor* ante octiduum puerpera, eadem die post baptismum e lecto surgens linteaminum lotioni operam dedit, simulque vino se lautius invitavit. Unde *lochiis* intempestive suppressis *sanguinem spuere* cœpit, medicatione tamdiu neglecta, donec vires labascere & sanguis floridior majore copia exscreari, visa sint. Lac abundat, appetit, pulsus non malus. Sumat bis in die gtt. xxxx. de *mixtura* ex quolibet vehiculo: Acoluthi *uxor.* *Hæmoptysis.*

Rec. *Elix. propr. dulc.* ℥iij.
℞. *succin. tart. an.* ℥j. *M.*

Cras e *saphena* dextri sanguis ad ℥vj. educatur.

Post venæsectionem ad sanguinem in viam reducendum *Jusculum charefolio, pulegio, melissa, fragaria, fumaria, acetosa, bellide & radice petroselini medicatum* ad 3. septimanas. (d. 16. *Jun.*)

§. Nigremmergi *uxor* (d. 29. *Maji*) hactenus usurpavit medicamenta d. 22. *Maji* ordinata, & quidem cum effectu non pœnitendo, siquidem paroxysmi alternis diebus hactenus redire soliti, eam interea temporis non nisi binis vicibus invaserunt. Ut igitur usum continuaret, jussi, spem enim esse, ut mobrus perfecte curetur. (d. 16. *Jun.*) Nigremmergi *uxor.* *Tussis.*

§. De tempore anni ad *acidularum potum* maxime accommodo cum Amico Medico sermonem conferens, id potissimum eligendum esse censui, quod *Festa* S. JOHAN. BAPT. & JACOBI intra se comprenderet, cum Acidulæ.

XIV. qui maturius fontem accederent, cibis in hortis coli solitis carere cogantur, quales sunt inter alios *asparagi, pisa viridia, cardui esculenti* &c. nec *vervecinæ carnes* adhuc haberi possint. Reposuit Amicus, mensem *Augustum* commodiorem esse propterea, quod absoluta medicatione potoria diei æstus defervescere, & æstus in autumnum præcipitari incipiat, cum, qui prius bibunt, reversi domum languidis adhuc æstibus aliquandiu exponantur, ut per *acidas* adquisita sanguinei fervoris contemperatio, ab æstu insequenti denuo revocetur, & *acidæ* quasi frustra sint potæ, Ego contra per id anni tempus ob diei jam largum decrementum dicatas potui matutinas horas jam nimium esse frigidas dixi, unde potum æque frigidum cœlo jam frigido ingurgitatum corpus nimium *perfrigerare, febribusq;* succendicula præbere. Suis utraque sententia fundamentis nititur, lector, pro re nata, quamcumque commodiorem visam, amplectatur.

Probati *Filiola. Alvi constipatio.*

§. Probati *filiolæ* (d. 12. *Iun.*) jamjam meliuscule habenti, *constipatæ* tamen, ordinatum denique & applicatum *enema domesticum*, ex *crem. hord. cum oleo lini*, Sed per totam diem retinuit. Consultus suasi *suppositorium*, sic enim futurum, ut stimulo longanoni subdito feces aridæ per *enema* emollitæ sint promtius exituræ.

Hipparius. *Phthisis.*

§. Hipparius hactenus usurpavit *medicamenta* d. 3. *Iunii* ordinata, sed vires cum appetitu magis indies decrescunt, & cum *diarrhœa, phthisicis* fatale symptoma simul adsit, præter *electuarium* & *mixturam* guttatim sumendam laudavi *oleum nucis mosch. expressum*, ad gr. ij. in jusculo solutum bis in die deglutiendum. Necessariis autem dixi, ut ne curam animæ neglectim haberent, nam de salute corporis actum esse parari quoque volui *emulsionem amygdalinam*. (d. 17. *Iun.*)

Opilionis *uxor. Foramen in palato.*

§. Opilionis *uxor*, famæ non prorsus illibatæ, 28. circ. annos nata, *foramen* ostendit satis amplum & nucem ad minimum avellanam majorem capiens *in medio palati*, cui solidando jam plura remediola domestica frustra impenderat. In faucibus & vovula nihil insoliti, caput vero cum artubus dolebant, dolor noctu in lecto ferocior erat. *Fluorem album* vel *gonorrhœam* unquam adfuisse, vel adhuc adesse, negabat. Infantem lactabat. De *lue fœda* mihi suspectam esse fateor. Ut infantem ablactaret imperavi. Dedi tres *pulveres digestivos* ternis noctibus sumendos:

Rec.

XIV.

Rec. *Arcan. dupl. rad. ar. ppt. an.* ℥ß.
M. F. 3. ℞.

Postea *purgantes pilulas* :

Rec. *Extr. cathol.* ☿. *dulc. rite par. an.* ℈j.
dacryd. gr. v. F. pil. n. xxv. pro 1. dosi.

Hinc *decoctum sudorificum e lignis*, *cum alio potu secundario* leniendæ siti destinato. (d. 17. *Iun.*)

§. Georgandri *Filiolæ* (4. *Ian.*) jam per DEI gratiam restitutæ, in medicationis complementum ordinatus *haustus purgans* : Georgandri *Filiola*.

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xvj. sir. de cich. c. rh.* ℥v.
⊖ ✱. anis gtt. iiij. aq. acac. ℥ij. *M. pro 1. dosi.*

§. Gryllus 25. annorum nudius tertius frigore, post æstu correptus pomeridie, noctem inquietam transegit, heri melius habuit; Hodie repetitum *frigus* & *æstus febris* indicia præbuerunt. Pulsus erat celer & magnus cephalæa vehemens. *Vena statim secta.* Scripti 2. ℞. quorum unus hodie noctu, alter cras mane, cum vehiculo adjecto, seorsim quoque hauriendo, sumendus : Gryllus. *Febris.*

Rec. ♁. *diaph.* ♃. *nat. ppt.*
⊕. *ppt. an.* ℈j. *F.* 2. ℞.

Rec. *Aq. fumar. card. bened. acetos. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ℥j. *sir. acetos. citr.* ℥ß. *M.*

Fronti applicetur *emulsio externa.* Vinum vitetur, ejusque loco bibatur aqua fontana, cui panis tostus immersus. (d. 15. *Iun.*)

§. Ptosimus 40. annorum ante quatuor menses a frigidissimo haustu, quum vehementius æstuasset, incidit in *languorem*, *tussiculam siccam*, *inappetentiam*, *raucedinem*, *dyspnœam*, *tabem* : Ptosimus. *Metus tabis.*

Rec. *Rad. ar. ppt. helen. irid. flor. an.* ℥j.
lign. sassafr. ♁. *diaphor. an.* ℈iiij.
croc. opt. ℈j. *elæosacch. anis* ℥vj. *M. F.* ℞.

Sumat mane & pomeridie cusp. 3. cultri per se. Noctu autem excochleari potus ordinarii, qui sit vinum vetus lymphatum, 30. guttas *mixturæ* :

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ℥ijß. ℞. *croc.* ℥ß. *M.*

Cumque sit assuetus potui *theé*, mane hor. una post *pulverem* scutellas aliquot bibat, loco *sacchari comm.* addendo *pulverem rotul. tragacanthæ.* Diæta sit congrua.

XV. VX.

MErcurius iterum ultimam lineam quarti gradus æquavit, talis ad vesperam perseverans. Liquor *thermometri* mane paullo infra quartum gradum suspensus, vesperi mediam fere quinti gradus assecutus est. Noctem serenam secuta est clara & calida dies.

Gryllus.

§. Gryllus hac nocte bene quievit, remisit *capitis dolor*, cum æstu. Sanguis e vena secta emissus erat laudabilis, urina nimium adhuc tincta; hinc *pulveres* hesternos auctiore numero repetendos, cum *mixtura* vero & *frontali* pergendum esse duxi. (d. 16. *Iun.*)

Bryocepuri *Filiolus.*

§. Bryocepuri *Filiolus pulvisculum* d. 12. *Iun.* ordinatum assumere renuit, quin & quævis *medicamenta* horrere incipit. *Vomitibus* nondum cessantibus, *pulverem ex* ♁ *diaphor.* & *CC. usti* æqualibus portionibus constantem, ordinario potui in nodulo immergi volui, saltem, ut omnia tentasse viderer, quamvis virtutis aut parum aut nihil in liquorem deponi probe cognovissem, de quo alibi. Farinæ siligineæ pro coquendis pultibus quartam *amyli* partem admiscere jussi. Stomacho destinatum *emplastrum de crusta panis.*

Regenotti *uxor, Diarrhœa cruenta.*

§. Regenotti *uxori* gravidæ ac *diarrhœa* etiam cum striis sanguineis affectæ, cum *vertigine*, præter *electuarium* jam a GNOMILEGO ordinatum, præscripsi *tragema* ter in die ad cusp. 3. cultr. per se sumendum;

Rec. *Trag. gran. act. rubr. offic. an.* ℥vj. *M.*

In *vertigine* naribus admoveatur *pila antidinica*;

Rec. *Rad. doron. ver. valerian. an.* ℥ß.
succin. a. styr. calam. benz. an. ℈j.
sem. rut. coriandr. ppt. an. ℈ß.
Conc. cont. consp. ol. angel. gtt. iiij. F. c. sind. r. pil. odorifera. (d. 25. *Iun.*)

§. Podotes per *electuarium* nuperum a *febri* sua liberatus est.

Eclogistis *filiola. Variola.*

§. Inter omnes, quos tractavi, *variolosos.* ECLOGISTIS *filiola* deterius præ cæteris habet, sic, ut hanc primam futuram metuam, quæ, tempore mali hujus *epidemice* grassantis, sub cura mea vitam cum morte sit commutatura. Præscripsi consueta, confertim prodierunt, quamvis minores solito, & tamen post eruptionem neque symptomata solita remiserunt, nec infans (quæ est fere biennis) ullum cibum capere voluit, sed solius matris mammæ inhiavit. Dixerunt autem parentes, puellam a longo jam

tem-

tempore non amplius appetiſſe, hinc viſcerum pravam conſtitutionem ſuſpicor. Pavet ſæpe, *vociferatur*, *ſoporoſa eſt*, virium debilis, variolarum nulla vult areſcere, & tamen jam decima dies præteriit. Unum, quod me ſolatur, eſt *reſpiratio liberior*, ordinari *mixturam* cochleatim dandum: XV.

Rec. *Aq. roſar. borrag. fl. til. an. ℥iß.*
matr. perl. ppt. unicornu ver. an. gr. xv.
lap. bez. occid. gr. vj. conf. alk. c. ʒß.
ſir. fl. tun. ℥ij. M.

Naribus ad coalitum præcavendum *butyrelaum majoreaa*. (d. 19. *Jun.*)

§. Chondriæ pauperculæ *filia* 27. annorum, a *menſium*, ni fallor, *paucitate*, incidit in *tormina hyſterica*, *clavum*, *dolores lancinantes artuum*. Chondriæ *filia*. *Colica hyſterica. Clavus.*

Rec. *Rad. leviſt. Zedoar. angel. an. ℥vj.*

Conciſa coquantur cum aq. fontan. menſ. iß. ad conſumt. $\frac{1}{6}$ colaturæ mane & noctu capiat *hauſtum* calidum, inſtillando ſemper gtt. 40. *mixturæ*.

Rec. *Elix. fulig. Claud. ℥ß. eſſ. anod. ℈j. M.*

Cujus *mixturæ* pomeridie quoque hora tertia guttæ xxx. ex brodio carnis ſorbeantur. Capiti dolenti *unguentum* ex an. *alabaſtr.* & *popul.* Id genus hominibus medicamenta parum proſunt, cum, quæ his adjumento eſſe debent, culina ſuppeditare non poſſit. Immo, quam pretioſæ ſint merces, quas talibus quædam officinæ propter DEUM largiuntur, licet non ſemper demonſtrare, divinare tamen, augurio non admodum incerto, valeo. (d. 25. *Jun.*)

§. Schoarchi *uxor*, cum nec *mixtura* d. 13. *Jun.* ordinata eam quidquam ſolaretur, officinalium pertæſa, petit *remedium* vulgare *domeſticum*. Suaſi aſſumtionem *rob ebuli* mane & noctu ad cochlear I. una pergendo cum *ſacculo* nuper laudato. (d. 18. *Jun.*) Shoarchi *uxor*. *Aſcit tympan.*

§. Fidicinis *uxor* a medicamentis d. 13. *Jun.* ordinatis melius habet, ac iterum appetere incipit: cum iis igitur pergendum eſſe volui. Fidicinis *uxor*.

§. Botanicus, *Juvenis* 18. annorum, texturæ tenerioris in emporio quodam *ſuevico* mercaturæ addiſcendæ applicatus, hieme præterita rigidiſſima frigori expoſitus, forte non admodum laute paſtus, incidit in *tuſſim*, cum *raucedine*, *inappetentia*, *ſiti* & *ſpiratu difficili*. Re negle- Botanicus. *Phthiſis conſummata.*

XV. glectius habita, cum malum ingravesceret, ipseque ad servitia præstanda non sufficeret, Herus misericors tempore pluvioso cœloque non admodum favente miserum huc deportari curavit, qui totus madidus & fere semimortuus ante triduum appulit. Biduum requirebatur, ut vires e culina parum reficerentur, medicamenta enim deprecabatur. At vero, cum morbus internecionem minitaretur, cognatus ejus, apud quem diversabatur, me accersi curavit. Invenio vivum sceletos, *tussientem*, *purulenta exscreantem*, *sitientem*, *diarrhœa cadaverosa* affectum, *sudore colliquativo* diffluentem, *pedibus ad* suras usque *tumidum*: Hominem dico *phthisicum consummatum*, mortis canditatum. Cum medicamenta suavia se denique assumturum promisisset, ordinavi *electuarium*, cujus ter in die quantitatem juglandis caperet:

Rec. *Elect. resumt.* ℥ij. *conf. symphyt.* ℥ß.
miv. cydon. ʒij. *conf. de hyac.* ʒj.
Cor. r. ppt. C. C. ust. ppt. bol. arm. ppt. an. ℈ij.
nuc. mosch. ☿. ℈j. *extr. papav. comp.* ℈ß.
sir. cydon. q. s. F. Elect. molle.

Cochleatim capiatur *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag. veron. an.* ℥iij. *cinnam. cydon.* ℥j.
sir. myrtill. ℥ß. *M.*

Bibat *emulsionem amygdalinam*. Hic patriam suam, quod unice desiderat, non videbit, in veram, DEO favente, æternamque Patriam migraturus. Mutationem aëris nonnunquam *phthisicis* desperatis bene cessisse, *observationes*, cumprimit SYDENHAMIANÆ, testantur. An sic excusari queant, qui miserum hunc hominem ea tempestate huc transvehendum curaverunt, ipsi viderint. (d. 18. *Jun.*)

Moschus. *Febris interm.* §. Moschus per medicamenta d. 12. *Jun.* ordinata multum profecit; Cessat *febris* cum *vomitibus*, *diarrhœa* & *dolore lateris*. Cum tamen alvus adhuc solutior existat, & appetitus adhuc sit debilis, ordinatus *pulvis*, cujus ter in die 2. cusp. cultr. sumantur per se, vel ex brodio:

Rec. *Spec. diacret. Mynf. trag. gran. act. an.* ℥ß.
Conch. ppt. C. C. ust. ppt. an. ʒj.
elæosacch. caryoph. ʒvj. *M.*

Bibat in mensa *vinum absinthites compositum*.

XVI. Mer-

XVI. XVI.

MErcurius mane, qualis heri vesperi, hac vespera paullo infra medium quarti gradus subsistebat: Liquor *thermometri* mane in quarto gradu, vesperi ad medium quinti gradus surrexerat. Nox erat serena & calida: dies eadem.

§. Hamaxetæ *Filia* 28. annorum jam ante annum *menstruata* tempore pluvioso linteaminibus lavandis operam locavit. Inde *menses suppressi*, postea & usque huc *pauci*. *Fluor albus* diu vexavit, quem assumto *pulvere lamy* denique compescuit. *Cardialgia* laborat post quemlibet pastum, cum *ardore*, *nausea* & *aquæ vomitu*. In dextro syncipitis latere *clavus hystericus*. Dolor in *lumbis*, *urinæ difficultas*, quæ post soluta plane est aquea. *Tumor pedum œdematotus* usque ad talos. Sudor circa *mensium* tempus largissimus. Interim appetitus non est abolitus, non pallet, lassa tamen, & quum scalas ascendit, sine palmo dyspnoica. Magis frigent artus, quam calent. *Acidulas* DEINACENTES sine emolumento bibit, GÖPPINGENSES autem ferre non potest. Hæc virgo, quamvis nondum palleat, ad *cachexiam* tamen pituitosam prona est, quod multæ suadent. Sanguis est effetus, pituitosus, minus spirituosus, *pisculentus*, ut ita loquar, & *vappescens*: Hinc friget magis, quam calet, hinc *tumor* quoque pedum *œdematosus*. Lotrices operæ *tempore mensium* & cœlo pluvioso mali caussam magis explicant. Hinc enim sanguinis *orgasmus* ad mensium propulsionem necessarius, & cum hoc simul fluxus sistitur, sanguinique diathesis frigida & viscida imprimitur. Ordinatum primo *electuarium purgans* nobis consuetum. Hinc *pulvis* mane & pomeridie ad cusp. 3. cultri sumendus per se: Hamaxetæ *filia*. *Mensium suppressio*.

Rec. *Spec. diacret. Mynf.* ℥ß. *pulv. cach. qu. inc.* ʒiij.
arcan. dupl. ʒj. *extr. papav. c. gr. xij.*
balsamosacch. pernv. ʒvj. *M.*

Noctu ante somnum ex cochleari vini sum. gtt. xxxx. *mixturæ*:

Rec. *Elix. balsam.* ♂. *nervin. an.* ʒiij.
ess. anod. ʒß. *M.*

Novum habemus exemplum detrimenti a potu *aquarum* GÖPPINGENSIUM patrati. Sic dicant, qui more consueto philosophantur: DEINACENSES *ferre potuit*, GÖPPINGENSES *non potuit*. Ergo. Respondeo, ipsam SUALBACENSES & EGRANAS longe minus, quam GÖPPINGENSES laturam fuisse. Sapienti sat. (d. 3. *Jul.*)

Acro-

XVI. Acropolitani uxor. Diarrhœa.

§. Acropolitani *uxor* medicamenta d. 28. *Maji* ordinata cum effectu non pœnitendo uſurpavit. Nunc autem ab octiduo conqueritur de *diarrhœa bilioſa* cum languore & appetitu imminuto: Et, cum macreſcere ſibi a tempore aliquo videatur, jam aliquandiu bibit *aquam tanaceti compoſitam* valde famoſam, de qua alibi. Nam *phthiſicam* ſe eſſe credebat. Hæc aqua quum ejus partem non minimam *folia quercus* conſtituant, adſtringere potius, quam alvum laxare debebat. Sed ego in muliercula tenerrimæ texturæ, & ventriculo valde debili præditæ, tonum hujus & inteſtinorum laxaſſe, ſicque & imminuto appetitui & *diarrhoeæ* fores pandiſſe credo, quod ſolent *aquæ ſtillatitiæ* minus *oleoſæ* & *balſamicæ* avidius hauſtæ. In eo enim plerumque vulgus delinquit, quod *aquas* ejusmodi *famoſas* & aliquibus proficuas compertas ſine ullo ætatis, ſexus & conſtitutionis diſcrimine, nec ulla doſeos adæquatæ habitaratione bibant, ſicque cuilibet peti eundem cothurnum aptare ſuſtineant. Delinquit in eo, quod *macritudinem* quamlibet pro *phthiſi* habeat, qualis apud noſtram vix ulla ſunt indicia, cum non *tuſſiat*, & *liberrime ſpiret*. Sed illud quoque, quod mihi recenſuit non omnino negligendum: nempe, ſe *diarrhœa* primis a conceptu temporibus corripi ſolere; cum igitur hoc ipſo tempore *menſes* alias ordinatiſſime fluere ſoliti, per 14. dies emanſerint, ſe certam non eſſe, annon *diarrhœa* graviditatis etiamnum ſit ſignum? Ego ſequentia ordinavi:

Rec. *Spec. diacret. Mynſ. trag. gran. act. an.* ℥ij.
ſpec. diatrag. frig. ʒij. *ol. nuc. moſch. expr. gr. vj.*
extr. papav. c. ℈ß: *M. F.* ☿.

Summatur mane & pomeridie 3. cuſp. cultr. per ſe.

Rec. *Extr. torment. papav. comp.*
bez. Camer. an. gr. vj. F. pil. nro. xviij.

Singulis noctibus deglutiantur numero ſex. Potus ſit *emulſio amygdalina.* (d. 25 Jun.)

Gryllus. Febris. §. Gryllus hodie *febrile* nihil ſenſit. Vires redeunt. Appetitus viget. Ut rerum ſuarum provide ſatageret, nec maturius labori accingeretur, monui, meque viribus integrioribus *laxativum* præſcriptum eſſe, promiſi. (d. 17. *Jun.*)

Retelirae uxor. Phthiſis. §. Retelirae *uxor* 50. annorum, liberorum plurium mater, mulier vinoſa, a multo jam tempore *tuſſit, difficulter ſpirat*, parum exſcreat, illudque viſcidum, ſitit, ſudat, *contabeſcit*, variis *remediolis domeſticis* fruſtra ſe maceravit. Ut rem ſummatim complectar, *phthiſica* eſt, eaque con-

consummata, nec mortem facile evasura; eo minus, quod simul artuum adsint lacerantes dolores, *atrophiæ scorbuticæ* cum *arthritide* conjunctæ, per se periculosæ, soboles. Balneavit in nostris *cervinis*; continuationem prohibui. Bibat ter in die calidum haustum *decocti pectoralis*, instillatis semper guttis xxv. *mixturæ* sequentis: XVI.

Rec. ♌. *cochlear.* ⊖✱. *anis. an.* ʒj.
℞. *croc.* ʒß. *M.*

Prævia frictione pannis calidis fumigatis perficienda dolentes artus calide inungantur *linimento* consueto ex an. *ol. lumbric.* & 🜄. *camphorati*, cum octava parte *ess. anod.* mixtorum. (d 24. *Iun.*)

§. Symmachi *Filiolus* 4. annorum confertissimis & *confluentibus variolis* periculose decumbit, *medicamenta* insuper aversans, & in *pustulas* immaturis ungue petulanti licentius involans. Quæsiti Parentes, cur nunc demum *Medicum* accersent? responderunt, *Filiolam* nuper e *variolis* benignissimis sine ulla *Medici* ope convaluisse, idemque hic eventurum se credidisse. Periculo denunciato, cum puellus insuper liquida & fœtidissima cacaret, ac nimium quantum indesinenter biberet, *materiam perlatam* in nodulo potui ordinario, *arthydro* nempe, immergere jussi. *Mixtura* sequens cochleatim exhibeatur.

Symmachi *Filiolus*. *Variolæ*.

Rec. *Aq. fumar. scord. fl. til. an.* ℥ij.
bez. miner. CC. philos. an. ℈j.
conf. alk. inc. ʒß. *sir. rub. id.* ℥ß. *M.*

Ut puellum ab excoriatione faciei studiosissime arcerent, monui.

Ipsius *Sororculæ* 2½. annorum demum *variolarum* prodromos sentire incipienti ordinata cochleatim haurienda *expulsiva emulsio*:

Rec. *Sem. melon.* ʒij. *nastur. aquileg. an.* ʒj.
aq. fumar. card. bened. ceras. n. an. ℥jß.
F. l. a. Emuls. add.
♁ *diaph. CC. philos. an.* ℈j. *sir. papav. err.* ℥ß. *M.*
(d. 17. *Iun.*)

Dixeram, ad præcavendum oculorum damnum illitum lactis muliebris crocati esse proficuum; Mater infantis respondit, esse sibi fratriam puerperam, a qua tale lac impetrari posset. Cum autem ista mulier *deliriis melancholicis* summopere sit obnoxia & suspicacissima dissuasi, ut ab ea lac peterent. Quidquid enim post mali in domo lactentis contingeret, mulierem *melancholicam* ac sæpe *deliram* maleficio cum *lacte* patrato adscripturam eo magis esse, quin, cum *delirat*, nil nisi *maleficia* secum

XVI. patrata loquatur; atque sic inter necessitudine junctos discordiæ semina spargi posse credebam; quod non frustra moneri capientes intermiserunt. Cautelam hanc sibi dictam putent juniores practici.

Eudoxus. *Morbus niger Hippocratis.* §. D. Eudoxus mihi narravit, se patientem in cura habere vetulam septuagenariam, *Morbo nigro* HIPPOCRATIS laborantem, & num unquam talis mihi curandus obtigerit, interrogavit? Qualitas de *pathognomonicis*, respondit: Per *vomitum* & *alvum* ejicere nigra & viscidissima; Nullus exacte talis mihi per hos 30. quibus praxin exerceo, annos oblatus. Memini quidem ante 29. circ. annos virum quinquagenarium, qui in juventute sæpe solitus erat in compotationibus vitra dentibus confracta deglutire, *torminosum* denique & *tympaniticum* postremo factum, omnia per os hausta dicto fere citius nigerrimo colore tincta revomuisse, adeo, ut *lac* quoque *amygdalinum* nigerrimum odore & sapore nil alteratum, ac demum potum per os rejiceret; Sed nigra simul per alvum non deposuit, nec alia casui EUDOXIANO congruunt. In *Museum* tamen rediens HYPPOCRATEM meum evolvi, & *lib. II. de morb. n. 196.* ita loquentem reperi: *Bilem atram (sc. qui morbo nigro laborat) tanquam fecem vomit, interdum quidem, velut sanguinem, interdum vero velut vinum secundarium, quandoq; etiam velut polypi (piscis) atramentum, quandoq; acidum, tanquam acetum, nonnunquam vero salivam & pituitam tenuem, nonnunquam bilem ex viridi pallidam. Et cum nigrum quidem cruentum vomuerit, cadem olere videtur* &c. Hic nihil de *alvina dejectione nigra*. Paullo post idem HYPPOCRATES in remedii vicem adhibere jubet *serum & lac.* Morbi hujus caussam radicari in *scorbutica massa sanguinea impuritate* multa suadent, quæ vel digito tetigisse jam sufficiat. Periculosum esse quilibet sibi facile imaginari potest, in nostro cumprimis tam senili corpore. Nam illam mulierem jam Ann. 1706. in cura habui *scorbuticam*, *hystericam*, *spleneticam*, quamvis ostium invisibile factum sit; Propterea & nostrum EUDOXUM consolatus sum *pentametro*, *Medico* cuidam STUTGARDIENSI olim familiari:

Tu nihil accipies, & mihi nil dabitur!

Morbus est *niger*, *niger* patiens ingratus, *niger* postulans *Medicus*; omnia conformia!

Nigremmergi *uxor.* *venæsectio.* §. Nigremmergi *uxor* (d. 14. *Iun.*) anxie flagitavit, ut ipsi concederem *venæsectionem*, eo quod esset in *Calendario* signum omnino favorabile; seque jam per biduum pulsationem & tumorem venarum sensisse. Cum intimius huic imaginationi inhæreret, nec aliquid in contrarium afferre potuissem, concessi. Lustratus pomeridie sanguis consistentia, colo-

colore &c. sane laudabilis erat, claro rursum indicio, multa gravia symptomata *spiritibus* magis, quam ipsi *sanguini*, accepta ferenda. Ipsa mulier hilaris & vegetior, multum isti *venæsectioni* tribuebat, in qua sententia eam confirmavi: Cur enim in concepta tam eximia spe turbarem? DEMEÆ sunt *Medici*, nec satis prudentes Practici, qui connivere, quum conducit, nesciunt. XVI.

§. Acoluthi *uxor*, cum a *mixtura* d. 14. *Jun.* ordinata non tantum *sanguinem spuere* desiisset, sed insuper bellissime sibi valere videretur, & venæsectionem in *saphana*, & *jus medicatum* omittere decrevit. Male. Sed, quid faciat *Medicus*? Fortasse mulier quædam nasuta ex transverso adveniens *Medici* consilium puerperæ *venæsectionem saphenæ* imperantis improbavit, ceu rem inauditam & noxiam futuram. Insolita est res, non inaudita. Sed indicabatur in illo subjecto. Tale quid non capiunt *mulieres*, atque sic multa salutaria consilia perperam eliduntur. *Ubi hic in* MEDICUM *fiducia*?

Acoluthi *uxor.* *Hæmoptysis.*

XVII.

XVII.

MErcurius per $1\frac{1}{2}$. lineas ultra tertium gradum ascendit & talis mansit; liquor *thermometri* mane paullum supra 4. gradum surrexerat, vesperi quinti gradus medium occuparat. Nocte præterita tonitru non vehemens, cum insequente pluvia; dies mediocriter serena & anxie calida.

§. Soterodaclytus nomine Antispudastis, viri plus quam sexagenarii, ad me sequentia: Hic vir jam intra 5. septimanas *doloribus nephriticis* vehementer cruciatus fuit; præterita septimana novem *calculos*, quorum bini magnitudinem fabæ æquaverant, summis cum tormentis eminxit: unde viribus adhuc valde languet, semper decumbit, nihil cibi vel potus appetit. Refugium in *balneis mineralibus* quærere decrevit, igitur per me contari sinit, quæ nam *aquæ* nostri DUCATUS propellendis *calculis* residuis, magis accommodæ mihi censeantur, & quomodo in istis se gerere debeat? Medicamenta interna hic vir nullatenus assumere potest, hinc ejus doloribus hactenus solis *clysteribus* lacteis, *litibus* externis, *cataplasmatis* emollientibus occurrere necesse habuimus. In hanc sententiam respondi: si possibile esse medicamen ullum admittere, laudarem *pulverem meum nephriticum e radice althæa, gummi cerasorum, terebinthina cocta, oculis* ♋. *crud. contusis, asellis pptis*, ⊖. *succin. volat. & elæosacch. petrosel.* Cum autem tale quid a se non possit impetrare patiens,

Antispudastes. *Calculosus.*

XVII. *lotiones minerales* a me non sufficientes credi; suadere me potius, ut *acidulis* prius per 14. dies potis reliquum sabuli *Lapillorumq;* e renibus, reliquisque viis urinariis everrere tentaret, quod GÖPPINGENSES *aquas* non semel præstitisse recorder. Hoc facto BOLLENSES *balneas* adiret, tonum renum horumque fibrarum roboraturas, & curæ complementum addituras; quod, ubi facere decreverit, me consilio informatorio circa modum utendi non defuturum.

Hipparius. *Phthisis.* §. Hipparius (14. *Junii*) hactenus semper in pejus lapsus adeo lanquet, ut pedibus amplius incedere non possit, ac sæpe deliquia patiatur. Non facile observavi, *phthisicum* quasi simul & semel adeo deficere. Dato propinquis prognostico mortis propediem adfuturæ (NB nam & *diarrhœa* jam adest) commendavi pro potu *emulsionem amygdalinam*:

Rec. *Pulv. anal. frig. Mind. c.*
physicrat. an. ʒiß. M.

Sumat interdum 2. cusp. cultr. per se, & in ore sensim liquescere sinat. Cochleatim vero hauriatur *mixtura roborans*:

Rec. *Aqu. confort. offic. ℥iij. acac. cinnam. bugl. an* ℥j.
conf. alk. c. ʒj. *sir. fl. tun.* ʒij. *M.*

Naribus odmoveatur *odoriferum* in *deliquiis*:

Rec. *Aq. naph.* ℥j. *acet. rub. id. rosar. an.* ℥ß.
~. lavend. lil. conv. an. ʒiß.
⊖. vol. oleos. ʒj. *M.* (d. 19. *Jun.*)

Gryllus. §. Gryllo in complementum curæ *febrilis* ordinatum *electuarium purgans* consuetum, cras assumendum.

Opillionis *uxor.* *Alvi constipatio.* §. Opilionis *uxor purgans* d. 14. *Junii* ordinatum hodie demum assumsit, præviis *pulveribus digestivis*. In corpore tamen sine effectu, quod mihi post *digestiva* raro visum, quievit. Pomeridie igitur data OSWALDI *potio*, cujus, antequam alvus solveretur, omnes tres portiones bibere coacta fuit. (d. 26. *Iun.*)

Dendronius, *Cholera humida.* §. Dendronius ex GNOMILEGI *Consilio* adiit *balneas minerales* vicinas. Illis non sine effectu lotus (laborabat enim specie quadam *arthritidis*) *Barbum* piscem comedit, in quo coqua reliquerat *ova*. Incurrit *choleram humidam* medicamentis vix superabilem. Coqua hujus effectus gnara esse debebat, ea præcipue, quæ *balneantibus* cibum ministrat. Unico tali symptomate protervia fit omnis lucri per tot loturas minerales antea capti. *Vid. obs. 25. Dec. II. Ann. I. Eph. Cur.* ubi recensetur Historia mulieris gravidæ, quæ ejusmodi *ova* cœnata *choleram* peri-

periculosissimam incurrit, curata *theriaca* ʒj. & *pulvere præcipitante cum opio* in *aq. lactuc. exhibito, fotuque externo.* Rholium notabilia multa habet, præsertim id quoque, quod PRÆVOTIUS de *venenis* p. 799. non vereatur *ova barbi* censui *venerorum* sui generis adscribere, & QUERCET. cum *vitro* ♁. comparet. XVII.

§. Symmachi *Filiolus* in deterius in dies labitur, medicamenta quoque semper magis horrens. Prognosticon tuli haut favorabile. (d. 18. *Jun.*) Symmachi *Filiolus. Variola.*

Uxor ipsius 45. circ. annorum jam a longo tempore patitur *vomitus hypochondriacos* valde molestos, cumprimis matutinos. Alioqui vegeta est, bene ingerens, digerens, egerens, dormiens. Suasi, ut *acidulas medicinaretur.* Uxor. *Vomitus hypochondriacus.*

XVIII.

XVIII.

MErcurius ultimam fere lineam quarti gradus occupavit, sed vesperi ad primam rursum decidens. Liquor *thermometri* paullo infra quartum gradum mane constitutus, vesperi ad quinti gradus medium surrexit. Nox erat serena; circa diei vesperam imbres præcipitati fuerunt.

§. Crejus 43. annorum; *hypochondriacus, scorbuticus, podagricus,* macilentus, cholericus, *acidulus* EGRANAS domi potaturus erat, sed ex mandato sui PRINCIPIS iter VIENNAM indictum fuit. Durante itinere, immo quoque VIENNÆ (quamvis tunc non tam crebro,) mane & noctu capiat cusp 3. cultr. de sequenti *pulvere* per se: Crejus. *Hypochondriacus.*

Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ℥j *pulv. cach. Qu. c.* ℥ß. *M.*

In quolibet autem pastu, cum primo haustu vini gtt. xxv. ad xxx. *mixtura*:

Rec. ℞. *propriet.* ℥ß.
ess. trif. f. ~. *cochl. an.* ʒij. *M.*

VIENNÆ more ibi solito bibat *acidulos* ROITSCHENSES. Bibunt autem in lecto cubantes lagenam integram per 9. dies & vocant dimidiam curam, vel per 18. dies, & vocant integram. Operatio decumbentiam potissima est per *sudorem.* Una lagena continet mensuram circiter unam *Würtembergicam.*

§. Leontolithus ad me scribit, se potare constituisse *acidulas* EGRANAS. Quærere, num satis tutum existimem, eas bibere frigidas, ob stomachi summam debilitatem, an vero calefieri præstet, vel quo pacto sub earum usu ventriculo providere queat? semper se æstuare, ac cum Leontholithus. *De frigido & calido acidurum potu.*

XVIII. vel minimum in potu excedat, tumefieri fauces, uri se *sota*, unde se concludere latentem in stomacho acrimoniam, vel aciditatem, &c.

Responsum a me, stomachum debilitari ab *acrimonia biliosa liquorem gastricum* corrumpente. Hinc a *calidis* se lædi, fauces inflammari, *sotam* excitari. Bibendas igitur *acidulas* non calefactus, sed tales, quales MEDICORUM SUMMUS scaturire voluit. *Æque mihi absurdum videri, si acida calefacta, quam si therma refrigerata* bibantur. Præterea cum sine omni virium dispendio in vase aperto calefieri nequeant, lagenæ, quod solent calfactores, angusti colli inclusas, probe obturatas, & in ferventem collocatas, incalescere quidem, sed *spiritus* sursum latos in superficie phlegmatis adeo colligi, ut aquæ primi haustus sola sit potabilis, hinc ad totidem haustus totidem lagenas, adeoque magnum aquæ impendium requiri. Tantam quoque esse partium spirituosarum in his aquis *leptomeriam*, ut quovis etiam modo operculata lagena; per aquæ foventis agitationem spirituum illorum revera dispendium fiat. Cum particulæ igneæ poros lagenæ impediantur, (alias enim *acidulæ* calefieri non possent) expelli per eosdem poros *acidularum* quosdam *spiritus* impossibile censendum non esse; etiamsi particulas, *igneas*, istis aqueis esse subtiliores concedatur. Præstare, igitur ut, quales scaturierunt, *acidulæ* relinquantur.

Oxalis. *Metus febris.* § Oxali, de qua 21. & 23. *Febr.* ante annum *febricitavit*; nunc varia repullulaturæ *febris* præludia sentit; *horripilationes* fere sunt continuæ, *lassitudo*, *inappetentia*, ructus acidi, *Purgatione* ob senium peperci, mitiori modo rem tentaturus:

Rec. *Spec. diacret. Mynf.* ℥ß.
conch. ppt. matr. perl. ppt. fl. ⊖. ✱. *an.* ʒj.
elaosacch. caryoph. ʒvj. *M.*

Sumat mane & pomeridie cusp. 3. cultri; noctu vero gtt. 50. *elixiris* cum cochleari vini hauriantur:

Rec. *Elix. balsam.* ʒiij. *ess. trifol. fibr.* ʒiß. *M.*

Potus sit vinum vetus lymphatum.

Anthemii uxor. *Menses dolorifici.* §. *Uxor* Anthemii 32. annorum, aliquot liberorum mater, tenerioris texturæ & *symptomatis hystericis* jam olim obnoxia, in utroque hypochondrio circa mensium tempus sentit *dolorem lacerantem* acerrimum, sursum ventriculum versus, protensum, cessantem statim, ubi repagulis uteri ruptis menses prodeunt. Prima vice dolor erat mitior & menses uberius fluebant; secunda vice ferocior his postea minus fluentibus,

tibus, tertia vice acerbissimus, fluore adhuc parciore existente. Dixi *plethoram* adesse, sed cum *sanguinis viscedine* conjunctam; inde fieri, ut minus circa *mensium* tempus ad ebulliendum aptus evadat, agitetur quidem, sed non satis; vasa hypogastria expandat, dolorem autem ista expansione excitet: fore, ni succurratur, ut summo cum dolore *menses* plane supprimantur. Cum *balneas medicatas* adire nolit, *insessum* parare jussi: XVIII.

Rec. *Rad. filic. bryon levist imperat.*
alth. an. ℥ij.
fl. chamom. mvj. fol. ebul. miij.
herb. matricar. puleg. salv. rorismar. an. mij.
summit. artemis. mij. bacc. junip. mj.
Sem. lin. fœnugr. an. ℥iij.

Concisa cont. coq. in aqua fluviali, decoctum labro infundatur, imittatur corpus umbilicotenus, aqua non admodum calida existente, lavetur eo modo, quo in *balneis mineralibus*, qualem jam aliquoties descripsi. Post ternas lotiones recipiantur aliæ *species*. Expediatur hæc lotura tribus hebdomatis. Mane insuper ex scutella *Thée*, noctu ante somnum ex cochl. vini sumantur guttæ 50. *mixturæ*:

Rec. *Elix. aperit. Claud.* ℥ß. ℞. *tart.* ʒij. *M.*

§. Trochopœi *uxor* ab aliquot diebus puerpera, sex liberorum mater, quadragenana, *lochiis* non rite fluentibus *febrim* accendit cum *dyspnoea tussique* valde molestis & abdominis tumore, viriumque totali languore, siti, inappetentia &c. Nonnunquam & *syncoptici* aliquid adest. Rem omnem *lochiis suppressis* deferens, ordinavi *decoctum*: Trochopœi *uxor. Lochia suppressa. Febris.*

Rec. *Spec. pro Dec pector.* ℥iij.
herb. puleg. meliss. matricar. an. mß.
rad. bryon. ℥ß. *angel.* ʒiij.

Concis. cont. coq. in aq. simpl. font. mens. iß. ad consumt. $\frac{1}{6}$. *colaturæ ter in die bibatur haustus calidus*, instillando semper *mixturæ* sequentis gtt. xxx.

Rec. ℞. *castor.* ⊖. *vol. oleos. an.* ʒj.
ess. croc. ♁. *cochl. an.* ʒß. *M.*

Cochleatim usurpetur, quod sequitur:

Rec. *Aq. meliss. charefol. an.* ℥ij.
hirand. c. castor. hyster. offic. an. ℥ß.

mixt.

XVIII. *mixt. simpl.* ʒß. ♁. *nat. ppt. diaph.* ♃ *an.* ℈j.
fir. artemis. r. ℥ß. *M.*

Utetur potus frigidus. (d. 19. Jun.)

Melodidascalus. *Hypochondriaca affectio.* §. Melodidascalus (d. 11. *Jun.*) per quosdam diætæ errores in *anxietatem hypochondriacam* cum summo dolore dextri lateris, *dyspnœa* &c. delapsus est; Aderat *vertigo* cum *tremore*; cochleatim sumatur *mixtura:*

Rec. *Aq. lavend. fl. til.* an. ℥ij.
elix. uter. Cr. ʒj. ♄. *succin.* ʒß.
C. C. ℈j. *fir. fl. poeon.* ℥iij *M.* (d. 28. *Jun.*)

Lasciva senectus. §. Halon mihi narravit, in *Ducatu* BRUNOVICENSI ante paucos annos Senem 115. annorum a *trinepti* sua deprehensum & proditum fuisse, tanquam rem habentem cum *abnepti* sua. Cum autem & irriti fuissent ipsius conatus & ipse mentis non amplius compos, *abneptim* fustigatione, dementissimum autem *silicernium* pœna mitiore plexos. Rarum pariter atque detestandum facinus. Confer, quæ sub rubrica *Anus hircissantis* communicavi ad *Ephem. Cur. Ann. VII. Dec. II. Obs.* 238. Vetulam nempe 100. annorum in stupro deprehensam cum seniculis altero 87, altero 76. annorum. Ex morbo potius, quam animi libidine portentosam istam *salacitatem* profectam fuisse, si quis crederet, non opinor, absurdus esset.

Botanicus. *Phthisis.* §. Botanicus ille, cujus d. 15. *Jun.* facta mentio, per horas fere fit languidior, & respuit omnia medicamenta. DIARRHOEA cadaverosi fœtoris augetur, pedes tument, ipseque vix digitum movere potest. *Vomitus* omnium assumtorum malis dat complementum. Incipit quoque *delirare.* Brevi morietur. (d. 20. *Jun.*)

Symmachi *Filiola.* & *Filiolus.* §. *Filiola* Symmachi quot passibus festinat ad sanitatem, tot passibus in mortem filiolus ruit. Facies quasi ad ignem tosta, manus & brachia tumidissima & plane livida. Nihil assumit. Obibit fatum. (d. 21. *Jun.*)

Schoarchi *uxor.* §. Schoarchi *uxor* (d. 15. *Jun.*) a *rob ebulino* nupero levatu videtur. Jussi repetere usum istius *rob* & simul bibere *decoctum radicis ebuli*, quo solo, multis incassum usurpatis, venter *hydropicæ* puellæ rusticæ expedito detumuit, ipsamque salvum præstitit. (d. 21. *Jun.*)

XIX.

XIX.

MErcurius fere in medio quarti gradus mane constitutus, vesperi per dimidiam lineam cecidit: Liquor *thermometri* paullo supra quo-

quartum gradum quiescens vesperi medium quinti gradus attigit. Pomeridie tonitru cum pluvia larga. XIX.

§. Eclogistis *Filiola* (15. *Iun.*) *variolosa* periculose decumbit; nil quidquam, præter lac maternum, assumit, *variolarum* in facie nulla maturatio, nasus horribiliter obsessus, pulsus depressus; attamen nusquam adhuc livor vel *sudor* quoque *frigidus*. Spiritus ægre ducitur: Eclogistis *Filiola.* *Variola.*

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iß. *fl. til. ceras. n. an.* ʒvj.
~⊖✳. *anis.* ℈j. *conf. alk. c.* ʒß.
sir. fl. tun. ʒij. *M. D. cochleatim.*

Eventus morbi est valde dubius. (d. 25. *Iun.*)

§. Hipparius (d. 17. *Iun.*) pergit viribus deficere, vixque verbum clarum profari potest: Pulsus est debilis, mens non admodum stabilis. *Emulsionem amygdalinam* fastidit. Præ odorifero nuper ordinato *aquam* REGINÆ HUNGARIÆ eligit. Pergant cum *pulvere* & *mixtura* roborantibus: Paretur *gelatina caponis* cum *pede vitulino*, & in jusculis liquefacta exhibeatur. Ne per momentum solus relinquatur, siquidem credibile, eum animam propemodum inadvertenter efflaturum, (d. 20. *Iun.*) Hipparius. *Phthisis.*

§. Trochopœi *uxor* se *Decoctum* nullatenus bibere posse affirmat: A bis poto semper secutos *vomitus*. Maritus *mixturam* guttatim instillandam per se dedit, quia decoctum potare recusavit, sine vehiculo, de cujus acrimonia & ardore in faucibus valde conquesta est. Dixi, non præberi posse vel debere per se, sed imposterum miscendam cum potu ordinario. De reliquo in tantum melius habet, ut & spiret liberius, & *lochiorum* aliquid denuo prodeat. Pergant igitur cum *mixtura* guttatim & cochleatim sumendis. Trochopœi *uxor.* *Lochia suppressa.*

§. Singulis annis circa *Festum* S. JOHANNIS BAPTISTÆ congregantur *Chirurgi* hujus urbis ac præfecturæ, cum illis qui tribui ipsorum sunt incorporati, CANTSTADIENSIBUS, LEOMONTANIS, SINDELFINGENSIBUS &c. cui congregationi dies hodierna dedicata. Convenitur in Curia civitatis; Conventui præest. *Urbis præfectus*, assidet *Physicus ordinarius & extraordinarius, bini Chirurgi jurati, bini ærarium chirurgicum administrantes, cum binis suis adjunctis, & Archigrammateus*, qui protocollum, quod vocant, conficit. Circumstant omnes *Chirurgi*; Propositio fit a *Præfecto*, & caussa conventus exponitur; Hinc ab *Archigrammateo* clara voce prælegitur *Constitutio chirurgica Ducalis* (die Fürstliche Barbier-Ordnung) Postea rationes redituum & expensarum totius anni examinantur, justificantur, publice prælegtuntur, & subscribuntur a *Præfecto*, *Physicis* Conventus *Chirurgicus.*

XIX. *& Chirurgis juratis.* Hinc exire jussi *chirurgi* omnes, præter assidentes, sigillatim admittuntur, quilibet annuam symbolam pendit, (giebt sein Leggeld) si ipsi est, de quo conqueratur, id proferre jubetur, & medela promittitur; Itidem, si vel a *Physico*, vel aliis quid in præsente Chirurgo desideratur, ejus excusatio, si quam habet, auditur, ipsoque pro re nata vel absolvitur, vel in mulctam condemnatur. *Discipuli* si qui sunt vel *chirurgicis* sacris initiandi, vel a *discipulatu* eximendi, prolatis prius necessariis testimoniis inscribuntur, & exscribuntur. Absentes caussam cur non compareant vel per litteras, vel mandatarium alium *chirurgum*, cum missione *symbolæ*, significare tenentur, nisi hoc fuerint, vel ob caussas frivolas emanserint, mulctandi. Per vota denique eliguntur novi *ærario præfecti*, & monitis salutaribus datis, initoque consilio, quo pacto querelis medicandum sit, conventus finitur. Olim convivium fuit instructum, quod ab aliquot annis, dato singulis *Præfecto* nempe, *Archigrammateo* & *Assessoribus* numo, fieri desuevit.

Quæ in isto conventu singularia occurerunt, fere erant sequentia: quum multi non tantum symbolas aliquot annorum non pependissent, conventumque ludificare deprehenderentur, sed & frivolas ob caussas ante annum non comparentes, mulctam dictatam solvere detrectassent; unanimiter conclusum fuit, ad elidendam istam petulantiam sancire; ut, quisquis imposterum officio suo his in partibus deesse pergeret, eo ipso licentia exercendi *chirurgiam* privaretur, nec ipsi concessum sit, aut discipulum docere, aut servum alere, donec præstanda præstiterit.

Aliqui nunc præsentes, sed ob emansionem ante annum mulctati docere cogebantur emansionis suæ sonticas caussas. Nonnulli tempus conventus sibi non fuisse significatum dicebant: quæ excusatio in vicem juramenti tacto apice baculi judicialis confirmanda fuit: (Sie müsten an den Gerichts-Stab an Eydes-Statt angeloben) Alius quidam se ante annum ob *hemiplegiam* in *thermis ferinis* fuisse affirmabat; cujus rei testimonium authenticum intra mensis spatium afferre jussus fuit. Alius quidam per mandatarium significavit, se intra biduum venturũ, cur hodie non venerit; expositurum & symbolam suam allaturum esse. Sub mulcta dictata ipsi responsum, hoc moris non esse. Hodie celebrari conventum, cui vel interesse, vel caussam absentiæ cum missa symbola exposuisse

isse debuerit. In ipsius gratiam intra biduum novum conventum celebratum non iri. *Articulis constitutionis* DUCALIS insistendum, neque ab illis præter urgentem necessitatem, vel ad latum unguem esse discedendum. Erat porro, qui caussam absentiæ scriptis declararet, quod locus habitationis suæ sit procul hinc dissitus, igitur sibi commodius visum accedere congregationi opidi vicinioris. Per ipsum non stare, utri gregi velit accedere, responsum, ipsique mulcta dictata fuit. NB. Neque grex alter hunc recipiendo bene fecit, quippe qui ex *constitutione* DUCALI nosse debebat, locum istum adnumerari *præfecturæ* LEOMONTANÆ, conventus STUTTGARDIANO incorporatæ. XIX.

Stuttgardiani nostri querebantur de *praxi Chirurgica Carnificis, Cursoris cujusdam* DUCALIS, *Subulci*. His interdictum fuit sub mulctam ne manus amplius his operis commodarent.

Chirurgus quidam Juvenis artem profitebatur, neque renunciatus *Magister*, neque Magistro cuiquam serviens. Promisit se proxime præstanda præstiturum ac interim *chirurgicam* artem non exercitaturum.

Alius in civium nostrorum numerũ receptus ac TUBINGÆ examinatus, artem exercebat, nec tamen *Collegio chirurgico* ingenuitatem suam probabat. Jussus est, cut ab artis exercitio desistere, aut infra 14. dies *Magistris juratis Magisteriale diploma*, & reliquæ servitiorum discipulatusque testimonia exhibere.

§. Acoluthi *Filiolus* 4. annorum ante triduum vim maximam *ribesiorum* nec admodum maturorum, comedit, indeque in *choleram humidam* incidit, ac, tametsi nudius tertius in domo versarer apud alium ægrum, parentibus non insciis, attamen, quod puellus medicamenta aversaretur, meum consilium non quæsiverunt. Interim in pejus lapsis omnibus hodie vocor. Reperio puellum morti proximum, oculos vitreos, sudorem frigidum, spiratum *agonizantium*. Admittebat propinata, sed pure passive se habens, insensilis & semimortuus. Præscripta ad ipsorum instantiam *mixtura* & *balsamo cordialibus* dato prognostico discessi, puello quinque post horis fatis cedente. Hæ *baccæ* ob facultatem subadstringentem ad alvi fluxus, & cumprimis *choleram* hinc inde commendantur; quod cum grano salis accipiendum. Immatura fuerunt ista, & in dosi excessus.

Acoluthi *Filiolus*. *Cholera humida*.

§. Zeno bene potus vesperi domum reversus ab uxore litigiosa jurgiis excipitur, quæ verberibus retundere satagebat. Mulier in rabiem versa *epileptice* convellebatur, neque adventante adhuc apri ad instar spumabat. Colaphos libentius impegissem, quam

Zenonis *uxor*. *Epilepsia*.

XIX. quam pharmaca propinassem. In hunc vero magis, quam illum finem, vocatus, externe naribus illevi *liquorem cornu cervi succinatum*, intus cochleatim præbere jussi.

Rec. *Aq.fl.til.ceras.n.an.* ℥ij. *epil.L.* ℥j.
Ra.castor. ℈.ij. *specif. cephal.* ʒß.
sir.fl.pœon. ℥ß. *M.*

Brevi ad se rediit, imposterum secum manere jussa.

Dealbatio ceræ. §. Hodie fui in *officina* Ducali, *in qua cera pro candelis dealbatur. Magister artis* me varia docebat. Cera primo liquefit in aheno, ex illo majore aheno liquefacta derivatur in ahenum minus foraminibus in fundo pervium: Inde cera liquida profluit super vectim satis crassum, & amplum, qui perpetuo circumagitur, ab hoc vecti cera defluit in trullam aqua frigida plenam, & sub tæniarum forma colligitur adhuc plane flava, licet in ipsa fusione quisquiliæ quædam remanserint. Hæc cera tæniata exponitur calori solis sub dio, cœlo pluvioso aut removetur, aut linteis crassis tegitur. Per dies aliquot soli exposita sensim albescit: alba denuo liquatur, &, quod mirissimum, tantum sordium deponir, quantum vix in cera jam alba, quisquam sibi imaginari queat, partem nimirum circiter octuplam ceræ jam albæ quod remanet, nigerrimum est, porosum, leve, instar favi penitus eliquati. Quo facto denuo cera funditur tertia vice super vectim, & aëri super tabulas, exponitur, nivi contra, albissima reddenda; quæ tunc in candelas formatur æquabili flamma sine ullo strepitu consumendas. Id tamen notandum, cum ellychnia gossypina in ceram ultimo liquefactam immerguntur, aquæ ne tantillum commisceri debere, ni si candelas strepitare velis; Quod evitari fere non potest, si ahenum ultimum sit cupreum, quamvis stanno obductum. Ut huic malo contra iretur, *Pharmacopoeus* quidam suasit, ut ahenum compararetur plane stanneum. Cum autem ignis gradus ad formandas candelas requiratur nimis intensus, *Lychnopœus* ahenum stanneum liquefactum iri metuebat. An satis rationabiliter, alii disquirant. Intentatum nihil, nisi a ratione valde alienum, spernendum interim nihil magis me mirum habet, quam a cera jam alba tantas adhuc, easque nigerrimas, & longe dimidium ponderis superantes impuritates secerni posse. Aliqui cereas flavas propter odorem plus aliis æstimant. Æstiment! per illa ex perimenta mihi

pro-

probatur dealbatissima cera, ab istis *relollaceis* liberata. Quid autem dicamus de cereis flavis non tantum non depuratis, sed tertia, vel dimidia insuper picis flavæ parte adulteratis, quarum fumus nigredine visibili tessellata conclavium fœdè tingit? Malim puram sebaccam! XIX.

§. Eusebius (d. 19. *Jun.*) me contatum ivit, an et quibus *acidulis* uti conveniat? Quæstio an? statim affirmative soluta. *Hypochondriacus* est, *scorbuticus* & acri sanguine præditus EUSEBIUS, cui temperando, jam ante biennium *acidularum* potum suaferam. Igitur potandæ, sed ubi? GÖPPINGENSES, nimium corrosivæ. DEINACENSES mitiores. Ita quidem EUSEBIUS. Respondi, me Patronum esse GÖPPINGENSIUM, quippe *spiritibus salinis*, in quibus *acidarum* cardo versetur, magis abundantium. Reponebat EUSEBIUS, gustu non admodum acres esse DEINACENSES, difari vero *Metallicis quintessentiis solis, luna* & *lapidis lazuli*, unde potiores vires sint expectandæ. Cur non videnda videam? Ubi est ille, qui demonstrare potest, imprægnari DEINACENSES *spiritibus auri, argenti, lapidis lazuli*. Quinam sunt *spiritus auri*, qui *argenti*, qui *lapidis lazuli*. Nil magis ridiculum est, quam in *acidulis* talia comminisci; Quæ nullatenus demonstrari possunt. De *auro* & *argento* dicere plura nil attinet. Non entium enim nulla sunt accidentia. *Lapis Lazuli* vero, num in eo districtu reperiatur? Reperiatur vero. Hujus unica drachma in substantia exhibita vix sedem unicam moverit. Quid igitur faciant tot mensuris inexistentes paucæ moleculæ? Delectentur istiusmodi speculationibus, qui volent. Atque si maxime virtutes *lapidis lazuli* insint, quid tum postea? Qui sunt e schola SIMPLICII, talibus afficiuntur.

Eusebius. *Acidarum potus.*

XX.

XX.

MErcurius fere in medio quarti gradus, vesperi propemodum ad usque tertium gradum delapsus erat. Liquor *thermometri* mane paullo supra quartum gradum emersus, vesperi ad medium illius quievit. Nox & dies serenæ & calidæ. Mutationem tamen vasa præsagiunt.

§. Ichthybolo, vinoso, *tumore pedum œdematoso* laboranti, non quidem adeo magno, neque ad suras ascendente, evanescente, redeunte, cum appetitu diminuto, & *vertigine tenebricosa*, balneas BOLLENSES adituro, scripsi *catharticum* tale infusum:

Ichthybolus. *Pedes œdematisi.*

Rec. *Rad. bryon. rub. tinct. fœnic. an.* ℥j.
rhabarb. ℥ß. *mechoae a.* ʒiij.
*herb. chærefol. scolopendr. an. m*ß.
fol. senn. s. s. ℥iß. *passul min.* ℥ij.

XX. *bacc, junip. ℥j. agar. troch. caß. lign. aa. ʒiij.*
crem. tart. ʒij. sem. anis. foenic. an. ʒiß.
Concisa & contusa infundantur ac bibantur more solito.

Nivero & Onisimus *Chirurgi* ipsum visitarunt, quos cum de *pedum tumore* interrogasset, *venæsectionem* alter suasit, alter damnavit. Hujus ultimi sententiam Ichthybolus *hæmophobus* avide amplexus & in pertinaci proposito sanguinem se nunquam missurum obfirmatus est. A qua sententia decem *Medici* ipsum non amplius dimovebunt, cum tamen sit *plethoricus. hæmorrhagias* haut raro patiatur, *gutta rosacea* laboret, vina generosa non labris summis, sed plenis buccis hauriat, *apoplexiaque sanguinea* certo certius aliquando interiturus sit, cujus prodromi sunt *occipitis dolor, vertigo, memoriæ debilitas, praceps iracundia.* (d. 3 *Jul.*)

Venenisevia. *Dolores ex flatibus.* §. Venenisevia virgo 20. annorum a triduo queritur de *dolore humeri sinistri* pungente, lacerante, vago, totum latus ad ilia usque pervagante. Dum spiritum altius ducit, dolor intenditur. Utrique lateri incumbore potest, non tussit, calor præternaturalis nullus. Appetit. *Flatibus* obnoxia est: quibus in erraticos vasorum recessus deviis rem omnem deferens, ordinavi *mixturam* ad gutt. xxx. mane, pomeridie & noctu ex *vehiculo* quolibet grato sumendam:

Rec. *Ess. carminat. succin. an. ʒiß.*
anod. ʒß. M.

Ubi dolet, prævia frictione pro re nata sæpius iterata fiat inunctio calida:

Rec. ♈. *camphorat. ol. lumbric. an. ℥ß.*
ol. earv. ess. anod. an. ℈j. M. (d. 28. *Jul.*)

Nolani uxor. §. Nolani *uxor* (13. *Jun.*) *balneis* nostris *cervinis* non quidem sine effectu utitur, attamen simul *de stomachi dolore* queritur. Imponatur *ventriculo emplastrum de crusta panis.* Post *balneum* & absoluta quiete sumatur *tragema* cum pane tosto & haustu vini.

Rec. *Spec. diacret. Mynf. ℥ß.*
trag. arom. offic. ℥ij.
pulv. cach. qu. inc. ʒij elæos. mac. ℥j. M. (d. 28 *Jun.*)

Botanicus. *Phthisis.* §. Botanicus (d. 18. *Jun.*) miserime vivit. Nec quidquam vel cibi, vel medicamentorum admittit. Assumta revomit. Mera incongrua appetit. *Diarrhœa cadaverosa* eum continuo exercet. Frigide sudat. Ob *dyspnœam* amplius resupinari vix potest, Facies est *Hippocratica. Tumor pedum* augetur. Quamvis mors in propinquo sit, persuasi tamen, ut *aquam cinnamomi cydoniatam* se assumturum promitteret. Petente

tente *muliere clinica*, ne quid neglexisse viderer, invitus ordinavi *emplastrum* ventriculo imponendum XX.

Rec. *Cerat. stomach Gal. empl. de crust. pan. an. ℥ß.*
ol. caryoph. macis, an. gtt, iij. lign. rhod. ℈ß.
mastich. parum. M. extend. super alutam.

Nulli labori magis invitus accingor. quam præscriptioni *medicamentorum*, quorum nullum usum esse futurum certo scio, & quæ dicis tantum gratia ordinantur.

§. Rhabdaulitis *uxori* ultimo fere mense *gravida* vena mediana brachii sinistri pertusa. Cum vultu sit roseo, satis appetat, vegeta existat & de re propemodum nulla queratur, mirum tamen, quam male constitutum exhibuerit sanguinem? Globuli quidam rutilantes pauci, muco glutinoso multo, ranarum sperma referenti, implexi in plurimo sero natabant. Domi non erat, cum sanguinem spectatum venissem. Igitur facienda alii diei servantur. (d. 26. *Jun.*) Rhabdaulitis *uxor.* *Venæsectio.*

§. Hipparius, quantum viribus deficit, tantum delirando proficit. *Emulsionem amygdalinam* recusat, ejus loco *vinum* sollicitat ac imperat, ut, si maxime moriendum sit, non tamen sine *vino* moriatur. (d. 21. *Jun.*) Hipparius.

XXI.

MErcurius mane paullo supra tertium gradum consistere visus, vesperi in ipso tertio gradu resedit. Liquor *thermometri* medietatem quinti gradus per totam diem tenuit. Nocte pluvia largissima. Tota dies calidissima, nec admodum serena. Hac nocte tonitru vel pluviam largam habituri sumus, *Solstitii æstivi* ingressus fuit non admodum amœnus.

§. Regenottus hac nocte, sui quasi in somno oblitus, ventriculum aëri libero nudum exposuit, mane *to mina* sentire cœpit, cum *vomitibus* ac *diarrhœa*. Jussi stomachum fricare *spiritu vini*, & *vini Hispanici* cohl. ij. cum *elixiri pestilentiali domestico* assumere, quin & *micas panis similaginei in dictum vinum intinctas comedere.* Regenottus. *Tormina. Cholera melus.*

§. Schoarchi *uxor* se melius habere, rursum appetere, abdomen detumescere dixit, neque se ullo amplius medicamento uti. Talia proferre solent, ubi alium vel *Medicum* vel *Medicastrum* experiri decreverunt, qua in re liberam cuique voluntatem relinquo. Magno enim onere levatur *Medicus*, liberatus a Patiente moroso, immorigero, vago & obmurmurante: Molestissimum est illis medicari, qui fiducia in *Medicum* carent, quod, quoties fieri sentio, malim propemodum in lupanar, quam ejusmodi domum, meare. Schoarchi *uxor.*

§. Cum

XXI. Lycaon. *Phthisis.*

§. Cum Lycaonem (d. 13. *Iun.*) hodie visitaturus essem, ipse domo exierat; In platea postea mihi obviam factum, qui viveret, interrogavi? Bene, inquit, *decoctum* enim *bromium* cum *electuario euporisto* tantum viribus meis addiderunt, ut mihi revixisse videar. *Tussis* omnis, cum *asthmate* ac lateris dolore, ventrisque tumore, evanuit, appetitus rediit, somnus est, qualis esse debet, &c. Consului, ut non tantum per aliquod adhuc tempus dictum *bromium decoctum* biberet, sed *electuarium* quoque in continuo diuturnoque usu haberet, excessus omnes, vini cumprimis vitaret, ac ab ira sibi temperaret; quod se facturum promisit.

Nigremmergi *Filiola. Variola.*

§. De Nigremergi *Filiola* 5. annorum *variolosa* nil habeo, quod singulare proferam, nisi quod viderim *Ducatum Turcicum*, roborandi scil. cordis caussa in fundo pocilli, unde potus ordinarius hauritur, jacere. *Ducato* etiam *aureo* oculorum palpebræ aliquoties in die fricantur, ne scil. a *variolis* cœcitas inducatur. Quod idem a pluribus per id tempus, quo *variolæ epidemice* grassantur, factum esse novi. (d. 22. *Iun.*)

§. In *Miscellaneis* meis *auro* in substantia assumto vim Medicam alicubi vindicavi. Sed compactissimum hoc metallum potui ordinario immersum illuc quidquam, quod humano corpori prodesse queat, deponere, vel etiam affrictu, qua tale, aliquid juvare, revera frustra creditur. Medicum igitur ingenuum talia suadere non decet, relinquenda potius *Practicis theatricis*, quorum medicationes ad pompam comparatæ sunt. Attamen, si ægris ministrantes tale quid sponte sua faciunt, non est *Medici* prudentis reniti.

Hipparius.

§. Mane vocatus sum ad Hipparium. Aderant signa imminentis agonis. Uxor dicebat, se valde metuere ingressum *lunæ plenæ* cras mane expectandum. Ego vero intra hoc tempus fatalia multa accidere posse reposui. Ordinavi *confectionem*, cujus interdum fabæ quantitas linguæ imponatur:

Rec. *Diacinnam. reg. Mynſ. conf. alk. c. an.* ℥j. *M.*

Pro *odorifero* externo *dilutum balsam: cum:*

Rec. *Bals. apopl. offic.* ℈j. 🜋. *rectif.* ℥j.
∽. lil. conv. ℥ij. *M. soluta dentur.*

Circa meridiem extinctus est.

Psammi *uxor. Infelix puerpera.*

§. *Uxor* Psammi a medicamentis d. 22. *Febr.* exhibere cœptis & continuatis per omnia bene habuit & commodissime vixit. Nunc ultra medie-

medietatem gravida, quod hactenus infelix puerpera fuisset, infantibus aut in partu, aut mox a partu morientibus, quid præcautionis loco faciendum esset, quæsivit. Ego, simul sanguinis depurationi intentus, Luna rursum crescente, *venæsectionem* impero; *Confectionis Dominarum*, cujus jam aliquoties injecta mentio, perpetem usum commendo, maneque & noctu 2. cochlearia *mixturæ* assumere jubeo: XXI.

Rec. *Aq. balsam.* ℥vj. *bals. embr.* ℥ij.
syr. balsam. ℥j. *M.*

§. Xeraulitis *Filiolus* major natu (d. 5. *Jun.*) *vomitibus* nulla ratione compescibilibus, viribus fatiscentibus, & sine dubio *gangræna stomachi* superveniente intra paucissimos dies fatis cessit. Tunc ipsius fraterculus 4. annorum ex *febri tertiana*, nescio, quo adjumento, convaluerat totus adhuc pallidus, mane de siti querens, abdomen prætumidum habens, & ultra modum appetens. Quod abstemius esset a medicamentis, parentes rem omnem Naturæ commiserunt. At vero puellus indies languidior factus omnia *cachexiæ* signa ostendit, tumorem abdominis, carnium flacciditatem, pallorem, *dyspnœam*, *tussim* lassitudinem, &c. Xeraulitis *Filiolus. Minor. Cachexia.*

Rec. *Æthiop. miner.* ʒij. *sacch. cant.* ✝ ʒj. *M.*

Dentur bis in die cusp. 2. cultri, quovis modo; noctu autem guttulæ 25. *mixturæ* talis cum potu ordinario:

Rec. R. ♂. Zw. ʒj. *croc.* ℈j.
~. ⊖. ✱. *anis.* ℈j. *M.*
Rec. *Aq. anis. veron. an.* ℥iiß. *syr. pap. err.* ℥ß. *M.*
D. pro reliquorum vehiculo, & seorsim.

Post *plenilunium*, ut redirent, dixi, tunc enim *catharticum* lene me ordinaturum, a quo, propter *solstitium* & *plenilunium* instantia, volens abstineo. (d. 23. *Jun.*)

§. Oblatus mihi *infantulus* novimestris pauperculus, præter caput grande & abdomen prætumidum emaciatissimus; Articuli quasi *rhachiticorum*. Dixi, non omne præsidium in medicamentis collocari, si nutricatus debitas deficeret. Scripsi tamen *pulvisculum* sequentem ter in die ad cusp. 1. cultri dandum: Rhachitis.

Rec. *Specif. antatroph.* ʒij.
æthiop. miner. sacch. cant. a. an. ʒj. *M.*

Pectus & abdomen inungantur *unguento cardiaco:*

§. Symmachi *Filiolo* (d. 18. *Jun.*) *convulsionum* prodromos osten- Symmachi *Filiolus.*

XXI. *Convulsionum metus.* ostendenti, dato prognostico (nam in declinatione *variolarum convulsiones* lethales esse solent.) scripsi *mixturam* cochleatim propinandam:

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥iiß.
epil. L. ℥ß.
pulv. march specif. cephal. an. ℈j.
conf. alk. c. ℈j. *sir. fl. tun.* ʒiij. *M.* (d. 23. *Iun.*)

Artaëri Filiola maj. §. Artaëri *filiola* major natu post *variolas* d. 17. *April. purgata*, vires tamen hactenus non collegit, semper languidula, parum comedens, & macilenta. Vidi teneros, non bene observato in *variolarum* cursu *regimine diætetico* & *pharmacevtico*, tardissime ad se redisse. Quorum in numero & hæc fuit, præ sororcula sua difficilior ad omnia. More *tragematis* bis in die cum pane tosto & pauxillo vini veteris utatur sequenti *pulvere*:

Rec. *Specier. diacret. Myns.* ʒij.
antihect. Pot. ʒj. *trag. arom. off.* ℥j.
elæosacch. sassafr. ʒvj. *M.*

Bromiostrabi privigna. Chlorosis. §. Bromiostrabi *privigna*, 19. annorum, staturæ proceræ, acetariis & fructibus horæis, cibisque frigidis nimium, quantum dedita, jam a biennio & ultra, *mensibus nondum fluentibus*, *chlorotica* fuit. Pallor luridus, *dyspnœa asthma*, *palpitatio cordis*, lassitudo. *Chalybeatis* multis non sine successu usa fuit, sed rediens ad errores antiquos, ad eadem quoque symptomata relapsa est. Quibus cum denuo conflictanti datum 13. *Junii electuarium purgans*, quod bene operatum est. Pertusa hinc dextri brachii mediana ad ℥vj. Hodie ordinata *mixtura* ter in die ad gtt. 40. ex quol. vehiculo sumenda:

Rec. *Elix. balsam.* ʒiij. ⊖. *vol. oleos.* ʒj. *M.*

In prandio & cœna primus sit haustus *vini medicati*:

Rec. *Com. absin h. mij. fl. cent. min. herb. chærefol. an. mj.*
rad. gentian. ℥ß. *caryophyllat.* ℥j.
bacc. junip. ʒiß. *cort. aurant. recc. de pom. j.*
Cinnam. ʒij. *sem. anis.* ℥j. *M. Conc. cont. D.* (d. 5. Aug.)

Notandum, quod ante sesquiannum *menses* eruperint cum ægrotæ euphoria: sed per diæta errores rursum emanserunt, aut pauciores, aut decolores fluxerunt.

Nahmelii uxor. §. Nahmelii *uxor* a *pilulis* d. 12. *Iunii* ordinatis mota non est. Interim pallida manet, lassa, horripilationibus obnoxia, inappetens. ordi-

ordinavi *infusum*, cum sine evacuatione ipsam restituram non iri perspicerem: XXI.

Rec. *Herb. absinth. fl. cent. min. an. mj.*
rad. gentian. levist. fibr. helleb. n. an. ℥ß.
mechoac. a. agar. troch. an. ʒiij.
fol. senn. s. s. ℥iß. passul. min. ℥ij.
⊖. tart. ℥ß. cass. lign. ʒij.
mac. ʒj. croc. ℈j. conc. cont. infund. & bibant.
more consueto.

§. Tschirnuki *Filiolus* 5. annorum a biduo patitur excretiones alvi fluidas, spumosas, cum torminibus, æstu, pavoribus. Dentes molares parturire videtur. Excitentur binæ vesicæ decussatim in altero brachio & altera sura; (cujus non est alia caussa, quam situs corporis de latere in latus major commoditas) cochleatim probeatur *mixtura*: Tschirnuki *Filiolus.* *Diarrhœa.*

Rec. *Aq. plantag. fumar. fl. til. an. ℥iß.*
C. C. ust. ppt. Cor. r. r. ppt. ♁. nat. ppt.
ess. anod. an. ℈j. sir. fumar. ʒiij. M.

§. Agoranomi *uxor*, 45. circ. annorum, pedes *paralyticos* jam ultra 15. annos habens, ut motum ipsis restitueret, innumera a fere innumeris usurpavit: & cum cætera non adeo male valeret, singulisque propemodum annis pareret, ab *Ardelione* quodam, cui nomen ab antiquo SERPENTE, seduci se passa est, ut ipsius cura se crederet. Hic largissimo promissor hiatu, alias *Chirurgaster*, ultra annum in miseræ domo hæsit, convictorem quoque agens, interim varia remedia, quæ summa chimicorum celeberrimorum arcana esse crepabat, usurpavit sine ullo successu, vario se modo excusens. Et cum alibi quoque praxin illicitam exerceret, magnasque pecuniæ summas, scil pro uno v. gr. *elixiri*, centum pluresque florenos exigeret, ante quinquennium in *conventu* nostro *chirurgico*, uti compareret, citatus fuit; ubi testari possum, me in rebus medicis & chirurgicis tantum idiotam fere per omnem meam ætatem non vidisse. Cum inter alia quæreretur, quid sentiret de *paralysi uxoris* AGORANOMI, respondebat, sibi videri, quod orta esset a *constrictione nervorum*. Talia multa cum protulisset, ipsi ab omni praxi severe interdictum, & mulcta dictatu fuit; ipse vero e curia discedens fugam arripuit, quem interea alibi locorum rogo impositum & combustum fama retulit. *Magicis* artibus addictus erat, conjurationibus spectrorum, & hujuscemodi aliis occupatus, preculis maledictoriis (quarum ad nostras manus execrandũ exemplar venit) inter *suffitus magicos* inimicis suis nocere Agoranomi *uxor.* *Paralytica.* *Asthmatica.*

XXI. ſtuduit, & cumprimis Agoranomum aliquot centum florenis emunxit; relicta uxore minus quam antea, valida. Nam, cum excepta *pedum paralyſi*, cætera, ut dictum, belle valeret, maleficio medicamentorum, *Chymicorum*, haut, opinor, rite paratorum, craſis mulieris ita vitiata fuit, ut ad *phthyſin*, *affectus hyſtericos*, *morbos articulares*, *febres*, *&c.* diſponeretur, multisque poſt morbis, partim valde gravibus, obnoxia fieret. Ante quinque ſeptimanas, cum diu tuſſiviſſet, ægre ſpiraſſet, ſudaſſet, ac tabuiſſet, lecto affigi cœpit, nullis tamen uti volens medicamentis. Hodie noctu vocatus eam reperio valde anheloſam, debilem, frigido ſudore perfuſam, *ſyncopticam*, vix verbum præ lanquore effari *potentem*. Spirabat cum rhonchis. Metuens *catarrhum ſuffocativum*, dato prognoſtico *mixturam* cochleatim præbendam ordinavi, quæ efficacior eſſe poterat, niſi rogaſſet ægra, ut, quantum poſſibile, ſaporis gratiam obſervarem:

Rec. *Aq. chærefol. veron. hyſſop. an.* ℥iß.
⊖. *vol. oleoſ.* ♁. *cochl. an.* ʒß.
eſſ. croc. ℈j. *ſir. papav. err.* ʒ ij. *M.*

Scrobiculus cordis fricetur *aqua ca bunc.* ⊙. & odoramenti loco ſit *aqua Regin.* HUNG. cum ſexta parte *liq. CC ſuccinati* mixta. (d. 23. *Iun.*)

XXII.

XXII.

Eluvio Stutgardienſis.

MAne Mercurius heſterna ſtatione paullo inferior, per totam quoque diem talis remanens. Sub medium noctis imbres cecidere confertiſſimæ, per totam noctem durantes, noſtro ſuburbio ESSLINGENSI, immo ipſi urbi calamitoſiſſimæ. Ab eluvione torrentis *Laſiani* (Laiſenbach) cataractæ ad ſuburbii mœnia, ubi dictus torrens influere ſolet ſuburbium, ruptæ fuerunt, hinc confertim & cum fluctibus perniciſſimis aquæ advolutæ omnes habitationes, quæ torrente iſto clauduntur, hinc inde compleverunt ut incolæ ſubmerſionis motu percellerentur. Omnes cellæ illorum locorum, pars usque ad valvas aquis repletæ, quæ dolia prægrandia in altum ſuſtulerunt, una cum truncis quernis, quibus incumbere ſolent; (Ligerling) ſic ut dolia & trunci aquis innatantes identidem fragore magno & formidoloſo colliderentur. Qui doliorum orificia ſuis obturamentis arcte muniverunt, vini jacturam non fecerunt; ſecus alii pauci. Fundamenta quarundam ædium alliſu fluctuum concuſſa ruinam minitabantur, magnis nunc ſumtibus ſarcienda. Homines quidam ſubmerſi perierunt. In ſuburbium advectæ trabes maximæ, lapides aliquot centum pondo, ſudes, aſſeres, utenſilia multa; atque

ſic

sic dilatavit se aqua, ut forum quoque urbis ipsius inundaretur. Limi cœnique vis incredibilis in cellas, & atria domorum, ipsisque plateas collecta fuit. Ante septennium eandem diluvionem passi dicebant aquas nuperas altitudine trium pedum illas exsuperasse. Vineis, pratis, agris multa pernicies illata, damnumque foris & in urbe computatum multis millibus florenis non sarcietur. XXII.

In ista diluvione notabilia quædam contigerunt. 1. Dolium grandiusculum 12. circ. amphorarum Würtembergensium, epistomio nullo munitum sic circumvolutum est in aqua, ut orificium infra spectaret, nec tamen vinum effluxit, quod sine dubio renisui aquæ ob admixtum cœnum vino longe gravioris adscribendum. 2. Dolia vacua multo plus detrimenti cellis attulerunt, quam vino plena. Ea enim sursum lata & ob levitatem submergi nescia, cellarum contignationes, (die geträmte Böden) non solum verum & fornices lapideos sustulerunt, ut dicta dolia in atriis ædificiorum natarant, cui malo præveniri poterat, si ostiola doliorum (die Thürlein) mature remota aquis ingressum parassent; 3. In officinis *Smagmatopolorum calx viva* doliis inclusa & allusione aquæ in ebullitionem percita, carceres rumpendo in flammam exarsit & habitatores in simultaneum ignis & aquæ periculum præcipitavit.

Pomeridie imbres novi fere ad medium noctem durantes, novum & ultimum excidium suburbio ESSLINGENSI minitabantur, quod tamen clementer DEUS avertit.

§. Jam de meipso, Mane duo vitra *acidularum* hausi, pransus postea notabilem quantitatem pisorum, cum carne suilla fumo condita, nec admodum probe cocta, comesto simul corio. Pomeridie ad ægros excurrens & sudore totus ob aëris æstum diffluens in amici domo tres vel quatuor haustus vini e cella frigidi avide ingurgitavi: Cœna constitit ex mesenterio vitulino valde pingui, [Jam enim a multis annis uno tantum cibo satiari consuevi] noctu ob pluviam formidabilem e lecto surgens corpore non probe munito ventriculum perfrigeravi. Mane *colica* obrutus fui acerrima. Dejiciebam aliquoties & vomebam, sed nullo cum doloris colici levamine. Erumpebant sudores frigidi, & deliquia non procul erant. Assumsi primo *theriacam & cum* 🜄. solutam. Paullo post duabus dosibus: *Colica.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.*
syr. chamom. an. ℥ iß. *ess. anod.* ℈ j. *M.*

XXII. Deglutivi quatuor *pilulas* WILDEGANSIANAS. Accepi haustum vini *Hispanici*, denique ordinatam ab Amico *mixturam carminativam*. Dolor sensim sensimque mitior factus vesperi circa sextam denique sublatus est. Noctu accepi *pilulas* pro 1. dosi.

Rec. *Extr. bez. Cam. gr. iij*
rut. castor. cal. arom. an. gr. ij.
cum ess. carminat. F. pil. num. IX. (d. 23. *Iun.*)

Nigremergi *Filiola.* *Variola.* §. Nigremergi *Filiola* stadium *variolarum* alacriter & feliciter decurrit. Alias ingressus *solstitii* & *plenilunii* huic urbi fatalis ob inundationes exstitit.

XXIII.

XXIII.

VAsa, quæ heri. Pluvia de die larga. Vesperi Mercurius paullo altior factus. Næniæ cumultissimæ ob detrimenta per inundationem illata.

Colica. §. Hac nocte bene quievi: mane adhuc bis alvum liquidam habui sine torminibus, & cum euphoria. Perrexi cum *mixtura carminativa* cochleatim sumenda. Sitim, quæ aderat, compescui potu *acidularum*. Appetitus paullum rediit, sed vires adhuc debiles erant, sic, ut per totam diem mihi decumbendum esset; tanta est vis doloris, ad vigorem corpori auferendum. (d. 20. *Iun.*)

Symmachi *Filiolus.* §. Nunciata mane de Symachi *filiolo*, (d. 21. *Iun.*) quæ mortem esse proforibus, declararent. Petebatur *viaticum medicum*, id est, *aqua cordialis* cum *odorifero externo*:

Rec. *Aq. confortat. offic.* ℥iiij. *conf. alk. c.* ʒß.
sir. fl. tun. ʒij. *M. D. cochleatim.*

Rec. ▽. *Regin. Hung.* ℥ß. ⁓. *lil. conv.* ʒj. *M.*

Sed paullo post, uti percepi, expiravit, atque adeo primus fuit, inter omnes meos *variolosos* & *morbilosos*, quos grassante per 4. menses hoc morbo curandos habui, qui moreretur.

Agoranomi *uxor.* §. Sed nec Agoranomi *uxor* (d. 11. *Iun.*) fatum suum evitabit. Petitur a me, quod spiratum leviorem redderet, cui tamen nil insit dulce: Rec. *Aq. veron. hyssop. an.* ℥ij.
⁓⊖✱. *anis.* ʒß. ℞. *croc.* ℈j.
conf. alk. inc. ʒj. *M. D. cochleatim.*

Nares delibuantur *odorifero*:

Rec. *Aq. Reg. Hung.* ℥ß.
⁓. *lavend. lil. conv. an.* ʒij. *M.* d, (8. Aug.)

XXIV. Mer-

XXIV. XXIV.

MErcurius ad medietatem quarti gradus fuit sublatus. Dies erat mediocris.

§. Quamvis dolores apud me plane sopiti essent, appetitusque rediret, domi tamen adhuc hodie mansi, ob aërem frigidiusculum & vires nondum plane instauratas. *Colica.*

§. Nolanus *Vir 36.* annorum per ancillam significat, se a biduo languere, appetitum plane prostratum esse, horripilationes quandoque sentiri, faciem esse croceam. Misi MYSTYCHUM, ut, quomodo se haberet æger, referret. Ipse nil *icterici* adesse deponebat, solum pallorem, & signa pullulaturæ *febris*. Amaritiem quoque oris. Bis hodie sumat gtt. 50. *elixiris balsamici* ex quolibet vehiculo, & cras *electuarium purgans* nostrum. Nolanus. *Metus febris.*

§. Xeraulitis *Filiolo* (d. 21. *Jun.*) præterlapsis jam *solstitii & plenilunii* diebus, dedi *purgans*: Xeraulitis *filiolus.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *sir. decich. c. rh.* ʒvj.
aq. acac. ʒij. *M. pro 1. dosi.*

§. Retelıræ *uxori* (d. 18. *Jun.*) cum *asthmate* adhuc vehementer *tussienti*, notanter tabescenti, viribus deficienti, &c. quamvis artuum dolores remitterent, ordinatus *pulvis*, cujus mane & pomer. cusp. 3. cultri assumeret per se, vel alio quovis modo: Retelire *uxor.* *Tussis. Tabes.*

Rec. *Rad. ar. ppt. helen. irid. flor. an.* ʒj.
♁. *diaph.* ℈iiij. *fl.* 🜍 ℈ij.
croc. opt. ℈j. *elaosacch. anis.* ʒß.

Noctu ante somnum sumat 4 *pilulas de cynoglossa* pondera grani unius, cochleatim vero *mixturam* talem:

Rec. *Aq. veron scabios. an.* ℥iij.
-⊖✱. *anis.* ℈j. ℞. *croc.* ℈ß.
sir. jujub. viol. an. ℥ß. *M.*

Offensa fuit hæc mulier, quod ipsam intra triduum non visitassem: Et, cum me ob *colicos dolores* domo non exisse responderem; significandum mihi hoc erat, ipsa reponebat. Ego vero, cur tu non potius, inquam, quomodo haberes & quid tibi faciendum esset, per nuncium quæsivisti? non tua magis interest, quam mea, quo pacto valeas vel convalescas; Tu sola es, tu dolores sentis, corpus est tuum, sanitas tua; mihi plures sunt ægri, tibi potior tui cura incumbit. Si ego, inter plures occupationes,

tui

XIV. tui oblivifcor, mirum non eft, ftultum vero, fi tu tuimetipfa oblivifceris, nec mihi ancillæ in tui tuorumque fimilium gratiam aluntur.

Obfervabunt mecum *Practici* omnes, viliffimæ conditionis homines præ aliis vifitari velle, (wollen sich am meisten aufgewartet haben) juxta tamen ingratiffimos effe, fordidos & foftri vel nihil, vel quam minimum folventes. Interim *Medicos* habent pro fuis Apparitoribus, in quorum numero facile primum fibi locum vendicat hæc mulier, fcil. *vietoris uxor*. (d. 27. *Iun.*)

Dynofideri *Filiolus.* *Diarchœa cruenta.*

§. Dynofideri *filiolus* unius anni, femper valetudinarius, pallidulus fuit, tuffivit, cum rhonchis altum fpiravit. Nunc *diarrhœa* laborat, *cum ftriis fanguineis*, frigide fudat, nil comedit, pavet, valde debilis eft, dextrum brachiolum fere paralyticum, facies eft fubtumida, palpebræ, cumprimis dextri oculi, cum livore tumentes. Mali fane moris fymptomata:

Rec. *Coral. r. ppt. C. C. uft. ppt.*
Specif. cephal. an ℈j.
ther. cœl. gr. j. M. F. ℥.

Singulis 4. hor. D. cufp. 1. cultri ex potu ordin. Spinam dorfi crebrius calido *linimento tali* ungendo:

Rec. *Ung. nervin.* ℥j.
ol. e flor. ftot. lumbric. an. ℥ß. *M.* (d. 25. *Iun.*)

Namaplufii *Filius.* *Cholera humida.*

§. Namaplufius junior (d. 3. *Iun.*) nullo notabili diætæ errore prægreffo in *tormina* incidit cum aliquot dejectionibus. Fluxum non effe vi fiftendum ratus, noctu tantum 3. *pilulas theriacales* deglutire juffi.

Colica hæc, vel potius *cholera humida* nobis propemodum hifce diebus fuit *epidemica*. Cauffam in tempus pluviofum & una calidum rejicio, quo lautius ad potum invitati ftomachi tonum debilitarunt. (d. 8. *Iul*)

Lupini *filiola.* *Sternutatio crebra.*

§. Lupini recens nata *filiola*, *icterica*, uti folent, creberrime *fternutat*, ac affumtum lac revomit, non tamen coagulatum; Fumigetur *goffypium incenfa fcobe agallochi* & calide vertici capitis crebro imponatur, quod eft *euporifton* in *fternutationibus* nimiis *infantum*. *Emplaftrum theriacale* fcrobiculo cordis applicetur. (d. 25. Jun.)

XXV.

XXV.

MErcurius mane hefternam vefpertinam ftationem retinens, hodie vefperi per lineam fere integrum fubfederat. Liquor *themometri* paullo

paullo supra quartum gradum quiescens, talis manebat. Tota dies calida & mediocriter serena, nocte forte pluviosa futura. XXV.

§. Apud Horridulam, uti supra suo loco (d. 28. Maji) dictum, *balneæ Canstadienses* optimo cum successu adhibitæ, & sine dubio cum perfectæ sanitatis recuperatione absolvendæ, ex mandato nobilis, cui famulabatur, matronæ, abrumpendæ fuerunt, cum adhuc per octiduum lavanda fuisset. Vix domum reversa, laboribusque domesticis applicata, denuo languere cœpit, pedibus tumere ac dolere ut incedere, non nisi ægerrime possit. Quo non obstante cras cum sua magistra DEINACENSES *acidas* adire cogetur. Dixi, hac ratione sanitatem frustra expectari, nec ipsi superesse spem ullam salutis, nisi ab impedimentis famulitii sui, se extricaverit. Præstat *balnearum* curas nunquam aggredi, quam semel cœptas abrumpere. Moventur in corpore humores non promoventur; plus inde damni surgit, quam emolumenti. Immo periculum vitæ quosdam incurrisse memini. Horridula. *Balnearum anomalus usus.*

§. Lupini *Filiola* ab heri ordinata *fumigatione* cum *scobe agallochi & empl. theriacali* melius habet, vomitionibus & creberrimis sternutationibus remittentibus. Lupini *Filiola.*

§. Chondriæ paupercula *filia*, dequa 15. *Junii*, non obstante præscriptorum usu in eodem tamen statu manet, lacerantibus cumprimis *artuum doloribus* magis auctis, quam remittentibus. Sumat mane & pomeridie 3. cusp. cultr. de *pulvere* sequenti ex jure: Chondriæ *filia.*

Rec. *Pulv. lumbric. terrestr. ppt.* ʒij.
asell. ppt. Oc. ♋. *crud. cont. an.* ʒj.
♁. ♁. ʒß. *sacch. a.* ʒiij. *M.*

Noctu ante somnum deglutiatur quantitas nucis juglandis de tali *electuario*:

Rec. *Rob. ebul. junip. an.* ℥j.
ther. Androm. ʒij. *sir. papav. alb.* ℥ß. *M.*

Pectus dolens aliquoties in die calide inungatur *linimento* seq. superimposito *ex semine lini cum lacte cocto*:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥j. *ol. lumbr.* ℥ß. *M.*

Parum juvabunt medicamenta, quamvis ex officina nostra aulica gratis data, quum non sit patienti, quod edat.

§. Dynosiderii *Filiolum* hodie ipse visitavi, qui per totam noctem medicamenti ne granum accepit, quia non habuit. Nam parentes ex officina aulica sua pharmaca petere soliti, cum heri ob noctem jam Dynosiderii *filiolus.* *Convulsionum metas.*

 præ-

XXV. præsentem aditu illius officinæ prohiberentur, negotium ad hanc diem distulerunt, quasi non satius fuisset, ex officina quadam opidana, quod ordinatum erat, emere? Hac enim nocte adeo symptomata invaluerunt omnia, ut singulis quasi momentis *convulsiones* expactarentur, non desinente simul alvi fluxu suberuento. Mutata igitur hodie medicamenta, & scripta *mixtura* cochleatim propinanda:

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥j. *epil. L.* ℥ß.
pulv. march. ℈j. *cryst all ppt. smar. ppt. an.* ℈ß.
conf. alk. c. ʒj. *sir. fl. tun.* ʒij. *M.*

Vertici, nuchæ & temporibus *balsamum*:

Rec. *Ol. nuc. mosch. expr.* ʒß. *succin. rett. an.* ℈ß.
lavend. anth. salv. an. gtt. ij.
⊖. ✱. *depur. bals. peruv. an.* ℈ß. *M.*

Fontanellæ capitis & scrobiculo cordis *emplastrum theriacale*: Potus ordinarius *Dec. C. C. usti* & *visci querni* cum *sem. anisi.* (d. 26. Jun.)

Dynosideri *uxor*. *Cardialgia.* §. Dynosideri *uxor*, antecedentisque *filioli* mater, de cardialgia molesta queritur. Cum vero ob filioli morbum perdia pernox versetur in tristitia, sollicitudine & vigilia, donec in alium statum dictus filiolus pervenerit, medicamentis cum regimine uti non queat, interim suasi calidum illitum ex an. *ol. lumbric. & absinth. coct.* (d. 26. *Jun.*)

Regenotti *uxor*. *Diarrhœa.* §. Apud Regenotti *uxorem diarrhœa* per illa quæ d. 15. *Jun.* suaseram primo remittere visa, recruduit altera die. Cum ipse decumberem Gnomilegus ordinavit *potionem stomachico-diaphoreticam* quatuor vicibus hauriendam. Non substitit alvus. Datum *electuarium*, cujus singulis quatuor horis castaneæ quantitas deglutiatur:

Rec. *Conf. ros. r. antiq.* ℥j. *miv. cydon.* ℥ß.
Confect. de hyacinth. ʒij.
Coral. r. ppt. 🜄. *catech. an.* ʒj.
pulv. nuc. mosch. ℈j. *extr. papav. comp.* ℈ß.
sir. cydon. q. s. M.

Potus sit *emulsio amygdalina.* (d. 10. *Jul.*)

Grysander *Febris.* §. Grysander septuagenarius, herniosus, jam bis *apoplexia* tactus, in nupera eluvione doliis in sua cella opem laturus, usque ad genua, non nisi indusium & caligas indutus, collectas aquas pervadavit. Constrictis inde poris *febrilem* insultum accersivit seniculus. *Horruit, æstuavit*, alvi fluxus aliquot passus est cum virium dejectione. Cochleatim sumat mixturam:

Rec.

XXV.

Rec. *Aq. menth. plantag. an.* ℥iiß.
cinnam. cydoniat. ℥j.
♁. *diaph. C. alc. philos. an.* ʒß. ♁. *nat. ppt.* ℈j.
conf. alk. c. ʒj. *sir. cinnam.* ʒij. *M.*

§. Speculatoris *Filiola* jam ab aliquo tempore pruritum in cute patitur; dum scalpit, erumpunt sicca *tubercula, rubra*, rursum disparentia sine puris vel ichoris ploratu. *Purgata* fuit ante dies aliquot. Octo guttulæ *mixturæ* bis in die qualibet ratione propinentur: Speculatoris *filiola.* *Vari.*

Rec. *Ess fumar. lignor.*
mixt. simpl. an. ℈j. *M.*

§. Nikelani *filiolus* 40. septimanarum adhuc lactans corripitur æstu cum siti & pavoribus. Mater non inepte culpam conjicit in *terrores* a periculose capitibus suis impendente eluvione nupera. Jussi matrem bis in die accipere 40 guttas *spiritus nervini* ex quolibet vehiculo, infanti vero cochleatim præbere *mixturam*: Nikelani *Filiolus.* *Pavores.*

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥iß. *epil. L.* ℥ß.
specif. cephal. pulv. march. an. ℈j.
sir. fl. pœon. ℥ß. *M.*

Capiti, nuchæ, vertici *balsamum cephalicum* consuetum. Fontanellæ & scrobiculo cordis *emplastrum theriacale.*

Post conceptum terrorem emulgendum prius fuerat lac e mamillis, quam infanti potus præberetur.

§. Gorsi *Filius* 12. annorum hac vespera subito corruit *epilepticus.* Tale quid jam ante longum tempus in ipso observatum. Detur cochleatim *mixtura:* Gorsi *Filius.* *Epilepsia.*

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. rut. an.* ℥iß.
epil. L. ℥ß.
℞. *castor.* ʒß. *specif. cephal.* ℈j.
sir. fl. poeon. ℥ß. *M.*

Vertici, nuchæ, temporibus *linimentum balsamicum*:

Rec. *Ol. nuc. mosch. expr.* ʒß. *rut. succin. an.* ℈j. *M.* (d. 27. *Iun.*)

§. Eclogistis *filiola* (d. 19. *Iun.*) post *variolas* totam cutim glabra in sola faciei & quidem circa nasum adhuc crustas habet, sub quibus materia purulenta: crusta decidente alia rursum superinducitur. *Furunculis* hinc inde in collo, scapula, brachiis &c. affligitur, quod ultimum frequentius observavi fieri, si nollent pusiones assumere debita medicamenta & regimen esset justo frigidius. Crustas oblini curabam unguento Eclogistis *Filiola.* *Crusta variolosa.* *Furunculi.*

XXV. *albo camphorato*, omissis *pinguibus* illis, videl. *pomato*: *Furunculis autem imponi emplastrum ex melle cum farina subacte.* (d. 1. *Iul.*)

Acropolitani *uxor*. *Diarrhœa*.

§. Acropolitani *uxor*, (d. 16. *Jun.*) adhuc *diarhœa* laborat, meque petiit, cum ex *colica* decumberam. Dixi, ut aliûs interim consiliis uteretur, donec convaluissem. Noluit, & mihi hodie visitandum veniens narravit, se per remedia quædam domestica a *fluxu alvi* liberatam nunc sensim cum appetitu vires recuperare. Indicia vero imprægnationis adesse nulla: Remedia domestica inter alia fuerunt *vini rubelli cum aq. bulliente hebetati potus*; *oleum mastiches destillatum cum bombace umbilico applicatum*, *theriaca & in torminibus oleum amygdalarum dulcium*.

Greniltæ *filius*. *Colica spasmodica*.

§. Greniltæ *Filius* 15. annorum valde pallidus, macilentus, studiis deditus, propositi pertinax & morosus, doloribus *colicis*, a spasmodica fibrarum intestinalium contractione ortis obnoxius, plurima tentavit, cum fructu sine dubio usurpaturus, si usum continuasset. Talis autem est mos plurimorum, ut, si medicamenta non illico steterint promissis, illis uti desinant, ad alia consiliola devoluti. Inter ea, quæ usurpavit, fuerunt *pelliculæ nucum juglandium adhuc recentium*, *a nucleo detractæ*, tostæ & in pulverem comminutæ, cujus 2. cuspides cultri, cum vino, ni fallor, assumti dolorem sedarunt. Sed non nisi semel usurpavit. *Ellychnium candelæ sebaceæ emunctorio decerptum & quovis modo assumtum* etiam juvit. Quæsivit ex me mater, cum tantam *ellychnii* hujus vim experta esset, filius autem ulterius assumere detrectaret, annon in *pilulas* redigi posset? Non facile posse dixi ob substantiam difficillime in *pulverem* redigibilem. Cum alia quævis aversaretur, dedi *pilulas* WILDEGANSIANAS alternis noctibus binario numero deglutiendas. (d. 4. *Iul.*)

XXVI.

XXVI.

MAne Mercurius tertium gradum semisse transscenderat, vesperi parumper subsidens. Liquor *thermometri* mane paullo supra quartum gradum quiescens, medium gradus quinti sub vesperam attigerat. Dies erat calida, sed per vices pluviosa.

Ergaga. *Delirium melancholicum*.

§. Nictotimus Ruthopoli affectum Ergagæ mulieris 29. annorum ad me talem perscripsit. Ante decennium hæc mulier *chlorosi* laboravit, qua per *volatilia* & *martialia* curata, singulis fere septimanis correpta fuit *erysipelate faciei* cum *oculorum hebetudine*, & *ulcere nasi fere Ozœniformi*. *Pulvis absorbens*, *decoctum* & *fonticulus inustus* hoc mali sustulerunt. Ante octennium *variolas discretas* habuit. Ante septennium

ira

ira percita *convulsionibus hystericis* affici cœpit, quæ adhucdum recurrunt quoties iræ, tristitiæ, curis nimium indulget. *Convulsivi motus* primo solos artus occupabant & ventrem inferiorem, simul autem cantillabat varias & nænias & rationis usu non excidebat. Ultimus autem *paroxysmus* adeo vehemens erat, ut ἀναισθησίᾳ & ἀκινησίᾳ quasi *tetano correpta* vel *cataleptica* jaceret. In *paroxysmo panni calidi* artubus obvoluti ~⊖*, *clysmata*, juvabant. *Diarrhœa* morbum semper solvit, *pilulæ theriacales* paroxysmum interdum amoliebantur. A *volatilibus*, *Zinnabarinis*, *sudoriferis*, *vesicatoriis* malum exasperatur. Anno præterito ad finem vergente *corripiebatur febre catarrhali* cum *cephalæa &c.* soluta *hæmorrhagia* larga. Sanguis erat crassus & viscidus. Subcurrentis anni primordia, viam sternentibus ira & mœrore, ultimus & acerrimus *paroxysmus convulsivus* miseram adoritur, cui post octiduum *sublato succedebat melancholia* tristis. Querebatur de pressione & *ardore stomachi, spasmoq; faucium*, suis autem familiarissimis fatetur de *cupiditate moriendi*. Cum itaque menses jam per aliquot tempus præter consuetudinem parcissime fluxissent, *saphænam* mox in principio *melancholiæ* incidi curavi. Sanguis erat floridus, *cinnabarino* rubore tinctus cum sero parco. *Laxativum aliquoties* propinatum ex *pilulis* EMANUELIS, de *succino Crat. vel dec. fol. sennæ*, cum alvum esse mobilem expertus scirem. Foris applicabantur *emplastra stomachica*, *cataplasmata*, *balsama*; intus *pulveres absorbentes*, *sedativi*, *ex unic. fossil. CC. philos. pulv. march. Cor. r. cryst. spec. diacret. diatrag. frig. gummi tragac.* ♁. ☽. *perlat.* & ☿. *anod. Ludovici cum Dec. temperantibus*, *ess. trifol. fibr. traumat. castor. anod. liq. CC. succin.* Denique dedi *mucilaginem cydon. c. extr. papav. err. & gelat. ebor. & CC.* Non tollabantur *cardialgia*, *sota*, *melancholia*, *carnes tabefiebant*, pulsus erat solito citatior, æstus, inquietudo, *agrypnia*, suspiria ingruebant; Petebam mihi curæ socium, sed illa regerebat, in *Medicis* & *medicamentis* frustra quæri præsiduum turbatæ menti prospiciendum esse. Circa diem *parasceves melancholiæ*, tantum incrementum, ut *autocheiriam* ægra meditaretur, quam varia methodo, suffocatione per mappulam, cultris, forficibus, allisione capitis ad parietem tentabat. Jam vero & desperati de salute æterna sermones, quos alloquia Ministrorum verbi augebant magis, quam minubant. Accitus TEMIAS ordinabat *pulveres cephalicos*, *pilulas*, *essentias*, *acidulas*: at vero ipsa medicamentorum juxta ollulas, & ciborum patellas projiciebat, circumstantes verberibus tractare conabatur, continuis diebus, noctibus, horridissime vociferando, sic ut lingua velut

XXVI.

XXVI. *in cynanchicis*, *arida* & *nigra* fierat, facies livida, pulſus vehementiſſimus, æſtus, inquietudo & *agrypnia* indies augerentur, menſes adhucdum ſupprimerentur. Nares continuo digitis fodicando *ſanguinem proliciebat*. SAPHÆNA rurſum lecta. Sanguis fuit, qualis a prima lectione. Fronti *oxyrrhodinum ex rub. id. cum eſſ. anod.* Temporibus, vertici, &c. *balſamum ex ol. nuciſt. hyoſcyam. rut. axung. caſtor. quæ utraque non diu relinquebat.* Adhibebantur quoque *eccoprotica* & *pediluvia.* Bibebat aliquamdiu *decoctum bromium*, denique magno cum labore & reniſu ipſam cogebamus ad potum *acidarum Egranarum*, qui continuabatur, usque ad *leve alvi profluvium.* Minuebantur *æſtus*, *vociferationes*, *inquies*, *vigiliæ.* Notandum, *opiata*, v.gr. gr.ij. *ther. cœl. vel. pulv. anod. Ludov.* Caput adeo turbaſſe, ut mens ſibi nullatenus conſtaret, nec tamen ipſe dormiret. Hinc electa potius *emulſio.* Aliquoties inedia ſe necare ſuſtinebat, edere vero coacta poſt *acidulas* potas habitior, vultus vividior &c, fiebat, rurſum per feneſtram proſpiciebat. Triſtes tamen & ſollicitæ cogitationes nil remittebant. Durabant hæc usque ad menſem *Majum.* Appetitus integer ſpem nobis virium meliorum faciebat, cum *ſomno* quieto & manſione diuturna extra lectum; ſic ut iret ad *fontem acidum* pararemus, tametſi ſæpe a domeſticis anxie peteret, ut ſe jugularent. Ipſo 11. *Maji* neſcio, qua occaſione, in clamores novos perdios pernoctes erumpebat, ſemper durantes, donec fatigata obdormiſceret. Nil autem clamabat, quam indeſinenter & innumerabiliter: *Occidite me*, *occidite me*, bringt mich um/ bringt mich um! Inde ſe abduci nullo modo, nulla ratione, nec hortatibus, nec monitis, nec minis, *Theologorum* juxta & quorumvis aliorum patiebatur. Denuo contabeſcebat, pulſus jam lentus fiebat & languidus, facies pallida, & inflata & quamvis interdum *Coloratior* fieret, frigida tamen ſemper cutis manebat. Appetit tamen, & vinum in paſtu bibit, quod ordinarie nunquam per omnem vitam fecit, noctu dormit ad 4. vel 5. horas, evigilans clamorem redintegrat, jocos averſatur. Ceſſante igitur licet *mania*, dum tamen aliorum *Medicorum* Conſiliis compotes fiamus *roborantia* ordinavi: Foris capiti raſo *cucupham* e *cephalicis roborantibus. cum aq. Anhalt. Eſſ. caſtor. anod. ſpir. CC. & ♎⊖✱.* humectata. Intus *eſſ. ♂. cydoniat. trifol. fibr. lign. aloës, ambræ, ⊖. vol. oleoſ. in ▽. cordiali.* Mirabar ægram, ſufferre poſſe *ambrata*, cum antea *leipothymias* & *convulſiones* a ſuaveolentibus *ambratis*, *moſchatis*, *ol. jaſmini*, *balſ. apopl.* ſemper paſſa eſſet. His remediis uſi ſumus per hoc octiduum. Sed morbus antiquum obtinet. Informari deſidero 1. *Num ſit conſultum*, *corpus emarcidum & languidiſſimum adoriri venæſectionibus*, *vomitionibus*, *purgantibus*, *veſicantibus?*

2. *Num*

2. *Num sine periculo syncopes lethatis terror inopinus ægræ incuti possit*; v. gr. quum semper velit globo plumbeo trajici, num explosione quadam inopina bombardæ in cubiculum ægræ facta tentanda sit cogitationum desperatorum remotio! XXVII.

3. *Annon præstet cautius mercari, non quemlibet eam visitatum admittere, peregrinos aditu prohibere, non multum obloqui, non disputare* cum ipsa, *non cogere ad preces* &c. Compati potius, consolari, DEIQVE auxilium in spe & silentio expectare. 40. *An viribus aliqualiter reparatis adeundæ fortasse sint acidulæ; num alvo constipatæ laxantibus subveniendum, vel, quid aliud faciendum!*

Respondi, hunc affectum esse *hysterico-spleneticum* propemodum *hæreditarium*, eo quod in casu quodamtenus simili, *Beatum Ægræ parentem* ante annos circiter viginti tractaverim, qui ex *delirio* quasi *maniaco* denique in *melancholiam tristem* inciderit, ac ope DEINACENSIUM *acidarum* rursus maxima ex parte curatus fuerit. Cum vero symptomata omnia apud B. Patrem longe mitiora fuerint, me DEINACENSES huic affectui non esse pares censere, sed requiri potentiores aquas, igitur vel GÖPPINGENSES vel JEBENHUSANAS ad fontem suadere, atque sic ultimæ quæstioni satisfacere. Primam vero quæstionem quod attinet, ab omni drastico propter rationes in quæstione allatas me abstrahendum esse putare; nec II. consultum ducere, ut patienti studio terror incutiatur; sed III. placere potius, quod in tertia quæstione temperamentum proponitur. Una cum *acidularum* cura sequentia medicamenta usurpentur. More *tragematis* post *pastum*:

Rec. *Trag. arom. offic.* ℥iij. *pulv. cach. qu. c:* ℥ß.
cryftall. tart. lap. prunell. an. ʒij. *M.*

Noctu ante somnum adsumat gtt. xxx. ℞. ♂. *helleborat.* ex cochleari vini. Diæta sit *acidarum cura* congrua, (d. 8. *Jul.*)

§. Opilionis *uxor* (17. *Jun.*) ad me venit. & dixit, *ulcus palati* a *gargarismo* sibi a muliere quadam laudato plane consolidatum, *decocto* igitur a *Chirurgo* promisso se opus non habuisse; modo curarem, ut *dolor capitis* & *artuum præcipue* tolleretur. Probe, dico, rem curasti, Posteriora pejora fient prioribus; non es curata, nec ita curaberis. Vitium sanguinis emendandum. *Medico* credendum erat, non alii stolidæ mulieri, Ordinavi *Decoctum* vel *aquam antivenereã* MUSITANI, in ejusmodi Opilionis *uxor.*

affe-

XXVI. affectibus revera efficacissimam, aut jam descriptam, vel adhuc describendam, cujus mane & noctu bibat *haustum calidum*, diu continuandum. Acida interim fugiat, acria & omnia dyspepta. Potus sit *vinum vetus lymphatum.*

Grammesius. *Catarrhus.* §. Grammesius 26. annorum cœlo pluvioso profectionem suscipiens *defluxione catarrhali* corripitur, dolet cervix, collum in alterum latus flectere non potest; & cum sæpe per caussam fere quamlibet occasionalem ejusmodi defluxionibus corripiatur, metu secuturæ aliquando *apoplexiæ* petit consilium. Ordinavi *electuarium purgans* consuetum. Postea *Göppingenses acidas*; pomeridie vero & noctu ante somnum *spir. nervini* gtt. xxxx. ex cochleari vini.

Bekanda. *Dyspnœa. Rheumatismus.* §. Bekanda mulier 34. annorum a longo tempore sentit *pressionem & angustiam pectoris* cum aliquali *dyspnœa*, pallet, non satis appetit, lassa est: *Rheumaticus* dolor brachium sinistrum occupat. Dicit se in *Saxonia* natam & educatam adsuevisse *emeticis* & inde semper melius habuisse, difficulter autem moveri. Præscriptus *pulvis:*

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. tart. ℈j.*
dacryd. gr. v. ol. mac. gtt. j. M. pro 1. dosi.

Postea mane & noctu gutt. xxx. *mixturæ* ex quolibet vehiculo:

Rec. ℞. *succin.* ⊖. *vol. oleos. an. ʒiß. M.*

Prævia frictione brachio inungatur *linimentum* ex *an.* ∇. *camph. & ol. lumbr.*

Dynosideri *infans.* §. Dynosideri *infantulus* meliuscule habere videtur. Quamvis autem ob cadaverosissimum fœtorem excretorum spes nulla supersit; continuanda tamen esse duxi *medicamenta*, & assumendum præterea *pulvisculum* d. 24. *Jun.* ordinatum. *Quorum excrementa cadaver olent*, sive sint adulti, sive non, *omnes moriuntur*, etiamsi cætera non adeo male habent, immo symptomata plerumque mitigari videntur, quod præcipue in *dysentericis* frequenter observavimus. (d. 27. *Jun.*)

Uxor. Pruritus. *Uxor pruritum* fere intolerabilem sustinet in toto corpore, cujus aliqualem tantum mitigationem desiderat, donec infantulo aut *convalescente* aut *mortuo*, impetrata quiete, sibi rite medicari possit.

Rec. *Diaph.* ♂. *pulv. lign sassafr.*
arcan. duplic. an. ʒj. *M. F. 9. pulveres.*

Mane sumatur dosis una ex quolibet vehiculo: Bis quoque in die, nempe, quum vestibus exuta est, *prurientem cutim panno laneo in oleum amygdalarum calens intincto fricet. Acida & salsa vitet.*

§. Rhab-

§. Rhabdaulitis *uxori* (d. 20. *Iun.*) ad emendandam *digestionem*, removendos *hypochondrii* sinistri *dolores*, corrigendum sanguinem, qui nuper a secta vena tam culpabilis repertus, ordinavi *mixturæ* seq. guttas xxx. mane ex jure, noctu ex vino sumendas: XXVI. Rhabdaulitis *uxor.*

Rec. *Elix. balsam.* R. ♂. *helleborat. an.* ʒij. *M.*

§. Heridarni *uxor* 19. annorum, primipara, ab octiduo puerpera, horruit nudius tertius, æstuare cœpit, in altera mamilla lactare non potest ob papillarum fissuras, quibus medicari studet *mucilagine semin. cydon.* Hinc mamilla turget, tenditur &c. caput dolet, appetitus adest, sitit. Suspicor de *febri lactaria.* (NB. *Lochia* rite procedunt.) Heridarni *uxor.* *Febris lactaria.*

Rec. *Bezoard.* ♃. ♁. *nat. ppt.*
crystall. ppt. an. ℈j. *M. F.* 3. ℥.

Sex horarum intervallis assumantur ex vehiculo seq. etiam seorsim dando:

Rec. *Aq. borrag. ceras. n. rub. id. an.* ℥iß.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. acetos. citr.* ʒij. *M.*

Fronti applicetur *emulsio externa.* Cum vinum bibere non liceat, sitis jurulentis calidis non compescatur, aquam etiam pane conditam stomachus respuat, quid bibendum? *Emulsio amygdalina,* quod nimium nutriat, *in illa lactis abundantia locum non habet.* Ordinavi *ptisanam.* (d. 27. *Iun.*)

§. Mellesii *uxori* tametsi a medicamentis d. 8. *April.* præscriptis levamen sensisset, ob affectionem tamen *hypochondriaco-hystericam* in sanguine intimius radicatam suasi curam *acidularum* GÖPPINGENSIUM, si non ad fontem, saltem domi cum regimine potandarum. Mellesii *uxor.*

§. Billyssa vidua 57. annorum, mœroribus multis obnoxia, ob varios casus vere infortunatos; accepto jam nuncio tristissimo conqueritur de *dolore sinistri*, eo loci, ubi *splen* quiescit, qui in *tumorem* quoque duriusculum attollitur. Hauriat *aquam spleneticam* sibi familiarem. Lateri imponat *emplastrum regium* BURRHI, & noctu sumat *magnesiæ albæ* ʒj. ex *emulsio amygdalarum.* Bilyssa. *Tumor & dolor lienis.*

XXVII.

XXVII.

Mercurius paullo infra primam quarti gradus lineam vesperi usque in tertium gradum subsedit: Liquor *themometri* quartum gradum paullo supergressus talis per totam diem mansit. Dies nubila & pluviosa.

§. Tigurino ad promovendum digestionem *tragema* petenti, tale Tigurinus. *Dyspepsia.*

XXVII. tale post quemlibet pastum more tragematis utendi solito sumendum præscripsi:

Rec. *Spec. diacr. Mynf. pulv. stomach. Birkm. an. ℥ß.*
trag. arom. offic. ℥iij. ol. mac. expr. gr. vj.
elaosacch. mac. ℥iß. M.

Lineti *uxor. Instructio potandi aquas minerales.*

§. Lineti *uxori* jam *acidas* GÖPPINGENSES & postea *balneas* BOLLENSES aditura, methodum utrisque utendi talem præscripsi: Observet in *acidarum* potu regulas jam aliis traditas, nisi, ut ob graviditatem parcius bibat, & minus moveatur. Instructa sit *pilulis* EMANUELIS ad *constipationes* reserandas, *pulvere fumali* HAUGII ad usus jam cognitas & *tragemate* tali post quoslibet pastus assumendo:

Rec. *Pulv. stomach. Birkm. ℥j. trag. arom. off. ℥iij.*
elaosacch. mac. ℥iß. M.

Ad *affectus hystericos, cephalæam, tormina* &c. instructa sit medicamentis ultimo ordinatis, saltem, ut urgente necessitate præsto sint. Cum per duodecim dies ἐν ἀκμῇ biberit, BOLLAM contendat, ibi cum *acidulis* descendendo, balneando adscendat, primo sedendo per horam, hinc tempus durationis in labro singulis diebus per horæ quadrantem augendo, usque ad bihorium, quod tempus constanter retineat, ad 12. usque dies, hinc quotidie per hora quadrantem iterum descendendo cum una hora curam absolvat, regulas itidem omnes observando, quas aliis præscriptas *Lector* supra loco suo videbit. Et quamvis *acidarum* cura BOLLÆ intra paucos dies absolvenda sit, semper tamen hora 1. ante ingressum balneum, & pomeridie post quietem a balneo bibat quartarium *Wurtenbergicum aquarum* GÖPPINGENSIUM. (d. 8. *Iul.*)

Gorsi Filius. *Lumbricorum suspicio.*

§. Oblitus sum heri commemorare, me visitasse Gorsi *filium* (d. 25. *Jun.*) apud quem *convulsiones epilepticæ* quidem remiserunt, sed facies erat è pallido lurida, venter prominens. Affatim comedit panem secalinam, inquiete dormit. Suspicionem nactus, annon forte *lumbricis* scateat, quos *convulsionum* auctores esse posse mecum sine dubio plerique Practici observarunt. Cujus rei ut fierem certior, *pulveris vitri veneti cum melle in pastam redacti* ℥ij. *testa nucis juglandis dimidia inclusas umbilico per noctem admoveri, empl. de sperm. ran. imponere & fascia munire jussi,* quæ testa hodie mane adeo fuit evacuata, ut contentorum propemodum vestigium non deprehenderetur. Certior in suspicione præscripsi *pulverem anthelminticum* mane & noctu ad 2. cusp. cultr. cum *melle* sumendum:

Rec.

XXVII.

Rec. *Æthiop. miner.* ℨij.
Corralin. sem. santon.
Gial. n. resin. an. ℨj. *M. F.* ℥.

Mane & noctu splenium sequenti *unguento* crassiuscule obductum *umbilico* admoveatur quadantenus calefactum:

Rec. *Ungu. arthan.* ℥j. *croc. metall.* ℨj.
ol. colocynth. ℥ß. *M.* (vid. infra.)

Retelirae uxor. Diarrhœa.

§. Retelirae *uxor* (d. 24. *Iun.*) indies, immo in horas magis deficit viribus, vacillante quoque ratione, adsunt *leipothymiæ*, *diarrhœa* nihil remittens. Æternitati appropinquanti ordinavi *electuarium*, cujus interdum castaneæ quantitatem assumeret:

Rec. *Elect. resumt.* ℥j. *cons. fl. papav. viol. an.* ℥ß.
pulv. anal. fr. M. inc. ℨj. *spec. diatrag. fr.* ℨiß.
sir. papav. err. q. s. F. Elect.

Cochleatim quoque præbeatur *mixtura* roborans:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *fl. til. acac. an.* ℥j.
cinnam bugl. ℥ß.
conf. alk. inc. ℨj. *sir. fl. tun.* ℨij. *M:*

Pro *odoramento* in *leipothymiis*:

Rec. *Aq. Reg. Hung.* ℥ß. ∾. *Lavend.* ℨj. M.

Potus *emulsio amygdalarum.* (d. 29. *Iun.*)

Heridarni uxor.

§. Heridarni *uxor* hodie tanto æstu non laborat, nec *dolor capitis* tam atrox, interim tamen morosa est & fere nil appetit. Ordinavi *pulverem*, cujus interdum 2. cusp. cultri per se assumat, pergendo simul cum *mixtura* heri præscripta:

Rec. *Spec. diacret. Myns.* ℨij.
pulv. analept. fr. Mind. inc. ℨj. *M.*

Papillarum fissura.

Papillæ sinistræ *unguentum de liquiritia.* Aderat mulier, quæ *oleum avellanarum rubrarum* vel *Lambertianarum expressum* commendarat. Non rejecerim, si in nostris officinis prostet. Sed non prostat. (d. 28. *Iun.*)

Tuberebii *servus.* *Febr. quotid. interm.*

§. Tuberebii *servus* a quatriduo laborat *febri quotidiana intermittente*, calore tam atroci existente, ut deliret, immo *syncopen* patiatur, & spiritum ducere vix valeat. De *amuleto* quæsitus negative respondi. cochleatim hodie præbeatur *mixtura*:

XXVII. Rec. *Aq.fl.acac.ceraſ.n. endiv. an.* ℥ij.
♁. *diaph. CC. philoſ. an* ℈ij.
ſir. acetoſ. citr. ℥ß. *M*,

Noctu ſumantur *pilulæ* pro 1. doſi:

Rec. *Extr. bez. papav. comp. an. gr. iij.*
F. 6. pilulæ.

Potus ſit *ptiſana*. Cras urina adſervetur in locum frigidum mox ab emiſſione in vitrum collocanda. (d.28. *Iun.*)

Raretedius. *Inappetentia.* §. Rareredius, (de quo ſupra d. 18. *Apr.*) adhuc queritur de *inappetentia*, *languore*, *preſſione circa præcordia*, quamvis *jus medicatum* cætera non ſine emolumento bibiſſet. In prandio & cœna cumprimo cochleari juris ſumat gutt.xxxx. *elix. balſamici*, primus hauſtus in quovis paſtu ſit *vinum abſinthites compoſitum* aliquoties jam in his menſibus deſcriptum, vitando dyſpepta. (d.2. *Aug.*)

Dynoſideri *filiolus.* §. Dynoſideri *Filiolus* denuo tam languidus eſt, quam unquam antea, *alget*, *ſudat*, *vomit*, *fœtidiſſima dejicit*, *leipothymias*, patitur, *convulſionum* ſigna præbet, metum *ſuffocationis* incutit:

Rec. *Aq. ceraſ. n. rut. an.* ℥iß. *opil. L.* ℥ß.
elix. vit. Matth. c. ℨj. ~⊖✱. *aniſ.* ℈ß.
ſir. cinnam. ℨij. *M. D. cochl.*

Bis in die dentur gtt. iiij. *liq. CC. ſuccinat.* in ſuperiori vel alio vehiculo: cum pulvere pergatur. Non diu ſupervivet. (d. 29. *Iun.*)

Gorſi *filius.* §. Oblitus ſum, ubi ſupra de Gorſi *Filio* dixi, ſimul commemorare egregium remedium pro ſtomacho roborando vel ut formula ſonabat: Einen guten Magen zu ziehen. Nimirum noctu ante ſomnum ſumantur grana 7. vel 9. *piperis nigri integri* cum *hauſtulo ſpiritus vini.* Non admodum abſurdum eſt hoc remedium in ſtomacho pituitoſo & reſpective frigido, hominibus obeſis vel ſaltem euſarcis. In puero noſtro locum non habet, valde ſimul macilento, ſitibundo, ad *pthiſin* prono: immo hic *convulſiones* acciere aptum eſt. Et cur præciſe granorum ſit numerus impar. Superſtitionem ſapit.

Meleager *Podagra.* §. Melager, vir ultra quam ſexagenarius, in eluvione nupera cellæ vinariæ ſuccurrere ſtudens nudis pedibus usque ad ſuras aquis immerſus horrorem contraxit, cum inſequente æſtu ac ſiti, ſecutus eſt tumor genu polliciſque pedis ſiniſtri cum rubore ac ardore, doloreque ſummo. Nunquid, ajo, unquam *podagra* laboraſti? Affirmavit. Agnoſcens ergo paroxyſmum *podagricum* bono ipſum animo eſſe juſſi, namque ſub herba anguem alium non latere. Detineat ſe in lecto, pedem obvolvat

volvat linteis & *leporinis pellibus* calidis, vino abstineat, bibat *emulsionem amygdalarum*, urinam cras inspiciendam præbeat. XXVII.

§. Phacaulites (d. 12. *Jun.*) ob labores inevitabiles medicamentis nuper ordinatis, *venæsectione*, *infuso* &c. uti non potuit, melancholia tamen sponte multum remisit, ut mania sine impedimento obeat. Suasi tamen ne, laboribus suis defunctus, *acidulas* bibere negligeret, declinante quantumvis anno *recidivam* enim esse metuendam. Phacaulites. *Melancholia.*

XXVIII.

XXVIII.

QUi hodie mane in hesterna vespertina statione reperiebatur Mercurius, vesperi ad primam quarti gradus lineam surrexit. Liquor *thermometri* gradum exacte quartum per totam diem retinuit. Noctu pluvia larga, dies varia, utplurimum tamen nebulosa & pluviosa.

§. Melodidasculo (d. 18. *Jun.*) FRISIUS per litteras suasit, ut per sex septimanas mane & noctu assumerat *pulveris seminis sinapi albi*, quantum digitale caperet, (einen Fingerhut voll) ex *scutella thée*. Se enim sic edoctum a quodam rustico multoties eximium hujus simplicis usum in *desperatis nervorum affectibus*, *apoplexiis* cumprimis, *tremore*, *spasmis &c.* expertum esse, feliciter quoque curatorum aliquot exempla adducens. Melodidasculus. *Affectus spasmodicus.*

Consultus respondi non esse planum e litteris FRISII, utrum *semen sinapi* vel *erucæ* velit: nam *semen erucæ* germanice quoque vocari weiser Senff; Utroque semina laudari ad *scorbutico hypochondriacos* & *nervorum* affectus a *Botanicis* ad unum omnibus, in *apoplexia* vero primus tenere *semen sinapi*. Menteam *Auctoris* hic terminavi mihi verosimile videri, quod in *Recepta*, quam vocant, latina non posuerit *semen erucæ*, sed *semen sinapi albi*. Jam vero dari *semen sinapi* tale, quamvis præ *flavo semine* nil magnifici possideat, nec in usu sit. Alias me adeo non temnere usum hujus *simplicis*, ut potius optimo, vel saltem non nocituro cum effectu usurpari posse censeam. In eandem quoque sententiam quæsitus respondit GNOMILEGUS. Dosin quod attinet, eam ad ʒß. reduximus, eo quod digitalia mulierum sint variæ capacitatis pro crassitie digitorum. Non autem diffitendum, eandem difficultatem manere cultri cuspides, nempe variare doses his cuspidibus definitas cum pro ratione cultrorum ipsorummet, tum discretionis eorum, qui pulveres assumunt. Qui pharmacis utuntur inviti, dosin scalpellis cultellisve

 aliis,

XXVIII. alius, qui libenter sumunt, structoriis cultris (Trentschiermesser) vel saltem latioribus aliis metiuntur. Modum igitur alium doses *pulverem* determinandi, quam per digitalia mulierum, aut cultrorum cuspides excogitare præstaret. Ego sæpius ad ℥ß. dosin constituo, dicens ægrotis, ut primam saltim dosin ponderent, ex hujus quantitate non difficulter reliquas doses circiter dijudicaturi sive enim granum unum deficiat, sive superfluum existat, perinde haberi. (d. 29. *Jul.*)

Tuberebii *servus*. *Febris.*

§. Tuberebii *servus* hac nocte longe quam præcedenti tempore melius habens ostendit hodie mane urium cum *sedimento lateritio*, qualis in *febribus* mingi solet. Dedi *electuarium purgans* in crastinum assumendum, pergendo interim hodie cum *mixtura* hesterna.

Liberti *filiola*. *Massa carnea in facie.*

§. Oblata est mihi Liberti *Filiola* semestris. Ab octava post partum septimana *tuberculum in nasi dextra parte durum* circa nasi radicem exortum sensim sensimq;, non obstantibus variis, fortasse quibusdam etiam incongruis remediis sic increvit, ut ab oculo dextro clauso ad aurim dextram totam usq; genam usque ad collum ingenti se mole exporrigeret, tumore si non majore, saltim vix minore, quam reliquum capitis, existente; tumor fuit inæqualis ex rubro cæruleus quasi venis marmoreis distinctus, roht und blau marmorirt/ non admodum dolens, secundinam humanam colore referens. Inferius, qua tumor allisit ad axillam, vel indusium, abrasa fuit cuticula exstillante illinc sanguine, quæ excoriatio dolorifica fuit infanti, alioqui tumorem patienter ferenti. Horridus erat aspectus, infantula cæterum pallida, macilenta, languida. Cum basis latissima ligationi locum non concederet (man kunnt das Gewächs nicht abstricken) vires autem vel excisioni, vel exstirpationi per quælibet cauteria nullo modo sufferturæ judicarentur, insuper ONISIMUS noster jam ante sex hebdomatas consultus manum admovere recusaret, Parentibus auxilii sane quam parum superesse fideliter dixi, eosque monui, ne vel cuiquam circulatori crederent, vel impensas in misellam multas elocarent, æthiopem enim dealbaturos esse. Cum tamen de *emplastro* quodam mitigante instarent, jussi, ut quotidie recenter imponerent *emplastrum diachalitidis*. (d. 21. *Jul.*)

Boidarii *filiola*. *Ulcera colli.*

§. Boidarii *Filiola* per laudatum a nobis (d. 28. *May.*) *unguentum* & *emplastrum* multum & magis, quam speraveram profecit: *Ulcera* enim *colli* sensim persanantur, & pus laudabile turundis adfricant.

Heridarni *uxor*.

§. Heridarni *uxor* longe mitius habet, quam heri; sed papilla *unguentum* de *liquiritia* tolerare non potest; hinc *mucilagine* rursum oblinitur, & reliqua interna porro usurpantur. (d. 29. *Iun.*)

§. Gnomi-

§. Gnomilegus de Cetocrenis *Filiola* narravit (d 27. *Mart.*) *Nattam* fere, qualis olim fuit, in vertebra lumbari reperiri, reliquos autem abdominis & femoris *tumores* constanter emansisse, puellumque esse vegetum, sanissimum, de re omnino nulla querentem. Olim *Nattam* in *capite pusionis* alius ex Consilio ONISIMI ruptam impositione *turionum* vel potius *apicum s. umbellarum absinthii vulgaris contusarum* intra paucissimos dies persanatam fuisse, se, ut idem cum *Filiolo* tentarent; suasisse, cujus rei eventum expectamus. Utinam *simplicium* potior habeatur ratio, quam plerumque fieri solet, sic enim feliciter abigi possent sine magnis sumtibus, quæ maximis constantia vel non vel palliative curantur! XXVIII. Cetocrenis *filiolus*.

§. Curtitogæ *uxor* primipara 24. annorum *phtisica* jam diu decumbit, medicamentaque officinalia se aversari, propterea, diu *Medicum* accersiri noluisse, dicit. Explicato periculo in affectu nimium irroborato, jussi methodice bibere *Ptisanam bromiam*, & insuper assumere ter in die quantitatem Castaneæ de *electuario euporisto antiphthisico* ex *rad. helen. herb. veron. & heder. ▽. pulverisatis & cum melle despumato in consistentiam rob. redactis.* Curtitogæ *uxor.* *Phthysis.*

§. Remulli *uxor* 36. circ. annorum petit remedium *asthmati* cum *rhonchis* & excretionn pituitæ tenacis, *tussiq; nocturna.* Non admodum extenuatur & satis appetit. Bibat ter in die calidum haustum *Decocti* sequentis: Remulli *uxor.* *Asthma humidum.*

Rec. *Spec. pro Dec. pector.* ℥iij,
rad. helen. ℥ß.
Sem. sinap. nasturt. an. ʒj.

Conc. cont. coq. in $1\frac{1}{2}$. mens. aq. fontanæ ad consumt $\frac{1}{6}$. Potus ordinarius sit *Passulatum* HORSTII.

§. Nolani *uxor* (d. 27. *Iun.*) usquequaque melius habens adhuc saltem querelas agit de *dolore splenetico* interdum acuter infestante. Ordinavi tempore solius paroxysmi cochleatim hauriendam *mixturam* loco frigido ad usus futuros servando: Nolani *uxor.* *Dolor Lienis.*

Rec. *Aq. fumar. meliss. an.* ℥iiß.
mixt. simpl. ℈iiij. ♁CC. ℈ij.
ol. anis gtt. iiij. ess. anod. ℈j.
sir. fumar. ℥ß. *M.*

Potet, quamprimum *fluxus mensium* iterum præteriit, *acidulas* GÖPPINGENSES, cum regimine.

§. Gri-

XXVIII. Gripeutus. *Anorexia.* §. Gripeutus petit remedium *anorexiæ.* In quolibet pastu ex haustu vini primo assumere jussi *elixiris balsamici* gtt. xxxx. (d. 1. *Iul.*)

Casantri *uxor.* *Febris continua.* §. Casantri *uxor* 23. annorum ab octiduo puerpera, primipara, queritur, post horrorem prævium de summo corporis æstu, cum sudore magno, anxietate, siti, summa *cephalalgia* pervigilio. Et hodie, cum nox jamjam adsit, nil aliud petit, quam æstum mitigationem;

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an ʒj. papav. alb. ʒij.*
Aq. meliss. ceras. n borrag. an. ℥ij.
F. l. a. Emuls. add.
diaph. ♃. Oc. ♋. ppt. an. ℈j.
sir. rub. id. ℥ß. M.

Sumatur hujus *emulsionis* medium, conquassato prius liquore, statim postquam ex officina venerit, medium alterum post noctis dimidium, nisi obdormierit ægra, propterea non expergefacienda. *Emulsio externa* consueta fronti applicetur. (d. 29. *Iun.*)

XXIX.

XXIX. MErcurius sedem hesternam vespertinam hodie vesperi per dimidiam fere lineam transscendit. Liquor *thermometri* mano paullo infra quartum gradum quiescens vesperi dictum gradum perfecte attigit. Nox erat frigidula, pluvia rara, reliquum diei mixtum, magis tamen serenum.

Casantri *uxor.* *Purpura alba.* §. Casantri *uxorem* invisens reperi *purpura alba puerperarum* (weisen Friesel) laborantem. *Pustulæ confertissime miliares, albæ* cutim totam obsederunt. *Æstus* erat adhuc insignis, pulsus celer, sed debilior, sitis magna, licet se longe melius, quam heri, habeti affirmasset. Dimidium *emulsionis* adhuc aderat nocti futuræ destinandum. Lac in mamillis exuberabat, hinc infantulum suum lactare, non intermisit. Affectum hunc acutum agnoscens, ut caute mercarentur, monui. Scripsi quatuor *pulveres*, quorum una dosis statim, reliquæ semper intervallo sex horarum adsumantur ex vehiculo subjecto scorsim quoque per eochlearia hauriendo:

Rec. *Diaph. ♃. cryst all. ppt.*
♁. nat. ppt. ☽. ppt. an. ℈j. M. F. 4. ☧.
Rec. *Aq. borrag. acetos. fl. til. an. ℥ij.*
mixt. simpl. ʒß. sir. acetos. citr. ʒß. M.

Cum siti levandæ destinassent *aquam ovorum* sic dictam, (Eyer-Wasser) quæ nil est aliud, quam *albumen ovi conquassatum, cum aqua fontana multiplici transfusione mixtum*, ipsaque jam de ea multum bibisset,

&, eam quidem valide sitim sedare, sed ob nimiam refrigerandi potentiam *puerperæ* nostræ non accomodam esse pronunciavi, substituique *aquam fontanam*, in quam immersus fuit panis recenter è furno extractus & confractus (d. 29. *Jun.*) XXIX.

§. Aridarius vir annorum fere sexaginta, *podagricus*, in juventute frigori frequentissime expositus, de *artuum lassitudine* & *dolore osteocopo* querens, *balneas* BOLLENSES adire gestit, atque utrum ipsius constitutioni accommodas judicarem, interrogat? signa quædam adsunt, fateor, dispositionis *cachecticæ*, *facies subtumida*, *pallens*, *pedum* de die usque ad talos *tumor œdematosus* parvus, noctu disparens. Quæ res animum meum in suspenso tenebant, quum *cachecticis balneas minerales* nunquam proficuas fuisse expertus sim. Attamen, cum appetitus satis constet, tussis non adsit, libere spiret, obesulus existat caussaque lassitudinis artuum, nempe frigus perpessum, in aprico sit, concessi, data tamen cautela, ut, si ab usu *balnearum asthmaticus* fieret, *tussiret*, *vomeret*, *alvi fluxum*, *tormina* pateretur, *anorexiam* sentiret &c. Statim abstineret, certus eas magis nocituras quam profuturas. Interim ante usum *balnei* biberet *infusum* nostro more parandum & potandum.

Aridarius. *Lassitudo. Pedum tumor.*

Rec. *Rad. irid. nastr.* ℥ß.
rhabarb. ver: mechoac. a.
agar. trochisc. an. ʒiij.
herb. soldanell. fragar. an. mj.
fol. senn. s. s. ℥iß. *passul. min.* ℥ij.
cort. median. samb. ebul. an. ℥ß. *bacc. junip.* ℥j.
Tart. crud. ℥ß. *cass. lign.* ʒij. *mac.* ʒj.
conc. cont. D.

§. Onycia, vidua 70. annorum cum inappetentia, lassitudine, levique *dyspnœa*, moleste *tussit*, & sibi de *phthisi* metuit, nil tamen petens, nisi pectoralia roborantia & stomachica: Pulsus est naturalis, & morbus mihi tanti non videtur, quam mortis metus; Rogaverat enim, ut sumtibus nullis parcerem, quod idem quidem & alii facere consueverunt, convalescentes tamen & *pharmacopœi schedas* expavescunt; hinc ejusmodi postulata non semper attendere debet *Medicus*. Ordinavi tamen sequens *electuarium*, cujus interdum quantitas castaneæ vel nucis moschatæ capiatur;

Onycia. *Metus Phthiseos.*

XXIX. Rec. *Flect. resumt.* ℥j. *conf. alk. c.* ʒij.
conserv. fl. bellid. carn. citr. cond. an. ℥ß.
pulv. anal. fr. M. inc. ʒj. *spec. cord. temp.* ʒß.
sir. cinnam. ʒiij. *M.*

In quolibet pastu sumat gtt. xxxx, *elixiris* cum haustulo vini:
Rec. *elix. balsam. ess. absinth. an.* ʒiß. *M.*

Paretur & imponatur *sacculus stomachicus* (NB. tumor aliqualis, & quidem renitens aderat *ventriculi*) e speciebus consuetis non semel descriptis. (30. *Jun.*)

Uberauli *filiolus.* *Metus convulsionum.*

§. Uberauli *Filiolus* 4. annorum, jam ab aliquot diebus decumbit cum æstu, siti ac dolore *capitis*, medicinæque nil quidquam assumere cum voluisset, ita sibi relictus est a Parentibus nimium & periculose indulgentibus. Nunc autem, cum pavere, brachio insolito more jactare, sopore affici, aliaque *convulsionum*, proxime adfuturarum signa ostendere incipiat, accurrunt, conscientiæ sc. ut ajunt, suæ prospecturi. Num satis prospexerint, ipsi videant. Periculo denunciato *materiam perlatam* in nodulo coërcitam potui ordinario (qui sit *arthydrus*, non autem vinum, quod puellus expetit, & immisericorditer misericordes Parentes ministrant) immergere, atque ad assumtionem *mixturæ* sequentis cogere jussi:

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥iß. *epil. L.*
sir. fl. pæon. an. ℥ß. *M. D. cochleatim.*

Emplastra duo *vesicatoria* alterum *brachiolo*, alterum *suræ* sine mora affigantur.

Vertex, nucha & tempora ungantur *balsamo cephalico* consueto, &, quomodo se habeat puellus, in crastinum significetur. [d. 4. *Jul.*]

Dynosideri *filiolus.* *Diarrhœa.*

§. Dynosideri *Filiolus* (d. 27. *Jun.*) nihilo melior, nisi quod aliquantum liberius spiret, ac cibi nonnihil assumat, nec externa adeo frigeant, continuante tamen *diarrhœa* fœtidissima. Pergatur cum medicamentis. (d. 30. *Jun.*)

Reclepius. *Febris erratica.*

§. Reclepyus a *febre intermittente* nunc *tertiana*, nunc *quotidiana*, nunc quartana sæpius jam intra spatium anni Tubingæ recidivam passus, præludia quædam erupturæ rursum *febris* sentit, *horripilationes*, *lassitudinem*, *inappetentiam*, *oscitationes*, facies pallet:

Rec. *Extr. cathol.* gr. xv.
magist. scam. gial. an. gr. vj.
F. pil. num. xviij. pro 1. dosi.

Mane, pomeridie & noctu sumant 3. cuspides cultri de sequenti *pulvere* cum quolibet vehiculo:

Rec.

Rec. *Spec. diacr. Mynſ.* ℥ß. *pulv. cach. qu. inc.* ʒij. XXIX.
ſpec. febrif. Cr. ʒj. *elæoſacch. caryoph.* ʒvj. *M.*

In quolibet paſtu ſorbeat gtt. xxxx. *elix. propr. dulc.* cum primo vini hauſtu. (d.4. *Jul.*)

§. Heridarni *uxor* calorem præter naturalem omnino nullum amplius ſentit; cibos quæque appetere incipit; moroſa ſaltem eſt, taciturna, ſubtriſtis. Olim jam affectibus *ſpleneticis* vexatam fuiſſe ſciens, ordinavi *mixturam hypochondriaco-ſpleneticam* mihi valde familiarem cochleatim ſumendam: Heridarni *uxor.*

Rec. *Aq. meliſſ. fumar. an.* ℥iij.
mixt. ſimpl. ℈ij. *bez.* ♃*al.* ℈j.
elæoſacch. aniſ. ʒiij. *M.*

Mane & noctu ſorbeat guttas 50. *tincturæ* ♂ *helleboratæ* ex jure calido. Quærenti, an papillam ſiniſtram oblinere liceret *ung. pomato* DUCISSÆ? reſpondi, quod ſic: elegans enim eſt compoſitio, conſtans inter alia e *ſucco uvarum clivenſium nigrarum* (Clevner-Trauben) hinc & colorem fuſcum exhibet non ſpernendum hoc *unguentum.* [d 1. *Jul.*]

§. E Diſtrictu TUTTLINGENSI, præfectura ad fines *Ducatus* ripasque DANUBII ſita mihi hodie transmiſſæ fuerunt variæ *martis mineræ*, quæ ibidem in *ferrum* ſat bonum excoquuntur. Transmiſſæ ſimul variæ *conchæ petrefactæ*, *Cornua Hammonis*, *lapides trochites*, *cardoides*, &c. quorum omnium accurata recenſio alii loco ſervatur, ſaltem innuimus in *Ducatu* WIRTEMBERGICO rerum omnium Naturam adeo divitem eſſe, ut, quæ alibi ſparſim reperiuntur, hic tanquam in gazophylacio accumulata ſint, ut, ſi quis *Hiſtoriam naturalem* WÜRTEMBERGIÆ, ſcribere vellet, vel ſumtibus, publicis adjutus, poſſet, opus eximium, ſi quod aliud, in publicum ſit editurus.

§. Reteliræ *uxor* [d 27. *Jun.*] indies magis deficit viribus, *delirat* per intervalla; fluxus alvi cadaveroſus augetur. Credo propinquiſſimam eſſe mortem, cum & frigido ſudore diffluat. Pergendum. (d.30. *Jun.*) Reteliræ *uxor.* *Diarrhœa.*

§. Noctu accurrunt circa duodecimam horam, nunciantes CASANTRI *uxorem* ex utraque nare jam ultra bihorium ſanguinem profundere & viribus debilitari. Dixi, vi ſupprimendam non eſſe hanc *hæmorrhagiam* fortaſſe criticam futuram. Hinc cochleatim propinari volui leviter *adſtringentem mixturam*: Caſantri *uxor.* *Hæmorrhagia narium.*

XXIX. Rec. *Aq. plantag. fol. querc. borrag. an. ℥iß.*
cor. r. ppt. lap. hæmat. ppt. bol. arm. ppt. an. ℈j.
ess. anod. ℈ß. conf. alk. inc. ʒj. sir. coral. ℥ß. M.

Quodsi vero *hæmorrhagia* cessare nolit, *leipothymiæ* observentur, ægra frigidum sudet, præbeatur *pulvisculus* unus, &, re non in melius mutata, post horæ spatium alter in *lacte amygdalino*:

Rec. *Sperniol. Cr. spec. cord. temp. an. ʒß. M.*
F. 2. ℞.

Fiat item *cataplasma* ex *bol. arm. cum aceto & albumine ovi*, extendatur super linteam & radici nasi frigide applicetur. (d. 30. *Jun.*)

XXX.

XXX.

MErcurius mane supra medium quarti gradus surrexerat, vesperi fere ad secundam lineam residens. Liquor *thermometri* mane in quarto gradu quiescens, dictum gradum pomeridie una linea transgressus est. Nox erat serena, dies calida, serenitate maximam partem manente.

Casantri *uxor.*

§. Casantri *uxor* post *hæmarrhagiam* multum levata fuit, *cephalæa* desiit, calor præternaturalis cum siti diminuti, vires erant, quales morbus permittere poterat, *pustulæ* prurientes in furfures arefieri cœperant &c. Sic, ut de *critica hæmorrhagia* nil plane dubitarem. Jussi pergere cum *mixtura* hesterna. Pomeridie calor jam aliquatenus, rursum auctus, nec tamen, qualis ante fuerat, & cum de noctibus nimium quereretur, ordinavi *pilulas* noctu 9. hora pro una dosi sumendas; adhuc, quia libenter assumebat, nec alvus inde clauderetur, cum *mixtura* continuando;

Rec. *Coral. r. ppt. Cryslall. ppt. an. gr. xij.*
extr. papav. comp. gr. ij.
conf. acetosell. papav. err. an. ℥ß. M. pro 1. dosi.

In perpetuo calore temperato detineatur ægra, nec unquam frigidus aër admittatur. Vicina quædam offerebat *aquam perlarum*; regatus, respondi, hactenus illa non opus esse. Constat autem *aqua perlarum* ex *manibus* CHRISTI *perlatis* & *aqua rosarum*. Hæc ultima non cuivis mulieri, quippe suaveolens, grata est. *Perlas* quod attinet, dubium est, utrum tanta vis cordialis, quanta vulgo adscribitur, illis insit? Certe, quidquid operantur, virtute *alcali* fieri persuasum me esse non diffiteor. Continent autem *alcali fixum* satis forte, quamvis fortius *occiden-*

dentales, quam *orientales*: siquidem ℈ß. *margaritarum occidentalium* XXX.
gutt. 80. *orientalium* 60. ⁓. ⊖. *instillati absorbent*, atque sic longe post se relinquunt omnes *bolos*, ♎. *signatas*, *cineres*, *lapides*, *calces*, *salia fixa*. Quamvis *alcalia* fortiora dari verissimum si, qualia sunt *creta alba*, *cochlearum* & *ostrearum testæ*, & *magnesia alba*. *Matrem perlarum* ⁓⊖. *git*. 50. adeoque tantum *decem guttas* minus, quam *perlæ* ipsæ, satiare queant. (d, 1. *Iul.*)

§. Quamvis de Dynosideri *filiolo* plane desperaram, attamen ut, ex voluntate parentum, intentatum nihil relinquerem, cum *diarrhœa*, tum *putredini cadaverosæ* sequentibus obviare conatus sum. Detur cochleatim & suo tempore cum *pulvere* consueto *mixtura*: Dynosideri *filiolus*.

Rec, *Aq. plantag. ceras. n. an.* ℥iß.
mastich. cinncm. cydon. an. ℥ß.
elix. vit. Math. c. ʒj. *ess. anod.* ℈ß.
sir. cydon. ʒiij. *M.*

Loco *liquoris C. C. succinati* bis in die assumti, substituantur guttulæ viij. *ess. myrrh.* cum *balsamo* pergendo. (d. 1. *Iul.*)

§. Onycia *electuarium* heri ordinatum non sine effectu usurpat, *tussis* remissior, vires meliores, stomachus non adeo, quam heri, tensus. *Mixturæ* autem *guttas* assumere neglexit, me prius interrogatura, cui fini illam præscripsissim? Ad appetitum, inquam, excitandum & roborandum *stomachum*. Jam se assumturam promisit. Non debebant ægroti, cumprimis qui medicinæ nullam peritiam habent, curiosius contari, quidnam secum fiat, quæ medicamenta, cui usui, sint scripta? *Medico* interdum est caussa rationem actorum suorum tacere: Patientum vero est *Medici* ordinationibus obtemperare. Hinc si talia contantibus offunditur glaucoma, injuriam ipsis fieri non credo. (d. 1. Jul.) Onycia. *Metus phthiseos*.

§. Jorami *Filiolus* semestris *tussi* cum æstu, languore, pavoribus ac *diarrhœa* corripitur, dentes nondum adsunt, non vomuit, neque *exanthematum* alia signa. *Dentitioni* adscribens illa symptomata dedi *pulverem*, cujus ter in die cusp. 1. cultri quovis modo præbeatur: Jorami *Filiolus*. *Dentitio*.

Rec. *Cor. r. ppt. C. C. ust. ppt.* ♁. *nat. ppt. an.* ℈j.
ther. cœl. gr. 1. M. F. ☿.

XXX. Cochleatim detur *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag. fl. til. an.* ℥iß.
mastich. cinnam. cydon. an. ℥ß.
ess. anod. ℈ß. *sir. fl. pœon.* ʒiij. *M.*

Potui *lac amygdalinum*, (d. 19. Aug.)

Retelirae *uxor*. §. Retelirae *uxori* aquam *expectorantem* & *confortantem* desideranti, saltem nil nociturus, *mixtura* sequenti cochleatim probenda gratificatus sum:

Rec. *Aq. scabios. anis. an.* ℥iiß.
cinnam. bugloss. ℥j.
spec. cordial. temp. ʒß. ~⊖*. *anis.* ℈j.
ess. anod. ℈ß. *conf. alk. c.* ʒj.
sir. jujub. ℥ß. *M.* (d. 2. *Iul.*)

SOLI DEO GLORIA!





J. N. J.

ETEODROMI MEDICO-PRACTICI LENTILIANI.

MDCCIX.

JULIUS.

I.



QUI mane medium quarti gradus proxime attigerat Mercurius vesperi propemodum ad tertium gradum recidit. Liquor *thermometri* mane in ipso quarto gradu subsistere visus, vesperi duas tertias quinti gradus attigit. Nox erat serena, dies valde calida & anxie æstuosa. I.

§. Dynosideri *filiolus* hodie a me propemodum agonizans inventus circa vesperam exspiravit. Dynosideri *filiolus.*

Filiolis reliquis *scabiosis*, alteri 8. alteri 5. annorum, pro ratione ætatis ordinavi haustus *purgantes*, & utrisque postea mane & noctu *mixturam* ex an. *ess. lignor.* & *fumar.* ex quol. vehiculo propinandum, majori q. ad xxiv. minori ad xviij. guttas. Postulabant *unguentum*, cujus usum minus tutum dixi, donec sanguis prius correctus esset. (d. 7. Aug.) (d. 17. Aug.) *Cum fraterculis.* *Scabies.*

I. Casantri *uxor*. §. Casantri *uxor* hodie satis bene habet, ac de sola *siti* & *agrypnia* queritur: *exanthemata* tamen nova semper surgunt, neque res adhuc in vado. Morbi acuti sunt frautulenti ac dolosi, nec a signis favorabilibus *Medicus* in securitatem semet seduci patiatur: Ordinavi *mixturam* cochleatim sumendam & noctu hora 9. *pilulas* pro 1. dosi.

Rec. *Aq. acetos. borrag. rub. id. an.* ℥ij.
cryst all. ppt. bez. ♃. an. ℈j.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. acetos. citr.* ʒiij. *M.*
Rec. *Extr. bezoard. papav. err. an. gr.* iij.
M. F. 6. pil.
Corpus frigori nullatenus exponatur. [d. 3. *Jul.*]

Gripeutus. *Metus apoplexiæ.* §. Gripeuto (d. 28. *Jun.*) propter molesta *somnia*, & *vertiginem tenebricosam*, licet alia desint signa, tamen semper adhuc de *apoplexia* sollicito, & medicamentum prophylacticum anxie petenti, ut satisfacerem, ordinavi pulverem, cujus primo mane & noctu ʒß. ex *aqua ceras. nigr.* post mensem, mane tantum, reliquo tempore diutissime continuando circa lunæ mutationes, in eadem dosi ex eodem vehiculo, sumatur;

Rec. *Pulv. march. anal. fr. Mind. inc. an.* ℥ß.
C. C. philos. alc. philos. rhinocer. ebor. fossil. an. ʒij.
cryst all. ppt. succin. a. ppt. an. ʒj.
♁. *nat. ppt.* ♁. *rectif. an.* ʒß.
balsamosacch. peruv. ʒvj. *M. F.* ℥. (d. 1. Aug.)

Eclogistis *filiola. Variola.* §. Adhuc semel ad Eclogistis (de qua 25. 9. *Jun.*) *Filiolam* vocatus sum. Ubique cutis persanata, solo naso ejusque circumferentia adhuc crustosa existente. *Scabies* hinc inde nova ex cuti pullulat, præter *furunculos* passim surgentes: quod frequens est apud infantes, qui post *variolas* non *purgantur*, vel quorum regimen morbo non congruebat; Dentur 10. guttulæ *mixtura* bis in die quovis modo.

Rec. *Ess lignor. fumar an.* ʒj. *M.*
Nasus inungatur *oleo ex an. amygdal. dulc.* & *hyper.*

Occa-

Occasione inundationis cellarum vinariarum ab eluvione nupera ONISIMUS narravit modum ad cellas negotio facili aquis evacuandas, *Moguntinis* usurpari solitum. Scil. in medio cellæ excavatur foramen profundum, inque illud canalis bombardæ majoris (der Lauff von einer Musqueten) vi impingitur, ut superficiei areæ in cella fiat æqualis. Canali huic infunditur *Mercurii vivi currentis* ℥ß. & in eum per ductos huc e quatuor cellæ angulis parvos sulcos aqua derivatur, quæ a canali ferreo excepta brevissimo tempore tota sorbetur, *Mercurio* vi sui ponderis ductus subterraneos sibi terebrante, quem aqua contigua sequitur. Opinarer tamen *Mercurii* pondus majus requiri. Addebat ONISIMUS ☿ii ℥ß. ultra annum sufficere, hinc novum canali infundendum esse. *Mercurium* omnes recessus permeare verissimum est, non itaque cachinno excipiendum inventum. I.

§. Bromiostrabi *privigna* (d. 21. *Iun.*) nuper ordinatis non sine effectu est usa; rogat proin, utrum repetere liceret medicamenta? Resp. quod sic. In eo enim plerumque peccant *chlorotica*, quod medicamentis uti desinant, quamprimum aut genæ fiunt rubentiores, aut liberius spirant. Ego per mensem integrum ad minimum, etiam cætera bellissime habentibus & symptomatum priscorum ne γρῦ sentientibus, medicationi insistere præcipio. Levissima enim est *chloroseos* recidiva, præsertim apud illas, quæ suo nimium appetitui indulgent, quod mulieribus fere connatum est, ad suas *lactucas* & *acetaria* plerumque, veluti *canis ad vomitum*, redeuntibus. Bromiostrab *privigna*. *Chlorosis*.

§. Onyca vires cum appetitu recuperat, *tussis* & *asthma* cum inflatione stomachi desinunt. Jussi consumere *pharmacorum* reliquias, *laxativa* congruo medicationi finem impositurus. Onycia.

§. Heridarni *uxor* heri conquesta est, se *mixturam* 29. *Iun.* ordinatam assumere non posse, propterea quod per naturam aversetur *anisum*, & omnia, quæ vel in substantia vel alio modo ingrederetur. Correxi statim, & loco illius *elæosacchari* addidi *mixturæ fir. fumar.* ℥ß. sic assumsit laudabili cum effectu, siquidem hodie non tantum, sublato omni calore præternaturali, viget appetitus & morositas omnis abacta est. *Papillarum* quoque *fissuræ* solidantur & tenellus facilioris est admissionis. Heridarni *uxor*.

Ita frequenter usu venire solet *Practicis*, ut obveniant ægroti per *idiosyncrasiam* aliqua simplicia horrentes, quod dum *Medicus* nescit, ac talia præscribit, ab effectu sperato destituitur, immo, in deterius ægri labuntur. Hinc, si a medicamento rite parato & affectui adæquato æger

II. pejus habeat, examinare decet *Medicum* singula ingredientia, patientemque, an nil adsit, quod aversetur, interrogare, ita sæpenumero caussa, propter quam illa formula nocuit, in apricum exponitur. Sic aliquæ sunt, quæ *cinnamomum, camphoram, helenium, absinthium* &c. ferre non possunt, immo nonnunquam inscii, quod talia medicamentis in sint, ea horrent. (d. 3. *Jul.*)

II.

MAne Mercurius in prima linea quarti gradus, vesperi ad ejus fere medium ascendit. *Thermometri* liquor in medio quinti gradus per totam diem quiescebat. Nox erat calida & nubila, mane pluviola tenuis. dies mediocris, nunc serena, nunc leviter madida, sed valde simul calida.

Hydrandri uxor. *Hæmorrhagia uteri.*

§. Hydrandri *uxor* partui vicina præterita 29. Junii templum adiit confessura: in templo corripitur *uteri hæmorrhagia.* Domum rediens accersit obstetricem, quæ *sirubum coraliorum & papav. err.* æqualibus portionibus mixtos, cochleatim sumere jussit, unde sanguis haut equidem plane substitit, parcius tamen fluxit. Hinc ausa est mulier die sequenti *Dominica*, nudius nempe tertius, *corpus Dominicum* in cœtu publico *percipere.* Sanguis iterum uberius fluxit, & ipsa vix cultum ceremoniamve cum reliquis absolvere potuit, quin templum egredi cogeretur. Heri obstetrix suasit *venæsectionem*, quam sine meo consensu administrari noluit. Consensi, missionemque sanguinis necessariam omnino esse dixi. Uti *menstruatam* nullam sine extremo necessitatis casu, ita minime omnium hanc mulierem *hæmorrhousam* SACRAM COENAM, cum suo prolisque, periculo adire decuit.

Oeconomia. *Hæmoptysis.*

§. Oeconoma 24. annorum, *mensium paucitate* laborans, interdum sanguinem spuit; angustia summa pectoris semper adest, *phlogoses*, pressionem stomachi, lassitudinem patitur. Venam nuper secavit. Rogat, an *acidulas* GÖPPINGENSES sibi patrias bibere liceat. Annui, sed corpus prius esse lustrandum dixi: Reposuit se difficulter moveri. Ordinavi 2. *pulveres* digestivos noctu ante somnum ex jure sumendos;

Rec. *Rad. ar. ppt. tart.* ⊕*lat. an.* ℈ß. *M pro* 2. *dosibus.*

Postea *electuarium purgans* consuetum in dosi auctius, nempe *pulv. cornach.* ad ℈ß. & *elect. e psyll.* ad ℥ß. postea adeat *acidulas*, (d. 11. *Jul.*)

Verriculus. *Cachexia.*

§. Verriculus 40 annorum, *Musicus, hyppochondriacus*, multoties diætæ erroribus obnoxius, de inappetentia, *duritie hypochondrii dextri, borborygmis*, capitis gravitate, lassitudine queritur: interdum color

lor faciei quasi ictericus. Per urinas multæ arenæ cum mictione interdum difficili. *Acidulas*, me annuente, potaturo scripsi prius *infusum catharticum*: II.

Rec. *Rad. cichor. silv. fœnic petrosel. an. ℥ß.*
polypod. qu. ʒv. mechoac. a. ʒiij.
fol. senn. s. s ʒx. fl. acac. ʒij.
herb. agrim. meliss. fragar. trifol. fibr. an. mß.
agar. troch ʒiij. tart. crud. ℥ß.
passul. min. ℥j. cass. lign. ʒij. sem. anis. ʒi.
Conc. cont. infundantur & bibantur more nostro.

Uxor ipsius ejusd. ætatis *menses dolorificos* fere a juventute patitur, nonnunquam cum *albo fluore*, sterilis est. *Acidulas* & illi suasi, prius ordinando *haustum laxativum* mihi familiarem & toties descriptum. Paroxysmo autem dolorifico, vel *mensibus* potius adventantibus, triduo ante mane, pomeridie & noctu capiat *cochlearia* ij. l. iij. *mixturæ*, continuando vel donec sopiantur dolores, vel donec mensium fluxus satis sit copiosus, extra id tempus medicamentum servando loco frigido ad usus futuros: Uxor. *Menses dolorifici. Fluor albus.*

Rec. *Aq. meliss. Zedoar. an. ℥iij.*
Tinct. aurant. ʒij. ⊖. vel oleos. ʒj.
ess. anod. ℈ij. sir. chamom. ℥ß. M.

Hæc vel similis *mixtura* mihi in *mensibus dolorificis* familiaris est.

§. Retelirae *uxori* (d. 30. *Jun.*) fini vitæ approximanti scripsi *mixturam confortantem* cochleatim sumendam, id est, *viaticum medicum*: Retelirae *uxor*.

Rec. *Aq. confort. offic. ℥iij. borrag fl. til. an. ℥j.*
conf. alk. c. ʒj. sir. rub. id. ʒiij. M.

III.

QUi mane supra medium quarti gradus adscenderat Mercurius, vesperi ultimam ejus lineam est assecutus. Liquor *thermometri* in medio quinti gradus per totam diem perstitit. Nox cum die calida, sed hic frequenter nubibus obfuscatus.

§. Hamaxitæ *Filia* per ordinata d. 16. *Jun.* non multum profecit; *purgata* sufficienter tamen *cardialgiam* patitur molestissimam cum dolore capitis, in eodem, quo olim, gradu permanente. Ventriculum suo *peristromate* orbatum (quæ una e potissimis *cardialgiæ* caussis, probe semper attendenda) & nervos cumprimis sexti paris orificium sinistrum cingentes plane nudatos suspicans, ordinavi *pilulas*: Hamaxetæ *Filia*. *Mensium suppressio.*

III. Rec. *Oc. ♋. ppt.* ℨij.
♁. nat. ppt. ♂. *rectif. an.* ℨj.
c. mucilag. tragac. F. pil. pond. gr. j.

Sumantur mane & pomeridie n. xij ex quolibet vehiculo; ac hora post una, itemque noctu ante somnum hauriantur 2. cochlearia *gelatinæ cydoniatæ* BRUNNERI jamjam allegatæ.

Sophista. *Cholera humida.* §. Sophista 40. annorum subito corripitur *doloribus colicis* cum multis *vomitibus* & *diarrhœa*, & suspicatur se cum vino venenum hausisse. Nulla veneni signa agnoscens, dixi morbum esse fere *epidemicum*, *choleram* nempe *humidam* benignam, a temporis injuria, cœlo nempe nunc maxime æstuante, nunc iterum frigido & pluvioso arcessendam. Statim deglutiat 4. *pilulas* WILDEGANSIANAS, & postea cochleatim sumat *mixturam*:

Rec. *Aq. fœnic. chamon. Zedoar. an.* ℥iij.
carminat. ℥j.
mixt. simpl. ℨj. *sir. chamom.* ℥ß. *D.*

Dolore non cessante hauriatur *Oleum amygdalarum dulcium* cum an. *sir. chamom.* acuendo tantillo *essentiæ anodynæ*. In lecto, qua pote, cubet immobilis, & frequenter sacculi *avena tosta* impleti ventri imponentur calide; nec vinum bibat, nec frigidum potum.

Multi e vulgo, si quid insoliti accidit, statim venenis adscribunt, præcipue, si quem sibi male cupere suspicantur. Hic cautum in assensu se *Medicus* præbeat, nec facile, nisi re intime perspecta, de veneno pronunciet, nisi litibus immo processibus criminalibus implecti velit, quod expertus testor.

Esmori *Filiolus. Dentitio.* §. Esmori *Filiolus* 8. annorum post præcedaneum æstum *diarrhœa* laborat, cum *vomitibus*, sitit, de ventris dolore queritur, pulsus inflammatorius. *Variolis* & *morbillis* jam laboravit, sed aliquibus adhuc molaribus ipsum destitui conjectans, opus totum *dentitioni* detuli; Ad sanguinis vero æstum temperandum, & stomachum roborandum ordinatus *pulvis*, cujus singulis 4. horis 2. cusp. cultri per se sumantur:

Rec. *Spec. diacret. Myns.* ℨj.
♂. *diaph. C. C. ust. ppt. an.* ℨß.
ol. NM. expr. gr. ij. *elæosacch. caryophyll.* ℨj. *M.*

Item cochleatim sequens *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag. ceras. n. an.* ℥ij.
mastichin. cinnam cydoniat. an. ℥ß.
conf. de hyac. ℨj. *ess. anod.* ℈j. *sir. cinam.* ℨiij. *M.* (d. 4. *Iul.*)

Cum

§. Cum *uxore* Casantri (d. 1. *Iul.*) res nondum ex voto succedit. III.
Æstus incrudescit, vires sunt debiles, *pustulæ* identidem erumpentes disparent, sitis est magna, pulsus celer & parvus, anxietas circa præcordia;

Rec. *Mater. perlat. ebor. philos.*
cryſtall. ppt. an. ℈j. *F.* 3. ℥.

Quamprimum parati sunt, unus assumatur, reliquis duobus semper 6. horarum intervallo quoque comestis. Vehiculum sit potus ordinarius. Cochleatim hauriatur *mixtura*;

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij.
ceras. n. scabios. an. ℥j.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. fl. tunic.* ʒiij. *M.*

Scrobiculus cordis perfricetur *aqua carbunculi aurea*. Bibat *emulsionem amygdalinam*. (d. 4. *Iul.*)

§. Machetes d. 5. *Iun.*) diris *cruciatibus podagricis* afflictus, cum appetitu plane prostrato, ructibus, magna siti, arida cuti, subsultibus tendinum, accepit *mixturam* cochleatim hauriendam: Machetes. *Podagra.*

Rec. *Aq. flor. paralys. til. lavend. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ʒj. *ess. anod.* ℈ß:
pulv. march. cephal. Camer. an. ʒß.
sir. acetos. citr. ℥ß. *M.*

Item *emulsionem*, cujus media pars nocte instante, altera cras eodem tempore sumatur:

Rec. *Sem melon. papav. a. an.* ʒiij.
aq. fl. paralys. ceras. nigr. an. ℥iij.
F. l. a. Emuls. add.
oc. ♋. *ppt.* ℈ij. *sir. fl. papaver.* ℥j. *M.*

Stomacho imponatur *emplastrum de crusta panis*. Vitet vinum. (d. 4. *Iul.*)

§. Jubalis *uxor* 50. annorum *ischiatico* dolore, cumprimis dextri femoris laborat, interna medicamenta horrens. In *cervinis* nostris curative lavetur, & post quamlibet lotionem, quin & noctu ante somnum; prævia frictione fiat inunctio calida: Jubalis *uxor.* *Ischiaticus dolor.*

Rec. *Ol. e flor. stot.* ʒvj. ♉. *camphor.* ℥j.
philos. ʒij.
♉. *cochlear.* ⊖✱. *an.* ʒj. *M.*

Post unctionem imponatur *empl. Reg.* BURRHI. Frigus externum, vina recentiora &c. vitentur. (d. 7. *Iul.*)

Mosel-

III. Mosellanus. *Acidulæ.* § Mosellanus Dinacensis aditurus Comitem sibi desiderat uxorculam. Ipsa se otiosam illic degere nolle, aquas potare non audere dixit. Res Decisioni relinquitur. Cur, inquam, non audes bibere. *Menses*, reponit, per octo hebdomatas emanserunt. An præcise gravida sim, nescio; Certe ante annum eodem modo habens deinceps *molam* exclusi. An igitur, porro ait, vobis indubitata signa non sunt, præsentis aut veræ aut falsæ graviditatis? Non sane, respondeo, in primis a conceptu septimanis: & quæ sunt, saltem indubitata non sunt. Quid ergo, dicit, me vis facere? Aut, inquam, domi manere, quod tutissimum, aut *acidas* curative non potare. O. An igitur nocumento sit curativa potatio, si gravida sim? Resp. Nocere potest, in septimanis a conceptu primis, ob vim diureticam, *Menses* vero *pellentia* omnia sunt *diuretica*, sed & omnia huic statui minime congrua, donec augmento capto fetus robur majus acquirat. O. quid si non sim gravida? Nonne tunc satius foret, quod falso colligitur in utero propulsari? R. Quid si gravida esses? Ita tacuit. In his casibus cautissimo est opus. Bene cedere poterat *acidularum* potatio, poterat eadem male cedere. Non tam prompte expellitur *conceptus*, ac sibi multi persuadent, idem ex levissima nonnunquam caussa expellitur. *Medici* vero prudentis non est fortuitis eventibus consulentes exponere, sed illud semper, quod est tutissimum, suadere.

Heridarni *uxor.* §. Heridarni *uxor* (d. 1. *Jul.*) corpore & mente vegeta, per DEI gratiam, auspicato convalescit. (d. 1. *Aug.*)

Ichthybolus. §. Ichthybolus *infusum* (d. 20. *Jun.*) præscriptum nunc a quatriduo bibit, sed conqueritur de sapore teterrimo, qualem a nullo unquam medicamento per omnem vitam perceperit; Uxorem, quoties dosin infundit a solo odore nauseam concipere & propemodum *purgari*. Lector judicet de ingredientibus num illa sint ita comparata, ut saporem adeo supra modum insuavem habere possint? Et, an non dentur *infusa* hoc longe magis insuavia? Gratum non esse fateor, uti nullum *infusum*, omnium minime autem *purgans*, gratam esse gustui potest. Multi vero delectantur hyperbolicis paraphrasibus, tam in *auxesi* quam in *meiosi*.

Venenisevia. §. Venenisevia per d. 20. *Jun.* ordinata mox restituta est.

IV. IV.

MErcurius mane quartum gradum attigit, quod hac æstate nunquam factum; vesperi tamen per dimidiam lineam iterum subsedit, & spem serenitatis constantioris futuræ denuo minuit. *Liquor thermometri* paulo

paulo supra quartum gradum. Dies erat calida & maximam partem serena. IV.

§. Esmori *Filiolus* per omnia melius habet. Consumantur successive medicamenta heri ordinata. Ex infarctu stomachi provenisse videntur omnia. Esmori *filiolus.*

§. Cassantri *uxor* noctem habuit exoptatissimam, mane vegetior, quam unquam antea sibi visa. Cum autem ex pulsu aliisque signis rem nondum adeo tutam æstimarem, *pulveres* repetendos esse judicavi, quod pertusa medicamentorum, officiosissime deprecabatur. Ego contra necessitatem, & quam minime conveniat, in his casibus apparente convalescentia sibi blandiri, multis verbis exponens, usum *pulverum* cum *mixtura* urgere non destiti, tam apud ægram, quam adstantes. Vesperi autem, die nempe in noctem se precipitante, mortua est. An *pulveres* assumserit, adhucdum ignorare cogor, id vero rescivi, per totam fere diem extra lectum moratam in hypocausto deambulasse & per fenestram prospexisse. Tantum adstantes largiri non debebant. Consideretur HIPPOCR. *Aph. l. sect. I.* Cassantri *uxor.*

§. Machetes ab heri ordinatis, cum quoad dolores, tum alia multa, longe mitius degit, & diutius hac nocte, quam antea pluribus dormivit. Et, cum vir sit emaciatissimus, eundi propemodum ob debilitatos a *podagra* pedes impotens, Ventriculus quoque sit præmodum debilis, medicamenta fortiora ipsi dissuasi, commendavique *decoctum Bromium.* Machetes.

Narravit mihi vir ille, se ante decennium scabie humida pertinacissima laboravisse, multis contra eam plane frustra usurpatis. Ab amico denique persuasum totum corpus nudum oblevisse luto figulino in aqua macerato, crassitie unius digiti, sicque nudum usque dum siccaretur lutum fornaci adstitisse. Non dubito, quin monstrum aspectu suave exhibuerit. Lutum arefactum & fissuras agens se frustillatim detraxisse non sine summo dolore, cum primis ibi loci, ubi pili extiterunt. *Scabiem* inde sine ullo consectario malo siccatam, immo persanatam, fuisse. (d. 1. *Aug.*)

§. Uberaulitis *Filiolus*, cum pedisequa vix d. 29. *Jun.* domum reversa esset, *variolas* ostendere cœpit. Pocatiora hinc omnia. Vesicatoria quoque intermissa *Variola* sunt confertissimæ, sitis magna, vinum dant, cerasa, fraga &c. omnia postulanti. Nares obstructæ sunt. Medicamentorum nihil assumit. Exprobrata circa vini & *horæorum* usum inexcusabili temeritate, & intermissione *vesicantium* tam necessariorum, Uberaulitis *filiolus.* *Variola.*

IV. *perlatam materiam* denuo potui immergi jussi: oculos *muliebri lacte crocato* fovere, plumula naribus subinde intrudi sequens *oleum*:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥ij.
majoran. ♌ *llat. gtt.* vj. *M.*

Observavi *vesicatoria* non tantum promovere *variolarum* eruptionem, sed pauciores tunc, diminuta materia, generari.

Celibei *filiolus. Lumbrici.* §. Celibei *Filiolus* 4. annorum ab aliquo tempore, licet avidæ comedens, tamen emaciatur magis, quam augetur. Inquietus dormit, facies est subtumida, color pallidus, venter prominens, narium pruritus, *pavores* in somno; De quibus cum heri mater conquereretur, *empl. ex vitro veneto contuso cum melle mixto* & nucis juglandis putamini incluso umbilico per noctem admovere jussi, sed mane putamen æque plenum, atque fuit impositum. Hinc, licet hoc *lumbricorum* signo destitutus, tamen contra *lumbricos* scripsi sequentem *pulvisculum*, cujus mane & noctu 2 cusp. cultri ex quolibet vehiculo, &, si possibile, cum *melle* dentur, abdomine mane & noctu calide inuncto *linimento pulveri* adjecto:

Rec. *Æthiop. miner.* ʒj.
sem. santon. coralin. gialap. n. resinos. an. ℈j.
M. F. ℘.

Rec. *Ungu. arthan.* ℥j. *croc. metall.* ʒj. *M.*

Licet enim forte *lumbrici* non adsint, lentorem tamen seri & sanguinis cum *infarctu mesenterii* suppono, cui expediendo inservit *æthiops mineralis.*

Grenilitæ *filius.* §. Eundem quoq; *æthiopem mineralem*, consentiente Gnomilego, ordinavimus puero 15. annorum *colicis doloribus* frequentissime afflicto, GRENILTÆ scil. *Filio*, de quo 25. *Jun.* suspicamur enim propter faciem luridam, appetitum tamen ad cibos, & alia quædam signa, *lumbricos* in ipso hospitari, & ad minimum hoc medicamentum sine noxa adhiberi posse.

Ab opidano *Magistratu* petitum est, ut puerum in *leprosorio*, de quo d. 13. *April.* denuo inspiceremus, utrum nondum sit restitutus, vel restituendus, ut opifici cuidam erudiendus credi possit? Responsum, præter levem *impetiginem* in mala dextra nil adesse, quod puerum opificio applicare prohibeat, nisi quod vereamur, ne fortasse apud opificem vel avarum, vel nimis violentum, puer in diæta delinquere coactus recidivam patiatur. Nobis itaque consultius videri, cum alitura pueri, quocunque loco demum ipse moretur, sumtibus tamen publicis fieri debeat,

ut

nt aliquandiu adhuc in *leprosorio* toleretur, præcipue, cum ætate sit tali, nempe 12. annorum, quæ per se tenerior adhuc sit, quam opificio, præsertim sutorio, quod sibi puer elegit, utiliter admoveri possit. IV.

§. Reclepius per ea, quæ d. 29. *Jun.* præcautionis fine sunt ordinata, non tamen impedire potuit, quin *febri quotidiana intermittente*, satis atroci corriperetur; quam expugnare conamur *pilulis* sequentibus, quorum singulis 6. horis nr. xij. ex quolibet, non tamen calido, vehiculo deglutiat. Reclepius.

Rec. *Extr. cent. min. gentian. cort. peruv. an. ʒj.*
diaph. ♂al. ʒß. ♁ sigill. ℈j.
ol. caryoph. ℈ß. ess. absq. q. s. F. pil. pond. gr. j.

Primus in quolibet pastu haustus sit *vinum absinthites*.

§. Capsopoei *Filiolus* natu minimus ¾. annorum *convulsiones epilepticas* patitur. Ordinavi *mixturam* cochleatim præbendam: Capsopoei *filiolus*. *Convulsiones epil.*

Rec. *Aq. ceras. n. fl. til. rut. an. ℥j. M.*
epil. L. ℥ß. pulv. march. ℈j.
sir. fl. pæon. tun. an. ʒij. M.

Spinæ dorsali unguentum ter in die calide affricandum:

Rec. *Ungu. nervin. ℥ß.*
ol. castor. ʒij. succin. ʒß. M.

Jussi ablactare infantem, quod dui factum oportuit, non tantum propter infantem, quam ipsamet matrem *phthisicam*, cujus omnis succus nutritius in lac conversus miseram alitura propria carere cogit. Sed nescio, quam invitæ sunt matrum plurimæ in ablactandis alumnulis, ubi miras excusationes, cur eo præcise tempore ablactatio fieri non possit, proferunt; veluti hæc ipsa, quæ nolle suum ablactare dixit, quia aquæ fontanæ omnes ab eluvione nupera turbidæ sint factæ, adeoque a pusillis non nisi cum detrimento sanitatis bibendæ.

§. Nigremmergi *Filiola* natu minor 3. annorum supra modum ac monstrose obesa, instarque mulieris lactantis mammata *variolas* enititur. Horreo hanc patientulam tres ob caussas: primo propter *obesitatem*, quum tales infantes ad sustinendos morbos præ aliis quam minimum valeant, & Parentes frustra plerumque sibi gratulentur, de pusionibus quadratis & ventricosis. Deinde, quod medicamenta vehementer aversetur; ac denique quod ob iter ad *fontem* GÖPPINGENSEM curæ huic præesse non possim, quæ mihi periculi plena futura videtur. Solius, *sirubi violarum* interdum cochleare unum vel alterum admittitur, cui commisceri volui ter in die cusp. 2. cultri de *pulvisculo* tali: Nigremmergi *filiola*. *Variolæ*.

IV.

Rec. *Lap. bezoard. occid. smaragd. ppt.*
ebor. philos. mater. perl. an. ℈ß. *M.*

Intus quoque, si fieri potest, cum ordinario potu *aqua fumaria* propinetur. (d. 5. *Jul.*)

Statalti *Filia.* *Cardialgia.*

§. Statalti *Filia* 11. annorum a longo tempore *cardialgia* valde molesta cum ardore, præcipue post pastum laborat. Mane & pomeridie capiat *pilulas* nr. vj. pro una dosi *ex aq. fl. famb.*

Rec. *Oc.* ♋. *crud. cont. antihect. Pot. an.* ʒß.
♁. ♉. *rectif.* ℈j. *c. mucilag. tragac.*
F. pil. pond. gr. 1.

Semper hora una post assumtas *pilulas* & noctu ante somnum hauriantur duo cochlearia *mucilaginis cydoniati* Brunneri.

V.

V.

MErcurius, mane qualis heri vesperi, hac tamen vespera usque ad primam quarti gradus lineam depressus. Liquor *thermometri* mane quartum gradum occupans, vesperi ad medium quarti surrexit. Nox erat serena; dies clara & calidissima, temperie tamen hac aëris vix duratura.

Phragmi *Filiolus.*

§. Phragmi *Filiolus* a nuper d. 9. *Jun.* ordinatis elegantissime habuit, nunc autem denuo *asthma* cum *rhonchis* adest, venter turgens, tussis. Suspicor diætæ vitium subesse. Ministrantur enim infantibus cum a Parentibus, præcipue matribus, ipsis, tum ab aliis intempestive & incongrue beneficis plura *saccharata*, *pastilia*, &c. ne dicam hos plerumque pultibus & lacte farciri potius, quam ali. Sed hæc sunt vitia propemodum inemendabilia, reprehendenda tamen, quamvis cætera sine spe abrogationis, ordinatus fuit *pulvisculus*, cujus bis in die cusp. 2. cultri quolibet modo præbeantur:

Rec. *Æthiop. miner. sacch. cant. a. an.* ʒiß. *M.*

Noctu guttulæ viij. *mixturæ* dentur ex *aq. acac.*

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ʒj. *Ra. croc.* ℈j. *M.*

Pectusculo & abdomini bis in die *unguentum cardiacum.*

Apiarius. *Febris continua.*

§. Apiarius, vir 68. annorum, obesus, facie florida, largissime comedens, sed motu corporis destitutus, nudius tertius horrore corripitur, insequitur æstus, sitis, *dolor capitis*, quæ augentur magis omnia, quam minuuntur. Accedens, eum offendi valde languidum, noctem egerat pervigilem, pulsus erat magnus & celer, urina flammea. *Febris continua* omnia signa.

Rec.

V.

Rec. *Cryſtall. ppt. mater. perlat.*
☽. *perlat. an.* ℈j. *F.* 3. ℞.

Sumatur hodie unus hora pomeridiana tertia ; alter cras mane, utrique in vehiculo ſequenti ſeorſim quoque hauriendo:

Rec. *Aq. ceraſ. n. acac. roſar. an.* ℥ij.
conf. alk. c. ʒj *ſir. granat.* ℥ß. *M.*

Noctu ſub tempus ſomni media pars *emulſionis.*

Rec. *Sem. melon. citr. excort. papav. alb. an.* ʒij.
aq. beton. rub. id. an. ℥iij. *F. emulſ. add.*
conf. alk. c. ʒj. *Jul. roſat* ℥ß. *M.*

Fronti applicetur *emulſio externa* jamjam deſcripta. Vinum vitetur. Bibat *acidulas.* [d. 6. *Jul.*]

§. Ruthenii *Filiola* 10. annorum ab aliquot jam annis ſingulis fere menſibus *eryſipelate* capitis laborat, cum æſtu ſummo, *lipothymiis* & deliriis. Parentes, licet opulenti, ſordide tamen avari *Medicum* nunquam conſuluerunt, ſed variis, & his tamen paucis, ne nimio puella conſtaret, remediolis domeſticis malum fugare fruſtra conati, tantum effecerunt, ut eo irroborato medela fere nulla ſuperſit, & Filiola ſine dubio per totam vitam valetudinaria futura ſit. Conſuluit me mater non ex profeſſo, ut ajunt, ſed hypocauſtum forte prætereuntem. Puella totum collum tuber habebat, æſtus aderat vix tolerandus & præ capitis dolore verbum profari nolebat. Expoſito morbi momento ordinavi *mixturam diaphoretico-refrigerantem* cochleatim ſumendam:

Ruthenii *filiola.* *Eryſipelas faciei.*

Rec. *Aq. fl. ſamb. acetoſ. an.* ℥iiß.
mixt. ſimpl. ℈ij. ♁. *diaph.* ʒß.
ſir. acetoſ. citr. ℥ß. *M.*

Arthydrum vini loco bibat. (d. 6. *Jul.*)

§. Saraceni *uxor* conqueritur de *aſthmate* ſonoro cum *rhonchis*, *tuſſi* & exſcreatione difficili. Mane & noctu bibat 2. ſcutellas *decocti pectoralis* calidi, in cujus primam ſcutellam inſtillet gutt. xxv. *mixturæ*:

Saraceni *uxor.* *Aſthma humidum.*

Rec. ∼. *cochlear.* ⊖. *vol. oleoſ. an.* ʒj. *M.*

§. Capſopœi *uxor* (d. 10. *Jun.*) poſt ablactationem infantis, jam melius habentis, ad expugnationem *tuſſis* adhuc continuæ ordinavi *decoctum bromium.*

Capſopœi *uxor.* *Tuſſis.*

§. Nigremmergi *filiola* hodie *variolis* eſt obſitiſſima, & ſimul *diarrhœa* laborat, ſigno haut admodum felici, quamvis in puella monſtroſe *obeſa* magis tolerabili, quia ſucculenta. Pergant cum ordinatis.

Nigremmergi *filiola.*

V. *diarrhœam* enim ſiſtere nondum conſultum duxi, quæ etiam advehtante veſpera ſponte ceſſavit, cum aliqua puellæ euphoria.

Occaſione hujus puellæ recordor *pueri nobilis* CURLANDI ante 32. annos a me in CURLANDIA viſi. Qui decem annos natus adeo erat *obeſus*, ut vix incedere poſſet, Patre quoque tali, qui tunc ex *catarrho ſuffocativo* diem obierat, genitus. Tantam *obeſitatem* in decenni puero nunc quam vel antea vel hucusque vidi, aut legi. Infantes quidem & adultos haut raro valde *obeſos* videas, rara illos, qui intra ſextum & viceſimum ætatis annum verſantur. (d. 2. *Aug.*)

§. Hodie mihi transmiſſæ ſunt e *diſtrictu* HEIDENHEIMENSI prope vicum STEINHEIM e *minera arenaria* erutæ *conchulæ minimæ* candidiſſimæ, aliquæ quantitate ſeminis cannabis, plurimæ minores, multæ minimæ, ut vix oculo nudo internoſci poſſent. Nivi contra albeſcunt jucundiſſimo & ſane raro ſpectaculo; plurimæ rotundæ, nonnullæ quoque turbinatæ a me viſæ. Eruuntur perfunctorie e *minera* illa *arenaria* jam per multos annos, una cum arena alba, & venum exponantur pro uſibus domeſticis, ad purganda pavimenta, vaſa lignea &c. Nil unquam vidi curioſius, in quo ingenia ſemet exercere poſſint. Nam, quæ de *luſibus naturæ* dicuntur, mihi revera ſunt *luſus ingenii*. Natura nihil ſine fine. Cui vero fini formet ejusmodi *conchulas*, tanto numero, numeris omnibus perfectas & abſolutiſſimas. Animalcula fuiſſe ſine maxima quoque difficultate neutiquam concipitur. *Conchulæ* adeo minutæ, quibus inſint *cohleolæ*, nunquam viſæ. Et cur non exhauriatur denique hæc minera?

VI.

VI.

MAne Mercurius in prima tertii gradus linea repertus veſperi ad illius gradus medium adſcendit. Liquor *thermometri* a tertia parte quinti gradus, ad dicti gradus medium veſperi pervenit. Nox erat mediocriter ſerena, uti & dies ipſa, quæ ſimul calida fuit.

Glebani *uxor*. §. Glebani *uxor* 27. annorum ante octennium primo puerpera difficillime peperit, lochiis quoque non rite fluentibus. Eſt *plethorica*, obeſula, facie florida, ciborum appetens. Ab eo tamen tempore *ſtillicidio menſium* laborat cum ſummo dolore. *Menſes* (quos a juventute, & usque ad impraegnationem ordine & ſufficienter habuit.) ſtato quidem tempore veniunt; ſed octiduo ante & fere poſt eruptionem dolor acutiſſimus ſentitur in regione lumbari & oſſis ſacri, pectinem verſus, immo umbilicum protenſus, ut decumbere cogatur; *menſes* ipſi ſunt *pauciſſimi* & pallentes; extra menſium tempus ſemper fere *fluor albus* acris & excorians, ſic, ut præ dolore maritum raro admittere poſſit. Arenæ quoque

cum

cum urina prodeunt, ac interdum pituita alba, viscida instar *terebinthinæ* ductilis cum ardore vix tolerando. Et, quod non postremo loco dicendum erat, præsente dolore quoque *clavus hystericus* exercet, pressio sentitur circa præcordia, dolor itidem per spinam dorsi ad nucham usque repens, & inanes ad vomendum conatus. Intra tantos *cruciatus* mirum tamen est, mulierem colore faciei florido, carnibus non flaccidis, appetitu bono & mente hilari esse posse. Usurpata fuerunt jam longe quam plurima, *venæsectiones* in brachiis & pedibus, *aperientia*, *chalybeata*, *pellentia*, sed frustra. *Balneæ minerales* noxiæ fuerunt. *Acidulas* semper proficuas sensit, sed ad fontem nunquam potavit. Consultus pone sequentia suasi: Cum sanguis peccet copia, lentore & acrimonia, copia diminuenda diligenti, nec evitabili *venæsectione* circa *æquinoctialia tempora* & medium *Maji*, hic in pede alterutro, illi in brachiis celebranda, non omissis *menstruis scarificationibus*: Qualitati sanguinis corrigendæ inservient *acidulæ* ad fontem haustæ, omittendo *balneas*. Post *acidularum* potationem curativam, mane & noctu *magnesia alba* primis 4. diebus ʒj. hinc vero ad 3. septimanos ʒiß. cum *emulsione amygdalarum dulcium* assumatur. Octiduo vero ante *mensium* expectandam eruptionem mane & noctu *decocti calidi* haustum bibat:

Rec. *fl. chamom. mß. fic. pingu. nro. ij.*
rad. alth. ʒij. *liquir. Zedoar. an.* ʒj.
sem. cydon. ʒj. *papav. a.* ʒij.

Conc. cont. Coq. in mens. ß. juris carnium. Colatura quatuor dosibus inserviat. Interdiu *mixtura* cochleatim sumatur:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. de alth. Fern. an.* ℥iß.
R. *castor.* ʒj. *ess. anod.* ℈j.
⁓. *cochl.* ⊖. *vol. oleos. an.* ʒß. *M.*

Foris fotus abdominis &, si opus, quoque lumborum, ex *fol. hyoscyam. fl. chamon. herb. alth. sem. lin. fœnigr. psyll. in vino coctis.* Diæta sit congrua.

§. Pausanias 20. annorum studiosus *intermittente*, typumque sæpe variante, sæpe recidente post aliqualem emansionem, *febre* diu locorum alibi laboravit. A *Medico* quodam accepit *electuarium*: Pausanias. *Febris anomalis.*

Rec. *Cons. ros. r.* ℥ß. *elect. cort. chin. de chin.* ℥iß.
diaph ♂. ♃ *an.* ʒj. *fl.* ⊖✱. ℈j.
bals peruv ℈ß. *sir. papav. err.* ℥j.
pulv. alexipharm. antih. Poter. an. gr. ix.
sir. card. ben. q. s. v. gr. ℥ij. *F. electuarium.*

Sumantur duo cultri cuspides die PAROXYSMI *ter* APYREXIAS *bis.*

DEUM

VI. DEUM testor & conscientiam meam, me nulli insultare *Medico*, quippe qui tenuitatis meæ quam optime mihi sum conscius. At vero, cum hisce meus labor informationi *Practicorum juniorum* unice dicatus sit, in *formularum* quoque præscriptione quid imitari, quid vitare conveniat, ipsis ostendere necessarium esse existimo. Vocanda igitur sub examen ista formula. Quale sit illud *electuarium chinæ de china* nescio; facile tamen divinare possum illud jam per se consistere ex aliquot ingredientibus. Annon solum id sufficere potuerit abigendæ *febris* reliquis omnibus omissis, in dubio quidem relinquo, sed me ad affirmativam propendere non inficior. Jam excipientium in hoc *electuario* sunt ℥v. *siruborum* nempe, *conservæ* & *electuarii chinati*. Quid, obsecro ad has ℥v. *flor.* ⊖ ✱. ℈j quid *balsami peruv.* ℈ß. quid *pulveris alexipharmaci* (etiam compositi) quid *antihectici* POTERII gr. IX? Duo cuspides cultri pro dosi præscripti contineant circiter ʒj; Tota *electuarii* moles absolvit circiter ℥vß. Doses igitur erunt xxxvj. Igitur *quarta pars grani antihectici* POTERII dosin unam ingredi ex computo sequetur. Quæ jam virtus ab ¼. *grano* speranda, cum ad ʒß. per se hoc *antihecticum* assumtum parum magnifici præstet? Quid jam dicemus de *pulvere alexipharmaco* CAMERARII, cujus ingredientia si examinamus vix aliquorum *decima pars grani drachmæ* uni totius *electuarii* miscebitur. *Florum* ⊖ ✱. circiter. *gr. ß.* & *balf. peruv. etiam* ¼. *granum* in dosin irrepserunt; cui fini? Cur præsente jam *diaphoretico* ♃ *ali* additur *antihecticum* POTERII? Quid & quantum differunt hæc duo medicamenta? Qualis proportio *pulverum* ʒij. gr. xxxviij. ad *excipientium* ℥v? Ridiculum; Meliora discant *Praxin Medicam* aggredientes, nec *pharmacopœorum* famulis se deridendos propinent.

Quidquid autem sit, abacta per *electuarium monstrosum febris*, Æger huc profectus est: hicque aliquandiu moratus sensim iterum *appetitus* qui fere nimius erat, decrementum, immo *abolitionem* percipit, luride pallet, lassus est, *oscitat*, *pandiculatur*, stomachum gravari sentit, recidivam metuit: ordinavi tale *infusum*, cujus mane hauriatur quartarius dimidius calide:

Rec. *Herb. absinth. pentaphyll. fl. cent. min. an. mß.*
Rad. gentian. rhabarb. fibr. helleb. n. an. ʒiij.
cort. peruv. fraxin. an. ℥ß.
fol. senn. s. s. ℥iß. *passul. min.* ℥ij.
agar. trochisc. ⊖. *tart. an.* ʒiij.
cinnam. ʒij. *sem. anis.* ʒiß. *Zingib.* ʒj.
Conc. cont. D. infundanturque more solito.

Hoc

Hoc *infuso* absoluto mane & noctu sumat gtt. 50. *elix. balsam.* ex quolibet vehiculo, in pastibus bibendo haustum unum *vini absinthitis comp.* VI.

§. Ruthenii *puella*, cum hodie melius, sicuti semper antea post exantlatum *erysipelas*, habeat, mater nil ultra præscribi volebat. Mulier tenacissima puellam ægrotare, quam in ejus valetudinem paucos nummos inpendere mavult. O mulierem impie parcam! Ruthenii *filiola.*

§. Metabolus (d. 12 *Iun.*) adhuc habet, quod de suo fonticulo noviter excitato queratur. Piso semper, quoties deligatus, gutta sanguinis adhæret. Dolor acutus adest cum *hypersarcosi*; cui ab sumendæ commendavi *adspersionem* ☿. *aluminis* usti intacta relicta carne genuina, & *fonticulum* deligari volui *emplastro* saponis. Metabolus. *Obsurdescentia.*

Ad *absurdescentiam* curandam eidem METABOLO revelatum *se-*
„ *cretum.* In aquam sordidam malluvii, in qua omnes domestici ma-
„ nus lavarunt, mane tres digiti, *index*, *medius* & *annularis* intingan-
„ tur, manus primo dextræ: guttæ digitis adhærentes instillentur auri dextræ, hoc facto dicti manus sinistræ digiti eodem modo intingantur, adhærentesque guttæ *auri sinistræ* immittuntur. Audietur quasi quidam fragor, ein Knall/ & sic *auditus* cum *stupore* recuperabitur. Quid illæ sordes valeant, hactenus me capere non posse fateor, ut alias circumstantias, superstitionem olentes, taceam. Interim dicto METABOLO ad eandem *obsurdescentiam* & *capitis catarrhos*, vertiginemque ordinavi *pilulas*, quorum mane & noctu n. viij. ex quolibet, dummodo frigido, vehiculo deglutiat:

Rec. *Extr. lign. aloës gr. iiij.*
bezoard. papav. err.
salv. charefol. an. ℈ß.
castor. ℈ß. *F. pil. pond. gr j.*

Rec. *Specif. nostr. physicrat.* ʒj. *c. mucilag. tragac.*
F. troc bisci perfunctorie comedendi.

Filiolæ ipsius minimæ cum pavoribus *constipatæ* ordinata *mixtura* cochleatim danda: *Filiola minima. Constipatio. Pavores.*

Rec. *sir. fl. pœon. ros. solut. an.* ℥ß.
♒. ⊖✻. *anis.* ℈ß. *M.*

§. Apiarius noctem licet inquietam habens, tamen æstu tanto non cruciatur, doloreque quoque capitis remissius affligente; hodie mane assumsit alterum *pulverem.* Urina fuit pallidior. Mutati *pulveres*; Apiarius. *Febris continua.*

Rec. *Mater. perlat.* ⦶. *perlat.* ♁. *nat. ppt. an.* ℈j.
ther. cœl. gr. ij. *F.* 2. ℞.

VI. Sumatur unus pomeridie hora 4. & alter cras mane. Noctu autem ante somnum cum reliqua medietate *emulsionis pilulæ*:

Rec. *Extr. bez. Cam. papav. comp. an. gr. iij.*
M. F. 6. pil.

Cum *mixtura* cochleatim sumenda & *emulsione* externa pergatur. (d. 7. *Jul.*)

VII.

VII.

VAsa, quæ heri vesperi, per totam diem talia manebant. Nox erat calida & serena. Dies tota nubila, sed valde calida.

Melodidascalus. *Tormina.*

§. Melodidascalus (d. 13. *Jun.*) *tormina scorbutica* valde acuta perpessus est. *Sacculi* ex *avena tosta* sæpe calidissime impositi, & noctu datæ *pilulæ*, quæ maxime proficuæ fuerunt;

Rec. *Extr. papav. comp. gr. iij.*
castor. rad. zedoar. an. gr. ij.
c. ess. carminat. F. pil. IX. pro 1. dosi. (d. 9. *Jul.*)

Usiæ uxor. *Phlogoses vagæ.*

§. *Uxor* Usiæ queritur de *phlogosibus* vagis, cum siti multa, *cephalæa* & *tremore*:

Rec. *Pulv. hepat. r. ℥ß.*
diaph. ♂. arcan. dupl. an. ʒj.
M. F. ☿.

Sumantur bis in die 3. *cuspides cultri* cum vehiculo sequenti etiam seorsim per cochlearia hauriendo:

Rec. *Aq. fragor. hepat. nob. acetos. an. ℥ij.*
♎⊖. d. ℈j. sir. granat. ℥ß. M.

Postea bibat *acidulas* methodice.

Eleutherus. *Hypochondriacus.*

§. Eleutherus (d. 2. *Maji*) a *balneo* CANTSTADIENSI & *acidulis* GÖPPINGENSIBUS, quamvis domi haustis, vires, quales vix antea habuerat, recepit, & de sola adhuc aliquali stomachi pressione queritur. Jussi expectare *hystereergiam acidarum* & *balnei*. Dixi, me non nisi invitissimum statim post ejusmodi *cursus medicatos* propinare pharmaca; Sic enim haut raro Naturam in hystereergia impediri. Expectandos vel 2. menses, vel ad minimum sex hebdomatas, & tunc, an & quid opus sit medicatu, dispiciendum. Nec enim esse in *hystererergia medicinali* (in der Nachwirckung) vanum solatium, quod multis persuasum. Sed revera nonnunquam parum contentos a *fontibus medicatis* domum redeuntes demum ex *hystererrgia* post multas septimanas voti damnatos fuisse. Exempli loco nobis sit AGORANOMUS, qui ante sesqui annum tumore fungoso genu

genu dextri prehensus, nihil juvante omni consilio *balneis* BOLLENSIBUS illatus est quadrupes, id est, fulcris duobus innixus, & quamvis quodammodo melius incederet domum reversus, attamen aliquandiu baculis duobus inniti necesse habuit, nunc sine *baculo* quaquaversum *alacriter graditur*, quod *hystherergiæ* acceptum ferendum. Videat L. B. quæ de *hystherergia medicinali*, ejusque genuinis fundamentis copiose, & , quod sciam, ex professo primus, disserui in Miscellan. m. Part. II. p. 474. Instanti tamen ELEUTHERO in prandio & cœna cum primo juris cochleari concessi gtt. xxxx. *elixiris balsamici*. Semper, si possibile, *hypochondriacorum pertinaciæ* nonnihil largiendum, alioqui fiduciam in *Medicum* deponere solitorum. VII.

§. Crotalomactes 46. annorum, heri *colica spasmodico-biliosa* acerrima, cum vomitu bilioso correptus fuit, cum dolore alterius lateris punctorio, quem hac nocte variis in & externis abigere frustra conati sunt. Accersitus ordinavi *mixturam* per diem cochleatim præbendam: Crotalomactes. *Colica spasmodico-biliosa*.

Rec. *Aq. chamom. papav. err. card. mar. an.* ℥ij.
ess. carminat. ʒj. *anod.* ℈j.
sir. chamom. ℥ß. *M.*

Noctu *pilulas* MELODIDASCALO *paullo supra ordinatas*. Venter calide ungatur *unguento* de *hyoscyam*. Dolore magis urgente, cum mihi cras peregre sit abeundum, pro 2. dosibus inserviat haustus sequens:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. chamom. an.* ℥iß.
ess. anod. ℈j. *M.*

Semen lini in *lacte* coctum foris applicetur & vitetur potus frigidus.

§. Dynosideri *ancilla* jam ab aliquot diebus queritur de inappetentia, siti, artuum lassitudine, *pressione stomachi*. A fetore cadaveroso excrementorum infantis nuper mortui sine dubio nauseam contraxerat. Sequebatur heri, præcedente horripilatione, *vomitio* crebra, calor & sitis augebantur. Vomuit pituitosa & biliosa, quin & assumta pleraque. Sumat mane & noctu 3. cusp. cultr. de *pulvere* sequenti, ex adjecto vehiculo sorsim etiam subinde capiendo: Dynosideri *ancilla*. *Febris continua*.

Rec. *Spec. diacret. Mynf.* ʒij.
♁ *diaph.* ʒß. *extr. bez.* gr. iiij. *M. F.* 🜄.
Rec. *Aq. plantag. menth. an.* ℥iij.
sir. cyaon. ℥ß. *M.*

VII.] Scrobiculo cordis *emplastrum polychrestum* ex *ther. Andr. nuc. mosch.* & *fermento panis.* Bibat *emulsionem amygdalarum* sorbillando potius, quam affatim hauriendo.

Apiarius. §. Apiarius noctem bene transegit. Remittit æstus ac *dolor capitis*; appetitus redit. Credo *febrim* esse superatam. *Tragema* postulatum tale ordinavi, sub finem cujuslibet pastus more solito usurpandum:

Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ℥ß.
pulv. cach. qu. inc. ʒiij.
elaeoſ. mac. ℥j. *tragj arom. offic.* ℥ij. *M.*

Fœnisecæ *uxor.* *Melancholia hysterica.* §. Fœnisecæ *uxor* 46. annorum, plurium liberorum mater jam aliquandiu conqueritur de *inappetentia*, *cardialgia*, *borborygmis*, mensium inordinato, sæpe repetente & copioso, fluxu alvi constipatione, dolore capitis & propensione ad *melancholiam*. Prona mihi judicatur ad *melancholiam hystericam*, *mensesque* brevi emansuros credo. Suasi *venæsectiones* binas intra 14. dies in utroque brachio alternatim celebrandas, quo stratagemate multa sympto mata *menstrua* brevi emansura comitari solita præcaveri possunt, quod sibi dictum velint *novelli Practici.* Mane & pomeridie sumat 3. cusp. cultri de tali *pulvere*, per se, vel cum quolibet vehiculo, instituto corporis non violento motu:

Rec. *Spec. diacr. Mynſ.* ℥j. *chalyb. c.* 🜍. ʒiij.
myrrh. r. ʒß. *arcan. dupl.* ʒj.
elæoſacch. mac. ʒvj. *M.*

Rec. ℞. ♂. *helleborat.* ℥ß. *croc.* ʒj. *M.*

Sumat noctu gtt. xxxx. ex quolibet vehiculo.

Jubalis *uxor.* *Catarrhus suffocativus* §. Jubalis *uxor*, de qua 3. *Iul.* post *ex candescentiam* magnam, mulieribus quidem familiarem, incidit in *affectum hystericum*, *catarrho suffocativo* similem. Accitus media nocte reperi quidem symptomata, prout narrabant, mitiora, aderant tamen anxietates cum interpolatis *deliquiis hystericis* & *pulsu languido.* Scripta fuit *mixtura* cochleatim sumenda:

Rec. *Aq. ceraſ. n. fl. til. an.* ℥ij. *epil. L.*
hirund. c. caſtor. an. ℥ß.
℞. *caſtor.* ⊖. *vol. oleoſ. ſpecif. cephal. an.* ʒß.
ſir. fl. pœon. ʒiij. *M.*

Scrobiculus cordis perfricetur *mixtura* sequenti, naribus quoque applicanda:

Rec. 🜄. *camphor. aq. carbunc. aur. an.* ℥j. *M.* (d. 12. *Aug.*)

Garabosci *uxor.* *Febris præsudia.* §. Garabosci *uxor* 40. annorum valetudinaria, anhelosa, *mensium difficultate* laborans petit remediũ soli *inappetentiæ*, & *pressioni stomachi*

post

post pastum cum eructatione acida, & horripilationibus interpolatis: sic, ut *febrim* metuat. VII.

Rec. *Ess. absinth. elix. propr. dulc.*
ess. trifol. fibr. an. ℥iß. *Ræ. castor.* ℨß. *M.*
Sumat mane & noctu gtt. xxxx. ex quolibet vehiculo.

VIII.

VIII.

HOdie mane, sub tutamine divino, ad *fontem acidum* GÖPPINGENSEM, salutares aquas methodice potaturus, profectus sum; Igitur, quia *barometrum* meum ac e *thermometris* familiarissimum *Florentinum* ita fabrefacta sint, ut minus commode alio transferri queant, Observationes illæ, bona cum *Lectoris* venia tamdiu tacebunt, donec cum DEO feliciter domum reversus fuero. Modo adhuc memoraverim, pluviam cecidisse mane sat largam, aliquamque diu durasse; circa horam tamen octavam desiisse, reliquumque diei mediocriter serenum fuisse.

Inter alios naturæ thesauros, quibus inclytum hunc *Ducatum* beneficentia *divina* ditavit, non sane postremi sunt tot *fontes* ac *balnea salutares*; quos inter præcipue numerantur *Fontes* quidem *aciduli* dicti GÖPPINGENSES, JEBENHUSANÆ, RIPPOLZAVIENSES, *balnea* vero FERINÆ calide scaturientes, BOLLENSES, ZELLENSES, CANTSTADIENSES, RIDENAVIENSES, St. BLASIENSES, & aliæ plures, non minus salutares, quamvis ob nominatorum celebritatem non æque frequentatæ, si alibi locorum scaturirent, famosissimæ futuræ. Dicimus in genere parum aptam esse *fontium salutarium* appellationem ab *aciditate*, qua sane carent, deductam. A potiori debebat fieri denominatio. Nam sicut omni *acido* non carent ab *alcalibus* purioribus vim patientes hæ aquæ, *alcali* tamen plane prædominatur, & earum vires *medicamentosæ* in destruendo potius ubique *acido* morboso occupantur. Hinc nomen *acidularum* apud veteres non occurrere rectissime monet BRUNO in *Lexico*. Quamvis enim sic allegante WEDELIO *Disp. de acidulis* habita JENÆ 1695. Cap. 1. apud VITRUVIUM & PLINIUM *acidæ venæ fontium* & *aciduli fontes* reperiantur, hi tamen Auctores *Veteribus* nondum accensendi, neque adhuc liquet, qui fuerint isti, quos describunt, *fontes*, & num *acidulis* nostris similes? Atque si maxime fuissent, erronea tamen & ipsa horum denominatio fuisset Hinc est, quod humaniorum Lexicographi *acidulas* fere nesciant. Quamvis itaque *acres* potius, quam *acidæ* dici mereantur illæ aquæ, cum WEDELIO tamen *loc. cit.* retinendam potius, quam abrogandam esse hanc nomenclaturam existimamus, eo magis, quia in Sueuia nostra, *salsa* quoque audiant *acida*, lingua vernacula. Was versaltzen ist / heisst man sauer. *Acidulæ.*

VIII. ſauer. *Acidulas* autem GÖPPINGENSES in ſpecie, quod attinet, illæ jam ſunt perantiquæ, & prout veſtigia paſſim ibi teſtantur, olim celeberrimæ fuerunt. GÖPPINGA *opidum* in hoc *Ducatu* non ultimum, ſita eſt loco peramœno quatuor leucis a Sede hac *Ducali* diſtans SUEVIAM verſus *ſuperiorem*. *Fontes aciduli*, quorum ſunt *quatuor*, ſcaturiunt e colle non alto, 600 ſcilicet ab opido paſſibus ad ripam fluvii VILZÆ. Proſpectus vergit in latam planitiem & viſus denique in prætaltis montibus binarum circiter horarum diſtantia terminatur, ſic ut ſitus horum *fontium* ſit longe felicior pluribus aliis, in *antris* fere ac ſpecubus inacceſſis latitantibus, qui horrorem inſuetis incutiant. Aqua eſt clara, cryſtallina, frigida guſtu *acris* cum ſuavitate conjuncta. Potatur e duobus ſaltem *fontibus* ſuperne ex uno, inferne ex 4. canalibus perenni profluvio nunquam deficientibus. Aqua ſuperni fontis *acrimonia* guſtus comparem ſuum vincit. Fons tertius clauditur *hauſtorio*, & quanquam æque potabilis, ſolis tamen lotionibus inſervit, veluti quartus quoque in ipſa *domus balneatoriæ area* conſpicuus. *Aqua* cum *ſpiritibus acidis* ⊕li, ⦶, ⊖ parum *efferveſcit*, & *bullulas innumeras* e fundo in altum jactas, cum ſuperficiem egreſſæ ſunt, jucundo ſpectaculo diſſilire facit per tempus bene longum; cum *ſolutione* ☉is, *lunæ*, ☿ ♎. 🜍 *c. tart. reſinæ*, *opaleſcit*, cum *ſolutione ſacch.* ♄. *lacteſcit*, cum *ſolut.* ⊕li ♂. colorem acquirit *chryſolithi*, cum *ſolutione* ⊕li ♀. & ♀. ipſius pallide *cæruleſcit*, cum *ſolut. ſcoriarum* Reg. ♁. exiſtit *color aureus*, *odor fetidus*, ſedimentum colore *turpethi mineralis*; cum *ſir. violarum virideſcit*: quæ omnia demonſtrant in his aquis dominium non *acidi*, ſed *alcali*. Sed nec *acidum* plane deeſſe teſtatur *opaleſcentia fortis* & *ſaturata* cum *ol. tart. per del.* & levior cum ∽⊖✳. *Flores balauſtiorum infuſi*, abſque efferveſcentia dederunt *colorem obſcure rubrum*, *acidulæ* ſaporem omnem perdiderunt. *Cortices granatorum* diu leniter efferbuerunt, ℞. obſcure *flaveſcentem*, veluti *ochream*, dederunt, ſapor ſine acore ſubadſtringens fuit. A *conchis uſtis* injectis, prævia leni agitatione ſpontanea omnem fere *aculeum fons* amiſit. Aqua in vitris orificii lati (Zucker gläſern) adſervata pelliculam continuo depoſuit in ſuperficiem, ceu *cremorem*, quem ſtudioſe collegi fatiſcentem in *pulviſculum* album, levem, tenerrimum, cujus natura mihi nondum explorata. Hæ *lymphæ* GÖPPINGANÆ, uti ſunt revera guſtu *acriores* JEBENHUSANIS dimidia circiter hora illinc diſtantibus, & DEINACENSIBUS in *Hercynia* Silva ſitis; ita nunc ab aliquot demum annis hoc ſaltem nomine non tantum craſſæ, rudes & aſperæ (vocabula alia ſignificantiora non incidunt) audiunt, (ſie ſeyen rauch und grob) ſed & noxiæ valitudini humanæ plerumque creduntur; Jebenhuſanæ contra *ſubtiles* atque adeo longe ſalubriores

re-

reputantur. Immo tam sunt aliqui suaves, ut Göppingenses cum rustico, Jebenhusanas cum cive, Deinacenses cum *Nobili* comparare audeant, *quasi quod sit nobile, idem quoque sit necessario subtile.* Fateor me Göppingensium *aquarum* innocentissime damnatarum patrocinium ex mera commiseratione suscepisse. Quid enim interest mea, utræ præ aliis laudentur? Göppinga me neque produxit, nec alit; ibi mihi neque seritur, nec metitur. Sacramentum dixi veritati & saluti humanæ, sub his traditionibus vim revera patienti: sæpe suadere soleo *fontem* Göppingensem illis, qui meo consilio viventes tali potu opus habere videntur. Si consilium aliis exponunt, *bone* DEUS, quantæ contradictiones! quantæ dehortationes! Nec aliter, quasi in *stygiam paludem* ablegati censentur miseri, illinc vel nunquam, vel certe pejores, quam adierunt, redituri! Nec illud fit æque a *Medicis* rerum gnaris, sed a cujuscunque professionis & facultatis hominibus, qui de *acidulis* judicare valent, quod cæci de coloribus. Ita tamen multi, quibus sententia firma Göppingam adeundi steterat, pedem retulerunt. *Joh.* 6. v. 66. Et de *secta* hac notum est in hocce *Ducatu*, quo ubique ei conrradicitur. *Act.* 28. v. 22. Injurius sim in DEUM & naturam, si Deinacenses vel Jebenhusanas *aquas*, tanquam vel imbelles, vel plane detrimentosas calumniari vellem. Sunt Bonitatis divinæ thesauri, acidulæ laudabiles, & effectibus plane salutaribus commendabiles. Esse autem Göppingensibus subtiliores, esse magis humanæ saluti proficuas, tunc demum credam, si quis demonstraverit *spiritum vini* nondum rectificatum, præ rectificato propterea subtiliorem esse, quod illius spicula linguam æque, atque rectificatus, non pungant. Recordor a Parocho quodam pontificio chimicastro mihi a plusquam sedecim annis missum fuisse *spiritum salis armoniaci*, quem secreta methodo paratum, minus grossum, sit venia verbo, & acrem, sed subtilissimum prædicabat, hincque *operi philosophico* accommodatissimum. Fateor, erat sapore valde miti, sed & idem cum *acidis* minus & vix sensibiliter effervescebat, *phlegmaticus* quippe, & spirituum pauper. Semper a vino desumta similitudo obtruditur. *Vinum* ajunt potest esse *gustu acre*, minime tamen *spirituosum* & *subtile*: atqui talis est *fons* Göppingensis. Hoc autem simile ad *fontes acidulos* quam minime quadrat Notum est coquis, *vinum coctum* gustu longe asperius fieri, quam incoctum, hinc cibi cum vino cocti non sunt esculenti, nisi *sacharo* conditi. Immo vinum leviter calefactum fit magis austerum. Scilicet sapor vini non existit e solis portionibus subtilibus, 🜍eis, *spirituosis* sed & e *salinis*, *tart. fixis*. Aliter se res habet

cum

VIII.

VIII. cum *fontibus acidis*, nempe, *quidquid in his linguam afficit, volucre existit*, atque hoc ipso *subtile*. Coque vinum, fit austerius; coque *acidulas*, fiunt insipidæ, instar aquæ fontanæ communis. Quid inde conficitur aliud, quam evolasse per coctionem, quod saporem *acidulis* largitum fuerat? quid porro, quam hoc omne fuisse *spirituosum* ac *subtile*? quid denique, quam *aquas* gustu *acriores*, easdem quoque *spirituum* & portionum adeo *subtiliorum* esse ditiores? quid postremo, quam ab his majorem quoque efficaciam ad morbos propulsandos expectandam! Utrum igitur sit stomacho, cumprimis etiam debiliori, debiliori inquam, salubrius, *phlegma copiosum cum paucis spiritibus ingurgitare*, *quam multos spiritus cum pauciori phlegmate potare*, judicent non tam *Medici*, quam cerdones & ambubajæ. Nam lympham in *acidulis* non nisi portionum *salinarum* maximam partem, præter parcissimum cap. mort. *volatilium* vehiculum esse, manifestum est. Quid fiet de *fonte* Egrano & Sualbacensi, utrisque longe *acrioribus*, quam est *fons* Göppingensis, si ad hunc modum philosophari licet? Nam sicut illi fontes vires nostri fontis multis parasangis antevertunt, & *principes acidularum* in *Imperio* ROMANO jure meritoque censentur; ita rudiores, asperiores, immo noxii, immo vehementer noxii & propemodum deleterii per ista *subtilitatis* principia nominari deberent. Jam ulterius infero: *Quæcunque acidulæ acidulis efficacissimis ab omni mundo creditis præ aliis gustu & contentis sunt proximiores, eæ quoque sunt magis efficaces: atqui* Gœppingenses, Egranis, &c. E. Nam, quod optimo proximius est, sine dubio melius est eo, quod longinquius ab optimo distat. De Sualbacensibus e gustu solo judico. Desunt experimenta. Sed Egranas quod attinet, cum his, Gœppingensibus; Jebenhusanis & Deinacensibus comparationem inici, quarum medias ipse per sic dicta *reagentia* sollicite exploravi, Egranarum vero ac Deinacensium *examen* ab amiculo communicatam possideo. Cum *spiritibus acidis Egranæ cum strepitu effervescunt*, adeo ut bullæ vitrum transiliant, Gœppingenses effervescunt *sine strepitu* cum multis bullis, Jebenhusanæ & Deinacenses præter *bullulas* nihil ostendunt. A *solutione aluminis Egranæ* saturatissime & crasse *opulescunt*, Gœppingenses mitius ac dilutius, Jebenhusanæ ac Deinacenses dilutissime. Cum *solutione Martis* Egranæ fortiter turbantur, Gœppingenses demum post aliquot horas superne flavescunt cum cuticula, Jebenhusanæ tardissime flocculos vel fibrillas luteas ostendunt, Deinacenses

CENSES post aliquot minuta vix sensibiliter *opalescunt*. A *solutione* ♀. *cum Tart.* EGRANÆ primo obscuro *rubra*, postea e nigro puniceæ, GÖPPINGENSES fortiter *opalescentes*, in fundo subrutilæ, JEBENHUSANÆ nil mutatæ, DEINACENSES solum turbidæ, denique *subalbidæ*. *Cum* ∽⊖✱. EGRANÆ leviter, Gœppingenses vix sensibiliter *opalescentes*; Jebenhusanæ in fundo *albidulæ*, Deinacenses vix ad sensum turbatæ. A *sirubo violarum* Egranæ viridescunt, Gœppingenses itidem, quamvis dilutius, Jebenhusanæ & Deinacenses, nil mutantur. Ex quibus phænomenis judicium, qui volet, ferat. Afferri curabam ante triennium *acidulas* Jebenhusanas in vitro probe munito ante solis exortum, asportari quoque jussi *acidas* Göppingenses e quatuor canalibus & eas ex uno canali fluentes, idque factum Göppingæ. Omnes tres in conclavi meo effudi in vitra capacia lati orificii, liberoque aëri exposui, die 24. *Julii*, & ecce Jebenhusanæ saporem omnem amiserunt d. 27. *Julii*, Göppingenses aquæ 4. canalium d. 28. unius canalis. d. 29. ejusdem mensis. Cum igitur & hinc planum existat, saporem omnium harum aquarum solis deberi *spiritibus*, quid planius existit, quam *aquas saporem diutius retinentes, etiam copia majore spirituum præ aliis abundare*? Nam, quod fixum retinetur in *acidulis*, iis quoque adhuc inest insipidis. Ergo *fixa* ad saporem nihil conferunt. Audio dicentes, utut *Spiritus* meri Göppingensibus insint, eosce tamen *spiritus* præ Jebenhusanis & Deinacensibus *acidarum* incolis, posse minus *subtiles* esse, graduque proinde *subtilitatis* has aquas differre. Sit ita. Ponatur, quod rite discussum concedi non potest. Annon satis *subtiles* sint isti spiritus, quos nulla, quantumvis excogitatissima, ars *chimica*, coërcere & in apricum sistere potest? Destillentur *acidulæ* quælibet, igne violento, immediato, reverberii, *limaturæ chalybis*, *arenæ*, *balnei aquæ*, *roris*, *vaporis*, △*e lampadis*, & si quis alius philosophicus suaviter magno ingenio exsculpi potest; *retortæ*, *cucurbitæ*, *aliaque* vasa sint loricata, lutata, compacta, *emplastris* & *vesicis* munita, *hermetice sigillata* &c. Nil prodibit in excipulum, quam *phlegma insipidum*. An igitur *Spiritus* illi transfugæ nondum sint satis *subtiles*? cur igitur *spiritibus destillatis* longe crassioribus in *medicina* utimur? cur cum effectu utimur? Porro, sint *acidulæ* Jebenhusanæ, sint Deinacenses Gœppingensibus *subtiliores*; Cur hæ insolidum, quasi noxiæ, damnantur? Cur omnes sine ulle discrimine confluunt ad *subtiles* istos fontes, homines crassi, torosi, lacertosi, ignei, polyphemi? Certe, quandoque fontes illi *subtiles* potantur ab hominibus fili plane solocis &

VIII. quam minime *subtilibus*, qui, ut est in proverbio, *soleas equorum digerere valeant*; cur ergo non observetur proportio inter *potum & potorem*? Dicunt Gœppingenses poscere sibi *viscera robusta*, *incorrupta* &c. Non recuso. Adeant igitur fontes illos *subtiles* qui viscera fovent in ventribus corrupta. Adeant per me, sed sani redeant. Aquam profecto plane imbellem esse oportet, quam viscera corrupta ad mensuras haustam impune tolerare queant. Sed, ajunt, compertum est a GÖPPINGENSIBUS redeuntes *Febri* correptos, immo mortuos, quod de DEINACENSIBUS dici non potest. Alibi respondimus mense antecedente, quorsum Lectorem ablegamus. Congrue vivant, neque cursum hunc medicatum in luxum vertant, qui Gôppingenses bibere decreverunt, & res erit in vado. Cur Gœppingenses incolæ senes, juvenes, infantes, puerperæ, viri, mulieres, honorati, opifices, servi, lixæ, calones, ancillæ, operarii, hoc potu ad sitim levandam per totum annum reficiuntur, nullo inde damno percepto? Dices, rem esse *consuetudinis*. Respondeo, non omnes illius opidi incolas ibi natos & educatos esse. Utriusque sexus homines jam adulti per migrationes, conjugia casusque alios, quin & e locis plane diversis & aliquibus longe dissitis, facturi stipendia servi & ancillæ eo veniunt, *acidulas* bibunt, pancratice valent. Ridiculum autem est, quod hic STUTTGARDIÆ quamplurimis usu venire solet, qui propterea, quod Jebenhusanæ ac Deinacenses sine magno virium dispendio aliorsum deportari commode non possint, Gôppingenses huc translatas affatim potant, quas ad fontem vel semel *gustare* nunquam ausi fuissent. Deinacenses, inquiunt, ac Jebenhusanæ nimium sunt *subtiles*, quam ut alio se portari sustineant. Egregie. Sic ergo crassæ & grossæ, rusticæ & asperæ Gôppingenses portando subtiliores evadunt. Annon potius, exhalante per motus agitationem *subtili spiritu*, qui restant crassiores & rudiores, adhuc acriores vel austeriores aquas efficere debebant? vel exhalabunt fortasse crassi *spiritus*, relictis in aqua *subtilioribus*? Nonne conceptu facilius est, *subtiles* ita dictas *aquas* migrationem non ferre, quod penu *spirituum* pauperiore instructæ sint; melius ferre Göppingenses, quod, *evolantibus utcumque spirituum turmis*, aliqui tamen retineantur? Aliud commentum præterire non possum: Gôppingenses non illæ, quæ fuerunt olim, sed *aquis ferinis* (wilde Wasser) *adulteratæ perhibentur*. Quæ autem sint istæ *aquæ ferinæ*? Certe *minerales* nullæ, suam præsentiam sapore & experimentis proditur æ. Communiter *aquæ ferinæ* admisceri dicuntur, sicubi per ductus subterraneos noviter excavatos *aqua dulcis* fontana *acidulis* affunditur. Sed hoc modo dilutis per *per aquas*

dul-

dulces salibus & aucto phlegmate saporem minus acrem exhibituræ fuerint, quod cuilibet etiam seminasuto liquere potest. Ut mentem meam ingenue aperiam: Inter aquas Jebenhusanas & Göppingenses utrasque potari solitas, nullam agnosco differentiam contentorum, nisi in sola quantitate. Spiritus pauciores insunt Jebenhusanis propterea, quia subterranea cisterna, in quam colliguntur (das Verfassungs-Gewölbe) duodecuplo circiter sit spatiosior Göppingensi, quod huic fini factum, ne loturis aqua desit, cum ipsa *scaturigo* pauperior existat. Unde fit, ut dum amplissimæ cisternæ vel cellæ Jebenhusanæ aquæ innatent, *spirituum* non leve dispendium fiat, qui compedibus aqueis soluti in auras dissipantur. Idem evenire solet *vino doliis non plenis innatanti*, quod nostri dicunt, wann der Wein im Fasse wahn liget. Debiliores autem rursus sunt GÖPPINGENSES e 4. canalibus profluentes, quia liberrimo aëri, solaribusque radiis expositi sunt dicti canales, præcipue versus orientem spectantes; Ditissimæ denique *spirituum* promanantes ex *uno canali cellulæ* angustæ inclusæ, in quam descensus patet per septem circiter gradus, exclusis per totam diem solaribus radiis. Excipiuntur hæ vitro prius, quam *spirituum* quidquam exhalare possit. Et hæc de GÖPPINGENSIBUS *acidulis* hactenus sufficiant, de quibus occasio plura dicendi non una per hanc mensem suppeditabitur. Quod autem in principio dixi, hic repeto, me scilicet neque Deinacensem neque Jebenhusanum, nobilissimos *fontes*, spernere, sed DEUM in his suis donis celebrare ac venerari, soli autem veritati litare, nullius lucri respectu, quod inde ne tantillum reporto, majus absque dubio reportaturus, si quotannis ad fontem Deinacensem frequentatissimum proficisci liberet, exemplo Mendici cujusdam cæci, qui nusquam libentius, quam in confertissima hominum turba versabatur, eo quod diceret: *quæstum esse, ubi sunt homines*. Per me cuiquam liberrimum sit, quemlibet fontem, immo si libet, ipsummet ACHELOUM, potare. VIII.

§. In via GÖPPINGAM versus nihil memorabile accidit. Postquam autem illic vesperi appulissem, primum fuit, ut adirem ERGAGAM, quæ ante triduum advenerat, cujusque lata mentio injecta est d. 26 *Junii*. Inveniebam ibi litteras a NICTOTIMO, quibus significabat, præscriptum nuper a me *pulverem cachecticum* QUERCETANI in *officinis* RHÆTOPOLITANIS non reperiri, se igitur cuilibet ℈j ordinati a me *tragematis*, quod ingrediebatur ille *pulvis*, adjecisse gr. j. *spec. diambræ compl.* Non equidem male fecit NICTOTIMUS, quamvis commixtioni tot *decompositorum* alioqui minus faveam, cum ℥iiiß. *specierum* in illa com- Ergaga. *Melancholia erotica.*

VIII. compoſitione ingrediatur ℨj. *ambræ*, quantillum igitur *ambræ* ingredietur gr. j. illarum *ſpecierum*? Miratus tamen ſum excuſationes *Pharmacopœorum*, & quod illis adquieverit Nictotimus. Quid enim fuit facilius, quam complere *pulverem cachecticum incompletum*? Compoſitio enim neque *deſtillatione*, neque *coctione* aut *fermentatione* opus habuit. Tota compoſitio *pulveris cachectici* completi continet ℥iiij. ℨvj. & ambræ gryſeæ adduntur ℨiß. Præſcriptio mea continet hujus *pulveris* ℥ß, ideoque nonam circiter totius compoſitionis partem, jam ſi ℨiß. in novem partes dividantur, reſultabit ambræ ℈ß, qui ſtatim iſti ℥ß. pulveris addi potuiſſet, reducendi prius ad ℨij. ℈iiß. Ita *pulvis incompletus* confeſtim fieri poterat *completus*. Fateor enim, cum raro *ſpecies* ejusmodi *completæ* præſcribantur, ſatius eſſe, ſi parentur in officinis *incompletæ*, ſic ubi opus, extemporanea miſcela complendæ.

§. Ergagam ipſam, quod attinet, cum eam allocutus & curam felicem apprecatus eſſem, ipſa mihi gratias egit, & *aquas* illas nihil omnino profuturas eſſe dixit, verbis non inconcinne compoſitis, nec talibus, unde vel tantillum dementiæ obſervari poſſet. Quibus vix ptolatis, antiquo & jam ab ipſo *pentecoſtes Feſto* obtinente more, elatiore quidem, quam ſi alias loqueretur, non tamen admodum clara voce identidem illa verba repetebat, bringt mich um/ bringt mich um/ o bringt mich doch um. *Occidite me*, *occidite me*, *o*, *occidite me*. Interrogata, cur adeo mori deſideraret? reſpondit, ne tam miſere vivere cogeretur. Regerebam, ſatius eſſe tacere, quam talia continuo proferre, quorum nec uſus eſſet, nec efficacia. Nam, utut vel millies ad ſe occidendum alios invitaret, non tamen inventum iri, qui petito gratificaretur. Interim ſpiritus fruſtra prodigi, *caput* atque vires debilitari. Scire ſe reſpondit, neminem occiſurum, interim ſe ab illo clamore deſiſtere non poſſe: Quid, inquam, cogit ad illum clamorem? R. Neſcio. Referebant adſtantes, Ergagam probe paſci, & inter comedendum tacere, vel alia loqui, abſoluto autem prandio, vel cœna, ſtatim ad ſuetos clamores redire, continuare, donec feſſa obdormiſcat, dormire ſuaviter ſatis. Hoc mane cœperat acidularum tria pocula, quæ *quadrante menſuræ* Würtenbergicæ abſolvuntur, quamvis fere coacta, potare. Juſſi, ut poſt ſingulos paſtus præberent ordinatum d. 26. Junii *tragema*, noctu autem ante ſomnum gtt. 40. *Tinct.* ♂. *helleb.* ex *cochleari vini*. (d. 9. *Jul.*)

Line-

§. Linetus *cum uxore* (d. 29. *Mart.* 27. *Iun.*) *acidulas* cum effectu non pœnitendo bibunt. Appetitu gaudent utrique, quod in plerisque aliis mihi observatum, qui domi carnes vel olfacere non valentes, miro in eas oppetitu, post paucos ab *acidularum* potu dies, ferebantur. *Dolor capitis* multum remisit, & *colica hysterica* fere nunquam observata. (d. 23. *Iul.*) VIII. Linetus *& uxor.*

§. Namaplusii *Filius* (d. 24. *Iun.*) hactenus per aliquot septimanas, non nisi bis, & leviter quidem, vomitum, *vertiginem*, & *cephalæam hypochondriacam* passus est, sub *acidularum* vero potu nihil omnino mali sensit, pancratice sibi valere visus. Suasi, ut aliquoties balnearet, ad robur pedi dextro conciliandum, qui a *globulo sclopeti* ante biennium prope *metatarsum* tactus claudicandi, ob dolorem, necessitatem imponit. (d. 11. *Iul.*) Namaplusii *Filius.* *Affectio hypochondriaca.*

IX.

IX.

MAne usque ad meridiem pluvia larga, pomeridie ventus enormis, cum interpolata semper pluvia. Hodie cum DEO sex *acidularum* pocula, quæ plus quam *dimidiam mensuram* Würtembergicam absolvunt, potare cœpi, pomeridie, ob frigidiusculum aëra & pluviæ incommoditates, *acidulas* aquas ingratiores reddentes, non nisi pocula quinque. Poculorum autem meorum sedecim absolvunt *mens. iß.* Würtembergicas.

§. Quamplurimi potorum querebantur alvum ab *acidulis* non moveri, quin aliquibus potius obserari. *Acidulæ* nostræ Würtenbergenses alvum non æque cient, atque Sualbacenses, Egranæ, Uberkingenses, quippe non æque *ferrugineæ.* Movent interim *urinam*, & sub moderato motu sudorem. Observavi per hos undecim annos, per quos, excepto unico, quotannis Gœppingenses ad *fontem* bibi, si quibus alvus ab *acidulis* laxaretur nimium, (nam semel id fieri, aut bis, nihil attinet) id non fuisse indicium bonæ caussæ, sed *stomachi* potius *debilioris.* Hinc fere suasi, ut parcius illi potarent, & *alacrius* moverentur. Anni præteriti mense *Majo febre tertiana intermittente* laboravi. Cum JULIO post mense fontem adissem, alvum magis, quam antea nunquam, ab aqua mihi cieri sensi. Culpam illico conjiciebam in *stomachum a febri pragressa adhuc debiliorem.* Hoc anno, pristinum scilicet robur recipiente ventriculo, alvus potius adstrictior, quam solutior mihi fuit. Quin & hoc observavi, magis alvum cieri, ubi potores minus moverentur. Illis

IX. igitur, qui mallent alvum solutam, suasi ut stantes vel sedentes, vel in lecto quoque cubantes potarent. Non frustra suasi. Diutius in primis viis quiescentibus aquæ morantur, unde cur alvus promtius moveatur, clarescit. Si dicendum, quod res est, nulla necessitas *alvi profluvium* urget. Si *acidulæ* operantur per *urinam* & *sudorem*, cur quoque per *alvum* operentur? Si ab alio quolibet medicamento, ut simul per *sudorem*, *urinam* & *alvum* suas vires exserat, non desideratur, cur ab *acidulis*? Sunt, qui operationem per *urinam* rident, propterea, quod omnis potus nimius moveat urinam. Consequentia fallit. Licet enim omnis potus superfluus urinam moveat, non tamen excernitur, qualis assumtus fuit, hoc igitur non obstante corpus tamen alteratur. Nam & *acidulæ*, si minguntur, insipidæ sunt. Præterea in memetipso observavi, *plus urinarum*, si ad potationis ἀκμὴν perventum est, *mingi*, *quam acidularum* haustum fuit. En experimentum non semel, sed multoties tentatum! Non tantum minxi, sed retento spiritu mane successive expressi *urinam omnem*, sic ut in vesica vel nihil, vel certe quam minimum reliqui mansisse certus essem. Postea fontem adivi & successive pocula sedecim exhausi; urinam successive redditam, nempe usque ad duodecimam antemeridianam, & ante, quam quidquam cibi vel potus adsumsissem, per idem poculum, e quo *acidas* hauseram, metitus sum, & impleta sunt pocula viginti, non semel, sed toties, quoties tentarem, differentia vel nulla, vel sane non attendenda. Unde conficitur, urinæ mensuram una quinta parte superasse *mensuram* aquarum haustarum. Observavi insuper primam post *acidularum* potum emictam urinam remisse tinctam & saporis adhuc remisse urinosi, secundam limpidiorem & fere insulsam, tertiam & sequentes limpidissimas, non tamen sine omni *Tinctura*, cæterum *aquam fontanam* gustu quam proxime referentes. Tantum per *urinam*, quid per *sudorem* ac *transspiratum* prodisse credatur? Sane non minimum. Sudorem porro, quod concernit, uti *panacæarum*, id est medicamentorum nobilissimorum & in acie stantium operatio per *sudationem* perficitur, ita *sudare* ab *acidarum potu*, effectus nobilissimi τεκμήριον. Promovetur autem *sudor* tum in lecto potando, quod aliquibus placet, ac Viennæ, ut audio, Roitschensium *potoribus* solemne est, tum deambulando aliquandiu post potum. In lecto bibere, uti non plane rejiciam, ita valde sanioribus incommodum judico, siquidem potissima pars antemeridiei decumbendo peritura fuerit, quod insuetis quoque noxium esse credo. Si qui tamen sint Colicis *hystericisve doloribus* obnoxii, aut ob artuum contracturam ad subeundos motus inepti, illis con-

concedendus omnino potus in ſuis *grabatis*, deambulando vel cœlo favente ſub dio, vel inclemente in *porticu potatoria* (im Trinkhauſe) Ubi notetur error popularis, quippe, quamplurimi rerum ſuarum ſibi non ſategiſſe videntur, niſi curſores vel ipſosmet *græcorum hemerodromos* inſano curſu vincant, domumque ad *ſyncopen* usque fatigati remeent. Conſiſtit & hic in medioeritate virtus. Motus requiritur, ſed ſuavis & moderatus, qui vires nullatenus populetur ſed potius refocillet. Animus eſt, curare, ut *acidulæ* in ductuum interiora mediante motu facilius penetrent, ſuccis *microcſomicis* admiſceantur, ope *ſalium volatilium alcalicorum* ipſos ad agitationem diſponant, ſecretos vi illius agitationis ⊖es hoſtiles imbibant, & per cutis poros eliminent, quod opus non eſt momentaneum, nec voti damnantur, qui violento curſu in ſudorem ſoluti *acidulas* prius, quam debito modo operari queant, expellunt. Ille ſudor expetitur, quem ancillante moderato motu *acidulæ* excitant, non, qui a ſolo motu gladiatorio extunditur. Denique illis, quibus alvus ab *acidulis* obſeratur, omnino ſuccurrendum. Id vario modo perficitur. Illis qui intra potum *acidularum morſulis* delectantur, *purgantes* vel potius *laxantes*, ordinare conſuevi ſequentes: IX.

Rec. *Rad. mechoac. a. ſubtiliſſ.* ☿. ℥ij.
ſcammon. roſat. ℈j. *ſpec. Imperat.* ʒj.
crem. tart. pin. mund. piſtac. rec. an. conciſ. ʒiß.
cinnam. ac. gr. m. inc. cort. citr. rec. conciſ. an ℈ij.
conf. alk. inc. ℈iiij. *ſacch. in an. aq. roſ. & borrag. ſol.* ℥vß.
F. l. a. morſuli.

Non ſunt injucundi & vix *purgantia* guſtu percipiuntur, immo non percipiuntur, niſi alii ſimul *morſuli*, quibus talia non inſunt, guſtentur, & ſui quod eſt officii pro voto faciunt. Alii, quum conſtipantur, *pilularum* FRANCOFURTENSIUM, aut EMANUELIS abuſive dictarum *num.* 9. *ad* 12. noctu, ante ſomnum, deglutiunt. Alii *Cremoris tart.* vel *tart.* ⊕*lati circ.* ʒß, cum primo *acidularum* hauſtu adſumunt, qui modus ob guſtus inſuavitatem minus eſt commodus. Quibus ſemel vel bis in die alvus ſponte ac ordinarie ſolvitur, talibus opus non habent, ut enim alvus *in acidulis* fluida ſit, uti jam dictum, neceſſe non eſt.

§. Melodidaſcalo (d. 7. *Jul.*) *morſulos*, quantum poſſibile, guſtu ſuaviſſimos intra potum acidarum mandendos petenti, tales ordinavi: Melodidaſcalus.

Rec.

IX. Rec. *Carn. citr. nuc. ind. jugland. an. condit.* ℨiij.
amygd. d. excort. pin. pistac. an. recc. excort. ℥ß.
cinnam. incis. ℈ij. *cort. citr. rec. minutiss. incis.* ℨij.
conf. alk. c. ℨij. *sacch. canar. in aq. ros. & cinnam. cydon. sol.* ℥viij.
F. l. a. morsuli.

Quamvis igitur omnem operam, ut quam suavissimæ nascerentur hi *morsuli*, impendissem, uxor tamen Melodidascali nescio quam insuavitatem quiritabatur. Incidebat versus:

Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
poscentes vario multum diversa palato.

Regenottus. *Morsulos* quoque Regenottus petebat pro se & *uxore*. Illi sunt ordinati sequentes:

Rec. *Amygd. d. excort.* ℥iß. *cort. citr. cond.* ℥ß.
conf. alk. c. ℨj. *spec. Imperat.* ℨvj.
sacch. in aq. ros. & cinnam. sol. ℥xi. *F. morsuli irrorandi ol. cinnam. & caryoph. an. gtt. iij.*

Uxor. Uxori gravidæ scripsi tales:

Rec. *Amygd. d. nuc. pin. pistac. an. recc. excort.* ℥ß.
nuc. ind. cond. incis. ℨvj. *cort. citr. cond. inc.* ℨiii.
conf. alk. inc. diaphor. ♃ *al. cinnam. minut. incis. an.* ℨj.
pulv. gran. cherm. ℨß. *sacch. in aq. borrag & cinnam sol.* ℥xij.
F. l. a. morsuli.

Quæritur, quid de ejusmodi *bellariis, morsulis, conditis,* & *confectionibus* variis intra potum *acidularum* assumi solitis statuendum? Ut ingenue fatear, qui his carere possunt, sibi melius consulunt. Nam illa *saccharata* non tantum gustum vitiant & *acidulas* reddunt insuaves, sed lentore quoque suo harum effectum aut morantur aut infringunt. Vidi tamen, qui vel vi consuetudinis, vel stomachi debilitate coacti, talium intermissionem non sustinent. Magis autem mihi probantur *seminum confectiones,* v. gr. *anisi, cubebarum,* aut *masticatio cinnamomi,* conditæque hinc salivæ deglutitio, omnia tamen usu valde moderato. (d. 10. *Jul.*)

Dirbilaus. *Tumor digiti.* §. Dirbilaus mihi narravit, se ante hos aliquot annos in dextræ manus digiti medii articulatione prima, illiusque ossis nodulo, passum esse tumorem durum, nucem juglandem æquantem, rubrum, enormissime dolentem. Usurpasse varios litus, *emplastra,* &c. sudasse &c. Denique imposuisse magis desperatione quam ratione ductum, *emplastrum vesicatorium*; excitatam vesicam secrevisse serum instar *gelatinæ*

sat

satis crassæ copiosum, indeque sedatum dolorem & ablatum fuisse *tumorem.* IX.

§. Tempore pluvioso multi querebantur *acidularum* gustum tam acrem ac suavem non esse, quam sereno & calido. Disceptatum est, utrum culpa sit adscribenda potui vel potori. Plurimi potum incusabant. Admisceri volebant vel a pluvia larga intra terræ poros absorpta *acidulis* ipsam aquam pluvialem, vel saltem vapores aqueos intra aërem conclusos, & cum hoc scaturiginibus advectos, indeque dilui nimis *acidularum salia.* Ultima sententia locum habere vix potest, quantillum enim vaporum admisceatur aquis in vitrum e canali immediate exceptis ac potori tecto vitro allatis? Priorem in aliquibus fontibus valere non potest negari, minus autem Göppingæ. Nam cisternæ sunt adeo munitæ, ut transitus aquæ pluvialis saltem a priori demonstratus sit nunquam. Præterea, sicubi pluvia saltem levis cadat, vel aër modo sit nebulosus, confestim aquæ sapor vitiatur, ut *acrimonia* tanta linguam non feriat, nec ejus tanta copia cum delectatione bibi possit, ubi fieri non potest, ut porositas terræ spatio temporis tam angusto pluvialis aquæ tantum, quantum ad diluendas *acidulas* requiritur, imbibat, hisque affundat. Superest igitur, ut vitium hæreat in ipso potore. *Salivam esse medium gustus*, e *physiologicis* notum est. Salivam ab inspirato aëre vaporibus aqueis imprægnato vitiari facilius eo concipitur, quo clarius hodie existit, mercurii motum in *Barometro* ab aëre tali alterari. Saliva iners & lenta spicula salina in aquis *acidulis* obtundit: spiculis hisce obtusis acrimonia tanta non persentiscitur in gustus organo, neque tam suavis est potus, quum suavitas a *salium miscella* dependeat. Objicere quis posset, hac ratione etiam vini gustum inter epulas alterari debere. Respondemus, omnino alterari. Qui vinum gustu explorare percupiunt, jejuno ventriculo in ejus naturam intimius penetrant.

§. Erant, qui ex me quærerent: Utrum intra curam *acidularum* prohibitum sit, *fumare nicotianam*? *Utinam ista herba nunquam vidisset Europam!* Non eam damno simpliciter, damno abusum. Abusus autem ejus est tantus & adeo damnabilis, ut longe salubrius esset usu carere propter abusum. Impenduntur quotannis in *tabacum* auri multæ milliones, nec tamen, si quis evacuavit fistulas quinquaginta, vel bibitum est, vel comestum. Vani sunt, qui sibi imaginantur a *fumo tabaci famem sedari.* Disparia sunt, sedare famem & prosternere appetitum. Ultimum contingit *fumisugis*, non primum. Revera nulli alii rei magis conducit

Nicotianæ fumus.

LIII *taba-*

IX. *tabacoposia*, quam ut fiat. *Propter longam quoniam*, scilicet, ut, qui otiantur, habeant, quod agant. PEDIUS a MELODIDASCALO rogatus, an *fumus nicotianæ* conduceret ad *cephalæam scorbuticam*, ita respondit: *Nicotiana* constat e ⊖*e volatili* 🜍*eo seu oleoso* (impuriore in *Europæo*, magis defecato & subtiliore in *Virginiano*) *particulis terreis & salinis fixis imbuto*, cujus autem fumus saltem secum vehit dictum ⊖. 🜍*eum*, reliquis portionibus in fistula remanentibus. Hoc ⊖. *volatile* 🜍*eum* inter fumandum partim penetrat per substantiam fibrarum oris, partim cum saliva ventriculo, & cum per ejus substantiam, tum ulterius per vias ordinarias, aliis succis ibi contentis permixtum sanguini advectatur, quo mediante partes illius (sc. sanguinis) 🜍*eæ*, seu *volatiles salinæ* & *oleosæ*, a reliquis partibus *gelatinosis* extricantur, & in similem motum citatiorem provehuntur, hicque ad circulationem promtiorem ac celeriorem promovetur, atque sic valde attenuatur, sicut per varia phænomena & experimenta demonstrari potest. Unde non tantum sanguinis viscositas & lenter resolvitor, sed & secretio spirituum vitalium facilitatur, & per consequens nervi roborantur, legitimo illius usu. Quo tenerius autem est *oleum* hoc *tabaci*, velut illud, quod inexistt foliolis tenerioribus *nicotianæ Virginianæ* infucatæ, eo præsentior est supra laudatus effectus, qui talis non sperandus ab *oleo crassiore tabaci Europæi*, quod, quippe non satis resolutum, partim nervis ventriculi, partim ipsis nervorum principiis adhæret, atque sic influxum spirituum vitalium non tantum aliquo modo impedit, sed & in motum inordinatum perciet, unde (præcipue in usu immoderato) cum nervi magis debilitantur, tum alias varia incommoda oriuntur. Hactenus PEDIUS. Non operose discutiam omnia, v. gr. quo pacto *sal volatile oleosum nicotianæ* penetret ipsam substantiam fibrarum oris & ventriculi, quod, accurate perpensum, sine *penetratione dimensionum* fieri non potest? quæ præcise sint istæ viæ ordinariæ, per quas dictum ⊖. *volatile* sanguini affundatur? Utrum tanta sit differentia inter *tabacum Virginianum* & *Europæum*, ut inde sint expectandi effectus omnino contrarii? Quid hoc sit: *adhærere oleum illud crassum principiis nervorum*? An nervi vehant *spiritum vitalem* &c. Hæc, inquam, omnia jam discutere non vacat, neque dubitamus Dn. PEDIUM horum rationem, si necesse sit, redditurum. *Tabaci* vero principia quod attinet, licet ipsi ⊖. *volatile* denegare non queamus, 🜍. tamen adeo tenue ac subtile, ut ipsi inesse credamus, vetat effectus *narcoticus*, 🜍*is* potius *crassi spiritusque ligantis* testis, quod nec inesse *tabaco* negant Auctores etiam huic herbæ faventissimi. Et quis credat omnes portiones *terreas* al *calinas fixas* in tubulo retineri? Retineri aliquas certissimum est, nullas cum fumo per os ingredi vel sola

fu-

fumi & *fuliginis analysis* refellit, qua docemur *fuliginem constare præter oleum subtile & ⊖. volatile, etiam oleo crasso, fetido, ⊖e fixo & ▽ribus portionibus.* Et licet hoc præcipue dicatur de *fuligine* e *lignis combustis* orto, attamen de *herbarum combustarum fuligine* insolidum negari non potest, ac præcipue demonstratur a parietibus casarum militarium, ubi moratur statio seu cohors excubantium, in den Wachstuben/ *Corps de guarde* &c. Scilicet undique pictis a fumo *tabacibibulorum.* A *sulphure* illo *tabaci narcotico*, tantum abest ut *spiritus* recreentur ac vegetentur vel subtiliores reddantur, ut ligentur potius ac obnubilentur; hinc *temulenti* fiunt ac in sopores præcipitantur cumprimis insueti. Ne dicam de *vomitionibus* hinc excitari solitis, immo de *oleo tabaci columbis lethifero*, si modo filum hoc *oleo* inunctum per alam columbinam trajiciatur, quod est experimentum *Magni* DUCIS HETRURIÆ. Recte BOHNIUS *de offic. Med. Part. I.* cap. 9. p. 199. Suspectam credit *nicotianam* propter *virulentiam narcoticam*, qualem PRIMEROSIUS L.4 *de vulg. error.* argumentis diversis delere conatur, comprobat nihilominus potior illis ratiunculis experentia multiplex. Serum enim jugi usu præter modum subtrahitur, ventriculi appetitus destruitur, ejus tonus relaxatur, *cachexia* inducitur, pulmones roduntur &c. vid. TULP. I. *obs.* 6. & KERKR. *spicil. anat.* 90. Si experientiam consulas, tabaci heluones deprehendes, haut dicam, minus, saltem non magis aliis sanos. Laborant symptomatis *hypochondriacis* & *cachexia* nunc, ut olim, *calculi* & *arthritidis cruciatus* iis non existunt rariores, *scorbuti* vires integræ manent; Querelæ de stomachi imbecillitate & cruditatibus, de cephalalgia pertinaci, non minuuntur, nec ab acutis morbis tutiores se vident; perinde ægrotant nostrates nunc ac olim, & qui quotidie fumant, de sanitate præ cæteris gloriari non possunt. Hæc BOHNIUS. A lotione *decocto tabaci in scabie* perfecta vomitus & ardorem faucium observavit Wedelius *disp. de scabie, cap.* 12. *vid. m.* Boyle *tentam. porolog. cap.* 3. *p. m.* 22. & *tr. de Utilit. philos. experim.* p. 276. & *Stisser. Laborat. Chim. Specim. II. cap.* 7. Abusum hujus herbæ *stratiotica* emasculare testatur *obs.* 4. *Dec. III. ann. I. Eph. Cur.* Si THOMSONO fides habenda, *nicotianæ fumus* effuse exsuctus lernam morborum producit, quorum largum catalogum recenset *epilogism. Chim. th.* 74. quæ inter mala maxime notandum, quod ait, *sanguinem inde fieri acidum, amarum, austerum, ponticum.* Immo th. 57. asserere non veretur idem Auctor, calamitatem *scorbuti* in *Germania inferiore* graviter sævientem a nicotiana productam. MELODIDASCALUM quod attinet, ipse ad somnum IX.

IX. valde pronus est, quippe statim a prandio, immo in prandio, mensæ adhuc assidens, etiam convivis non paucis præsentibus, nihilominus a somno sibi temperare non potest. Ob ♧. igitur *nicotianæ narcoticum tabacocapniam*, uti vocat Muraltus *Ann. VIII. Dec. II. obs. 4. Eph. Cur.* ipsi proficuam esse credibile non est. *An vero* acidarum *potoribus intra ipsum hujus medicationis cursum sit conducibilis*, indistincte determinari non potest. Consuetudini aliquid esse dandum opinamur. Sunt, qui ita huic luxui *tabacino* adsueverunt, ut sine sanitatis dispendio intermittere non possint. Audivimus de *Medicinæ* quodam *Doctore*, nomine Flekk, cum versaremur in Curlandia, eum ultra quadraginta fistulas *tabaci* quotidie evacuasse, in gratiam autem amasiæ fetorem illum aversantis simul & semel abstinuisse, sed intra septimanas octodecim ab inito matrimonio mortem oppetisse. Novimus Rusticum in Pago Niemeck *Saxoniæ* ad *Muldam fluvium*, qui, dum exundasset fluvius, maximo cum submersionis periculo collotenus alicubi pervadavit aquam ad opidum Bitterfeldam, ibique, quo carere diutius non poterat, *tabacum* emit. Alios deficiente *nicotiana fistulas conciso corio vel ramentis lignorum impletas*, accensasque suxisse scimus. Tanta est vis consuetudinis. Qui adeo *nicotianæ* adsueverunt, tutius inter *acidularum* medicinalem cursum aliquot fistulas exhauriunt, quam penitus abstinent. Qui moderatius fumant, eodem modo, quo abstinent per id tempus ab acetariis aliisque cibis crudioribus & rudioribus, & impune quidem, huic nectari tantisper valedicunt, donec *acidarum* curam absolverint. Biliosum etenim & fervidum sanguinem mane *acidarum* potu temperare, vesperi per *tabaci fumum* denuo accendere, mane humectare, vesperi exsiccare, est Sisyphi *saxum volvere*, & a stoliditate parum abludit.

Varioli *uxor. Fractura cubiti.*

§. Varioli uxor (30. *Maji*) quas consulueram Gœppingenses *acidulas* ante quadriduum bibere cœpit; ostendit mihi *brachium* ante tres circiter menses lapsu de scalis *luxatum*. Exciderat e sinu humeri cubitus, ut manus, transversa, dorso scil. ejus versus corpus spectante, propenderet. Chirurgus loci, *phthisicus* consummatus in lecto decumbens, cubitum reponebat sine magno dolore, sed brachium post repositionem rursum prorsum, sursum, deorsum varie violenterque subinde flectens, ut scil. aqua, quam in sinu humeri collectam supponebat, removeretur, dolorem demum summum excitabat, brachium *emplastro ad rupturas* vestiebat, ac ferulis firmabat. Patiens autem vix domum reversa non tantum summum atque ad singula fere momenta auctum in

bra-

brachio dolorem ſentiebat, ſed brevi poſt eam corripiebat quoque *horror* & inſequens *æſtus* vehemens, cum ſiti. Cum igitur *Chirurgus* primus ob virium debilitatem comparere non poſſet, alius quidam e vicinia advocatus, totum brachium ab humero usque ad digitorum apices vehementer & tumefactum offendit, & inflammatum; circum terminos autem ferularum veſicas flavo ſero turgidas. Terrefactus a *gangræna* jam fere præſente ligaturam ſolvit, ferulasque projicit cum *emplaſtro catagmatico*, *veſiculas* forfice aperit, totumque brachium contra *gangrænoſam inflammationem* defendit *litibus anodynis* & modice refrigerantibus ſuperinducto *cerato de minio*. Vocatus quoque fuit *Medicus*, qui *antifebrilia* interna cum præſcripſiſſet, voluit potius *gangrænæ* occurri V̄. *camphorato*, aliisque *myrrhatis* & *epithemate nigro*, quod quidem reipſa vere ſalutare noſtra tamen ferre non potuit diu, ſiquidem dolores inde exiſtebant longe ferociores, & inflammatio interne augebatur, ſic ut *hemicrania*, ſ. *clavus hyſtericus*, quo ſæpe laborare ſolebat, ſimul excitaretur. Removenda igitur hæc fuerunt, & modo priore brachium denuo deligandum, nam id plane ſingulare & notabile exiſtit apud noſtram, ut calida omnia tam in quam externa, nullo modo ferre queat, in quibusvis etiam morbis. Hac methodo ſenſim ac paullatim, ſed non niſi poſt longum tempus adeo firmatus fuit *cubitus*, ut tamen *ſubluxatio* quædam maneret, *proceſſus cubiti* nimium promineret, manus adhuc aliquatenus intro ſpectaret, & neque brachium ſurſum verſus, neque digiti recte introflecti poſſent. Obſervabatur porro circa *flexuram cubiti tendinum quaſi* & *ligamentorum* aliqua durities ac intumeſcentia. GÖPPINGAM igitur, quamprimum veniſſet, ſitulam ſibi parari curavit oblongam, nec admodum profundam, in quam infundebat *aquam acidulam coctam*, prout ad balneationem parari ſolet; ante & pomeridie brachium immittebat per horam, ſitula linteis tecta, & tunc jamjam, cum GÖPPINGÆ appuliſſem, nempe poſt triduanam lotionem & melius flectere cubitum, & movere digitos poterat: Eam igitur cum illa balneatione diligenter pergere juſſi. Nullum eſt dubium priorem *Chirurgum* duplici modo erraſſe: Primo brachium toties poſt repoſitionem cubiti hinc inde violenter motitando & flectendo. Nam in tantillo temporis poſt lapſum de ſcalis ſpatio qualis quantave aqua vel ſerum in ſinu humeri colligi potuit? Interim dolores, qui ante fere nulli aderant, vehementer aucti, & data quaſi opera acciti fuerunt. Poſtea, cui fini ferulæ ſunt applicatæ? Harum enim, uti in *fracturis* & quibusdam etiam *luxationibus* uſum eſſe non negaverim, ita in hac *luxatione* nullum omnino fuiſſe pla-

IX. nissimum est. Ferularum enim potissimus usus est, ut ossa confracta rursum composita eo magis stabiliantur & membrum fractum in situ recto detineatur. At hic nulla *fractura* (si forte excipias fissuram oblongam.) Ergo non tantum nulla *ferularum* indicatio, sed insuper applicatio detrimentosa, Jubent *Chirurgi*, nisi quædam symptomata urgeant, *ferulas* intra vigesimam ordinarie diem non removere. Jam nisi ursissent apud nostram symptomata, & *ferulæ* cum *emplastro catagmatico* per 20. dies brachio huic applicata mansissent, nonne timendum erat, ut perpetua rigilidas & immobilitas toti cubito conciliaretur? Præterea *ferulæ* prius non applicantur ossibus fractis & luxatis, quam transierit inflammationis tempus. Inflammationes enim sine metu gangrænæ *ferulas* non ferunt, quod hic exitus etiam comprobavit. Igitur, si maxime ferulis locus apud nostram fuisset, statim tamen a repositione, & antequam de inflammatione tutus erat *Chirurgus*, applicandæ non erant. Alter ideo *Chirurgus*, cum ob inflammationem & jam fere præsentem *gangrænam* cubitum decenter firmare non posset, inde factum, ut *subluxationi* spatium daretur; nempe collectum demum in sinu humeri serum gelatinosum processum cubiti non plane in sinum admisit, sed quadantenus exclusit, resolvendum fortasse a *balneatione brachii* continuata, Rogavit ægram num labro insidere, totumque corpus balneare concessum sit? Annui, sed non nisi stomacho prius munito *emplastro* & superinducta fascia lata, *Emplastrum* tale fuit:

Rec. *Empl. stict. Croll. de crust. pan.*
cerat. stomach. Gal. an. ℥vj.
malax. c. oleo mastich.

Balneatura imponat ventriculo, & post balneum removeat. Ejusmodi *emplastra* his suadere soleo, quorum *ventriculi* lavacra non sustinent. (d. 18. *Iul.*)

§. Occasione discursus in his mensibus alibi ventilati, de *thermoposia acidularum*, DRIALBIUS retulit, aliquoties *thermas ferinas* aliorsum deportatas pro balneatione denuo ad ignem calefactas, adeo non profuisse lavantibus, ut potius nocerent. Scilicet hæ sunt *Medicinæ* a *Pharmacopæo* sapientissimo, ipsomet DEO, paratæ, quas modo quocumque mutare vel non decet, vel saltem non est proficuum. Bibantur in nomine DEI, quales scaturierunt aquæ, scaturigines frigidæ frigide, calidæ, calide. *Thermarum* CAROLINARUM potior hodie ad potum quam loturam est usus, nemo tamen, quod sciam, illas ante, quam bibat, frigescere sinit.

§. Re-

§. Referebant, *Medicum* quendam *acidulas* JEBENHUSANAS cum piris hortensibus, GÖPPINGENSES cum silvestribus comparasse. Quid subtilius ab ingenio, quod suam subtilitatem e *subtilissimo fonte* JEBENHUSANO tempore exaltatissimæ *subtilitatis* hauserat, proferri potuit? Relinquenda fuerat illa stoliditas suo Magistro, nisi vulgus per anilia ejusmodi commenta malitiose seduceretur, optimoque e fonte omnis boni scaturienti fonti labes, quam nullam commeruit, affricaretur. Maneat sua laus JEBENHUSANO *fonti*, qua, qui ipsum fraudare sustinent, in DEUM ac homines injurii sunt, injuriosissimi tamen in utrosque, qui silvestribus piris GÖPPINGENSES assimilare non erubescunt, quippe impudentissimi mendacii in conscientia sua convicti. Non enim hæc sunt prolata *Medici ignorantis, sed male volentis.* IX.

§. Ergagam rursus adii, cantilenam consuetam continuo occinentem. Bibit tamen, quamvis coacta, suas *acidulas*. Quid porro futurum sit, anxie præstolamur. (d. 12. *Iul.*) Ergaga.

X. X.

NOx erat ventosa. Mane ventus aquilonaris & pluvia. Tota dies rigida, frigida, pluviisque fere continuis madens. Mane exhausi octo pocula, pomeridie, ob diem rigidum & frigidum non nisi quinque. Solis occasus sic satis amœnus.

§. Linetus de suæ *uxoris* sorore adhuc cœlibe referebat, ipsam *convulsionibus hystericis* quasi ex consuetudine diu afflictam, postea bis in die mane & pomeridie, momento temporis observato, per bihorium continuos *gemitus* eosque sonoros, ex imo quasi pectoris hausisse (Sie habe beständig ächzen müssen) Elapso bihorio sui juris factam, œconomiæ suisque rebus alacriter præfuisse. Neque conduxisse quidquam undelibet conquisita a *Medicis* & *non-Medicis* consilia, donec successu temporis, quam longissima mora, malum sensim sponte cessaverit, eamque nunc, temetsi perpetuam *hystericam*, tolerabiliter, sed sine hoc symptomate, vivere. Lineti *soror.* *Gemitus convulsivi.*

§. Melodidascalus *tormina ventris* per totam noctem passus, hodie mane rogavit, an liceret *acidulas* bibere calidas? Calidas non concessi, sed suasi, ut paropside aqua calefacta plenæ pocillum frigidis e canali petitis *acidulis* repletum immergerent, ibi per pauca momenta coopertas detinerent, & potui parumper temperatas præberent (Sie solten den Sauer-Brunnen ein wenig schröcken/ aber nicht wärmen) Ita tormina desierunt; *Cephalalgiam* consuetam incusanti vesperi consului *pediluvium* ex *fonte medicato*, & deglutitionem 3. *pilularum theriacalium*. (d. 11. *Iul.*) Melodidascalus.

§. Re-

X. Regenotti *uxor*. §. Regenotti *uxori* (d. 25. *Jun.*) *diarrhœam* passæ ob eandem rationem eundem modum bibendi *acidulas* suasi. Querebatur hæc, se a potu *acidularum* ad somnum sic incitari, ut propemodum resistere dormitioni nullatenus possit. Orta quæstio, *num acidularum potui superindormire liceat?* Inolevit mos apud plurimos delicatæ vivendi rationi assuetos, ut ante octavam vel nonam antemeridianam e lecto raro surgant. Cum igitur necessitas maturius, v. gr sexta circiter matutina surgendi fontemque adeundi *acidarum* potoribus imposita sit, absoluto potu matutino quod dormituriant mirum non est. Nostra insuper jam septimo mense gravida ob molem ventris motu post potum necessario, somni averrunco, destituta fuit. Hinc ipsam a somno antemeridiano plane arcere non potui, nec inde damni quidquam animadversum. Hoc autem omnes imitari non decet. (d. 13. *Jul.*)

Varioli *uxor*. §. Varioli *uxor* hodie non tantum cubitum, quamvis ægerrime, quadantenus iterum flectere, sed & digitum medium movere & usque ad volam manus incurvare potest, ope *malluvii* ex *acidulis* parati, ut spes sit non confusura, brachio motum & robur magna sui parte restitutum iri. (d. 14. *Jul.*)

XI.

XI.

TOta dies frigida, nubila & horrida, intermixtis semper pluviis usque ad vesperam, ubi sol rursum apparere cœpit, frigore tamen nil remittente. Aëris hæc inclementia, si continuarit, flori vitium haut parum nocebit, & spes *vindemiationis* in se parca, penitus decollabit.

§. Hodie mane exhausi pocula novem, pomeridie septem. Mane frigus & pluvia diminuebant appetitum bibendi & apud me & alios complures, neque sum solitus, vel me vel alios, aere tam inclementi existente ad largiorem potum adigere, sed pro lubitu, etiam in summæ doseos tempore, potare. Plures hisce frigidis & pluviosis diebus ad mejendum se magis incitari dicebant. Rationem non longe petendam existimavi, scil. poros his tempestatibus magis constringi, sudorem, immo & insensibilem transspirationem, impediri, corporis itaque motu majore opus esse, ne aquæ diutius, quam par est in corpore morentur, via proinde per superficiem corporis interclusa, per canales urinarios magis patulos aperta, mictum augeri.

Cryancus. §. Cryancus narrabat, se ante aliquot annos in sodalitio *Polonico* versantem & vino prius bene potum adhuc magnam vim *spiritus frumentacei* ingurgitasse, hincque obdormisse. Media nocte evigilantem

tan-

tantum in faucibus ac toto corpore ardorem sentisse, ut in gehenna se detineri putaret. Cor, cerebrum, vasa colli & manuum horrendissimo modo palpitasse, anxietatibus præcordialibus se tortum fuisse & nil nisi extrema expectasse. Ne guttam liquoris ullius ad manus fuisse, quo sitim internecinam leniret, nisi matulam urinæ quantitate larga impletam, hanc ad fundum usque cum exhausisset, illico se melius habuisse, ardorem remisisse. Hic φλογιςὸν *spiritus frumentacei ab alcali urinæ* ligatum videtur. CHORIOGRAPHUS narrationi præsens se eodem modo summo aliquando vitæ periculo expositum mulieris cujusdam consilio ex uberibus puellæ furtim imprægnatæ partuique proximæ suxisse lac calidum & liberatum fuisse. Novimus *lac bubulum* infundi a *spiritu vini temulentis*, quibus flamma jam ex ore erumpit, eosque sic præsentaneo mortis periculo eripi. Ab ejusmodi symposiis abstinere tutius & legibus christianis convenientius est. (d. 15. *Jul.*) XI.

§. Melodidascalus quoad capitis dolorem hodie melius habet, attamen tutius esse putavi, si *acidulas* hac horrida cœli facie, aquæ calenti parum prius immersas bibere continuaret. (d. 12. *Jul.*) Melodidascalus.

§. Namaplusii *Filius*, (d. 8. *Jul.*) heri aliquatenus horruit, cum insequente virium languore, quod inclementiæ cœli adscripsi, qua inducti complures fornaces mane calefieri jubebant. Dixi, ut idem faceret, ac hodie *acidulas* in hypocausto biberet, quod faciens incommodi nihil amplius sensit. (d. 13 *Jul.*) Namaplusii *Filius*.

§. Oeconoma (2. *Jul.*) quamvis a purgatione præmissisque *pulveribus* digestivis parum mota, tamen *acidulas* ad fontem GÖPPINGENSEM, quas tunc suaseram, bibere cœpit, sed, illas continuo se revomere, nullatenusque sufferre posse, quamvis GÖPPINGÆ nata & educata, querebatur. Jussi igitur, ut ab illis abstineret, & ordinavi *infusum* tale nostro more parandum & potandum: Oeconoma.

Rec. *Heb. meliss. puleg. matricar. an. mß.*
rad. levist. ebul. an. ℥ß.
fol. senn. s. s. ℥iß. passul. min. ℥ij.
rad. mechoac. a. agar. troch. an. ℥ß.
tart. crud. ʒiij cass. lign. ʒij. croc. ℈j.
Conc. cont. D.

Mane cum *infuso*, & noctu ex cochleari vini sumat xxv. guttas *mixturæ*:


Rec. ♁✱. ʒiß. ℞. *croc.* ʒß. *M.*

XII. XII.

COntinuatur frigus & nubilum cœlum. Pomeridie aliqualis serenitas. Tempus aquarum potui valde incommodum,

§. Mane potavi pocula duodecim, pomeridie sex. MELODIDASCAlus dimidiam *acidarum* partem in lecto, medietatem reliquam in area diversorii obambulando, me quoque annuente, bibit. Sacra auditurus erat in templo opidano, dissuasi ob aëris inclementiam. Obtemperavit. Qui levantur a sudoribus, his per aëris ambientis frigus carere coacti, quum in lecto bibunt, non male faciunt, mutato cœlo modum quoque bibendi mutare valentes.

Ergaga. §. Ergaga (d. 9. *Iul.*) suis clamoribus insistit. Curiositas me impulit, ut melodiam cantus tam ridiculi *notis Musicis* exprimerem, verbis in Latinum translatis:



Hoc millionibus repetit, & interrogata, cur id faceret? Se non aliter posse, respondet. Ut ingenue fatear, animus hujus ægræ mihi non parum malitiosus videtur. Confirmor in ea sententia a recensione vitæ anteactæ. (d. 14. *Jul.*)

Melodidascalus. §. Melodidascalus communicavit litteras a PEDIO acceptas de usu *acidularum* pro constitutione sua, quarum hæc erat sententia: *Acidulas* in genere quod attinet, fundamentum effectus illarum consistit in *sulphure phlugisto metallorum communi*, ceu earum primario principio, aquæ immixto, partim jam expanso, partim, quod adhuc *ramentis ferri* aquæ innatantis subtilissimis inclusum est, in corpore, ab *acido* crassiori in primis viis familiari, e poris Terræ ejus exturbando, & ramentis his subtilissimis hinc in *crocum* quasi *martis* versis, plus minusve *aperientem*, vel *adstringentem*, pro *acidi* in primis viis crassitie, unde turbarum sæpe ex earundem usu origo. Quod *sulphur phlogistum* cum sanguine mixtum ejus *partem* ♃*eam* a portionibus reliquis extricat, atque sanguinem in motum celeriorem ciet, ubi simul ab altera substantia *crociformi* tonus partium leviter adductarum roboratur; quibus utrisque modis sanguis, dilutione sufficienti ab adventu multæ aquæ, fortiter agitatur, adeoque non tantum valde attenuatur, sed *spiritus* quoque vitales magna copia se-

secernuntur, sicque præter nervos alia quoque viscera confortantur. Hinc *acidulas*, quæ de *vitriolo martis* multum participant, adeo non nocere nervis, ut potius multum ipsis prosint, judico. XII.

Quemlibet suo sensu abundare merito permitto; Si vero omnium *acidularum* effectus consistit in 🜍e *phlogisto metallorum*, nostræ profecto GÖPPINGENSES parum magnifici fuerint effecturæ: Tametsi enim illis 🜍eum quid subter 🜄am affundi non plane negaverim, id tamen adeo subtile & volatile sit oportet, ut, quamprimum aërem admiserunt *acidulæ* prius evaporet omne, quam ut vel examen *chymicum* subire, vel cum *potentiis salinis* intra corpus assumi valeat. *Sulphur* enim, si quod illis inexistit, nulla arte in apricum sisti potest. Quæ de *ramentis ferri* dicuntur, multo minus his nostris applicari possunt, siquidem talia nec ibi se conspicienda præbent a priori, neque per tentamina physica aut effectus a posteriori. Si quid tale insit quibusdam *acidulis*, vel *sulphuris* vel *ramentorum ferri*, quærendum in iis, quæ sapore atramentoso præ aliis excellunt, quales sunt Egranæ, Sualbacenses, Uberkingenses, In nostris sane, præter miscellum *Salium alcalicorum* eminenter, acidorum pauciorum, utrorumque maximam partem volatilium, frustra quid aliud etiam solertissima manus invenerit. (d. 13. *Iul.*)

§. Civis, Göppingensis, Rebeci, nuper ad me missus consulebat de *tussi ferina filioli biennis*, quæ puellum adorta fuit, ut quasi *tetano* correptus & ligni ad instar rigidus tota facie quasi in momento suffocandus livescat, non sine Adstantium summo terrore, donec pituita tenaci per vomitum rejecta ad se redeat, fessus quasi magno labore perfecto, hinc lusitet, hilaris sit, edat, bibat. Pauperculo, donec GÖPPINGAM ipse venirem, commendavi experimentum BOYLEI, *succum* nempe *pulegii* recenter expressum, post subsidentiam, Saccharo distemperatum & cochleatim præbitum. Hodie mater cum patientulo me accessit; Color faciei vividus erat, puellus quoque hilaris, *pulegii Succum* mater non omnino sine effectu fuisse dixit, puellum tamen adhuc rarioribus licet ac minus efferis desubito tentari paroxysmis. Audivi quoque cum stertore vel rhonchis respirantem. Evacuatione opus esse Judicans, ordinavi *haustulum* sequentem: Rebeci *Filiolus. Tussis ferina.*

Rec. *Pulv. gial. n. resin.* ℈ß. *crem. tart. gr. viij.*
🜂⊖*. *anis. gtt. iiij. sir. de cich. c. rh.* ℥vj.
aq. acuc. ℥ij. *M.*

Post *purgationem* mane & noctu cum *succo pulegii saccharato* sumat guttulas 10, de *mixtura* tali: Rec. 🜂. *cochlear.* ⊖*. *anis.*
℞. *Croc. an.* ℥ß. *M.* (d. 19. *Iul.*)

XII. Cryanci *uxor*, *Hysterica*.

§. Cryanci *uxor* 25. annorum, 2. liberorum mater, me consultum ibat sequentia referens: se *fluorem album* pati, quamvis nulla cum excoriatione, *hæmorrhoidibus apertis* frequenter affligi, has autem jam diutius solito esse obstructas, *torminibus* & *melancholia hysterica* sæpe laborare, *ardore stomachi*, præcipue post esum pinguium, torqueri, parum appetere, in capite dolore *clavi* æmulo affici. Macilenta est. Dixit, sibi a suis *Medicis* consultum fuisse, ut ad *fontem* GÖPPINGENSEM proficisceretur. Se per dies octo jam bibisse, per triduum tum ob profectiunculam aliquam, tum *mensium fluxum* (quo rite semper, statisque temporibus, *albo fluore* tunc cessante, defungatur) nunc *acidularum* abstemiam fuisse. Cum sentiret appetitum sibi restitui, suasi, ut *acidas* potare ne desisteret, sed per sextiduum adhuc summam dosin continuaret; hinc ob *fluorem album*, membrorumque lassitudinem, simul cum *acidularum* dosi quotidie descendendo, *balneum* singulis diebus ad horam unam intraret. BOLLENSES enim *balneas* vi exsiccandi corpus tanta pollere, quanta ipsius constitutioni non adæquata sit. Præter ea me velle, ut singulis diebus bis cochl. *ij*. *Gelatinæ ex ras. C. C. & ebor.* simplicissime paratæ cum scutella juris calidi assumat. Sic enim fore, ut iterata humectatione, quod a lotura exsiccatum fuit, per *gelatinam* sarciatur. Noctu ante somnum hauriat gutt. xxxx. mixt. ex cochl. vini:

Rec. ℞. ♂. *helleborat.* ℨiij.
elix. propr. dulc. ℨiß. *M.*

Constipationi alvi, si qua fieret a balneo, quod non raro solet, opponendam duxi *potiunculam* OSWALDI. Post quemlibet vero pastum suasi usum *tragematis* cum pane tosto & haustulo vini veteris:

Rec. *Spec. diacr. Mynf. elaosacch. mac. an.* ℥j.
pulv. cach. Qu. inc. ℥ß. *trag. arom. offic.* ℥ij.
corall alb. ppt. ℨiij. *M.*

Clavo capitis cucupham ex *as. fetid. castor.* & *succino fl.*

Multis *arthritide* vel *paralysi scorbutica* laborantibus *balneas minerales* cum natura calidas, tum igni calfaciendas suasi, *Medicis* aliis, ob maciem, contradicentibus. Ante sedecim annos Sacerdos quidam HISPANUS, *Dn.* BEGUINI, cum OETTINGÆ per 18. septimanas *athriticus* decubuisset, instar sceleti emaciatus, tamen a me fuit ablegatus ad *balneas* WEMDINGENSES, & auspicato convaluit. Alius *centurio* BAVARUS, ob *contracturam artuum* immobilis, ac infantis ad instar cibandus ac potandus

XII.

tandus, itidem macilentissimus, ab iisdem aquis, me curam dirigente, adeo juvatus est, ut, cum post loturum octiduanam ipsum denuo visitarem, ille calicem vino impletum sua manu ori admovere & bibere posset. Sin igitur ejusmodi subjecta mihi offeruntur, quæ *balneis mineralibus* opus habentia, a contraindicante macie deterrentur. Ipsis quidem lotionem methodicam impero, sed simul *humectantia* propino, *emulsionem amygdalarum*, *gelatinam CC. & ebor. cremorem hordei*, *pulpam passularum* ac *tamarindorum* &c quo facto, quidquid humidi *balneatio* absumit, corpori reaffunditur, cum languentium solatio, quod stratagema sibi commendatum habeant *Practici* juniores. (d. 14. *Iul.*)

§. Lineti *Servus* sine dubio ob errorem quendam diætæ incidit in *cephalalgiam* acerbissimam totum caput occupantem, cum æstu, sine prævio frigore, siti, lassitudine, vomituritione. Data *mixtura* cochleatim haurienda,

Lineti *servus.* *Cephalalgia.*

Rec. *Aq. beton. salv. card. bened. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ʒß. *Tinct. succin.* ℈j.
laud. op. gr. ij. *fir. papav. err.* ℥ß. *M.*

Fronti *unguentum alabastrinum.* Abstineat a *vino.* (d. 13. *Iul.*)

§. Campyloxyli *Filiola* minima 9. circ. mensium, ab aliquot diebus laborat *diarrhœa fere lienterica*, excrementa sunt albida, spumosa, ciborum parum immutatorum. Virium insignis languor, *inappetentia*, *sitis*. *Dentitioni* hæc omnia accepta data, primisque diebus neglectim habita; viribus autem jam valde distractis & præsente metu convulsionum, ad me itum. Detur bis in die cuspis cultri unicus de *pulvere* sequenti, ex adjecto vehiculo etiam seorsim præbendo;

Campyloxyli *filiola minima.* *Diarrhœa.*

Rec. *Coral. r. ppt.* 🜃 *catech. & sigillat.*
C. alc. philos. an. ʒß.
ther. cœlest. gr. ij. *M.*

Rec. *Aq. plantag. fl. til. an.* ℥ij. *Cinnam. cydon.* ℥j.
fir. e rof. sicc. ℥ß. *M.*

Abdomen frequenter calide ungatur:
Rec. *Ungu. Comitiss.* ℥ß. *ol. cydon.* ʒij. *M.*

Neque inutile erit coquere *emplastrum domesticum ex pane mellito cum aromatis*, *vino rubro* & 🜄. umbilico calide imponere & sæpe renovare, (d. 1. *Aug.*)

XIII.

DIes erat ſerena, ſpirabant eteſiæ. Pomeridie pluvia.

§. Mane potavi pocula ſedecim, ſesquinenſuram ſcil. Würtenbergicam, pomeridie pocula ſex. Jamque ſummam doſeos meæ cum attigerim, DEOQUE volenre ſic per 14. circiter dies continuare decreverim, usque ad tempus deſcenſus de meis potationibus tacebo. Monitum autem velim *Lectorem*, me eſſe virum procerioris ſtaturæ & mediocriter obeſum, *acidarum* quoque curativo potui nunc per annos undecim adſuetum, nec eſſe viri cujusvis meam in potu menſuram imitari.

Melodidaſcalus. §. Melodidaſcalus quoad *capitis* quidem *dolorem* melius habet, interim ejusdem gravitatem ſentit, & præludia *coryzæ*. Frequenter exſpuit. Non credo *coryzam* & exſpuitionem hanc aliquid mali portendere. (d. 14. *Iu.*)

Lineti *ſervus*. §. Lineti *ſervus* hodie melius habet. Dolor capitis multum remiſit, cum ſiti & æſtu: Languor tamen virium adhuc adeſt. Medicamenta heſterna continuari volui. (d. 14. *Iul.*)

Regenotti *uxor*. *Cardialgia*. §. *Uxor* Regenotti (d. 10. *Iul.*) præterita nocte preſſionem ſtomachi paſſa eſt inſignem, quam inſecutus unus & alter *vomitus* levavit. Quæſita, num erroris *diætæ* nullius ſibi conſcia eſſet? reſpondit: ſe heri noctu *gammaros* fluviatiles affatim comediſſe, ac recordari nuper ob horum comeſtionem idem ſibi malum accidiſſe. Non dubitavi cauſſam in gammaros conferre & ulteriori horum eſui interdixi. Nam, ut taceam hanc mulierem eſſe ſtomacho valde debili, *gammaros* autem communi more tantum elixatos talam expetere, cum, teſte BRUYERINO *de re cibar. Lib. XVIII. cap. 17. p. 766.* velut omnia, quibus teſtæ ſunt pro tegmine, abundent ſucco craſſo, ideoque, teſtibus omnibus diæteticis, difficillime concoquantur, ita compertum eſt, cancros *antipathetice* quibusdam nocere, vid. Sachſ. Gammarol. *Lib. II ſect. I. cap.* 4. §. 7. (d. 16 *Jul.*)

§. Eidem ante profectionem ad ACIDULAS ordinaveram *tragema ſtomachicum* commune e *ſpeciebus diacretæ & trag. aromatica officinali*, quod conſumtum & in officina Gôppingenſi denuo paratum, ipſi plane aliud quam Stuttgardianum videbatur, quippe colore & guſtu differens, acrimoniamque quandam præ ſe ferens, ſic, ut cauſſam *ſubverſionis ſtomachi* huic fere *tragemati* unice transſcribere non vereretur. Examinata miſcela non alium inveni errorem, quam *minus diligentem ſpecierum a famulo Pharmacopoei* factam in *pulverem comminutionem*. Et ratio plana eſt. Quo ſubtiliores enim ſunt ingredientium atomi, eo magis unius

cujus-

cujusque ingredientis ſapor diſpergitur, quo craſſiores manent dictæ atomi, eo magis acriorum cumprimis aromatum, v. gr. piperis, caryophillorum, ſapor, præ reliquis eminet, linguamque ferit. Exemplo ſit *tragea groſſa*, germ. Pfaffenfutter / conſtans e *confectionibus ſeminum aniſi coriandri, &c.* Rad. Zyngib *cinnamomo, nuce moſchata, &c. illis* ſc. confectionibus integris relictis, his groſſo tantum modo inciſis, ubi unicuique ingredienti ſapor nativus retinetur, quod futurum non eſſet, ſi ſubtiliter comminuerentur. Igitur hoc errore, vel quaſi (nam tragemata ſtomachica ſæpe groſſiori forma & gratiora ſunt & meliora, ubi per maſticationem ſimul *ſalivam* melius imbuunt, ac diutius in ſtomacho, cui proprie dicata ſunt, morantur) reperto, Regenotti *uxorem* bono animo eſſe, ſuſpicionemque in *tragematis efficaciam deponere juſſi.* Notandum hoc juniori Practico, ne ejusmodi medicamentum non rite paratum eſſe pronuncians innocentis pharmacopœi fidem labefactet. Ita ſane multa paſſim remedia cum ab ægrotis, tum ipſiſmet, in expertis rei, *Medicis*, in ſuſpicionem trahuntur. Notum eſt in *mixturis cochleatim* aſſumandis *ſiruborum* v. gr. pondus a Medico præſcriptum libræ alteri lanci imponi, hinc ex urceo *ſirubum vitro infundi*, ubi nil facilius, quam ut famulo parum circumſpecto, immo & ſatis canto & cato, irrumpat præter voluntatem nonnihil *ſirubi* pondus excedens, quod ob miſcelam aliorum jam in vitro præſentem removeri non amplius poteſt; hoc autem utut minimum ſtatim ſaporem aliquatenus mutare valet, ut *mixtura* repetita, alium, quam prima, præſeferat, atque ſic ab ægroto non eadem, quæ antea, cenſentur, ſic inſtillantur ejusmodi *mixturis interdum aliquot guttæ olei, ſpiritus, elixiris &c.* Ubi nonnunquam fieri poteſt, ut, quantumlibet circumſpecto *phacmacopœo* unica guttula ſupra doſin præſcriptam, excidat, quod citra mutationem ſaporis in compoſito fieri non poteſt. Tametſi vero his ægroto nihil noceatur, attamen *Pharmacopœum* decet eſſe cautiſſimum, ne ſuſpicacibus ægrotis timorem incutiant & averſationem. Nam aliqui adeo ſunt animo pertinaci, cumprimis *hypochondriaci*, ut a ſemel concepta ſuſpicione nullis ſe rationibus dimoveri patiantur, & mihi non ſemel in *praxi* contigit, ut, ſi *Medicus* ægrotum veſperi viſitans jubeat iterari *mixturam* abſumtam, & per noctem cochleatim uſurpari, ægrotus contracta ob ſaporem, *colorem, odorem, non per omnia priori mixturæ, congruentiſſimos, cochlear nequidem unum aſſumere audeat*, ſed *Medicum* ad alterum usque diem prius expectet, judicium de rite parato pharmaco exquiſitum; unde nonnunquam occa-

XIV.

XIII. occaſio rei bene gerendæ, manibus elabitur, morbus augetur, præſertim in acutis, & æger in periculum præcipitatur. Hæc omnia licet vulgaria & vix attentionem merentia videantur, attamen *in praxi*, non eſſe rejicienda, Practici comperiuntur.

§. Namaplusii *Filius* (d. 11. *Jul.*) hodie de dolore capitis conqueſtus fuit, ac inter *acidularum* potum vomuit. Id aliquando contingere obſervavi his, qui noctes prodigunt cum proſtibulis, quamvis de noſtro quid tale dicere non poſſim. Narravi tamen ipſi horum aliquot exempla; quæ enim nondum patrata ſunt, patrari poſt liminio data occaſione poſſunt. Prudens Practicus, quantum in hac re me imitari liceat, e circumſtantiis judicioſe eruere noverit. Suaſi noſtro, ut nonnihil rad. *Zingiberis conditi aſſumeret*, quod non ſine fructu fecit. Querebatur etiam de venarum ſedalium tumore ac ardore. Dixi me ſperare, ut hæmorrhoides *fluant*, quod paullo poſt cum levamine factum. (d. 30. *Jul.*)

XIV.

XIV.

NOx fuit ſerena & calida, una cum die tota; una ſcil. e potioribus, qua per hunc *ſextiduanum potationis curſum* frui licuit. Veriſſimum omnes comperti ſumus, majori cum delectatione ac appetitu fontem hauriri cœlo ſereno, quam nubilo & pluvioſo.

Tyrſipnoi *Filius.* §. Convenit me Juvenis 20. annorum Tyrſipnoi *Filius*, & monſtrabat oculum dextrum, in quo viſum penitus amiſerat. Id vero ſequenti modo accidit: Anteſex hebdomatas civium & Juvenum quidam equeſtres opidum exierant, ſolenniter excepturi & accepturi Sponſum advenientem. Hic, ut ſolet fieri, bombardis manualibus exploſis affectum *animi teſtaturo* contigit, ut, equo fortaſſe inter explodendum in motum diverſum abrepto, globulo quodam minore (Schrodt) quibus farta erat bombardula, peteret noſtri juvenis oculum dextrum circa canthum exteriorem. Profluxit ſanguis magna copia, *oculus* vehementer intumuit, & per totum globum ſanguine ſuffuſus fuit. Decenter autem uti ſpero, tractatus, detumuit quidem, ſed globulus extrahi non potuit, adhuc alicubi in iſtis concamerationibus hærens. Interim videndi potentia plane nulla, quam nec famoſus quidam Ophthalmicus reſtituere potuit. Exploratum a me oculum talem vidi: minor erat bulbus alterius oculi bulbo. Cornea fere ſublata, eo loci, ubi globulus trajectus fuit, tuberculum lentis magnitudinem, pupilla inviolata, viſus plane abolitus, ut rem ſummatim complectar, in iſto oculo *gutta ſerena.* Dixi globulum

plumbeum vel penetrasse in ipsumet crus nervi optici, idque obstruisse, XIV.
vel dicti cruris substantiam contusam & laceratam esse, indeque impediri influxum *spiritus animalis* in oculum, cujus *bulbus* altero sit minor fortassis ob *effusionem portionis* haut minimæ humoris aquei. Posse forsitan per collyria quædam *oculo* quantitatem scleroticæque candorem, nullatenus autem visum restitui, cum concipi non possit, qua methodo, vel globulus nervo *optico impactus removeri*, vel laceratus ille solidari valeat, malum itaque mihi videri immedicabile, Ut vero intentatum nil relinquatur, nec vulneratori porrigatur ansa vulnerati negligentiam incusandi, me suadere, ut ONIMUM *Stuttgardianum*, quippe chirurgum ophthalmicum celebrem consulat, nam in eo statim peccatum fuisse, quod uni soli chirurgo primitus ab inflictu curam vulneris, crediderit, quam ipse, tenore constitutionis chirurgicæ, suscipere solus non *debuerit*, inspectionem quoque *legalem imprudenter* intermissam esse.

§. Dn. D. KECK, *Physicus Heidenheimensis*, narrabat historiam mulieris *arthritica*, quæ in *balneis ferinis* GIENGENSIBUS, *doloris* omnis expers, usum artuum brevi recepit. Non omnes *balnea minerales arthriticis* prosunt, hinc bonitas DEI magis celebranda, quod ad varios affectus in hoc Ducatu, ditionibusque confinibus delectus haberi possit *fontium soteriorum*.

Referebat idem in *Districtu* HEIDENHEIMENSI varia reperiri fossilia, item ad pagum PARCHIM prope *Gemundam* suevicam erui *lapides* varie figuratos, quales se transmissurum spospondit.

§. De Ergaga (d. 11. *Jul.*) hodie relatum ab *acidulis* immodice purgari, sic ut virium inde languor notabilis observetur. Adscripsi hunc effectum defectui motus, si quidem per totam ferme diem in lecto decumbit, non quidem vehementia morbi eam cogente, sed ex arbitrio perversæ voluntatis: Sic enim *acidula* diutius in primis viis morantes alvum facile solvunt. Jussi igitur, ut loco 10. poculorum, tantum octo biberet, aliquanto scil magis, quam tres quartarios WÜRTEMBERGICOS, ac deambulando quoque magis moveretur. Ipsa interim tono variato cantilenam occisoriam indesinenter occinit, ad interrogata tamen respondens, atque adeo ab hoc cantu, quoties & quamdiu vellet, desistere potens, respondens etiam prudenter, ut adesse *delirium* nemo dicere possit, comedens, bibens, dormiens: sic, ut in mea indies confirmer sententia, Ergaga.

XIV. subesse huic tragœdiæ haut sane parum malitiæ. Hodie tonum suum redegit in sesqui alterum talem:



Ita pro lubitu tonum sæpe variare & in una melodia aliquandiu persistere solet. (d. 15. *Jul.*)

Cryanci uxor. § Cryanci *uxor* (d. 12. *Jul.*) queritur de *alvi constipatione*; sumere jussi noctu ante somnum *pilulas laxativas*, jam antea a D. D. Bardili ordinatas. Accidit autem, ut pomeridie cum torminibus alvus bis solveretur; quæsivit igitur, num intermittendas jam censerem *pilulas purgantes*? Deglutiat, his non obstantibus. In iis quibus tardior est alvus vel *acidularum cura* ad medietatem absoluta, vel durante cursu singulis septimanis *eccoproticum* assumere, valde conducit, immo, necesse est.

Pollacerga. Cardialgia. § Pollacerga virgo 34 circ. annorum de cardialgia post pastum, præcipue meridianum, jam diuturna & valde torquente queritur, sic, ut gustato vix cibo, statim dolor circa præcordia compressivus, cum ardore ad gulam usque adscendens, oriatur cum vomituritione, & nonnunquam per bihorium sæviat. Menses rite succedunt. *Peristroma stomachi* & œsophagi abrasum esse judico. Sumat mane & pomeridie 12. pilulas e quovis vehiculo:

Rec. ♁. *nat. ppt. oc.* ♋. *crud. conf.*
Matr. perl. ppt. an. ʒß. *extr. papav.* ℈ß.
mucilag. sem. cydon. q. s. F. pil. pond. gr. j.

Semper hora una post deglutitas *pilulas*, & noctu ante somnum *eclegmatis* sequentis cochleare magnum assumet:

Rec. *Mucilag. ex an. sem. cydon. & psyll. cum*
aq. fl. samb. extr. ℥vj.
sir. dealth. Fern. ℥iß. *spec. diatrag. fr.* ʒß.
sacch. penid. q. s. F. eclegma.

Scrobiculus cordis frequenter inungatur linimento tali:

Rec. *Ol. absinth. chamom. an. coct.* ℥ß.
Ungu. de hyosc. ℥j. *M.*

Diæta sit congrua. Vitentur acida, acria, aromatica, potenter calefacientia. (d. 16. *Aug.*)

§. *Uxor*

§. *Uxor* Varioli (d. 10. *Iul.*) Melius indies movere potest *cubitum* & digitos brachii sinistri. Rogavit autem, an non liceat insidere *labro & balneare*, muniendo brachium pannis linteis in aquam calidam *mineralem* intinctis: Quod fieri omnino posse dixi, atque ut debili, *balnearumque* impatienti *ventriculo* prospiceretur, tempore *balneationis* ipsi tutamen paravi, sequens *emplastrum*, post *balneum*, si placet, removendum, ante *balneum* imponendum & subligaculo muniendum: XIV. Varioli *uxor*.

Rec. *Cerat. stomach. Gal. empl. de crust. pan. an.* ℥ß.
ol. caryoph. mac. an. ☊. *gtt.* iiij. *mastich. coct. q. s.*
F. empl. extendendum super alutam. (d. 26 *Iul.*)

§. Bonitonia 28. annorum virgo bibit *acidulas*, & cumprimis queritur de *pruritu* cutis & *varis scorbuticis*, Sumat mane cum *acidulis*, & noctu cum *cochleari vini* guttas quadraginta *essentiæ*, aliquoties etiam *balneando*, nec tamen ultra horam insidendo: Bonitonia. *Pruritus. Vari scorbutici.*

Rec. *Ess. fumar. trifol. fibr.*
lignor. an. ℨiß. *M.*

De iisdem quoque queritur *uxor.* BOHEMI; sed, cum ad medicamenta sit difficillima, potum solummodo continuatum *acidularum* profuturum esse dixi.

§. Balanarchi *Filiola* 18. septiman. doloribus *nephriticis* ac *dysuria* cum multis clamoribus torquetur, lodices arenosæ fiunt ab exstillante urina. Cum pulticula præbeatur cusp. 1. cultri de *pulvere* tali, per longum tempus: Balanarchi *Filiola*. *Dysuria. Nephritis.*

Rem. *Sem. lycopod. pulv. liquirit.*
ocul. ♋. *crud. cont. asell. ppt. an.* ℨß.
sacch. cant. a. ℨj. *M.*

Fortiter *pellentia* non conveniunt, quorsum & pertinet continua propinatio aquæ *petroselini* ☊*llata.*

§. Lineti servus ab ordinatis d. 12. *Iul.* medicamentis sane quam plurimum profecit, remittentibus omnibus symptomatis, & liberatus fuit a metu *febris*. Cum adhuc de *appetitu* debili ac *eructationibus* querelas ageret, jussi ut mane & noctu *elixiris* pone sequentis gtt. xxx. ex cochleari vini assumeret: Lineti *Servus*.

Rec. *Elix. propr. d. ess. carminat. an.* ℨiß *M.*

§. Ruleus, vir circ. 64. annorum, obesus, pater plurimorum liberorum, a quatuordecim diebus conquestus fuit de lassitudine, *inappetentia*, doloribus vagis abdominis, murmuribus &c. Accepit a DIRBILAO *infusum purgans*, quod effectum fere plane nullũ præstitit. Igitur me quoq; accivit, Ruleus. *Languor universalis.*

XIV. & cum eadem adhuc, quæ supra recensui, symptomata latius exposuisset, egoque viri mihi jam diu noti *phlegmaticam* temperiem, obesum corpus, crebras alvi *constipationes*, quam fere singulis septimanis, si non bis, semel saltem, *pilulis* Francofurtensibus sollicitare consueverat, considerarem; opus esse porro quadam *epicratica purgatione* censens ipsi denuo ordinavi sequens *infusum*:

Rec. *Fl. chamom. herb. fumar. an. mj.*
fol. senn. s. s. ℥iß. rad. polypod. qu. fibr. helleb. n. an. ʒv.
rhabarb. ver. ℥ß. agar. troch. ʒiij. cort. aur. ʒij.
passul. min. ℥ij sem. nasturt. anis. an. ʒiß.
⊖. *tart. ℥ß. mac. ʒj. Conc. cont.*
infundantur & potentur more consueto.

Mane cum *infuso*, & noctu cum cochleari vini accipiat gtt. xxx. *mixturæ*:

Rec. *Ess. carminat.* ⊖. *vol. oleos. an. ʒiß. M.*

Hæc omnia jam facta d. 10. *Iulii*, & ibi recensenda fuerunt. Interim, cum absolvisset hodie dictum *infusum* & sibi multum levatus videretur, saltem *appetitum* sibi optaret meliorem, & *flatuum* molestiis eximi gestiret, scripsi *pulverem stomachicum* mane & noctu ad ʒ. cultri cuspides per se sumendum ex *speciebus diacretæ* Myns., *pulv. stomach.* Birkm. *elæosacch. caryoph. & paucis granis ol. NM. expr.* paratum & cum primo haustu vini in quolibet pastu idem *elixir*, quod paullo ante Lineti *servo* præscripseram. (d. 12. *Iul.*)

Melodidascalus. § De Melodidascalo dictum, quod *coryzam* sentire cœperit, ea, forsan ob blennæ viscciditatem in confinibus nasi accumulatæ nondum fluida facta magnam capiti gravitatem accersebat; cui ut mederer, blennamque resolverem, opposui familiare & valde efficax *errhinum*:

Rec. *Aq. majoran. ℥j. mann. calabr. ʒj.*
⊕*li alb. gr. xv. soluta Dent. ad vitr.* (d. 18. *Iul.*)

§. Cum Hardesio forte fortuna præsente, de *acidulis* Uberkingensibus, ditionis Ulmensis discursum miscui, ipsasque de *vitriolo* ♂. participare dixi, quod non tantum *sapore atramentoso* proderetur, sed etiam ex eo, quod omnia experimenta has aquas Egranis, præ nostris Würtenbergensibus, propius accedere, demonstrarent. Hardesius contra se potius *vitriolum veneris* continere arbitrari, ex hac ratione, dixit, quia mulier has aquas potans continuis vexata fuerit *vomitibus*, hinc etiam abstinere coacta. Ego vero *vomitionem* illam aquis quam minime, potius dispositioni mulieris adscribendam esse propterea censui, quia præterea

terea ac ordinarie nemo potantium illas aquas vel *nausea* vel *vomitibus* exerceri deprehenditur, quod fieri tamen deberet, si culpa in *aquis* hæreret; quamvis eas propterea ab omni *venerea mixtura* prorsus absolvere nolim, quum aliæ quoque aquæ *martiales* portiones quasdam *cupri*, paucas tamen, subjugatas, & vires solitas exserere non valentes, continuisse visæ sint. XIV.

XV.

XV.

NOx fuit serena, die quoque tali manente.

§. Dirbilaus narrabat historiam de pistore quodam ætatis adhuc florentis, qui certis temporibus per truduum, quatriduum & ultra *sanguinem per alvum excerneret* satis floridum in magna quantitate, non sine virium deperditione. Ipse vocabat *fluxum hepaticum*, & hoc absoluto patientem sua rursum munia, viribus receptis, alacriter satis exsequi dicebat, donec tempore nonnunquam sat largo præterlapso fluxus redeat. *Fluxus hepaticus* affectus adeo rarus, ut eum se unquam vidisse in adeo diffusa *praxi* neget SYLVIUS, describitur *alvi fluxus, quo excernitur materia serosa sanguine diluta*, ad eum modum, quo aqua fontana tingitur a lotis carnibus recenter mactatis, neque periodicus aut legitur, aut observatur. Non ego novi hominem, potius tamen crediderim, ipsius *fluxum* esse *hæmorrhoidalem*, quod de omni *fluxu hepatico* valere cupit BARBETTE *Pr. L. IV. cap.* 6. Hæmorrhides.

§. Ab *errhino* heri usurpato blenna fluidior reddita per totam noctem e naribus Melodidascali manavit, ipso adeo hinc levato, ut sibi renatus videretur, &, die cumprimis serena existente, cum aliquibus nostrum ad *fontem* Jebenhusanum, dimidia hinc hora distantem, pomeridianis horis excurreret. Comitabamur LINETUM cum conjuge nostro fonti valedicentem & *balneas* BOLLENSES adeuntem. Vesperi tamen & post reditum ad promovendam magis blennæ promanationem *errhinum* hesternum denuo attraxit, subsequente mox dolore dextri lateris fere *hemicranico* oculum quoque dextrum occupante, & semet protendente usque ad mentum, dentibus illius lateris a dolore non immunibus. *Oleum amygdalarum dulcium*, it *lac tepidum* ut nare dextra attraheret, oculo vero dextro dolenti *linimentum* ex *mucilag. sem. cydon. c. aq. ros. pallid. & album ov. conquass.* mixtam splenioque illitum per noctem calide applicaret, jussi, (d. 16. *Jul.*) Melodidascalus.

§. Ergaga circa meridiem *convulsionibus epilepticis* tentata fuit, Ergaga.

XV. quod fieri solet, quoties ira commovetur nimia, uti nunc factum. Bibit hodie suas *acidulas*, quamvis minore propter *diarrhœam*, quantitate. Ad oppugnandas autem *convulsiones* ordinavi *mixturam* cochleatim præbendam:

Rec. *Aq. fl. til. cerasf. n. rut. an.* ℥ij.
epil. L. hirund. c. castor. an. ℥ß.
spec. cephal. ℈ij. *liq. C. C. succin.* ℈j.
sir. fl. pœon. ℥ß. *M.*

Vertex nucha & *tempora* inungantur *balsamo* nostro *antispasmodico* jam sæpius allegato & descripto. Circa vesperam *convulsiones* emanserunt. Compertum quoque fuit hodie, cur ab *acidarum* potu *diarrhœam* tam enormem passa fuerit heri hæc ægra. Nam, cum *pruna Damascena decorticata* & *enucleata*, quæ domo secum attulerant, pro coctura petituri essent, ecce, capsa in qua recondita fuerunt, propemodum evacuata reperta, quarum itaque copiam non pœnitendam clam assumserat ægra, Facile autem concipi potest, unde *diarrhœa* exstiterit, nempe ab incondita & incongrua miscela *prunorum* cum *acidulis*. (d. 16. *Jul.*)

Conistri *uxor.* *Mensium suppressio.* §. Conistri *uxor* 34. circ. annorum, aliquot liberorum mater, nunc a triennio fere semper valetudinaria, *melancholica*, *fluore albo* vexata, *mensibus inordinatis* laborans, qui interdum per 6 vel plures septimanas emanentes, postea cum summo dolore redeunt vel confertim, vel cum substillo ad plures dies durantes, nunc iterum ejusmodi doloribus cruciatur, & petit *mensium promotionem*, quam effectui dare conatus sum medicamento simul leniente, lubricante & moderate pellente:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. artemis. r. an.* ℥ij.
R. succin. ʒj. *M.*
D. cochlearia duo singulis 2. l. 3. horis, prius vasculum bene concutiendo. (d. 24. *Jul.*)

Conistrus. *Browne Religio Medici.* §. Conistrus ipse vir eruditus & in *theologia* cumprimis *mystica* versatus, mecum discurrebat de libello quodam ante circiter 30. vel plures annos edito, auctore BROWNE ANGLO, cui Titulus, *Religio Medici*; ibique multa egregia contineri dicebat. Verum est, & si quis libellum pervolvat, prima fronte nescio quid solidi in eo se reperisse putat. Enimvero *latet anguis in herba.* Latet *indifferentismus Religionum.* Latet *Religio quædam eclectica.* Hinc motus quoque fuit B. HÆBERLINUS noster, olim *Prof.* TÜBING. postea *Concionator in templo primario* STUTTGARDIANO, ut libellum dictum refutaret,

ret, ac syrtes, in quas incauti cum animæ detrimento impingere possent, ostendit, Magna igitur cum prudentia legi debet, majore cum prudentia nunquam legitur. Male audiunt hoc nomine cumprimis *Medici. quod erroribus in fide præ aliis exponantur & manus in Theologiam inferre soleant*, quod, suo modo valere potest. Ab eo tempore, quo *Fanatismus* hunc inclytum *Ducatum* conspurçare cœpit, inter *Fanaticorum* postremos *Medici* quidam esse noluerunt; sic, ut *societatem quandam philadelphicam* aliqui erigere non verecundati fuerint. Sed per DEI gratiam & *Theologorum* nostrorum vigilantiam tempore oportuno extirpata fuit hæc *phagedæna*. Multos novi *Medicos*, qui istum libellum manibus suis, cum noviter prodisset, tenebant, allecti titulo de *Religione Medici*. Fuerunt quoque e *Theologis*, qui eo me titulo lacessebant, indeque demonstrare satagebant levitatem *Medicorum* in *rebus fidei*; quibus respondi. Aliud esse, si dicatur *Religio Medici*, quam *Religio Medicorum*; Illud innuere *Religionem* certi cujusdam individui, v. gr. *religionem ipsiusmet Auctoris*, qui libellum scripsit; adeoque totum *Medicorum* chorum non tangere; Minorem enim fuisse BROWNE, quam ut facultas ipsi concessa fuerit, *Medicis* omnibus præscribendi *Religionis* normam. XV.

§. Choriographus sanguinis diathesi *scorbutica* præditus, nobiscum *acidulas* non sine emolumento bibit; cum vero jam diu lassitudinem quandam insignem, cum dolore non acuto sed *gravativo* magis, sentiat, suasi, ut *acidis* quoque *lavaretur* in *balneo*. Diu assentiri recusavit, sub eo prætextu, ne quid *paralytici brachio* demum contingat, sibi enim esse nota quorundam exempla, qui leviter in artubus laborantes a *lavacris mineralium aquarum* demum vel *podagrici*, vel *apoplectici* facti sint. Dixi nil horum esse metuendum, cum *animalium spirituum* quidam torpor in ipso præsupponatur, unde non sufficiens existat in nervos, tendines, musculorumque fibras influxus. Non tamen prius credidit, quam Dn. PELERINUS meæ quoque sententiæ digitum pressisset; Itaque se *balneaturum* promisit. Choriographus.

Fatale quid est in *medica praxi*, quod ægrotorum multi, quos inter rursum *hypochondriacos* pertinaces & suspicaces, cum mulieribus, numero, e sinistro quarundam medicationum eventu *falsissimas conclusiones* in suorummet perniciem eliciant Multi *venæsectionem* pati, *purgantia* haurire, *vesicatoria* sufferre, *clysterem* admittere, pertinacissime detrectant, quod exemplum vel unum allegare norint eorum, quibus hæc talia sinistre evenerunt, commissa tamen hic utplurimum *caussæ fallaciæ*. *Practicus Junior* suis argumentis plerumque parum vel nihil efficit, prudentius itaq; sæpe facit, si, dummodo alia via res expediri queat, neminem ad tale

quid

XV. quid admittendum vi quasi cogere sustineant. Nam si, quod per alias caussas fieri potest, res male cesserit, fiducia in ipsum qualiscumque collocata, si non exspirat, tamen agonizat, (d. 26. *Iul.*)

§. Jebenhusanum *fontem* hodie, quod supra memoravi, cum aliis salutatum ivi. Quid intersit inter has & GÖPPINGENSES *aquas* alibi notatum. Laudandæ sunt *aquæ* JEBENUSANÆ, GÖPPINGENSIBUS non præferendæ. Reperiebam ibi Dn. NEOTTUM, qui subtilitate decantata istarum sc. JEBENHUSANARUM aquarum aures meas vellicabat. Satis responsum. Interim, non admodum subtiles mihi videntur *Philosophi*, qui de *fontium medicatorum* natura & effectibus e solo, solo, inquam, gustu judicant. Offendebam ibi *Pastorem* quendam, qui ternis vicibus GÖPPINGENSES jam biberat, nunc esset Potor JEBENHUSANUS. Quid, inquam, GÖPPINGENSES commeruerunt, ut eas cum Jebenhusanis permutares, facta scil. *permutatione* GLAUCI & DIOMEDIS? Dixit, se ante annum a potatoria cura domum reversum haut longo post tempore ægrotasse. Ergo, repono, GÖPPINGENSES *aquæ* morbi istius Auctores? *quæ, qualis, quanta*? quidsi commiseris *fallaciam caussæ*? Cur non ante biennium ac triennium ab illis ægrotasti? Fatalissimum est fere solis *aquis* GÖPPINGENSIBUS, ut, qui vel ante semestre illas ad fontem biberunt, postea ex quacunque caussa ægrotantes, ipsæ culpam præstare teneantur. Iniquum est postulatum, neminem vel ægrotare vel mori debere, qui GÖPPINGÆ potavit. Cur non idem postulatum ab aliis *fontibus*?

Cryancus. *Alvi segnities.* §. Cryancus (d. 11. *Iul.*) de alvo constipata querebatur, unde corpus gravari sentiret. Ordinavi *pilulas* noctu sumendas:

Rec. *Extr. cathol.* ℈ß *magist. gial. gr. v. scam. gr. iij.*
F. pil. n. xij. pro 1. dosi. (d. 16. *Iul.*)

§. Inter alios naturæ thesauros etiam *ferri fodinæ* in hoc inclyto *Ducatu* passim reperiuntur. Transmissæ sunt mihi hodie e *Districtu* Heidenheimensi & Königsbrunnensi *mineræ ferri*, quæ ibidem excoctæ dant *ferrum* exquisitæ bonitatis. Mineræ autem sunt duplices; una in massis grandioribus & vocatur Stueferz/ altera in *graniformibus* & fortasse a figura, vocatur Bonerz. *Minera*, ut ita loquar, *massiva* non procul ab opido imperiali AALA effoditur e fodina RÖTHART dicta, cujus *mineræ* centenarius unus continet a 26. ad 29. libras *ferri* duri & nimium fusibilis. MINERA *granata*, Bonerz effoditur ad pagum Ockenhausen, hor. 1. ab Heidenheimio distantem, cujus centenarius unus continet ℔ 33. ad 36. ferri mollioris & malleabilis, quod vocant molzigtes/ weiches Eisen. Igitur utrorumque *mixtura* opus est, ut

inde

inde fiat *ferrum* notæ debitæ, quæ fit *minera massiva* ;. & *granata* ;. miscendo: Sic enim coquitur *ferrum bonum ad usus varios aptum.*

XVI.

XVI.

NOx fuit serena; Dies antemeridie nubila, pomeridie pluviosa.

§. Melodidascalus hac nocte melius opinione quievit, ac dolor ex oculo dextro magna sui parte abactus fuit. Cæterum *defluxio*, quamvis dolore tolerabili existente, per malam dextram magis versus mentum descendit; & cum *acidulæ* neque per alvum neque urinam rite vacuentur, vesperi quoque deglutiendas dedi *pilulas purgantes*: Melodidascalus.

Rec. *Extr. cathol. gr. xj.*
magist. gial. gr. iiij. scammon. gr. iij.
M. c. elix. propr. F. pil. n. xij. pro 1. *dosi* (d. 17. *Iul.*)

§. Gryanco *pilulæ hesternæ* alvum pomeridie noctis movere cœperunt, & aliquoties moverunt summa cum euphoria, sic ut se toto corpore levatum & longe, quam antea, vegetiorem asserat. (d. 18. Iul.) Gryanco.

§. Ergaga nunc incipit fieri *scabiosa* cum insigni & molesto *pruritu*. Credo id fieri ob constantem fere decubitum in lecto. *Salia* separantur a sanguine maxima sui parte per sudores excludenda, qui corporis motu promovendus erat. Hoc, dum non fit, acris & salsa lympha intra cutim stagnans exanthemata parit. Curiosum est, hanc ægram, ab aliquot diebus *inediam* propterea simulari cœpisse, quod ex appetitu integro non adeo male, quam ipsa videri cupit, esse constituta, judicaretur; interim deprehensa non semel fuit, ingurgitasse furtim, quidquid in buccam venire potest, pane etiam secalino non excluso. Quis malitiam hic non agnoscit? Porro, cum *pruna damascena* vel remota vel consumta fuerint, etiam *diarrhœa* cessat. (d. 18. *Iul.*) Ergaga. *Scabies.*

§. Regenotti *uxor* (d. 13. *Iul.*) heri rursum cancros cœnavit, noctu *cardialgiam* cum *vomitu* passa, quam excipiebat horror per totum corpus, ac dolores lumborum versus pectinem protensi cum *micturitione*; aderant simul *phlogoses*. Cum igitur adhuc sex septimanis a termino partus secundum calculum distaret, de partu anticipaturo anxii fuimus, eo magis, quod alias eadem se instante *partu* sentisse diceret. Ordinavi *mixturam* sequentem ita comparatam, ut nec dolores ad partum provocaret, nec tamen, si tempus adesset, reprimeret, quod in casibus dubiis fieri jubet prudentia: Regenotti *uxor.*

Oooo Rec.

XVI. Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. papav. err. an.* ℥iß.
eff. anod. ℈j. *M. pro 2. dosibus.*

Una statim, altera pomeridie sumatur. Lumbi calide mulceantur *linimento*;

Rec. *Ungu. alth. anod. an.* ℥ß.
Ol. lumbric. ℨij. *M.*

Curatum quoque, ut curru veheretur in opidum ad amicam, & ibi expectaret, quid DEUS exsequi decrevisset, in spe & silentio. Nam in *acidi fontis* diversorio, propter tot hospitum turbas, incommodum erat partum exantlare. (d. 17. *Jul.*)

Coccejus. *Nephritis, Dysuria.*

§. Coccejus, vir annorum 60. plurium liberorum pater & in vino nonnunquam excedens, nunc a longo tempore dolorem sentit in *regione lumbari*, qui, quamdiu torquet, appetitum dejicit; protenditur dolor interdum versus pubem & tunc frequenter ac cum dolore *mingit* urinam cum sedimento pituitoso & arenoso. Ante annum *balneæ* Bollenses levamen haut pœnitendum attulerunt, quas hoc anno repetere constituit, prævia *purgatione*. Amat formam *pilularum*, nec tamen se inde sufficienter moveri asserit. Suasi *balnearum* methodicum usum, & *pilulas purgantes* ordinavi mane per triduum tertia sui parte sumendas, sic enim non esse metum, ne non feliciter ac sufficienter operentur;

Rec. *Extr. cathol. gr.* xxxvj.
magist. scammon. gialap. an. gr. xviij.
M. F. l. a. pil. n. xxxvj. *sum.* xij. *singulis diebus.*

In *balneis* Bollensibus post pastum utatur *tragemate nephriticis* quoque doloribus (quos exprimit ille *lumborum dolor.*) accommodato;

Rec. *Spec. diacret. Myns.* ℥j. *lign. sassafr.* ℈iij.
test. ov. calcin. oc. ♋. *crud. cont. an.* ʒj.
C. alc. philos. ʒj.
elaosacch. fœnic. trag. arom. offic. an. ℥iß. *M.*

Hodie amicissimus Gnomilegus ad me scripsit, judiciumque suum de his *mensibus*, prout a me rogatus erat, candide exposuit: Optime placent *ephemerides* tuæ *medicæ*: si ita publicum visuræ sunt, publicum quoque testimonium nancisceris diligentiæ plane peculiaris in *praxi medica*, & juniori *Practico* manuductionem sane quam fructuosam largieris. Tria tamen monenda habeo; 1. Contractius multo, immo ad dimidium esse

esse potuisse hoc opus. 2. In suspenso relinquo, annon satius esset, uni ægroto intra mensem unum ordinata continuo filo notare, quod juniori *practico* magis esse perspicuum futurum videtur. 3. Ficta nomina omitterem, saltem injiciens mentionem *opificis*, *scribæ*, *Honoratioris* &c. *uxoris*, *Filii* &c. Quæ ad hæc omnia responderim, peculiari schediasmate prodromo, satis explicavi, quorsum Lectorem remitto. Satis interim habeo, quod reliquus labor *Practico* tam insigni probetur. XVI.

§. Rhizodactylus 40. annorum, ante triennium *febre quartana* contumacissima correptus fuit, quæ, cum frequentius recurrisset, tandem in lentam cum metu tabis degeneravit. Succeffit *obauditio* & *effluxus vel puris vel ichorosæ saniei* ex utraque aure, externe simul exulcerata, modo largior, modo parcior, jam a sesquianno, nihil quidquam proficientibus internis & externis *medicamentis*, hactenus multo studio ab ordinario *Medico* adhibitis. Usurpata fuerunt sæpius *purgantia* additis ☿*ialibus*, *pulveres cephalici* & *traumatici*; v. gr.

Rhizodactylus. *Aurium ulcera.*

Rec. *Rad. valerian. C. alc. philos. an.* ℥ß.
ras. lign. sassafr. specif. cephal. M. an. ʒij.
ol. cinnam. gtt. vj. mac. gtt. ij.
sacch. ℥iß. *M.*

It. ad gtt. xxx. l. xxxx. ter in die adhibenda *mixtura*:
Rec. *Ess. trifol. fibr. myrrh. succin. an.* ʒij. *M.*

Item alia cochleatim sumenda cum *aqua ceras. n.*
Rec. *Essent. lign.* ℥iß. *succin. myrrh. an.* ʒij. *M.*

Decocta cum *lignorum* tam alia quævis calida æger aversatur. Commendatum porro fuit *balsamum* de *Copaiba* sub principium mensæ ad gtt. x. ex *jusculo* sumendum, & alia plura. Externe *unguentum diapompholygos* pro litu. *Empl. de lap. calamin.* nunc *empl. de ran. Vig. c.* ☿*io.* Auri ut indat æger cubitum iturus tantillum *moschi*, vel *Zengiberis* cum bombace. Masticet crebro mastichen. Fonticulum brachio sinistro *inuri* curet, diætam probe observet &c. Sed hæc omnia sine effectu. Quæ secum hic acta late recensentur, annuente *Medico ordinario*, immo mihi ipsi ægrum commendante, in *acidulis* GÖPPINGENSIBUS æger exposuit, & simul, quid sentirem de morbo interrogavit. Contraindicans *acidarum* quum nullum adesset, in earum potum statim consensi & reliqua usque ad ocularem inspectionem distuli.

XVII.

XVII.

TOta nox pluviosa. Mane frigidus aër, sed pluvia cessante, nubium tamen perpetuo volumine athmosphæram pererrante, usque ad pomeridianum tempus amœnæ serenitati restitutum.

Regenotti *uxor*.

§. Quamvis per usum saltem dimidiæ partis *olei amygdalarum dulcium* dolores dorsi, *micturitio*, & alia vicini partus signa disparerent apud uxorem REGENOTTI, continuationem tamen *acidi potus* suadere non ausus sum, & de siti conquerenti concessi 2. *scutellas caffé*, cui adsueta fuit. Addixi eam quieti & suasor fui, ut reculis suis compositis, aquarum cura jam alioqui propemodum absolutam *S*TUTTGARDIAM reverteretur, ibi LUCINAM commodius ex pectatura. (d. 19. *Jul.*)

Bohemi *uxor*.

§. Bohemi *uxor* videns me REGENOTTI *uxori* potum *caffé* largiri, idem petiit. Recusavi. Duo enim cum faciunt idem, non est idem. Aliud porro est, intermissis *acidulis*, *caffé* sorbere, aliud hanc sorbitionem calidam *acidulis* vix frigide haustis, affundere. Nullus est simultaneus *acidularum*, cum *thée*, *cafféque* ῥοφήματε, usus.

Canileni *uxor*. *Mensium segnities*.

§. Canileni *uxor* 36. annorum jam ab aliquo tempore affligitur dolore lumborum versus pectinem porrecto. *Menses* non rite fluunt. Anhelat. Subtristis est. *Suppressioni mensium* omne malum adscribens, ordinavi *infusum* nostro more parandum & bibendum:

Rec. *Herb. meliss. fumar. charef. an. mß.*
rad. levist. bryon filic. an. ℥ß.
fl. acac. mj. fol. senn. s. s. ℥iß.
fibr. helleb. n. ʒvj. passul. min. ℥ij.
rad. mechoac. a. turpeth. alb. & gummos. an. ʒiij.
⊖. tart. ʒiij. cass. lign. ʒij sem. anis. ʒj. conc. cont. D.

Absoluto *infuso* mane & noctu sumat xxx. guttas *mixturæ* ex quolibet vehiculo:

Rec. *Elix. uter. Cr. ʒij. ℞. succin. ʒj.*
ess. anod. ℈j. M.

Ungendum, ubi dolet, *unguento anodyno*.

Melodidascalus.

§. *Pilulæ purgantes* Melodidascalo heri ante somnum præbitæ hodie mane demum, sed sufficienter, operatæ sunt. Quærenti, num *acidulas* potare liceret, calidas indulgere non dubitavi. Antemeridie tolerabiliter habuit; sed die ad vesperam vergente dolor & tumor

tumor in *maxilla dextra* ab oculo ad nasum & mentum usque, quasi in momento auctus fuit, cum pulsatione, rubore & omnibus *abscessus* futuri signis, quales jam plures in gingivis passus erat. Imposuimus *emplastrum de meliloto* & desuper sæpe calefactum *cataplasma* e *pulvere spec. emoll.* cum *mica panis albi* & *croco* in *lacte* coctum. (d. 16. *Jul.*) XVII.

XVIII.

XVIII.

Nox fuit serena, & eadem dies fere tota.

Melodidascalus.

§. Melodidascalus præter expectationem bene dormivit, ac *tumor faciei* discuti videtur *cataplasmate*: suasi tamen, ut potaret *acidulas* cœlo favente existente. Cum autem de novo symptomate, scil. *urinæ suppressione* ac *abdominis tensione* hinc exorta querelas ageret; cum primo *acidularum* haustu jussi 2. cusp. cultri de *pulvere* sequenti assumere, quod cum successu factum:

Rec. *Oc.* ♋. *crud. cont. test. ov. calcin. an.* ℥ß.
Tart. ⊖*lat.* ℨi. *M.* (d. 14. *Jul.*)

Bryonia. Tenesmus.

§. Bryonia, mulier 28. annorum, querebatur de inani conatu ad *alvi dejectionem* cum *tenesmo dolorifico*: assumere jussi ℥ß. *ol. amygd. dulcium ex jusculo*. Res ex voto successit, & postero die rursum *acidas* potavit.

Cryancus. Scabrities volæ manus.

§. Cryancus (d. 15. *Jul.*) recensebat, ante aliquot annos a sclopeto exploso sibi læsum fuisse *cubitum* dextrum in BAVARIA; per negligentiam vero primi *Chirurgi* rem eo venisse, ut de *brachii amputatione* consilium iniretur; servatum illud magna industria *Chirurgi* cujusdam RATISBONENSI. Inde vero non tantum invalidiore robore brachium existere, sed insuper volam manus tanta scabritie, *fissuris*, *profluxione materiæ serosæ* limpidæ fœdari, ut chirotheca eam fere semper munire opus habeat. *Litibus* variis interdum cessisse malum, sed illis abdicatis rediisse neque vero se continuo manum pollingere posse. Dixi, ægerrime sublatum iri pertinax & consuetudine diuturna irroboratum malum: suasi autem ut in *acidulis balnearet*, manusque his aquis diligenter lavaret. Domum autem rediens mane & noctu per quadrantem horæ manum immergeret, in *decoctum furfurum calidum*, relicto *furfure*: postea *smegmate* sequenti ex an. *lactis caprilli* & *aquæ fontanæ* calidis uteretur:

XVIII. Rec. *Rad. irid. flor.* ℥iij. *alth.* ℥vj.
gum. tragac. ℥ij. *amygd. excort.* ℥iij.
fl. hyper. sem. cydon. an. ℥j.
F. ℥. *subtilis*; *Postea*
Rec. *Sapon. Venet. ras. & in mortario cum aq. rosar.*
probe pisti ℥iiij. *adde pulveres & manibus cum ol. rosf. probe inunctis formentur globi.*

His *globis* etiam sanata manu præcautionis gratia per totum annum manus lavet, sine immersione in *decoctum furfurum*, nisi præsente *scabritie* & *fissuris*. (d. 22. *Iul.*)

Ergaga. §. Ergaga (d. 16. *Iul.*) rursum levibus *convulsionibus* tentata fuit, & quod mirum, etiam inter illos motus non desiit intonare suum *occide*, quamvis fractis & inarticulatis verbis, quasi linguam regere nescia, v. gr. brium / brium. Jussi dare *liq. CC. succin.* gtt. xxv. scripsi quoque *mixturam* cochleatim dandam, ac pro vehiculo Ræ. ♂. *helleboratæ.*

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n.*
borag. cinnam. cydon. an. ℥iß.
conf. alk. inc. ℥j. *sir. fl. pœon.* ℥iij. *M.*

Et cum ordinarium *tragema* post *pastum* consumtum sit, aliud tale substitui:

Rec. *Trag. arom. offic.* ℥iij.
pulv. cach. qu. inc. ℥ß.
C. alc. phil. succin. a. ppt. an. ℥iß. *M.* (d. 19. *Iul.*)

Limoscalidis *uxor.* *Scorbutus.* §. Limoscalidis *uxor* 36. annorum a juventute *scorbuticis symptomatibus* obnoxia fuit, & quidem illi *scorbuti* generi, quod CHARLETON *scorbutum rancidum* vocat, a sanguine bilioso acri. Crebra *hæmorrhagia*, maculæ lividæ in corpore, *phlogoses vagæ* frequentissimæ, sitis, *pruritus corporis*, *gingivæ sanguinolentæ*, quarum fœdam *hypersarcosin*, quod mirum, sustulit applicatio (das Antupffen) *solius aquæ thermalis ferinæ*, jam ante aliquot annos, sine recidivæ ullo signo, nisi quod in masticatione durarum rerum, v. gr. *panis* adhuc vestigia cruenta adhæreant. Ordinavi *electuarium* mane & pomeridie quantitate nucis juglandis assumendum;

Rec. *Conf. acetosell. cochlear. an.* ℥iß.
cryst. Tart. diaph. 4. *an.* ℥ij.
pom. citr. succulent. integr. conquass. nr. j.
Mixta in mortario dentur ad fictile.

Hoc

Hoc *electuarium alcali volatile cochleariæ aciditate* blanda contemperat, ut inde surgat medicamentum *scorbuto rancido* maxime congruum. Noctu sumantur 6. *pilul.* ex quol. vehic. XVIII.

Rec. *Diaph.* ♃ *al.* ℥iij. ⊖. *acetosell.* ʒj.
ess. trifol. fibr. q. s. F. pil. cxx.
consp. ☿. *sant. r.*

Absolutis his medicamentis *acidulas* methodice bibat, ac vere appropinquante *liquorem betulæ*, quamdiu haberi potest. Ter ad minimum in anno admittat *venæsectionem* largam, & scarificetur singulis mensibus.

§. Parabroti *Filiolus* 10. annorum macilentus, sudoribus obnoxius, semper æstuans & siticulosus, non admodum appetens, de siccitate & amarulentia oris querens, *hectica* metum parentibus incutiens, jussus est *acidularum* curam aggredi. Aggressus est. *Sed acidulæ*, quantumlibet modeste potæ *cardialgiam* & *vomitus* excitabant. Consultus, ab *acidarum* potu abstinendum esse duxi, quum invita natura nil tale conari deceat. Ordinavi mane cusp. 2. cultri de *pulvere* sequenti per se: Parabroti *Filiolus*. *Hectica metus*.

Rec. *Spec. diacr. Mynf.* ℨß.
antihect. Pot. ⦶ ♁ *at. an.* ʒj.
balsamosacch. peruv. ʒij. *M.*

Noctu sumantur gtt. xxv. de *mixtura* ex cochleari *cerevisiæ* [cui adsuetus est) vel vini aqua temperati:

Rec. ~⊖. *dulc. sir. fl. tun. an.* ʒiß. *M.*

§. Bohemi *uxor* dolebat ex dentibus, quod rarum ipsi non est. Dixit, laudatum sibi ab amico *semen hyosciami* prunis inspersum, cujus fumus ore exceptus innumeros albos vermiculos *odontalgiæ* productores, eliciat. Glaucoma esse dixi. Filamenta enim illa e *semine hyoscyami* ipso produci per ignem combusto, vermes igitur non esse; & si inde sistatur *dentium dolor*, id non esse, nisi solius fumi effectum. Quo de videatur inter alios FALLOPIUS *secret. lib. I.* nr. 161. In *Act. Med.* HAFN. *vol. I. Obs.* 114. JEROBÆUS recenset historiam ancillæ, quæ a suscepto *sem. hyosciami* fumo a *dolore* quidem *dentium*, prosilientibus plusquam 50. *vermibus* albicantibus & admodum exilibus, vix fili crassitiem æquantibus, qui statim nonnihil sese interquendo mortui sunt, liberata, sed *vertigine*, *stupore* & *imbecillitate capitis* ex eo tempore correpta fuit. Sed revera sola fuerunt filamenta *seminis hyosoyami* a prunis more alio- Bohemi *uxor*. *Odontalgia*.

XVIII. aliorum corporum teretium contorta, ſicque moveri viſa. Unde enim
50. *vermes* ex uno cavo dente (qualis ibi ſolus deſcribitur) qnamlibet exigui?

XIX.

XIX.

Nox nubila fuit, dies autem mediocris.

Melodidaſcalus, Ergaga.

§. Melodidaſcalus ab aſſumto *pulvere* heri ordinato *ſolvit urinam* & longe mitius degit. (d.20. *Iul.*)

§. Ergaga *convulſionibus* non amplius tentatur. Cantilenam ſuam aſſidue canit, *acidulas*, licet quodammodo invita, bibit, & ſemper aliquoties dejicit. [d.22. *Iul.*)

Æxuri *uxor.*

§. Æxuri *Uxor* (d.21.*M.*) in graviditate ſua jam longius provecta, licet nuper venam ſibi denique pertundi paſſa eſſet, tamen adhuc de *valde moleſta cordis palpitatione* queritur. Cauſſam conjeci in *venæſectionem* nimis parcam, quam adminiſtravit *Chirurgus* quidam *caſtrenſis* ultra 12. *Archiatros* ſapiens. Movemus ita, non promovemus. Sanguis in motum actus magis ebullit, expenditur, vaſa cordisque ventriculos implet, hinc *palpitatio.* Melius propemodum eſt, ſanguinem non mittere, quam juſto parcius mittere. Hinc *Medicum* eſſe *venæſectioni* præſentem, fruſtraneum non eſt, huic namque incumbit, quando deligandum vulnus, determinare. Jam ſæpe mihi numero conigit, ut pomeridie ſanguinem emiſſum explorans *venæſectionem* nimium parcam judicare coactus fuerim. *Sed Chirurgi* novies plerumque ſapiunt. Ego *palpitationi* cordis obviavi *pulvere*, cujus bis in die 2. cuſp. cultri ſumantur ex quovis vehiculo:

Rec. *Diaph* ♃ *al.* ℥j.
CC. philoſ. ppt. matr. perl. ppt.
Cor. r. ppt. conch. pp. an. ʒß. *M.*

Cordi vero *cataplaſma* nobis conſuetum e *ſucc. gran. cherm. ungu. pomato* & *ſantalino emplaſtro* portionibus æquis mixtis & alutæ ſuperlitis: *venæſectionemq;* mox eſſe repetendam dixi.

Rebeci *filiolus.* *Aſtyma ſuffocat.*

§. Rebeci *Filiolum* (vid. 22. *Iulii.*) conſpectui meo ſiſtebant. Poſt *purgationem* & *mixtura* guttas adeo leviter habebat, ut *paroxyſmus aſthmaticus* intra dies aliquot inducias pangeret. At vero puer nudius tertius irritatus tanto corripiebatur *aſthmate*, ut adſtantium quilibet eum non usquam revicturum exiſtimarent. Prævia *tuſſi* reſpiratio ſubito auferebatur cum intumeſcentia & livore capitis ac colli. Caſus erat fere ſimilis illi, quem tradidimus in MISCELLAN. *Part. II. Pag.* 623. *ſ. Aſthma*

ma maxime *convulsivum* omnia indicia probant, nam post paroxysmum aliquamdiu veluti dormiens, quiescit, hinc edit rursum, bibit, ac hilaris est, quasi nunquam quidquam passus; Ordinavi bis in die *mixtura* gtt. vj. in adjecto *vehiculo* etiam scorsim dando, sumendas: XIX.

Rec. *Liq. C. C. succin.* ʒij. ℞. *croc.* ℈j. *M.*
Rec. *Aq. fl. til. hyssop. an.* ℥ij.
∽⊖✱. anis. ʒß, *sir. fl. pœon.* ℥ß. *M.* (d. 29. *Iul.*)

§. Rhizodactyli aures (d. 16. *Iul.*) hodie inspexi; sed, quam erant monstrosæ? duplo fere majores, dextra præcipue, prætumida, rubentes, & serum clarissimum ex innumeris parvis ulcusculis, quasi e siphunculis, stillantes, cum *crustulis* & *furfuribus*, quæ malæ etiam partem occupaverunt; ex aurium cave *pus liquidius* non admodum fetens effluebat. *Auris* externa, totaque helix inungatur *linimento*, quo & imbutum gossypium, noctu cumprimis, utrisque auribus intrudatur, super imposito loco *emplastri de ranis c.* ☿. *emplastro diapompholygos*:

Rhizodactylus. *Ulcera aurium.*

Rec. *Mell. rosat.* ℥j. *croc.* ♂. *adstr.* ʒj.
bals. peruv. ℈ß. *ol. succin. gtt.* iij. *M.* (d. 20. *Iul.*)

§. Regenotti *uxori* (d. 17. *Iul.*) ex *acidulis* domum abiturienti, ne vectura denuo *dolores partus* vel analogos excitaret, ordinavi *mixturam*, cum in via, si quidquam incommodi sentiret, tum etiam domi cochleatim hauriendam:

Regenotti *uxor.*

Rec. *Aq. plantag. meliss. an* ℥ij.
cinnam. cydon.
bals. embryon. an. ℥j. *conf. de hyac.* ʒj.
spec. de gemm fr. ʒß. *sir. fl. tun.* ʒiij. *M.*

Capiat interdum cusp. 1. cultri de *specifico* nostro *physicrato* (d. 7. *Aug.*)

§. Villico *diarrhœam* patienti ac de *dysenteria*, quamvis jam non epidemice grassante sollicito scripsi *tragema* consueto more bis in die cum pane tosto ac haustu vini usurpandum:

Villicus. *Diarrhœa.*

Rec. *Trag. arom. offic.* ℥ij. *gran. act.* ℥j.
pulv stomach. Birkm. spec. diacr. Myns. an. ℥ß.
ol. nuc. mosch. expr. ℈ß. *elæosacch. caryoph.* ℥j. *M.*

XX.

XX.

NYcthemeron hoc turbidum & nubilus velatum.

§. Zeisius adolescens 18. annorum in pueritia sæpe *narium hæmorrhagiam* est passus; nunc autem periodice *hæmoptoicus* est ab aliquo

Zeisius. *Hæmoptysis periodica.*

XX. tempore ſine *tuſſi, vomitu* vel notabili *dyſpnœa.* Deſinente ſanguinis ſputo ad ſua redit, appetitu integro, viribus non fractis. Nec vinum, nec ejus *ſpiritum* impune bibit, *ſputum* enim *ſanguinis* acceſſitur. Nunc ab itinere domum rediens ac ſine dubio ſanguine ob motum nimium in ebullitionem acto, majorem ejus, quam alias, copiam profundit, ſic ut ſputum illud, ob virium diminutionem, moderari neceſſe habuerim. Scripſi itaque *mixturam* ſequentem cochleatim hauriendam:

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥iiß.
bol. arm. ppt. ʒß. *lap. hæmat. ppt.* ℈j.
Sang. Drac. ℈ß. *ſir. de ſymphyt.* FERN. ℥ß. *M.*

Alias hoc ſputum (nempe hujus adoleſcentis) ſoli *plethoræ* adſcribo. ſuppreſſa enim *narium hæmorrhagia*, quod in Juvenibus ſolet, natura ſanguinem per exſcreationem ejicere, adeoque ſe levare, conſuevit. Hinc prora puppisque curæ, non tam, in adſtrictione, niſi ſymptoma urgeat, quam in ſanguinis nimii diminutione vel depletione ſita eſt. (d. 22. *Iul.*)

Melodidaſcalus. §. Melodidaſcalus hodie mane queſtus eſt de preſſione circa præcordia & oriunda hinc aliquali *dyſpnœa*: Cum σᾶσιν lymphæ hæc anxietas matrem agnoſcat, ſudorem prolicui ʒß. ℞. *bezoard.* cum *ſcutella Theæ* hauriendæ; unde gravitas pectoris ita ſublata, ut horis matutinis conſuetis *acidulas* potare valuerit. Pomeridie PELERINUS ipſum viſitavit, & ſuaſit, ut per 4. continuas dies *magneſiæ albæ* doſin aſſumeret, ſic enim fore, ut *acidulæ* moras in viſceribus tra&uræ non ſint. Non improbavi conſilium, ſed cum ea die urina liberrime fluerit, aſſumtio medicamenti dilata fuit.

Eadem occaſione PELERINUS narrabat, Dn. SCAPHOECUM, famæ magnæ *Medicum* jubere, ut potores *acidularum*, cumprimis SELZENSIUM, aquis illis admiſcerent *lac vaccinum* cum *manna calabrina* pura. *Mixtura* hæc mirabilis videtur. Fortaſſe *Domini Auctoris* animus eſt, *lacte vaccino* potentias *acidularum ſalinas* infringere, per *mannam* vero eas magis dejectorias reddere; *Lac* enim ab *acidulis* non coagulatur, argumento rurſum valido, parum illis *acidi*, multum ineſſe *alcali.* Si cui Dn. SCAPHOECUM imitari libet, ei propterea dicam ſcripturi non ſumus. Interim ſatis non habemus *infuſo theæ* & *caffé lac* admiſcere; niſi fiat idem cum *acidulis.* In PRUSSIA & CURLANDIA *lac* cum *cereviſia* coctum in *ardore febrili* potatur, quem potam vocant *Zythotyrum*, Bier-Käs. BOYLE *Dec. lactis* cum *aquæ dyſentericis* potui præbet, quod frequenter imitati ſumus. Nondum adeo ſum ætate provecta, ut commixtionem

lactis

lactis cum *vino* & *spiritu vini* me experturum esse desperem, ne quid commemorem de Buttermilch und Sauerkraut. Veniam hi joci merentur in *acidulis*. (d. 22. *Jul.*) XX.

Litteras accepi a Daxoplusio (d. 21. *Mart.*) sequentia significantes: In sanitate mea parum proficio. Corpore leniter laxato cœpi usurpare ⊖. *viper. volatile* mane & vesperi ad *gr. v.* cum panco *vini* Hispanici: In singulis pastubus haustum sumo *vini absinthitis comp.* quo epoto semper insigniter langueo, contabesco, color antea vividus in pallorem mutatur, tumor pedum, siccitas oris, lassitudo spontanea, narium obstructio, dolor abdominis & lumborum, venter olim tumidus, jam gracilis, mala, nescio quæ, portendunt. Morosus & segnis ad omnes functiones existo. Quid consilii? Doxoplusius. *Affectio hypochondriaca.*

Cantilena hæc est, quam mihi diu occinuit vir ille bonus, *hypochondriacus* & *scorbuticus* consummatus, & totidem litteræ semper easdem nænias clangunt & plangunt, hoc solo excepto, quod facies hactenus inter tot symptomata nihilominus florida, labraque corallina nunc livorem induant. Quid inde boni sperari queat? Boni multum, si *hydrops* & *phthisis* in catalogo bonorum locum inveniunt. Languet œconomia animalis tota, humoresque vitales discontinuantur & vappescunt. Suasi, ut ⊖ *e viperarum volatili* uti pergeret mane, vesperi autem *conservæ spagiricæ* ℥j assumeret; reliqua Diætæ, omnia DEO, vitæ necisque arbitro, committeret. Sanitatis perfectæ nulla spes est.

§. Liebevius (de quæ passim) CRAILSHEIMENSES *aquas* adivit. Effectum tempus docebit. Dn. TREGOVIUS nuper suasit, ut *muribus marinis*, a D. VALENTINI in *Musæo Musæorum* descriptis, uteretur, quorum exemplaria tria 2. fl. constantia transmisit. Sunt levissimi, quorum unus vix gr. xv. ponderavit. Liebevius.

Optarim nosse modum utendi. Nam ap. VALENTINI l. c. *Lib. III. cap.* 34. §. 4. laudatur eorum usus *fumigatorius* ad dolores *hæmorrhoidum cœcarum*. Noster autem laborat *fluxu cœliaco*. Cæterum hi mures nil sunt minus, quam mures, sed *ova* potius *Rajæ* piscis, latius descripta a dicto Dn. VALENTINI *loc. cit.* Quid si his ovis carere possemus?

§. Ichtyboli *uxor* in prima infantiâ laboravit *crusta lactea*, quam nimis diu durantem solidarunt illitu *olei dulcium amygdalarum* cum *flore lactis* mixto, intra non multos dies. Orta hinc *ophtalmia* diuturna. Cogebatur misella, quod meipsum vidisse recordor, in Ichtyboli *uxor*. *Ophthalmia.*

XX. in obſcuris ſemper locis verſari, luminis prorſus impatiens, Pater ipſe *Medicus* intentatum nihil relinquebat. *Fonticulus* denique, re nulla juvante, alteri brachio inuſtus, illius lateris oculum brevi ſalvum præſtitit, manente *ophthalmia* in alterius lateris oculo, a qua ſi vellet immunis eſſe, altero quoque *fonticulo* opus erat, effectu feliciſſimo. Poſt annorum aliquot decurſum ambo *fonticuli* ſibi relicti & ex ſiccati & obliterati ſunt, ægra nunc aliquot liberorum matre ab *ophthalmia* hactenus ſalva perſiſtente. Tria nos docet hic caſus I. non impune ſolidari *cruſtam lacteam*, niſi corpore prius *purgato*, & ſanguinis acrimonia correcta. II. *Fonticulos* non eſſe rem nauci, quod *ſpeculatoribus* multis viſum. Exemplum notabile tradidimus in *Miſcellan. Part. II. p.* 405. III *Fonticulos* re bene geſta ſine periculo coaleſcere poſſe.

Eadem dixit, ſe *variolis* laboraſſe, cum *fonticuli* adhuc fuiſſent aperti: durante hoc morbo dictos *fonticulos* cadaveroſum prope fœtorem ſpiraſſe, & ſic ampliatos fuiſſe, ut foramen globulum inſtar *nucis myriſticæ* capere potuiſſet: exantlato morbo, ſquammisque *variolarum* decidentibus & fœtorem periſſe, & foveas in caſcas anguſtias rediſſe.

Rhizodactylus. §. Rhizodactylus non tantum *linimentum* heri ordinatum cum *emplaſtro* ſufferre poteſt, ſed aures quoque notabiliter detumuerunt, ſic ut effectus inde ſperandus exiſtat. (d. 24. *Jul.*)

XXI.

XXI.

NOx & dies ſereni, & hæc valde calida. *Plenilunii* non infauſtus ingreſſus.

Ferveni *uxor*. *Scorbutus*. §. Ferveni *uxor* ſexagenaria ad *fontem noſtrum* Advena, me de *acidarum potu* conſuluit. Querebatur de *torminibus ventris*, *borborygnis*, gravitate & anguſtia pectoris, *dyſpnœa*, in appetentia, *phlogoſibus*, laſſitudine, ſiti, dolore capitis & artuum vago, *ſtomacace*. Dentes vacillabant, gingivæ conſumtæ ſanguine fluebant, os fœtorem teterrimum ſpirabat, quin & *crepitus oſſium* audiebatur. Cum de *ſcorbuto* fere conſummato dubium non ſupereſſet, & potare juſſi & ſuo tempore *balneare*.

De *crepitu oſſium* elegans extat diſputatio Exc. HERTII, *Medici* DARMSTADINI habita GIESSÆ An. 1704. Nec tamen minus ſunt elegantia, quæ tradit Dn. POUPART *dans Memoires de l'Academie Royale des ſciences* An. 1799. p. m 237. ſ. ubi hoc ſymptoma in ſua, id eſt, gallica Lingua vocat *cliquetis d'os*, & aſſerit, ſe in apertura ex confirmato *ſcorbuto*, mortuorum corporum, quæ viva parumper mota talismodi *crepitum* in articulationibus ederent, reperiſſe *epiphyſes ab oſſibus plane ſeparatas*, quæ ex mutuo attri-

attritu crepebant; idque magis observatum in eorum corporibus, qui infra 18. ætatis annum constituti erant, quippe quorum *epiphyses* nondum adeo arcte ossibus adhærebant, a lympha igitur *scorbuticorum* caustica & cathæretica in juncturis accumulata negotio non admodum difficili ab *ossibus* separabiles. Observatum item *ossa* sic ab *epiphysibus* his nudata, duplo, quam par erat, crassiora fuisse. Dn. COURTIAL *Nouveles Observations sur les os* Obs. 8. hunc affectum vocat *Craquetement des os*, ejusque caussam a sola siccitate cartilaginum deducit. XX.

§. D. 28. *Junii* narravimus historiam *filiolæ* LIBERTI, tumorem horridum & insignem in facie ab oculo dextro per genam usque ad collum protensum exhibentis. Rogavimus uxorem FERVENI, eodem cum LIBERTO loco habitantem, *utrum adhuc & quei viveret infantula*? Vivere, sed indies miserius, respondit, memorabilia duo adjiciens. Primum erat valde jucundum *Chirurgi* illius loci tale consilium: Non superesse vel medelam incurabili *tumori*, vel miseræ salutem infanti; Consultissimum igitur esse, ut miseriis indies majoribus expectandis misericorditer subtraheretur, idque commodius fieri non posse, quam aliquot *venarum præcisione*, sic enim suaviter ac insensibiliter misellam exspiraturam, immo indormituram (man solle es durch Aderlassen einschläffen / weil doch sonst nicht zu helffen seye) Christianum sane &, in *quinto Decalogi præcepto* firmissime, si DIS placet, fundatum consilium, quale *Chirurgo* dignius expectari non poterat. Ad minimum hinc apparet, *Chirurgum* istum non adeo strictam fuisse *Decalogi* Interpretem, eamque venarum præcisionem conscientia nil quidquam reluctante administraturam, immo factum tam laudabile in classem bonorum operum relaturum fuisse, tam profunda est maleferiatorum ejusmodi homuncionum sapientia!

Liberti *filiola*, *Tumor faciei.*

Alterum est, quod FERVENI *uxor* recenseret, filiolæ matrem adhuc gravidam *secundinam* alius puerperæ intimius considerasse, simulque sua manu dextram faciei partem fricuisse, *tumorem* igitur hanc imaginationi matris unice deberi. Verum est ovum ovo non esse similius, quam hunc *tumorem* colori *secundinæ* humanæ recentis; id vero mirum, cur non remanserit nævus, sed in tumorem successive sublatus fuerit ac etiamnum augeatur? Nota sunt exempla fraga justæ magnitudinis alicubi in corpore per imaginationis affrictum ostendentium; fortasfis & hic natura successive tumorem hunc in *secundinæ* magnitudinem justam augere intendisse. Sed ita conjicimus.

§. Gœppingam nobiscum recepimus Annum 1707. *Academiæ Regiæ scientiarum*, & in ejus *Memoires* p. 126. s. non sine jucunditate le-

 gimus

XXI. mus *examen Chimicum aquarum* VICHENSIUM & *Borbonienſium*. Reperimus ibi chartam cæruleam aquis injectam colorem non mutaſſe, *ſpiritus vitrioli vero inſtillatione rubefactam*, immerſione in dictas aquas *colorem cæruleum* priſtinum *recipiſſe*. Idem tentavimus cum *acidulis* noſtris GÖPPINGENSIBUS. Immerſimus ipſis chartam cœruleam, per totam diem reliquimus, nihil immutabatur; ergo *acidum* his aquis, ad minimum prævalens, non ineſt. Inſtillavimus huic chartæ guttas aliquot *ſpiritus vitrioli*, & ecce actutum pingebatur colore rubro belliſſime incarnato. Hanc exſiccatam denuo immerſimus *aquis acidulis* & per aliquot horas reliquimus. Affirmare non poſſumus chartam recipiſſe colorem ſuum cœruleum intenſum ac cœleſtem, qualis antea fuerat, interim deleta omni rubedine, pallide denuo cœruluit & quaſi *bleu mourant* facta eſt, apertiſſimo rurſum & irrefragabili indicio, *noſtras aquas abundare multo alcali*. Sed & hoc obſervavimus, *ſpiritum vitrioli* ea chartæ cœruleæ parte, quæ jam antea per dictum *ſpiritum* rubore tincta fuerat, rubedinem ipſi quidem rurſus, ſed longe pallidiorem induxiſſe. Chartæ enim cœruleæ inexiſtens *alcali* jam debilitatum fuit.

XXII.

XXII.

Nox & dies ſerena & calida.

Melodidaſcalus. §. Quæritur Melodidaſcalus (d. 20. *Iul.*) præſenti Pelerino, ſe *acidulas* tanto, quam olim, cum effectu non bibere, hoc argumento, quod alias *urinæ* majorem copiam redidiſſet. *Pelerinus* reſpondit, ſe non libenter videre, ſi *acidulæ* per urinam omnes reddantur, cum & per ſudorem & alvum operari debeant, ſi res rite procedat. Opus eſt diſtinctione. Nonnunquam urinæ ſupprimuntur in *acidulis*, neque alvo laxa exiſtente, neque ſudore propulſo, qui effectus adeo non eſt laudabilis, ut potius mala quæque hinc expectanda veniant. Nonnunquam urina pauca redditur, alvo ſimul laxiore exiſtente, vel ſudore largius erumpente, illud ſit corpus vel plane non, vel parciſſime movendo. Hoc nimium & violentius movendo. Interdum urinæ plus effluit, quam aquæ potum erat, quod ubi fit, nec alvus ſuccedit, nec ſudor erumpit. Obſervavimus hoc anno diebus præcipue frigidioribus & pluvioſis Potores plus quam calidioribus minxiſſe; nam ob poros conſtipatos ſudor non ſuccedebat. Obſervavimus aliquos per totam fere diem nihil minxiſſe, noctu autem frequentius ad matulam vocatos eſſe, cætera nullo cum detrimento, quos inter eſt CONISTRUS. Plurimi *Practicorum* nullam medicinarum potiorem operationem eſſe, cenſent, quam *ephidroſin*

nec

nec fortasse falluntur. Hunc in *acidarum* potu qui desiderat, quam commodissime bibit in lecto. Optime autem mihi videntur operari *acidulæ*, si neque sit alvus clausa, nec sudor omnino nullus, nec urina suppressa. Simul autem multum cacare, sudare & mingere frustra desideratur, & una semper operatio pro constitutione subjecti prævalebit alteri. Addimus tamen eundem Melodidasculum a biduo sentire liberiorem & alvi & urinæ fluxum, ideoque non plane frustra potaturum, cum pene de omni prospero successu desperasset. (vid *infra*.) XXII.

§. Cryancus (d. 18 *Iul.*) retulit, se aliquoties domi potasse Egranas aquas, cum aliquot curæ sociis. MOLITOREM *Medicum* omnibus imperasse, ut eum aquarum primo semper haustu de *Cremore tartari*, quantum latior cultri extremitas caperet, assumerent, hinc omnes fortiter quotidie purgatos fuisse. Cui autem hæc methodus probetur? *Egranæ* ob copiam ⊕li ♂. quam in sinu ferunt, per se alvum reddunt lubricam, quid igitur opus additione *Cremoris Tartari*? Et quid attinet, per tres integras septimanas quotidie fortiter ac formaliter *purgari?* quasi hoc esset potior *acidularum* operatio? qui stomachi tonum debilitari, appetitum dejici, ad *cachexiam* disponi, *ocyus dissolvi & esse cum* CHRISTO cupit, si hanc methodum strenue sectatur, voti sine dubio damnabitur. Ne dicam, omni sic potori eundem aptari cothurnum (Sie werden alle über einem Kamm geschoren) (d. 24. *Iul.*) Cryancus.

§. Zeisius a *mixtura* d. 20. *Iulii* ordinata *sanguinem spuere* sensim cessavit, cui ad sanguinem incrassandum ejusque fervorem ac dispositionem ad ebulliendum temperandum ac inhibendum sequentia ordinata; Zeisius. *Hæmoptysis.*

Rec. *Spec. diatrag. fr. pulv. Haly rec. an.* ℥ ß.
rad. alth ☿. ʒ vj.
bol. arm. pp. ⊕. *ppt. an.* ʒ ij. *M.*

Sumat mane & noctu cusp. 3. cultri per se, diu continuat. Bibat *acidulas* curative, vereque futuro, prævi *purgatione*, *liquorem betulæ*, quamdiu haberi potest. Vitet, vinum ejusque spiritum, acria, aromatica, victum pleniorem, iram, motum nimium. Sobrie vivat in cibo ac potu. Secet venam bis in anno, tempore æquinoctiali.

Hic affectus tametsi in censum veræ *hæmoptyseos* adscribendus sit, attamen, si diu duret, ad *phthisin* disponit.

§. De Hardesio supra suo loco memoratum, quod e *vomitu* mulieris *acidas* UBERKINGENSES bibentis judicarit, illas *vitriolo veneris* im-

XXII. imprægnatas esse, me autem id ex effectu *vomitionis* dixisse propterea non bene concludi, quod alias omnes has aquas potantes vomere deberent, & mihi potius illis inesse *vitriolum martis* videri. Interea temporis HARDESIUS fontem illum rursum adiit & curiositate laudabili ductus illius districtus terras penitius introspexit. Reperit autem non procul ab illo vico *mineram martis* longe ditissimam, & quidem, ut ita loquar, massivam, Stufferz / alias multas a mevisas portionibus metallicis longe post se relinquentem; cujus mihi portionem amice largitus est. Quod phænomenon demonstrat, *aquas* UBERKINGENSES esse *martiales*, adeoque minus temnendas.

§. Quam rari figura *calculi* excisi fuerint e *vesica* incolæ STEINHEIMENSIS, ex literis HEIDENHEIMENSIS, DN. HUFFSCHMIDS, supra d. 25. *Martii* retuli. HARDESIUM interrogavi, qui valeret ille vir, & num vulnus per incisionemm factum rite solidatum esset? Respondit nondum esse solidatum; urinam ibi semper adhuc emanare, quamvis etiam via consueta reddatur. Haut ita pridem ipsum esse perpessum circa plagam dolorem insignem, & inde prodisse, obstetricante manu *Chirurgi* HEIDENHEIMENSIS 2. *calculos*, alterum *avellanæ*, alterum *fabæ* quantitate. Vesicam per lithotomiam plerumque ab uno vel pluribus *calculis* liberari certum est, plerumque dico, nam interdum lithotomi, quamvis a præsente *Medico*, ut vesicam studiosissime explorent, neque in ea sabulosi quidquam relinquent, moniti, tamen interdum rem incuriosius agentes, eam non satis everrunt, unde reliqui grandius augmentum denuo capiunt, & in *calculos* recentes coagmentantur. At vero, si maxime illud accidat, tamen rudimenta *calculorum* in *renibus* manere, ibique suppeditata quotidie non materia novi *calculi* generari possunt: Hinc, qui *litothomiam* sunt passi, semper *nephriticis* remediis, ubi tuti esse cupiunt, ut novorum *calculorum* augmenta impediant, utantur necesse est.

Abati *uxor*. *Convulsiones admirabiles*.

§. Nomine alius ægræ me consultum ivit *uxor* ABATI, 40. annorum quæ per discursum sequentia de semet ipsa narravit: Cum omnium primo *menstrua* mihi eruptura fuissent, surrexit in mala dextra *tumor* caput infantile propemodum æquans, quo citius opinione disparente sanguis e *mulieribus* promanare cœpit. Ab eo tempore sensim *admirabiles convulsiones* sum passa, corpus *more saltatorio* in sublime frequenter elatum altitudine viri justæ staturæ, brachia pedesque cum universo corpore jactata, hocque in globum complicatum, matrix pugni magnitudine extra vulvam protrusa collum contortum ut facies retro spectaret. Per sedes denique depositas vis magna *stipularum fœni* (Heublumen)

men) globulique duri cærulei & rubri instar lapillorum quantitate pisa æquantium, aliquando etiam officulum recurvum. Cum hæc tragœdia per aliquot annos durasset, militem postremo, nescio quid ex officina publica petitum propinasse, indeque se restitutam fuisse, quamvis ab eo tempore viribus debilem. Ego hic magici non parum agnosco. XXII.

§. *Examen aquarum* GÖPPINGENSIUM per *reagentia* denuo, præsente HARDESIO institui. Phænomena pleraque jam ante annum visa supra d. 8. *Julii* recensui. Nil hoc anno discriminis repertum, nisi quod ☿*rius* ♎*tus* nullam plane mutationem in aquis exhibuerit, cum ✢ parum efferbuerit, & cum *solut.* ♁. *c.* ♆. comite fœtore, saturatissime lactuerit. *Solutio* ♁. *cum tart.* jam erat corrupta, quod facillime fieri solet.

§. Melodidascalus vesperi denuo *tumorem* dolorificum *in* sinistra *maxilla* sentire cœpit. Mallem ipsum *errhinum* nuper ordinatum usurpare, sed noluit. Impositum igitur, quod jam nuper efficax erat expertus, *emplastrum de meliloto.* (d.23. *Jul.*) Melodidascalus.

§. Ergaga (d.18. *Jul.*) dum prætendit, se ultra octiduum sine cibo & potu perennare posse, clam tamen & panes & alia quævis vesca comedere deprehenditur, irrefragabili malitiæ nota, quod jam supra tactum. Num ipsam subtractione cibi tentare liceat interrogatus, respondi, tuto id fieri posse. Factum per hanc ipsam meridiem. Pransi sunt exclusa illa, qui cum ipsa erant. Sed ficta inedia non per diem solidam duravit, quandoquidem, ut cibos ministrarent, suos vi & imperio, lacrymabunda ac indignabunda compulit. (d. 30. *Jul.*) Ergaga.

XXIII. XXIII.

NOx nubila. Dies ante meridiem usque ad primam pomeridianam pluviosa, hinc mediocriter serena. Madidus *canicularium* ingressus.

§. Ab *emplastro de meliloto* MELODIDASCALUS placide dormivit, *tumore maxillæ* subsidente. Sed hodie *cephalæa* antiqua ipsum rursum vehementius exercuit. (d. 24. *Jul.*) Melodidascalus.

§. Pomeridianis horis accessi *balneas* BOLLENSES uno circiter milliari a *fonte* GÖPPINGENSI distantes atque ad radicem montis nemorosi scaturientes. Ager BEZGERRIEDANUS, mihi transeundus frugum alioqui fertilis, horridum ac tristem præbebat aspectum. Nam paucis ante diebus grandes per tempestatem delapsi grandines frumentum maturitati proximum adeo vastaverat, ut culmi quoque omnes confracti, immo comminuti jacerent, nec stramen ruricolarum usibus aptari posset. *Fontem* BOLLENSEM ipsum quod attinet, aqua illa pellucet quidem, sed in- Balneæ Bollenses

XXIII, ſtar atramenti dilutisſimi, ubi nigredo vix notabilis obſervatur. Sapor eſt *nidoroſus*, ac talis, quem ructus a comeſtis ovorum ad duritiem coctorum vitellis exſpirat. Odor linteaminum, quibus exploſæ bombardæ purgantur, (als wann man Büchſen außbutzet.) Lavandi aquis calefactis in labro inſident; interdum, quamvis rarius potantur, potari tamen ſalubriter poſſe ſum perſuaſisſimus. Puteus ipſe ſatis profundus acrimoniæ tantæ vapores elevat, qui clathros ferreos intra paucos annos in crocum corrodunt. Opinor eſſe *ſulphureos*. Cæterumin examine per ſic dicta *reagentia*, talem ſe aqua exhibuit ante annum, hac ipſa menſis die: *A* ~. ⊕*li* & ⊕ nulla mutatio, a ~⊖ vix notabilis *effervescentia*. *A ſirubo violarum* color eleganter *virens*. *A ſolut. ſacch.* ♄. color primo lacteus, depoſito mox albo ſedimento, liquore tamen turbidulo manente. A *ſolut. aluminis color* leviter *opalis*. *A ſolutione* ♀ vix ſenſibiliter *cæruleſcens*. Idem factum cum *ſolut.* ⊕*li* ♀ quæ poſtero die ſedimentum ſatis copioſum colore ⊕li rom. depoſuit. *Oleum Tart.* ab initio efferbuit parum, colore parum vel nihil mutato, poſtero die ſedimentum album nubeculæ forma, in medio liquoris flocculi albi. Ab *infuſione Lacmi* mutatio coloris nulla, ſaltem vix perceptibilis. A *ſolut.* ♂. cum ebullitione parva dilutisſima *flavedo*, poſtero die ſedimentum *ochreum*, reliquo liquore claro exiſtente; ſuperne *pellicula variegati coloris*. Idem cum *ſol.* ⊕*li* ♂. factum. A *ſol.* ☿*ii* ♎. Color vix ſenſibiliter *opalis*, cum ſedimento albido pauco, ſuperneque tenui, quaſi argentea, pellicula. A *ſolut. Lunæ* liquor ſtatim obſcure turbidus cum aliquali ebullitione verſus *nigrorem* vergens; ſucceſſu temporis vitri parietibus affigebantur *particulæ nigricantes*, quales etiam multæ præcipitabantur ad fundum. A *ſol.* ⊖. *comm.* ab initio levis ebullitio, ſtatim ceſſans, turbiditate opali vix aliter, quam admota aqua ſimplici, cognoſcibili reſtante. A *ſol. ſcor. Reg..* ♁*ii.* ab initio vix obſervabilis *ebullitio*. In medio enæorema e flavo ſubviridulum, reliquis liquor clarus, denique cum vergentia ad nigredinem obſcurus. Ab *infuſione gallarum* primo color ipſius infuſionis, poſtero tamen die obſcurior, verſus ſuperficiem ad nigredinem vergens, cum pellicula tenui. A ~⊖✱. cum ⊖ Tart. ebullitio notabilis colore vix, immo ne vix quidem *opaleſcente*. A *ſolutione* ♀. *c. Tart* primo *ebullitiola*, color parumper *opalizans*, fœtor vix obſervabilis, quæ omnia phænomena de *alcali* fontis teſtimonium perhibent.

Vidi pomeridie hora ſecunda lavandos labro inſidere, me Judice parum congrue, coctione ſcilicet nondum peracta. Præſtaret pomeridie vel non lavari, vel certe quarta demum hora, ſi prandium capitur undecima. *Pleno ventre lavari noxium*. Eleganter HIPPOCR. *l.3. de vict. rat.*

iin

in acut. cap.32. neq; potu, ait, *neq; cibo saturatum lavari æquum est*, & rectissime WEDELIUS *comp. medicam. extemp. sect. II. cap.6.p.m.99. non balneandum est*, inquit *repleto ventriculo, quod chylificationis & balneationis ratio non sit eadem, unaq; cum altera non bene conveniat, hinc commodum balneorum tempus est in genere matutinum*, hora nona (quod tamen in *mineralibus* curative usurpandis non valet.) *& vesperi NB. hora quarta &c.* XXIII.

§. Advenerat hac die *in Balneis* BOLLENSIBUS *scriba* CRELLEUS; Pedibus quidem insistere, sed vix, & ne vix quidem per aliquot passus repere potius, non sublatis pedibus, quam incedere poterat, brachia autem plane erant resoluta & de scapulis pendebant flagellorum ad instar de manubrio suo pendentium; (sie flunckerten hin und her) sic ut ne digitum movere vel sensibiliter posset, Facies erat pallida corpus macilentum appetitus tamen sic satis firmus. Interrogabam, num *colica* laborasset? Negavit & rem totam deferebat itineri pedestri, quod præteritæ hiemis summo ac intensissimo frigore susceperat, dehortationi quoque excubitorum sub porta TUBINGENSIS e qua exierat, maximo suo malo, non auscultans. Nam in eo statim, in quem contenderat, loco, pone fornacem intempestive sedens, artuum tantum dolorem contraxit, ut mane e lecto vix surgere posset; perfrictis tamen *spiritu vini* artubus vigorem tantisper recepit, ut, contranitentibus frustra suis amicis, TUBINGAM pedester reverteretur, ubi *semiparalyticus* diu decubuit; vix autem sibi restitutus cœlo adhucdum valde frigido DURLACUM proficisceretur. Ibi per 14. dies commoratus, & functioni suæ ægerrime præsens, domi manere coactus fuit, *Medici* consilio per tempus bene longum sine successu vivens. Deniq; *balneas* adiit, LONGO-STEINBACENSES milliari parvo DURLACO distantes & olim, ut monumenta ostendunt, frequentatissimas; ibi per octiduum moratus in totalem brachiorum *paralysin* incidit, & nunc solatium in BOLLENSIBUS *aquis* quærit; Ipsius desiderium clementer expleat misericors DEUS. Crelleus. *Paresis.*

§. Linetus (d. 8. *Jul.*) de *vertigine* & capitis gravitate quadam cum *memoriæ labilitate* in *balneis* queritur; & ipsius *uxor* hora post prandium vix dimidia *cardialgia* insigni, sic ut, per breve licet tempus, decumbere cogatur, laborat, quod post cœnam fieri non solet. Promisi, me utrorumque querelas ponderaturum, meque consilio postero statim die affuturum. Cum *lotura* tamen continuare jussi, ac *uxori* suasi, ut ventriculum *emplastro* ac fascia muniret, quoties *balneum* ingredi vellet, idem enim CRYANCI *uxor* non pœnitendo cum effectu GÖPPINGÆ *balneatura* facit. Non enim omnes *balneæ* minerales ventriculo amicæ, hinc raro patiuntur *Medici*, ut aqua supereminea*t umbilico*, scilicet, ne stomachi regio tangatur. Cum enim pomeridie *balneum* Linetus. Vertigo. *uxor.* *Cardialgia.*

non ingrediatur LINETI *uxor*, ideo *cardialgia*, nî fallor, post cœnam non affligitur, quod fit a prandio. Num caussam rite divinaverimus, eventus docebit. (d. 17. *Jul.*)

Elaphander. *Hypochondriacus.*

§. In his quoque *balneis* cum ELAPHANDRUM appulisse audirem, eum adivi, & quei successerint præscripta a me d. 16. *May.* remedia, quæsivi? *Pilulas* se sustinere non potuisse dixit, reliquis autem diligenter usum esse; id tamen mihi asseveravit, se illo urinandi molestissimo *symptomate* non amplius affligi, quod sic satis esse dixi; nam ita liberatum se esse a concepto *diabetes* periculosæ metu, meam autem sententiam, quod *clara illa cum cordis palpitatione conjuncta micturitio, sit hypochondriacum symptoma, confirmavi.*

XXIV.

Nox nubila, mane pluvia, dies cæteroqui mediocris.

§. Rhizodactylus (d. 20. *Jul.*) valde laudat effectum *linimenti & emplastri*, quoad *aurim externam*, fluxum enim ibi penitus sisti, & *tumorem* omnino subsedisse; aurim autem internam adhuc ichorem suum, quamvis longe minori copia, profundere, quin & auditum esse meliorem. Sollicitus tamen vir ille bonus de eventu, quærit, annon, si fluxus plane reprimatur, in auditu vitium timendum esset? Dixi, quod sic omnino, si vitioso sero non alius detur exitus; Cum autem *fonticulus* alteri brachio inustus materiam illam sine dubio sit excepturus, me non sperare, ut quidquam triste auditui accidere queat. Ita multi solent. Ubi lanquescunt, opem petunt, si impetrant, anxii sunt, ne quid pejus inde nascatur. Quid igitur *Medico* faciendum. (d. 30 *Jul.*)

§. Communrcata mihi fuit scheda, cui titulus: Discours von Land-Ständen [*Discursus de statibus provincialibus*] qui prodiit COLONIÆ ap. PIERRE MURTEAU An. 1709. Non sum *Politicus*, nec ea quæ contra *status* ejusmodi proferuntur, satis capio. *Medicum* me profiteor; & cum *Medicos* passim in illo *Discursu* innocenter tangi videam, eorum me defensionem suscipere nemini grave futurum spero. Ita autem *Discursus Auctor.* Medici und Soldaten bringen die Leute um / ohne deßwegen bestrafft zu werden / da es einem andern den Kopff kostet. Item alio loco: Den Artzt consulier ich eher nicht / als biß mir etwas mangelt. Habe ich ihm meine Kranckheit eröffnet / und er sagt: nehmt Pillen ein; Ich antworte aber / Herr Docter / das Pillen einnehmen macht mir nur Grimmen im Leib / ich mag nicht; so kan er mich nicht zwingen / daß ich solche einnehme / ꝛc.

Hæc

Hæc latine ſic ſonant: MEDICI & *milites homines impune occidunt, cum occiſores alii capite plectantur &c.* *Medicum prius non conſulo, quam ægrotare me ſentiam; Cui, ſi morbum detexi, ipſeque dicit: devorato pilulas; Ego vero reſpondeo: Domine* DOCTOR, a *deglutione pilularum non niſi tormina pati ſoleo, hinc illas averſor, tum ipſe me ad aſſumtionem cogere non poteſt*, &c. Primum quod attinet, *Medicos nempe homines impune necare*, novi quidem ſcurrile diverbium, novi ſimul calumniam & diffamationem. *Politicus* ille, quisquis eſt *Auctor Diſcurſus*, noſſe debebat e ſuo jure, falsſimum eſſe, quod ſcribit. *Quidquid* MEDICUS *per imperitiam commiſit, imputari ipſi omnino debet*, ait ULPIANUS *nec prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo innoxium eſt L. illicitas 6. & L. ſi ſervus 27. §. ſi calicem 18. D. ad L. Aquil. Imperitia culpæ annumeratur: & jam olim actio in tali caſu data eſt in* MEDICUM *Affinibus cujusdam Iuvenis, teſte* GALENO: *& tametſi non plectantur pœna Legis Corneliæ de ſicariis, quia dolo non occidunt, extra ordinem tamen puniuntur, non corporali aut capitali pœna, niſi caſum forte circumſtantiæ ita exaggerant, ſed arbitraria in Conſt. Criminal.* CAROL V. Exilio quaſdam vel interdictione Medicinam impoſterum exercendi punitos exemplis docent *Iul. Clarus, P. Heigius & alii.* Fuſtigatione vel relegatione pro Judicis arbitrio puniendus eſt ille, qui medicinam minus convenientem & ſalutarem ex imperitia præbendo mortem cauſſatur, *ex Conſtit. ſupra dicta* CARPZOV. *Prax. rer. crimin. Part. I. qu. 15. §. 24.* Legimus equidem illud PHILEMONIS apud STOBÆUM; *Id ſoli Medico & Advocato licet, occidere ſine ſuo periculo*; Legimus ap. PLINIUM *Lib. 25. cap. 1.* dicentem, *de Medicis nullam eſſe legem, quæ parint inſcitiam capitalem, &c.* Sed calumnias eſſe cum ſupra e juris promtuariis oſtenſum, tum pasſim contrarium a JCtis docetur, mortem nempe ægri ex *Medici* inſcitia recte imputari: uti ex ALPHETRO *ICto in l. ſi ex plagiis 53. ad Leg. Aquil.* allegat Pet. Greg. Tholoſanus *Syntagm. jur. univ. Lib. XVIII. cap. 25. §. 6.* Quamvis igitur, qui duntaxat cauſſam mortis præſtitit, *Aquilia* non teneatur per *Inſtit. de leg. Aquil.* 7. §. 6. ut nec is, qui caſu occidit, ſi modo culpa ejus nulla inveniatur. § 3. ut adeo, qui hominem occidit, ſi non occidendi animo hoc admiſit, abſolvi posſit ab homicidio ac latrocinio, per *Reſcriptum* Hadriani Imper. quod extat *ff. ad Leg. Corn. de Sicar. & Venef. §. 3.* Revera tamen ſcire debebat *Auctor Diſcurſus* (quem *Iuris-peritum* eſſe ſuppono) eum qui cauſſam mortis præſtitit, in factum actione teneri, definiente Celſo, *cit. Leg. 7. §. 6. ff. ad Leg. Aquil.* quin imo ſi quis per vim aut ſuaſum medica- XXIV.

XXIV. dicamentum alicui infuderit vel si eum unxerit malo veneno, lege *Aquilia* teneri, *per Leg.* 9. §. 1. *ff. ad Leg. Aquil. vid.* DEUSING. *Dedic. ad Dissert. select. p.* 20. *seqq.* Quid? si Legum vigore (*vid.* REIES. CAMYP. *eliis. qu.* 22. §. 15.) imperito *Medico*, si ægros curandos suscepit, capitale sit, quamvis forte curaverit? Heist das: Medici bringen die Leute um/ ohne deßwegen bestrafft zu werden? quis *Auctor* sit *Discursus* nec scio, nec scire desidero, si vero ipsum *Medicus* occideret, illiusque hæredes *Medicum* cædis convincere possint, vix credo *Medicum* impune laturum. Si dicant: non facile convinci posse *Medicos*; ego rursum regessero: quid igitur incusas *Medicos*, (& quidem in genere. Medici bringen die Leute um.) Si eos convincere non potes? *Si accusare sufficeret, quis innocens esset?* Toti igitur *Medicorum* choro contra *Discursus* hujus *Auctorem* competit *actio ad satis factionem injuriæ* CARPZOV. *l. cit. p. III. qu* 106. §. 53. Cum, quod effutivit, probare non possit. Ne dicam, quam absonum sit, *Medicos* & milites sub una classe comprehendere, quasi *Medici*, more militum, ad mactandos homines stipendio conducantur, quippe qui non conducti sunt ad perdendum corpora hominum, sed ad servandum, qua ratione de se, quoad hominum animas, loquitur SALVATOR *noster Luc.* 9. *v.* 56. *Medicis* igitur hic ad milites eadem est concordia, quam CHRISTO *ad* BELIALEM. 2. *Cor.* 6. *v.* 15. Cum igitur *Medicum* impune homines occidere falsissimum sit & vere diffamatorium, quadrabit in *Auctorem Discursus*, quod extat *Deut.* 19. v. 16. 17. 18. 19. *Cum steterit testis mendax contra aliquem, ut testificetur contra eum verbum perversum, tunc stabunt duo illi homines, quibus est lis, coram* JEHOVA, *id est, coram Sacerdotibus & Iudicibus, qui fuerint in diebus illis & inquirent Judices diligenter: Et si testis ille est testus mendax, mendacium testificatus est contra fratrem suum, facietis ei, quemadmodum cogitaverat facere fratri suo* &c. Stabo & ego contra *Auctorem Discursus*, quandocunque ipsi collibitum fuerit.

Expendamus porro talitrum alterum, quo frons *Medicorum* petitur. Den Artzt consulire ich eher nicht/als biß mir etwas mangelt rc. Resp. Tametsi forsan *Auctor Discursus Medicum* prius non consulat, quam ægrotare cœpit; Hoc tamen prudentes alii non faciunt. Sollicitum decet esse sapientem quemlibet, non tantum de labefactata sanitate recuperanda, quam integra conservanda. *Medici* officium non tantum versatur in curando, sed etiam præservando, qualis esset *Politicus*, qui *Reipublicæ* nou nisi collapsæ curam haberet? Cui fini ordinantur a *Medico* & petuntur ab hominibus non ægrotis, sed, si non perfecte sanis, tamen in sanitatis latitudine constitutis, *lustrationes vernales*, *autumnales*, *purgationes*, *vena-*

venæsectiones &c. Si non consuli prius *Medicus* debet, quam ubi sanitas jam labem contraxit? Valet etiam hic axioma: *Turpius ejicitur, quam non admittitur, hostis.* Hab ich ihm meine Kranckheit eröffnet/ und er sagt: Nehmt Pillen ein &c. Resp. Ista phrasis: Nehmt Pillen ein &c. non aliunde hausta est, quam e palude *sannionis & scurræ gallici*, MOLIERII *Medicomastigis.* Utcumque vero sit, ægrotorum sane nemo in genere dicere potest, a *pilulis omnibus apud se tormina cieri.* In materia *medica* fere nihil est, quod *pilularum* formam subire non queat, immo soleat. Et, præter *purgantes*, neque has omnes, fortasse nullæ sunt *pilulæ*, quæ *tormina* ciere possunt; immo earum quamplurimæ sedandis *torminibus*, præ *formulis* aliis sunt longe aptissimæ. So kan er mich nicht zwingen &c. Pessime. Quemlibet ægrotum decet, immo si rem rite metiamur, oportet *Medici* imperio semel subjicere, si res ex sententia geri debet. Semet ipsum ægrotus curare non potest, quia non est *Medicus*; igitur, si sanari vult ab alio, velit, nolit, obedire cogitur, nisi *cum insano corpore simul mentem insanam* prodere cupit. Nonne stolidissimus esset, qui jamjam in aquam mergendus alterius opem quidem flagitaret, sed manum liberatori porrigere recusaret? Olim *Medici Imperatorum Imperatores* dicti hodie *servorum servi*, pleniore, quam *Pontificali titulo & jure*, facti sunt; Quo cum ægrotorum emolumento, totus orbis & quotidiana misera *praxis* loquuntur. Plerique ægrotorum cum suo, ich mag nicht/ ad patres abeunt, supervicturi, si *Medicorum* imperio mero se subjecissent. Et quid de iis dicendum, qui mentis compotes non sunt, *phrenetici, melancholici, maniaci, deliri*? Num & his integrum est dicere, ich mag nicht? Non opinor. *Medicorum* igitur ægrotos non cogere posse, ut vel *pilulas* vel alia medicamenta assumant, saltem non est simpliciter verum. ZALEUCI LOCRENSIS lege olim sancitum fuit: *Si quis merum biberit, non jubente* MEDICO, *morte luat supplicium, quod injussus biberit.* Tanti fuit olim, *Medicorum* jussibus parere. Quod *Auctor Discursus*, vult obtinere, per alia similia, missis *Medicis*, illustrare poterat. Nam, si quod est res, dicere licet, ipse de *Medicis* eorumque actionibus, judicat, tanquam *coecus de coloribus. Ne sutor ultra crepidam.* XXIV.

§. Ad abigenda symptomata, de quibus heri conquestus est LINETUS, ordinavi *rotulas* in scatula secum portandas & perfunctorie sumendas: Linetus, *Vertigo.*

Rec. *Spec. diambr. diamosch. d.*
cordial. temp. an. ℈j.
extr. lign. al. gr. xij. conf. alk. c. ʒj.
cons. ros. ʒß. *sacch. in aq. rorism. sol.* ℥iij.
F. l. a. rotulæ irror. ol. anth. gtt. ij. D.

Mare

XXIV. Mane & noctu *vertex* ungatur *linimento balsamico*:

Rec. *Ungu. alabastr.* ℥j. *ol. nuc. moscb. expr.* ʒiß.
ol. majoran. gtt. iiij. rorismar. gtt. iij.
lavend. rut. succin. mac. an. gtt. ij.
bals. apoplect. gr. xv. M.

Cucupham sub adscititia coma gestet:

Rec. *Sumit. majoran.*
fl. ros. r. beton. salv. anth. an ʒß.
succin. a. mastich' sel. an. ʒj.
C. C. ust. ebor. ust. an. ℈iiß.
Conc. cont. D. pro Cucupha.

Uxor. *Uxori emplastrum* pro stomacho, antequam labrum insideret, muniendo, tale ordinatum:

Rec. *Empl. de crust. pan. cerat. stomach. Gal. an.* ℥ß.
malax. c. oleo mastich. & aluta affigatur:

Ad propulsandos reliquos insultus *hystericos, clavum, cardialgiam, vomitus, colicam,* cum domum redierit, semper præsto habeat *pilulas* & *mixturam* d. 27. *Maji* præscriptas, modoque ibi laudato, quoties & quamdiu opus, utatur.

Conistri *uxor.* §. Conistri uxor *mixturam ex ol. amygd. d. & reliquis* d. 15. *Julii* ordinatam invisissima quidem assumsit, nec operatio, quoad uteri purgamenta promovenda, fuit nulla; cum autem stomachus vehementissime refragaretur & non raro post assumtionem vomere cogeretur, necessarium tamen ob varias caussas judicarem, ut reliquiæ cruoris inutilis expellerentur, tentare decrevi *decoctum* quoddam *theiforme*, cujus mane, pomeridie ac noctu 2. scutellæ calide haurirentur, cum vel sine *saccharo*, insequente aliquali motu. Notandum enim est, in *pellendis mensibus*, cumprimis dolorificis, *decocta calida* multum prodesse.

Rec. *Herb. puleg. meliss. matricar. salv. an. mß.*
rad. bryon. levist. zedoar. rub. tinct. an. ʒij.
bacc. laur. ℥ß. *croc.* ℈j.
conc. cont. D. ad. chart.

Hujus duo circiter pugilli cum quartario aquæ ferventis parum insuper bulliant, ac ternis vicibus e sex scutellis *theiformiter* sorbeantur. (d. 29. *Jul.*)

Cryancus. §. Cryancus (d. 22. *Jul.*) domum abituriens (manibus per solam *aquam* GÖPPINGENSEM plane sanatis) petiit, ut *laxativum* domi usurpandum ordinarem, cum *elixiri* quodam *viscerali*, digestioni, & temperandæ sanguinis acrimoniæ biliosæ dicatum. Prius tale fuit:

Rec.

Rec. *Extr. cathol. gr. xij.* XXIV.
magist. gial. scamm. an. gr. vj.
cum elix. propr. F. pil. n. xv. de ☉. pro 1. dosi.

Capiat, cum per aliquot dies domi quievit, quia longius est iter, & valde incommodæ viæ. Posterius ita concinnavi:

Rec. *Elix. propr. dulc. ess. trifol. fibr.*
anim. rhabarb. an. ʒij. M.

Sumat cum haustulo vini, non semper, sed quoties opus est, 40. guttas.

Uxori in abitum quoque commendata sequentia: Post quietem domi peractam corpus purgetur: Uxor.

Rec. *Aq. laxat. Vienn. ℥iij. cinnem. ʒj.*
pulv. Cornach. ℈j. sir. de cich. c. rh. ℥j. M. pro 1. dosis

Gestet *cucupham hystericam* nobis consuetam ex *as. fœtid. castor. & succino.* Domi præterea, sine urgente summa necessitate, medicamenta interna nulla assumat, ne curæ GÖPPINGENSIS *hysterergia* impediatur; quam non esse vanum solatium alibi ostendimus. Quum autem sex septimanæ præterlapsæ fuerint, ob metum *hectices*, quo, non sine omni fundamento, affligitur, valde gracilis & complexionis calidæ siccæque mulier, *cura lactis asinini* methodice utatur, cum *gelatina C. C. & ebor.* illa mane & pomeridie, hac in quibusvis pastibus ad cochl. ij. in scutella juris gallinacei dissoluta. Circa tempora *æquinoctialia* denuo *purgetur* & *venam secet* Vitet medicamenta valde calida. *Ardori* & *pressioni stomachi* quoties his exercetur, opponat *Gelatinam cydoniatam* BRUNNERI. Diæta sit humectans & modice refrigerans.

§. Melodidascalus (d. 22. *Iul.*) vesperi summos rursus *maxilla sinistra dentiumque dolores* passus est, quibus obviam itum *cataplasmate* nupero. (d. 27. *Iul.*) Melodidascalus.

XXV. XXV.

NOx turbidula. Tota dies serena & calida.

§. Relatum nobis fuit de TREGOVIO, *Medico* in urbe quadam imperiali primaria, & emporio celebri, quod nunquam mihi de ingenuo *Medico* persuadere potuissem, nisi res clara foret. Mulierem scil. *Patritii* generis ex affectu, nescio quo, diu decubuisse; *Medicum* hunc, ut ordinarium, varia sine successu notabili præscripsisse, accitum fuisse denique *Deglubitorem, medicastrum famosum*, non tantum non contradixisse *Medicum,* Tregovius *Medicus. Carnificis Synergus.*

XXVI. *cum*, multo minus a visitatione patientis ulteriori abstinuisse, sed, quod scribere horreo, *socias etiam manus aptasse suavissimo Collegæ Deglubitori*. An igitur adhuc reliqui illius urbis celeberrimi *Medici* hunc agnoscent sodalem? DEUS *Facultatis nostræ misereatur. Domina in Provinciis facta est tributaria*, *Thren. 1. v. 1. immo triobolare scortum*. Ne scil. hic *Medicus* divitis ac primarii civis sui gratia, & expectandis inde emolumentis excideret, famam suam, cum vita pari passu ambulantem, diffamat, prodigit, prostituit, proterit, conculcat. Cum olim in REGIO BORUSSORUM MONTE studiis operam locarem, Deglubitor quidam cum sociis cadaver vaccæ præpinguis rhedæ suæ impositurus moli fere succubuit: Hoc videntes duo *nautæ* BATAVI, misericordia ducti miseris homuncionibus opitulari decreverunt, sicque juncta opera vaccam protraxerunt; nautæ reliqui intempestive misericordes e societate sua excluserunt, & infames declararunt: quid *Medicus* noster BUDOROSYMMACHUS meruerit, subsumatur. Non sane dignus est, quem limis adspiciat *Medicus* famæ suæ studiosus. Interim dolendum, immo, non satis dolendum, ubique fere locorum carnifices & excoriatores non a fece tantum vulgi, sed ab honoratioribus quoque pluris, quam ipsosmet Medicos fieri; cum tamen, quidquid omnes Medicastri, Chimici, Pharmacopœi, Tonsores, Carnifices, norunt, id omnes *Medicis* primario acceptum ferant, uti verissimæ ETTMÜLL. *Disp. de singularibus Lips. 1663. habita. Thess. 35*. Nam certo certius est, experimenta & singularia *Non-Medicorum* omnia, cujuscunque etiam sint formæ, virtutis & operationis, *Medicos*, tanquam primos *Auctores* solos, ac semper agnoscere, & originaliter provenire a Medicis, ac per tertium, vel quartum, vel plures, aliis esse communicata. Nunquam enim quenquam carnificem opus *Medicum* edidisse vidi. Sua habent ex libris, libri autem sunt *Medicorum* partûs. *Plerumque carnificem* implorat, quod ad carnificem *spectat*, & Medici, qui socias manus carnifici commodant, noscuntur ex socio, neque titivilitio meliores sunt ipso Carnifice. Cape tibi hoc, Domine TREGOVI!

§. Hardesius retulit, *acidulas* per urinas vel potius cum ipsis, propulisse materiam viscidam, per *uretram* ægre, nec sine dolore prodeuntem. Nunc autem mictionem esse liberiorem, quamvis adhuc lumbi doleant. Idem quoque de se alii prædicabunt, nec a me semel observatum, *acidulas* GÖPPINGENSES pepulisse *arenas calculosque* minores, cum summa potantium euphoria.

§. Gre-

§. Grelunzius, vir 40. circ. annorum, minister ecclesiasticus in urbe quadam imperiali, ultra necessitatem bibere solitus, cum *tumore pedum œdematoso* diuturno, *ulcera* denique *dysepulota*, *ichorem* salsum & clarum plorantia in utroque pede accepit. nullo fere modo sanabilia. Denique a *Fabro* quodam *ferrario* nactus *decoctum traumaticum*, illius potu sensim *ulcera* sanari experitur, quibus sanatis in utroque manu *pustulæ* surgunt, grandes, prurientes, immo summe dolorificæ, profundentes eundem ichorem; *Ulcera pedum* denuo repagula rumpentia dant finem *pustulosis tumoribus*, *decoctum traumaticum* consolidat pedum ulcera, redeunt scabiosæ manus, & sic vicissim *redit laboractus in orbem*. Posset ille vir sanari, si sobrietati, quam ventri, litare mallet. Non vult. Metuendus igitur vel *hydrops* vel aliquando pedum *gangræna*. Notum interim est mihi *decoctum traumaticum* sane non inelegans, olim in tota RHÆTIA *Norica* sub nomine deß Schmids-Tränckleins famigeratissimum. *Auctor* fuit *Faber ferrarius* DÜNKELSPÜHLENSIS, constat e novem plantis cum cerevisia decoquendis. Cognita sunt nobis exempla *variorum ulcerum valde rebellium*, quæ inter fuerunt quoque mammarum cancros minitantia, sed brevi & constanter epoto hoc ipso *decocto* persanata. Interim memorabilis est illa metastasis inter manus & pedes reciproca. XXV. Grelunzius. *Ulcera dysepulota.*

XXVI.

XXVI.

Nox clara & serena. Dies eadem cum insigni calore.

§. Cum per has tredecim dies mane semper aquæ GÖPPINGENSIS *pocula sedecim* & pomeridie plerumque sex *cum appetitu summo* bibissem hodie rursum descendere ad pocula duodecim cœpi, brevi, cum DEO, curam finiturus.

§. Choriographus (d. 15. *Jul.*) quum per biduum *dolores in regione lumbari* sensisset acerbissimos, & urina simul ægre succederet, hodie cœpit cum urina quasi membranulas excernere, & sic melius habere. Brachium *rheumatismo* diuturno primo, hinc debilitate movendi cum *ἀναισθησία* affectum robur pristinum per GÖPPINGENSES *balneas* recepit. Choriographus.

§. *Frater* meus *uterinus* quædam de *aquis salsis* suevo-Halensibus ad me scripsit notatu non indigna. *Crystallos* accepit forma *cubica* pereleganti, quam etiam suo adhucdum liquori innatantes scitissime referunt. Ab affusione *acidorum* hæ *aquæ* non effervescunt, cum *oleo Tart. per del.* lactescunt, cum *decocto gallarum* non nigrescunt, *sirupum violarum* post Salinæ Hallenses suevorum.

 moram

XXVI. moram diuturniorem parum *viridescere* faciunt, quod tamen *cum aqua* ♌*llata* itidem fieri asserit. Scaturigo bona tantum est una, plures *fera*, sicut appellant. Puteus est quadratus, profunditate illa, quæ viri justam staturam exæquat, usque ad partem infimam, quæ das Stäblein vocatur, & profunditate 2. perticarum gaudet. Odor *sulphureus* neque percipitur ad fontem, nec in ipsamet exhausta lympha. Nunquam *gelatur*, quiescente licet semper aqua. Crustas nusquam affigit. Quem ordo coquendi tangit, eidem in septimana sexies coquere licet. Quælibet coctura suppeditat frusta e longo quadrata numero sedecim, quæ Schilpen vocare solent, quodlibet frustum pendit libras circiter quadraginta. *Ovum integrum*, *vitellus* nempe cum *albumine* conquassata insperguntur uni cocturæ salis ad consistentiam modo redacti, ut inde granuletur. Ahenis affigitur crusta lapidea gustu quidem acerrima, sed nullo modo solubilis. Nil in istis aquis vel ♂. vel ♀is aut alius *metalli* contineri certissimum est. Ab aliis audivi, *~um ⊖is ex his aquis nunquam ullo cum successu* destillare tantatum fuisse.

Attagenus de Heinsio.

§. Litteras accepi ab ATTAGENO, ubi inter alia, si DOMINO, scribit, *placuerit me rursum aliquando* STUTTGARDIAM *ducere*, *tibi explicaturus essem rationem & modum diuturnæ ac rigidæ curationis, quam sustinui ex ordinatione Medici* BATAVI, *D.* HEINSII, *judiciumque tuum exoraturus* &c. Egregius hic Vir jam olim laboraverat *vertigine hypochondriaca*; quis autem ultimus fuerit ipsius morbus tamdiu ignorare cogor, donec occasio tulerit, ut cum ipso colloquar. D. HEINSIUM vero quod attinet, *panacæarum* & *arcanorum* ipsius fama *Ducatum* quoque nostrum nunc a triennio, instar *morbi Epidemici* invasit & pervasit; sic ut plurimi sub *Medicorum* nostrorum manibus non tam succumbentes, quam ob morborum chronicorum *tam cito*, *quam coquuntur asparagi*, non vincibilem pertinaciam defatigati, ad *aram idoli* illius *miraculosi* KULENBURGENSIS confugerint. Si quæris, quo cum effectu? conscientiam ego meam testor, vel nullo, vel funesto. Sunt in urbe nostra non pauci, qui magnis sumtibus ista medicamenta coëmerunt, partim mortui, partim *cachectici* facti, partim cum iisdem adhuc morbis conflictantes, atque ad medicinas nostras *suevicas* redeuntes. Neminem curatum esse scio. Hinc est, quod *lues* illa *epidemica* per tempus aliquot grassata, uti solent istæ contagiones, sensim decrescere cœperit, denique penitus evanuerit. *Suevos* nostros more BATAVO curare velle stolidissimum est. Clima, modus vivendi &c. Sunt longe diversissima. Faciant ibi locorum tantæ panacææ, quod ab ipsis exigitur, hic neque faciunt, neque facere possunt.

Non

Non sustinent nostri tot repetita *vomitoria*, tot *purgationes*, *elixiriorum*, *essentiarum* 60 70. ad centum guttas; Diæta nostra est *vinosa*, clima calidius, stomachi nil minus, quam BATAVI & quasi urces picati. Longe mitius nostri tractari volunt. Jam vero, quid dicam de imperfectis, immo falsis ægrotorum *relationibus* in loca ejusmodi dissita perscriptis; plerumque enim exteri ejusmodi Medici clam nostris *Medicis* consuluntur, morbique relatio ab hominibus artis imperitis in chartam conjiciantur; *Medicum* extraneum utcumque doctum & prudentem ex ejusmodi relationibus solide de *morbi natura* judicare posse, tunc demum credam, si surdus de concentu musico dextre judicaturus est. Nonne autem ejusmodi *Medicus* suam medendi methodum infirmissime conjecturato fundamento superstruit? Præterea per tot viarum ambages quot modis morbus & symptomata mutari possunt? Si dicendum quod res est, *empirica*, *temeraria* & *valde frivola est illa praxis*, cujus principium est *lucri cupido*, *medium vana promissio*, *finis impostura*. Si *Medico* nostrati bini, *pharmacopolæ* quatuor vel quinque floreni pendendi sunt, bone DEUS, quantæ haut raro querimoniæ? Doctor est insatiabilis, pharmacopæus usurarius, utrique Christiani amoris obliti. KULENBURGUM interim mittuntur simul *Ducati* decem, viginti, triginta & plures, *medicamenta* computrescunt & ægri *morte pretiosa* moriuntur. Habent interea tales *Medici* ubique fere locorum suos pararios & buccinatores, qui, ne soli decepti videantur, alios in detrimenti consortium rapiunt, digni, qui a *Medicis* nostris in summo necessitatis casu deserantur, quos non æque doctos, non æque expertos, prudentes & perspicaces reputant, quam *Medicum* quendam BATAVUM, quasi *suevicus* ager minus, quam BATAVUS bonorum Medicorum sit ferax. Hi buccinatores similes sunt illis, qui a rasore malo tonsi patienter ferunt, ut alios quoque culter obtusus decipiat. Mundus enim vult decipi. Possem adhuc multa proferre de quibusdam decantatissimis *panacæis*, quæ hinc a decennio sub pietatis prætextu toti *Germaniæ* obtruduntur, nisi crabrines me irritaturum metuerem. Nam id genus hominum, quod piissimum hodie videri cupit, idem est maledicentissimum. Omnino tamen tacere functio mea Religioque vetunt. Integræ *pharmacothecæ portatiles* hinc inde divenduntur, *essentiis dulcibus & amaris*, *concentratis* & *minus talibus suffarcinatæ*, creditur *medicamentorum administratio non-Medicis*, *Parochis*, *balneatoribus* & aliis qui, tametsi schedis memorialibus instructi, *pharmacis* illis tamen uti nesciunt quippe theoriæ *medicæ* cognitionisque morborum plane ignari. Tegitur hæc nundinatio pallio pietatis & christianæ charitatis. Qua fronte qua conscientia. An igitur putant illi *nundina* XXVI.

XXVI. *dinatores* omnem ſagacitatem & induſtriam medendi a tota Germania exulare, & ſedem ibi locorum fixiſſe, ubi *pietiſtria* reſidet? Nonne facultas noſtra proſtituitur, dum omnis materia medica in 10. vel 12. medicamentorum carceres includitur, & methodus medendi cuilibet *ſeplaſiario* per *habitum* quaſi *infuſum* communicatur *tam cito, quam vulpes pirum comeſt?* Stolidi ſane poſthac erunt, qui tot ſumptibus medicinæ peritiam acquirere laborant, cum omnis illa plagulis circiter duabus doceri queat; Stolidi; qui officinas inſtruunt, & pharmacorum decuria contenti eſſe poſſunt. Caveat ſibi *tyro practicus* ab iſtis pollicitationum ampullis, & *eſſentiarum* bullis, nec facile fidat medicamento, cujus compoſitionem ignorat. Ingenui *Medici* eſt, alios monere, ut ſcopulos, in quos ipſi toties impegerunt, elidere diſcant. B. noſtrum LUTHERUM alicubi ſcripſiſſe recordor, *circa mundi finem imperium obtenturos eſſe binos diabolos, alterum atheiſticum, alterum enthuſiaſticum.* Vera divinatum eſſe, utinam tempora noſtra non loquerentur! Id vero non in religione ſolum, ſed *Medicina* quoque fieri dolendũ. Regnat in medicina *diabolus atheiſta*, Marte aperto rem gerens, & hominibus thraſonica gloriatione aſam ſuam fœtidã obtrudens; Regnat *diabolus enthuſiaſta*, marte occulto, ſub ſchemate charitatis chriſtianæ & ſanctimoniæ mercenariæ, credulæ ſimplicitati glaucoma ſuffundens. Quam patienter laturi ſint, quod hic ſcribere non veremur, iſti *ſanctuli*, dies fortaſſe docebit. Interea ſecuri dormiemus.

Varioli *uxor.*

§. Varioli *uxor*, (d. 14. *Iul.*) *menſibus* largiter *fluit*, quod demum ante dies quatuordecim æque vehementer factum. Interrogat, num *acidarum* potum continuare diceret? Reſpondi, per biduum circiter a potu abſtinendum. Interim mihi videri *menſes* ob ætatem emanſuros, hinc inordinate fluere, refluere. Suaſi ut brevi intervallo binis vicibus *venam ſecari* pateretur, ſic enim ſymptomata plura mulieres circa finem *menſium* emanſurorum affligere ſolita declinari poſſe; quod eſt ſtratagema *juniori Practico* bene obſervandum. Communiter mulieres, quæ teneris adhuc annis *menſes* pati cœperunt, etiam maturius fluere deſinunt, & contra, quod tamen perpetuæ veritatis non eſt. Cum *menſibus emanſuris* mulieres noſtræ variis moleſtiis afficiuntur, dicere ſolent, ea tamdiu ſufferenda, biß die Mutter abgeſtorben ſey; ſibi ſemper adhuc uterum, tanquam *animal* in *animali* imaginantes. Huic loquendi modo *junior Medicus* non ſine ſuo detrimento contradicit.

Cæterum huic mulieri reditum ad ſuos lares meditanti ſuaſi, ut cruſtæ

crustæ lapideæ a coctura *acidarum* ahenis sensim accrescentis notabilem copiam secum domum reciperet, crustas illas in aqua pluviali coqueret, & adhuc per 4. septimanas brachium suum in illa lavaret, statim post loturam, item noctu prævia frictione brachium ab humero usque ad cubitum ungeret *linimento*: XXVII.

Rec. *Ungu. resumt.* ℥j. *axung. human.* ʒvj.
ol. lumbric. ℥ß ~⊖✱. ʒj. *M.*

Nam revera gracilius est læsum brachium altero, & mulier ista omnia calida, etiam externa, ferre non potest. Brachium semper exerceat, ac domi *purgetur potione consueta*.

Memor hiemis præteritæ ultra modum & exemplum rigidæ ac frigidæ, *pandocheum* nostrum interrogavi, *num tunc temporis aquæ acidulæ gelu constrictæ fuissent*? Negavit hoc unquam factum. Atqui in nonnullis nostris cellis STUTTGARDIENSIBUS vinum satis generosum in doliis congelatum comperimus. Spiritibus igitur magis *acidulæ*, quam ipsummet *vinum*, turgent. Dixit insuper *pandocheus*, *acidulas*, in summo frigore, quasi nebulam exspirantes tactu quoque, tepidiores visas. Quin & hoc ab ipso relatum, haustos e canalibus *acidulas* in terram vel lapidem effusas illico glaciatas fuisse; novo mihi argumento, quod illis admisceantur quidam *sulphurei spiritus* maximæ *subtilitatis* & *volatilitatis*, auffugientes ante, quam aqua effusa pavimentum attigerit. Credo regelatas fatuum saporem adquisituras fuisse. In fonte superno canalis ligneus *aquam acidam* e scaturigine excipiens vi frigoris emotus & in altum sublatus fuit, aqua nihilominus ipsa nullatenus in glaciem concrescente.

XXVII.

XXVII.

NOx clara, dies serena & calida fuit. Hodie bibi decem *acidarum* pocula.

§. Notabilis effectus *acidarum* GÖPPINGENSIUM observatus fuit in FRENGIBULO. Senex hic 66. circ. annorum, immoderate vivens, plurimorum liberorum pater, jam a pluribus annis *asthmate sonoro* fere perpetuo laborat, cum *stertore* eminus quoque perceptibili. Collum est scrophulosum. Cætera bene *appetit* ac *dormit*. Is, quamprimum pocula circiter aquæ tria hausit, *ptyalismo* tanto corripitur, ut sodalitium deserere & aliorsum se subducere cogatur. Os enim continuo pituita viscida adeo scatet, ut vix satis exscreare queat, ac affirmet, se propemodum plus exspuere, quam fontis biberit. Sputo cessante sibi mire levatus videtur, & alacer a *fonte* discedit. Interim nec sudat, nec solito plus mingit, vel per alvum dejicit. Novus & mirus *apophlegmatismus*.

Frengibulus.

Asthma sonorum.

Quod

XXVII. §. Quod heri *fratrem* meum *uterinum* scripsisse retuli, nempe, *sirubum violarum* aliquandiu aquæ destillatæ infusum *viridescere*, statim probavi cum *aqua plantaginis* ♁*llata*, & simul dictum *sirubum* admiscui fonti *acidulo*. Quemadmodum autem cum *aqua acida* post moram haut admodum diuturnam evidentissime *viriduit*, ita cum *aqua plantaginis violaceum colorem* exacte retinuit. Sic, ut existimem *aquam destillatam*, quacum experimentum frater meus instituit, fuisse recentem & *alcali* quoddam *volatile* plantæ, cujus erat, secum rapuisse. Nam *sirubum violarum* cum *aqua alcalico sale* plane destituta *viridescere* verisimile non est. Cum aqua fontana facilius crediderim, siquidem multæ earum, & has inter STUTTGARDIANÆ nostræ pæne dixerim omnes, *alcalica* sunt naturæ.

§. Dn. D. KECK, *Physicus* HEIDENHEIMENSIS narravit, prope *Fontem regium*, seu KÖNIGSBRONNAM, cænobium nobile, haut procul ab invicem scaturire *quatuor aquas profluentes*, & has inter celebrem esse fontem, qui appellatur Löhres-Brunn. Per totam annum semper siccum, nec nisi imminente annonæ caritate scaturientem. Aliquot ab inde leucis ejusdem ominis fons reperitur in *esurina valle*, Hungerstahl / qui propterea vocatur *fons esurinus*, Hungersbrunn / nunquam, nisi quam imminent anni frugum steriles, scaturiens, quem his ipsis meis oculis vidi. Alius quidam fons prope KÖNINGSBRONNAM scaturit, qui dicitur *fons Piperinus*, Pfefferbrunn / cujus aqua tanta prædita est acrimonia, ut ab ea quernæ trabes, molendinis adhiberi solitæ temporis non admodum diuturno spatio plane exedantur. *Pisces* e fluvio BRENTA vicino in hunc rivum aut fontem delati visu statim orbantur De his fontibus curiose plura *Exc.* noster CAMERARIUS *in obs.* 141. *Dec. III. Ann. II. Eph. Cur.*

Filiregenus. *Cephalalgia. Nephritis.* §. Filiregenus *cephalalgia* & *nephritide* fere continuo afflictus, Vir annorum quadraginta, vix per octiduum aquis nostris potatis a doloribus liberatus est. Tum vero curæ filum abrumpere quum decrevisset, multis, id ne faceret, argumentis ipsi persuasi. *Nam in medio cursu desistere, non bonum, plura non cœpisse melius.* Obtemperavit consilio, sine dubio id non nisi salutare fuisse, peracta cura experturus. Δεῖ τὰς χελώνας φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν, *græcorum* est proverbium, germanico more sic sonans: Man solle eine Sache entweder recht thun / oder bleiben lassen. Quod ubique, præsertim autem in *acidarum potu*, sibi locum vendicat.

Egerticulus. §. Egerticulis (d. 1. *Iun.*) dum hic methodice bibit, appetitu miro cum ad omnes cibos, tum præcipue *carnes* rapitur, quas domi vel

ob

olfacere non poteſt. Idem mihi obſervatum in B. BONACIOLO, qui nunquam domi carnes aſpicere dignatus eſt, ſingulis autem annis appetitum ad carnes GÖPPINGÆ ſub *acidarum* cura recepit, domumque reverſus aliquandiu, ſucceſſive rurſum evaneſcentem, retinuit. In pluribus has aquas bibentibus mihi tum hoc anno, tum præcedentibus obſervatum, quod *appetitum* adeo ſibi augeri faſſi ſunt, ut per paucos dies hic morantes, vix prandendi temqus expectare potuerint. XXVII.

§. Melodidaſcalus (d. 24. *Jul.*) voti nondum GÖPPINGÆ damnatus, *acidulas* nunquam bibiſſe optat, ſe enim acerbius, quam antea, ex capite dolere. Dixi, ne deſiſteret, majus enim in hoc eſſe periculum. Solatus ſumeum *hyſterergia*, ſed aures huic ſolatio, quod einen Hofftroſt appellabat, nullo modo commodare voluit, curam tamen abſolvere conſtituit. (d. 29. *Jul.*) Melodidaſcalus.

§. Bohemus cum *uxore* & CHORIOGRAPHO in pagum vicinum vectis, in diæta multipliciter errantes, nimium bibentes, *lactucas* etiam *aceto* & *lardo* conditas comederunt. Factum id heri. Domum ad noſtras *acidulas* reducti, poſtero die, id eſt, hodie, diætæ extra orbitas vagantis pœnas *cephalalgia* luere coacti fuerunt. Nihil me magis coquit in *acidulis*, niſi dum Potores contra regulas diætetices peccare cum cordolio cerno. Sic enim frequenter aquis cauſſa, quæ diætæ incongruæ debebatur, acceptum fertur. Bohemus.

§. Ergagæ *pediſequa* de *aurium tinnitu* ac *obauditione*, ab eo tempore, quo hic appulit, querebatur. Mane jejunæ *granum maſtiches* purum pro *maſticatorio* commendavi. Hinc mane & noctu gtt. xxx. *mixturæ* ex quolibet vehiculo hauriri volui: Ergagæ. *pediſequa.* *Tinnitus.* *Obauditio.*

Rec. *Eſſ lignor. ſuccin. an.* ℥iß. *M.*

Bombacem *aquæ* ſequenti calide immerſam auribus per totam noctem, interdiu vero aliquoties, ſed per breve temporis ſpatium auribus læſis immitti curavi:

Rec. *Aq card. bened.* ℥j. ⊖. *fraxin.* ʒj.
~⊖✱. ʒß. *M.*

Hoc modo plures reſtitui.

§. Huc venit *opifex* WINNENTHALENSIS, nomine SECIUS. Querebatur vir ille 46. annorum de *cardialgia* & *doloribus Iſchiadis*, & utrum *acidulas* bibere ſit integrum, vel in illis lavari, interrogabat? Annui, corpusque ante curæ aggreſſum *purgare* ſuſtinui: Secius. *Cardialgia.* *Iſchias.*

Rec. *Rad. ar. ppt. tart.* ⊕*lat. an. gr. xv. M.*

XXVII. Sumat ex juſculo digeſtivi loco hodie ante ſomnum, cras autem mane *purgans electuarium*, nobis conſuetum, auctiore doſi.

XXVIII.

XXVIII.

NOx fuit ſerena. Dies eadem & valde calida. Veſperi tonitru. Potata ſunt a me *acidarum* novem pocula mane, pomeridie, uti ſemper per totum curæ curſum, ſex.

Apertura corporum demortuorum.

§. Inter Hardeſium & me diſcurſus formatus fuit de *apertura corporum demortuorum*, quam libenter & cum gaudio ſe ſuſcipere ipſe dicebat. Ego diſtinguendum eſſe reſpondi inter *aperturam privatam*, & *legalem*. Illam, ſi poſſit impetrari, in eis qui ex morbo minus contagioſo deceſſerunt, a nemine, niſi *anatomes* imperito vel alias inerudito negligi, hanc autem ob rationes momenti non minimi a *Phyſico* mei genii & ingenii minime expetendam eſſe. *Legalis apertura* plerumque *Juſtitiæ* cauſſa fit, in corporibus, quæ violentam mortem eſſe paſſa vel palam eſt, vel indiciis haut levibus judicatur. Igitur *Phyſici* propemodum heic ſunt vitæ necisve captivatorum arbitri. Nam ſecundum *viſum repertum* reus a Judice vel abſolvitur, vel plectitur pœna aut arbitraria aut capitali. Nam ſuper mortalitate *vulneris* & an *vulneratus* obierit ex *vulnere* illato, an non, *Medicorum* & *Chirurgorum* judicio ac relatione ſtandum eſſe exiſtimo, tum, quod hoc Judicium videatur potius ad *medicam artem* ſpectare, quam *legalem ſcientiam*; tum, quod peritis in arte ſua credendum ſit, tum, quod hæc opinio ſit communis *Doctorum*, ait CARPZ. *Prax. rer. crim. P. I. qu. 26. §. 24. 25. f.* Quamvis enim *Medicorum* ſententia in judicatam ſimpliciter non tranſeat, quia tale judicium ac relatio recipit probationem in contrarium, *per eund.* CARPZ. *l. c. §.* 47. attamen *Medicis* duobus a tribus de *lethalitate vulneris* deponentibus magis in foro creditur quam 10. aut 20. teſtibus *non medicis* §. 43. Cum igitur caſus interdum dentur intricatiſſimi, nec in corporibus, præſertim jam, uti quandoque fieri ſolet, ſepultis, iterumque inſpectionis gratia effoſſis fieri ſolet, omnia tam clare pelluceant, ut *Medicus* quantumvis perſpicax hallucinari non poſſit, ſumma cautio eſt adhibenda, ne aut *vulnus* pro *ſimpliciter lethali* pronunciando inſons capite plectatur, aut pro non *lethali* reus perperam abſolvatur, atque ſic utriusque juſtitiæ curſus impediatur. Non ita pridem nobis obtigit exemplum, ubi inſpectio ab alio *Medico* & *Chirurgo* minus *legalis*, & prorſus inepta, occiſori cuidam adeo bene ceſſit,

ut,

ut, cum caput ipsius valde vacillaret, ipse tamen arbitraria pœna puniretur. Nam JCti, quia in inspectione minus rite peracta, facillime falsitas & fraus quæpiam committi, ac fieri potest, ut ex relatione falsa innocens ad mortem condemnaretur; ut hoc evitetur, in tali casu potius extraordinariam pœnam dictare solent. ib. §. 52. Quamvis autem in hoc nostro *Ducatu Physicorum* etiam *legaliter inspicientium* sententiæ non insistatur, sed eorum *visa reperta* insuper ad *Facultatem medicam* TUBINGENSEM remittatur; attamen vel hæc ipsa facultas a falsa & speciosa *Physicorum* relatione seduci, vel, si relationis ineptæ, obscuræ, insufficientis nullitates subolent, *Inspectorum imperitiam* manefestare potest, quæ interdum; an non ex capite invidiæ vel malevolentiæ agere, si velit, possit, hæreo. Dantur & *Rabulæ*, qui nodum in scirpo quærentes in *Medicorum* inspectionibus varia petulanter taxant & vim judicii lati elidere conantur, quod mihi quoque aliquando factum, & in ZITTMANNI *Medicina Forensi* passim videre licet. *Medicus* igitur junior in ejusmodi inspectionibus non tantum cautissimum se gerat, sed curiosissimis oculis omnia diligenter arbitretur, neque faciendum quidquam intermittat, *visum repertum* non festinanter, sed acuratissima cura adhibita, in chartam conjiciat, aliquoties relegat, &, quantum in se est, ne sanguis innocens effundatur, caveat. Ego, ne quid diffitear, mandata de *apertura corporum legali*, in caussa criminali, semper horreo, cuilibet alii, si per functionem liceret, illam provinciam relicturus. XXVIII.

§. Narravit mihi Styropius, filium sibi fuisse decennem, qui vegetus ac sanus domo exiens redierit *dyspnoicus* & mœstus, neque caussam rogatus, quid res esset, fateri volens. Aggravato autem per singula momenta malo, quum *suffocationis* metu non vano territi fuissent, fassum esse, ori suo patulo a puero petulante *fabæ* speciem illam, quæ suilla vocatur, injectam in fauces irrepsisse, ibique adhuc hærere; Tentata omnia nil juvisse puerumque paullo post suffocatum interisse. Corpore aperto in ramo quodam bronchiali dextri pulmonum alicujus lobi *fabam* tumefactam repertum fuisse. Simile exemplum ante 38 annos, cum HEIDELBERGÆ studiis incumberem, in ejusdem ætatis puella, cui ridenti a sui simili *faba* vulgaris in os injecta fuerat, observatum. Scilicet ridentibus aut loquentibus *glottis*, quæ *rima laryngis* pro tegmine inservit, aperitur, hinc injecta tunc ori dictam rimam subire possunt, spiritum intercludendo suffocantur. Unde BARTHOLINUS *Anat. nov. Lib. II. cap. 11. p. m. 444. Provideant*, inquit, *voraces, ne inter epiglottidem & rimulam*

Stiropii *filius. Suffocatio.*

XXVIII. *cibus se insinuet, unde suffocatio prompta, quod in Juveno* HAFNIENSI *vidimus cui lingua bubulæ frustum pondere ℥iß. avidissime ingestum statim spiritum interclusit.* *Emeticis* huic malo occurri potest, id vero mature faciendum.

§. Nürtingæ quidam Scipione flexili circum *lumbos* fortiter percussus, confestim mortuus concidit. Hic erat necessaria corporis apertura. Fissuram in altero *rene* factum suspicor.

§. Alium ibidem locorum ab inflicto *colapho* mortuum corruisse narrabant. Dantur plura exempla. VALLERIOL. *Enarrat. 8. lib. III. p. m. 211. quendam,* ait, *accepi pugno in faciem illiso, mox concidisse.* Simile habet BENIVENIUS *de abd. morb. causs. cap. 110. de duobus Juvenibus inter se litigantibus, quorum alter alapa percussus in apoplexiam statim resolvebatur, dein jugulatus interiit.* Exemplum BENIVENII plane simile recenset HOR. AUGEN. *Epist. & consil. Medicinal. Lib. IX. Ep. 2. n. 20.* videatur FRANCI *Disp. de alap. s. colaph. habit. Heidelb.* 1674. §. 22. Qui denique addit, *caussam hic merito, & in pluribus aliis in concussionem cerebri & spiritus animales rejici.* Non contradixerim, Sciens, quid concussio cerebri efficere valeat, idque edoctus per varios tam veteres quam recentiores historias. Exemplum quotidianum nobis præbet mactatio boum, qui inversa securi frontem petiti statim attoniti corruunt prius, quam jugalentur clunaclo. Attamen & sic *cranii* quoque *contrafissuras* fieri posse, vel *arteriam carotidem externam* conteri rationi consentaneum est. Sic VIDUS VIDIUS allegante AUGENIO *loc. cit. n. 9. Si quis,* ait, *gravi aliquo ictu fuerit vulneratus in capite, credibile est os, vel fissum, vel collisum esse, si homo in terram conciderit* &c. Eleganter HIPPOCR. *lib. de vuln. cap. Lethalia* scribit 1. *vulnera capitis fiunt, aut propter cerebri & illius membranarum divisionem, aut propter commotionem substantiæ cerebri, aut quod vehementia contusionis aliquæ venæ fuerint in cerebrum abruptæ, ac inde sanguis effusus & putrefactus intulerit mortem, aut* NB. postremo, *quod ictâ una parte in alia illi opposita os fissum fuerit* &c. Quamvis, quid alii, immo ipse AUGENIUS contra ejusmodi *contrafissuras disputat,* nobis incognitum non sit. Interim dolendum a *colaphis* repente mortuorum corpora non aperta fuisse, quantum nobis quidem liquet, sic, ut nec in ipsius BONETI tam divite *sepulcreto* quid tale reperiatur, aut si forte contineatur, a nobis tamen vel ob defectum accurati Indicis, vel temporis tam pretiosi, a nobis reperiri non possit. Elegans est DODONÆI 1. *obs.* de quodam, *qui cum baculo crasso ad sinistram capitis partem supra aurem percussus, soporosus factus,*

demum

demum post 14. dies consopitus mortuus est, & aperto nudatoq; cranio secundum longitudinem magnam rimam in osse petroso exhibuit. BARTHOLIN. *Act. Med.* HAFN. *Vol. I. Obs. 48.* mentionem injicit ancillæ, quæ *post inflictam ab hera alapam exinde ira effervescens quinto die fatis cessit.* Ubi ullius aperturæ corporis ne vestigium occurrit, quod revera miror, cum res ad Judicem delata, & inflictrix absoluta fuerit, propterea quod ancilla malo & iracundo animo mortem ipsa sibi consciverit. Quis enim hoc præcise asserere ausit? Exscandescunt mille mulieres litigiosæ, nulla moritur. Apertura corporis poterat, immo debebat, veritatem revelare. Plures *Auctores* allegatos videsis in *obs. 122. Ann. II. Dec. I. Eph. Cur. & Schol.* Hæc, quemadmodum damna, immo mortes per *alapas* recensent, ita morbos nonnullos ex harum inflictu curari passim quoque observatur, quos inter vulgatissima est *mandibulæ inferioris luxatio.* De earum in variis morbis, cumprimis *febribus* fugandis, usu *vid. Ann. II. Dec. III. Eph. Cur. obs. 202.* De *singultu* ita sublato *Ann. I. Dec. III. Obs. 44.* *& de dolore dentium mitigato. Ann. IX. Dec. II. Obs. 192.* XXVIII.

XXIX.

XXIX.

NOx temperata & serena. Dies antemeridie quoque talis, pomeridie tonitru cum pluvia mediocri. Exhausi mane octo pocula, pomeridie more solito sex.

§. *Uxor* CONISTRI *Decoctum* d. 24. *Jul.* ordinatum nullatenus bibere potest, sed cum anxietate magna semper revomit. Idem cum *oleo amygdalarum* nuper factum. Si dixero, aversationem medicamentorum affectui unice & proprie dicatorum, nî subsit animi quædam impotentia, quod sæpissime fieri comperimus, esse pœnam divinam, vix erravero. Quid enim doloribus e *mensium substillo* vel *suppressione* magis accomodatum, quam dictum modo *oleum* & vegetabilium *decocta calida*? Quamvis igitur ejusmodi refractariis hortatibus severis medicamentorum assumtionem persuadere sit *Medici*, si tamen mentis sunt compotes, & aversionem non fictam circumstantiæ significent, cogendi non sunt. Vidi enim hinc effectus non admodum lætos. Ego *pilulas* sequentes mane & noctu numero decem deglutiendas *decocti* vicem subire jussi; Conistri *uxor.*

Rec. *Extr. Zedoar. gentian. an.* ℈j.
Castor. ℈ß. *croc. meliss. an. gr. v.*
cum ℞. *castor. F. pil. n.* LX.

XXIX. Et, cum maritus prædicaret, *uxorem* ab assumtis *laxantibus*, cumprimis autem *pilulis* EMANUELIS, semper melius habere, appetitumque restitui, suasi ut per singulas *menses* ante vel post *lunam novam*, si reliqua consenserint, illas *pilulas* deglutiret. Hæc enim, præ aliis, formula ipsi arridet. Interrogatus quoque, an de *Balneis* BOLLENSIBUS quid boni sperandum esset? cum ipsam mulierem illis uti desiderare conspicerem, non renui: si tamen *mensibus* in illis *balneis* immodice flueret, a lotura cessare *mixturamque* sequentem cochleatim haurire volui:

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥iij.
bol. arm. ppt. lap. hamat. ppt. croc. ♂. adstr. an. ℈j.
laud. op. gr. ij. syr. Coral. ℥ß. *M.*

Cosmetor. *Febris interm.*

§. Cosmetor, vir 40. annorum, peregre adveniens ex me quæsivit, utrum *acidulas* bibere liceret? Jam fere ultra annum *febricitaverat*, *intermittenter* quidem, sed *variantibus typis*, *nunc quotidie*, *nunc tertianarie*, *nunc quartanarie*. Emansit ante binos circiter menses, sed vi, ut arbitror, *amuletorum*. Est facie lurida, totus emaciatus, lassus, languidus, appetitu plane prostrato, semper frigidus, *tument pedum extremitates*. Pressio circa præcordia cum *dyspnœa*. Cœpit *fontem* Libare, sed *vomiturit* & *præcordiis magis angitur*. Dissuasi. Domum reversus sumat mane, pomeridie & noctu 3. cuspides cultri de *pulvere* per se:

Rec. *Spec. diacr. Myns.* ℥ß. *diatrag. fr.* ʒij.
(ob præsuppositam humorum acrimoniam.)
♁. *diaph. conch. ppt. an.* ʒj.
ol. NM. expr. gr. vj. elæos. caryoph. ʒvj. *M.*

Cum primo haustu vini in quovis pastu sumat gtt. xxxx. *mixturæ*:
Rec. *Elix. propr. dulc. ess. absinth. an.* ʒiß. *M.*

Diæta sit congrua. Cum valde contabuerit æger, insuper sit egenus, eum vix evasurum credo. *Calentibus enim quamlibet pharmacopoliis, ubi culina friget, irrita fiunt medicationes.*

Dendronomus. *Melancholia hypochondriaca.*

§. Dendronomus, Religiosus Drypolitanus, 40 annorum, *melancholia hypochondriaca* gradu medio jamdiu laborans ad *acidas* nostras ablegatus fuit. Interrogatus ab ipso de methodo potandi, cum tres ad minimum septimanas requiri dixissem, ipse reposuit, licentiam emanendi a superioribus quatuordecim dierum cancellis inclusam, ulterius extendi non posse. Cui ego, præstat igitur, inquio, domum statim redire, quam curam cum valetudinis majore dispendio abrumpere, meque mirari dixi, quod

quod patriota *Medicus usum salubrium aquarum* non intimius cognitum haberet, ac perspectum. Res eo denique venit, ut moræ diuturnioris a me testimonium, superioribus suis exhibendum, peteret. Difficilem cur me præbuissem? Injunxi potum *acidarum*, siquidem id commode fieri posset, ad ¾. mensuræ nostratis. Noctu ordinarie gtt. xxxx. ℞. ♂. *helleboratæ* ante somnum ex cochleari vini haurire jussi, *alvo constipatæ* 11. vel 13. *pilulis* EMANUELIS occurrendum & post reditum ad suos medicamentum *laxans* adsumendum esse consului. Dici vix potest, quam turpiter se interdum dent extranei *Medici*, suos ad *salubres fontes* ablegando, illis methodum bibendi & vivendi tam a praxi & ratione alienam præscribendo, ut suam in hoc medicationis genere ignorantiam nimium, quantum, detegant, prudentius facturi, si suos ægrotos directioni & arbitrio *Medici præsentis* ac nostratis permitterent.

§. Lucanus *Operator* inter alios *calculos* nobis monstrabat unum satis grandem, quem hisce demum diebus e vesica sexagenarii hominis, viri *Musici* exciderat. Quærebam, an inter anni tempora non distingueret sectiones ejusmodi administraturus; nunc enim nos versari in mediis *canicularibus*! Respondit, sibi perinde esse, nec unquam, si quos hoc anni tempore secasset, damni quid inde exortum se recordari. Ut verum fatear, *canicularium dierum* in climate nostro minor est ratio habenda, quam fortassis in tota *Græcia*, in specie *Insula* Co HIPPOCRATIS Patria. Nihilo tamen secius, si detur optio, neque periculum sit in mora, malim quodvis aliud, quam *æstivum* anni tempus his operationibus destinari. CELSUS dicit, *non omni tempore sectionem posse fieri, sed tantum in vere: hodie autem,* ait, FIEN. *Lib Chir. tr. 9. cap. 10. p. m. 72. fit omni tempore.* Utrum satis bene, dubito. Plerique *Auctores vernum* tempus, quippe temperatissimum, præferunt, in eoque mensem *Majum.* Post *ver auctumnus* reliquis anni temporibus anteponendus. *Vid.* TOLET. *de sect. calc. cap.* 11. *p. m.* 67. Calor æstivus inflammationibus viam sternit.

§. Obortus erat inter amicos discursus de *spectris.* Referebam me in omni vita mea, in tam variis & de *spectrorum* ferocia suspectis locis, in tam longinquis itineribus, nil unquam tale vel vidisse, vel audisse, illius tantum recordari, quod ante hos 40. annos AXYLORYACI contigerit. Media æstate circa crepusculum vespertinum in templo primario audiebantur primo jactus quasi lapidum e summo templi laqueari ad infimam aream deturbatorum, sed, præter sonum, nihil.

Quum

XXIX. Quum hoc per aliquot septimanas durasset, ac a plus quam millibus & memetipso auditum fuisset, illusio hæc *Satanica*, relicto templo, in ædes æditui migrabat, ibique jactibus primis quoque diebus præstigiatoriis domum vehementer turbabat. Fragores nonnunquam noctu percipiebantur quasi ex areolis suis præcipitatorum omnium in culina cujuscunq; materiæ vasorum, mane autem in ordine consueto disposita quæque inveniebantur. Paucis post diebus, *Diabolus* rem serio agere, vasa etiam interdiu confringere, pulverem aliasque sordes ollis ingerere, cibosque cocturæ destinatos conspurcare, & inquilinas mille modis vexare sustinuit, sic ut ædituus de relinquenda statione cogitaret. Tum ipsi incidit, se ante aliquot septimanas intra sedile templi primarii reperisse marsupium e nigro holoserico textum, & domum secum recepisse: rationem porro iniens, ab eo tempore præstigias relicto templo suis ædibus involasse recordabatur. Marsupio ad *Superintendentem* delato, acitoque *Medico* naturalium perito, continebat *imagunculam virilem e radice, quam vocant mandragoram*, scite effictam, quam cognoverunt *magicam*, vulgo Alraun nominatam; quo, una cum marsupio in fossam civitatis (domus enim mœniis superstructa erat) projecto præstigiæ tam in templo, quam æditui domo, evanuerunt. Quod cum retulissem, colloquentium alius narrabat ante triennium in via regia prope MARBACAM nostri *Ducatus* opidum a *Musico* quodam repertam fuisse talis modi *imagunculam* ad columnam imaginis Crucifixi in capsula repositam. Alius referebat, idem ante tres demum septimanas prope, distantem abhinc uno milliari, vicum STARENHEIM a rustico inventum. MATTHIOLUS *in Lib. IV. Dioscor. cap.71. fol.536.* scribit: *In radicibus arundinum, bryoniarum aliarumqu plantarum sculpunt Impostores adhuc virentibus tam virorum, quam mulierum formas, infixis hordei & mili granis, iis in locis, ubi pilos exoriri volunt, dein, facta scrobe, tamdiu tenui sabulo obruunt, quousq; grana illa radices emittant quod fit spatio 20. dierum. Eruunt & eas demum, & adnatas granis radices acutissimo cultello scindunt, aptantq; ita, ut capillos, barbam & cæteros corporis pilos referant.* Idem fit cum radice *Mandragoræ.* Stultum enim est credere, quod BARTHOLINUS *Cent. II. hist.51.* de Credulo vel fraudulento quodam mercatore narrat, ipsum nempe HAFNIAM apportasse *mandragoram* sub *patibulo erutam, cum capite sphærico, &c.* quam ranam exsiccatam fuisse postea compertum est. Adhuc stultius credere, quod *ex urina suspensi hominis sub patibulo homunculi tales efformentur.* Quidquid sit, ejusmodi homunculi sunt aptum subjectum illusionum dæmoniacarum vix ullibi, nisi in superstitiosorum hominum vanis

cordi-


cordibus pedem figentium. Credibile autem horum possessores, se ludos fieri cum animarum periculo sentientes, & sarcina tam calamitosa liberari cupientes, eam in loca sacra, v. gr. *templum* AXYLORIACENSE, projecisse, sive voti hinc fuerint damnati, quod ad firmandos superstitiones credibile, sive non. Vor des Teuffels Trug und Lüst behüt uns lieber HERRE GOTT! XXIX.

§. Servus quidam *Xenodochii* GÖPPINGENSIS haut ita pridem passus est sibi vesicæ *calculum* exscindi. *Pedibus* ab eo tempore *tumere* cœpit, sine *asthmate tussi*, inappetentia &c. Quærit, utrum in *aquis* GÖPPINGENSIBUS *balneare* liceret. Cur non concederem, rationem nullam inveni, provide tamen ut cura susciperetur, suasi.

§. Melodidascalus (d. 27. *Iul.*) hodie *balneum* egressus, *tremorem* inibi se contraxisse & per totam diem enormiter sitivisse quiritabatur. Cum iter domum pararetur, suasi, ut *balneando* desisteret, quod fecit. (d. 2. *Aug.*) Melodidascalus.

§. Rebeci *Filiolus* a medicamentis d. 19. Julii ordinatis de die in diem melius habet, ab *asthmatico-convulsivo* paroxysmo plane liberatus, sic, ut tam citam convalescentiam ipse miratus fuerim. Rebeci *Filiolus*.

§. Hæc dies mihi longe exoptatissima exstitit ob casum sequentem: Vir quidam 35. annorum, qui tibicinis functione bellica, qua ob infirmam valetudinem decenter defungi non potuit, in alium devoluta, GÖPPINGÆ ad opidi portas excubitoris vicem obivit. Is hodie cum D. D. BARDILI *Physico* GÖPPINGENSI ad *balneas* BOLLENSES pedester profecturus, cum collem non admodum altum adscendisset, in plano promeans *apoplecticus fortis* cito corruit. Descendens de equo Exc. BARDILI miserum invenit pronum super facie jacentem & mortuum. Re penitius explorata in memoriam mihi revocabam, quod is ipse mortuus jam ante triennium apud me fuerit, omnibus modis contendens se alere *bufonem* in præcordiis. Quod. ut confirmaret, dixit, se militem in BAVARIA aliquando bibisse e palude insectorum seminiis referta, indeque male habere cœpisse. Cum aurim obvertissem ipsius ori, perpetuam sequentis toni interjecta æquali pausa reciprocationem percepi: Abscessus in corde.



XXXI. Convictu tunc meo, *praxeos medicæ* rationem initurus, utebatur Dn. D. ZACHMANN, *Physicus jam* DURLACENSIS. Eundem vocatum aurim quoque admovere jussi, qui sonum plane talem se percipere affirmabat. Interrogavi *tibicinem*, an semper ac indesinenter ita sonaret, respondebat, id fieri die & nocte, sine ulla intermissione. Pollice deniq; *corporum arteriis* applicato arteriarum cordisque pulsui sonum plane respondere sensi; atque tunc, ô bone, dixi, *bufo nullus ibi habitat: Cur enim non interdum a clamore suo quiesceret? Cur immotus in uno tui corporis angulo maneret? Cur non interdum morsibus interanea tua peteret?* Cor, inquam, *tuum alicubi patitur, quamvis quid, vel unde patiatur, determinare non possim.* Confirmabar in sententia, quod miles fateretur, se ligna foco instruendo, e strue pro Capitaneo suo collecturum ante semestre per violentiorem struis agitationem effecisse, ut aliquot ligna ex alto deciderent, quorum unum *scrobiculo cordis* fortiter allisum fuerit, indeque circa illam regionem se semper aliquid molesti sensisse. Nunc igitur corporis derepente mortui aperturæ licentiam nacti huic operi alacriter accingebamur, Dn. D. BARDILI, *Chirurgi* tres, quos inter *Operator* LUCIUS, LAICHINGERUS & SEIZIUS, ac denique *ego.* Cum de nullitate *ranarum* vel *bufonum* certissimus essem, compuli *Chirurgos*, ut potissimam occupationem in removendo *sterno* collocarent, quo facto, quemadmodum foris abdomen in ventriculi regione nimium; minus autem circa & infra umbilicum tumuisse vidimus, ita statim observatum *diaphagma* ad scrobiculum usque cordis suspensum, *ventriculique*, *hepatis* ac *intestini coli* situm longe, quam esse debebat, altiorem. *Pulmones* cum *corde* in glomeramen justo angustius conglobati jacebant utrisque *costis*, *diaphragmati ipsi*, *spinaq; dorsi* validissime adnati & ægerrime separabiles. Color *pulmonum* erat cineritius, ipsaque substantia, loborum, præcipue sinistri lateris, tota *scirrhosa vomicisque numeri indefiniti refertissima.* *Cor* quærentes prægrande invenimus, *pericardio pulmonibus* quoque hinc inde adnato: dextrum ventriculum amplissimum cum secundum longitudinem ab ista *auricula* basin versus aperuissemus, sanguinis grumis oppletum, flaccidissimum & fragile instar laciniæ reperimus. Sinister autem thalamus valde turgebat, quem, cum cultro eodem modo quo dextrum, discindere cœpissemus, hoc vix impacto *materiæ purulentæ vis magna impetu forti prosiliebat*, ac prosectoris faciem conspurcabat. Rem novam attoniti contemplantes ac plaga majore facta, vidimus *dictum cordis thalamum pure oppletissimum.* *Hepatis, ventriculi & intestinorum* nulla noxa, multo minus in illis quid animati. Egregia sane & rara observatio, *abscessus cordis!* qualem quidem etiam *Paul.* OFFREDUS vidisse dicitur a *Petro* BLAN-

BLANDINO *ap.* HILDAN. *Cent. IV. obſ. 52. p. m. 326.* Sed utinam, præter allegata verba, quid amplius de illo *abſceſſu* dixiſſet! Hiſtoriam noſtræ ſimilem recenſet SCHENK. *Obſ. lib. II. fol. m. 298.* NICOLAUM nempe MASSAM VENETAM in corpore mercatoris reperiſſe *ulcus* ſeu *apoſtema in ipſa auricula & ſubſtantia cordis*, magnetudine ovi gallinacei, qui tamen in vita nunquam de *corde* fuerit conqueſtus. It. de *Bibliopola* VIENENSI, cujus a *ſyncope* ſubito extincti corpus, præſentibus novem *Medicis* An. 1522. apertum exhibuit *Cor plus quam media parte ſanioſum & putredine abſumptum* qui tamen eo, quo obiit, anno, multa & crebra paſſus erat *animi deliquia.* RIVERII *Obſ* 87. *Cent. I.* huc non quadrat, quia nil de *pure.* Plura ex variis *Auctoribus* exempla ſuppeditat SCHENKIUS *ibidem.* Mihi *abſceſſus* ita factus eſſe videtur: A ligno ſuper cordis ſcrobiculum violentius delapſo ſumſit initium circa ſiniſtram auriculam, ubi fortaſſe rimulam alicubi egit auricula ut per ſingulos pulſus cordis iſte ſonus excitaretur, ſucceſſu temporis eroſione latius ſerpente vaſculum quoddam ſanguineum cordis ſubſtantiam e *coronaria* perſepens exeſum profudit ſanguinem in grumum primo, hine *abſceſſum* abeuntem, qui ſucceſſu temporis latius ſucceſſive ſemet expandens paullatim ſiniſtri *ventriculi* ſubſtantiam depaſtus eſt, usque ad ipſam ventriculi cavitatem. Inter hoc tempus miſer vitam egit ſedentariam toto die intra portas urbis excubias agens; Cum autem Dn. D. BARDILI BOLLAM pedeſter Comitaturus collem prope *fontem acidum* JEBENHUSAM verſus fortaſſe citatius adſcendiſſet, adeoque pulmones fortius moveri corque violentius pulſare cogerentur, pellicula tenuis inter *abſceſſum* & *ipſis cordis thalamum* rupta pus confertim in ipſum thalamum irruens ſufflaminato cordis motu ſubitam ſuffocationem excitavit. Si quis autem miretur, totum triennium usque ad mortem conſumi potuiſſe, ei dixero ſubſtantiam cordis, cumprimis ſiniſtri ventriculi eſſe valde robuſtam, compactam nec adeo ſenſibilem; tempus itaque requiri omnino, donec tota, usque in cavitatem cordis, erodatur, quod ipſum quoque Schenkius *loc. cit.* innuit, per hæc ipſa verba: *Putrefactio hæc in exiguo tempore tam validum membrum conſumere non potuit, ſed neceſſarium fuit, diuturnam perſtitiſſe*, priusquam tam nobile membrum, fortiſſimis & duriſſimis villis conſtans, adeo evinceretur. Interitum ſine dubio diſtulit vita ſedentaria, & quod nusquam vel colliculum ſcandere coactus fuerit intra biennium. Nam laborabat quoq; *reſpiratione valde difficili* motusque adeo violentiores omnes fugiebat. Denique, cum usquequaque, etiam ipſi *diaphragmati* fere toti adnati fuiſſent *pulmones*, ab horum motu *diaphragma* ſurſum tractum, eum cum annexo *ſtomacho* & *pulmonibus* ſitum, quem ſupra deſcripſi, obtinuiſſe credo-

XXIX.

 XXX.

XXX.

XXX.

NOx erat turbida ac nebulosa, mane larga pluvia per totam fere diem durans, unde epistomium aquis VILZENSIBUS regurgitantibus in fonte superiori immersum *acidulas* aliquamdiu largitum non est. Antemeridie pocula octo, pomeridie sex hausi, atque hac die ad abitum me præparavi.

Ergaga. §. Postquam Ergaga (d. 22. *Iul*) cum suis næniis indesinenter hucusque continuasset, interim periodus curæ *acidarum* potatoriæ præteriisset, quid nunc sit amplius faciendum, an hic diutius morandum, an penates repetendi & quo pacto inibi vivendum? ut scripto comprenderem rogabar, quod in sequentem sententiam feci: Constitutio morbosa Ergagam ad perpetuum clamorem, ut occideretur non impellit; millies interrogata, utrum quid doleat, vel alio modo sit afflicta valetudine, semper se male habere negat, & quamvis caput sibi nonnunquam obtusum, seque languidam esse viribus dicat, hoc tamen omne ab indesinenti clamore proficisci potest. Pallida semper ab infantia fuit, & macilenta. Pulsus & urina naturales. Appetitus non est languidus. Dormit, quantum ad reparandas vires necesse. Si igitur hic clamor ex morbo procedit, subjectum aliud esse non potest, quam genus nervosum, ubi quidem leguntur & ipsimet mihi nota sunt illorum exempla, quorum lingua per irritatos a materia morbifica vocales nervos ad certa quædam, nec alia, verba proferenda, cogitur. Quale quid apud nostram quoque fieri suadere videntur *motus* varii *convulsivi*, sed quibus ante frequenter obnoxia fuit, quam clamorem hunc ederet. Sunt autem alia quæ tale quid apud nostram agi prohibent. Nam 1. affectus ejusmodi nervorum sunt actus mere involuntarii, & per se certa quædam species *convulsionis*. Quemadmodum igitur per *epilepticum* non stat, paroxysmum pro lubitu accersere, *motus convulsivos* dirigere, &c. Sed iis obedire cogitur, donec sponte desinant: sic & nostra pro lubitu nunquam a clamore desistere posset; Potest tamen, quamvis se posse neget. Inter medios enim clamores ad interrogata scite respondet, inter prandendum vel cœnandum non clamat, ac præterea non certis determinatis, temporibus ac horis, sed quandocunque vult, de variis rebus discurrit; unde necessario conficitur, eam ad hunc clamorem nullo nervorum arbitrio cogi, sed esse actum liberæ voluntatis, cum nervorum motus præternaturales inhibere, in hominis potestate non sit. 2. *Omnes nervorum affectus, ubi vox vel sermo simul afficitur, certos periodos observare solent. v. gr.*

Cla-

Clamor hic inciperet quarta pomeridie, ægra, quantumvis vellet, hanc clamorem vel ab-vel interumpere, aliosve ſermones immiſcere, nullatenus poſſet, noctu hora decima clamor ceſſaret, a decima nocturna usque ad quartam pomeridianam ſequentis diei, ægra prudenter varia loqueretur; hic eſſet *affectus nervorum.* At vero noſtræ clamores nec ſunt certæ diei vel horæ, nec aliûs determinati temporis, quod eſt contra naturam affectuum nervoſorum, qui periodorum legibus tam accurate alligantur, ut *Medicorum* doctiſſimi, nec id quidem immerito, omnes *affectus periodicos* regimini nervorum vindicent. 3. *Clamor hic in uniſono permanſurus eſſet*, quia in *motibus convulſivis* imperium animæ ſuſpenditur, At vero noſtræ verba uti materialiter ſunt eadem, ita formaliter pro lubitu diverſa, diverſæ quoque melodiæ, quod ſupra jam exemplis quibusdam notatum. Ejus igitur clamores ſunt actus liberrimi arbitrii. 4. Denique, ſi nervorum affectus hic locum haberet, *acidulæ ſane noſtræ ſine* effectu potatæ non fuiſſent, quod aliæ obſervationes demonſtrant, cumprimis junctis medicamentis aliis. At vero præter *ſcabiem levem* nihil obſervatum. Cum itaque clamorem hunc non eſſe *corporis affectum*, oſtenſum ſit, porro diſquirendum venit, num ſit *affectus animi*? Pernegat ægra, nec circumſtantiæ ſatis admittunt; in intellectu & judicio nullum vitium. Inter medios clamores quæſtionibus prolatis prudenter ſatisfacit, ſponte diſcurrit de rebus variis, ad ſui cædem ſuos multis, nec vanis perſuaſionibus, invitat, ambigua verba doloſe interpretatur, nec ullo incondito verbo dementem ideam prodit, miſeriam ſuam interdum lacrymabunda plangit, interdum jocatur ac ridet; nec poſſibile videtur, *delirium* ita occultari poſſe, ut nunquam ullo geſtu vel verbo mentis imbecillitas nudetur. Nil igitur ſupereſt, cui clamor ille pertinax adſcribi poſſit, quam *obſeſſio*, *maleficium*, *malitia*. Obſeſſionis nulla ſunt indicia, nec horrenda ſymptomata, nec *exoticæ linguæ*, nec futurorum præſagia, nec arcanorum manifeſtationes, &c. Et Diabolum ſane valde ſimplicem eſſe oporteret, qui nil aliud proferre noſſet, quam illa verba: *Occidite*, *occidite me* &c. Maleficium non adeſt, quum deficiant circumſtantiæ, magice immiſſum nihil vel per *vomitum*, vel *alvum* rejiciatur, maleficiati, ſub alterius imperio degentes, nec tacendi, nec loquendi libero arbitrio fruantur. Nil igitur reſtat, quam totius tragœdiæ *Choragum* eſſe *malitiam*, quamvis remis velisque noſtra contranitatur, nec ullo modo malitioſa haberi velit. Clamare, tacere poteſt, quandocunque vult, ergo per ipſam ſtat, utrum clamare vel tacere præcupiat? Proteſtatur, ſed proteſtatione facto contraria. Vult occidi, XXX.

XXX. timet mori. Manus ipſimet ſibi inferre nunquam intendit, alios cultris ac ſerris adoriri cupientes vel potius ſimulantes aditu ſuo arcet. Mortem optat, mortis media reſpuit. Simulat inediam & clanculum, quod edat, conquirit, quæ res omnes non ſunt coactæ ſed liberæ voluntatis. Interim minime negandum immo metuendum, quod ſi ERGAGA diutius in his clamoribus perſeveraverit, eos in conſuetudinem abituros, viresque corporis, roburque ſanitatis ſucceſſive attritum iri. Novi, qui certis loquendi formulis ſic eſſent aſſueti, ut ipſis invitis exciderent. *Patritius* olim in *Academia celebri* vixit, qui omnibus ſuis diſcurſibus plus centies una die immiſcuit illa verba: Exaudi iſt 8. Tage vor Pfingſten. Cui phraſi, quomodolibet ridiculæ, quum iterum deſueſcere maxime vellet, non potuit, per longam ſcil. conſuetudinem fibris linguæ motricibus ad illa verba proferenda determinatis. Perpetuis quoque clamoribus ſpiritus *vit-animales* prodiguntur, & caput adeo debilitatur, ut dolores, *convulſiones* &c. hinc maxime oriri poſſint. Quid igitur conſilii? Ipſam, dummodo velit, juvari poſſe non admodum dubito; Cum autem ſupponatur cauſſa moralis mihi quidem incognita, ſtatim apparet, *remedia phyſica* eſſe inadæquata, ſed moralia quoque adhibenda. Moralia vel ſunt blanda, vel violenta. Illa ſive *theologica* ſive *politica* ſurdis auribus hucusque narrata. Novit enim noſtra a domeſticis ſuis reverentiam ſibi deberi. Superſunt igitur violenta, quæ præciſe definire meum non eſt, ſed *illuſtris* FAMILIÆ prudentiæ relinquuntur, hoc unum addendo: quamdiu noſtra ſua libertate fruitur, nec diſciplinæ ſeveræ talium, quos revereri cogitur, mancipatur, ut in circum rectæ rationis redeat, nunquam ſperandum eſſe, quod ſalvo ipſius reſpectu, conſcientia duce & impulſore, ſcribo. Interim ipſam diutius in *acidulis* relinquere, vel pharmacorum farragine obruere conſultum non duxi, ſolum id pharmaciæ relinqui exiſtimans, ut medicamentis quibusdam nervinis & roborantibus virium a continuo clamore diſpendium, qua pote, ſarciatur. Sumat mane & noctu ʒß. de *pulvere* ſequenti ex *aqua ceraſ. n. vel fl. til.*

Rec. *Pulv. march. anal. fr. Mind. inc. an.* ℥ß.
C. C. philoſ. C. alc. philoſ. rhinocer. ebor. foſſil. an. ʒij.
cryſtall. ppt. ſuccin. a. ppt. an. ʒj.
♁. *nat. ppt.* & ♁. *rectif. an.* ʒß.
balſamo ſacch. peruv. ℥j. *M.*

Capiti

Capiti *pileolus* aptetur: XXX.

Rec. *℞ad. pœon. mar.* ℥ij. *cyper. rot.* ℥j.
fl. stœchad. lil. conv lavend. anth. an. ℥ß.
summit. rut. p. j. *styr. calam. gum. anim. an.* ℥ß.
Conc. cont. irror. ol. succin. gtt. vj. *D. pro Cucupha.*

DEUS huic tragœdiæ lætam imponat catastrophen. Salvo melius sentientium judicio.

§. Ruleus cum stomacho flatibusque suis per ordinata d. 14. *Julii* nondum in gratiam rediit, *eructationes* & *tormina*, quamvis leviora, patitur. Sumat in pastu cum primo haustu vini gtt. xxx. *mixturæ*: Ruleus. *Flatus.*

Rec. *Essent. carminat.* ℞. *aurant. an.* ℥iß. *M.*

Noctu vero *pilulas duodecim*:

Rec. *Extr. Zedoar. Cal. arom. an.* ℥ß.
papav. err. ℈ß. *croc. gr.* v.
♁. *nat. ppt.* ℥ß. *ol. anis. q. s.*
F. pil. pond. gr. j.

§. Namaplusii *Filio* (d. 13. *Jul.*) post curam *acidularum* ordinavi *haustum purgantem* mihi consuetum. (d. 9. *Aug.*) Namaplusii *filius.*

§. Rhizodactylus (d. 24. *Jul.*) *aures externas* a nostro *linimento* & *emplastro* plane exsiccari sensit, quamvis interne adhuc parum fluant, & cum cessationem fluxus auditui nocituram semper metuat, magnam in *fonticulo* me spem collocare quidem regessi, sed *linimentum* tamen ita mutavi, ut loco *croc.* ♂. *adstr.* reciperetur ♁. *diaphoreticum.* (d. 9. *Aug.*) Rhizodactylus. *Aurium ulcera.*

XXXI. XXX.

Nox facta serenior, quam speraveramus. Tota dies fuit mediocris. Mane haustis adhuc semel *acidularum* 6. poculis fonti valedixi, &, *comite DEO*, vesperi salvus domum redii. In via notabile nihil occurrit. *Gratiæ DEO, sint immortales, qui curæ huic ex alto benedixit.*

SOLI DEO GLORIA!





J. N. J.

ETEODROMI
MEDICO-PRACTICI
LENTILIANI.
MDCCIX.
AUGUSTUS.

I.



EX fonte GÔPPINGENSI domum, ALTISSIMO *Duce*, reversi, revertimur quoque ad observationes nostras *Barothermometricas*. Mane ☿ius in medio quarti gradus quievit, vesperi parum subsidens. *Thermometri* liquor, mane in quarto gradu, vesperi parum adscendit. Noctu diuque cum caliditate amœna serenitas. Matutino potui per tres hebdomadas adsuetus, usque ad prandium non parum sitivi. I.

§. Heridarni *uxorem*, (d. 6. *Iul.*) quam puerperam d. 29. *Iunii* vegetam reliqueram domum reversus mortuam comperi. Non paucis a profectione mea diebus, ut audio, male rursum habere cœpit. Vocatus quidem D. CHEMONIUS, familiæ *Medicus* ordinarius, sed clam ipsum in auxilium quoque accita CARNIFICIS *uxor*. Hæc aliquando noctu largiore præbio *sal volatile oleosum* porrexerat. Orto hinc in faucibus ardore, *vomitus* excitatus per aliquot dies durans, nec *emulsioni* a dicta *carnifica* appositæ quidquam cedens. Misera nec cibum, nec potum, nec phar- Heridarni *uxor*.

I. maca retinens, paucis post diebus est mortua. Si *Medico* tale quid præscribente funus elatum fuisset, quæ petulantissimæ maledicentiæ tunc effrenata libido? Aber/ da krähet kein Hahn darnach. Immo ipsi domestici enormia hujus generis occultant, ne dicam, excusant. (d. 3 *Aug.*)

Campyloxyli *uxor.* §. Campyloxyli *uxor* de summa *lassitudine*, artuumque debilitate conqueritur, de reliquo sana, appetens, digerens, dormiens. *Filiola* natu minima [d. 12. *Jul.*] per aliquot jam dies periculose ægrota, metum incussit sollicitæ matri, mulieri obesæ, quæ curam infantis perdia pernox gerens parum quievit, parce ac inordinate cibata fuit, unde non mirum, quod artus fatigati suum ægre officium exsequantur. Suasi *balneas* nostras *cervinas*, & post eas, quamprimum e labro surrexit fotum ex *Decocto rorism salv. & lavend. cum vino.* *Puellæ* vero minimæ, jam in convalescentiæ statu versanti, cum pectusculum oppressum a congestione pituitæ cernerem, ordinavi *laxativum* tale:

Rec. *Magist. gial. gr. v. sir. de cich. c. rh.* ℥ß.
aq. cinnam. ʒß. ∽⊖✱*ci anis. gtt. iiij.*
M. pro 1. dosi. (d. *3. Aug.*)

Grypeutus. *Diarrhœa.* §. Grypeutus (d. 1. *Jul.*) Jebenhusanas potans ob Servi negligentiam ira vehementi excandescens *diarrhœa* valida correptus fuit. Igitur sibi de *Dysenteria* metuens, equo conscenso, se illico domum recepit, nil curans concussionem interaneorum ab equi vectura, atque hinc forsan vehementius invasurum alvi fluxum, dummodo domi ægrotare liceret. PELERINUS ut JEBENHUSÆ maneret, suasit, sed noluit. Sine dubio manere potuisset; interim abundans cautela non nocuit. *Jussi* assumere *tragema stomachicum* jam olim ordinatum, & cessante *diarrhœa* ad fontem reverti. *Magna vis iræ in alterandis corporis humoribus!*

Dioptrici *uxor.* §. Dioptrici *uxor* (d. 31. *May.*) *balnearum* ZELLENSIUM effectum apud se laudabilem prædicat, quippe qui *menses in ordinem redegerit*, qui alias *inordinati* & nonnunquam *superflui* fuerant. Nuper terrorem magnum incussit quidam servorum, qui fœnum e sublimi horrei petiturus, per scalas in aream super spinam dorsi lapsus est, unde quadam e vertebris lumbaribus luxata, ob *compressionem spinalis medullæ*, denegatumque hinc spirituum animalium commeatum, *femora & pedes motum ac sensum amiserunt*, ipseque paucis abinde diebus exspiravit. Ejusmodi exempla mihi plura sunt observata, inter quæ mirabile fuit *uxoris Syndici* NORDLINGENSIS, quæ per integros undecim annos emortuis quasi inferioris corporis membris, supervixit ac familiæ præfuit, sella versatili quaqua versum in hypocausto provecta, *urinamq; & alvum inscia deponens.*

An-

Ancilla galla 16. annorum, *menses* ante annum primo, hactenus non amplius passa, *anhelat*, lanquet, *cor palpitat*. *Purgetur haustu domestico*, postea mane & noctu sumat *elix. fulig.* CLAUD gtt. xxxx. ex quolibet vehiculo. I. *Ancilla galla.*

Altera Ancilla, cujus facta mentio d. 18. *Marti*, ab illis medicamentis auspicato convaluit; nunc sensim in antiqua symptomata relabitur, quod fieri solet, quum diæta non observatur, quam raro servitiis aliorum obnoxiæ observare possunt. Nam *chlorotica*, licet curatæ, dispositionem tamen ad hoc malum constanter retinent, & nisi accuratissime vivant, semqer in idem malum recidunt. Hinc, si quibus aliis, his certe a *Medico* semper accurata, qua pote, diæta inculcanda. Nunc de *mensibus dolorificis* primario queritur. Ordinavi *pulverem* cujus mane & noctu (quia vesperi ob servitia non potest) tres cultri cuspides e quovis apto vehiculo sumat, insequente corporis motu: *Ancilla germana. Chlorosis.*

Rec. *Chalyb. c.* ♀*e.* ℥ß. *pulv. lign. sassafr.* ʒj.
cinnam. croc. an. ʒß. *elaos. mac.* ℥ß. *M.*

Tempore mensium cochleatim sumat *mixturam*, non nisi his nimium fluentibus omittendam:

Rec. *Aq. Zedoar. meliss. an.* ℥iij.
Tr. aurant. ʒj. *croc.* ʒß.
ess anod. ℈j. *sir. artemis. r.* ℥ß. *M.*

§. Retelirae *Filiolus* ¼. annorum a congestione pituitæ altum spirat, & spirando stertit, abdomen turget, vexatur *tussi*; appetitus est integer. *Purgatione* opus esse censens, dedi sequentem pro una dosi: Retelirae *filiolus. Asthma humidum.*

Rec. *Pulv. gial. n. resin.* ℈ß.
sir. ros. sol. ʒvj. *aq fumar.* ʒij. *M.* (d 4. *Aug.*)

§. Letheri *uxor* conqueritur de anxietate circa præcordia cum mœrore summo & non nisi post lachrymas desinente, per intervalla affligentibus; quæ symptomata *spleni* vulgo adscribuntur. *Menses* rite habent. Cochleatim sumat *mixturam* in his casibus nobilem: Letheri *uxor. Splenetica.*

Rec. *Aq. meliss. fumar. an.* ℥iiß.
hirund. c. castor. ℥j. *mixt. simpl.* ʒj.
~. cochl. ʒß. *elaosacch. anis.* ʒiij. *M.* (d 2. *Aug.*)

§. Machetes (4. *Iul.*) de visus debilitate jam ab aliquo tempore queritur. Pupillæ ad *amaurosin* inclinant. Oculi non dolent. Multis Machetes. *Visus debilitas.*

I. tis nervorum affectibus jam à pluribus annis laborat, & ante triennium de tabulato quodam lapſus fere mortuus ſublatus eſt, capite vehementer hinc inde contuſo; paſſus tunc ſub convaleſcentiæ tempus, per 36. horas *guttam ſerenam*, *a ſpaſmodica compreſſione nervi optici*, & excluſo hinc ſpirituum animalium in oculos influxu. Præſcripſi *tragema opthalmicum*, cujus mane, pomer. & noctu 3. cuſp. cultri per ſe aſſumeret, diu continuando:

Rec. *Rad. valerian. herb. & flor. euphrag. an.* ℥ij.
ſem. fœnic. thur. maſc. fl. roſ. r. an. ʒj.
elæoſacch. fœnic. ʒvj. *M.*

Oculi frequenter abluantur *collyrio*:

Rec. *Aq. roſ. pallid. euphrag. fœnic. an.* ℥ij.
tut. ppt. ʒß. *ſacch.* ♄i ℈j. *camph. gr. iiij. M.* (d. 3. *Aug.*)

Erdani *puella. Febr. tert. interm.*

§. Erdani annicula *puella febricula quotidiana intermittente* laborat, cum ſymptomatis *convulſiones* minitantibus. Dentur bis in die gutt. viij. *mixturæ* cum adjecto vehiculo etiam ſeorſim præbendo:

Rec. *Liq. CC. ſuccinat. eſſ. cort. peruv. an.* ʒj. *M.*
Rec. *Aq. ceraſ. n. fl. til. an.* ℥iiß.
epil. L. ℥ß. *ſir. fl. pœon.* ʒiij. *M.*


Enthadandri *uxor. Pſora leproſa.*

§. De Enthadandri *uxore* recordabitur *Lector* quid a nobis ſcriptum fuerit d. 14. *May.* Cum iſti curæ mulierem ſemet ſubjecturam ſperaſſem, accidit propemodum quid in auditum. *Mendicus* quidam *cœcus* uno abhinc milliari habitans *pſoræ* hujus *leproſæ*, quam ob defectum naturalem neque videre, neque judicare poterat, in ſe ſuſcepit, ac omnimodam durabilemque intra paucas ſeptimanas ſanationem multis dejerationibus pollicebatur. Nil verius, quam mundum velle decipi. Plus fidei merebatur *cœcus mendicus*, quam *oculatus Medicus*. Mulier in illum pagum defertur. Ungitur *unguento* ex *oleo olivo*, ♀e & *baccis lauri.* Potum hauriebat *vinum radice majoris conſolidæ medicatum.* Cætera liberum erat vivere ſuo more. Cibi nil interdictum. Aëre indifferenter uti licebat. *Scabies* fuit ſanata. Qua cum conſtantia deinceps forſan experturi ſumus.

Campyloxyli *puella.*

§. Campyloxyli minimæ, de qua ſupra, puellæ, datus ab amica nummus aureus ſexquidrachmam præter propter pendens. De collo ſuſpendendus erat intra mamillarum regionem. *Amuletum* contra *epilepſiam* infallibile prædicabatur. Altera numi ſuperficies litteras inter ſe variæ innexas & intortas exhibebat, quas interpretari non poteram. Superne viſebatur ſignum ☉, inferne nomen *tetragrammaton*. יהוה, circumſcripta fuerunt

runt ſequentia verba: *In hoc ſigno vince* Supetficies averſa habebat *Leonem*, ſuperne cum ☉ inferre cum ☽. ſignaculis. Circumſcripta verba: *Vicit Leo de tribu* JUDA. Litteræ ſuperficiei primæ, quas innexas ſibi invicem & intortas deſcripſi, tales erant quaſi *Runicæ*: I.



Hos characteres alicubi me vidiſſe recordor, locum reminiſci non poſſum. In REICHELTI *tr. de amuletis* fruſtra quæſivi. *In Henr. Corn.* AGRIPPÆ *lib. III. de occult. philoſ. cap. 31. p. m.* 312. invenitur huic fere per omnia ſimile, cum circumſcriptione: *In hoc vince*, & ibi explicatus ſignaculum CONSTANTINO *Imp.* oſtenſum. Quod repetitur *p. m.* 475.

§. Eudoxus ex officina quadam noſtrate petebat *Diaphoreticum martiale*, quod aſſumtum, quem debebat, effectum non præſtitit. Color erat magis fuſcus, quam vulgo ſolet eſſe, & ex aliis officinis petitum referebat. Orta ſuſpicio medicamenti non rite parati. Re ſollicite examinata compertum alium fuiſſe, nec eum quidem temnendum, medicamenti *proceſſum*. Ita fieri non decet. *Pharmacopœi* medicamenta chimica a *Medicis* ordinari ſolita eodem omnes modo parare debent. Nam quis alioqui *Medicus* tuto præſcribat? Eudoxus.

II. II.

THermometrum & *barometrum*, qualia heri mane. Veſperi, uti *barometri* ☿ ius pauxillum adſcendit, ita *thermometri* liquor eadem parſimonia deſcendit. Nox erat ſerena. Dies nubila, calida tamen ſine pluvia.

§. Vaſalli *uxor* 26 annorum uterum usque ad medium octavi menſis gerens *doloribus nephriticis* cum *vomitibus* & *iſchuria* laborat. Ordinata ſequens *emulſio*, cujus ſingulis trihoriis tria cochlearia hauriantur: Vaſalli *uxor.* *Nephritis.* *Iſchuria.*

II. Rec. *Sem. melon. papav. a. an.* ʒiß. *viol.* ʒj.
Aq. veron. petrosel. chamom. an. ℥ij.
F. Emulsio; add.
Oc. ♋. *ppt. test. ov. calcin. an.* ʒß.
sir. de alth. Fern. ℥ß. *M.*

Noctu ante somnum deglutiantur *pilulæ*:

Rec. *Extr. papav. comp. liquir. an. gr.* iiij.
M. F. pil. u. viij.

Circa regionem lumbarem & pectinem fiat *inunctio* callda frequens:

Rec. *Vngu. de hyosc.* ʒvj. *ol. scorp.* ʒiij. *M.*

Si dolor non remittat, *cataplasma* imponatur e *semine lini* cum *lacte cocto.* Jaceat, quantum possibile immobilis, nec frigide potet. (d. 3. *Aug.*)

Rhabdaulitis *uxor.* *Scorbutica labes.* §. Rhabdaulitis *uxor* nuper puerpera, cum aliquot ante puerperium septimanis sanguinem misisset, isque valde dissolutus compareret, globulis ejus a parte mucida gelationosa separatis & sero valde salso existente, jam autem conquereretur de *maculis scorbuticis prurientibus*, *gingivarum sanguinolentia*, *torminibus ventris*, *cephalæa*, lassitudine & inappetentia. Filiolam nihilominus lactaret, ipsi ordinavi *mixturam* manc & noctu ad guttas xxx. ex quolibet vehiculo sorbendam:

Rec. *Ess. trifol fibr.* ʒij *ess. anod.* ℈j.
♎. *cochlear.* ⊖ *vol. oleos. an.* ʒj. *M.*

Post quemlibet pastum cum pane tosto & caliculo vini sumat *trageam*:

Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ℥ß.
trag. arom. offic. ℥ij. *elæosacch mac.* ʒvj. *M.* (d. 3. *Aug.*)

Filiola. *Vomitus.* *Filiolæ* nuper natæ *lac* & *pulticulam revomenti* ordinatus *pulvisculus* bis vel ter in die ad cusp. 1. cult. cum *pulticula* dandus:

Rec. *Spec. diacr. Mynſ.* ʒij. *pulv march.* ʒj. *M.*

Scrobiculo cordis *emplastrum antemeticum* consuetum ex *fermento panis cum theriaca & nuce moschata.* Ventriculus ungatur *oleo nucis moschatæ expresso.* Nec cibus nec potus affatim præbeantur, sæpe enim *vomitus* infantiles, si non semper, ab ingurgitatione existunt. (di 8. *Aug.*)

Letheri *uxor.* §. Apud Letheri *uxorem* cum *mixtura* hesterna parum proferimus. Additum sequens medicamentum, vel cum illa *mixtura*, vel ex jure *calido* mane, pomeridie & noctu ad gtt. xxx. sumendum:

Rec.

Rec. *Ess. lignor. fumar.*
R. ♂. *helleborat. an.* ℥iß. *M.* (d. 4. *Aug.*) II.

§. Raretedius *vinum absinthites compositum* d. 27. *Iun.* ordinatum una cum *elixiri balsamico* usurpavit hactenus, interim tamen pressio circa præcordia, rosio circa *stomachum*, & *dolor ventris ante pastum*, a cibo sumto semper remittens, adhuc affligunt. Venit in mentem, utrum fortasse *lumbricis* obsideretur: dedi igitur mane *pulvisculum*: Raretedius. *Cardialgia.*

Rec. *Æthiop. mineral. gr. xv. magist. gial. gr. iij.*
sem. santon. corallin. an. gr. vj. M. pro 1. dosi.

Animalis vivi nihil, sed filamenta quasi & intestinorum ramenta quamplurima egessit, quod a *verminosis* plerumque fieri solet, indeque non male habuit. Jussi pectus inungi linimento:

Rec. *Ol. absinth. lumbric. an.* ℥ij.
ungu. de hyosc. ℥ß. *M.* (d. 5. *Aug.*)

§. Nigremmergi *Filiolam* 3. annorum d. 5. *Iulii* mihi ob aliquot caussas periculosam ægram videri memoravi. Probavit exitus acta. Nam vix aliquot a discessu meo ad *fontem* GÖPPINGENSEM diebus convulsa obiit, medicamentorum fere plane nihil ad sumens, prout mihi a matre relatum. Nigremmergi *Filiola.*

§. Quod potu acidarum durante adsumere cessaverat, *sinapi semen* Melodidascalus, (d. 29. *Iul.*) idem absoluto hic rursum deglutire cœpit. De pedum dolore ac debilitate conquerenti, suasi *pediluvia* noctibus alternis ex *decocto chamomillæ* additis *cineribus* & ⊖*e comm.* (d. 3. *Aug.*) Melodidascalus.

§. In *officina* OTTMANNIANA vidi *mineram* ♂. *Hassiacum solarem* perelegantem cum *floribus albis* & niveis ejus superficiem lanuginis instar investientibus, & saporem valde ♂*alem* sapientibus. Curiosa est illa minera & ejus florum usus *aperitivus* egregius. Mentionem illius injicit *Exc. noster* VALENTINI cum in *Musæo Musæorum* *Lib. I. cap. I.* § 12. tum in *prodromo Historiæ naturalis* HASSIÆ, *cap. III.* §. 1. & describitur quod sit *Terras. minera* ⊕*li, in* HASSIÆ *inferioris juxta pagum* ALMEROD. *locis argillosis sub forma ovali reperiunda, coloris atro cinerei, striis salinis emicantibus, saporis vitriolacei*, eamque in virginibus *difficulter menstruantibus* se aliquoties probatissimam reperisse asserit. Calculum adjicere nostrum experimentis aliquot factis convicti, non dubitamus. Idem Dn. OTTMANN mihi monstrabat *conchulas bivalves* minimas longa

II. longe elegantissimus, e genere *margaritiferarum*, inter *margaritulas officinales* inventas.

III. III.

MErcurius mane ultra medietatem tertii gradus adscenderat, ultimam ejus lineam vesperi assecutus; *thermometrum* quale heri mane, in eadem per totam diem statione remansit. Nox erat serena & calida, dies autem, licet calida, non admodum serena.

Melodidascalus. §. Melodidascalus hac nocte rursum obrutus fuit *torminibus hypochondriacis*, quærebat, utrum expediret, *chyster* an *magnesia*? quum constipatior esset, *magnesiam* suasi. Sumsit cum *euphoria* ac doloris levamine, (d. 5. *Aug.*)

Machetes. *Visus debilitas.* §. Machetes a nudius tertius ordinatis objecta melius agnoscit, dummudo illis oculos attentius obvertat: nam primus intuitus est otiosus. Et præcipue, quando caput subito hinc inde vertit, minus videt, minus etiam, dum expergiscitur, paullo melius, si per aliquam temporis moram evigilavit. Jussi pergere cum præscriptis, & oculis parcere ad ea videnda, quæ videre necessitas nulla cogit. (d. 5. *Aug.*)

Rhabdaulitis uxor. *Febris lactaria.* §. Rhabdaulitis *uxor* hac nocte, & antequam heri ordinatis uti cœpisset, incidit in *horrorem febrilem*, cum insequente magno æstu, *dolore capitis*, anxietate præcordiali & ventris doloribus. Lac in mamillis minui sentit? Appetitu prostrato, sitis augetur. Suspicor adesse *febrim lactariam*. In hoc ultimo puerperio nondum sudavit. Bolo sequenti assumto ad sudorem se componat:

Rec, *Diascord. Fracast.* ℈j.
mater. perlat. CC. ust. ppt. an. ℈j. *M.*

Cochleatim sumatur *mixtura*:

Rec. *Aq. fumar. chammom. Zedoar. an.* ℥ß.
mixt. simpl. ℈ij. *ess. anod.* ℈j.
speeif. cephal. ʒß. *sir. papav. err.* ʒij. *M.*

Abdomen ungatur *unguento* de *hyoscyamo*. Bibat *emulsionem amygdalarum*, non solum ad sitim levandam, sed *lactis* quoque proventum augendam. Pomeridie, exantlato largo sudore, longe mitius habuit. Cum *mixtura* pergere jussi. (d. 4. *Aug.*)

Suburrana. §. Suburranæ (5. *Iun.*) ad *fontem acidum* & *balneas minerales* profecturæ, datæ *pilulæ*:

Rec.

Rec. *Extr. cathol. gr. xvj.* III.
magist. gial. scamm. an. gr. vj.
c. elix. propr. F. pil. n. xviij. pro 1. dosi.

Tragema post *balneum fluori albo* quadantenus accommodatum:
Rec. *Spec diacr. Mynf. ℥ß.*
ebor. phil. ppt. cor. alb. ppt. an. ʒj.
oc. ♋. crud. cont. ʒiß.
trag. arom. offic. ℥iij. M.

Ad amoliendas *alvi constipationes*, quibus, more plurium *hystericarum*, subjecta est, cum primo *acidularum* poculo sumat 2. cusp. cultri de sequenti *pulvisculo*:
Rec. *Crem. tart. tart. ⊕lat. oc. ♋. crud. cont. an. ʒj. M.*

Instructio pro usu tam *potatario*, quam *lotorio* nil disparhabet ab illis, quas jam supra reperire licet. (d. 8. Sept.

§. Vasalli *uxor* dolorem quidem ab heri ordinatis, cumprimis *pilulis* de nocte leniri, urinam tamen nullatenus ab *emulsione* pelli quin & alvum jam a triduo constipari dixit. Interim æstus corporis fuit intensus, cum siti, cutis vero arida & anhelitus quadantenus difficilis, quod *transpirationi impeditiori* adscribebam. Pro *sudore* itaque *ciendo bolum* ordinavi:

Vasalli *uxor.* *Nephritis, Ischuria.*

Rec. *Diascord. Frac. ʒj.*
♁ii diaph. CC. philos. an. ℈j. M. pro 1. dosi.

Alvum aperiendam esse considerans, cum propter *abortus* metum & *purgans* proprie sic dictum, & *clysmata* formidarem, substitui *mixturam diuretico, solutivam* cochleatim præbendam:
Rec. *Aq. petrosel. gramin. an. ℥iij.*
pulv. Cornach. ʒß. sir. de alth. Fern. ℥ß. M.

Dolori nephritico fortasse rursum invalituro, præter *unguentum hesternum*, opponi volui *cataplasma* ex *sem. lini cum lacte cocto.* (d. 5. *Aug.*)

§. Vectis *Filiolus* sex circiter septimanarum, mox a profectione mea Göppingensi *convulsionibus epilepticis* quassari cœpit, quibus alius *Medicus* varia sine ullo levamine opposuit. Immo, intra has tres septimanas puellus plusquam *ducentos paroxysmos* exantlavit. Domum reversum, tanquam *ordinarium familiæ*, statim acciverunt. Puellus propemodum indesinenter, & sine ulla quiete, convellebatur, sic ut propinationi medicamentorum nullum propemodum spatium concederetur. (Male agunt, qui durante *paroxysmo* medicamina infundunt: Non

Vectis *Filiolus.* *Epilepsia.*

III. enim deglutire possunt, quippe non sui juris, hinc medicamina rimam laringis aliqua sui parte subeuntia *tussim* excitant (sie verkirnen sich) auctis inde semper *motibus convulsivis*.) Nil, nisi tristem exitum præsagire poteram, rogatus tamen jussi, dummodo parca adesset remissio, *pulvisculum* sequentem dare:

Rec. ☉. *fulmin. gr. ij. arcan. dupl. gr. iij. M.*
pro 1. dosi.

Mixturam itidem cochleatim:

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. rut. an. ℥j.*
conf. alk. c. ʒß. sir. fl. tun. ʒij. M. (d. 4. *Aug.*)

Campyloxyli *puella*.

§ Campyloxyli *Filiola* nudius tertius sufficienter *purgata*, jam optime valet. (d. 7. *Aug.*)

Heridarni *uxor*. *Psora leprosa*.

§. De Heridarni *uxore* latrocinio *carnificis* succumbenti nudius tertius dictum. Re penitius explorata in aliqua nostrarum *officinarum* parata fuisse mulieris illius ordinata comperi. Petitæ igitur a *Pharmacopola* & *parastatis* formulæ. Responsum, *carnificem* formulas ibi non relinquere, immo, ne nomen quidem ægrotorum, pro quibus pharmaca ordinantur, aperire, sed ipsam præparationi semper esse præsentem, medicamentum præparatum una cum formula recipere, & soluta statim pecunia abire. Sit ira. Sed, quæso, quid de ejusmodi *Pharmacopola* censendum? *Carnificis ferula* dignum existimo, nequam, per jurum! Ne dicam, vi juramenti *Pharmacopœos* adstringi, ut *medicorum* formulas probe custodiant, suo tempore, si lis forte moveatur, exprornendas, & iste *carnificis uxori* formulas reddit, per quas ægris plus periculi, quam per *Medici formulas* creari potest; Id solum dico, *Pharmacopolæ* per idem juramentum non integrum esse, alius cujusdam *Medicastri* recepta, nedum *carnificis*, parare, sed *Physico* monstrare, nec manibus tradentium restituere. Qui igitur aliter faciunt, perjuri sunt. Neque ad talia nostri tantum obstringuntur, sed in alliis quoque bene constitutis Rebus publicis idem obtinet. Audiamus *constitutionem Pharmacopolarum in Electoratu* BRANDENBURGICO §. 18. *Schedulæ ab ignotis & non approbatis Medicis, a tonsoribus, balneatoribus* (addimus nos, *carnificibus*) *ac similibus præscriptæ, non sunt recipiendæ, præparandæ, neque ingredientia ad ejusmodi medicamenta requisita talibus porrigenda, sed Collegio, aut alibi Physico transmittendæ ac indicandæ sunt; tumque is, qui talia ausus est præscribere, Collegio mul-*

ctam

ctam solvat arbitrariam. Quodsi vero fuerint præparata, PHARMACOPOEUS *ipse aut ejus socius, si inscio Domino præparaverit ac tradiderit, reus erit, mulctamque pendet.* Ejusdem tenoris est *constitutio* ULMENSIS, ipsius *taxæ* annexa §. 20. Et, ne *Pharmacopola* noster semet excusare valeat, in *constitutione sua jurata* tale quid non reperiri, satis tamen est verba *constitutionis* ita sonare: *Pharmacopœo non integrum esse, vel per se, vel alios, purgantia, emetica, emmenagoga & alia hujus commatis medicamenta dare, præter illa* NB. *quæ a Doctoribus approbatis Medicis in officinam legitime præscripta sunt.* Atqui *carnifices*, eorumque *uxores* non sunt *Doctores & approbati Medici.* E. Cum igitur *constitutio Physicorum* inter alia jubeat, ut *Physicus, quantum in se est, omnes præposteras & incongruas medicationes amoliatur*, *huic etiam Pharmacopœo severe injunctum fuit, ne ullam formulam a carnificis carissima costa officinæ illatam vel ipse præparet, vel suo famulitio præparandam concedat, multo minus mulieri reddat, sed Physicis ostendat.* Interim revera miserandum, quod feculentissimæ hominum omnium feci sanitatem suam credant, non rustici, opifices, & e plebe simplici homunciones, sed cives quoque honorati, Consiliarii, Nobiles. Omnium autem maxime mirandnm, dari in nostra civitate mulieres primarias, quæ cum *uxore carnificis* familiarissime vivant intimioris amicitiæ, immo sororii amoris nexu, conjunctæ sint. Non sine horrore scribo, quod *carnifex* in urbe imperiali propinqua adserere ausus ast, quum ipse praxi medica prohiberetur, nempe, *se neminem ad se pellicere, sed ex Ducali sede suis liminibus turmatim in cistis & essedis a volare summi quoque subsellii viros & fœminas.* Vereor, ne *similes habeant labra lactucas.* Detur itaque *carnifici* quod est *carnificis.* III.

§. Monstravi Gnomilego mineras *meas martiales* ex *agro* Heidenheimensi petitas, & has inter frustum per elegans *striis metallicis* elegantissimis resplendens. Gnomilegus asserere non dubitavit, hæc & similia frusta possidere vim *hæmostaticam*, si, more *lapidis hæmatitis* vel intra manum premantur vel axillis supponantur. Cujus rei periculum, data *narium hæmorrhagiæ occasione*, facere non otiosum foret.

§. Polytlas 40. circa annorum macilentus, sed alias morbis non multum obnoxius, narravit se in juventute aliquoties *hæmoptysi* laborasse, quod autem per multos jam annos cessaverit, se

III. tamen inconsulto *Medico* DEINACENSEM *fontem* bibere non audere; quid igitur faciendum sit, rogat. Quæsivi, num in juventute vel pueritia multum e naribus stillaverit? respondit, quod sic? Quo anno *hæmoptisin* acceperit? vigesimo, circiter, ait. An cum tussi vel perre? Utrumque negavit; se tamen, ut *phthisicum*, a *Medicis* tractatum fuisse. Dixi ergo, *narium hæmorhagiam puerilem*, & *hæmoptysin juvenilem* a *plethora* sola extitisse, idque sic frequenter fieri solere. Quemadmodum igitur in *hæmoptysi phthisica*, potum *acidarum* cuiquam suadere velle, a praxi genuina multum abludat; ita in corporis *plethorica* constitutione, prævia *venæsectione* dictum *potum* proficuum potius esse pronunciandum. Id rursum in *Practicorum juniorum* gratiam, ut *hæmorrhagicas excretiones* probe distinguere discant.

IV.

IV.

MAne Mercurius quartum fere gradum attigit, atque tali in statione per totam diem duravit: *thermometri* fluidum, uti mane infra dictum gradum parumper subsederat, ita vesperi eundem aliquantillum superavit. Nox fuit clara, dies antemeridie nubila, pomeridie serena & calida.

Vectis *filiolus*. *Epilepsia*.

§. Vectis *filiolus* vomuit quidem ab *auro fulminante*, sed *convulsiones* tamen, uti solent alioqui, nihil remiserunt. Ordinavi *Balsamum* meum *convulsivum* consuetum, aliquoties allegatum, & cum *mixtura* pergere jussi; Ipsi autem matri per tot infantis *motus convulsivos* propemodum extra se positæ commendavi *mixturam* cochleatim assumendam;

Rec. *Aq. Ceras. n. fl. til. an.* ℥ij.
epit. L. hirund. c. castor. an. ℥ß.
elix. uter. Cr. ʒj. *sir. fl. pœon.* ʒij. *M.* (d. 5. *Aug.*)

Letheri *uxor*.

§. Letheri *uxor*, cum a medicamentis nudius tertius præscriptis voti non plane damnaretur, & ex aliquot signis *purgatione* opus habere mihi videretur, ob præsuppositum pituitæ in primis viis congestæ lentorem dedi 2. *pulvisculos digestivos*, binis noctibus ante somnum ex calido jure sumendos:

Rec. *Rad. ar. ppt. tart.* ⊕*lati an.* ʒß.
M. pro 2. dosibus.

Postea *electuarium purgans* consuetum in auctiore dosi, cum difficillime mobilem se esse prædicaret. Pergere quoque jussi cum guttis nuper ordinatis. (d. 6 *Aug.*)

Siderolithi *uxor*. *signa conceptionis*.

§. Siderolithi *uxor* (d. 4. Maji) inde ab usu *balnearum* CANTSTADIENSIUM pulcherrime valuit. Jam autem non tantum rursus per 8.

speti-

ſeptimanas *menſes* emanſerunt; Sed ipſa de horrore, æſtu, in appetentia, & ſummo capitis quaſi *hemicranico* dolore affligitur. Juſſi, ut hac nocte cubitum itura ſequentem *mixturam* ex cochleari vini aſſumeret:

Rec. *Elix. uterin. Cr.* ℈j. *eſſ. anod.* ℈ß. *M. pro 1. doſi.*

Caput, qua dolet, linimento ſolaretur:

Rec. *Axung. caſtor.* ʒß. *balſ. peruv* ℈j. *M.*

Cras, DEO permittente, urinam ſervaret:

Narrabat miſera, ſe a *ſpectro* quodam domeſtico magnum & panicum quaſi terrorem, heri circa crepuſculum noctis eculina prodituram, perpeſſam eſſe, atque hinc ſtatim ex capitis altera parte dolere cœpiſſe. Non credebam de *ſpectro*, quippe expertus fabuloſa quam plurima de talibus narrari. Sed, cum ædium illarum priores aliquot inquilinos idem ſe paſſos adſeverare audiſſem, hactenus illi fidem derogare, non poſſum, id ſolum addens, *ſpectrum* hoc domeſticum nemini vim inferre, multo minus videri, ſed ſolum ejus ſtrepitum & quandoque palpum audiri. Quid ejusmodi *ſpectra* ad valitudinem hominum alterandam, hiſtoriæ quamplurimæ loquuntur. (d. 5. *Aug.*)

§. Rhabdaulitis *uxor* noctem præteritam tolerabiliter tranſegit, &, cum *borborygmi*, eructationum multiplicium comites, de flatuum præſentia teſtimonium perhiberent, calor inſuper præternaturalis adhuc ureret, huic oppoſiti bini *pulveres* mane & pomeridie ſumendi, illis vero cochleatim haurienda *mixtura*: Rhabdaulitis *uxor.* *Febris lactaria.*

Rec. *Diaph* ♃ *al. matr. perl. ppt. an.* ℈j.
M. F. 2. ☿.

Rec. *Aq. chamom. aniſ. an.* ℥iij.
eſſ. carminat. ʒj. *anod.* ℈j.
ſir. aurant. ℥ß. *M.*

Ad *capitis* acerrimum *dolorem* compeſcendum vertex inunctus *linimento*:

Rec. *Axung. coſtor.* ʒß.
Ol. nuc. moſch. expr. balſ. peruv. an. ℈j. *M.*

Interim *Filiola* per pharmaca nudius tertius ordinata non parum profecit, quippe cibos & potum retinens. (d. 5. *Aug.*) *Filiola.*

§. Retelir æ *filiola* per *catharticum* d. 1. *Aug.* exhibitum *aſcaridum* turmam excrevit & hinc ad ſenſum ſana eſt facta, vireſque egregie collegit. Unde apparet, *aſcarides* pelli etiam poſſe a *catharticis non ſpecificis*, ſed quibuslibet aliis, quamvis ♁. *diaphor.* aliquibus *anthelminticum* perhibeatur. (d. 15. *Aug.*) Retelir æ *Filiola.* *Aſcarides.*

IV. Impetigo. Fera *menti impetigo* a contagio figentis osculum alius impetiginosi puelli exorta in hac sublata fuit per *illitum axungiæ ab axe rotæ molaris collectæ*, quod *euporistum* est nullatenus contemnendum, quippe de natura *ferri* participans.

Kobius. *Polypi cordis suspicio.* §. Occurrit hodie in platea Kobius, (10. *Maji*) quem, ob *asthma convulsivum* ad *acidas* DEINACENSES ablegaveram. Interrogavi, nunquid valeret? *Acidulas* se decenter, & observata strictissima diæta, potasse respondebat, sed *asthmate* eodem adhucdum quotidie affligi, cum *palpitatione* & *anxietate* præcordiali, sic, ut fenestram accurrenti sit aër hauriendus. Interim appetitum esse validum, & somnum, si paroxysmus permittat, non interruptum. *Magnesiam albam* ob *alvi constipationem*, qua reserata se melius degere fatebatur, curative usurpandam suasi, expectata prius *acidularum hysterergia*. *Polypum cordis* adesse suspicor, cum a medicatione nulla juvetur, eumque convaliturum vix credo.

V.

V.

MErcurius mane in hesterno statu per totam diem idem perseverabat, Liquor *thermometri* quartam lineam vix sensibiliter transscenderat, idem vesperi repertus. Nox clara. Mane nebula tenuis. Dies serena & calida.

Rhabdaulitis *uxor.* §. Rhabdaulitis *uxor* per omnia melius habet. *Exulcerantur labia*, signum in *febribus* bonum, fermenti febrilis a sanguine separati & illac expulsi raro fallens indicium. Appetitus redit, sed lactis uberior proventus optatur. Commendavi potum *emulsionis amygdalarum dulcium* cum *decocto passularum minorum* paratæ, quod facere consuevi, si quando, uti plerumque solet, ægroti constipationem alvi ab *emulsione amygdalarum*, qua tamen in re falluntur, timent. (d. 6. *Aug.*)

Vectis *Filiolus.* §. Vectis *filiolus* nocte præterita mortuus est.

Amnocopus. *Asthma.* §. Amnocopi mentio fuit injecta d. 5. *Maji*. Is, ut ab *asthmate* suo liberaretur, ac pedum *œdematoso tumore*, rogavit, utrum adire liceat *thermas* nostras *ferinas* a *chirurgo* quodam *castrensi* sibi laudatas? Dissuasimus GNOMILEGUS & ego, sed prævaluit judicium *chirurgi* cum ægroti pertinacia colludens. Insidetur aquis, levamen undique sentitur, gloriatio de faustis effectibus alios ad eundem curam subeundam fere pellicit. Absolvitur cura. Hactenus omnia bona, Fortassis & dissuadentibus *Medicis myncterismis* & *sarcasmis* parcitum non fuit. Cum patrii lares repeti cœpissent, in primo statim diversorio repetit *asthma* cum *convulsionum* indiciis; domum defertur, *convulsiones epilepticas* innu-

innumerabiles patitur; Intra octiduum moritur. Cur *Medicis* non potior, quam *chirurgo*, fides habebatur? Die Welt hat eine Narren-Kappe aufgesetzt/ cui nil, nisi tintinnabula desunt. *Asthmaticis ex habitu cachectico, tumoribus œdematosis præditis, hydropiseos vel phthiseos candidatis balneæ minerales nunquam conducunt, immo, quam maxime conducere visæ, domi demum pœnas irrogant*, quod semel pro semper sibi dictum velint *juniores Practici*. Nuper miles quidam *cachecticus*, quamvis non sine *Medici* consilio, *balneas* adivit, sed a lotura brevi cessare cogebatur. Is horrendis dicteriis in *Medicum* tam suum, quam alios omnes debacchabatur, sed frustra, res enim facta infecta fieri nequibat. V.

§. Raretedius (d. 2. *Aug.*) a pharmaco heri assumto & d. 2. *Aug.* ordinato sufficienter quidem *purgatus* est, sed nihil *vermium* vivorum. Filamenta tamen seu stamina quasi *lumbricorum* excrevit, & cum pressio circa *stomachi* orificium nondum plane desinat, licet debilior sit, ordinatus *pulvis* mane, pomer. & noctu ad 3. cusp. cultr. per se sumendus: Raretedius.

Rec. *Spec. diacret. Myns.* ℥ß.
diatrag. frig. æthiop. miner. an. ʒj.
ol. N. M. expr. gr. vj. extr. papav. c. ℈ß.
sacch. cant. a. ℥ß. *M.*

§. Siderolithi *uxor* noctem habuit aliquo modo tolerabilem, sed hodie dolor capitis rursum atrocissimus infestat. Urina propemodum est naturalis, unde patet, dolores istos *nervis* deberi. Laudavi cucupham mihi consuetam ex *castor. as. fœtid. & succino flavo.* Mane & noctu sumat gtt. xxx. *mixturæ* ex vehiculo subjecto seorsim quoque per cochlearia hauriendo: Siderolithi uxor.

Rec. ℞. *castor.* ⊖. *vol. oleos. an.* ʒj.
ess. anod. ℈ß. *M.*
Rec. *Aq. ceras. n. beton. verben. an.* ℥ij.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. papav. err.* ʒiij. *M.* (d. 7. *Aug.*)

§. Melodidascalo (d. 3. *Aug.*) de languore inconsueto, lassitudine & *dispnœa* conquerenti, suasi jugem usum *pulveris analeptici, frigidi* MINDERERI completi per se bis terve in die ad 2. cusp. cultri sumendi. *Pulvis* hic revera est egregius virium refector, immo, quod frequenter etiam compertum, *aphrodisiacus*. Quamvis negandum non sit, e *speciebus cordialibus temperatis & de gemmis frigidis* potissimis hujus *pulveris* Melodidascalus.

par-

V. partibus, aliqua tuto exesse posse, sine ulla virium jactura, v. gr. *been utraque*, *semina* quædam & alia. (d. 14. *Aug.*)

Coqua. *Pleuritis.* *Coqua* heri concussa fuit horrore, cum in sequente magno æstu, tremore, siti, inappetentia, capitis dolore, & punctorio alterius lateris:

Rec. *Diascord.* FRACAST. ℨj.
♁ *diaph. C. C. philos. an.* ℈j. *M.*

Sumat, ac ad sudorem se componat, quo exantlato cochleatim hauriat *mixturam* talem:

Rec. *Aq. fumar. card. mar. an.* ℥iij.
♁. *nat. ppt.* ℨß. *eß. anod.* ℈j.
sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Vitetur vinum. (d. 6. *Aug.*)

Usias. *Diarrhea.* §. Usias aliquot abhinc milliaribus bibit *acidas* EGRANAS, quæ non tantum per singulos dies aliquoties alvum solvi fecerunt, sed denique *diarrhœam* quoque frequentissimam vires populantem excitarunt, cum *torminibus* & rosionibus circa umbilicum. Jussi, ut *acidularum* dosin minuere inciperet, ac de *pilulis* sequentibus singulis 6. horis n. 8. pro dosi ex quovis vehiculo deglutiret:

Rec. *Extr. bezoard. Zedoar.*
papav. comp. an. ℈j.
c. eß. anod. F. pil. n. xxxx.

Pomeridie & noctu, quoties sitit, bibat *emulsionem amygdalarum dulcium,* quod mane ob *acidarum potum* congrue fieri non potest. Parum moveatur & in calore maneat. (d. 8. *Aug.*)

Machetes *Scorbutus* §. Machetes (d. 3. *Aug.*) hisce diebus *gingivarum hypersarcoses* sibi sponte abscedere, & gingivas carne florida, solida & eleganter rubicunda sana, in conspectum venire sensit. Quin & cum sputo sanguinolenta filamenta carnea plura, integraque membranarum frusta a buccis & malarum interna superficie exscreavit, cessante *fœtore oris scorbutico* hactenus valde sibi aliisve molesto. Effectum hunc detulit usui continuo *decocti Bromii,* nec, me quidem Iudice inepte.

A dicto MACHETE mihi relatum est, *uxorem* CAPSOPOEI (vid. 10. *Iunii.*) impatientem moræ curationis contra *phthisin* a me institutæ *carnificis* primum, hinc famosi cujusdam MEDICASTERCULI, *Parochi vicini,* opem inplorasse, scilicet, ut subordinatio congrua sibi constaret. Nisi me omnia fallunt, ubi ad summum *phthiseos* gradum promota fuerit, res denique ad LENTILIUM redibit.

Idem narravit, NEMATI fuisse *filiolam* 10. annorum ex *atrophia* mise-

misere decumbentem. *Carnificis uxorem* propinasse medicamenta, quorum maleficio *sanguinis vomitus* excitatus, & mors accelerata fuerit. Si *Medico* tale quid accidisset, *lex* AQUILIA *sonasset* cum decumana nostra campana. (d. 6. *Aug.*) V.

§. Vasalli *uxor* per medicamenta d. 3. *Aug.* ordinata liberam se sentit ab omni dolore *nephritico, dysuria*, comitibusque symptomatis, reditque cum appetitu robur deperditum. Jussi consumere, quæ adhuc in promtu sunt, pharmacorum Lipsana. (d. 6. *Aug.*) Vasalli *uxor*.

§. Bromiostrabi *privigna*, de qua 21. *Jun.* a *chlorosi* aliquoties liberata in eam semper recidit, per consuetos diætæ errores, &c, cum rursum palleret, langueret, anhelaret, *palmum* sentiret, me GÖPPINGÆ tunc versante, *Medici* alius opem implorare nolens, ipsa *infusum limaturæ martis* consilio proprio haurire cœpit, tanta tum efficacia, ut vultu sit etiamnum *roseo*, libere spiret, agiliter moveatur. Ego pauperculis sæpe his in casibus dedi *chalybis limaturam* in substantia pani butyro perlito inspersam, summo cum emolumento. Bromiostrabi *privigna*. *Chlorosis*.

§. Nipsi *Filiolus* triennis a biduo male habet, æstuat, sitit, expavescit. Alvus est constipata, pulsus celer: *Pharmacopola* dedit *mixturam roborantem antispasmodicam* cochleatim præbendam, sed, in metu *convulsionum* singulis momentis erupturarum, accitus ego ordinavi *pulvisculum*, cujus 3. cultri cuspides cum *pharmacopolæ mixtura* propinentur: Nipsi *Filiolus*. *Convulsionum metus*.

Rec. *Pulv. March. alexiph. camer. an.* ʒß.
sacch. perlat. ʒj. *M.*

Nucham, verticem & tempora inungi volui *linimento spasmodico*:

Rec. *Ol. nuc. mosch. expr.* ʒß. *succin.* ℈j.
balf. peruv. ℈j. M. ad pyxid. stann. (d. 6. *Aug.*)

VI.

VI.

QUi mane quartum gradum quamproxime attigerat mercurius, vesperi per unam lineam lapsus est. Liquor *Thermometri* hesterno matutino & vespertino similis. Nox erat serena, tota dies nubila, appetente nocte pluviola vix attendenda.

§. Nipsus post usum menstruum *juris medicati* d. 13. *Maji* ordinati tolorabiliter habuit, de sola artuum insigni debilitate, prostrato appetitu, visusque hebetudine querelas instituens: Suasi *balneas* CANTSTADIENSES, in quibus more *tragematis* uteretur *polline* sequenti. Nipsus.

VI. Rec. *Pulv. fol. & fl. euphrag.* ʒij.
spec. diacr. Mynſ. ℥ß. *elæoſacch. fœnic.* ℥j.
trag. arom. offic ℥iij. *M.*

Filiolus, Variola. Apud *Filiolum variolæ* hodie confertim erumpunt, cum remiſſione ſymptomatum. Cochleatim exhibeatur:

Rec. *Aq fumar. ceraſ. n. an.* ℥ij.
epil. L. ℥ß.
ſir. fumar. rub. id. an. ʒij. *M.*

Teneatur in æquali calore, & vino ſit interdictum. (d. 7. *Aug.*)

Rhabdaulitis uxor. Criſis febrilis. §. Rhabdaulitis *uxor* hodie *puſtulis* per totam malam dextram ab aure usque ad mentum efflorefcit, cum omnium ſymptomatum notabili decremento, quæ res mihi ſaluberrima judicata. Quam igitur ut promoverem, ordinavi *pulviſculos* quosdam diaphoreticos, cum ſequenti vehiculo, ſeorſim etiam ſumendo, accipiendos;

Rec. *Bez. ♃ al. mater. perlat.*
cryſtall. ppt. an. ℈j. *M. F.* 3. ℥.

Bini ſumantur ante- & pomeridie, tertius cras mane:

Rec. *Aq. fumar. rub. id. an.* ℥iiß.
mixt ſimpl. ℈j. *ſir. acetoſ. citr.* ℥ß. *M.* (d. 7. *Aug.*)

Vaſalli uxor. Inappetentia, Flatus, §. Vaſalli *uxor* a doloribus plane libera ſoli proſtrato appetitui *flatuumque* nimio proventui medelam quærit. Sumat mane, pomeridie & noctu 3. cultri cuſpides de ſequenti *pulvere* per ſe:

Rec. *Spec. diacr. Mynſ.* ℥ß. *diatrag. frig.* ʒij.
rad bugloſſ. ℥iß. *lign. ſaſſafr.* ℈ij.
elæoſacch. e. 4. ol. carmin. ℥iß. *M.*

Cochleatim hauriatur *mixtura*:

Rec. *Aq. aniſ.* ℥iiij. *cinnam. cydon.* ℥j.
Tinct. aurant. ʒj. ~⊖✱. *aniſ.* ʒß.
elæoſacch. aniſ. ʒij. *M.*

Toti ventri imponatur *ſacculus ſtomachico-carminativus* nobis conſuetus. (d. 7. *Aug.*)

Lutetiani uxor. Nephritis, §. Lutetiani *uxor* 28. circ. annorum ab aliquot diebus ſentit dolores valde lacerantes in lumbis ad pectinem usque protenſos, cum urina pauca quidem, ſed crebra, nec ſine ardore, excretione. Adeſt, cum *dolore capitis hyſterico*, *vomituritio*. *Nephritidem* eſſe pronunciavi: bibat mane & pomeridie calidum hauſtum *decocti* FORESTI. Ante vero meridie hora decima, & noctu ante ſomnum quovis modo deglutiat octo *pilulas*:

Rec.

Rec. *Tereb. coct. pulv. liquir. an.* ʒß. VI.
ocul. ♋. *crud. cont. aſell. ppt. an.* ℈j.
terebinth. cypr. q. ſ. F. pil. pond. gr. j.

Vertici imponatur *pileolus antihyſtericus* conſuetus.

§. Oenophylax 26. annorum ancilla, *menſibus* laborat, ſi non ſuppreſſis, tamen valde *paucis*, cum *cephalaea*, *dyſpnoea*, *palpitatione*, *phlogoſibus*, inappetentia, preſſione cardialgica, ſiti, laſſitudine ſumma. *Febris* quædam anomala interpolatis *horripilationibus* & phlogoſibus haut procul eſſe videtur. Ordinavi *pulverem emeto-catharticum* conſuetum. Poſtea mane & pomeridie cuſp. 3. cultri de ſequenti *pulvere* ex quovis vehiculo inſequente corporis motu:

Oenophylax. *Menſium paucitas.*

Rec. *ſpec. diacr. Mynſ.* ℥ß. *chalyb. c.* 🜍*e.* ʒiij.
myrrh. r. ℈j. *balſamo ſacch. peruv.* ʒvj. *M.*

Noctu ante ſomnum adſumat *mixturæ* ſequentis gutt. xxxx. ex hauſtulo vini, vel alius liquoris:

Rec. *Eſſ. fulig.* CLAUD. *cort. peruv. an.* ʒiß. *M.* (d. 9. *Aug.*)

§. Bromioſtrabi *uxor* jam ab aliquot annis laborat *aſthmate* vel *dyſpnoea* potius valde moleſta per intervalla; ſemper a *venæſectionibus* melius habet, quas in anno frequentius repetit. Levatur etiam a *pediluviis e chamomilla, roremarino, cineribus & ſale communi* cum fontana paratis. Hæc *dyſpnoea, ſuffocationem* haut raro minitans, eſt a *plethora*, 1. Non eſt cum *rhoncho*, igitur non a *congeſtione* pituitæ. 2. Levatur a *venæſectione*: 3. Eſt cum *cordis palpitatione*; 4. Exacerbatur ab *ira*, 5. *Volatilia* magis exaſperant, quam mitigant. Hodie rurſum *venam* tundi curavi, & ſanguinem in copia emiſi, qui laudabilis fuit, ipſa, non quidem prima a *Venæſectione* die, ſed poſtera tamen leviſſime quod poſtea comperi, ſpirante. Appetitus ſemper eſt integer, immo magis auctus quam diminutus.

Bomioſtrabi *uxor.* *Dyſpnoea a plethora.*

§. Campyloxyli *puella*, (d. 3. *Aug.*) præter *tuſſim*, quam ex *dentione* oriundam judico, belliſſime valet.

Campyloxyli *puella.*

§. Nezelii *uxor* (d. 15. *Febr.*) octavo menſe gravida queritur de *ſpaſmo dolorifico abdominis* & artuum. Difficillima eſt ad medicamenta; ſuaſi, ut bis, terve in die calida ungeretur *ungu. de alth. & hyoſc.* æquali portione remixtis, cochleatim autem hauriret *mixturam ex æquis portionibus balſ. embr. aq. lavend. & cinnam. cydoniat.* confuſam (d. 3. *Aug.*)

Nezelii *uxor.* *Spaſmus ventris & artuum.*

§. Biloëtti *puellus* (d. 6. *Iun.*) nares reſeratas a tunc ordinatis

Biloëtti *puellus.* *Diarrhoea.*

VI. natis accepit, nunc *diarrhœa*, ob epidemice grassantem *dysenteriam* suspecta, laborat. Cum pulticula bis in die dentur 2. cusp. cultri de polline tali:

Rec. *Trag. gran. act. pulv. stomach. Birkm. an. ℥iß.*
ol. nuc. mosch. expr. gr. iiij. M.

Venter ungatur *unguento Comitissa.*

Letheri *uxor.* *Hypercatharseos motus.* §. Letheri *uxor electuarium purgans* d. 4. Aug. ordinatum hodie mane præmissis *digestivis* assumsit, & vehementius, quam speraveramus inde purgara fuit, sic ut *hypercatharsis* fere sequeretur, cui amoliendæ vesperi datæ *pilulæ* pro una dosi:

Rec. *Extr. bezoard. gr. iij.*
papav. comp. castor. an. gr. ij.
M. F. pil.

Non facile fidendum *hystericis mulieribus*, si facile se a *purgantibus* moveri dicant: prout enim humores ad fermentationem diversis temporibus dispositi sunt, nunc debilius ea, nunc fortius operantur. Hinc semper melius infra summam dosin subsistere. Præstat enim *purganti* stimulos addere, quam exorbitans coërcere.

Post purgationem, crastina nempe luce, faciat initium curæ *antimelancholico pulvere* sequente, sumendo mane & pomeridie cusp. 3. cultri ex quolibet vehiculo:

Rec. *Pulv. rad. bugl. fibr. helleb. n. an. ℥ij.*
lign. sassafr. ℥j. ♁. diaph. ℈iiij.
⊖. hyper. ℈ij. croc. opt. ℈j.
elæosacch. mac. ℥iij. M.

Noctu cubitum itura sumat gutt. 40. R. ♂. *helleborata* ex cochleari vini. (d. 8. *Aug.*)

Melodidascali *coqua.* *Pleuritis.* §. Apud Melodidascali *coquam* hac nocte *dolores lateris punctorii* multum remiserunt, cum æstu ac siti. Jussi hac die cum *mixtura* pergere, noctu autem, ante somnum capere sequentes octo pilulas:

Rec. *Extr. bez. papav. err. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. M. F. pil.

Latusque dolens *unguento de hyoscyamo* inungere. (d. 7. *Aug.*)

Machetes. *Syncope.* §. Machetes hisce diebus optime, quantum ipsius constitutio valetudinaria permittit, habens, hodie pomeridie summa *cordis anxietate* repente corripitur, cum semideliquiis ac frigidis sudoribus, sic, ut cor tenui filo alligatum, sibique moriendum putaret. Advocatus, caussæ externæ nullius conscius fieri potui, quamvis de concepta ira forte

non

non sine fundamento suspicarer. Ordinata *mixtura* cochleatim haurienda: VI.

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *cinnam. bugl.* ℥j.
conf. alk. c. ʒj. *spec. cord. temp.* ʒß.
sir. fl. tun. ʒiij. *M.*

Naribus odoramentum in deliquiis:

Rec. *Aq. Regin. Hung. carbunc. aur. an.* ℥ß. *M.* (d. 7. *Aug.*)

VII.

VII.

MAne Mercurius, qualis heri noctu, vesperi tamen per dimidiam lineam adscendit. Liquor *thermometri* a mane ad noctem linea una subter quartum gradum quievit. *Per noctem* rara pluvia; Dies nubila cum pluviola rarissima.

§. Hierocomus, cum (18. *Maji*) a *faucium anginoso tumore* per *ptyelismum* largissimum a tunc ordinato *apophlegmatismo* promotum liberatus esset, *podagricis* doloribus corripitur; cui tunc quidem *electuarium* meum *præservans* communicare promisi, quod nunc ab ipso postulatum tale est: Hierocomus. *Podagra.*

Rec. *Elect. de tamarind.* ℥ij. *caryocost.* ℥j.
pulv. hermodact. ʒiij. ☿ *ii dulc. vit. par.* ʒj. *M.*

Hujus *electuarii* triduo ante *plenilunium* per totum annum, nullo mense excepto ʒij. deglutiat, expectando domi, sub regimine, ternas vel quaternas sedes. Quid hoc *electuarium*, ad præservandos dolores *arthriticos* fixos, valeat, & ex quo fundamento agat, vid. in *Miscellan. nost.* *P. I. p.* 165. *seq.* Nos sane laudabiles ejus effectus prædicare valemus.

Idem mane *tormina* levia se pati dicit. Suasi 2. l. 3. scutellas *Caffé.*

§. Esmori *Filiola* septem annorum jam a biduo patitur insultus *dysentericos*, cruenta dejicit, dejectiones crebræ cum torminibus circa umbilicum. Appetitus dejectus. Sitis magna, cum æstu. Difficilis est ad medicamenta. De *tragea granorum actes* singulis tres horis 2. cusp. cultr. per se præbeantur, assumto sæpe cochleari de sequenti *mixtura*: Esmori *filiola.* *Dysenteria.*

Rec. *Aq. plantag.* ℥iij. *cinnam. cydon.* ℥j.
cor. r. ppt. 🜄. *catech. an.* ℈j.
conf. de hyac. ʒß. *sir. myrtill.* ʒij. *M.*

Vitetur vinum. Potus sit aqua fontana cocta, in qua panis tostus *nuce moschata* perfrictus, madescit. Totum corpus, cumprimis autem venter ac pedes in æquali calore serventur, vitato omni frigore externo (d. 8. *Aug.*)

VII. Regenotti *uxor*. *Colica spasmodico flatulenta*.

§. Regenotti *uxor* (d. 19. *Jul.*) in ultimo graviditatis mense constituta denuo *torminibus*, quasi falsis partus doloribus, obruitur, cum *pavore*, *tremore*, umbilici retractione, *borborygmis*. Metuebam de *convulsionibus* & reputabam pro *colica spasmodico-flatulenta*. *Mixtura* cochleatim dabatur:

Rec. *Aq. lavend rut. an. ℥ij. balf. embr. ℥j. specif. cephal. ʒß. smaragd. ppt. gr. Xij. Conf. alk. inc. ʒj. sir. fl. pæon. ʒiij. M.*

Sacculus abdomini, quam ferri potest, subinde calidissimus applicetur e speciebus pone sequentibus:

Rec. *Herb. rorisn. salv. rut. fl. lavend. an. mj. bacc. laur. ʒvj. cort. aur. sicc. ʒiij. M. conc. cont. D. ad. Chart.*

Vesperi quadantenus melius ac tolerabilius vixit. Pergatur. (d. 9. *Aug.*)

Rhabdaulitis *uxor*.

§. Rhabdaulitis *uxor* nocte præterita horrorem novum vehementissimum ac diuturnum sensit, cum æstu magno in sequente. Præter dextram hodie sinistra quoque *mala* effloreſcit, & cum cutis alioqui sicca sit, ipsaque anxietatem circa præcordia sentiat, insuper tempore hujus puerperii nondum sudaverit, *potiuncula* sequenti *sudorem* prolicere non inutile duxi:

Rec. *Aq. card. bened. fl. samb. an. ℥j. mixt, simpl. ʒß. lap. bez. or. gr. iiij. diaph. ♃ al. ℈ß. ⊖. vol. C. C. gr. iiij. sir. fumar. ʒij. M. pro 1. dosi.*

Reposito *pulvisculo* hesterno adhuc reliquo, statim, quam ex *officina* venerit, exhauriat, superque intectis stragulis ad sudorem largum se componat, assumto interdum sequentis *mixturæ* cochleari:

Rec. *Aq. fumar. rub. id. an. ℥iiß. mixt. simpl. ʒß. sir. fl. tun. ʒß. M.* (d. 9. *Aug.*)

Nipsi *filiolus*. *Variola*.

§. Nipsi *Filiolus* faciem hodie confertissimis obsidetur *variolis*, cum omnium symptomatum notabili remissione. Cum autem alat capillos valde densos, evaporationum e cerebro impeditores, quin illos præscinderent, rogavi. Respondebant ipsi, *pueris ante septennium, capillos plane non rescindi debere*; nam inde memoriam vel aboleri, vel certe im-

imminui, catharrhosque evocari. Ridens id meo facerent periculo hortatus sum. Fecerunt. (d. 30. *Aug.*) VII.

§. Siderolithi *uxor* per ordinata d. 5. *Aug.* capitis fere omnem dolorem abigi sensit. Quamvis de *cucuphæ* summo fœtore multum quiritetur. Fœteat, dum juvet. Juvat autem in omni *cephalæa hysterica.* (d. 5. *Sept.*) Siderolithi *uxor*, *cephalaa hysterica.*

§. Vasalli *uxor* belle habet, bene dormivit, dolor *nephriticus* cessavit, urina libere profluit; vires cum appetitu redeunt. Pergat cum nuper ordinatis. Vasalli *uxor*.

§. Machetes hodie melius habet, ac laudat effectum *mixturæ cordialis*; attamen virium adhuc adeo debilis est, ut solus incedere nequeat. Parum comedit. De hoc *electuario* capiat interdum quantitatem castaneæ: Machetes. *Syncope.*

Rec. *Consf. acetosell. fl. tun. an.* ℥ij.
elect. resumt. ℥j. *conf. alk. c.* ʒj.
cor. r. ppt. matr. perl. ppt. an. ʒß.
sir. acetos. citr. q. s. F. Elect. med. consist.

Pergat cum hesterna mixtura. Bibat emulsionem amygdalinam saturatiorem. Utatur gelatina refectiva Ducissæ, quæ constat e mucilaginosis partibus quadrupedum cum cochleis & cancris. (8. *Aug.*)

§. Dynosideri *scabiosis Filiis* ordinata d. 1. *Julii* alvum sufficienter moverunt, &, postquam interim mixtura *hæmocathartica* diligenter usi fuissent, hodie scripsi *linimentum antipsorum.* Ungantur alternis noctibus brachiorum ac pedum articuli calide, circumligando linteamina: Dynosideri *filii*, *Scabies.*

Rec. *Ungu. de litharg.* ℥j. *æthiop. miner.* ʒij.
ol. laur. ʒiij. *tart. per del.* ʒj. *M.*

Insons est hoc medicamentum, non *repellens*, sed sanans, multo mihi usu comprobatum.

§. Silurulus de *obauditione* ac susurro queritur. Sumat *pilulas de succino Crat.* & mane interdum granum *mastickes* masticet tam diu, quamdiu phlegma prolicitur, donec tempus autumnale, quid ultra sit faciendum, commonstret. Silurulus. *Obauditio. Tinnitus.*

Ejus *uxor* tumet tota facie, cum dolore *faucium* & utriusque maxillæ. Sudores binos excitet mane in lecto sumendo ℞. *bez. Mich.* ʒß. ex vehiculo quolibet. *Pulvere* HAUGII *fumali* fumigentur maxillæ crebro, aërem externum arcendo, *gargarisetur* sæpe calide, cum *Dec. rad. alth. & croci cum lacte vaccino*, (d. 12. *Aug.*) *Uxor. Tumor faciei.*

Coqua

Melodidascali coqua. Rhabdaulitis *uxor.*

§. *Coqua* Melodidascali passionem *stomachi* sentit, cui commendavi *litum* scrobiculi cordis exæquali portione *ol. absinth. coct. & lumbric.* Cætera levius habet, uti & *Rhabdaulitis* uxor *sudore* matutino multum profecit; & credo *febrim* hoc sudore solutum iri. (d. 15. *Aug.*)

VIII.

VIII.

MErcurius per totam diem in quarto gradu: liquor *thermometri* paullo infra illum mane constitutus, vesperi ultra eum adscendit. Nox nubila, dies calida & serena.

Esmori *filiola.* *Dysenteria.*

§. Dejectiones cruentæ ac tormina apud Esmori *Filiolam* augentur. Ordinavi *electuarium*, cujus singulis 3. horis quantitas castaneæ præbeatur, non intermissa hesterna *mixtura*:

Rec. *Conf. ros. r. antiq* ℥ß. *miv. cydon.* ʒij.
conf. de hyac. ʒj. *pulv. nuc. mosch.* ℈ß.
Cor. r. ppt. ♁. *catech. bol. arm. ppt. gumm. arab. an. gr.* xv.
laud. op. gr. ij. *sir. myrtill. q. s. F. Elect. med. consist.*

Sacculum ex *furfuribus, herb. equiset & fol. quercus* tantum, qui totum ventrem tegat, identidem calefactum imponant. Potus sit *lac cum aq. fontana* ita coctum, ut *lactis v. gr. mens.* ß *bullienti* sensim affundatur ista *aqua*, & agitetur cochleari ligneo, tamdiu, ut his 2. liquoribus dimidia sui parte consumtis tamen non nisi dimidia mensura remaneat, more Boyleano; quem potum *dysentericis* commodissimum reperi. (d. 9. *Aug.*)

§. Hodie ab Excell. Dn. D. Kekkio *Physico* Heidenheimensi, transmissa fuit Historia anatomica *Chirurgi Regiofontani* quadragenarii, cujus summa hæc est: Inciderat hic vir militiæ diu deditus, ante sexennium prævio *frigore* & *febrili* æstu in *hæmoptysin*, quam, decenti medicationi cedentem, excepit *tussis* primo humida, mox pituitosa, denique sicca cum *febri lenta*, quos hostes tum medicamentis, tum accurata *cumprimis lactea* diæta diu fatigavit, donec illi, collectis viribus, miserum denuo adorirentur, excitato novo sanguinis sputo cum priscis symptomatis. Hi consuetis armis denuo repressi ante biennium vi magna rursum irruperunt, augmentum capientibus *febri, tussi, asthmate, tabe,* doloribus tensivis in *epigastrica regione*, ubi *tumorem hepatis scirrhosum* se alere patiens autumabat, quem, suppressa exspiratione, manibus prehendi posse dicebat. Inter has miserias, adaucto *asthmate*, inops consilii, vitam ad sex usque septimanas trahens denique exspiravit. In aperto corpore pulmonum lobi non tantum pleuræ, sed & *diaphragmati* tam

arcte

arcte adnati, ut solis digitis separari non possent; in ipsa *pulmonum substantia plus* mille *grandines* duræ siccæ, ad instar lentium, *tuberculorum* nihil. Curiosissimum erat *ligamentum membranaceum tres digitos latum e media diaphragmatis parte nervosa prognatum, & super hepatis partem convexam semet extendens*, quod caussam *scirrhi putatitii* inspiratione & *tussi* frequentiori hepar sursum tollentis, & inde excitati doloris tensivi suspicabar. Ipsa *hepatis* substantia, cum reliquis visceribus erant in statu admodum naturali. Aperturam corporis me præsente peractam fuisse, optassim.

§ Esmorus mihi monstrabat *verrucam pensilem* pisi minoris magnitudine supra genam sinistram, proxime sub illa *palpebra* inferiore versus nasum, & rogabat, num ligatione cum seta, vel *filo sericeo* posset exstirpari. Re probe explorata, quamvis locus ob inflammationem *cancrosam* interdum sequi solitam, parum videatur commodus, attamen, cum basis ejus sit angusta, operationem illam locum omnino habere posse pronunciavi, si debita cum circumspectione res agatur. Sic enim subtracto nutrimento sensim marcescentes decidunt. Esmorus. *Verruca pensilis.*

§. Machetes vires eleganter colligit, & eximie laudat effectum *mixturæ ac electuarii* roborantis cum *gelatina*: Hinc omnium continuationem suasi. (d. 9. *Aug.*) Mache.

§. *Coqua* Melodidascali præterita nocte novum horrorem concepit cum insequente magno æstu, sed sine dolore lateris punctorio. Saltem conqueritur de *pressione præcordiali*, adstantes eam delirasse, & quasi deliquia per noctem passam esse dicebant. Locus in quo decumbit, est angustus & obscurus, sic, ut omnia necessaria tam accurate neque examinari, nec ipsa quoque aëre liberiore ac puriore frui queat; ne dicam, ob noctes frigidiores sudorem reprimi, nec tuto abstergi posse, cum tamen in *ephidrosi* prora & puppis curæ sita sit. Ordinavi 2. *pulveres*, ante ac pomeridie sumendos: Melodidascali *coqua.* *Febris continua.*

Rec. ♁. *diaph. lap. prun.* ♉. *nativ. pp. an.* ℈j.
M. F. 2. ☿.

Quibus *mixtura* sequens, etiam seorsim sumenda, loco vehiculi inserviat:

Rec. *Aq. fl. til. samb. an* ℥iij.
mixt. simpl. ʒj. *sirub. rub. id.* ℥ß. *M.* (d. 9. *Aug.*)

§. Rhabdaulitis *Filiola* (2. *Aug.*) denuo *pultes* & *lac vomenti* alvum- Rhabdaulitis *filiola.* *Vomitus.*

VIII. alvumque cum torminibus & multis flatibus deponenti guttulæ sex *mixturæ* cum *aqua cinnam, cydon.* bis in die præbeantur:

Rec. ~⊖✱. *anis.* ℥j. *ol. caryoph. gtt. ij. M.*

Venter inungatur quandoque *unguento de hyoscyamo*, frequentius, parcius, pro modulo clamoris.

Mater indies melius habet. (d. 12. *Aug.*)

Apiarius. §. Apiarius (7. *Iul.*) me absente vires nondum plane collegit; semper adhuc lassus, appetens licet multum, tamen adhuc interpolatas *horripilationes*, *phlogosesque* nocturnas sentiens, & noctes inquietas consumens. Hæc & alia symptomata fidem faciebant, *purgatione* adhuc opus esse: hinc ipsi hac nocte ante somnum *pulverem digestivum* & in crastinum diem *electuarium purgans*, utraque consueta, ordinavi. (d. 21. *Aug.*)

Ageranomus. *Tumor genu.* §. Ageranomus (d. 23. *Jun.*) ante annum *tumore genu dextri* valde dolorifico diu laboravit, nulla fere medicatione coërcibili, quindenique pes totus versus nates recurvatus pavimentum non amplius attingebat, optime conferre visum est *unguentum* cujusdam fabri SCHORNDORFFENSIS, quod inunctum vesicas undique excitavit, quæ serum acre fundentes manifestum levamen attulerunt. Denique suo tempore *balneas* BOLLENSES usurpavit, eo cum levamine, ut domum reversus uni scipioni (nam opus antea fuerat duobus,) innixus, circuire posset, paullo post autem extra domum quaquaversum equitaret, denique per pedes, quamvis non sine fulcro, super strata lapidea mearet, postremo sine ullo fulcro liber & vix cum ullius claudicationis nota incederet; sic ut hoc quoque sit manifestum felicissimæ *hystherergiæ medicinalis* exemplum. Cum igitur anno præterito tam bene cesserit lotura, suasi, ut firmandæ pedis valetudini dictas *balneas* rursum hoc anno donaret, quod salutare consilium adeo mature, quam necessitas postulasset, amplecti non potuit, præpeditus a negotiis ducalibus inevitabilibus. Hinc in dicto *genu* circiter ante octiduum obortus novus dolor cum pauco *tumore*; *unguentum* SCHORNDORFENSE in subsidium denuo non sine successu vocatum; sed *balneas*, ut quantocyus tamen adiret, omnibus modis suasi; eique fini *potiuncula consueta* purgavi. Id autem notabile fuit, quod ante annum quoque factum, nempe stranguria & ardore primum urinæ, hinc *mictione cruenta* ægrum correptum fuisse. Caussam, quam tunc equidem temporis non satis indagaveramus, hoc anno recte conjecimus in *vesicans unguentum* SCHORNDORFENSE, de quo non dubitabam, quod *cantharides* compositionem ingrederentur, quamvis GNOMI-

LEGUS

LEGUS postea mihi dixerit, certos quosdam *scarabeos* sub terra nidulantes efficacissimam *illius unguenti* partem absolvere. [d. 10. *Aug.*) VIII.

§. Usias a *pilulis* d. 5. *Augusti* ordinatis quidem *diarrhœam* sentit mitiorem, sed tamen non nullam, & EGRANS bibere protinus intermisit. De *appetitu prostrato & apepsia* quasi ulteriores panguntur næniæ. Capiantur singulis horis quatuor cuspides cultri de *pulvere* sequenti: Usias. *Diarrhœa.*

Rec. *Trag. gran. act.* ℥vj. *spec. diatrag. fr.* ℥ij.
🜄. catech. bol. arm. croc. ♂. adstr. an. ʒj.
extr. papav. ℈j. *ol. nuc. mosch. expr. gr. vj.*
elæosacch. caryoph. ℥j. *M.*

De *oleo nucis moschatæ expresso* quolibet in pastu liquefiat quantitas pisi minoris in primo cochleari calidi juris & assumatur. (d. 22. *Aug.*)

§. Vocor ad *filiolam* 18. septimanarum SORI. Hypocaustum adeo calefactum erat, ut spiritum vix ducere potuerim. Cunis præterea fornaci admotis infans tantum non assabatur. Caussam rogati dicebant, infantem *variolas* exclusuram videri, calore proinde opus habere. Æstuabat valde, vehementer sitiebat, sudore diffluebat, expavescebat. Calorem immodicum taxavi, sanguinem inde plus inflammari, æstum internum intendi, malignitati fores pandi, & *variolarum* proventum augeri perhibens. Ordinavi *mixturam* cochleatim præbendam: Sori *filiola.* *Variolæ.*

Rec. *Aq. fumar. fl. samb. til. an.* ℥j.
♁. diaph. pulv. march. an. ℈j.
sir. fl. pœon. ʒiij. *M.*

Fontanellæ capitis & scrobiculo cordis imponatur *emplastrum theriacale.* Potui misceatur *aqua fumariæ.* Regimen sit moderatissime calidum, dummodo ne frigidus aër admittatur.

§. Nesciebam, cur Letheri *uxor* statim, quum me primum vocaret, ac hucusque semper a me flagitaret *decoctum hæmo catharticum Uxori* ACOLASTI anno superiore ordinatum, quum ad ipsius statum præsentem (d. 6. *Aug.*) minus quadrare videretur. Hodie vero mihi demum confessa est, se laborare *gonorrhœa*, eaque secundam aliquas circumstantias, a *virulenta* non multum abludente. Scripsi igitur illud *decoctum*, quod non erat aliud, quam Musitani *aqua antivenerea* in superioribus jam descripta. Quidam ægrotantes, cumprimis in locis, quæ pudor nominare vetat, & in morbis sordidioribus, tergiversantur, Letheri *Uxor.* *Gonorrhœa.*

VIII. nec *Medico* rite mala sua confitentur, nescio, qua stolida persuasione ducti, *Medicum* suapte sponte mali sentinam olfacturum; quod eo minus in *gonorrhœa* succedit, quo longius *Medici* nasus abest a loco affecto. Pudere potius debebat commisisse, unde tales morbi propullulant, quam præsentes reticuisse. De *Medico* enim & illud 1. Sam. XVI, 7. omnino prædicari debet: *Homo videt, quod coram oculis,* JEHOVAH *autem videt,* quod in corde. Quod si igitur tam intempestive verecundi præpostere curantur, sibi habeant.

Apiarii *uxor.* *Febrilis accessus.*

§. Apiarii *uxor,* 60. annorum, post horrorem æstuat cum dolore capitis, lassitudine, inappetentia, siti; sumat hac nocte 6. *pilulas*:

Rec. *Extr. bez. papav. comp. an. gr. iij.*
M. F. 6. pil.

Et per noctem interdum *mixturæ* cochlear:

Rec. *Aq. fl. samb. card. bened. an. ℥ij.*
mixt. simpl. ℈*ij. ess. anod.* ℈*j.*
sir. papav. errat. ʒ*iij. M.* (d. 9. *Aug*)

Fatodura. *Angina spuria.*

§. Fatodura 26. annorum virgo de *faucium dolore* conqueritur, cum deglutiendi difficultate, punctionibus colli & *dyspnœa*. Nec horror præcesserat, nec æstus aderat. Videbatur mihi *angina spuria* a potu nimium frigido orta. Colluatur os frequenter *lacte calido* cum *sir. de symphyto* edulcorato, & post quamlibet collutionem *eclegmatis* sequentis cochlear unum lente deglutiatur:

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. ros. extr.* ℥*j.*
mell. rosat. sir. viol. an. ℥*ß. M.*

IX.

IX.

UTraque vasa in quarto gradu mane, vesperi autem Mercurius infra lineam ultimam quarti gradus descenderat, liquor autem *thermometri* dictum gradum duabus lineis superarat. Nox erat mediocris. Dies serena & calidissima.

Neandri *uxor.*

§. Neandri *uxor* in *signo virginis scarificari* solita heri cucurbitulas sibi affigi curavit. Noctes aliquot insomnes tulit, *metu* quodam *præternaturali* perculsa, nunc per semestre gravida. Quærit, cum hodie sit dies clara *luna* in incremento, & *metus* ille *præternaturalis* valde molestus, *an venam secare liceret*? cum heri *scarificata* fuerit? Re pensitata concessi, quum fiduciam in *sectione venæ* ipsam collocasse vidissem, nec *scarificatio* præmissa *phlebotomiam* impedire videretur.

§. Netrix

§. Netrix gibbosa 30. annorum de *dyspnœa* ac *tussi matutina* querebatur. Quamdiu spiraret anhelosa quæsivi? respondit se non recordari, quod unquam libero spiratu perfructa fuisset. Bene, inquam, *omnes* enim *gibbosi dyspnoici*: Quanto magis enim incurvata spina vel antrorsum vel retrorsum prominet, tanto angustior fit cavitas thoracis; in utrisque lateribus, sic ut *pulmonibus* se libere ac sufficienter expandendi spatium non detur, unde *dyspnœa*. Præterea, cum *pulmones*, ob denegatum sufficiens spatium in inspiratione semper fortius ad *pleuram* allidunt, eorum denique extima membranula excoriatur, quo facto ipsi statim *pleuræ* adnascuntur; unde est, quod *gibbosi* plerumque moriantur ex *phthisi*. Liberam igitur respirationem hic nullatenus esse sperandam pronunciavi, quinimmo, me propter *tussim* molestam de accretione pulmonum ad pleuram non dubitare dixi. Aliqualis tamen levamenti caussa commendavi *electuarium* meum *antiphthisicum euporiston ex rad. helen. herb. veron. & heder.* 🜄. *cum despumato melle exceptis paratum*. Admonui quoque ne fidei, neve pecuniæ multum in *medicamenta*, cumprimis pretiosa, colloraret. Sola enim exacta diætæ observatione vitam diu protrahi posse. IX. Netrix. *Dyspnœa.*

§. Cum Rhabdaulitis *uxor* (d. 7. *Aug.*) indies melius habeat, jussi nunc inchoare usum *elixiris ac tragematis* d. 2. *Aug.* ordinatorum. Nam propter *febrim* tunc irruentem alia via incedendum & illa *stomachica* tantisper differenda fuerunt, (d. 10. *Aug.*) Rhabdaulitis *uxor.*

§. Namaplusii *Filius*, (d. 30. *Iul.*) cum ex *acidis* GÖPPINGENSIBUS sanus & incolumis domum reversus esset, nec interea quidquam incommodi sensisset, heri *paroxysmo febrili* ex improviso correptus fuit. Frigus & in sequens æstus valde intensi: Namaplusii *Filius.* *Febris.*

Rec. *Conch. ppt. ocul.* ♋. *ppt.*
♁. *diaph.* ☽. *ppt. an. gr. xv.*
ol. caryoph. gtt. ij.
M. F. 2. pulveres.

Sumatur unus antemer. alter pomeridie, utrique cum vehiculo pone sequenti, seorsim etiam per cochlearia hauriendo:

Rec. *Aq. rub. id. borrag. acetos. an* ℥ij.
conf. alk. c. ʒj. *sir. acetos. citr.* ʒiij. *M.* (d. 10. *Aug.*)

§. Apiarii *uxor* hanc noctem tolerabiliter satis transegit. Hodie mane deglutiendas dedi *pilulas purgantes*: Apiarii *uxor.*

IX. Rec. *Extr. cathol. gr.* xvj.
magist. gial. gr. vj. scammon. gr. v.
cum elix. propr. F. pil. n. xviij. *de* ☉. *pro 1. dosi.*

Non nisi bis alvum moverunt, sola *tormina* excitantes ac nauseam, quare vesperi commendavi *decoctum fol. sennæ cum prunis dulcibus*. (d. 11. *Aug.*)

Maritus. *Oedema pedum.* *Maritus*, quod in morbis chronicis persæpe fieri solet, præsertim in senibus, *tumore pedum œdematoso* laborat. Dixit laudatum sibi esse ab amico, ut *raphanos recentes in taleolos discissos plantis pedum applicaret*; quod minime rejeci. (d. 12. *Aug.*)

Esmori filiola. *Dysenteria.* §. Apud Esmori *Filiolam dysenterica* lues augetur. Jussi pergere cum medicamentorum adhuc præsentibus reliquiis. (d. 10. *Aug.*)

Regenotti *uxor.* *Languor.* §. Regenotti *uxor* nupera quidem symptomata (7. *Aug.*) remisisse prædicat, sed tam esse languidam & virium omni robore se *exspoliatam* quiritatur, ut vix erecta possit incedere: se etiam de *embryonis* vigore dubitare. De *electuario roborante* quantitatem *nucis moschatæ* frequenter deglutiat:

Rec. *Elect. resumt.* ℥vj. *conf. fl. tun.* ʒiij.
diacinnam. reg. M. conf. alk. inc.
pulv. anal. fr. Mind. inc. an. ʒj.
sir. cinnam. q. s. F. elect. med. consist.

Cochleatim hauriatur *mixtura*:

Rec. *Aq. borrag. ceras. n. an.* ℥ij. *cinnam. cydon.* ℥iß.
conf. alk. inc. ʒj. *spec. cordial. temp.* ʒß.
sir. fl. tun. ʒiij. *M.* (d. 11. *Aug.*)

Machetes. *Hæmorrhagia gingivarum.* §. Rursum quid novi apud Machetem! Gingivarum *hæmorrhagia* valde copiosa, quæ perterefecit hominem, nescio quid inde periculi divinantem. Bono animo esse jussi; sanguinem nempe acrem scorbuticum illinc bono suo evacuari, eoque promtius, quod absumta *hypersarcosi gingivæ* porosæ nudæ nunc jaceant supersedendum duxi validis *ischæmis*, & sola *tinctura* sequenti gingivas oblini volui:

Rec. ℞. *gumm. lacc.* ℥j. *mell. rosat.* ʒiij.
∽. cochlear. ʒß. ⊖✱. ℈j. *M.* (d. 10. *Aug.*)

Rhizodactylus. *Obauditio.* §. Rhizodactylus a *linimento* d. 30. *Iulii* ordinato aures propemodum plane exsiccari sensit, sine notabili auditionis incommodo, sic ut sanus fere ac plane incolumis e Göppingensibus domum rediret. Ego tamen cum Gnomilego ipsum visitavimus. Aures externæ sibi restitutæ interna dextra parum adhuc saniei plorabat, sine ullo fœtore; Cum tamen

men patiens fluxu plane cohibito semper adhuc *obauditionem* timeret, Auctores ipsi fuimus, ut *fonticulum* adhuc unum alteri brachio affigi curaret, cæterum interno medicamine nullo uteretur, sine summæ necessitatis casu, expectata prius *acidurum* HYSTERERGIA, quod se facturum promisit. IX.

§. Melodidascali *Coqua* novum præterita nocte *febrilem* & sat quidem gravem *insultum* sustinuit. Post frigus non admodum vehemens cum æstu vehementiori aderant vera *deliquia hysterica* cum *palpitatione cordis* & *membrorum spasmodica contractione*. Per totam noctem deliravit. Meo suasu e cubiculo tam angusto & obscuro in commodiores ædes deportata fuit in hypocaustum serenum spatiosius, &, si opus, calefaciendum. Porro fuerunt ordinata sequentia medicamenta simul *antispasmodica* & *hysterica*, sub spe præsentioris effectus: Melodidascali *Coqua*.

Rec. ♁. *diaph. CC. philos.*
♁ *nativ. ppt. oc.* ♋. *ppt. an. gr.* XV.
M. F. 2. ℞.

Quorum unus hodie noctu, alter cras mane, cum vehiculo sequenti, seorsim quoque hauriendo, sumantur:

Rec. *Aq. meliss. borrag. an.* ℥ij. *hirund. c. cast.* ℥j.
sir. fl. pæon. ʒiij. *M.*

Ingruente *paroxysmo liquoris CC. succin.* gutt. XXV. infundantur, & strophiolum hujus liquoris aliquot guttis madefactum naribus admoveatur. Vinum nullatenus bibat; sitim soletur aqua fontana cocta, in qua panis tostus maduit. (d. 10. *Aug.*)

§. Oenophylax (6. *Aug.*) per omnia melius habet, nisi quod calore præternaturali cum siti adhucdum vexetur. Pergat cum nuper ordinatis. (d. 20. *Aug.*) Oenophylax.

§. Nezelii *uxor* (d. 6 *Aug.*) jam per biduum *diarrhœa* laborans, metuit sibi de *dysenteria epidemica* eo magis, quod existat gravida; Cochleatim sumat *mixturam*: Nezelii *uxor*. *Diarrhœa*.

Rec. *Aq. plantag.* ℥ij.
cinnam. cydon. hirund. c. castor. an. ℥j.
Cor. r. ppt. 🜄. *catech. an.* ℈j.
laud. op. gr. ij. *sir. myrtill.* ʒiij. *M.*

Noctu ante somnum sumantur *pilulæ*:

Rec.

X. Rec. *Extr. papav. comp. gr. ij.*
castor. ther. cœlest. an. gr. ij.
M. F. 7. pilulæ.

Bibat *emulsionem amygdalinam.* (d. 10. *Aug.*)

Epistrophea. *Fluor muliebris.* §. Epistrophea 40. annorum virgo *mensibus inordinatis*, *uteri hæmorrhagia*, *fluore albo*, *cardialgia* cum *vomitibus* jam diu vexata, usurpatis quam plurimis medicamentis manum quoque meam experiri voluit. Ordinavi *pulverem*, cujus mane & pomeridie cusp. 3. cultri per se assumeret, corpus ab assumtione semper movendo:

Rec. *Spec. diacr. Mynf.* ℥ß.
pulv. cach. qu. inc. ʒij. 🜄. *catech.* ʒß.
⊖. *succin. vol.* ℈j. *balsamo sacch. de copaib.* ʒvj. *M.*

Noctu ante somnum *conservæ spagiricæ* ʒß. deglutiat. Diæta sit congrua, non aulica. [d. 28. *Aug.*)

X.

X.

Mercurius mane in tertia linea quarti gradus, vesperi ad ejus medietatem subsedit; Liquor *thermometri* mane in quarto gradu constitutus vesperi medium quinti gradus attigit. Nox fuit serena & valde calida, qualis & dies sequebatur.

Esmori *Filiola.* *Dysentoria.* §. Esmori *Filiola* non toties præterita nocte, quam præcedentibus, sæpe tamen alvum deponere coacta fuit & magis cruenta dejicit; deliravit etiam, appetitusque omnis aboletur. Propter *tormina* ventriculus & abdomen totum calide ungantur *unguento*:

Rec. *Ungu. Comitiss.* ʒvj. *ol. cydon.* ʒij. *M.*

Tenesmo *fumum corticum quercinorum* domestici sponte opposuerunt, qui ano excipientibus fuit. Noctu ante somnum sumat. 1½. *pil. theriacales.* Rogabant quoque, *an non liceret bibere lac in qua charta scriptoria decocta fuerit*, hoc enim, ceu *specificum antidysentericum* a multis suaderi? Re pensitata non recusari potest, id sine dubio glutini quod chartæ huic inest, adscribendum. Laudatur autem charta tenerrima, quam vocant Postpappier.

Mirati sunt aliqui, unde nunc *dysenteria epidemica*, cum fructus horæi nondum sint maturi, immo nihil hoc anno succreverit, immo infantes aliquot hebdomatum hoc morbo corripiantur? Unius autem rei plures esse possunt, præsertim remotiores & *procatarctica* caussæ. *Mensis Julius* fuit pluviosus fere per totum & frigidus adeo ut in *acidulis* Göppingensibus sæpe focos instruere necesse habuerimus; Hic autem mensis

mensis plus nimio calidus facile hunc motum & eo facilius producere potuit, quod plurimum tunc & magis, quam pro naturæ exigentia, plerique frigidam potare sint soliti. (d. 11. *Aug.*) X.

§. Mosellani *major* natu *filiola* 6. circ. annorum, heri prævio horrore insigniter æstuare cœpit, neque calor *præternaturalis* hodienum cessat. Mosellani *Filiola.* *Accessus febrilis.*

Rec. *Bez. miner. CC. philos.*
♁. ♉ *ii an.* ℈j. *M.F.* 3. ℥.

Detur singulis 6. horis una dosis ex vehiculo sequenti seorsim quoque sumendo:

Rec. *Aq. fumar. acac. ceras. n. an.* ℥iß.
mixt. simpl. ʒß. *sir. papav. err.* ℥ß. *M.*

Vinum potui non detur. (d. 11. *Aug.*)

§. Machetes nondum cessat *gingivarum hæmorrhagiam* pati, sollicitus de nimio sanguinis fluxu, quamvis de reliquo non admodum male habeat. Verum est, omne nimium esse Naturæ inimicum. Magnam enim copiam sanguinis jam profluxisse fateor. *Pulvis* sequens excipiatur *albumine ovorum*, & spleniis crassiuscule allitus imponatur dentibus & gingivis, ibi loci, ubi *sanguinem* fundunt, quod fit in sinistra maxillæ superioris parte. (d. 11. *Aug.*) Machetes. *Hæmorrhagia gingiv.*

Rec. *Bol. arm. ppt. Cor. r. ppt. CC. ust. ppt. amyl. an.* ʒj.
M. F. pulv.

§ Melodidascali *Coqua* melius habet. Cum ejus *febris* sit *intermittens*, & varia signa congestionem pituitæ in primis viis doceant, *purgatione* opus esse censens, in crastinam diem præscripsi *pilulas*: Melodidascali *Coqua.*

Rec. *Extr. cathol. gr. xv.*
mag. gial. scamm. an. gr. vj.
cum ℞. *castor. F. pil. n. xviij. pro una dosi.*

Interim hodie cum *mixtura* cochleatim haurienda pergat. (d. 11. *Aug.*)

§. Ageranomus (d. 8. *Aug.*) placide per *haustum hesternum* evacuatus est. Dolorem hunc per biduum in plantis pedum quasi ardentem percipiens, alius consilio *sale tosto soccis instrato* pepulit. (d. 12. *Aug.*) Ageranomus.

§. Namaplusii *Filius* sufficienter evacuatus hodie de re nulla queritur. (d. 12. *Aug.*) Namaplusii *Filius.*

§. Horridula (d. 28. *May.*) mihi hodie obviam facta plus quam pancratice valet, quæ in omnium, etiam *Medicorum*, animis pro desperata fuit habita, vid. 28. *May.* (d. 18. *Aug.*) Horridula.

XI. §. Decretum a Senatu opidano hujus tenoris accepimus: PHYSICI *cum* CHIRURGO *jurato in leprosorio commorantem Leprosam S. E. decenter & pro rei exigentia curanto.* Illam igitur visum & inspectum ivimus in dicta domo, nec ulla *lepra*, sed *scabie* tantum *fera* a capite ad calcem inquinatam comperimus, &, quum alioqui paupercula hæc ob inopiam tota extenuata & languida hic appulerit, donec largiore victu utens habitior fieret, curam distulimus, *vino medicato purgante*, hinc *salivatione mercuriali & decoctis xylinis* suo tempore, non omissis externis, perficiendā.

Inspeximus etiam PANDOCHEAM *ulcere phagedænico pedis sinistri* a genu usque ad tarsum laborantem, & jam ultra semestre ibi commorantem. Valde rebelle ac *dysepulotum* est *ulcus* ac dolor summus, quamvis multis modis jam mitius & minus, quam in prima inspectione. Speramus *aquis phagedænicis* & interna *hæmocatharsi* malum denique victum iri.

Mulier, quam d. 16. *Aprilis* scripsimus a quadriennio *lue venerea* infectam, multis remediis usam, curam diuturnam quoque & sumtuosam futuram nunc per DEI gratiam sane ac libera evasit; & quamvis ob virium robur nondum recuperatum alimoniam & ulteriorem in leprosorio moram ipsi non invidissemus, ob maledicentiam tamen auctores fuimus, ut illa domo exigeretur, quod factum.

Puer leprosus, de quo d. 13. *Jan.* & 16. *Aprilis* dictum, a nobis quoque pro perfecte sanato, &, qui vel in scholam mitti, vel opificio cuidam applicari tuto possit, aptus judicatus.

Nezelii *uxor.* *Diarrhœa.* §. Nezelii *uxor pilulas* assumsit, sed de *mixtura* fere nihil. *Diarrhœa* parum cessat, tormina vero augentur. Protestatur contra quævis medicamenta, & bibit *lac amygdalinum.* Scandalum *Medicorum*! (d. 11. *Aug.*)

Rhabdaulitis *uxor.* §. Rhabdaulitis *uxor* usum *tragematis* & *elixiris* valde proficuum experitur. Appetitus redit cum viribus. Lac abundat, ipsaque sibi omnino restituta videtur.

XI.

MErcurius, qualis heri vesperi, hodierno tamen vespertino tempore usque ad primam quarti gradus lineam subsidens. Fluidum *thermometri* mane paullo supra quartum gradum adscendens, vesperi medietatem quinti gradus attigit. Nox serena, tota dies eadem, & vehementer calida.

Esmori *Filiola.* *Dysenteria.* §. Esmori *Filiola* mane satis commode habere visa per noctem non admodum frequenter, sed *merum* fere *sanguinem* dejecit. Interim appetitus planissime prosternitur, & vires indies magis labascunt. Queritur

tur de vehementissimis per diem *torminibus*. Pergatur cum medicamentis, quæ & ipsa amplius, non nisi valde coacta, sumit: noctu exhibeatur ℈j. *ther. Androm.* XI.

In longis dysenteriis cibi fastidia malum denunciant, & cum febre pejus. Hipp. *S. VI. Aph.* 3. Omnis quidem *dysenteria* proprie dicta conjunctam habet *inappetentiam* & *febrim* comitatam, recte docente Wedelio *Aph. Aphor. p.* 257. Sed tamen, quo longius emanet coctio, ejusque index *appetitus* in *dysenteria*; quo longius durat febris, nec remittit, eo gravius malum. Id. ib.

Mihi parum fausta promitto de hac puella, nam & *febris* continua adest, & augetur. (d. 12. *Aug.*)

§. Mosellani *filiola* melius habet. Videtur *Ephemera* fuisse. (d. 12. *Aug.*) Mosellani *Filiola.*

§. Ad Leroli *filiolum* 6. annorum vocatus *febricitantem* inveni. Jam per aliquot septimanas laborat *intermittente tertiana exquisita*; sed, quod difficillimus esset ad medicamenta, variis *amuletis* hostem fugare frustra conati sunt. Valde emaciatus & languidus est. Dixi sine medicamentis hanc *febrim* curare me non didicisse, & scripsi *pulverem*, cujus ter in die 2. cusp. cultri quovis modo præbeantur: Leroli *filiolus. Febris tert. interm.*

Rec. *Conch ppt. oc.* ♋. *ppt. matr. perl. an.* ʒj.
ol. caryoph. gtt. ij. *M.*

Detur interdum quantitas *nucis moschatæ* de *electuario resumtivo*. Foris carpis applicetur *emplastrum febrifugum* consuetum.

Si modo vulgus aliquando capere disceret, per *amuleta non curari, sed impediri febrim*, ne possit in nervum erumpere: indeque mala majora plerumque, quam erat ipsa *febris*, arcessi. Surdis autem hæc auribus. Dummodo *febris* emaneat, ipsis perinde habetur, quidquid etiam alius mali sequatur. Ejusmodi sufflaminatæ per *amuleta febres*, curatu longe sunt difficiliores, quam illæ, quæ tramitem suum licentius decurrunt. Nam in motu humorum & secretione *febrili* confusio detrimentosa oritur. Fortia, & quæ tenuium sunt partium, *sudorifera* hic sunt efficacissima, dummodo ægros habeas morigeros. (d. 14. *Aug.*)

§ Cum Apiarii *uxor* (d. 9. *Aug.*) d. 7. vesperi *decoctum fol. sen. c. prunis dulcibus* hausisset, alvus fere nimium reserata fuit: Unde languida facta dejecto est appetitu, fere semper decumbit, & vix loqui potest. Capiat interdum quantitatem *nucis moschatæ* de tali *electuario*: Apiarii *uxor.*

Rec. *Elect. resumt.* ℥ß. *conf. fl. tun.* ʒij.
sp. c. cordial. temp. ʒß. *conf. alk. inc.* ʒj.
sir. cinnam. ʒiij. *M.*

XI. Mane & noctu sumat 3. cultri cuspides de *pulvere* per se:

Rec. *Spec.diacret.* MYNS ℥. j. ♁. *diaph.* ʒj. *M.* (d. 12. *Aug.*)

Nezelii *uxor.* *Deliquia hysterica.* §. Nezelii *uxor*, pertinacissimi propositi cum in omnibus actionibus, tum & adsumtione medicamentorum, per totam noctem continua fere *deliquia hysterica* passa fuit, quæ hodienum durant cum *respiratione suffocatoria* valde difficili. Objurgavi ipsam & manus sibimet inferre dixi propter neglectum medicamentorum, quæ tamen, modo velit, assumere valeat, ac ordinavi sequentia:

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ʒiß. ℞. *croc.* ℈j. *M.*

Sum. singulis 6. horis gtt. xxx. ex vehic. seq. etiam seorsim usurpando:

Rec. *Aq. acac. hyssop. an.* ℥ij. *hirund. cum castor.* ℥j. *elix. uter. Cr.* ʒj. *sir. de hyssop.* ℥ß. *M.*

Lintea complicata madefiant *aqua carbunculi aurea* & scrobiculo cordis calide applicentur. (d. 12. *Aug.*)

Thyrebola. *Metus hydropis.* §. Thyrebola (10. *Apr.*) sesquiquartarium *acidarum* DEINACENSIUM pro summa Dosi bibit per 3. septimanas, & licet intra hoc tempus *tussire, difficulter spirare, pedes tumefieri* inciperet, nullo rogato *Medico*, cursum jam medicatum absolvere non destitit. Effectus fuit, ut symptomata supra dicta, cum accessoria lassitudine & inappetentia, indies auctiora sævirent, metusque sit non inanis *hydropis ascitis*. Ex hocce casu varia monita fluunt. 1. *Ejusmodi medicationes inconsulto* MEDICO *nunquam suscipiendas*. Licet enim apud vulgus nostrum quæstio An? Semper firmo stet talo, *Medico* tamen aliter videri potest. 2. *Acidarum potationes a fonte, remotis non æque conducibiles esse*. Valet hoc in genere de omnibus, in specie de DEINACENSI *fonte*, qui, per se minus *Spirituosus* (nec propterea spernendus) alio delatus, tantam spirituum protervíam facit, ut ab aqua communi ægre discernatur. 3. Si *tussis*, *asthma*, &c. *potantibus superveniant, non temere progrediendum esse*; notant enim hæc symptomata, naturæ vel constitutioni potantis minus congruere has aquas. 4. *Aquas minerales justa dosi bibendas esse*. In excessu peccatur hic & in defectu. Ultimum nostra *Thyrebola* fecit. Agitantur sic equidem agitanda, non autem excernuntur excernenda; unde moti humores, non promoti, passim stagnant. Stagnant in pulmonum recessibus, unde *asthma* cum *tussi*; Stagnant in *corporis extremitatibus*, a foco caloris remotis, unde *pedum œdematosus tumor*. THYREBOLÆ dixi, ut urinam in crastinum asservaret, me postea, quod e re videbitur, facturum. (12. *Aug.*)

Melodidascali coqua. §. Melodidascali *coqua* heri sufficienter evacuata, præterita nocte

nocte *paroxysmum febrilem* non sensit, eminentibus quoque *deliquiis hystericis*, & ipsa melius, quam per omnem morbi cursum, habet. Jussi modo feriari a medicamentis. XII.

§. Machetes ab hesterno locali sanguinem cohiberi sensit, & nunc satis tolerabiliter rem suam agit. Jussi redire, ad *pulverem* & *aquam ophthalmica*. (d. 14. *Aug.*) Machetes.

§. Regenotti *uxorcula* per ea, quæ 9. *Aug.* sunt ordinata, vires non vane refici deprehendit, proinde pergendum arbitror. (d. 20. *Aug.*) Regenotti *uxor.*

XII. XII.

COlumna mercurialis in altitudine hesterna vespertina hodie mane visa, vesperi per lineam unam subsedit. Liquor *thermometri* hodie paullo depressior, vesperi quintum proxime gradum attigit. Nox erat serena & valde calida; Dies haut alia, usque ad vesperam, qua tonitru auditum.

§. Namaplusii *Filius* heri per totum diem vegetus ac valens in cœna comedit *cinaram integram crudam, vino, pipere & oleo olivarum conditam*; qua vix comesta, gravi paroxysmo bellum instauravit *febris*, adeo, ut per totam noctem delira loqueretur. Sumatur singulis ♄. horis quantitas juglandis minoris de tali *electuario*: Namaplusii *filius.* *Febris interm.*

Rec. *Cort. peruv. subtil.* ☿. ℥ß. *fraxin.*
rad. gentian. an. ʒij.
⊖. *absinth.* ʒj. *bals. peruv.* ℈j.
ol. caryoph. gtt. vj. *sir. rub. id. q. s.*
F. Elect. molle.

Cochleatim tam semper, quam præcipue æstu magno furente, & siti intensiori:

Rec. *Aq. rub. id. rosar. borrag. an.* ℥iij.
♁. *diaph.* ʒj. *conf. alk. compl.* ℈iiij.
sir. rub. id. granat. acid. an. ʒvj. *M.*

Falluntur, qui *acetaria* cum *vino* comedunt; difficilius enim coquuntur. Præstat igitur, si maxime sint edenda, more prisco *acetum* adhiberi, quam vinum. *Cinaræ* hoc modo comestæ sunt cibus valde dyspeptus. (d. 13. *Aug.*)

§. Esmori *Filiola* per noctem quidem non amplius quater alvum deposuit, sed *merum* atque *sincerum sanguinem* in magna copia. Somnolenta est, multum bibit, cibi ne micam, juris ne unam quidem guttulam admittit, emaciatissima est, virium vehementer debilis, *manus, pedesque* Esmori *Filiola.* *Dysenteria.*

XII. *frigent*, excrementa cadaveroſo fœtore prædita, funeſti exitus pleraque præludia; tum & medicamenta quævis repudiat. *Gangrænam* in inteſtinis metuo, quamvis dolores adhuc cum *teneſmo* ſint exquiſitiſſimi: cochleatim, ſi fieri poteſt, præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥ij. *plantag. fol. querc. an.* ℥j.
lap. hæmat. ppt. ſang. Drac. an. ℈j.
laud. op. gr. ij. ſir. myrtill. ℥ß. *M.*

Excrementis inſpergantur *terra* ⊕*li dulc.* cuſp. 2. cultr.

Attendi merentur a juniore *Practico*, quæ VALESC. *de* TARANDA *Philon. pharmac. lib IV c. 23. p. m. 358.* bene monet: *In omni alvi fluore, atque in omnibus aliis morbis, debilitas appetitus, mentis inconſtantia, gravitas a ſomno, decubitus retractis tibiis, vox rauca & catulina, pulſus debilis cum ſumma frequentia, debilitas & flagellatio totius corporis, adhærentia ventris cum dorſo, mortui facies & extremitatum frigiditas, male prænunciant: ſigna vero dictis contraria, ſalubria ſunt.* It. *Alvi fluor, qui remediis idoneis non cedit, perniciosus eſt.*

Noctu datus *pulviſculus* nullius ſaporis:

Rec. *Mater. perlat. margar. ppt.*
raſ. ebor. an. gr. vj.
lap bez. orient. an gr. ij. M. pro 1. doſi. (d. 13 *Aug.*)

Filiola minima. Hodie *filiola* quoque minima, novem circiter menſium, languere cœpit. Vomuit, liquida dejecit, pavoribus concuſſa fuit, quamvis adhuc hilaris. Ordinata *mixtura* cochleatim infundenda:

Rec. *Aq. plantag. fl. til. an.* ℥iß.
epil. L ʒiij.
cor. r. ppt. pulv. March. an. ℈j.
ſir. fl. pœon. ℥ß. *M.*

Emplaſtra theriacalia fontanellæ capitis & ſcrobiculo cordis. Lactatur a matre.

Cum pomeridie hos ægros viſitaſſem, ESMORUM *Patrem pannum ſcarlatinum* cultro radere vidi: quærens, quid ſibi cum hoc labore vellet, ipſe reſpondit: ſuaſum ſibi ab amico ut *floccorum* ejusm. *ſcarlatinorum*, 2. cuſpides cultri filiolæ dyſentericæ præberet ex *cremore hordei*, ſpecificum enim in his morbis infallibile deprehenſum. Ut daretur, conceſſi, ſed aſſumere detrectavit. Hiſce filamentis eſſe vim adſtringendi non dubito, num *cocculi punicei* quid contribuant, ignoro. Recordabar *euporiſti* ad *menſes immodicos*, cujus fit mentio in *Ann. IX. & X.*

Dec.

Dec. III. Ephem. Cur. obs. 235. Ubi *serici carmesini* forficula in *pulverem*, qua pote, subtilem dissecti ℈j. mane ac vesperi exhiberi jubetur. XII.

§. Mosellani *Filiola* præter *tussieulam*, de re nulla amplius quidquam queritur. Igitur pharmaca propinare cessavi. Mosellani *Filiola*.

§. Apiarius (d. 8. & 9. *Aug*) cum *uxore* tolerabiliter vivunt, ultima tamen lanquidior, & lecto fere semper affixa. (d. 13. 18. *Aug*.) Apiarius *& uxor*.

§. Siluruli *uxor*, catarrho nupero (7. *Aug*.) defuncta, *maculis rubris* aliquantillum elatis faciem, quin totum corpus, sine prævio horrore, vel comite æstu, pingitur, cum insigni pruritu. *Tubercula* sunt parva duriuscula, subito corpus totum occupantia, brevi evanescentia, brevi revertentia; vocantur *Essere*, aliis *ephantismata*; nostris vernacula die Wiebelsucht. Lenem *diaphoresin* in lecto imperavi excitandam ope *mixturæ*, singulis horis, quantum capit unum cochlear, hauriendo: Siluruli *uxor*.

Rec. *Aq. fl. samb. card. bened. an.* ℥ij.
mixt simpl. ʒß. *sir. fumar.* ℥ß.
♁. *diaphor. CC. philos. an.* ℈j. *M.*

§. Convenit me *obstetrix peregrina* mediæ ætatis, testimoniis morum & scientiæ instructa. Dixit, se audisse, quod in hac urbe *obstetricum* numerus copiæ civium minus respondeat, indeque a pauperioribus non raro querelæ oriantur. Instructam se esse libello supplici, ibique, ut in *obstetricum* numerum reciperetur, petere. Voti vero facilius compotem futuram, si consensu & cooperatione *Physicorum* libello suo robur adderetur. Re cum Dn. Collega ponderata, schedam sequentis tenoris libello affiximus: *Numerum obstetricum* in hac urbe populosa „ non esse sufficientem, atque hinc passim inconvenienter multa patrata „ fuisse, certissimum est, exemplisque probari potest. Cum igitur hæc „ mulier ad examen legitimum & attestata favorabilia provocet, terdecies „ ipsa peperit, ac jam ducentos & decem infantes suo sinu feliciter exce- „ perit, de reliquo morata, viriumque robore prædita videatur, sic, ut de „ ejus integritate at experientia dubium non sit &c. Gratius nobis acci- „ dere nil posse, quam si Nob. MAGISTRATUI placeret, ejus petito veli- „ ficari „ Obstetrix

§. Nezelii *uxor* ratione *dyspnœæ* aliquantum levamen sentit, sed in abdomine dolor adhuc satis atrox, quem non ante planc remissurum suspicor, quam partum enixa sit. (d. 13. *Aug*.) Nezelii *uxor*.

§. Cum Rhabdaulitis *filiola* (d. 8. *Aug*.) sæpe per aliquot horas continuo vociferetur, & mamma porrecta quidē contenta sit, sed nimium Rhabdaulitis *filiola*.

tunc

XII. tunc sugendo ventriculum oppleat, & lactis superfluum revomat, *singultusque* multas patiatur, unde quoque *flatuum* proventus & aciditatis augmentum existit: Auctor denique fui, ut *turunda* (quorum alias sum hostis acerrimus *vid. Miscellan. Part. I. p.* 30. & *Parallelism. ad Ann. IV. & V. Dec. I. Eph. Cur.*) Schlozzer/ ipsi tantisper præberentur, donec ad sobrietatem quasi reducta sit infans. Ita enim ventriculum levatum & multa mala ab oppletione oriunda declinatum iri: &, quamvis turundæ in se salubres non sint, e duobus tamen malis hic, quod est minus, quoque eligendum esse. Farcirent autem turundas pane triticeo non fermentato addito paucissimo *sacchara*, easque intingerent, in aquam fontanam coctam, in qua crusta triticei panis maduit. Mater se tamdiu turundas illas dilaturam esse dixit, quam possibile futurum sit. An certe, si declinari possunt, rem salutarem effecimus, ob rationes alibi prolatas. (d. 14. *Sept.*)

Jubalis *uxor.* §. Jubalis *uxori* (d. 7. *Jul.*) d. 3. *Julii* commendaveram usum *balnearum nostrarum cervinarum.* Cum postea GÔPPINGAM morarer, ipsa interea lavari cœpit, sed *balneum* non nisi semel ingressa, statim remisit. *Cor* enim *palpitabat*, caput dolebat, deliquia ingruebant. Caussa quod postea comperi, fuit insessus nimis calidus, fuit nimis profundus. Præsens ubi fuissem, errori mederi valuissem, ut propterea cura non abrumpenda fuisset. Vel ex hoc quoque exemplo disci potest, *quantum expediat, Medicum esse præsentem.* Interim tamen *coxæ dolor* sensim remisit, & nunc omnino cessavit.

Filius. *Dolor humeri.* Filius 18. annorum conqueritur de impotentia movendi brachium sinistrum aliquali, cum dolore circa *caput ossis humeri.* *Chirurgus* varia sine fructu applicavit. Sumat mane & noctu gtt. 50. ⁓. *nervini.* Prævia *frictione* cum pannis asperis, fiat inunctio calida bis in die:

Rec. *Ungu. nervin.* ℥ß. *ol. philos* ʒij.
ol. petr. ʒj. *succin.* ʒß.
⁓. *lumbric formic. an.* ʒiij. *tart.* ʒj. *M.*

Thyrebola. *Metus hydropis.* §. Thyrebolæ ad eludendas minas *asciticas* ordinata sequentia: Mane & noctu sumat guttas xv. ⁓. *tart.* adscendendo singulis diebus cum una gutta, usque ad xxv. continuando cum his xxv. guttis per dies quatuordecim, hinc rursus quotidie subtracta una gutta descendendo & cum xv. guttis finiendo.

Primus haustus in prandio & cœna petatur a *vino absinthite comp.*

Rec.

XII.

Rec. *Herb. absinth.* mj. *bacc. junip.* ℥j.
fl. cent. salv. an. mß.
rad. gentian. ℥ß. *caryoph.* ℥j.
sem. anis. ʒj. *cort. aurant. de pom. j.*

Post quemlibet pastum capiantur 3. cusp. cultri de *tragemate* per se, vel cum pane tosto vino madefacto:

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ʒvj. *pulv. cinnam.* ʒij.
trag. arom. offic. ℥iij. *M.* (d. 14. *Aug.*

Profecturo nunc ad *balneas* BOLLENSES AGERANOMO (d. 10. *Aug.*) *tragema* ordinavi, post *balneum* quodvis, cumprimis autem pomeridianum, absoluta quiete, more *tragematum* solito, usurpandum: Ageranomus.

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. *pulv. stomach. Birkm. an.* ℥ß.
elaosacch. mac. ℥j. *trag. arom. offic.* ℥iij. *M.* (d. 14. *Aug.*)

XIII.

XIII.

MErcurius in prima linea quarti gradus mane quiescens, ad ipsius medietatem vesperi quievit. liquor *thermometri* per totam diem subsistebat, paullo infra quintum gradum. Nox erat nubila, multa fulgura, calor anxius, Dies utplurimum serena & valde calida.

Baptistoduli *Filiolus* 10. annorum, vegetus ac hilaris, heri vesperi *convulsionibus epilepticis*, quas antea nunquam habuerat, derepente corripitur vehementissimis. *Paroxysmus* incipiebat cum *cachinno* ac diu durabat. Accitus ordinavi *mixturam* cochleatim præbendam per singulas horæ quadrantes pro ratione vehementiæ paroxysmi: Baptistoduli *Filiolus.* *Convulsiones epileptica.*

Rec. *Aq. ceras. n. fl. til. rut. an.* ℥iß.
epil. L. ʒvj.
liq. CC. succin. ʒj. *sir. fl. pæon.* ʒiij. *M.*

Idem *liq. CC.* naribus quoque admoveatur. Tempora, nucha, spina dorsi *linimento* sequenti ungantur:

Rec. *Ungu. nervin.* ℥ß. *ol. rut. coct.* ʒiij.
succin. ʒj. *M.*

Cum hodierna vespera eum visitatum redissem, narrabant parentes, ipsum hac die sæpissime *convulsum* fuisse; ante paroxysmum illum semper effusissime ridere, quin & jubilare. Rogata mater, annon caussæ alicujus externæ fortassean recordari posset? respondit, Filium, cum aliis sui similibus, egressum in aliquem hortum de arbore quadam poma decussisse, quod cum sibi relatum esset, se puerum vehementer objurgasse

XIII. & verbera minatam esse. Nunc a quibusdam vicinis sibi objici, puerum minis maternis in tantum terrorem & metum incidisse, ut *epilepsia* postmodum eruperit; se proinde angores conscientiæ sentire, ac optare ut intermisisset objurgationes suas. Ergo, inquam, ne terror & metus forsan incutiatur petulantibus homunculis, neglecta educationis severitate, quidquid ipsis mali collibitum fuerit, impune perpetrabunt? Egregie vero! quid ad hæc SIRACIDES *cap.* 30. v. 9-14. Castiganda est, quamvis prudenter, puerilis ætatula, etiamsi inde vel centum *convulsiones* oriantur. DEUS omnes actiones judicat ex intentione agentis, neque si secus res ceciderit, bene agens eventum præstare tenebitur. Quamvis ab istis minis puerum convulsum fuisse nullatenus credam. Potius ab esu pomorum vel immaturorum, vel insectorum virulentia conspurcatorum id accidisse vero est simile. *Inunctionem* externam solam passus est. Quid si *vermes* hanc tragœdiam ludant? (d. 15. *Aug.*)

Scherifii *Filius. Melancholia hyporh.*

§. Scherifii *Filius* 26. annorum, homo morosus & imprudens, non raro signa *melancholiæ hypochondriacæ* præbet, sine caussa illacrymans, solitudines quærens &c. nunc ab aliquot diebus *horripilationes ac phlogoses* alternatim sentit, cum *capitis gravitate*, lassitudine, inappetentia, siti, crebra pandiculatione & oscitatione. Ordinavi 2. ☿er adhuc hodie sumendos, pomeridie nempe, hora tertia, & noctu ante somnum, ex vehiculo sequenti, seorsim quoque hauriendo:

Rec. ♁. *diaph. CC. philos.*
C. alc. philos. ♁. *nat. ppt. an. gr.* xv.
M. F. 2. ☿.

Rec. *Aq. fl. samb. fumar. an.* ℥ij.
mixt. simpl, ʒß *sir. fumar.* ℥ß. *M.*

Cras mane capiat *electuarium purgans* nostrum. Postea ad me rediens, de medicamentorum successu referat. Tunc enim necesse futurum, ut *mirachialem hostem* severius aggrediamur. Potus sit vinum æquali portione aquæ mixtum.

Esmori *Filiola. Dysenteria.*

§. Esmori *Filiola* tertia, quam hactenus, *dysentericam* tractavimus, omnia mortis proxime adfuturæ signa exhibebat. Parum loquebatur. Cibi nil assumebat, nil quoque potabat, excrementa cadaverosum fœtorem spirabant, cutis frigido sudore madebat. Intestina *gangrænam*, moxmox in *sphacelum* abituram, occupasse nullum erat dubium. Recte BAGLIVIUS: *Qui dysenteria pereunt, omnes fere ex sphacelo intestinorum pereunt. Patet id triduo saltem ante mortem, nam extrema frigescere incipiunt.*

incipiunt, pulsus exiles & inæquales sunt, sitis non urget, nec dolor in affecto loco, & nonnulli paucis ante mortem horis in delirium desinunt. Interim, ne quid non egisse viderer, præter *mixturam confortativam*, *odoramenti externi* loco scripsi sequens naribus admovendum: XIII.

Rec. *Aq. carbunc. ☉. Regin. Hung. an. ℥ß.*
∿. Lavend. ʒij. ros. ʒj. M.

Hodie quoque *minima filiola*, præter *convulsionum* prodromos, *cruenta* quoque, & frequenter *dejicere* cœpit. Datus *pulvisculus* sequens: *Filiola minima.*

Rec. *Rad. Ipecac. subt. ☿. gr. vj.*
ol. cinnam. gtt. j. M. pro 1. dosi.

Nucha, vertex & tempora ungantur *balsamo cephalico* toties allegato, & *mixtura* heri ordinata porro præbeatur. Bis vomuit a *pulvisculo*, sed sedum frequentia nihil diminuta (d. 14. *Aug.*)

§. Udalrici *filiolus* 3. annorum *horrore* corripitur heri cum insequente summo æstu, somnolentia, languore, sudore. Vomuit aliquoties: Udalrici *Filiolus. Accessus febrilis.*

Rec. *Aq. fl. samb. ceras. n. an. ℥iß.*
♁. diaph. CC. philos. mixt. simpl. an. ℈j.
sir. rub. id. ʒiij. M.

Scrobiculo cordis imponatur *emplastrum theriacale* (d. 14. *Aug.*)

§. Hipparii *filiolo* 12. annorum *asthmatico pulvisculum* scripsi, de quo mane & noctu 2. cusp. cultri per se assumat, diu continuando, & vitatis potibus, cum primis vini, frigidis: Hipparii *Filius. Asthma.*

Rec. *Rad. ar. helen. irid. fl. an. ʒj.*
♁. diaph. ℈iiij. croc. ℈j.
elaosacch. anis. ℥ß. M.

§. Apiarii *uxori de agrypnia* conquerenti, noctemque aliquando quietam cupienti, datæ noctu *pilulæ*: Apiarii *uxor. Agrypnia.*

Rec. *Extr. papav. c. bezoard. an. gr. iij.*
M. F. 6. pil. pro 1. dosi. (d. 14. *Aug.*)

§. Petrus vir 40. annorum, a Juventute caussarius, morbis acutis, *febribus*, *pleuritidi* &c. Quin & *nephritidi* obnoxius, cujus ultimæ curam apud ipsum gessimus d. 24. & 25. *Martii* non infaustam, jam a semestri *tussi* laborat sicciore cum *asthmate* sudoribus nocturnis, appetitu prostrato, siti, successiva consumtione; Præter sexcenta alia *aquam tanaceti compositam*, de qua alibi fusius, diu, ad plus quam 20. Petrus. *Phthiseos metus.*

XIII. mensuras, sine ullo fructu bibit; seque nullis aliis remediis usurum dixit. Me tamen accitum iri, quum inter sacrum & saxum constitutus esse videbitur, nil quidquum dubito. Caussa impulsiva non erit sanitatis recuperatio, sed, ut curriculo vitæ post concionem funebrem de suggestu prælegi soliro inseri queat: Man habe ordentliche Mittel gebraucht. Si me missum fecerit, longe majorem apud me gratiam inierit. Dies docebit.

Toparii *uxor.* §. Toparii *uxor*, (d. 21. *Maij.*) partui vicina, ob anxietatem præcordialem & terrores nocturnos venam hodie sibi tundi passa est, cum levamine. Sanguis erat granulatus & mucaginosus. (d. 14. *Aug.*)

Nezelii *uxor.* §. Nezelii *uxorem* hodie visitaturus domi non offendi, siquidem in vinæam suam exspatiatum iverat. Ita cum *hystericis* affectibus sæpenumero comparatum est, ut, quæ hoc momento morituræ videantur, mox surgant & negotia sua sic expediant, quasi nunquam ægrotassent; quamvis aliquando se libero aëri maturius, in sui perniciem, committant. (d. 24. *Aug.*)

Brigantini *uxor.* *Partus infelices.* §. Brigantini *uxor* 34. circ. annorum aliquot fetus mortuos jam edidit, summo cum vitæ periculo. Specialissima referre non possum, cum ipsius *Medicus* non sim. Cum tamen ante paucos dies tam infelix puerperium denuo exantlasset, & hodienum ægra decumbat, ipsius quædam Cognata mihi hodie narravit, mulierem istam *melancholia tristi* prehensam, & a delirio *maniaco* non procul abesse. Caussam togata, respondit: Hominem quendam PIETISTAM nunc diu convictu ipsius atque hospitio uti; haberi ibidem *Pietistarum* tam severe a *Serenissime DUCE* prohibita conventicula; occasione hac nacta cognatam imbibisse quasdam illorum hominum opiniones, nunc autem a PIETISTICA *muliere* visitatam, &, quomodo viveret? interrogatam respondisse: Se animo vehementer angi quum Salvatorem suum amiserit, heri a quatuor Theologorum discursibus Consolatoriis necquidquam refectam hic jacere inopem Consilii & solatii. Ad hæc impudentissima illa mulier, quid, inquit, solatii expectas ab istis viris *Theologis*, cum sint homines? Agnoscis jam, hominum verba esse otiosa, neque vim habere spiritu pauperes reficiendi? Relinque istos homines, & fiduciam colloca in JESU tuo, si ipsum anxie quæsiveris, brevi redituro, qua voce audita cognatam in tristitiam longe majorem, & nunc in *delirium melancholicum* a desperatione non procul absens incidisse. Hic igitur est novus PIETISTICI *spiritus* effectus. Quæso, vesana mulier, an isti quatuor viri *Theologi* quid aliud prædicarunt, quam ut BRIGANTINA fiduciam in Salvatorem collocaret? An tua verba,

verba, quibus miseram compellasti, quid majus sunt, quam humana verba? scilicet, tu forte regenita es, illi *Theologi* irregeniti? Sed, per quam viam transivit *Spiritus* JEHOVÆ ab istis viris, ut loqueretur tecum? II. Paral. 18. ℣. 23. Si quis dicat: quid hæc ad *Medicum*? Illi respondeo: Me *Physicum* esse, nec officium meum absolvi curatione ægrotorum, sed amoliendo quoque, quantum in me est, omnia, quæ ad perdendum hominum sanitatem quovis modo collimant. Collimat autem huc *Pietistica* & exempla tragica sunt in promtu. Novimus utriusque sexus homines, a *peste pietistica* in *melancholiam tristem*, immo *maniam* abreptos, manus partim sibi violentas intulisse, partim adhuc *maniacas* in hac ipsa urbe decumbere, partim, per DEI gratiam, Medicamensis restitutos fuisse. Biennium est, ex quo nos adivit mulier quædam, coriarii nostratis uxor, tota attonita, tremens, pavens, lacrymabunda, pallens ac macilenta. Ultro narrabat, domi suæ se aluisse consortem opificii, (Handwercksgesellen) qui moribus fuerit plane integris, nec vino, nec lusui, nec imprecationibus nedum aliis vanitatibus deditus, attamen templum uullum vel cultum publicum frequentans. Et cum caussam seperationis hujus, quæreret, respondisse: Nil esse cum publico cultu: omnes nostros Parochos esse irregenitos, nec vim habere vel eorum conciones vel sacramentorum administrationem. Esse sibi libellum, quem legendum communicare vellet; Hospitam ab ipsius lectione cultus externi vanitatem sensim agnitaram, & aversaturam: Hoc etiam esse factum, sic ut diu nullum ingressa sit templum, neque sacra sit usa SYNAXI sic, ut ubi ab initio adhuc divino cultui præsens concionantes audi erit, vel SACRAMENTA administrantes viderit, horrore quasi perfusa vix manere potuerit. Jam vero se conscientia vehementer angi, a *spectris Diabolicis* torqueri & insupportabilia fere ad desperationem usque pati. Appetitum omnem sublatum, non nisi tristia menti obversari, &c. Jnncta *theologica* & *medica* opere per DEI gratiam restituta est. Sic novimus, qui, ut *veterem* ADAMUM subjugarant, victu tam avaro uterentur, ut præ aridura ac tabe propemodum pellucerent: qui pulvinaribus incubare somnum capere, &c. nollent, atque sic fame fere semetipsos enecarent. Quæ dirissima exempla demonstrant, quid etiam valetudini officiat *pestilentissima* PIETISTICA. Hæreses reliquæ omnes, dum animam perdant, corpus tamen incolume relinquunt, sed ista *hæresium hæresis* duplici damno sequaces afficit. Corpus & anima sibi invicem compatiuntur, nec diu anima patitur, quin corpus in sui consortium rapiat, & contra. O metuendos *fanaticos, qui possunt animam & corpus perdere in gehenna!* XIII.

XIII. Matth. X 28. qui morte naturali & ſpirituali, immo civili quoque (*ob Anabaptiſticas abominationes*) immo æterna, ſuos mulctant!

Namaplusii. *filius.* §. Namapluſii *Filius electuario febrifugo* utitur & hodie melius habet. *Febrim* emanſuram credo. (d. 14. *Aug.*)

XIV.

XIV.

MErcurius mane in medietate quarti gradus, liquor *thermometri* paullo infra dictum gradum. Veſperi utraque vaſa in eodem ſtatu remanſerunt. Dies calida, mediocriterque ſerena venti ſuaves ſubinde flabant.

Esmori *filiola tertia.* Esmori *Filiola tertia* morti, me Judice appropinquat. Frigidi ſudores continuati, nil cibi vel potus admittit. Facies collapſa & *Hippocratica.* Rec. *Aq. confortat. offic.* ℥iiß.
plantag. cinnam. bugl. an. ℥ß.
conf. alk. c. ʒj. *ſir cinnam.* ʒij *M.*

Detur cochleatim. Sub meridiem animulam DEO Creatori reddidit.

Minima. Dyſenteria. *Filiola* interim *minima* non tantum de die in diem languidior fit, ſed frequentiſſime cruenta dejicit. *Dyſentericis ab initio vomitus bilioſus malus eſt*, *ex* Hippocr. *Coac.* Idem apud noſtram factum Præterea pavores frequentes parum læti præſagiunt. Cochleatim præbeatur *mixtura*:
Rec. *Aq. plantag. fol. querc. cinnam. cydon. an.* ℥j.
ſmaragd. ppt. ſpec. diatrag. fr. an. ℈j.
ſir. de alth. Fern. ʒvj. *M.*

Emplaſtrum de cruſta panis ſuper alutam extenſum abdomini toti imponatur, cum *emplaſtro theriacali* pergendo. (vid. infra.)

Thyrebola. §. Thyrebola (d. 12. *Aug.*) medicamentis cum ſucceſſu utitur, melius ſpitat, pedes detumeſcunt: pergere juſſi.

Namaplusii *filius* *Febr. tert.* §. Quod heri præſagieram, ita revera evenit Namaplusio. Paroxyſmus enim *febrilis*, hodie pro more expectatus, emanſit. Quærebatur, utrum potus *Caffe* ſit licitus? Cum contraindicans nullum adeſſet, conceſſi 2. ſcutellas. Multi huic potui ſic aſſueverunt, ut impune non intermittant. Et hic locum quoque ſibi vendicat Hippocratis *Aph. 50. Sect. II. quæ ex longo temporis intervallo conſueta ſunt, quamvis deteriora, inſuetis minus moleſta eſſe ſolent.* Injunxi ſaltem alioqui diætam accuratam, ne denuo recidivam pati cogeretur. (d. 15. 18. *Aug.*)

Machetes. §. Machete (d. 11. *Aug.*) nihil amplius hæmorrhagiæ *gingivalis* percipit, viſus quoque debilitate ſenſim remittente. Cum omnia in vado eſſe cenſerentur, paroxyſmus *podagricus* eum denuo proſtravit, cui more jam diu conſueto contraivit, [d. 20. *Sept.*]

§. Age-

§. Ageranomum (d. 12. *Aug.*) iter Bollense jamdudum emensum esse crediderant. At vero, cum spem & opinionem præter hodie vocarer, nudius tertius tumorem, cum dolore pulsatili ac rubore dorsum sinistræ manus, cum tribus digitis longissimis, prævio horrore, in sequenteque æstu, prehendisse plangebat; genua quoque dolebant, & idem dolor, qui manum, pedis quoque dextri tarsum occupaverat. Gratulabar ipsi de *affectu longævitatis opinione ac fama celebri*, & cum a *cerato de minio* sibi levamen promitteret, ut ipsum usurparet, tantisper concessi. Quod si vir hic tempore opportuno *balneas* BOLLENSES adisset, eum ab arthriticis insultibus liberum fuisse mansurum, nil quidquam dubito, tanti est, tempori servire & occasionem, qua capillata, involare. Nunc incertum est, an ætate in autumnum se præcipitante, istas *balneas minerales adeundi* εὐκαιρία non plane privetur? (d. 17. *Aug.*) XIV. Ageranomus. *Arthritis.*

§. Metanagon decreverat *aquas* GÖPPINGENSES ad fontem potare, PELERINUS magis suadebat JEBENHUSANAS; Has enim tametsi debiliores, eodem tamen cum GÖPPINGENSIBUS effectu suos beare. Bellissime, si Dîs placet. Per dictas *Logicas* instantias res fiet clarior: *Manna*, licet debilior, eodem tamen effectu, quo *scammonium*, gaudet. *Vinum*, tametsi aquosum, eodem tamen modo inebriat, quo generosum. Ne verbum addo, cum operæ pretium non sit. Metanogon. *Acidulæ.*

§. Melodidascalus (d. 5. *Aug.*) ab aliquo tempore de illo *deglutitionis* vitio queritur, quod vocant, das Verkirnen. Sic ut vix liquidi tantillum assumere queat, quin isto malo vexetur. Mihi videtur res haut fausti præsagii. Notat enim saltem *semiparalysin fibrarum in musculis pharyngæis*, & *apoplecticis* est symptoma plane familiare, proinde, si adest, *Medico* cuilibet valde suspectum esse debet. Præcedit enim id ferme *apoplexia*, vel pone secutura est. (d. 15. *Aug.*) Melodidascalus. Verkirnen.

§. Apiarii *uxor* a *pilulis* hesternis per noctem præteritam bene quievit, sed calor *febrilis* novus non tantum per alia signa, v. gr. *sitim*, sed & pulsus indicio manifestabatur & appetitus erat plane nullus. Ordinavi *mixturam* cochleatim hauriendam: Apiarii uxor.

Rec. *Aq. fl. samb. card. bened. an.* ℥iiß,
mixt simpl. ℈ij. *ess. anod.* ℈ß.
♁ *diaph. CC. philos.* ♁ *nat. ppt. an.* ℈j.
sir card bened. ℥ß *M.*

Vinum absinthites compositum, cujus aliquod jam paradigmata istis paginis exhibentur, ad ℥vj. ipsi atq; marito ad excitandam ὄρεξιν quoties cibo reficerentur, commendavi. Circa vesperam melius ipsa degebat. *Mixturam* porro sensim exhauriat. (15. *Aug.*)

§. Udal-

XIV. Udalrici *Filiolus.*

§. Udalrici *filiolo* rursum hodie *febricitanti* in crastinam diem ordinavi sequens *laxativum* uno haustu assumendum:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xv. aq. acac.* ℥ij.
sir. de cichor. cum rheo. ℥vj. *M.* (d. 23. *Aug.*)

Toparii *uxor.*

§. Uxor Toparii ab hesterna *venæsectione* tantum profecit, ut per noctem consuetis pavoribus non quassaretur, sed dolores partus quasi spurii valide ipsam exercerent, cruciatus nempe *circa umbilicum* & *regionem lumbarem*, non tamen pectinem versus protensi, quod a veris *partus doloribus* fieri solet. Multum eructabat, ac de languore virium summo querebatur: Ordinata *mixtura* cochleatim præbenda:

Rec. *Aq. meliss. chamom an.* ℥ij.
balf. embr. ℥j. *conf. alk. inc.* ʒj.
spec. cordial. temp. specif. cephal. an. ʒß.
ess. anod. ℈j. *sir. papav. errat.* ℥ß. *M.*

Abdomen & regio lumbaris ungantur tali *linimento*:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ʒvj. *aq. Reg. Hung.* ʒiij.
ol nuc. mosch. expr. ʒj.
mac. caryoph. an. gtt. iij. M. (d. 15. *Aug.*)

Leroli *Filiolus.* *Febris interm.*

§ Leroli *Filiolus pulverem* cum *electuario* d. 11. *Aug.* ordinata, præter expectationem, assumsit, nec sine aliquo fructu. *Febris* enim intermittens, tametsi non plane fugata sit, notabiliter tamen est fracta. Audaciores ista prom ptitudine facti, *chinam* præbere ausi sumus:

Rec. *Cort. peruv. subtiliss.* ℥. ʒij.
conch. ppt. ʒij. *elaosacch. caryoph.* ℥ß. *M.*

Mane & pomeridie dentur 2. cuspides cultri cum quolibet vehiculo. Noctu vero ante somnum guttæ xx. *essent. chin. chin.* cum cochleari vini, non omissis *epicarpiis febrifugis.* (d. 23. *Aug.*)

Epinicii *filiolus.* *Rhachitis.*

§. Epinicii *Filiolus* unius anni, capitis mole, abdominis tumore ac tensione, articulorum in carpis ac tarsis prominentia, sterni & spinæ dorsalis extuberantia, sceletiformi macritudine *rhachitidem* prodebat. Propinatus ante omnia *purgans haustulus*:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xv.* ~⊖✱. *gtt. iiij.*
sir de cich. c. rh. ʒvj. *aq. acac.* ʒij. *M.*

Postea mane ac pomeridie cum vehiculo quolibet 2. cusp. cultri de tali *polline*:

Rec. *Specif. antatroph.* ʒij. *athiop. mineral.* ʒj. *M.*

Noctu vero guttulæ xij. R. ⊕*li* ♂. *Zuvölf.* Spina dorsi & pectusculum ter in die ungatur *unguento cardiaco officin.*

§. Esmo-

§. Esmorii *major* natu *filia* 14. annorum, statura, pro ratione ætatis procera, macilenta, ventre tumido ac tenso prædita, pallidula, jam ab anno, vel quod excedit, cibi calidi propemodum plane nihil assumsit, potu largiore vel aquæ vel fortassis quoque vini, usa. Contagio sine dubio a sororculis, mortua sexenni, minima moribunda, hausto jam nudius tertius *ventris torminibus* ac *diarrhœa* fuit prehensa, quod malum tamen; quamdiu potuit, nullo sane suo cum emolumento occultavit. *E rhabarbari tosti* & *Ysati* ℈ij. cum *pulpa cassiæ* fieri curavi *bolum*, quem ægerrime deglutivit. Noctu *theriacæ veteris* ʒj. assumere jussi. (d. 15. *Aug.*) XIV. Esmori Filia major. Dysenteria.

Filiolæ *minimæ convulsæ* præter *mixturam* hodiernam ordinavi 2. *pulvisculos* mane & pomeridie dandos: Filiola minima.

Rec. *Pulv. Marchion. epil. mirab.*
spec. de gemm. fr. an. ℈ß. *M. F.* ℞.
dividendus in 2. *p. æqu.* (d. 15. *Aug.*)

§. Neritii *uxor* omnia fere medicamenta, præter *pilulas*, quas tamen ægerrime quoque deglutit, respuit. Cum tamen sit mulier obesa & *phlegmatica*, ideoque *purgationibus* carere non possit, quod ipsa novit & multoties est experta, *pilulæ* autem, quantumvis drasticæ, alvum raro saltem non sufficienter moveant, magnis persuasionibus, ut *haustum* assumeret, exorata fuit: Neritii uxor. Purgatio.

Rec. *Aq. laxat. vienn.* ℥iij. *cinnam* ʒß.
mag. st. gial. in s. q. cinnam. rosa sol. gr. vj.
sir. decich. c. rh. ℥j. *M. pro* 1. *dosi.*

Quomodo sit res ea cessura, nosse percupio. (d. 16. *Aug.*)

XV. XV.

Mercurius, qui mane medietatem quarti gradus transscenderat, vesperi per lineam integram cecidit, paullo supra lineam primam dicti gradus quiescens. Liquor *thermometri* surrexit ultra dictum gradum & vesperi quinto gradui approximavit. Nox fuit serena, dies itidem clara & calida.

§. Cum in vicinia non tantum, sed & in ipsa urbe *dysenteria* grassari cœperit, quam diversæ species *fructuum horæorum* promovere sunt aptæ natæ, petitum fuit per litteras a Magistratu opidano, ut venditio *prunorum* præcipue *cereorum*, brabysorum & aliorum variorum, item pomorum ac pirorum immaturorum (qualia plerumque vendi solent ab initio, quum homines lucripetæ maturitatis tempus expectare non possint.) nucum abellinarum &c. Severe prohibere ne differret, atque sic, quantum in se est, hujus mali serpiginem impedire conaretur; quod etiam Dysenteria.

XIV. factum. *Fructus horæos immaturos* venum exponere summa impietas est. Alliciuntur ad eorum emtionem pueri cumprimis, immo & adultiores, qui adeo sibi cupiditates dominari patiuntur, ut crepaturi videantur, nisi velificentur illis. Quin stolidi quoq; Parentes sunt, quorum cœcus amor liberis ad illa scilicet bellaria nummos suppeditat, morbosque & mortes emere non tam permittant quam jubeant. His contraniti *Physicorum* est.

Mala persica & armeniaca vetare hoc anno, proh dolor! opus non fuit, cum istæ arbores, una cum juglandibus annosissimis, ad unam ferme omnes frigore perierint. Neque *nuces abellinæ* sativæ rubescentes (Aliquibus in locis Ruhrnuß dictæ) hoc anno succreverunt.

Ante quidem *dysenteria* grassari cœpit, quam isti fructus venundarentur, quod pluribus ansam dedit, eos ab imputato insalubritatis crimine vindicandi. Sed alibi responsum est.

Baptistoduli *Filiolus*. *Epilepsia*.

§. Baptistoduli *Filiolum* (13. *Aug.*) cum *epileptica convulsiones* præcedente semper cachinno & jubilis adhuc, quamvis non eadem vehementia, exercerent, ipse abdomen habeat tumidiusculum, comestioni *panis domestici* inhiet, in suspicione mea de *vermibus* non leviter confirmatus fui. Dedi igitur in crastinam lucem *pulvisculum* sequentem cum jure calido:

Rec. *Tart. emet. gr. ij.* ☿ *ii dulc. rit. par.* ℈ß.
pulv. Cornach. gr. xv. facch. a. ℈j. *M pro 1. dosi.*

Inter vomendum *jurulenta* sæpe hauriat, & excrementa alvi sollicite examinentur. (d. 16. *Aug.*)

Hercanus.

§. Hercanus vir 40. annorum a quatriduo tribus abhinc horis male habere cœpit. Rigor primo summus, hinc æstus vix tolerabilis, cum siti, *cephalæa* ac lassitudine. Pulsus erat magnus, celerior justo, arteriæque tumentes: amarities in ore cum appetitu plane prostrato. Urina fere *flammea*. E mediana sinistri detractæ 7. circiter sanguinis unciæ. Datus postea singulis 6. horis *pulvisculus* e vehiculo pone secuturo, seorsim quoque per cochlearia hauriendo:

Rec. ♁ *ii diaphor.* ♁ *nat. ppt.*
⦶. *ppt. an.* ʒj. *M. F. 6.* χ*es.*

Rec. *Aq. rub. id. card. bened. an.* ℥iij.
sir. berb. ℥ß. *M.*

Omisso vino, bibantur *acidulæ*. Non maneat in cubiculo frigido, sed in hypocausto decumbat, ne sudor per *pulvisculos* excitatus reprimatur, quod grande habet in febribus continuis, qualis hæc est, momentum. Et nunquam a *Practico* concedendum, ut ægri *febricitantes*, præcipue

cipue quum dantur medicamenta *diaphoretica*, in frigido conclavi decumbant. Quamvis enim se sub tegmine cubaturos polliceantur, promissis tamen rarissime stare, & quum sudore quoque diffluunt, pedes tamen cum brachiis exserere solent; hinc natura in secretionis opere frustratur, & pororum ab externo frigore constrictio pabulum novæ accensioni *febrili* reservat. Non igitur fidendum, etiamsi cubiculi januam, ut calor hypocausti subintret, apertam servare jubeant. (d. 16. *Aug.*) XV.

§. Esmori *Filiola minima* perpetuis *convulsionibus* indesinenter quassata hodie vivere desiit. Hæc puella magis a *convulsionibus epilepticis*, quam *fluxu dysenterico*, qui jam moderissimus erat, mortua est, quippe adhuc ante quinque dies, quamvis *vomuisset* ac alvum frequentius reddidisset, vegeta ac hilaris. Ex *dysenteria* vero ante nonum diem, vel certe septimum, raro moriuntur. Quantum conjicio, a matre ob morbum filiolæ sexennis fatalem valde mœsta lac alteratum fuit, nam puellam adhuc lactavit, unde morbi principium. Deinde hi ægri decumbebant in cubiculo valde angusto, ab aëre non perflabili, ubi dormiebat integra familia, Pater, mater & sex liberi. *Halitus* & *transspiratio* nullibi fere exitum inveniens, ne dicam de excrementorum fœtore, a sanis inspirando, reliquos sensim infecisse, mirum non est, hinc, ut sani ab ægrotis separarentur, suasi.

Esmori *filiola minima.*

§. Dysenteria hoc anno apud plures non sine malignitate fuit. *Febris* aderat *continua*, summus æstus, inexhausta sitis, *deliria*. Plures hinc mortui citius, quod *vinum rubellum* ex opinione vulgi sine discrimine potandum præberetur. Factum id quoque me suasore non semel, sed tunc, quum *febris continua*, quum malignitas non adesset. Factum hoc anno, quod HIPPOCR. docuit, *Sect. III. Aph. II. Siquidem hiems plus æquo sicca & aquilonia fuerit, ver autem valde pluvium & austrinum, febres acutas & lippitudines, & dysenterias ad æstatem oriri necesse est.* Neque vero sic sola STUTTGARDIA fuit afflicta. Morbus hic *epidemice* & alibi in tota SUEVIA, FRANCONIA, RHENI *circulo*, alicubi ferocius, quam hic, grassatur. HALLIS SUEVORUM Frater meus *dysenteriam* ibi locorum intra breve tempus pusillos multos interemisse scribit. Ejusmodi relationes aliunde quoque ad nos pervenerunt. Quum ante biennium *Gallicus miles* urbem nostram occupasset *Junio* mense, mox ab ejus discessu *dysenteria* valide grassari cœpit. Caussam adscripsi summo æstui & squaloribus pædoribusque a tot sordidis lixis, calonibus, agasonibus, eorumq; cantheriis ac mulis, excitatis, quamvis statim post eorum discessum, me monente, plateæ omnes a sordibus istis perpurgatæ fuerint. Confirmabar in ea sententia,

Dysenteria *epidemica.*

 quod

XV. quod plurimi *dysenterici* sint facti in *suburbio* nostro *opulento* dicto (in der reichen Vorstadt) longe pauciores in *Suburbio* ESSLINGENSI, paucissimi in ipsamet *urbe*. Nam & potissima pars *gallorum* in dicto opulento *suburbio* hospitabatur, minima in urbe ipsa. Per squalores autem *febres* acutas (immo & *dysenterias* malignas) fieri rursum docuit HIPPOCR. *Sect. III. Aph.* 7.

Melodidascalus. *Odontalgia.* §. Melodidascalus ob *dentem cariosum* dolore summo afflictus dictum dentem aliquoties actuali cauterio tangi passus est, non cum nullo levamine. Post ustionem *chirurgus* gossypium *oleo Zedoariæ* (quod hic præ aliis commodissime fieri prædicabat) madens cavo denti immisit, quod cum patiens ob saporis molestiam tolerare nollet, substitutum fuit *oleum caryophyllorum*. (d. 16. *Aug.*)

Toparii *uxor.* §. Falsi partus dolores ab heri ordinatis in *uxore* TOPARII quiescunt, quamvis eam mox parituram alia signa innuant. Notabile, quod antecedente mense de REGENOTTI uxore monui *cardialgiam* nempe apud hanc quoque gravidam excitari *ab esu gammarorum*. (*infra*)

Colica. §. Hisce diebus quidam a venatu rediens, æstu squalidus cervisiæ glacie liquefacta perfrigeratæ duos cyathos exhausit, mox *cucumerum crudorum oleo olivarum, aceto ac pipere conditorum* patellas binas, ac denique *limonatæ* mensuram unam assumsit. Inde *colica* & *febris continua* periculosissima, sollicita medicatione ægerrime victa. Mirum evadere, qui vitam quasi ex instituto hostiliter adoriuntur.

Esmori *Filia major.* §. Esmori major natu *filia* a *rhabarbaro tosto* leniter evacuata, per assumtam *theriacam* hanc noctem belle transegit. Cochleatim sumatur mixtura:

Rec. *Aq. plantag. burs. past.*
fol. querc. ad ℥iß. cinnam. cydon. ℥j.
sang. Drac. bol. arm. ppt.
🜃. catech. croc. ♂. adstr. an. ℈j.
conf. de hyac. ʒj. *syr. myrtill.* ℥ß. *M.*

Noctu *bolus* assumatur:

Rec. *Diascord.* FRACAST. ʒj. *nuc. mosch. pulv.* ℈ß.
bol. arm. ppt. 🜃. *sigill. an.* ℈j. *M. pro* 1. *dos.*

Rogabat *vinum*. Ob calorem præternaturalem & intensam sitim non concedebatur. Data potui *aqua fontana, in qua rad. torment. & aliquot grana mastiches cocta, cum pane tosto nuce moschata perfricto*. Erant, qui suaderent assumtionem *pulveris sorborum*, item *ceræ sigillaris Hispanicæ*. De primo nullum est dubium: *Cera* vero *hispanica* non est unius gene-

generis. Aliquam odores ingrediuntur, plurimum *Zinnabaris factitia*, quæ intra corpus vel non, vel rarissime saltem assumi solet. (d. 16. *Aug.*) XV.

§. Retelirae puellus (d. 4. *Aug.*) a purgante d. 1. *Aug.* ordinato sufficientissime evacuatus, ab eo tempero belle ad se redire visus est. Nunc autem denuo corripitur *asthmate*, *tussi* &c. abdomen valde tensum ac turgens. Infarctui *mesenterii* occurrebam *pulvisculo*, cujus bis in die 2. cusp. cultri cum quolibet vehiculo propinandi: Retelirae *puellus.* *Asthma.* *Tussis.*

Rec. *Specif. antatroph.* ℥ij. *æthiop. miner.* ℥j.
elaosacch. anis. ℥iß. *M.* (d. 24. *Sept.*)

§. Vesperi *uxor* TOPARII de *cardialgia* summe dolorifica, cum *ardore* molesto quiritabatur. mali caussam in *esum gammarorum*, quod supra jam dictum, haut inepte rejiciens. Cochleatim præbeatur *mixtura*: Typarii *uxor.* *Cardialgia.*

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. fl. samb extr.* ℥ij.
sir. de symphyt. FERN. ℥j. *ess. anodyn.* ℈j. *M.*

Noctu deglutiantur *pilulæ*:

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr.* iij.
castor. gr. ij. *M.*
F. 8. *pil. pro* 1. *dosi.*

Stomacho *linimentum*:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥ij. *ol. nuc. mosch. expr.* ℥j.
bals. peruv. ℈j. *M.*

Ut ab esu *gammarorum* abstineret imposterum, suasi (d. 16. *Aug.*)

§. Namaplusii *Filio febris* plane valedixit. Rogavit, num in crastinum domo exire liceat? Concessum, nisi prohibitura sit aëris quædam inclementia. Namplusii *Filius.* *Febris.*

§. Apiarii *uxori* de re nulla, nisi solo languore & inappetentia, querenti, medicamentaque respuenti, ordinata, cum *amygdalino lacte*, *gelatina ex animalium partibus*. (d. 17. *Aug.*) Apiarii *uxor.*

XVI.

XVI.

MErcurius paullo quam heri fuerat elatior, vesperi primam quarti gradus lineam occupavit. Liquor *thermometri* mane medietatem quinti gradus obtinens ad eundem vesperi gradum assurrexit. Nox præterita cum hac die, præter serenitatem, calidissimæ.

§. Melodidascalus quamvis heri levamen dolorum a cauterio perceperit, ii tamen præterita nocte recruduerunt. Suadebatur *cariosi dentis evulsio*, quæ, nisi fieret, *odontalgiam* constanter nunquam emansuram, Melodidascalus. *Odontalgia.*

XVI. ſuram. Contradixit uxor; aliqua ſibi exempla cognita dicens eventus plane funeſti, ſi negotium ex ſententia non ſuccederet. Vane. Quid enim ſic de *phlebotomia*, quid de *vomitionibus*, de *purgantibus* judicandum? Nonne hæc omnia funeſte aliquando cecidiſſe obſervationes loquuntur? Nonnemo ESSLINGAM profectus in via trucidatus eſt. Stante iſta hypotheſi, nemo homo illuc amplius commeabit. Semel factum centies non fit. Nemo tamen ad *odontagogiam* cogendus. *Cauterium* igitur denuo electum, & effectus voto, utinam durabiliter! denuo reſpondit. (d. 17. *Aug.*)

Eſmori *major filia.* *Dyſenteria.* §. Apud Eſmori *majorem* natu *filiam* ſedes cruenti cum æſtu, ſiti; pulſu celeri &c. augentur. Adſunt *tormina* valde dolorifica. Bini hoſtes, *febris* ſcil. maligna & *fluxus* alvi *dyſentericus* aggrediendi. Metuo de viſcerum labe, ob vitam anteactam ſupra notatam.

Rec. *Pulv. pannon. r.* ℈ij. *ebor. foſſil.* ℈j.
ther. cœl. gr. ij. *M. F.* 2. ☿.
ante- & pomeridie ſumendi:

Ventri *ſacculus* calidiſſime frequenter applicandus:

Rec. *Rad. biſtort. torment. an.* ℥j.
fol. querc. herb. plantag. equiſet. an. mj.
ſem. ſumach. ℥ß. *fl. liguſtr. mß.*
furfur. mij. M.

E conciſis contuſis fiat ſacculus. Cum reliquis pergatur. Noctu ſumatur *bolus* e *ther. vet.* ℈j. *laud. op. gr.* j. *M.* Vinum anxie petit, ob *febrim*, æſtum, ſitim, omnia intenſa, concedi non poteſt, quamvis, cum Adſtantium aliquos eo inclinare videam, tale quid, me clam, propinari ſuſpicer. (d. 18 *Aug.*)

Toparii *uxor.* §. *Uxor* Toparii *mixturam mucilaginoſam* heri ordinatam ſe propter nauſeam non aſſumere poſſe dixit. Subſtitui igitur *cremorem hordei craſſiuſculum* cum *decocto pedum vitulinorum* parandum: Sed pomeridie veris *partus doloribus* obruta fuit, qui ipſam vehementer fatigabant. Hinc ad alia fuit applicandus animus; cum enim vires ſuas toto graviditatis tempore cauſſaria, in partu dilapidatura videretur, omnibus licet rite ſuccedentibus, attamen ordinavi *mixturam* roborantem cochleatim dandam:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij.
lil. alb. cinnam. bugloſſ. an ℥j.
ſpec. cord. temp. de gemm. fr. an. ʒß.
conf. alk. inc. ʒiß. *ſir. fl. tun.* ʒiiß. *M.* (d. 17. *Aug.*)

Neritii *uxor.* §. Uxor Neritii ab *aqua laxativa* nudius tertius blande & ſuffi-

sufficienter evacuata petit medicamentum contra *ructus nidorosos* & ortam inde *bradypepsiam*: sumat bis in die guttas xxv. *mixturæ* sequentis ex quolibet jure: XVI. *Bradypepsia.*

Rec. ⁓⊕ *dulc. sir. fl. tun. an. ℥ij. M.*

§. Pollacerga scripsit a medicamentis d. 14. *Iulii* ordinatis ac rite usurpatis se levamen omnino nullum sentire, hinc alia efficaciora se petere. *Menses* adhuc emanere. Ventriculum cibos utplurimum revomere, nisi eos retinere per vim quasi cogatur, id vero sine *cardialgia* non fieri: nonnunquam adesse *dyspnœam*. Durante usu medicamentorum se calorem præternaturalem sensisse, *alvumque constipatam* fuisse. Quærere, an non *acidulas* curative potare liceat, se fiduciam in istam curam non levem collocare? &c. Pollacerga. *Cardialgia.*

Medicamenta tunc temporis a me præscripta non ita sunt comparata, ut æstum in sanguine excitare valeant, & vis *opii* in *essentia anodyna* per addita *mucilaginosa* ita infracta est, ut *alvum* inde *constipari* potuisse mirer. Sæpenumero maximum vitium est in diæta. Mater est vidua, quæ duriore victu, non raro præter necessitatem, uti solent. Re ponderata potum *acidularum* cum circumspectione concessi. Quamvis enim abrasum *ventriculi peristroma* per illas non restituatur, *menses* tamen segniores officii monere, æstum temperare, bilem refrenare aptæ sunt. Tentamen igitur cum circumspectione ineat, & nisi intra triduum levamen, augmentum potius, malorum, sentiat, statim rursum abstrahat, ac *acidularum* loco *extractionis chalybeatæ* mane & pomeridie cochlearia sex assumat, corpus postea moderate movendo:

Rec. *Limat. ♂. fin.*
aq. fl. til. meliss. an. ℔j.
⁓. 🜍. gtt. xxv.

Stent vitro clauso per noctem loco frigido, mane decanta & liquori claro adde,

aq. cinnam cydon. sir. cydon. an. ℥ij. M.

Ante meridiem hora decima & noctu ante somnum capiat de *pulvere* sequenti tres cultri cuspides per se:

Rec. *Spec. diacr. Myns. diatrag. fr. an. ℥ß. M.*

Qui *pulvis* etiam assumi potest inter potum *acidularum*, si hic naturæ morbove conveniens comperitur.

§. Hercanus noctem mediocriter transegit: sanguis e *vena secta* fuit *granulatus*, globulis mucilagini inherentibus, nec admodum multum seri. Pergere jussi cum *pulveribus* reliquis; at pomeridie ipsum prehendit *diarrhœa* satis frequens cum *torminibus* & majore *languore*. Metuens igitur *dysenteriam epidemicam* dedi *mixturam* cochleatim accipiendã: Hercanus. *Diarrhœa.*

Rec

XVI. Rec. *Aq. plantag. card. bened. an.* ℥ij.
▽. catech. bol. arm. an. ℥ß.
extr. papav. c. gr. iiij. sir. myrtill. ℥ß. *M.*

Noctu sumatur *bolus* & expectetur *sudor*:
Rec. *Diascord. Fracast.* ʒj. *laud. op. gr.* j.
♁. diaph bol arm. ppt. an. ℈j. *M.*

Sella Patrocli collocetur in hypocaustum: Totum corpus & præcipue pedes in æquali calore serventur. *Acidularum* loco bibat aquam coctam, in qua maduit crusta panis tosti & cum *nuce moschata* perfricti. (d. 17. *Aug.*)

Dynosideri *uxor.* *Cephalalgia.* §. Dynosideri *uxor* (d. 25. *Iun.*) dolore capitis atroci laborans cum pulsatione cerebri & arteriarum, alias in *venæsectione* se præsidium haut ficulneum quæsisse dicebat, nunc autem ob *caniculares*, an sanguinem mittere liceat? dubitare. Suasi, ut mitteret. Necessitas non habet legem, neque *canicula* tanta vis est in climate nostro, quanta in *Insula* Co Hipocratis Patria. Immo, an non & ibi locorum commissa fuerit caussæ fallacia, merito dubitatur. Apud nos, tempore *canicularium*, plerumque tantus æstus non percipitur, quam *Julio* mense. Ne igitur *Practicus Junior*, urgente necessitate, chimæricæ hujus *caniculæ* latratum metuat, & alibi potius saluberrima HIPOCRATIS præcepta observet, quæ in vanis (fuit enim homo.) multi sectantur, in seriis & veris negligunt. Dantur etiam in arte *Medica excolantes culicem*, *camelum autem deglutientes. Matth. 23. v. 24.*

Epargyrius. *Paresis.* §. Epargyrius 3. *Junii* consilium ultimum a me petiit, ob paupertatem suam *paresin* patienter ferre, quam omnem substantiam dilapidare, prius habens. An recte, judicent alii. Pater ejus me hodie convenit, beneficium pro Filio petiturus a SERENISSIMO, quod, ut eo facilius obtineatur, testimonium de affectu filii a me petit. Ipsum adhuc esse, & quidem perfecte *pareticum*, sensu ac motu omnium artuum destitutum, cætera comedentem, bibentem, dormientem asserit. Caussam semper adhuc rejicit in repetitam *balneatoris venæsectionem*. Quamvis enim perpessum gelu magnum, ad hunc affectum revera miserum dispo-suerit, sola tamen in eundo quædam lassitudo cum adesset, *balneator* primo pertudit venam in brachio; cum inde major pedum debilitas sequeretur, sanguinis copiæ in venas pedum ruenti (egregia sane theoria) caussam deferens invito etiam ægro & adstantibus, *cephalicam* in utrisque pedibus scidit, & sanguinem, donec sponte sisteretur, effluere permisit, cujus incredibilem fuisse copiam Pater & adstantes referebant; immo & hoc

hoc addebant, cum ipsi *Medici* prius consilium rogaturi fuissent, contradixisse TRIBONIUM, nec opus esse *Medico* clamitasse. Certe illam tam frivolam *venæsectionem paresis* presso, immo resoluto, pede secuta. Scutica digni sunt maleferiati & nasutali hi *chirurgastri*. XVI.

§. Baptistoduli *Filiolus catharticum* suum cum emolumento non pœnitendo assumsit. Desinunt namque *convulsiones epilepticæ*, quamvis *lumbricorum*, saltem vivorum, nihil excretum fuerit. Baptistoduli *filiolus*. *Epilepsia*.

XVII.

MErcurius hodie fere quarti, liquor *thermometri* exacte quinti gradus medietatem occuparunt mane, quamvis vesperi dictus Mercurius in tertiam dicti gradus lineam adscendisset. Nox fuit serena, dies æque talis cum calore moderato. Mane nubes multæ, sed brevi post ortum solis dissipatæ.

§. Terebus Melodidascalo *cremorem hordei* dissuasit propterea, quod ventriculo sit inimicus. Caussa non addebatur. Falli credimus virum istum insignem, si id in genere velit intelligi. *Cremor* enim ille cibus est medicamentosus laudatissimus. Præter enim bonum nutrimentum & sanis & ægrotis commodum, nil viscidi habet, facile transit & probe abstergit. vid. LÖBER. *Anchor. sanit. Dial. IV. p. m. 49.* Vehiculum præbet aptum medicamentis acrioribus, & ventriculi peristroma ab humorum acrimonia abrasum restituit, hinc in *cardialgia*, *sota* &c. nobilis. Ubi vero bilis est iners, ventriculus pituita viscida frigidaque oppletus, ejusque tonus relaxatus, ibi minus quidem convenire, nisi dilutiorem & maci probe conditum existimo. Utplurimum tamen magis prodest, quam nocet. vid. MUND. *Biochreetolog. p. m.* 123. & ZWINGER. *Herbar. p.* 318. *s.* Qui optandum esse, & vere quidem dicit, ut nostri homines magis *cremori hordeaceo*, quam aliis quibuscunque eduliis adsuescant; sic enim a multis morbis immunes futuros. *vid. quoque CL.* DEODATUS *in Panth. Hygiast. lib. I. cap. 27. p. m.* 289. *s.* (d. 19. *Aug.*) Melodidascalus. *Cremor hordei*.

§. Dynosideri *Filiolis* d. 1. *Iulii* præscripseram *purgantia* & *essentiam hæmocatharticam* ad *scabiem* tollendam, *unguentum* tantisper differens, donec sanguis depuratus esset. Nunc autem ordinavi *unguentum ad scabiem* MUSITANI, quod revera nobilissimum est, ac tale: Dynosideri *Filioli*. *Scabies*.

Rec. ☿*ii viv. curr.* & ♎. *an.* ℥ß.
terantur invicem super marmore diligenter, donec
☿*ius non amplius conspiciatur: tum*
Rec. *Terebinth. ven. adip. suill. an.* ℥iij.
ceruss. lot. ol. oliv. an. ℥iiiß.
cer. alb. ℥j. *M. F. l. a. unguentum.*

Ungantur alternis diebus articulationes circa carpos, cubitos, genua & tarsos calide.

Esmori *Filia secunda.* *Dysenteria.* §. *Dysenteria* quoque corripitur Esmori *altera filia*, cui, una cum natu *majore*, ordinatus *pulvis ad 3. cusp. cultr.* singulis 4. horis assumendus: Rec. *Extr. torment. bol. arm. pp Cor. r. ppt.*
gumm. tragac. CC. ust ppt. an. ℈ß.
extr. papav. comp. ℈ß. *sacch. perid.* ℨij. *M.*

Mixtura sequens inserviat pro vehiculo, & seorsim quoque cochlear unum vel alterum sumatur:
Rec. *Aq. burs. pastor. plantag. fol. querc. an.* ℥iß.
cinnam. cydon. ℥j.
conf. de hyac, inc. ℨj *sir. myrtill.* ℥ß. *M.*

Ad sopienda ventris *tormina unguentum*:
Rec. *Ung. Comitiss.* ℥j. *op. in* 🜄 *. sol.* ℈j.
ol. cydon mastich. an. ℨij.
nucist. expr. ℨj. *M.*

Erat, quæ contra *tenesmum*, (cui suffitum *colophonia* opponebamus) quo dolorosissimo natu major laborabat, *allitum musci querni cum butyro fr ixi* intra semihoram certo juvaturum prædicabat, sed effectus voto non respondit. *Sacculus* ex aliorum consilio ventri impositus e *chamomilla & absinthio.*

Aderat alia, quæ remedia domestica omnibus a *Medicis* ordinatis anteferenda esse in *dysenteria*, hinc *Medicos* ad ejus curam raro adhiberi, jactaret. Ultimum verum est, caussa autem falsa. Plurimi in hac *dysenteria Medici* opem non flagitarunt, sed plurimi tales mortui sunt. Vulgus nil magis optat, quam *adstringentia*; Man soll stopffen / stopffen / stopffen. Apud *Medicos* vero rationales hæc ab initio locum non habent, si vehementer adstringant. Præclare VALESCUS *de* TARANTA ex antiquorum thesauris: *Nullus*, inquit, *alvi fluxus ante quartum diem, modo vires sufficiant, est cohibendus. Immo*; ex CRATONIS *Præcepto*, *ante septimum diem non adhibenda sunt adstringentia*, *teste* BAGLIV *Prax.* quod tamen cum grano salis accipiendum. Egestio enim intra nychtemeron vel centies exercens habet vim symptomatis urgentis. Igitur, ut ubique in *Praxi Medica*, ita & hic opus est prudentia. (d. 18. *Aug.*)

Toparii *uxor.* §. Toparii *uxor* heri noctu filiolum vegetum enixa est. *Dolores post partum* exercent, quos non statim sedare convenit. *Lochia* parce succedunt, hinc jussi cum *mixtura* hesterna, cum roborante, tum quoque modice pellente, pergere, *mamillisque* ad lactis discussionem prospicere. (d. 18. *Aug.*)

Apud

§. Apud Hercanum *Diarrhœa* quadantenus remisit cum calore præternaturali, hinc eam fere *criticam* & salutarem fuisse existimo. Jussi tamen cum *pulveribus* & *mixtura* heri ordinata pergere, viribusque a tot sedibus languidis ordinavi *electuarium* interdum ad quantitatem *avellanæ* sumendum: Rec. *Conf. acetosell.* ℥ß. *carn. citr. cond.* ʒij. XVII. Hercanus. *Diarrhœa.*

cryftall. ppt. ebor. fossil. ppt. an. ʒß.
conf. alk. inc. ʒj. (*ob paupertatem*)
fir. acetof. citri. q. f. F. Elect. male.

Practici in morbis *febrilibus* omnes evacuationes insolitas per *sudorem, alvum & urinam* ad *criseos* cynosuram revocent, nec justo citius reprimant. Ipse non facturus eram in *diarrhœa*, quod feci, nisi *disenteriæ* epidemicæ metus me compulisset. (d. 19 *Aug.*)

§. Apiarii *uxor* (d. 15. *Aug.*) paulo melius habet. Appetitus tantisper redit; saltem vires adhuc sunt languidæ, quas per officia culinaria reparatum iri credo, nisi *marasmus* quidem *senilis* sub illo conopeo latet. (d. 18. *Aug.*) Apiarii *uxor.*

§. Ageranomum (14. *Aug.*) visitavi, sed ecce brachium dextrum ac pes sinister circa talum veris *podagricis* doloribus tumebant & ardebant, Ageranomus. *Arthritis.*

Rec. *Sem melon papav. a. an.* ʒiij.
aq. fl. paralyf ℥vj. *F. Emulf. add.*
Oc. ♋. *ppt.* ʒj. *fir. fl. paralyf.* ʒvj. *M.*

Dimidia pars tempore somni hodie, altera cras noctu hauriatur: cras vero mane assumat gtt. xxxx. *mixturæ* ex jure calido:

Rec. ℞æ. *bezoard.* ʒiß. *eff. anod.* ℈ß. *M.*

Artubus imposuerat *ceratum de minio.* Reliqui, & eos *leporinæ pelle* involvere jussi. Calori studeat. Vinum omnino vitet. Bibat *acidulas.*

Non sunt morbi, qui minus vinum tolerare queant, quam *arthritici* statim enim se dolorum augmento ulciscuntur. Ante quadriennium circiter, vel ultra, vir quidam sexagenarius non infimi subsellii *podagricus* decumbebat. *Chirurgus* quidam homini per se vinolento persuadebat, in stomacho mali caussam radicari, bibat igitur vinum. Libenter paruit. Sed auctis illico doloribus per 18. septimanas lecto affixus fuit. Multi, vino sc. assueti, sibi, ut ab illo, dum *podagra* crucientur, abstineant, impossibile dicunt; ventriculum enim inde ruinam pati: *malle se diutius dolere, quam concedere, ut culina corporis dilabatur.* His, dum pati velint, ut *vinum* moderate bibant, eo libentius concedo, quod hic morbus vitæ raro struat insidias, & ipsi tamen, *si Medicus* prohibebat, clanculum pitissare non desinant. *Podagricus* quidam de vini potu jocari solebat:

XVII. Trink ich/ so hink ich:
Trink ich nicht/ so hink ich doch/
Darum will ich lieber trinken und hinken:
Als nicht trinken und doch hinken.

Latine reddi posset:

Vacillo, si sorbillo:
Non sorbillo, tamen vacillo;
Malo igitur sorbillare & vacillare;
Quam non sorbillare & tamen vacillare.

Habet igitur sibi. Dann/wer will einen zwingen/ daß er gesund sey? (d. 19. *Aug.*)

XVIII.

XVIII.

MErcurius mane in quarto gradu constitutus vesperi per lineam unam cum semisse resedit. Liquor *thermometri* erat in medietate quinti gradus, & talis quoque manebat. Nox fuit serena cum die, sed hæc simul calidissima. Cras calor ille sine dubio per pluviolam infringetur.

Myaluri *servus.* *Dysenteria.* §. Myaluri servus a triduo *dysenteria* laborat: Absente ordinario *Medico* dedi *pulvisculum* sequentem:

Rec. *Rad. ipecac.* ℈j. *cinnam. pulv.* ℈ß. *M. pro 1. dosi.*

Jussi multum brodii haurire, quod summe necessarium in *ipecacuanhæ* exhibitione. Multoties vomuit, sed alvum tam frequenter non deposuit. Pomeridie, cum de torminibus quereretur, ordinavi *mixturam* cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. bursf. past. card. bened. fol. querc. an.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥j.
bol. arm. ppt. 🜄. *catech. an.* ʒß.
ess. anod. ℈j *sir. myrtill.* ℥ß. *M.*

Noctu assumatur *bolus* ex *ther. Androm.* ʒj. & *laud. op. gr. j.* Potus sit *decoctum rad. torment.* & *mastiches*, immerso pane tosto & cum *nuce moschata* perfricto.

Recte Baglivius *radicem* Ipecacuanhæ *salutat remedium specificum & fere infallibile in fluxibus alvi dysentericis.* Modo ubique applicare liceat. Sed tanta est in his locis maledicentia, ut propter vim, quam possidet emeticam, & propter quam primario *dysenteriæ* medetur, paucis licitum sit hanc radicem propinare. Dum enim *vomitiones* sequuntur, *Medicum* imprudenter, immo violenter morbum tractare clamitant. Cla-

Clamitant adstantes, immo & *Medicorum* nonnulli clamitare non erubescunt, lucrum sc. per calumnias capaturi. Ego vero multos *Dysentericos* vivos servari potuisse, immo servari a me potuisse, confidenter dico, si *ipecacuanham* dare licuisset. *Aulicum* quendam DURLACENSEM ita curavimus ante triennum ab omnibus pro desperato habitum, qui *dysenteriam* ab *esu melonum* & *potu vini glacie mixti* contraxerat, per octiduum decubuerat ac plus centies intra nycthemeron dejecerat. Curavimus ante biennium *epidemica dysenteria* laborantes hoc medicamine plurimos. Damus ab initio bis, ad summum ter, eo, quem supra descripsimus, modo, quamvis & alio dari posse non refragemur. Commode tamen non datur cum *sudorificis*, v.gr. *diascordio*, cum *vis emetica* impediatur. Necessarium autem est, ut jurulenti quam plurimum ab hujus assumtione sorbeatur, sive sit *jus carnium* sive *decoctum pisorum*, vel *infusum Thée*, quæ, quamvis cum nausea hauriantur, haurienda tamen, non ut robur viribus addant, sed, ut vomitio promoveatur. Prima die multum vomitur, altera parum, tertia quam minimum: dejectiones interim alvinæ successive minuuntur & emanent. Immo, ab una *Ipecacuanhæ* exhibitione vis morbi statim frangitur. Omnium autem optime operatur ab initio exhibita. Quin & hoc observandum, ne detur, ubi maligna febris hunc morbum comitatur, & jam ἐν ἀκμῇ constituta est. GALLI, quoties opus habent vomitione, ipecacuanham propinant, quos aliquoties imitatus sum, neque me unquam imitamenti pœnituit.

Radicis hujus BRASILIENSIS 3. genera faciunt collectores de *l' Histoire de l' Academie Royale de sciences* An. 1700 p.m. 59. *Albam* mitiorem effectu, *fuscam* violentiorem, & *gryseam* intermediam. Ex hac ultima DN. BOLDUCUS per extractionem reperit particulas salinas & 🜍eas, s. resinosas has autem illis pauciores. Extractio 🜍arum facta fuit c. 🜅. unde aquisitæ *extracti resinosi* ʒx. ex ℥viij. *radicis*; ⊖*narum* facta fuit cum △. *pluv.* ♌*llata*, & obtentæ fuerunt ℥ij. *extracti* ⊖*ini* adhuc particulis terrestribus implicati. vid. Memorie p. 4. *f. Extractum resinosum* vomitus magis violentos excitare comperit, quam ipsam *radicem* sibi relictam, cum nulla vel certe parca *adstrictione*; *Extractum* autem *salinum* pepulisse magis *urinam* & sine nausea moderate purgasse. Unde doctissimus *Auctor* dependere vult effectum in *dysenteria specificum*; Quem ego pace ipsius, *vomitioni* magis adscribo, unde revocata quasi ad *anacatharsin* natura dejectionem magis periculosam intermittit, atque sic *dysenteria* sanatur vid. *les Memories d' Annee 1701. p. 251.* Interim verissime laudatus BOLDUCUS, *Memoir. de l' Année 1700. p. c.* timiditatem Auctorum inculpat, qui *quoique*

 bien

XVIII.

XVIII. *bien instruits des vertus de cette racine, n'ont pas eu le courage de s'en servir, ne pouvant concevoir, q'un remede pût agir avec sureté, quand il agit avec violence.* (d. 19. *Aug.*)

Toparii *uxor.* *Dolores post partum.* §. Toparii *uxor dolores post partum* diros experitur cum *lochiis* non satis fluentibus. Encomio BAGLIVII motus, ex cochleari jusculi vel potus ordinarii dedi guttas 40. *mixturæ* sequentis:

Rec. *Tinct. succin.* ʒj. *ess. anod.* ℈ʃ.
sir. cinnam. ℥ij. *M.*

Foris autem abdomini frequenter applicari volui *sacculum* calefactum primo siccum, & nisi hic officium faciat, vino calenti immersum & expressum, quem ingressa fuerunt sequentia:

Rec. *Herb. rorismar. salv. rut. majoran. an.* mʃ.
fl. chamom. mj. *conc. D.*

Vesperi cum *dolores* parum cessassent, ordinata insuper *mixtura nervinis* exaltata cochleatim propinanda:

Rec *Aq. chamom. puleg. an.* ℥iiʃ.
ess. carminat. R. *succin. an.* ʒʃ.
specif. cephal. ʒʃ.
sir. de alth. FERN. *papav. a. an.* ℥iij. *M.* (d. 19. *Aug.*)

Filiolus. *Metus convulsionum.* *Filiolus nuper natus* continuo fere plorat ac vociferatur, voce jam rauca existente, quod alias parum læta præsagire comperi, cumprimis, si cutis circum labra & mentum cœrulescat. Convulsiones igitur cum metuerem, cochleatim ut præberetur *mixtura*, volui:

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥iʃ.
pulv. March. ℈j. *sir fl. pæon.* ℥iij. *M.* (d. 19. *Aug.*)

Matthias. *Colica spasmodica.* §. Matthias *stabularius* 40. annorum a potibus aquæ frigidissimæ in æstu incidit in *colicam spasmodicam* dirissimam, cum *flatulenta* mixtam. Eructavit, alvus adstrictior fuit. Statim sumatur *bolus*:

Rec. *Diascord.* FRAC. ʒj.
♁. *diaph.* ♁. *nat ppt. an.* ℈j. *M. pro 1. dos.*

Cochleatim sumatur *mixtura*:

Rec. *Aq. carv. menth: anis. an.* ℥ij.
ess. carmin. t. ʒj. *anod.* ℈j.
sir. chamom. ℥ʃ. *M.*

Cataplasma e semine lini cum lacte cocto abdomini. Sic dolor conquievit. In quavis *colica antispasmodica* reliquis utiliter miscentur. (d. 19. *Aug.*)

Petrus. *Phthisis.* §. Petrus (d. 24. *April*) a nupero insultu *nephritico phthisicus* fieri incipiens præter ingentem copiam *aquæ tanaceti compositæ* nil medicami-

caminis usurpavit; donec malo in summum gradum evecto me demum advocaret. Signa pleraque calamitosa, *tussis* perpetua, *raucedo*, *diarrhœa*, *tumor talorum*, *sceletiformis tabes*, perpetui *sudores*, sitis, inappetentia, *anhelitus* summe *difficilis*. Cur rem suam adeo negligenter gereret quæsitus? Respondit, & sumptibus parendum fuisse, & se ex officina nil assumere posse: Petebat igitur, ut saltem remedia quædam domestica ordinarem. Ad erogandos inutiliter sumtus sponte non inclinans, periculo mortis exposito, *electuarium* parare docui ex æqualibus portionibus *pulveris menth. cr. card bened. veron. heder.* 🜄. *cal. arom. cum melle despumato* in consistentiam redigendis; cujus equidem ter in die quantitas castaneam æquans deglutiatur. Potus itidem ter in die hauriendus cum aqua fontana paretur e *specicbus*: XVIII.

Rec. *Herb. veron. mj. fic. pingu. n. ij.*
rad. helen. ℥ß *cal. arom.* ʒj.
sem. anis. ʒj. *conc. cont. D.*

Recensebat ille vir, sibi valde laudatum fuisse a quadam hujus urbis matrona sumtionem *butyri viridis potabilis*, ex *herbarum* farragine concinnati. Voluit porro, ut *vesica suilla recens pisis Lotio ægroti perfusis impleta de camino suspenderetur*. Sic enim, nihil juvantibus aliis, maritum suum restitutum fuisse, adeo tunc extenuatum; ut NB. per dorsum umbilicus conspici potuerit. Eadem dicendi suavitate mulierum quarundam collum tanta teneritudinis raritate præditum ajunt, ut vini rubelli ab ipsis hausti color transpareat. Mirum, si verum.

§. Horridula (d. 10 *Aug.*) postquam vehementer excanduisset, incidit in *syncopen hystericam*, & insequentes dolores ventris acerrimos. Cochleatim præbeatur *mixtura*, dando prima vice 3, vel 4. cochlearia: Horridula. *Syncope hysterica.*

Rec. *Aq. chamom. meliss. an.* ℥ij.
hirund. c. castor. ℥j.
elix. uter. Cr. ʒj. *ess. anod* ℈j.
specif. cephal. ʒß. *sir. chamom.* ℥ß. *M.*

Noctu 8. *pilulæ* pro 1. dosi ex quolibet vehiculo:

Rec. *Extr. bezoard. papav, comp. an. gr. iij.*
castor, gr. ij. M. F. 8. pil.

Statim convaluit, etiam sine his convalitura. (d. 19. *Aug.*)

§. *Filiolo cubicularii* apud *Consiliarium* quendam nostrum nares obstructas *eleobutyro majoranæ* oblinere jussi. Narium obstructio.

§. Esmori *Filia* natu *major* (d. 16. *Aug.*) quamvis hodie mane leviter habere visa, in pejus tamen statim inde a meridie ruit. Mens vacillat, vires labascunt, alvum in ipsummet lectum oblito sui deponit. Esmori *Filia major.* *Dysenteria,*

inter-

XVIII. *intertriginem* natium experitur, valde emaciatur, nihil fere comedit. Pergendum tamen esse duximus, ego cum Collega, cum Medicamentis heri ordinatis, noctu rursum præbendo *theriacam cum laudano*. Nates inunctæ *oleo verbasci*. (d. 19. *Aug.*)

Secunda. *Altera* FILIOLA mediocriter habet, & majorem convalescentiæ spem præbet. Occasionem nacti de munditie, quantum possibile, in hoc morbo observanda locuti fuimus. Lintea frequenter esse mundanda, excrementa semper ocyssime removenda, conclavia sæpe, apertis paullum fenestris, suffienda. Sordes enim & fœtores in hoc morbo, quo fere non fœdior alter, sanos facile inficiunt. Qui, ut melius præserventur, *tragæam granorum actes* mane, pomeridie ac noctu pro ætatis ratione assumant: *nucem myristicam* crebro masticent; immo & *cinnamomum* deglutita prolecta *saliva*, quod est consilium BAGLIVI, etiam correptis non spernendum. Collega meus *electuarium præservativum* ordinavit *e Cons. rof. r. antiqua diascordio, theriaca, bolo & nuce moschata.* Liberi bini ætate minimi adhuc salvi in aliam domum deportabantur. *Mundities summum in dysenteria bonum.* Præservandi fine *tragæa granorum* actes nihil valentius. (d. 19. *Aug.*)

Iteandri *filius.* *Dysenteriæ metus.* §. Iteandri *Filius* in *vomitiones* ac *diarrhæam* vehementer cruciantes & enervantes incidit. Consultus domi, cum nescirem, utrum *choleram*, vel *dysenteriam* exclusurus esset, memor tamen regulæ VALESCI DE TARANTA: *Quoties popularis est dysenteria, & aliquis lienteria, vel diarrhœa, vel tenesmo torquetur, paullo post dysenteria corripietur, &c.* majorem ad hanc, quam *choleram*, respectum habui, ordinatis pone sequentibus:

Rec. *Diascord.* FRAC. ℨij. *nuc. mosch.* ℥. ℈j
♁ *diaph.* ℨj. *M. pro 3. dosibus intra 6. horas sumendis.*

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ℨj. *ess. anod.* ℈j.
sir. cydon. ℥ß. *M. sumat cochleatim.*

Scrobiculo cordis *emplastrum antemeticum* consuetum.

Apiarius & *uxor.* *Appetitus prostratus.* Apiarius (d. 12 *Aug.*) cum *uxore* adhuc de appetitu prostrato conqueruntur, & petunt stomachum confortantia *orectica*. Cum primo haustulo vini in quolibet pastu sumant gtt. xxxx. *elixiris*:

Rec. *Elix. balsam Hoffm.* ℥ß. *ol. cinnam. gtt. iij. M.*

Emplastrum super alutam extensum imponatur *stomacho*:

Rec. *Empl. de crust. pan. cerat stomach. gal. an.* ℥ß.
ol. caryoph. mac. an. gtt. iij.
mastich. coct. q. s. F. empl. (d. 20. *Aug.*)

§. Atra-

§. Atractylidii *uxor* summo *dolore dentium* afflicta petit auxilium Dentes sunt cavi, quos manu chirurgica eximi recusat. Commendavi remedia mihi consueta, longoque usu salubria comperta. XVIII. Atractylidii *uxor*. *Odontalgia*.

Rec. *Ol. amygd. dulc. rec. expr.* ℥j. *ess. anod.* ʒß. *M.*

Cochlear unum & alterum *olei* calefacti in ore detineatur, & illo quidem quod dolet, latere, aliquamdiu, exspuatur & aliud denuo, donec cessaverit dolor, sumatur. Foris maxillæ frequenter & calidissime applicetur *cataplasma e pulv. spec. emoll. cum lacte cocto.*

§. Choriographus nutricem sui filioli hodie *vomuisse* terque alvum dejicisse, simul anxietates ac *tormina passam* esse dixit. Quæritur igitur, utrum consultius sit, *amplius lactare, an ablactare nutritium?* Arduum in his casibus recte consulere. Utroque enim modo res male, immo pessime cedere potest. Sunt *caniculares, & æstus aëris* magnus; His temporibus non libenter *ablactantur* infantes. At vero, si sugere permittitur & nutrix fortasse *dysenteria* corripitur, e lacte hinc vitiando quid boni sperandum? Examinata nutrix se *erysypelate* non raro corripi, affectionibusque *hystericis* obnoxiam esse dixit. His malis præsentibus enarrata symptomata sentiri, sed intra biduum cessare. Jussi, ut mammam emulgeret. Se non posse dixit, cum lacte nimium distenta esset. (Altera mamma erat exsucca.) Verum est, mammas nimium distentas difficulter emulgeri. Suasi denique, ut vel hac nocte adhuc *lactationem* tentarent, & si vel puellum languere videant, vel nutricem in pejus ruere, statim desistant. Factum, & quidem feliciter. (d. 20. *Aug.*) Choriographus. *Lactatio*.

XIX.

XIX.

MErcurius paullo altior, quam heri vesperi, hac vespera supra primam quarti gradus lineam quievit. Liquor *thermometri* mane quartum gradum emensus vesperi in medietate quinti substitit. Nox clara, dies serena & calidissima. Mutatio cœli brevi expectanda.

§. In absentia Gnomilegi ad Plesii *filiolam* fere biennem vocatus fui, jam diu caussariam. Aderat *fluxus alvi* fere *Lientericus*, puella parum comedebat, valde pallebat, virium aderat summa debilitas cum *tussicula*, macie extrema & *dysarestia*; cumprimis noctu ne per momentum dormiens continuo potum poscebat, qui erat *decoctum quoddam e CC. usto cum semine anisi &c.* qui vix ferme stomachum illapsus per alvum reddebatur. Dens adhuc nullus e caninis aderat. Continuam sitim adscribebant ariditati faucium & simul de angina solliciti accersebant quoque *Chirurgum*, NIVERO, hac scil. fini, ut fauces exploraret, utrum inflam- Plesii *filiola*. *Lienteria*.

XIX. matæ vel alio modo præternaturaliter affectæ conspicerentur. Hic vero *Chirurgus* multa incompositissime garriebat sic, ut ego loquendi momentis penitus excluderer. Dicebat medicamentis addendum esse *laudanum opiatum*, idque ratione *Moti peristaltici* (nam CICERONEM legerat) *intestinorum* etenim se id longe optimum expertum. *Sirubum papaveris* esse admiscendum *eclegmati*. *Potui* dandam *ptisanam*. *Lardi recentis tenues lamellas lingulæ imponendas*. Gingivas tumidas incidendas scalpello, ut dentibus exitus paretur, & quæ sexcenta fuerunt alia. Ego, sat habens in faucibus omnia salva esse, ne verbum quidem respondi, sed *pulverem* ante præscriptum ob ingredientia forte *adstrictoria* fauces nimium exsiccare credens *mucilaginosum* alium talem ordinavi, cujus ter vel quater in die 2. cusp. cultri dentur: Rec. *Spec. diatrag. fr. specif. cephal.* ℥ß.
extr. papav. err. gr. ij. M.

Sequentis *mixturæ* cochlear parvum interdum infundatur:
Rec. *Aq. prunell.* ℥j.
sir. de alth. FERN. *e ros. sicc. an.* ℥iij. *M.*

Potus ordinarius fiat e *Dec. ras. CC. cum mastiche & pauco cinnamomo*. Seligebam autem *rasuram præ CC. usto* ob *mucilaginositatem*. Vesperi rediens *filiolam* quadantenus meliorem offendi, sed apud Parentem deprecatus sum, quod hodie mane solito morosior fuissem, id enim effecisse garrulitatem nasuti *Chirurgi*, qui non eum in finem vocatus fuisset, ut consilia mecum iniret, sed ut fauces perlustraret. Ipsius non esse, commonstrare *Medico*, quid faciendum, & quæ pharmaca præscribenda? Præterea stolidissimum fuisse ipsius discursum, v. gr. *ratione moti peristaltici, &c. Lamellas lardi* recentis suaderi quidem ad *aridurum linguæ*, sed apud infantes non locum invenire, quum talia non retineant, maturitate judicii destituti: Incisuram gingivarum in tarda dentitione facilius suaderi, quam perfici, ne dicam inutilem & supervacaneum esse. *Dentitionem esse opus Naturæ*, parum juvari ab externis, si natura robore ad dentes extrudendos careat. Puellam difficulter *dentire*, quod vires ob afflictam valetudinem desint. Dentes, ubi convaluerit, sponte protrusuram. Et certe pusionum plurimi frustra vexantur tot externis ad promovendam *dentitionem* excogitatis. Ego Practicus jam veteranus parum præsidii inveni in *sanguine e crista galli, cerebro leporino, dentibus aprugnis, incisionibus, &c.* Et fere semper roborantibus internis naturam juvans ipsimet suum opus reliqui. Adstipulabatur PLESIUS & de alio quodam *Chirurgo* narrabat, qui aliquando jusserit alicui *Decocto* addere *Cornorum cervum rosparum*. Tam eruditi sunt ipsi Ardeliones! (d. 20. *Aug.*)

§. Mya-

§. Myaluri *servus* hanc noctem optime transegit, parum dejecit, *termina* cessarunt. Hodie mane rursum dedi *Ipecacuanham*, sed sub alio velamine, nam *pulverem* hesternum denuo sumere detrectavit. *Bolus* igitur hoc modo formatus: XIX. Myaluri *servus*. *Dysenteria*.

Rec. *Rad. ipecac. subtiliss.* ℈is. ℈j. *conf. ros. r.* ʒj. *M.*

Vehementer denuo vomuit. Noctu rursum exhibitus *bolus ex theriaca & laudano*. Monentur *Juniores Practici*, quod si ægrotorum quidam medicamentum vel violentius, vel insuavius altera vice sumere recusant, ipsiq; necessarium esse iteratam sumtionem e circumstantiis cognoscant, ut se patientum contradictionibus protelari ne sinant, sed sub alio quodam involucro idem pharmacon propinent. (d. 20 *Aug.*)

§. Hercanus (d. 17 *Aug.*) per omnia melius habet, sic, ut nil esse reliquum videatur, quam, ut stomacho succurratur, ubi *pressionem* quandam dolorificam sentit. De *pulvere* ter in die 2. cusp. cultri majores sumat per se: Rec. *Spec. diacr. Mynf. pulv. stomach. Birkm. an.* ℥ß. Hercanus. *Pressio stomachi*.

ol. nuc. mosch. expr. gr. vj. extr. papav. err. gr. iij.

elæosacch. mac. ℥ß. *M.*

Scrobiculus cordis *ungatur oleoso magmate*:

Rec. *Ol. absinth. lumbric. an. coct.* ʒiij.

papav. expr. ʒj. *M.* (d. 23. *Aug.*)

§. Bohemus ante sexennium rigidissima hieme veredis VIENNA in SUEVIAM profectus, nec satis contra aëris injurias, præsertim circa nucham, munitus, tribus abhinc milliaribus cum equo celeri super plateæ stratum præceps agitur, & genu dextrum haut leviter contudit. Sensit ibi summos cum *tumore dolores* per tempus longum. Successive etiã alii dolores punctorii satis acerbi totum corporis peripheriam pervagabantur, mox dolores articulares, mox *rheumatismum* in partibus musculosis mentientes; immo dolor *ovo* vel *clavo hysterico* similis aliquando verticem cum occipitis maxima parte occupavit internecinus. Omnia *nervinis* plerumq; *balneisq; mineralibus* edomita dabant inducias, non pacem. Dolores isti punctorii, sub schemate *spasmi flatulenti*, tragœdias subinde suas lusitabant, genu isto, ceu parte debili, præ aliis plerumque pejus affecto. Id quod hoc ipso quoque tempore contigit. Bohemus. *Rehumatismus*.

Rec. *Tinct. bezoard.* ℈j. *ess. anod. gtt. v.*

M. sumat ex scutella *Thea*: cooperiat corpus, *sudorem* expectet. Partibus dolentibus, quæ nunc potissimum erat antica regio sinistri cruris, eo loci, ubi spina prominet, impositum *emplastrum saponis*, fotumque crus *sacculis calidissimis*.

Vitæ conditio talis est, ut huic nostro diætæ studiosum esse vix liceat, hinc sanitas perfecta sperari non possit. (Infra.)

XIX. Jorami filiolus. Lienteria. §. Jorami *Filiolus* (d. 30. *Jun.*) ab illo, quo dudum ipsi medicinam paravimus, tempore mediocriter valens, nunc a paucis diebus incipit extenuari, *lienteria* quasi affici, *ventre tumere*, *pectore angustus* effici, & hæc omnia appetitu satis integro existente: Ter in die detur cusp. 1. cultri de *pulvisculo*, quovis modo:

Rec. *Specif. antatroph.* ʒj. *pulv. march.* ʒß. *M.*

Cochleatim sequens *mixtura*:

Rec. *Aq. ceras. n.* ℥ij. *mastichin.* ℥ß.
sir. cydon. ʒiij. *cinnam.* ʒij. *M.* (d. 20. *Aug.*)

Matthias, Colica. §. Matthias per hesterna a doloribus *colicis* liberatus est. Jussi ut reliquum pharmacorum per hanc diem absolveret, ac in crastinum assumeret *electuarium purgans* nobis consuetum.

Uxor cardialgia. Uxori de *cardialgia* conquerenti cochleatim suasi *eclegma*:

Rec. *Mucilag. sem. psyll. c. aq. chamom. extr.* ℥j.
sir. de alth. FERN. *papav. an.* ℥ß.
ess. anod. ℈ß. *M.*

Emmusus. Accessus febrilis. §. Emmusus 40. annorum diætæ pravæ adsuetus, per hunc aëris æstum sæpe cervisiam glacie permixtam bibens, incidit heri in *horrorem*, cum in sequente magno æstu, siti, inquietudine, lassitudine, appetitu prostrato. Rec. ♁. *diaphor.* ♁. *nat. ppt.*
☽. *ppt. an.* ℈ij.
M. F. 4. ℞*es. sum. singulis* 6. *horis unus.*

Cochleatim vero talis *mixtura*:

Rec. *Aq. acetos. rub. id. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ℈ij. *sir. granat.* ℥ß. *M.*

Cum sitis esset intensa, nec *acidulæ* locum apud ægrotum invenissent, *limonatam* parare jussi ex *aqua fontana cum succo citri & s. q. sacchari, cort. citri* minutim incisas admiscendo. (d. 20. *Aug.*)

Esmori filia major. Dysenteria. Secunda. §. Esmori *Filia* natu major pessime vixit nocte præterita; somnus nullus, defectiones plurimæ, *tormina* gravia, *mens* tamen constans. *Natu secunda* mediocriter vivit. Utrisque mandatum, ut medicamentis consuetis per diem uterentur; noctu autem *theriacam cum laudano sumant*. Hac die *Filiolus* quoque rursum fuit domum deportatus 5. annorum, qui tres sedes liquidas per diem habuerat, quamvis adhuc hilaris ac vegetus & appetens. Pergat cum *tragæa granorum actes.* (d. 20. *Aug.*)

Gnomilegi filia media. Dysenteria. §. Gnomilegi *Filia media* 16. annorum a biduo *diarrhœam* patitur, hodie simul nonnihil *cruenti* prodit, *tormina* parca sunt, appetitus debilis; virgo est alioqui caussaria. Pater absens. singulis 5. horis sumantur 2. cusp.

cusp cult. de *pulvere*, ex vehiculo annexo, etiam seorsim per cochlearia hauriendo: Rec. *Cor. r. ppt.* ▽. *sigill. an.* ʒj. XIX.

nuc. mosch. ℈iſ. ℈j. *ther. cœl. gr. ij. M.*

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥ij.

cinnam. cydon. ℥j.

conf. de hyac. ʒj. *sir. myrtill.* ʒiij. *M.*

Potus *lac amygdalinum.* (d. 20. *Aug.*)

§. Cylicii *Filiolus* (1. *Mart.*) nunc 34. septimanarum ante semestre per ordinata belle convaluit, & hactenus sanus perstitit. Ab aliquot diebus autem diebus alvo fluidiore laborat, cum magno languore *convulsionumq;* metu: Rec. *Spec. diatrag. fr.* ʒj. *Pulv. March.* ʒß. *M.* Cylicii *filiolus.*

Detur ter in die cusp. 1. cultri, quocunq; modo, sequensq; *mixtura* cochleatim: Rec. *Aq. fl. til. plantag. an.* ℥iß.

epil. L. ℥ß.

conf. de hyac. ʒß. *sir. myrtill.* ʒiij. *M.* (d. 20. *Aug.*)

§. Pobestilus 20. annorum jam ab aliquot diebus *defluxiones catarrhales* se pati dicit, cum *oppressione pectoris*, difficili spiratu, inappetentia, siti ac *tussi*. Dolor sentitur circa superius *orificium ventriculi* pressivus. Pravæ digestioni rem deferens, ordinavi sequentia: Mane, pomeridie & noctu sorbeantur gtt. xxxx. *elixiris* e *mixtura* adnexa, seorsim quoq; sumenda: Rec. *Elix. balsam.* ʒiß. Pobestilus. *Cardialgia.*

Ræ succin. croc. an. ʒß. *M.*

Rec. *Aq. veron. majoran. an.* ℥iiß.

⊖✱. *anis.* ℈j. *sir. menth.* ℥ß. *M.*

Regio dolens mulceatur *oleo*:

Rec. *Ol. lumbric. absinth. coct. an.* ℥ß.

nuc. mosch. expr. ʒj. *M.*

Potus sit vinum aqua temperatum, quod calidiuscule bibatur. Cibi sint eupepti, nec acidi, nec aromatis nimium conditi. Caput, pectus & pedes frigori ne exponuntur. (d. 27. *Aug.*)

§. Apud *uxorem* TOPARII *dolores post partum* multum remiserunt, ipsaque per totam diem satis belle vixit. Jussi tamen cum heri ordinatis pergere. Toparii *uxor.*

Filiolus adhuc inquietus & raucus. Ulterius propinentur præscripta & scrobiculo cordis applicetur *emplastrum theriacale.* (d. 20. *Aug.*) *Filiolus.*

§. Ageranomus *emulsionem* & *Tincturam* non sine ullo levamine usurpavit, hinc *emulsio* repetita & cum *Tinctura* perrectum (17. *Aug.*) sed artus, qua dolent, *ceratum de minio* diutius sustinere noluerunt, ipseq; Ageranomus. *Podagra.*

 pro-

IXX. proprio consilio motus imposuit *farinam secalinam tostam*, inde que se levari putat. Contraindicans nullum conspiciens in ulteriorem usum consensi. (d. 20. *Aug.*)

Horridula. §. Horridula per heri ordinata sibi confestim fuit restituta.

Grapteris filiolus major. Nephritis. §. Grapteris *filiolo* natu majori *nephritico* commendatus fuit continuus usus *pulvisculi* sequentis, si non quotidie, alternis tamen diebus semel, quovis modo ad cusp. 1. cultri sumendi. Renibus, ureteribus & vesicæ est instar verriculi, non ignobile medicamentum;

Rec. *Rad. alth.* ℥ij *gumm. arab.* ℥ß.
sacch. a. ℥iij. *M.*

Parvulos non libenter exerceo fortiter *diureticis*, quum inde *urinæ incontinentiam* successive ortam expertus fuerim. Semper præstant *lubricantia*.

Bohemus. §. Bohemus a sudore post assumtam *tincturam*, & *emplastro saponis* dolorum remissione gaudet. (d. 21. *Aug.*)

Melodidascalus. Dyspnœa. §. Melodidascalus (d. 17. *Aug.*) oppressione pectoris haut levi obrutus spiritum vix ducere potest, insigniter simul languens, & fere nil appetens. Exscreatio propemodum nulla. Stragulis coopertus strenue sudet, *ephidrosi* per *mixturam* promota;

Rec. ∾. *nervin.*
Ræ bezoard. an. ℈j *M. pro. 1. dosi.*

Largiter non sine levamine sudavit. Postero die profecturus erat in *Alsatiam*. Vehementer dissuasi, ob cœli inclementiam & viarum lutulentarum impedimenta. Paruit (d. 28. *Aug.*)

Baptistodulus. Cardialgia. §. Baptistodulo jam diu de *stomachi dolore* querenti & noctu fere semper vomenti, 45. circ. annorum viro, pauperculo, suasi jugem usum *pulveris euporisti*, cujus mane & noctu ordinarie sumat 2. cusp. cultri per se, totidemque extraordinarie omni tempore, dum sentiuntur dolores;

Rec. *Herb. menth. cr. rad. acor. bacc. junip.*
cort. aurant. sem. anis. carv. an. ℥j.
sacch. ℥ß. *M. F.* 🜄. *subt.*

§. Languidulos meos in *leprosorio* visitavi, eorumque binos, qui plene convaluerunt, dimitti posse per schedulam declaravi, quorum alter fuit puer ille *psora leprosa* affectus, de quo jam aliquoties dictum, altera mulier quædam lue gallica contaminata, & per DEI gratiam etiam restituta. Cui ob effrenis linguæ petulantiam encomium haut bonum largiri cogebar.

XX. XX.

IN hesterna vespertina statione mercurius mane repertus vesperi ultimam tertii gradus lineam occupavit; Liquor *thermometri* mane paullo

supra

supra quartum gradum quiescens, vesperi quintum proxime attigit. Nox & dies claræ & calidissimæ. XX.

§. Theogenis *uxor* 4. liberorum mater, a quatuordecim diebus puerpera lac habet paucum, tenue & aquosum, *cremoris* tamen non plane nihil secernens. Infantulus parum augetur, lac tamen libenter sugit, nec revomit. Quærunt, an esset *ablactandus*? Respondi, tempore hoc calidissimo minus congrue & commode infantes adhuc adeo pusillos & *quasimodogenitos ablactare*. Potius ipsa mater victu *galactopœo* uteretur, lacticiniis, *oryza*, *emulsione amygdalarum*, *confectione fœniculi* &c. Ac interim *decoctum* quoddam pro potu intercalari paret ex *ras. CC. visc. quern. & sem. anis.* Tentanda prius omnia, nam *ablactationem* adhuc, quoties inevitabilis videtur, institui posse. Theogenis *uxor*. *Lactatio*.

§. Notabile est, quod d. 13. & 16. *Jul.* jam memoratum, REGENOTTI *uxorem* (d. 11. *Aug.*) partui nunc vicinissimam, iterato *cardialgiam* ab esu, *gammarorum fluviatilium* expertam esse; quod, cum *uxori* TOPARII etiam ut suo loco relatū, evenerit, ansam porrigit inquirendi, num forte cibus hic mulieribus gravidis infestus existat? quod, sicut in genere non affirmare audeam, ita pretium tamen est operæ, ut *Practicus cardialgiam* insuetam in *gravidis* observans, nunquid *gammaros* comederit, expiscetur, req; cognita, illorū esui interdicat. Forte solū *elixi*, non alio modo cocti, tale quid efficiunt, quod vero non est absimile, experimento tamē relinquendū. (d. 8 *Sept.*) Regenotti *uxor*. *Cardialgia*.

§. Licaonis *uxor* nuper puerpera nunc a biduo de *cardialgia* queritur statim a pastu, quo non utitur copioso. Caussam externam allegare nescit. Ego potum in æstu frigidiorem incuso. Sumat mane & pomeridie gtt. xxv. *mixturæ* ex jusculo mane & post prandium ex potu ordinario: Lycaonis *uxor*. *Cardialgia*.

Rec. *Tinct. propriet.* ℥iß. *ess. anod.* ℈ß. *M.*

Noctu ante somnum deglutiat tres *pilulas theriacales*: scrobiculus cordis ungatur *oleo* aliquoties in die: Rec. *ol. bacc. jun. succin. an.* ʒj. *mastich.* ʒß. *M.*

Vitet frigus aëris & vescatur eupeptis. Hæc mulier est valde pusillanimis, & e muscis elephantos facere consuevit:

§. Reclecia *virgo* a triduo *dejectiones alvi cum strigmentis sanguineis, torminibus & tenesmo* patitur. Ordinatum *electuarium* leviter adstringens, quantitate castaneæ singulis 4. horis sumendum: Reclecia. *Dysenteria*.

Rec. *Conf. rof. r. antiq.* ℥j. *miv. cydon.* ℥ß.
theriac. Andr. ʒij. *sir. myrtill* ℥ß.
bol. arm. ppt. cor. r. ppt, an. ʒß. *M.*

Non adest æstus, non inappetentia, nec virium languor: nam in domo circumiens rerum suarum satagit.

§. Oeno-

XIX Oenophylax. *Mensium suppressio.* §. Oenophylax (d. 9. *Aug.*) in multis melius habet a pharmacis d. 6. *Aug.* ordinatis. Lassitudo & pallor cum *asthmate* & *palmo* multum remiserunt. Interim *phlogoses* adhuc adsunt & *menses* nondum visi. De *pulvere* hic descripto sumat ter in die 2. cusp. cultri ex adjecto vehiculo, corpus movendo:

Rec. *Rad. rub. tinct.* ℥j. *chalyb. c.* 🜂*e* ℈ij.
borac. ven. ℈j. *croc. austr.* ℈ß.
elaosacch. sabin. ʒiij. *M. F.* ℞.

Rec. *Aq. puleg.* ℥vj. *sir. artemis. r.* ℥ß. *M.* (d. 30 *Aug.*)

Probatus. *Rheumatismus.* §. Probatus 36. annorum, molem valde gravem nudius tertius sublaturus sensit, quasi aliquid in pectore dissiliret. *Rheumatismus* in altero brachio valde dolorificus. Sanguinem neque per os neque per alvum neque vesicam dejecit. Nec sitit, nec appetitus est dejectus: nullibi tumor vel *ecchymosis*. *Venæsectionem* in brachio sano suasi. Mane & noctu *essentiæ mumialis* CLAUD. gtt. xxxx. propinari volui. Prævia frictione forti fiat inunctio brachii calida ter in die.

Rec. *Ung. nervin.* ℥j. *ol. philosoph.* ʒij.
~. lumbric. ʒij. *M.*

Spero rem ex sententia cessuram.

Hamaxei *uxor. Rheumatismus. Pruritus.* §. Hamaxei *uxor* (22. Jan.) a *rheumatismo brachii*, quo præterita hieme laboravit per tunc applicata *salva præstita*, hactenus commode vixit. Nunc queritur de magno & fere intolerabili *pruritu* totius *corporis*; cutis interdum elevatur, quasi *varos* acquisitura. Mane sumat cusp. 2. cultri de *pulvere*, ex quolibet vehiculo:

Rec. *Pulv. hepat. r.* ʒiij.
Cor. r. ppt. arcan. dupl. an. ʒj. *M.*

Noctu cubitum itura sumat gtt. xxx. *mixturæ* ex aqua panata:

Rec. *~⊖. dulc. sir. granat. an.* ʒiß. *M.*

Cutis bis in die fricetur æqualibus portionibus *olei amygdal. dulc.* & *album. ov.* conquass. intincto linteolo. Vitetur potus meraci. Caute utatur aromaticis. Post caniculares purgetur corpus & secetur vena.

Esmori binæ *filiæ*. *Dysenteria.* §. Esmori *binæ filiæ* noctem aliquo modo mitius transegerunt, quamvis frequenter, etiam cruenta, nec sine torminibus ac præternaturali calore sitique dejecissent. Ordinati pro utrisque sex *pulveres*, quaternis semper horis ex ordinario potu sumendi:

Rec. *Pulv. pannon. r. alexiph. Cam. an.* ʒj.
ther. cœl. gr. iij. F. 6. ℞.

Noctu

Noctu ante somnum *electuarium* seu *bolus*: XX.

Rec. *Diascord. Frac.* ℈ij.
smar. ppt. cryſtall. ppt. ebor. foſſ.
balſ. peruv. an. gr. xv.
F. elect. divid. in 2. p. aequ.

Cochleatim praebeatur *mixtura*:

Rec. *Aq plantag. ſcord. an.* ℥iij.
mixt. ſimpl. conf. de hyac. inc. an. ʒj.
ſpec. cord temp. ʒß. *ſir. fl. tun.* ʒiij. *M.*

Abdomini utrarumque applicetur *empl. diaphor.* MYNS. *cum an. ol. maſtich. & cydon.* bene ac molliter malaxatum.

Veſperi pejora omnia. *Dejectiones plures. Tormina*, ſitis, aucta. Nil tamen immutatum, cum ſpes bona nos haberet, ope *electuariorum* vel *bolorum* illorum, noctem fortaſſe mitiorem futuram. Denuo ab Adſtantibus injecta mentio vini, quippe quod *major* natu *filia* prae altera impenſiſſime, immo vel unum cochleare, deſideraret. Sed ob ſitim intenſam *febrimque* continuam praeſentem omni modo diſſuaſimus, atque ut ſanae rationi locum prae cupiditatibus concederent, oravimus. Dictum ſupra, quibus in caſibus vinum in hoc affectu concedi poſſit. E multis citamus *Car.* MUSITANUM, qui in *Trutin. Med. lib. III. cap.* 14. p. m. 615. appoſite ſcribit: *Quando febris eſt exigua, conceditur vinum rubrum decocto dilutum ſed angue pejus fugiendum eſt vinum generoſum; nam hujusmodi vini uſus majores & inſolitas fermentationes & turbationes in ſanguine producit, & ſic a majori motu & ſanguinis turgeſcentia arteriae & venae in ſuis extremitatibus magis dilatantur & aperiuntur in inteſtinis, unde ſanguis majori copia effluit &c. Verum NB. ſi facultas concoctrix hic laborat, vini uſus ſaepe neceſſarius & utilis eſt. NB. Si vires deficiunt, vinum rubrum adſtringens aqua plantaginis dilutum commendamus.* Hactenus MUSITANUS, cui calculum addere cogimur. (d. 21. *Aug.*)

§. Myaluri *ſervus* hodie notabiliter melius vivit, *electuario* nocturno effectum rurſus optatum praeſtante. Supereſt notabilis adhuc quantitas *mixturae* cochleatim ſumendae a GNOMILEGO ordinatae, quam uſurpare pergat. Cum enim *teneſmus* quidem adhuc adſit, ſed fere nihil dejiciatur, aliis *adſtringentibus* uti volui. Mulier interim clinica ipſi adjuncta multo cum barritu debacchata eſt contra uſum medicamentorum (id eſt, *ipecacuanhae*) binis matutinis a me propinatorum. Talia clam *Medicum* in vulgus diſſeminantur. Cum tamen effectus de ſua cauſſa teſtetur & vis *dyſenteriae* per *benedictam radicem* penitus fracta fuerit, utat

Myalari *ſervus.* *Dyſenteria.*

XX. utut operatio fuerit violentia; talis quippe, qualis est *emeticorum* (d. 21. *Aug.*)

Jorami *Filiolus.* *Asthma.*

§. Apud Jorami *Filiolum* cum heri ordinatis parum profecimus; imo major circa spiritum angustia pectusculique oppressio. *Carnificem uxorem* in consilium adhibitam comperi. Negarunt. Cum convincere non potuerim, ulterius puellæ curam suscepi secus, aliter facturos; Monui tamen, ne, si me vellent, tale quid unquam auderent. *Pulvisculo* & *mixtura* hesternis non neglectis, jussi bis in die *mixturæ* sex guttulas dare cum quolibet vehiculo:

Rec. ~⊖✱: *anis.* ʒj. ℞. *succin.* ℈j. *M.* (*infra.*)

Cylicii *Filiolus.* *Tormina.*

§. Cylicii *Filiolæ* ob *tormina* adhuc enormia & *convulsionum* prodromos dedi *pulvisculum* in his casibus egregium:

Rec. ⊙ *fulmin. gr. ij. arcan. dupl. gr. iij. M.*
pro 1. dosi.

Non interim omissis heri præscriptis.

Emmusus. *Febris continua.*

§. Emmusus mitius quidem hodie *febricitat*, sed passim, quamvis leviter, per noctem *deliravit*. Remisit quadantenus capitis dolor; sitis adhuc intensa, quam *limonata* egregie solatur. Queritur, quod noctu ne per momentum quidem dormire possit. Valde languidus est. Urina flammea: Mutati *pulveres*, manente utendi modo:

Rec. ♁. *diaph. CC. philos.*
conch. ppt. ebor. fossil. an. gr. xv.
M. F. 2. ℞.

Reiteretur *mixtura* hesterna cochleatim sumenda: noctu vero ante somnum hauriatur media pars *emulsionis*, altera in crastinum servata, nisi inquietudo aliud poscat, tunc enim post noctis medium reliqua pars bibi potest.

Rec. *Sem. 4. fr. maj. an.* ʒj. *papav. a.* ʒiij.
Aq. acetos. borrag. fl. fil. an. ℥ij.
F. Emuls. add.
oc. ♋. *ppt. CC. ust. ppt. an.* ℈j.
sir. papav. a. ℥ß. *M.* C. (*d. 21. Aug.*)

Ageranomus. *Arthritis.*

§. Ageranomus de summo dolore humeri valde lacerante queritur, cui ordinatum *linimentum* prævia levi *frictione* admovendum:

Rec. *Ol. e flor. stot. lumbric. an.* ʒiij.
ess. anod. ~⊖✱. *an.* ℈j.
🜍. *camphor.* ℥ß. *M.*

In-

Interim affectus *arthriticus* suas adhuc tragœdias ludit, hinc cum nuper ordinatis pergendum esse decrevi. (d. 21. *Aug.*) XX.

§. Gnomilegi *Filia* non tam frequenter, nec æque cruenta dejicit, & alias quoque mitius vivit. Medicamentis tamen heri præscriptis insistendum esse judicavi. (d. 22. *Aug*) Gnomilegi *Filia*.

§. Choriographi *nutrix* (d. 18. *Aug.*) consueto, quod prædixerat, tempore sibi restituta, nutritium suum promte ac sufficienter alit. Choriographi *nutrix*.

§. Apud Toparii *uxorem* plane deleti post partum dolores. *Filiolus* etiam præter opinionem vires recipit. (d. 22. *Aug.*) Toparii *uxor & filiolus*.

§. Duo menses jam sunt ultra biennium, ex quo Anna Rebholzin, puella rustica 16. annorum *mensibus fluere* cœpit; Et quidem bis ordinato statoque tempore. Metendis postea frugibus operam locans cœlo valde calido, circa vesperam cum alius mulieris marito, sex liberorum parente, pagi ejusdem incola, domum sola commeavit; inter eundum vir ille semper conquestus fuit de *ventris torminibus*, adeo, ut incurvatus incederet; per silvam cum transitus esset, & jam advesperasset, ipse ad puellam, impossibile, dixit, me ulterius progredi posse, adeo me *dolores hysterici* torquent. Quæso paulisper hic mane, nam mihi quidem decumbendum est, ne sim solus, nosti enim, vel certe audivisti, daß die Bärmutter einen Mann umbringen könne. Puella, licet contradicens ac invita se pronam, uti refert, centum præterpropter passibus a viro, super terram projecit, ac præ nimia lassitudine altum obdormivit. Evigilans, præterito jam crepusculo, se resupinatam, denudatam, & nescio quid corpori suo incumbens sensit, quod perterrita *lupum* esse existimavit; Altum autem exclamanti, vir iste, tace, inquit, ego sum. Jocatus sum tecum, neque mali quidquam perpetravi. Domum igitur attonita quum venisset, actaque suis narrasset, postero die *convulsionibus horrendis*, effectibus terroris, quassata fuit propemodum indesinenter per 5. septimanas. *Menstrua* ab eo defecerunt, & intra bimestre *venter tumere*, ipsaque perverso appetitu varie tentari cœpit. Pertusa *convulsionum* ergo, brachii sinistri nescio qua, dextrique pedis *vena schiatica*, unde *convulsiones* diu emanserunt. Res omnis ad Magistratum loci delata. Adulter compedibus vinctus & examinata per obstetrices binas puella gravida pronunciata fuit. *Turgebant mammæ quæ pressæ lacteum humorem plorabant.* Prælapsis 40. septimanis, *doloribus* quoque *partus* præsentibus, obstetrices puerum expectabunt, per biduum miseræ frustra adsidentes, nam ne quidem mus ridiculus prognatus est; quinimmo, cum defecissent dolores, mammæ flaccidæ detumuerunt, & liquamen cruentum per muliebria fluens fabulæ finem impositurum videbatur. Rebholzin *puella*. *Suspicio vi. vi animalis in corpore.*

XX. Notabile tamen eſt puellam per totum id temporis, immo usque ad integrum ab imprægnatione putatitia annum, ne minimum quidem, uti alias moris eſt, fœtus ullius motum ſenſiſſe. Præterlapſo autem anno ſubinde quid in ventre quaſi rugire cœpit. Fama inde in Ducatu toto & confinibus increbuit, *puellam a lupo imprægnatam catulum lupinum geſtare.* Immo, erant præter obſtetrices etiam viri, qui partum hunc ſollicite expectabant. Ipſa puella in hunc usque diem, *ſe vivum animal in utero fovere credit.* Niſi fere continuo comedat, ſe morderi ait, ab animali; id vero ſatiatum quieſcere. Nec enim omnibus cibis delectari, acida & inſuavia horrere, potusque calidos omnes. *Lac* autem, & inde parata valide appetere *Vini ſpiritum* amare, quem, ſi ad menſuram dimidiam hauriat, ſe tamen ebriam non fieri. Ab eo vero tempore, quo compreſſa fuit a viro, jam præterlapſum eſt totum biennium. Hodie in ædibus *Archiatri ducalis ſenioris Dn.* D. HÆRLINI præſentibus me, D. D. WINTERO, RUOFFIO, BÔHMIO, SIMONIISQUE *Patre & Filio chirurgis* puellam ſollicite examinavimus. Statura corporisque habitus eſt ille, qui decuit 24. annos natam, cum tamen non niſi octodecim haberet; vultus vividus, lacerti toroſi. Venter tenſus erat & inæqualiter tumens, protuberans tamen verſus *epigaſtrium ſiniſtrum* & regionem *Lienis.* Sonus, quem edebat, nobis videbatur æmulari potius *grunnitum porcis* quam *lupi ululatum*; quilibet ſonus erat reciprocus, quaſi quis haberet veſicam aqua ſemiplenam, eamque ſurſum, ſtatimque deorſum verteret, humore ſimul delabente. Et plane notabile fuit, ſonum nunquam fuiſſe, vel ſimplicem, vel triplicem, ſed ſemper duplicem & quidem reciprocum, modo paullo ante dicto ſe habentem. Vorax erat puella, ut quæ inſatiabilis. Hauſtum *ſpiritus vini* nobis præſentibus ſubinde aſſumebat, quem immediate ſonus ille ſemper ſequebatur. Neque ſedere poterat, nec brachia ſurſum attollere, nec deorſum, quaſi de humo quid ſublatura, demittere; ſemper ipſi aut ſtandum eſt, aut & quidem ſuper ſolum latus dextrum decumbendnm. Manum quoties ventri admoveremus ſimul fortiuſcule premendo, ſonus conquievit, etiamſi tunc ſimul *vini ſpiritum* hauriret. Obſervatum quoque, cum illa loquente ſonum nunquam ſimul perceptum fuiſſe, ſed ſaltem quando taceret. A *lacte* aſſumto ſonum ipſa clariorem edi dicebat; quemadmodum & nos obſervavimus eum nunc fuiſſe clariorem nunc obtuſiorem, & ſemper ad latus ſiniſtrum vergentem. Referebat quoque puella, ſe ſtatim percipere illius animalis deglutitionem, es ſchmazze in ihr/ quoties ipſa ſuave quiddam comediſſet. Subter umbilicum neque ſonus percipitur unquam, neque protuberantia ventris obſervatur. Circa *novilunium* abdomen altius ſuſtollitur. Ab me-

ira major protuberantia ac dolor. Præterito mense *Novembri* per adhibita medicamenta *menstrua* propulsa stato aliquoties tempore fluxerunt, sed jam a semestri denuo cessant; Fluentibus tamen illis sonus ille nihilominus perceptus fuit. Hucusque monstrosi affectus Historia. Unde *grunnitus* ille præcise arcessendus adeo facile non est decernere? *Lupum* esse, vel aliud vivum animal sibi nemo persuaderi patietur, qui rerum naturam penitius inspexit. A *Lupo* non fuit compressa, sed a comite viro, unde igitur *catulus lupinus*? *grunnitus* ille per integrum, ab isto congressu, si modo verus fuit, annum non fuit auditus, hinc demum audiri cœpit. Sonus non exprimit *lupi ululatum*, sed *porci grunnitum*. Neque hæc animalia per biennium in ventre gestantur. Et, si gestarentur, nullibi sane gestari possent, quam in *utero*. Si in *utero*, cur non protuberat venter in *hypogastrio* subter umbilicum? Cur motus, cur sonus in solo sinistro *epigastrio* sentitur? Nonne animal tam adultum proboscidem interdum alii cuidam ventris regioni obvertet? qui sunt illi *lupi*, qui *porcelli*, qui tanto appetitu feruntur ad *spiritum vini*? Ubi latet ille catulus, qui immediate, quod puella comedit, abligurire potest? An in stomacho? An intestinis? An cavitate abdominis? Prius per se est impossibile, cum per congressum ordinarium (nam per os coisse nemo dixit, & si coisset, animal tale nullum inde gigni potuisset) aditus ex utero in ventriculum & intestina non pateat? Si in cavitate abdominis, non tantum eædem difficultates manen·, sed insuper nulla ratione capi potest, quo pacto cibos & potus assumtos ingerat? *Vagitus uterinus* a multis inter τὰ ἀδύνατα refertur, certe, si unquam verus auditus, id est rarissimum & portentosum; si ita cum vagitu uterino comparatum est, nonne idem de tali *grunnitu* dicendum? Unde enim *respiratio catuli lupini* vel *porcini* ventri inclusi, cujus pulmones aërem nunquam admiserunt? Cur ventre compresso fictitium animal tacet, cum potius ob creatam inde molestiam elatiore *grunnitu* se ulcisci deberet? Cur denique in ventre tam diu manet, quin ab assumtis tam affatim cibis in molem justi *lupi* aut decumani *apri* excrescat? In quas corporis puellæ partes illius animalis excrementa deponuntur, vel quorsum excernuntur? an per alvum, an matricem puellæ? Tacemus alia plura. Si rite rem pensitemus, sonus ille vix alibi formatur, quam in *intestini coli diverticulis*. Coaxationem quasi ranarum in ea regione percipi, cumprimis in iis, qui sunt ad *bradypepsiam* dispositi, novum non est. Immo dantur quoque eorum exempla, qui ranas ea propter se in ventre fovere imaginati sunt, quale exhibet inter alios PLATERUS *Obs. lib. I. p. m. 48.* Commodissimum his ludis theatrum præbet *intestinum colon*; cum enim sit omnium capacissimum ac cellulis interstinctum, aër flatulentus, ut

XX. ita loquar, in illas cellulas allisus hunc sonum levissimo negotio exprimere potest. Non potest tantum, sed reipsa exprimit. Congruit situs illius *intestini*, cujus maxima portio transversim sub fundo ventriculi protensa Lieni jungitur, subtilibusque membranis annectitur, hinc reclinata versus *renem sinistrum* in rectum intestinum terminatur: quæ omnia locum *grunnitus* in puella nostra graphice depingunt. Cum igitur *Colon* ab *hepate* tectum & quodammodo compressum subter ventriculi fundum externæ corporis superficiei magis appropinquat, capacius est, & flatibus promptiorem largitur expansionem ac impetum, circa Lienem autem denuo fit angustius, quid facilius est conceptu, quam *grunnitum* talem formari a flatu libero incipiente sub fundo ventriculi, ubi colon a *hepate* non amplius tegitur, & terminato proxime *Lienem*, ubi *coli* capacitas fit angustior, inde progressu quadantenus inhibito vel impedito, resilire ac regurgitare usq; ad suum principium, ubi inchoarat, hinc ejusmodi *grunnitus reciprocationem fieri*? *Flatibus* totum abdomen turgere tumor ejus ac tensio probant. Protuberantiam versus *epigastrium sinistrum* quod attinet, vel ipsum intestinum *Colon* flatibus distentum tale quid effecisse compertum est, vel alia quædam nobis incognita prava conformatio efficere potest. Manus extra admotæ, valida compressio *grunnitum* inhibet, quod liber flatibus tunc transitus & reciprocatur non concedatur. In sinistro latere cubare non potest ob turgentis intestini *coli* compressionem ortosque inde dolores, brachiorum sublationem ac demissionem, sessionem quoque super sellam aut sedile eadem abdominis tensio non suffert. Multum vorat, quia abundat acido. Nec obstat, ab assumtis quibusdam immediate *grunnitum* audiri, cum *colon intestinum* tam cito assumta non intrare valeant; nec enim hoc opus est. Sufficit borborygmum illum ab aliis intestinis tenuioribus edi non posse, flatumque statim moveri propterea quod clavus clavum trudat, sic ut assumta flatum proximum hic sequentem &c. per *Platonicam* quasi *periosin* pellat. Tubæ sonus non percipitur in ipsius orificio, sed exitu, quamvis per multas ambages flatus meare necesse habeat, sonus tamen statim a sufflatione auditur. Occasionem huic malo sine dubio dedit *mensium obstructio, polyphagia*, medicamentorum tempore putatitiæ graviditatis varia adhibitio & sexcenta alia. Quis enim novit, quibus mediis vexata fuerit hæc pnella, ab *obstetricibus*, anubus, aliisque maleferiatis *medicastris* & *medicastrabus*? Finis tragœdiæ sine dubio erit, *hydrops tympanites*, quæ cum per multos, immo plus quam viginti annos aliquando vixisse, qui foras prodeundo stationem simul suam obisse nonnullos ipse novi. Puellam hanc, ut vel quæstum sibi para-

ret,

ret, vel vulgi portentum se exhiberet spectatoresque in admirationem ac commiserationem sui raperet, aliquas circumstantias astute fingere, & per assuetudinem, quoties libet, *grunnire* posse, quis dejerabit. Denique, non mordicus rem eo, nec alio modo, quam suspicor, se habere posse, defendo, suppeditaturus & aliis ingenium exercendi materiam. XX.

§. *Filiolam* Plesii cum hodie visitassem, resque nondum pro voto succedere vellet, puella per totam noctem cum indesinenter bibente, tum indesinenter alvum reddente, cum debilitate virium, adstantium quædam se de convalescentia desperasse dixit, propterea quod avis præsaga mortis a se circa ædes audita fuerit, Das Weg-Vögelein habe sich hören lassen. Scilicet est species quædam *upupæ*, quæ nocturno tempore clamorem suum edere solet sub schemate weg/ weg/ weg; quod latine sonat: *Abi, abi, abi.* Cantum hunc volunt ægrotantis in domo mortem nunciare. Laterem lavant aliud persuadere volentes illis, quorum animis ea *superstitio* firmius insedit, cumprimis, cum canente hac volucri aliquando mortem ægroti secutam notarunt. Dixi tamen, me hisce ominibus nullatenus affici, quum & contrarium, id est, ægri convalescentiam, nil obstante præcedaneo illo cantu, feliciter obtigisse non semel expertus fuerim. Sperare me idem quoque & hic futurum, modo medicamentorum hesternorum adhibitioni sedulæ insistere ne graventur. (d. 21. *Aug.*) Plesii *filiola.*

§. Apiarius (18. *Aug.*) cum uxore vires indies meliores nanciscuntur. (d. 22. *Aug.*) Apiarius *& uxor.*

§. Hodie Schoarchus (d. 13. *Iun.*) in platea totus pullatus occurrit, uxoremque suam jam ante tres septimanas mortuam esse nunciavit. Ipsam nihil amplius e *pharmacopolio* assumere voluisse: Hinc tumorem pedum & abdominis indies auctiorem vitæ postremo fecisse pausam. Schoarchus.

§. Jorami *Filiolam* in cunis & lectulo suo neq; noctu neq; interdiu dormine posse, sed tantum inire somnum incumbentem sinui matris vel ancillæ dicebant. Rei caussam ex *maleficio locali* petentes. Quamdiu caussæ naturales suppetunt, *magicas* ejusmodi ridere soleo. (d. 21. *Aug.*) Jorami *filiolus.*

XXI.

XXI.

MErcurius vix sensibiliter elatior, quam heri vesperi, hac vespera in linea prima quarti gradus substitit; liquor *thermometri* mane fere in medio quinti gradus quiescens, vesperi parum subsedit. Nox nubila, circa crepusculum diei pluviola, usq; ad septimam matutinam durans. Tota dies obscura cum æstu quodammodo remissiore,

§. Esmori *Filia* natu *major* noctem pernoctavit miserrimam. Delira indesinenter ejulavit, caussamque petita, se *tormina* pati dicebat. Adhuc dejicit frequenter liquida cum sanguine multo permixta, sed Esmori major *filia.*

foetore

XXI. fœtore nondum cadaveroso. Interim manus & pedes cum siccitate frigidissimi. *Gangrænam* haut procul abesse vereor.

Secunda. *Junior Filia* frequenter quoque cruenta dejicit, me e tamen sibi constante, nec *torminibus* admodum sævientibus, Hæc semel portatili latrinæ insidens fixa manere, nec in lectum redire gestit. Prohibitum. Sic enim natura semper ad egerendum stimulatur, & pori constringuntur. Immo, jussimus, ne cuilibet ani stimulo obtemperarent, sed sphincterem tamdiu, quam est possibile, comprimeret.

Mentio *vini* rursum injecta, quod mordicissime deperibat *natu major*. Ob pulsum valde debilem & rarum, extremorumque frigus unum & alterum cochlear vini rubelli magna cum cautione concessimus, secus atque juniori, ubi *febrile* adhucdum incendium flagrabat.

Utrisque ordinati sex *pulveres*, eodem modo, quo priores, usurpandi:

Rec. *Pulv. pannon. r. alexiph. Cam. an.* ʒj. *M.*
divid. in 6. p. æqu.

Sumantur cum *mixtura* consueta. Singulis 4. horis detur haustulus de tali *emulsione*:

Rec. *Rad. bistort. torment. an.* ʒij.
Suber. ʒj.
coq. in ℔iß. *aq. font. colat.* Rec. ℔j. *& cum*
sem. burs. past. papav. a.
plantag. acetos. an. ʒiij.
F. l. a. Emuls. add.
sir. de symph. Fern. ℥ij. *D.*

Potui ordinario inserviat *decoctum*.

Rec. *Hord. integr. fol. plantag. an. mj.*
CC. ust. cass. Lign. liquir. ras. an. ʒij.
sem. anis. ʒj. *cort. citr. rec. de pom* j.

Coq. in mens. ij. *aq. font. ad 4ta part. consumt.* sub finem demum coctionis adjiciendo *cortices citri*. (d. 22. *Aug.*)

Filiolus 5. ann. Dysenteria. *Filiolus* 5. annorum, cum & ipse jam vere sit *dysentericus*, accepit *pulverem*, cujus singulis 4. horis 2. cusp. cultri præbeantur:

Rec. *Pulv. Cor. r.* 🜄. *sigill.*
ebor. fossil. gumm. tragac. an. ℈ij.
elæosacch. caryoph. ʒiij. *ther. coel gr.* ij. *M.*

Cochleatim detur *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag. fol. querc.*
fl. til. an. ℥ij. *cinnam. cydon.* ℥ß.
conf. alk. ʒj. *sir. myrtill.* ℥ß. *M.*

In

In longis dysenteriis inedia & fastidium malum: & *cum febre pejus*: HIPP. *S. VI. aph. 3*. Id locum habet in *natu majori*. XXI.

§. Myaluri *servus* vanos ad egerendum stimulos continuo sentit: sellæ enim insidens nil exprimit. Hortatus sum, ne ad quemvis stimulum surgat, sed, quamdiu possibile, in lecto maneat; &, cum ipsum extra periculum versari credam, *electuarium diacorum* aliquoties in die, ad excitandam *orexin*, assumere suasi. (d. 23. *Aug.*) Myaluri *servus*. *Dysenteria.*

§ Emmusus per totam noctem deliravit. *Limonatam* suam pro siti compescenda valde amat, sed *vesicatoria* admittere renuit, quæ duo utrisque brachiis affigi volebam. Cochleatim hauriatur *mixtura*: Emmusus. *Febr. cont.*

Rec. *Aq. scord. card. bened. rub. id. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ♉ *diaphor. an.* ʒß.
☾ *perlat.* ℈j. *conf. alk. c.* ʒj.
si. granat. ℥ß. *M.*

Emulsio externa, pulsibus applicetur. Orbiculi *mali citrei saccharo consperfi* ad linguam reficiendam sæpe manducentur. Vesperi melius habuit. (d. 22. *Aug.*)

§. Ageranomus noctem habuit valde inquietam, mane largissime sudavit; a sudore dolores *rheumatici* & *arthritici* multum remiserunt. Hinc sudorem fuisse criticum existimo. Pergat tamen cum ordinatis. Ageranomus.

HIPP. *Aph. 13. sect. II. quibus crisis fit, his nox ante exacerbationem gravis est: subsequens vero levior plerumque.* (d. 22. *Aug.*)

§. Bohemus (19. *Aug.*) a tunc adhibitis dolorum levamen non pœnitendum sentit, & rursum extra lectum manere potest. (d. 27. *Aug.*) Bohemus. *Arthritis.*

§. Plesii *Filiola* antiquum obtinet. *Pulveris* usus sit continuus, & quum aliquid petatur, quod cordi ventriculoque roborando destinatum, scripsi *electuarium* quantitate fabæ interdum dandum: Plesii *filiola*.

Rec. *Diacinnam. Reg* MYNS.
conf. alk. c. an. ʒj. *M.*

Ventriculi regio inungatur *linimento*:

Rec. *Ungu. Comitiss.* ʒij. *ol. NM expr.* ʒj.
bals. peruv ʒß. *M.* (d. 22. *Aug.*)

Ab 21. *April.* ad hunc usque diem CUSANI *uxorem* non amplius visitavi; propterea, quod *subulci* nostri consilio usa esset. Per me licet curari quemlibet a quolibet. Sed ægros visitare, qui *carnifices* & *subulcos* consulunt *Medico* honesto in opprobrium cedit. Cum autem ad ipsam hodie rursum vocarer, eam non tantum antiquum obtinere compe- Cusani *uxor.*

XXI. ri, v. gr. dolores & cruciatus summos in ano & uteri collo, cum excretionibus utrinque cruentis & mucosis, sed & eam plane contabuisse, quasi *phtisicam consummatam*. Rogata, cur *subulco* se redidisset, id a se non factum dejeravit. Hominem a sorore, se nesciente, in domum deductum, se nihil eorum, quæ commendaverit, usurpasse; & quamvis ter ipsius fores pulsarit, tamen eum domo exesse jussisse. Gloriatum esse *subulcum*, quanti æstimetur a primoribus urbis; se amari a *Chirurgis* celeberrimis, ONISIMO & NIVERO, &c. *Bone* DEUS, quorsum adhuc res nostræ labentur? Cum mulier hæc nil aliud, quam dolorum levamen, desideraret suasi, ut *oleum amygdalarum dulcium* cum *sir. de chamom* & *essentia anodyna* jam olim semper probatum expertum denuo assumeret. Repetenda enim haut raro esse antiqua medicamenta. Interim ab hoc morbo ipsam convalere posse, non credo. (d. 22. *Aug.*)

Jorami *filiolus*. *Atrophia*. §. Jorami *Filiolus* magis indies contabescit, & varia *convulsionum* signa præbet; pavores, colorem circa labia cœruleum & alia non intermissis *guttulis* & *pulvisculo* ordinavi *mixturam epilepticam* cochleatim dandam; Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an. ℥iß. cinnam. ʒvj.*
conf. alk. c. ʒß. sir. cinnam. ʒiij. M.

Nuchæ, temporibus, vertici capitis, *balsamum cephalicum*. Hunc puellum vix evasurum credo. Credunt itidem parentes. Ob *spectrum* quod se audisse affirmant. *Spectra* negare velle, stolidum est. Totus mundus temerarios hosce negatores & nugatores refutat, & vanus est labor, si unus quidam multis persuadere sustinet, se non videre quod vident, non audire, quod audiunt. Plures in GERMANIA sunt *illustrissimæ familiæ*, quarum mortes *spectris* a multis hominibus visis præsignificantur. In Domo BRANDENBURGICO-ONOLDINA *spectrum* instar mulieris pullatæ visitur, quoties e PRINCIPUM *familia* quis moriturus est. Trium *MARGGRAVIORUM*, *Avi*, *Patris & Filii Archiater* D. REMUS, cognatus meus, aliquando noctu me comite tunc puero ex arce PRINCIPIS domum abiit, mulieremque illam sub janua *Cancellariæ* stantem vidit. Ego quidem non vidi, sed horrore tamen, cum istam januam præterirem, totum corpus perfusus fui. Brevi post *MAGGRAVII* tunc regentis, JOH. FRIDERICI SOROR moriebatur. Fama est, non ONOLDI tantum, sed *Berolini* & *Baruthi* quoque, immo & *Regiomonti Borussorum* eandem mulierem toties apparere, quoties hora fatalis alicujus e SERENISSIMA FAMILIA oriundæ personæ iminet. Plura exempla refert SONNTAG. *sicilim II.* §. 1. *de spectris & ominibus morientium*, ubi notabile est, quod de *Academia* ALTDORFINA scribit, longa nempe memoria de prehensum esse,

can-

candelam ardentem aut simile *omen* subinde obitum cujusdam ex numero illorum, qui *Academiæ* sunt insiti, quandoque cum aliis etiam conjunctum signis atque portentis, præludere. (d.22. *Aug.*) XXI.

§. Ecidus mihi hodie monstravit tumentes aliquantisper & rubentes *Filioli decennis mamillas*, quas nocturno tempore a *maleficis* vel *strigibus* violenter sugi credebat. *Striges* ex avium genere noctu nutricum papillas & infantum quoque cum summa molestia sollicitare, immo & sanguine humano gaudere narratur. Ejusmodi aves dari non dubitat, sed infantibus clam sanguinem subtrahere negat GARMANN. *de mirac. mort. Lib. I. tit. 3. §. 9. 10 s.* quo cum & ego facio, & tumorem hunc papillarum alii caussæ naturali posse ac omnino debere adscribi, firmiter sum persuasus. Talis esse potest affluxus seri ad partes illas glandulosas cum nimius, tum & acris, quod inflammationem, dolorem, & alia plura incommoda inducere posse, non absonum est. Parum ista quidem ad praxin *Medicam* conferunt, *Medicum* tamen nosse debere planissimum existit, cum in discursibus talia sæpe occurrunt. Videatur quoque FROMMANN. *tr. de fascinat.* p. m. 500. s. qui affirmantibus, *quod striges infantum papillas sugant* favere videtur.

Ecidi *filius.* *Mammarum a strigibus suctio.*

§. Dendronius, cujus d. 6. *Jan.* injecta mentio, hactenus multis morbis obnoxius fuit *hemiplegia* tactus, *arthritide* & his affinibus. Nuper in *aquis* CONSTADIENSIBUS balneavit, sed mox reversus de *dolore capitis*, *vertigine*, ac eundi impotentia conquestus fuit. Sumat mane & pomeridie cusp. 3 cultr. de *pulvere* sequenti, vel per se, vel cum *aq. ceras. n.* Rec. *CC. philos. alc. philos. rhinocer.*

Dendronius. *Prodromi apoplectici.*

ebor. fossil. an. ℨij.
succin. a. ppt. ℨj. *visc. quern. lign. sassafr. an.* ℈iij.
balsamo sacch. peruv. ℥j. *M.*

Noctu sub tempus somni capiat 50. guttas ♒. *nervini* cum cochleari vini. Narrabat idem DENDRONIUS, cum CANSTADII balnearet, cauponem mensæ intulisse *barbum* grandiusculum elixatum, una cum *ovis* illius, de quibus ultimis ipse parum comedens in *hypercatharsin* propemodum incidit. Ejusmodi casibus *observatorum* & *Physicorum* libri scatent. *Ova barbi tormina ventris & vomitum, interdum quoq; choleram excitant, ideo in esum non veniunt*, ait MOEBIUS *Instit. Med. lib. IV. Part. II. c. 6. p. m. 503. vid. m* LOEBER. *anchor. sanit. sect. I. Dial. 4 p 36.* & cumprimis FRANC. *Obs. 25. Dec. III. Ann. I. Eph. Cur. cum schol.* Sed & hic DENDRONII casus non *Majo* tantum mense, quod PRÆVOTIUS & JONSTONUS voluerunt, verum circa ipsummet *solstitium* æstivum hac facultate prædita esse cum B. ARGONANTA *nostro de absinth. p. 108.* testatur. Ego certe cauponem istum accersitũ

XXI. increpavi, atque, ut imposterum hoc edulii genere suos hospites ne cibaret, monui. [d. 25. *Sept.*]

Æthiopis *filiolus.* *Diarrhœa.* §. Ad Æthiopis *filiolum* novimestrem vocabar. Alvum habebat nimium fluidam, sed neque *torminum*, neque *tenesmi*, neque *cruoris* vestigia. Hilaris erat, lusitabat, appetebat. Cum *dysenteria* epidemice grassetur, Parentes de puella solliciti fuerunt. At vero, cum saliva ex ore continuo flueret, puellus semper digitulos suos ori insereret, gingivulæ hinc inde tumerent, immo alicubi dens incisorius jam promineret, nihil *dysenterici* metuendum esse pronuncians, tamen commendavi usum *tragematis granorum actes* mane & noctu ad cusp. I; cultri. Cautela enim abundans non nocet; dicterio trito mihi valde familiari, & si quod aliud, in *praxi medica* observando.

Sitander. *Dysenteria.* §. Sitander, quinquagenarius & ultra, hodie mane correptus fuit *diarrhœa* cum *torminibus*; feces erant *cruentæ*: præcesserat horror, sequebatur hunc æstus, sitis & *dolor capitis*. Nox erat. *Emulsionem* præbui:

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an. ʒß. papav. a. ʒiß.*
aq. plantag. fol. querc. an. ℥iß.
F. l. a. emuls. add.
ebor. fossil. CC. ust. ppt. an. ℈j.
sir. papav. errat. ʒiij. M. pro dosi una.

Cras mane *bolum* exhiberi volebam:

Rec. *Rhabarb. tost. pulveris. ℈ij.*
pulp. cass. q. s. F. bolus. pro 1. dos.

Potus sit *emulsio amygdalina.* (d. 22. *April*)

XXI.

XXII.

MErcurius mane in prima linea quarti gradus inventus vesperi ultra tertiam ejus lineam adscendit. Fluidum *thermometri* mane paullo infra quartum gradum subsistens, vesperi eundem assecutum est. Nox fuit nubila, dies mediocris, nycthemeron frigidiusculum.

Faxia. *Hæmorrhagia uteri.* §. Faxia 4. liberorum mater, partui propinqua, post aquas effusas, HÆMORRHAGIAM *uteri* valde terrificam est passa, quam variis remediolis supprimere frustra sategerunt. Interim *syncope cardiaca* subinde fores pulsavit & metus erat, ne, quod jam antea bis factum erat, fœtus suffocatus ac mortuus pareretur, cum summo vitæ matris periculo. Dolores ad partum nulli aderant, terminus autem pariendi præterierat. Accersito mihi certi quid determinare difficile visum. *Partus* instans, fœtusque versus muliebria revolutus dolores excitantia & pellentia; *hæmorr-*

morrhagia vero constringentia sibi deposcebant. Indicationes, putas e diametro contrarias. *Pellentia* cum arterioso sanguine animam purpuream evocatura; *adstringentia* partum remoratura fœtumque tamdiu inter sacrum & saxum incuneatum suffocatura videbantur. Magna hic omnino prudentia & circumspectione opus est. Rem igitur aggressus sum *cardiacis* potissimum & fluxum magis moderantibus, quàm inhibentibus. Ordinati *pulvisculi* ante-& pomeridie ex jure gallinæ sumendi: XXII.

Rec. *Spec. cordial. temp.* ʒß. *lap. bez. accident.* ℈ß.
M. F. 2. ℞.

Mixtura cochleatim præbeatur:

Rec. *Aq. plantag.* ℥iij. *chamom. cinnam. cydon. an.* ℥j.
cor. r. ppt. matr. perl. ppt. an. ʒß.
conf. de hyac. ʒj. *sir. coral.* ʒiij. *M.*

Immota, quantum possibile jaceat, nec multum vociferetur. Pomeridie puellum feliciter enixa est.

§. Esmori *bina Filiæ* antiquam obtinent. Cum calor in majore natu non esset valde intensus, extrema potius frigerent, vinum rubellum non tantum majore præbio concessi, sed, *mixturis*, nuperis non neglectis, ordinavi *electuarium* tribus ab invicem horis ad quant. *nucis moschatæ* diligenter dandum: Esmori *binæ filiæ*.

Rec. *Elect. diacinnam. reg.* Myns.
conf. alk. c. an. ʒj.
extr. bez. Camer. *gr.* iiij. *M.*

Minori natu scripsi 2. *pulveres* ante & pomer. sumendos:

Rec. *Cor. r. ppt. Nuc. mosch.* ℞. *an.* ℈j.
ol. cinnam. gtt. ij. *M. F.* ℞. *n.* ij.

Et huic parum vini rubelli, quod non intense ureretur, concessum. (d. 23. *Aug.*)

§ Uxori Toparii (d. 20. *Aug.*) ob biduanam *constipationem* heri data Oswaldi *potiuncula* ternas sedes excussit. *Lochia* nunc quoque melius fluunt: Et, cum de *præcordiorum anxietate* magna, mœroreque insolito querelas ageret, insuper *coryza sicca* laboraret, cum *pavoribus nocturnis*, *mixtura* ter in die ad guttus xxx. cum adjecto vehiculo, cochleatim quoque hauriendo, sumenda fuit talis: Toparii *uxor.* *Constipatio.*

Rec. *Tinct.* ♂. *helleborat.* ʒiß. *succin.* ʒß. *M.*
Rec. *Aq. meliss. cerass. n. an.* ℥ij.
epil. L. hir. cum castor. an. ℥ß.
elæosacch. anis. ʒij. *M.*

XXII. *Balsamum cephalicum* consuetum nuchæ; vertici, temporibus (d.23. *Aug*)

Arnoldi *filiolus minimus.* §. Arnoldi *Filiolo minimo* novimestri, abdomen turgidum, certus macilentos, articulationes protuberantes, signa *rhachitidis* vel certe imminentis, exhibenti ordinatum *purgans*:

Rec. *Gial. n. resin. gr. vj. sir. decich. c. rh. ℥ß. M.*
pro 1. dosi.

Postea ter in die *medicis horis* (nempe mane, pomeridie & noctu) cusp. 2. cultri de *polline* ex quocumque vehiculo præbeantur:

Rec. *Specif. antatroph. ʒj. æthiop. miner. ʒß. M.*

Pectus, ab domen & spina dorsi mulceantur *unguento cardiaco.*

Gnomilegi *Filia.* *Dysenteria.* §. Gnomilegi *Filia* (d. 20. *Aug.*) devicta in speciem *dysenteriæ*, belle sibi degere videbatur. Sed fluxus, & quidem non admodum *cruentus*, denuo vehementius invasit. Neque poterat ullius terroris recordari. Sumat singulis 4. horis de sequenti *electuario* castaneæ quantitatem:

Rec. *Conf. rof. r. antiq ℥ß.*
miv. cydon. ʒij. conf. de hyac. ʒj.
cor. r. ppt. bol. arm. ppt.
🜄. catech pulv. nuc. mosch. an. ʒß.
extr. torment. ℈ß. sir. cydon. q s.

Bibat *emulsionem amygdalinam.* Cochleatim hauriat *mixturam*:

Rec. *Aq burs. past. fol. quercus plantag. an. ℥ij.*
cinnam. cydon. ℥j. ess. anod. ℈j.
sir. myrtill. ℥ß. M.

Inungatur sæpius ab domen calide *linimento*, superimposito linteamine complicato probe calfacto ad *tormina* compescenda:

Rec. *Ungu' comitiss. de hyoscyam.*
ol. cydon. an. ℥ß. mastich. ʒij.
nuc. mosch. expr. ʒj. M. (d. 23. *Aug.*)

Apiarii *uxor.* §. Nescio propemodum, quid cum Apiarii *uxore* (d. 20. *Aug.*) sit ulterius faciendum? De nullo queritur dolore lassa tamen est, & lecto semper affixa, denuo fere nihil appetens, & extra lectum semper frigens. Anxius de *febri lenta morasmode* ordinavi mane & pomeridie gtt. xxxx, *elixiris* ex quol. vehic. Rec. *Ess. cort. peruv. elix. balf. an. ʒiß. M.*

Tres cuspides cultri de *tragemate* quandolibet accipiantur:

Rec. *Spec. diatret.* MYNS. *℥ß.*
pulv. cachect. qu. inc. ʒiij.
trag. arom. offic. ℥ij. elaosacch. mac. ʒvj. (d. 24. *Aug.*)

§. Rha-

§. *Rhabarbarum* apud Sitandrum, quod ſui fuit officii, peregit. Cum tamen cruenta ſemper adhuc prodeant, potus ordinarius præſcriptus fuit ſequens: XXII. Sitander. *Dyſenteria.*

Rec. *Rad. torment. acetoſ. an. ℥iij.*
hord. integr. ℥ij. maſtich. ſel. ʒj.
liquir. raſ. ʒij. CC. uſt. ppt. ſem. aniſ. an. ʒj.
Conc. cont. coq. in ſ. q. aq. font.

Noctu ſumantur *pilulæ*:

Rec. *Extr. torment. gr. iij.*
bez. papav. comp. an. gr. ij.
laud. op. gr. j. F. 8. pil. pro 1. doſi.

Sed hora nona nocturna iterum vocor ad ægrotum, qui de languore ſummo, ſedium frequentia & *torminibus* querelas multas agebat, & valde puſillanimis erat. Obverſabantur menti familia domi, 15. abhinc milliaribus, relicta, negotiorum confuſio, mora in *pandocheo*, morbi periculum & alia plura. Animum addidi, viribusque adhuc integris & pulſu robuſto exiſtente nondum adeſſe, quod vehementer metuat, edixi. Socio autem intineris, ut nuncium, ad ſuos mitteret, nihilominus ſuaſi, *Dyſenteriæ* enim in corpore ſenili dubium eſſe eventum, ſi omnia rite procedant. Interim, ut pharmacis quoque non admodum neceſſariis meticuloſum conſolarer, præter *pilulas* jam deglutiendas, ordinavi *mixturam* cochleatim:

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. chamom. an. ℥iß.*
cinnam. cydon. ℥j. eſſ. anod. ℈j.
conf. de hyac. ʒj. ſir. myrtill. ʒiij. Me

Abdomen aliquoties & intervallis non admodum longis calide linimento mulceatur:

Rec. *Ungu. comitiſſ. de hyoſc. an. ʒiij.*
ol. cydon. maſtich. coct. an. ʒiß. M. (d. 23. *Aug.*)

§. Cuſani *uxori*, prærer *hauſtum anodynum amygdalinum* adhuc aliud quid pro leniendis doloribus & alvo ſegni excitanda, ſcripſi *electuarium*, de quo myriſticæ nucis quantitas, quoties videbitur, deglutiatur: Cuſani *uxor.*

Rec. *Conſ. ſymphyt. ℥ß. pulp. caſſ. ʒij.*
pulv. liquir. ſpec. diatrag. fr. an. ʒj.
ſir. papav. alb. q. ſ. pro Elect. med. conſiſt.

Par-

Partium dolentium, id est, parietum internorum *intestini recti* & *colli uteri*, cum sequenti *linimento* fiat inunctio:

Rec. *Ungu. popul.* ℥ß. *ess. anod.* ʒß.
ol. lil. alb. ʒiij, *papav. expr.* ʒj. *M.* (d. 26. *Aug.*)

Ageranomus. §. Ageranomus in *artubus* tolerabiliter dolet, Pergat cum pharmacis. (d. 23. *Aug.*)

Nigredici *uxor*. *Febris continua paroxysmans.* §. Nigredici *uxor* quinquagenaria jam ab octiduo *febricitat.* Primo horror, hinc æstus, & hic fere singulis diebus exacerbatus. Appetitus deest, sitis magna cum summo languore. *Febrim* voco *continuam paroxysmantem.* Alvus laxior, quam par erat.

Rec. ♉ij *diaphor. CC. philos.*
oc. ♋. *pp. an.* ℈j. *ther. cœl. gr.* ij.

F. 2. *pulveres*, quorum alter hodie noctu, alter cras mane, utrique in non admodum pingui, sumantur, cochleatim vero talis *mixtura*:

Rec. *Aq. fl. samb. card. ben. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒß. *sir. rub. id.* ℥ß. *M.*

Interdictum vino. Potus concessus aqua fontana cocta, cum *nuce myristica.* (d. 23. *Aug.*)

Emmusus. §. Emmusus hodie mane paroxysmum denuo *febrilem* sustinuit. Cum adventarem, æstus ipsum jam agitabat, & per noctem continuo delirabat. Fallendæ siti præter *limonatam*, sequens etiam *mixtura dicata*:

Rec. *Aqu. acetos. rub id. an.* ℥iiß.
conf alk. c. ʒj. *sir. acet. citri.* ℥iij. *M.*

In crastinum apyrexias diem, suasi *catharsin*, eamque moderatiorem sequentibus *pilulis* arcessendam:

Rec. *Extr. cathol. gr.* xv.
magist. gial. scammon. an. gr. vj.
F. pil. n. xviij. *pro una dosi.* (d. 23. *Aug.*)

Jorami *filiolus*. *Atrophia.* §. Jorami *Filiolus* in eo melius quidem habet, quod alvi fluxus non amplius sit *lientericus*, Interim tamen emaciatissimus existens. Jussi continuare præscripta methoda. (d. 25. *Aug.*)

Plesii *filiola*. §. Plesii *Filiola* signa quoque morbi levioris exhibet; proinde in methodi nil immutatum. (d. 23 *Aug.*)

Usias. *Vulnus sclopetarium.* §. Usias (d. 8. *Aug.*) cum *acidulas* Egranas jam absolvisset, ob *vulnus* olim sclopeto in altero pede inflictnm, nunc denuo quasi cum dolore summo repullulans, *fontem* BOLLENSEM adire coactus fuit, quem

qu

quo ordine quave methodo usurparet, delineavi; cum autem ejusmodi consilia jamjam alibi sint tradita, cramben toties recoctam apponere supersedeo. Interim notabile, *vulnera*, præsertim *sclopetaria*, ante tot annos inflicta, per ejusmodi cursus medicinales in dolores novos, immo novam continui solutionem prorumpere, cum per diuturni temporis largissimam moram nihil incommodi perceptum fuisset. XXII.

§ Soterodactylus ad me sequentia: *Rustica mulier* annorum 35. ultra medietatem gravida conqueritur de insigni lassitudine, dolore capitis, *tussi* sicca, *raucedine*, ulcusculis prope uvulam, pituita viscida faucibus adglutinata, maculis hinc inde, seu *tuberculis* potius artus hinc inde deturpantibus. Cum dolores intolerabiles fieri inciperent, flagitat auxilium. Cum recensita symptomata *venerei* quid non obscure significent, in eo tamen adhuc dubius hæreo, quod genitalia nihil insoliti monstrent. Annon igitur hæc ex *dyscrasia scorbutica* oriri queant? Mulier igitur, cum sit gravida, ut cum alio quodam *Medico* perito de morbi statu conferrem rogavit, se enim de fœtu sollicitam esse. Fateor, me gravidam mulierem *venerea lue* infectam nunquam in cura habuisse, nec satis certum esse, an consueta methodo tales aggredi satis tutum existat? quid tu sentias, haut gravatim ut rescribas, peto! Interim & donec responsoriæ tuæ appulerint, sequentia ordinavi: *Gargarismum ex fol. agrimon. plantag. salv. nob. fl. ros.* &c. *mixturam e* ℞*a. lignor. Cum ess. trifol. fibr. ad gutt.* xxv. *Decoctum lignorum* mane & vesperi ad ℥iiij. cum ista *mixtura* calide hauriendum expectata in lecto leni *diaphoresi*, quod potui quoque ordinario, sine *mixtura*, inserviat. Post gargarismum & *injectionem syringa factam* mundificativum ex æqualibus portionibus *mellis rosati & ungu. ægyptiaci*, penicillo ulcusculis affricandum. Mulier a me rogata, num forte præterita hieme militem *fœda lue* infectum in hybernis habuisset? nec fassa est, neque diffessa.

Mulier peregrina. Suspicio luis.

Respondi brevibus, me non dubitare de *infectione venerea*, licet genitalia intemerata videantur. Satis esse, quod militis consuetudinem diffesa non sit. Me commendare usum diuturnum *aquæ antivenereæ* Musitani, (cujus descriptio jam in his mensibus exstat) quippe ita comparatæ, ut, sine ullo periculo, a quovis cujuscunque conditionis, homine, adeoque & gravidis, usurpari queat, & quidem, ut necesse non sit, extorquere sudores vel in calidis vaporariis manere, hanc enim aquam, s. *decoctum* potius aliquid præcipui præ aliis *decoctis lignorum*, possidere,

Hhhhh ut soli-

XXII. ut solitis tormentis mancipare suos non soleat. Quæ, si in usum vocetur, & faucibus medicamenta supra narrata simul applicentur, mulierem illam tempus saltem commodius alias medicationes, ubi necessariæ videbuntur, sustinendi, expectare partumque suum forte non infeliciter, prius excludere valituram.

XXIII.

XXIII.

MAne Mercurius quartum gradum dimidia linea superavit, liquor *thermometri*, qualis heri mane. Vesperi utrorumque vasorum fluida quartum gradum occuparunt. Nox fuit serena dies per vices nubila & serena, in calore mediocris.

Leroli *filiolus.* *Febr. tert.*

§. Leroli *filiolus pulverem* d. 15. *Aug.* cum *essentia] chinata]* ordinatum assumsit & a *febre intermittente* liberatus fuit. (d. 9. *Sept.*)

Lerolus. *Purgatio.*

Ipse vero LEROLUS Vir 40. circ. annorum, *picrocholus* & olim ex *icteritia* diu decumbens petit a me ob lassitudinem ac *inappetentiam* & nova *icteritiæ* futuræ signa, *purgans validum*, cum difficulter se mobilem esse nosset. Præscripsi sequens tripartitis vicibus usurpandum; & media quidem pars assumatur mane, superhausto nonnunquam jure calido: quæ nisi operetur, alterius medietatis dimidia pars a meridie, & hac etiam segniori existente, dimidia ultima pomeridie hauriatur:

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈ij. *magist. gial. gr. vj.*
sir. decichor. c. rh. ros. solut. an. ℥j.
*🜕⊖*i gtt. xj. aq. fragor.* ℥ij. *M.* (d. 26. *Aug.*)

Esmori *dysenterici.*

§. Esmori *Dysentericorum* natu *major filia* reliquis debilior, natu *minor* mediocriter, *filiolus* levissime ægrotans. Natu *majori* sex *pulveres* ordinati, quorum singulis 4. horis unus ex quolibet vehiculo detur, non neglectis reliquis in & externis medicamentis:

Rec. *Pulv. anal. fr.* MIND. *inc.* ʒj.
Coral. r. ppt. ebur. fossil. an. ʒß.
ol. cinnam. gtt. ij. M. div. in 6. p. æq.

Reli-

Reliqui duo pergant cum suis. Interea quidam *Adstantium* valde sunt importuni, sanitatem decumbentium e manu *Medicorum*, tanquam clavam e manu HERCULIS, extoquere sustinentes. Hinc variis variorum consiliolis auscultant, mox hoc, mox aliud adhiberi volentes, contranitentibus licet ipsismet ægrotis, quorum natu *major filia* medicamentorum fere omnem usum, immo ipsius *diacinnamomi regii*, pharmaci tam suavis, usum respuit, multum contribuente nimia mulierum indulgentia, & immisericordia. Ejusmodi homines *Medicorum flagella* sunt, juvari volentes, ægros ad assumenda præscripta cogere nolentes. Erant, qui vellent umbilicum oblini *balsamo* ♀ ad compescenda *tormina*. Non suasi, non dissuasi, assensum expressum remorante tædio. (d. 24. *Aug.*) XXIII.

§. Sitander per totam noctem placide dormivit, sedem ne unicam habens. Nunc interdiu, quamvis rariuscule, nec amplius cruenta, dejicit. Pergat cum heri ordinatis, & mane, pomeridieque 2. pollines per se assumat: Sitander.

Rec. *Spec. diaer.* MYNS.
pulv. anal. fr. MIND. *c. an.* ℨß.
ther. cœl. gr. ij. *M. F.* 2. ℥*es.*

In tempore venire rerum omnium est primum. (d. 24. *Aug.*)

§. Gnomilegi *Filia* convalitura videtur. Per totam diem vix quater dejecit, sine *cruore* ac *torminibus*. Pergat cum heri ordinatis. Gnomilegi *filia*.

§. Nigredici *uxor* melius habet, quam heri, quamvis calore adhuc præternaturali existente. Dati 2. ℥es pomeridie & noctu ex potu ordin. summendi: Nigredici *uxor*.

Rec. ♁: *diaph. CC. philos.* ⊕. *ppt. an.* ℈j.
M. F. 2. ℥.

Mixturæ cochleatim usurpandæ porro insistendum. Emulsio externa inserviat pro *oxyrrhodino* & *epicarpio*. *Passulis minoribus* decoctione cum vino & aqua tumefactis os squalidum humectetur. (d. 24. *Aug.*)

XXIII. Emmusus. §. Apud Emmusum *pilulæ* faciunt officium. Multum se lavari sentit. Nihil ordinavi, expectaturus purgationis effectum & morbi conditionem vel mutationem. (d. 24. *Aug.*)

Ageranomus. *Arthritis.* §. Ageranomus nondum plane cessare sentiens cum dolores *arthriticos*, tum *brachii humerique rheumaticum*, fores quoque pulsante *ischiatico*, in morbum chronicum lapsurus videtur. *Diaphoresi blanda*, dolores lenire tentans, *mixturam* sequentem ordinavi, cujus per singulas horas cochlear unum assumatur:

Rec. *Aq. fumar. Chamadr. an.* ℥iij.
♁ *diaph. CC. philos. an.* ʒß.
mixt. simpl. ʒj. *ess. anod.* ℈ß.
sir. fumar. ℥ß. *M.*

Noctu ante somnum deglutiantur *pilulæ*, non neglectis externis:

Rec. *Ext. bez. papav. comp. an. gr. iij. F. 6. pil. pro 1. dosi.* (25. *Aug.*)

Toparii *uxor.* §. Toparii *uxor* terrores suos ac anxietates consuetas præterita nocte tantum bis, & levius quidem, quam antea, passa est. Pergat igitur cum hesternis. (d. 24. *Aug.*)

Myaluri *servus.* *Dysenteria.* §. Myaluri *servus* (d. 21. *Aug.*) adhuc frequentissime impellitur ad dejiciendum, quamvis in minima quantitate, viridissima, sine *cruore* sine fœtore notabili egerat. Appetitus adhuc plane dejectus, neque blanditiis neque jurgiis, ut parum saltem jusculi admittat, adigendus. *Tormina* cum *tenesmo*, non plane emanent. Appetit cervisiam. Sub moderamine concessi anxie petenti, sed eam solum, quæ fusca vocatur, & vulgari cervisia generosior est. Volui autem, ut offas quoque sibi ex hac cervisia cum vitello ovi & pane triticeo, saccharoque parari curaret, sperans fore, ut sic aliquid simul cibi calidi sumturus esset. Paruit. Cochleatim quoque detur *mixtura stomachica*:

Rec. *Aq. menth. plantag. an.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥j.
elix. vit. Matth. c. ʒiß. *laud. op. gr.* ij.
sir. cydon. ℥ß. *M.*

Calor præternaturalis fere nullus aderat, uti nec sitis, cumprimis antemeridie ac noctu.

§. Ple-

§. Plesii *Filiola* noctem præteritam melius, quam ullam transegit. In methodo nihil mutatum. (d. 24. *Aug.*) XXIII. Plesii *filiola.*

§. Hercanus per ea, quæ 19. *Augusti* ordinata sunt, nondum sibi restitutus est. Appetitus adhuc parcissimus. Pedes tumere incipiunt. Uxor hinc territa, metu *hydropis* angitur. Contradixi, cum alia signa non adessent, & hujuscemodi *tumores* post *febres intermittentes* non rari sint Sumat mane cum jusculo, & in quovis pastu cum primo potus ordinarii (qui sit vinum lymphatum) haustu 40. guttas *mixturæ:* Hercanus.

Rec. *Elix. vit. Matth. c.* ℥j.
balsam.
ess. absinth an. ℥ij. *M.*

Prævia frictione pedes, quæ tument, 🜄. camphorato oblinantur. (d. 27. *Aug.*)

§. Udalrici *Filiolus*, quamlibet (d. 14. *Aug*) sufficienter *purgatus*, attamen *febriles* adhuc *insultus* alternis diebus sustinet, cum pressione circa præcordia: sumat singulis 5. horis 2. cusp. cultri de *pulvere:* Udalrici *filiolus.*

Rec. *Conch. ppt. Oc.* ♋. *crud. cont. an.* ℥j.
ol. caryoph. gtt. ij. M.

Scrobiculus cordis bis in die ungatur linimento ex æquali mixtura *oleorum absinthii & lumbricorum.*

§. Anthraculi *Filiolus* sesquiennis jam ab octiduo *dysentericus* decumbit. Post usurpata varia sic dicta domestica remediola me quoque accersunt. Reperio puellum valde debilem, frigidis extremis, cruenta dejicientem cum *torminibus* & siti intensa, respuentem omnia medicamenta. Potui ordinario (qui sit *lac amygdalinum* relictis glumis.) linteolo innexum immergi jussi pulvisculum e *CC. ust.* & 🜃. *sigill. ana.* fiduciam ipse non nisi ficulneam in hoc remedii genere collocans, & tantum, ut nihil egisse dici non possem. Umbilico applicetur *emplastrum theriacale*: degluttienda detur noctu unica *ther. cœl. pilula* (d. 26. *Aug.*) Anthraculi *filiolus.* *Dysenteria.*

XXIV.

XXIV.

Mercurii statio hesterna vespertina, liquoris *thermometrici* hesterna matutina. Nox fuit serena, cum die. Vesperi ☿ius in ulti-

XXIV. ultima linea quarti gradus, liquor *thermometri* in quarto exacte gradu.

Esmori *Filia major.* *Dysenteria.*

§. Esmori *Filia* natu *major*, ob summa, quæ pati se dixit, *tormina* per totam noctem indesinenter ejulavit. Edentula quædam pronunciavit, esse *colicam spasmodicam*, & rogavit, ut ab ulteriore *pulverum* præscriptione, abstineremus, semper enim a talibus ægram pejus habere. Nihil molestius, quam *praxin exercere* inter nasutas *cunnidoctrices*. Ubi, quidquid agis, si res e sententia non cedit, male egisti. *Decocta* nolunt, *pilulas* nolunt, *electuaria* nolunt, nunc & *pulveres* nolunt; Quid ergo faciendum? Nam & *decoctum* pro potu ordinario nuper ordinatum ægrotantium nemo bibere vult. Nonnunquam patientiæ penus exhauritur, ut aliquando bajulus esse, quam *Medicus*, malim. *Rubricam fabrilem* contusam, cum *vitello ovi* subactam & assumtam esse *torminibus dysentericis* auxilium, quo non præsentius aliud, *sage femme* quædam est gloriata. Stultum! quid excellentius agat *rubrica*, quam *bolus*, *terra signata*, vel quodvis *terreum* aliud? Proferuntur talia, quasi a nullo unquam *Medico* audita. Sed vero, quod ejusmodi *terrea* faciunt, adstringendo, non dolorem sopiendo, faciunt. Quid igitur nos? Ringentibus, licet *enneacisophis mulieribus*, *pulveres* tamen ordinabamus, quorum usus, qui nuperius ordinatorum, esset.

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. ʒj.
specif. ceph. ℈j. *laud. op. gr.* ij.
F. 4. ℞.

Rec. *Aq. plantag. lavend. an.* ℥iß.
cinnam. cydon. ʒvj. *ess. anod.* ℈ß.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. de alth.* FERN. ℥j. *M. cochl.*

Abdomini imponatur *emplastrum* ex æquis portionibus *empl. de melil. & ung. de hyosc.* invicem commixtis.

Altera.

Minor natu *Filia* pergat uti consuetis *pulveribus* cum *mixtura*. (infra.)

Mahrenni *Filiolus.* *Febris quotid. int.*

§. Mahrenni *Filiolus* 8. annorum jam per aliquot septimanos *febri quotidiana* laborat, cujus paroxysmi semper comites habent *pavores*, subsultus nervorum ac tendinum, jactationes quasi *convulsivas* & alia mali moris symptomata, verarum *convulsionum* prænuncia. Valde contabescit. Quid? si *verminosi* nonnihil subesset?

Rec.

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. ☿ij *dulc. rit. par.* ℈ß. XXIV.
sir. decich. c. rh. ʒvj. *aq. fragor.* ℥ij. *M. pro 1. dosi.*

Post purgationem singulis 6. horis dentur guttæ xxv. *mixturæ* sequentis e quolibet vehiculo:

Rec. *Ess. cort. peruv.* ʒij. *liq. CC. succin.* ʒj.
ol. caryoph ℈ß. *M.*

Durante paroxysmi æstu cochleatim propinetur:

Rec. *Aq. rub. id. ceras. n. an.* ℥iiß.
conf. alk. c. ʒj.
sir. acetosell. fl. pœon. an. ʒiij. *M.*

Eodem tempore vertex, nucha & tempora oblinantur *balsamo:*

Rec. *Bals. peruv.* ʒß. *ol. nucist.* ʒj.
ol. ♌. *succin.* ℈j. *rut. lavend. an.* ℈ß. *M.*

Bibat *Decoctum ex hord. integr. rad. liquir. visc. quern. sem. anis. & pauco cinnamomo,* cum aqua factum.

§. Nahmelii *Filiola* 11. annorum (13. *Jun.*) præter morem hujus ætatulæ nonnunquam tentatur *anxietatibus præcordialibus*, cum insolita *tristitia, palpitatione, lacrymis* &c. Temperamenti est *phlegmatici, pallet,* carnes flaccidas habet, *febribus* frequenter obnoxia fuit. Sumat mane & noctu 25. guttas *mixturæ* cum quolibet vehiculo: Nahmelii *Filiola.* *Melancholia hypoch.*

Rec. ℞. ♂. *helleborat. ess. lignor. an.* ʒij. *M.*

Removeantur objecta *tristia.* Non otietur, sed laboribus applicetur.

§. Nigredici *uxor* noctem transegit summe inquietam, deliravit, æstus adfuit summus, paroxysmos inchoavit cum horrendis vomitibus, vires valde languent. Mutati *pulveres alexipharmaci* sequentem in modum: Nigredici *uxor.* *Febris cont.*

Rec. ♁. *diaph.* ℈ij. ⊕. *ppt.* ℈j.
camph. gr. iiij *M. F.* 2. ℨ.

Idem cum prioribus utendi modus. Cochleatim detur *mixtura:*

Rec. *Aq. rub. id. acetos. cichor. an.* ℥ij.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. granat.* ℥ß. *M.*

Pro potu ordinario cum *aqua panata*, admixtione *siruborum ribium, berberum* & *granatorum*, fiat *Julebus. Vesicatoria* duo utrisque brachiis affigantur. Scrobiculo cordis *empl. antemeticum consuetum.* (d. 25. *Aug.*)

§. Topa-

XXIV. Toparii *uxor*. §. Toparii *uxorem pavores* nocturni cum *anxietatibus* per ea, quæ d. 22. *Aug*. ordinata sunt, plane reliquerunt. Majoris tamen securitatis ergo volui dictis medicamentis ulterius insisti, in stomachi debilioris gratiam *Tinctura* ♂. & *succini*, addendo ʒj. ℞. *propriet*. MYNS. (d. 26. *Aug*.)

Filiolus. *Colica flatulenta*. *Filiolo flatulenta colica* obnoxio, viridia excernenti, sæpe vocife-ranti, cochleatim præberi volui *mixturam* nobis commendatissimam:

Rec. *Aq. chamom. anis. ceras. n. an.* ℥j.
ess. anod. gtt. v. specif. cephal. ℈j.
elæosacch. anis. ʒij. *M*.

Venter ungatur *ungu. de hyosc*. (d. 28. *Aug*.)

Emmusus. §. Emmusus *febrim* experitur valde debilitatam, fortasse mox emansuram. (d. 25. *Aug*.)

Sitander. §. Sitander de malo *dysenterico* nihil omnino sentit ulterius. (d. 25. *Aug*.)

Plesii *filiola*. §. Plesii *filiola* sensim vires colligit, appetitumque recipit. Pergat cum *pulvere*. (d. 25. *Aug*.)

Apiarii *uxor*. *Febris lenta*. §. Apud *uxorem* Apiarii (d. 22. *Aug*.) suspicio *febris lentæ marasmodis* indies apud me augetur, cum horripilationes leves ac *phlogoses* sentiat, nusquam doleat, viribus, tamen sit languidissima. Ut statum sanguinis penitus introspicerem, urinam in crastinum adservari jussit. ((d. 25. *Aug*.)

Nezelii *uxor*. §. Nezelii *uxor* (d. 13. *Aug*.) de *pavoribus* a minimo motu insolito, *anxietatibus* & *tremore* totius corporis queritur, & tamen medicamenta quæque respuit. Laudavi *elæosaccharum cinnamoni* ♁*num* (d. 27. *Aug*.)

Esmori *Filiæ*. §. Esmori *Filiæ*, cumprimis natu *major*, hanc diem placide, nonnunquam & dormiendo paulisper, transegerunt. Pergendum cum ordinatis. (d. 25. *Aug*.

XXV.

XXV.

MErcurius hac nocte in ultima linea quarti gradus perstitit, hac autem vespera per sesquilineam subsedit. Liquoris *thermometri* statio mane, qualis hesterna, vesperi paullo supra quartum gradum surrexit. Nox & dies calidæ ac serenæ.

Quo

§. Quo meliores hodie mane *Esmori* omnes ægroti visi, eo pejor vesperi fuit *major* natu *Filia*. Nam & recruduit valde *torminosus cruciatus*, & extrema rursum gelidissima fuerunt. Eadem & quasi per momenta singula magis tabefieri videbatur. Nil factum aliud, quam ut hesterni *pulveres* cum *emplastro* repeterentur, & extrema linteis calefactis involverentur. Dejectiones non erant admodum crebræ neque copiosæ, sed quasi abscedentes tunicæ vel caruncula inter liquidiora extrementa visæ, malo certe præsagio *Intestinorum difficultate vexato, si veluti carunculæ dejiciantur, lethale*; pronunciat HIPPOCRATES *sect. IV. Aph.* 26. WEDELIUS in hunc locum vocat *diarrhœam carnosam, glandulas intestinales ab affluxu majori sanguinis turgescere, ab erosione separari & excerni specie carnium*, hancque *diarrhœam* longius aliquanto durare, curari non idem posse, asserit; quod probe observandum a *juniore Practico*. Prius, nempe glandulas abscessisse, in nostra clare vidimus, examinantes caruncularum conditionem; posterius eventus forte docebit. Neque propterea opus est, quod vult LISTERUS *comment. in hunc Aphor.* istas intestinorum glandulas cancrosas, corruptas & putridas esse, quale quid eas intimius considerantes non reperimus. SINAPIUS, ut in aliis plerisque, ita & in hoc HIPPOCR. *Aphorismo* nodum in scirpo quærit. Quis enim de HIPPOCRATE dicat, eum non internoscere potuisse *coagulum sanguinis concreti a carunculis*? Et, quis ignorat, HIPPOCRATEM glandulas non statuisse carnes sui generis? Nec, opinor, HIPPOCRATEM in curanda *dysenteria* adeo imbellem fuisse, atque SINAPIO videtur, quem potius aliquæ circumstantiæ non admodum multas *dysenterias*, nedum istas, in quibus carunculæ excernuntur, curasse produnt. *vid.* SINAPII *Paradox. Med. part. III. p. m.* 146. (d. 26. *Aug.*) XXV. Esmori *Filia major.*

§. Emmusus heri vesperi rursum paroxysmum exquisitæ *tertianæ intermittentis* atrocem satis passus est. Et cum ad omnia fere medicamenta sit longe difficillimus, rogavit num *antipyreton expertum* sub forma guttarum præscribi non posset? Tentaturum me dixi, & ordinavi tale: Emmusus. *Febr. tert.*

Rec. *Ess. chin. chin. trifol. fibr. an.* ℥iß.
ol. caryoph. gtt. vj. *M.*

Serviat pro sex dosibus semper quinque horarum intervallo ex quocunque vehiculo sumendis. Non bibat tempore *frigoris*. Abstineat a vino. Pergat potare *Limonatam*. (d. 26. *Aug.*)

XXV. Nigredici uxor. *Febr. cont.*

§. Nigredici *Uxor* hodie mane mihi tolerabiliter vivere visa, quamvis pomeridie cum paroxysmo instaurato denuo conflicturam esse prædixerim. Ut fortius remitteretur, iterati *pulveres* hesterni, quos tamen ob *camphoræ mixturam* non libenter assumit. *Camphoræ graveolentia* velari non potest, & *camphora* sub quacunque larva se *camphoram* esse prodit. Pergatur etiam cum *mixtura*, & *emplastrum antemeticum* heri per ebriosi mariti negligentiam non applicatum, nunc imponatur. (d.25. *Aug.*)

Ageranomus. *Podagr.*

§. Ageranomus (d.23. *Aug.*) in perfectum evadit *podagricum*. Repetatur, *mixtura diaphoretica* d. 23. *Aug.* ordinata. Mane & noctu deglutiantur decem *pilulæ* cum potu ordinario:

Rec. *Pulv. lumbr. ▽str. ppt.* ʒj.
extr. chamædr. ʒj. *papav. err.* ʒj.
♁. *nat. ppt. diaphor.* ☉*al. an.* ʒj.
c. ess. trifol. fibr. F. pil. pond. gr. j.

Articuli dolentes mulceantur *linimento anodyno*, ter, quater vel pro dolorum exigentia, pluries intra nycthemeron.

Rec. ▽. *camphor. ol. lumbric. an.* ℥ß.
ess. anod. ʒj. *M.* (d.26. *Aug.*)

Apiarii uxor. *Febris marasmodes.*

§. Lustrata hodie, quam Apiarii *uxor* excreverat, urina, me confirmavit in suspicione *febris marasmodis*. *Tenuis* enim & *aquosa* fuit, sine ullo *emeoremate*. Ipsa singulis diebus, absque dolore, languidior, & magis frigens, quam calens. Minus rursum, quam antea appetebat, nil quidquam sitiens. Lecto semper affixa manebat. Pergat cum *tragemate*. Bis in die *gelatinæ ex an. ras. CC. & ebor.* simplicissime paratæ cochlearia duo liquefiant in scutella infusi *Theæ*, (cum juscula carnium horreat) quæ assumatur. Ter in die *resumtivum electuarium* quantitate castaneæ hauriatur. Bibat *emulsionem amygdalarum*. (d. 26. *Aug.*)

Sitander.

§. Sitandro, per DEI gratiam, prius opinione restituto, *tragema analepticum* ordinavi bis in die cum simila tosta & haustu vini veteris assumendum ad quatuor cultri cuspides:

Rec.

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. ℥ß. XXV.
pulv. anal. fr. compl. MYND. ʒij.
trageæ arom. officin. ℥ij.
elæosacch. mac. trochisc. alkerm. an. ℥ß. *M.*

§. Plesii *Filiola* quidem adhuc liquida, quamvis non frequenter, egerit, interim tamen sic ingerit, ut freno magis, quam calcari, opus habere videatur. (d. 26. *Aug.*) Plesii *filiola.*

§. Melius quoque appetit Jorami *Filiolus*, (22. *Aug.*) nihilo tamen habitior evadit, immo magis indies contabescit, ac fronte rugosa silicernium refert, prominuto toto abdomine. Observavi sæpius tale quid, faciem nempe rugosam, in infantibus, quem affectum in FRANCONIA vocant den Alt-Vatter / & maleficio (dem beschreiben) acceptum ferunt. Pergatur cum consuetis. (d. 27. *Aug.*) Jorami *filiolus.* *Atrophia.*

§. Æthiopis *major natu filia* 30. annorum ad pastorem vicinum trihorio abhinc habitantem, encœnias celebratura, summo æstu, pedestri itinere profecta est heri. Sitim perferre impotens in pago quodam bibit *vinum* adhuc *hornum* valde austerum, vix domum Pastoris ingressa comedit *pruna damascena* semimatura, *lactucisq;* affatim se invitavit. Ea statim vespera *torminibus* ventris corripitur, sequuntur *vomitio* unica, sed plurimæ *sedes*; altera die huc deportatur. Vocatus illa vespera scribo *pilulas* ante somnum capiendas: Æthiopis *filia major.* *Diarrhœa.*

Rec. *Extr. bezoard. torment. papav. comp. an. gr. iij.*
F. pil. n. IX. *pro una dosi.*

Cras mane sumat *bolum* e *rhabarb. Ωis.* ʒß. *cum pulpa cassiæ.* Potus sit aqua, in qua *panis tostus nuce myristica perfrictus* maduit. Affectus videtur in *luem dysentericam* erupturus. Regimen sit calidum & corpus contra omne frigus externum accurate munitum.

Parentes tunc quærebant, annon conduceret *albumen ovi cum* ▽. *conquassatum addito sacchare canariensi & nuce moschata* hauriendum? Dixi, me non disuadere, dummodo *rhabarbarum* prius assumtum fuerit.

Mater quoque narrabat D. BREUNINGIUM, *Archiatrum* olim nostrum, in usu habuisse *micas panis secalini cum solo lardo frixas, addita nuce moschata, sine sale* vel alio quovis aromate, comedendas. Ita sexcenta quoque huic malo opponuntur. (d. 26. *Aug.*)

XXVI.

XXVI.

MErcurius paullo altior, quam heri vesperi, hoc vespertino tempore in prima quartigradus linea quievit. Liquor *thermometri*, mane in quarto exacte gradu persistens, vesperi eum tantillum superavit. Nox ante diei crepusculum nubila, diem sibi similem fecit, decidente interdum rarissima pluviola.

Nigredicus. *Oculorum caligo.*

§. Nigredicus (cujus uxor hodie tolerabiliter vivit & medicamenta continuare jussa est) de *oculorum*, in quibus vitium nullum apparet, *caligine* queritur. *Caligare* putabant alii ab exhalationibus vini meraci, quod singulis diebus ad sensum omnium externorum defectum, quidni & *oculorum* obtenebrationem? ingurgitare solet. Cum tamen petisset auxilium, interdictis *vini* excessibus ordinavi *tragema ophthalmicum*, cujus mane & noctu cusp. 3 cultri per se assumeret:

Rec. *Rad. pœon. mar. herb. ac flor. euphrag. an. ℥ß.*
sem. fœnic. ℥j. Oc. ♋. crud. cont. ʒij.
cinnam. opt. thur. mascul. an. ʒj.
sacch. albiss. ℥iß. M. F. ℞.

Pulverem ptarmicum BARTHOLINIANUM frequenter naribus attrahat:

Rec. *Tabac. opt. ℥j. pulv. majoran. ʒij.*
euphrag. sem. fœnic. an. ʒj. agar. troch. ℈j.
M. F. ℞. subtiliss.

Hæc duo medicamenta ad *visus hebetudinem* a cerebri humida intemperie oriundam sunt usus nobilissimi. (d. 27. *Aug.*)

Scipiolus. *Vertigo tenebricosa.*

§. Scipiolus vinitor quinquagenarius, duris laboribus assuetus, conqueritur, de *vertigine tenebricosa*, vacuo stomacho magis affligente, impleto vero de *cardialgia*. Pauper est, & medicamentorum pretium deprecatur. *Purgetur*:

Rec. *Gial. n. resin. Crem. Tart. an. ℈j.*
dacryd. gr. iiij. M. F. ℞. pro 1. dosi.

Post evacuationem mane & noctu sumat quantitatem castaneæ de *electuario diacoro*. Supponebam vitium digestionis ab infanto primarum viarum.

Opinabatur hic vir, affectum suum ab aquæ fontanæ potu arcessendum esse, quo, propter inopiam, potari cogeretur. Dicebat enim, *aquas nostras* Stuttgardienses admodum salubres non esse, quippe quæ ob

ob continuas pluvias JULIO *Mense* deciduas, lutulentas montosorum humiditates (Die Berg-Feüchte) attraxerit. Certe, non admodum salubris est *nostra aqua* STUTTGARDIANA, sed *alcalica calce* refertissima, quum ferme ex omnibus scaturiginibus petita cum *solutione* ♄ *i lactescat* hæc tamen magis, quam alia quemadmodum autem hanc indolem *alcalicam* amoliri arte nulla licet, ita optandum, ut *Aquileges* nostri opidani in cisternis & purgandis & probe cæmentandis non solum, sed & tabulis rite seligendis essent diligentiores. Multoties enim observavi, quod si vel per unicam diem pluvia larga decidit, e *cisternarum* tubulis statim profluere aquam turbidam valde, sed ex illis tantum, quæ curæ *aquilegis opidani* sunt creditæ. Secus res habet in fontibus illis, quorum curam gerit *aquilex aulicus*, indicio manifesto culpam turbiditatis in aqua non hærere, sed in illis, quibus cura fontium est commissa. Hanc rem, ut ad *Magistratum opidanum* deferretur, dignam censui. Cum *Politici* inter requisita civitatis bene constitutæ, non ultimo loco, & recte quidem, ponant *salubrium aquarum usum*. vid. CELLAR. *Polit. Lib. I. cap.* 7. §. 24. XXVI.

Lerolus. *Purgatio.*

§. Mixtura *purgans* adeo valida LEROLO d. 28. *Aug.* ordinata ne semel quidem alvum movit, & cum ab eo tempore magis langueat, appetitus plane prosternatur, os amarescat, venter murmuret ac tensus existat, metusque adsit, ne plane lecto affigatur & in chronicum morbum dilabatur, ipsum aggressus sum *infuso purgante*, spe concepta, fore, ut, quod una die non excerneretur, aptum tamen excretioni per dies reliquas redderetur. *Infusum* tale fuit:

Rec. *Herb. marrub. alb. Mij.*
rad. ap. fœnic. an. ℥j.
fol. senn. s. s. ℥iß. *turbith. alb. & gum.* ʒv.
agar. troch. fibr. helleb. n. gial. n. resin. an. ℥ß.
passul. min. ℥ij. *Tart. crud.* ℥ß.
sem. anis. ʒij. *Zingib.* ʒj.
Conc. Cont. parentur & bibantur more nobis consueto. (d. 13. *Sept.*)

Esmori *filiæ.*

§. Esmori *major* natu *filia* calorem in artubus naturalem recepit; *tormina* sunt *mitiora*, egestio, non crebra quidem, sed tamen adhuc mali moris & odoris; aliquantillum dormivit; pulsus est languidus; ordinavi eosdem *pulveres* sed cum *grano* tantum *uno laudani*, vel gr. ß. pro 1. dosi; Repetita quoque *mixtura* cochleatim præbenda, sed itidem cum 6. tantum *essentiæ anodynæ* guttis. *Opiata* enim in his casibus circumspecte præbenda, nec, nisi urgente necessitate, in dosi excedendum.

XXVI. Concessi quoque *vini albi*, cum ad *rubrum* nauseet, cochlearia duo bis terve in die, quamvis indulgentiam adstantium plus admisisse suspicer; nam puella *vinum* valde flagitavit & amavit.

Alteri filiæ rursum nonnihil appetenti, decrescentibus sedibus & *torminibus*, ordinati 3. *pulveres*, intervallis 6. horarum sumendi:

Rec. *CC. ust. ppt. ▽. sigill.*
matr. perl. ppt. an. ℈j.
extr. papav. c. gr. iij. *ol. cinnam. gtt.* ij. *M.*
Divid. in 3. *p. æqu.*

Vesperi utræque levius ægrotabant. (d. 27. *Aug.*)

Bohemi *uxor.* §. Bohemi *uxor*, cras profectura, hodie ter alvum dejecit cum levibus *torminibus*. *Dysenteriam* metuens assumsit cum *ovo sorbili integram nucem moschatam* tyroenesti comminutam. Jussi 3 *pilulas theriacales* deglutire & bibere *lac amygdalinum*.

Ageranomus. §. Ageranomus dolorum levamen sentiens cum præscriptis pergere jussus est. (d. 29. *Aug.*)

Emmusus §. Emmusus *paroxysmi tertianarii* vix ulla vestigia hodie sensit. (d. 27. *Aug.*)

Cusani *uxor.* §. Cusani *uxor* (d. 22. *Aug.*) licet mitius doleat, ad sanitatem tamen nihil proficit, immo nunquam proficiet. Nil magis optandum, quam *apolysis beata*. *Olei amygdalarum dulcium c. sir. chamom. & ess. anodyna* mixti usum alternis vel ternis diebus suasi. (d. 30. *Aug.*)

Apiarii *uxor.* §. Apiarii *uxor* neque *galatinam* heri laudatam; neque *emulsionem amygdalinam* adhuc parari curavit, interim in eodem, quo hactenus, languore persistens. Dixit, se, cum ipsa parare non possit, qui parent, non habere, cum tamen ejusmodi rerum gnarissima adsit Filia. De *electuario* aliquid interdum, quamvis & hic morosa, sumit. Si ejusmodi *gelatina* sponte sine ullo labore coiret, ac *emulsiones amygdalinæ* e vaccarum uberibus promanerent, utræque dudum adessent. (d. 28. *Aug.*)

Plesii *filiola.* §. Plesii *puella* melius quotidie proficit. *Non desperandum de infantum morbis, quanti fere sint illi.* Cum adeo vorax incipiat esse hæc puella, nec tamen quidquam augeatur, orta de umbilicali verme (Geißwurm) suspicio. Cum alia signa desint, non credo. (d. 27. *Aug.*)

Uxor

§. Uxor Toparii (d. 24. *Aug.*) de reliquo fere in solidum restituta, nunc efflorescere incipit in cuti suprema cum *prurits*. Ab impedita *transpiratione* caussam arcessens, ipsam sudare jussi. (d. 10. *Sept.*) XXVI. Toparii *uxor.*

§. Anthraculi *Filiolus* (d. 23. *Aug.*) cum ab ordinatis aliquanto melius habuisset, parentes, ne sumtus augerentur, statim ulteriores visitationes amoliti sunt. Interim malum, nescio ex qua caussa, denuo auctum, sic, ut me rursum accerserent, egoque adventans non tantum in excrementis alvi fœtorem cadaverosum, sed & in extremitatibus frigus perciperem. Exposito periculo scripsi *mixturam* cochleatim, etiam renitente puello, per vim infundendam: Anthraculi *filiolus.* *Dysenteria.*

Rec. *Aq. fol. querc. fl. til. scord. an.* ℥j.
cor. r. ppt. 🜄. *sigill. an.* ℈j.
aq. cinnam. cydon. ℥ß. *ess. anod. myrrh. an.* ℈ß.
sir. myrtill. ℥ß. *M.*

Ventri *emplastrum* ex an. *empl. de melil.* & *ungu. de hyosc.* Artus diligenter involvantur linteis fumigatis & calefactis. (d. 28. *Aug.*)

Filiola minima cum *diarrhœa* vociferabatur ultissimum, *ructus* quoque & *sonoros crepitus* edens, *colicæ spasmodico-flatulentæ* indicia: cochleatim præbeatur *mixtura*: Filiola minima. *Colica spasmodico-flatulenta.*

Rec. *Aq. plantag. anis. an.* ℥iß.
epil. L. ℥ß.
pulv. marcb. ℈j. *elæosacch. anis.* ʒij. *M.*

Abdomini *unguentum* de *hyoscyamo.*

§. Acanthi *uxor*, 32. annorum cum *dysentericis* in ESMORI domo per aliquot dies improvide conversata, *dysenteriam* & ipsa contraxit, *Medici* nullius consilio usa. Bis assumsit *crustum panis tostam*, *cui inspersa fuit integra nux myristica in pulverem redacta*, emollitam cum vino rubro, & alvus substitit. Nunc summa adhuc adest artuum lassitudo, *pallor emortualis*, *cardialgia* a pastu, & *alvi* pertinax *constipatio*. Fluxum nimis cito impeditum judicans, dedi *electuarium purgans* consuetum cum effectu laudato. Acanthi *uxor.* *Dysenteria.*

Æthio-

XXVI. Æthiopis *Filia.* §. Æthiopis *Filia* a *bolo rhabarbarato* frequenter evacuata, noctu accepit *bolum* alium sequentem:

Rec. *Diascord. Fracast.* ʒj.
♁. *diaph. CC. ust. ppt. an.* ℈j. *M. pro 1. dosi.* (d. 27. *Aug.*)

Tigurinus. *Accessus febrilis.* §. Tigurinus a prævio levi horrore æstum insolitum persentiscit, cum siti magna & *capitis dolore*: Pulsus est frequens ac celer. Data *emulsio* hac nocte exhaurienda:

Rec. *Sem. 4. fr. maj. an.* ʒß. *papav. a.* ʒj.
aq. ceras. n. fl. til. acetos. an. ℥j.
F. l. a. Emuls. add.
♁. *diaph CC. philos. an. gr. xv.*
sir. papav. err. ℥ß. *M.* (27. *Aug.*)

XXVII.

XXVII.

MErcurius, qualis heri vesperi mane existens hac vespera per dimidiam lineam adscendit; Liquor *thermometri* paullo infra quartum gradum per totam diem subsistebat. Nox erat nubila; dies interdum serena, interdum *nebulis* in pluviolam densatis obscurata.

Bohemus. *Flatus.* § Bohemus (d. 21. *Aug.*) de *eructationibus & flatibus* conqueritur, quibus impeditis existant *ventris tormina.* Interdictum cibis flatulentis. Imperatus frequentior corporis motus. Ordinata *mixtura* cochleatim sumenda, gustu non insuavis:

Rec. *Aq. anis.* ℥vj. *tinct. aurant.* ʒij.
ess. carminat. ʒj. *anod.* ℈j.
elaosacch. anis. ʒiij. *M.*

Semper, etiam in itineribus, secum vehat istam *mixturam*, ut, quotiescumque necesse videbitur in promtu sit. Melior hæc est, & efficacior, in temperaturis cumprimis calidioribus & siccioribus, quam sola *aurantiarum tinctura*, vel quælibet aliæ e 🜄. & *aromatis* conflatæ *essentiæ*, de quibus multa varie gloriantur illi, qui *ardentium liquorum* sunt amatores; quos subinde audias: Die Pommerantzen-Tinctur/ ros solis &c. Bekomme ihnen sehr wohl / ubi sæpenumero subaudiendum: wie dem Hunde das Gras.

§. Lani-

XXVII. *Lanicius. Scabies sicca.*

§. Lanicius, quinquagenarius, vir mercenarius, arduis laboribus victum quæritans, jam diu laborat *scabie sicca*, quasi *impetigine*. Manus valde sunt asperæ, furfuribus horridæ, *prurientes*. Ordinatum *electuarium* nostrum *purgans* in majore dosi; postea *balnea* nostræ *cervina*. (d. 7. *Sept.*)

Æthiopis filia. Dysenteria.

§. Æthiopis *Filia* sudavit a *bolo* hesterno nocturno, dormivit interdum, sed a dejectionibus tamen aliquot cruentis experrecta fuit. Habemus veram *dysenteriam*, nondum admodum periculosis symptomatibus stipatam. Singulis 4. horis 3. cuspides cultri dentur de *pulvere*, cum *emuls. amygd.* vel *dec. masticbes*:

Rec. *Trag. gran. act.* ℥ß.
▽ sign. bol. arm. ppt. an. ʒj.
extr. torment. ℈j. *papav. comp.* ℈ß. *M.*

Cochleatim hauriatur *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥iiß.
cinnam. cydon. ℥j. *ess. anod.* ℈ß.
conf. de hyac. ʒj. *sir. cydon.* ℥ß. *M.*

Suaserunt aliqui, ut *panem aromaticum biscoctum* Cantstadiensem, (qui ad modum *panum* Ulmensium, Ulmer Zucker-Brod / effingitur) cum vino *rubello* maceratum assumeret. Cum calor præternaturalis nondum ullus adsit, nec alia *febris continuæ* signa, sub usu moderato concessi. Toti interim reliquæ familiæ, ne contagio inficerentur, præservationis fine inculcavi usum *trageæ granorum actes*, mane & noctu ad cusp. 3. cultr. per se, qua multos ab ista lue *epidemica* immunes præstitimus. (infra.)

Mosellana filiola minima.

§. Mosellani *Filiola* natu *minima* unius circiter anni languet a biduo; æstuat ac valde sitit; nonnunquam pavescit; multum salivat & manus ori ingerit. Alvus rite solvitur. *Dentitionem* has turbas excitare credo. Valde invita sumit medicamenta, tentandum nihilominus, utrum bis in die cusp. 1. majoris cultri, de *pulvisculo* sequenti propinari possit:

Rec. *Matr. perl. ppt. cryst all. ppt.*
CC. ust ppt. Cor. r. ppt. an. ʒß. *M.*

Epicarpia fiant e *linteis liquore imbutis*:

Rec. *Aq. carbunc. aur.* ℥j. *conf. alk. c.* ʒj. *M.* (d. 29. *Aug.*)

XXVII. Emmus9. *Febris int.* §. Hesternus Emmusi *paroxysmus* longe mitior fuit, quam præcedentes. Cum tamen ab hac *febre* liberari gestiret, *corticem peruvianum* in substantia sumere decrevit, quem antea constanter respuerat; eligebat autem formam *pulveris*. Præscripti sex pulvisculi, quorum singulis 6. horis unus deglutiendus erat sine vel cum quolibet vehiculo:

Rec. *Cort. peruv.* *subtiliss.* ℞. ℥iij.
♂. *diaph.* ʒj. *fl.* ⊖*. ʒß. *M. F. 6.* ℞.

Cortex peruvianus in substantia vult assumi, & quidem dosi fere minima ad ʒß. Quolibet modo vel *extractus* vel *essentificatus* segnius operatur, si solum excipias *B.* Apini *extractum Lyxipyreton*, cujus efficaciam tam in *continuis*, quam *intermittentibus* profecto laudabilem experti sumus, modo medicamentum esset parabilius. (d. 28. *Aug.*)

Helinia. *Icterus flavus.* §. Helinia 33. annorum vidua, nunc alii desponsata, ab aliquot diebus male habet, lassa primo & innappetens, cum faucibus siccis & alvo segniore; hinc successive cutis *aurigine* pingebatur, lassitudine adeo aucta, ut extra lectum manere non posset. *Amarities* est in ore, pulsus durus ac justo celerior: *urina intense, immo obscure rubra instar tincturæ croci*, æstus urens. Agnito *ictero pulverem* ordinavi, cujus 3. cultri cuspides quatuor singulis horis cum sequenti *mixtura*, cochleatim quoque haurienda, sumentur:

Rec. *Rad. rub. tinct. curcum. an.* ʒij.
⊖. *absinth.* ʒj. *rhabarb. ver.* ʒß.
croc. opt. ℈j *elæosacch. mac.* ℥ß. *M.*
Rec. *Aq. fragor. chærefol. an.* ℥iij.
~⊖*. ʒß. *Tinct. croc.* ℈j.
sir. de prass. ℥ß. *M.*

Potus ordinarius sit vinum sui dimidia parte *aqua panata* temperatum, in quo suspendatur *nodulus crocatus myristicæ nucis quantitate*. (d. 28. *Aug*)

Jorami *Filiolus.* §. Jorami *Filiolus* (d. 25. *Aug.*) melius quotidie apetit, dummodo etiam habitior fieret, sed puto magis indies emaciari. Interim in medicatione solita pergat. (d. 14. *Sept.*)

Nigredici *uxor. Febris int.* §. Nigredici *uxor* paroxysmos *febriles* nullos amplius patitur, & viribus rursum augetur, symptomatibus omnibus sensim vel plane abactis, vel certe remissis. Saltem adhuc est querela de lassitudine, levi post pastum

pastum *cardialgia* & appetitu nondum firmo: sumat ter in die de *pulvere* sequenti cusp. 3. cultr. per se: XXVII.

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. ℥ß. ♁. *diaph.* ʒj. *M.*

Quod ultimum additum ad reliquias *febriles*, si quæ adessent, per διαπνοὴν eliminandas. Cochleatim hauriatur *mixtura*;

Rec. *Aq. menth. card. bened. an.* ℥ij.
sir. cydon. ℥ß. *M.* (d. 29. *Aug.*)

§. Media nocte magno cum impetu pulsatæ fores AVIÆ, viduæ 45. annorum, quæ per hos fragores subito experrecta, *terrore magno* afficitur, ac sudore copioso diffluens e lecto seminuda surgit, quid sibi vellet iste impetus, visura. Nox erat frigidiuscula, pori ab aëre frigido claudebantur; sudorque non potuit, uti debuit, exantlari. Mox corripitur summo lumborum ventrisque dolore, cum vomitione multa ac *urinæ suppressione.* Vocatus mane *colicam nephriticam* agnoscens, pro 2. dosibus dedi haustum: Avia. *Colica nephritica.*

Rec. *ol. amygd. d. rec. expr. sir. de alth.* FERN. *an.* ℥iß.
ess. anod. ℈j. *M.*

Media pars assumatur cum quatuor *pilulis* WILDEGANSIANIS; altera pars ante somnum. Venter & lumbi ungantur *linimento:*

Rec. *Vngu. de hyosc.* ʒvj *ol. scorp.* ʒiij. *M.*

Cataplasma e semine lini in lacte bubulo cocto ventri applicetur post unctionem. Pomeridie melius habet, ac urinæ liberior profluxus nil tamen in methodo mutatum. (d. 28. *Aug.*)

§. Quamvis Tigurinus ab *emulsione hesterna* quievit, calor tamen præternaturalis non adeo remisit, ut *febrile* plane nihil proderet; nam & pulsus erat velocior justo, & sitis cum dolore capitis adhuc vexabant. Singulis sex horis detur unus e *pulvisculis* cum quolibet vehiculo: Tigurinus.

Rec. *Conch. ppt.* ♁. *diaphor.*
CC. philos. ppt. fl. ⊖✱. *an.* ʒß.
ol. caryoph. gtt. iij. *M. F.* 4. ♃.

Cochleatim hauriatur *mixtura:*

Rec. *Aq. card. bened. cerasf. n. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒß. *sir. rub. id.* ℥ß. *M.*

In publicum hodie non prodeat, nec meracum bibat. (d. 29. *Aug.*) Filiolus minimus.

Filiolo minimo sesquiennium ætatulæ emetito, *dysenterici* mali quædam signa præbenti, *mixtura* cochleatim danda præscribitur: *Dysenteria, metus.*

XXVII. Rec. *Aq. plantag. fl. til. an.* ℥iß. *cinam. cydon.* ℥ß.
cor. r. ppt. ebor. fossil. an. ʒß.
ess. anod. ℈ß. *sir. cydon.* ℥ß. *M.*

Isatis. *Nephritis.* §. Isatis, 40. annorum vidua, dolores interdum *nephriticos* cum mejendi difficultate experitur. Et temperamenti sanguineo phlegmatici, fuit aliquoties puerpera. Quærit, num hac æstate in autumnum se præcipitante domi adhuc *acidulas* curative bibere liceat? Corpus prius evacuandum existimavi, eique fini ordinavi *haustulum purgantem* toties jam descriptum. Bibat postea *fontem acidum*, cum regimine debito *Pulverem* quoque *nephriticum*, a me non semel his paginis insertum more nobis consueto diu usurpet.

Pobestilus. *Asthma. Tussis.* §. Pobestilus per medicamenta d. 9. *Aug.* ordinata parum profecit. Adhuc adest *asthma*, cum *tussi* ficciore, *raucedine*. Sentit se tabefieri; Appetitus mediocris, major tamen pro modulo *sitis*. Metuuntur præliminaria *phthiseos*. Mane, pomeridie & noctu sumat haustum calidum de *decocto pectorali*. Sæpe quantitas castaneæ sumatur *de electuario*, sic ut sensim in ore liquescat, & sensim quoque deglutiatur:

Rec. *Elect. resumt.* ℥j.
cons. symphyt. papav. err. an. ℥ß.
spec. diatrag. fr. ʒij. *sir. de alth.* FERNEL. ℥j. *M.*

Potus sit *Decoctum hordei* simplicissimum, addita *liquiritia* & *semine anisi*.

Esmori *dysenteriæ.* §. Esmori *patientes* mane tolerabiliter habebant, sic ut *binis junioribus* nihil, natu *majori filiæ* pulveres ultimi iterato scriberentur. At vero, quod illi pomeridie rursum crebrius dejicerent, (*filiam* puto minorem natu & *filiolum*) ordinatus *pulvis*, cujus singulis 4. horis tres cultri cuspides in solito vehiculo præbeantur:

Rec. *Trag. gran. uct. spec. diacr.* MYNS. *an.* ʒij.
Cor. r. ppt. pulv. anal. fr. MYND. *inc. an.* ʒj.
ol. nuc. mosch. expr. gr. vj. *elaosacch. mac.* ʒij. *M.*
(d. 28. *Aug.*)

Æthiopis *filia.* §. Æthiopis *Filia* ab hodierna septima usque ad vespertinam sextam quindecies, non sine cruore, dejecit. Pergant cum hodie præscriptis. (d. 28. *Aug.*)

[§. Neze-

XXVII.

§. Nezelii *uxor* (d. 24. *Aug.*) septimum graviditatis mensem emensa de doloribus ventris lancinantibus querelas agit. *Balneare* jussi, id enim ultimis mensibus a gravidis non sine spe partus minus laboriosi fieri solere. Respondit, se nunquam difficilius peperisse (pepererat vero jam novies) quam, si ante partum *balneasset*, omnesque partus tunc editos, triduanos ad minimum dolores nixios excitasse. Narrabat eadem, sibi a summæ conditionis matrona suasum in prima statim graviditate, *ut strictus semper vestibus incederet* (daß sie immerzu wohl geschnürt gehen solte) etiamsi spiritum ducere vix posset, ac abdomen rupturum videretur; Id enim ad *partum facilem* multum conferre. Quæritur, an recte? Respondendum esse censeo distinguendo. Peccatur hic in defectu & excessu. In defectu peccatur, quando mulieres gravidæ incedant laxis nimium vestibus; sic enim venter sursum, versus præcordia, in magnam molem expanditur, neque situs infantis adeo promte componitur ad exclusionem. Es wendet sich nicht so leicht; Peccatur etiam in excessu, nimirum vestitu nimium stricto. Sic enim matri nocetur, impeditione liberi motus humorum per vasa, unde stagnationes oriri necessum est, plurimorum morborum auctores. Ne dicam infanti locum non relinqui, ut sufficienter augeri queat, *abortibusque* portam aperiri. Quodsi igitur medici olim vestium stricturas suaserunt, non tam arctas intellexerunt, quæ spiritum intercluderent, adeoque cum grano salis intelligendi. (d. 19. *Sept.*) Nezelii *uxor*. *Dolores ventris*.

§. Plesii *puella* cum sanitate in gratiam quotidie majorem redit. (d. 28. *Aug*) Plesii *puella*.

§. Hercanus (d. 23. *Aug.*) *tussi* ac *raucedine* aliqua vexatur, & petit huic malo potum ordinarium accommodatum, cætera bene habens; jussi *rad. helenii* ad ℥ß. incisam cum vini haustulo coquere, colare, colaturæque admiscere *mellis despumati* cochl. j. & calidissime sorbere; quo vel semel hausto multos raucos curavi. (d. 28. *Aug.*) Hercanus. *Tussis. Raucedo.*

XXVIII.

XXVIII.

MErcurius fere tertiam lineam quarti gradus mane attingens dictum gradum vesperi pene attigit; Liquor *thermometri* mane paullo supra tertium gradum existens, vesperi cum mercurio eodem surrexit.

XXVIII. rexit. Nox fuit frigida & maximam partem ſerena; dies, qualis heri, frigidiuſcula.

Anthraculi *filiolus*. *Dyſenteria*.

§. Anthraculi *Filiolus* (d. 26. *Aug.*) quamvis a nupera viſitatione vegetior appareat, attamen fœtor excrementorum & frigus artuum nihil fauſti præſagiunt. Solum id lucrati ſumus, ut *tormina* ſint mitiora. Interim pulſus eſt celer & langidus: Ordinatus pulvis, cujus aliquoties in die cuſp. 1. vel 2. cultri dentur quovis modo:

Rec. *Trag. gran. act.* ℥ij.
pulv. pannon. r. Cor. ppt. an. ℥ß.
maſtich. ſel. ℈j. *M.*

Cum ſigna quoque *convulſionum* ex pavoribus & ſubſultu tendinum ſe prodant, *mixtura* cochleatim præbeatur:

Rec. *Aq. plantag. fl. til. an.* ℥iß.
epil. L. ℥ß. *cinnam.* ℥ij.
conf. de hyac. ʒj. *ſir. fl. tun.* ʒiij. (d. 29. *Aug.*)

Eſmori *filia major*. *Dyſenteria*.

§. Eſmori *Filia* natu *major* heri veſperi miro appetitu ad *gammaros* lata fuit. Gratificati ſunt parentes, & ipſa fere ſex, quamvis parvos, comedit elixos: Per totam noctem deliravit, & artus denuo gelidiſſimos habuit. Nox equidem frigida fuit, neque fornax, prouti quidem heri imperaveram, accenſa. Sed ego *cancris* comeſtis multum detuli, qui ſtomachum gravare & ægre digeri ſolent, adeoque ſunt edulium *dyſentericis* minus congruum. Reiterentur *pulveres* ultimi; cochleatim *mixtura* præbeatur:

Rec. *Aq. plantag. cinnam. cydon. an.* ℥iß.
conf. alk. c. ʒj. *ſir. cinnam.* ʒij. *M.*

Cum valde ſit emaciata, & *intertrigo* metuenda ſit (das Aufligen) loca circa *os ſacrum* & *coccygis emplaſtro* de *ſperm. ranar.* defendenda eſſe cenſui.

Veſperi calor nativus quidem artus denuo occupavit, manente tamen delirio. Altera *Filia* cum *Filiolo* extra periculum, DEO ſit laus, poſiti. (d. 26. *Aug.*)

Æthiopis *filia*.

§. Æthiopis *Filia* mediocriter valet, morbus enim nondum decreſcit. Pergendo cum heri ordinatis, interim, refectionis gratia, ſumat unum vel alterum cochlear *vini cydoniorum* ℔ß. *cum ſir. cydon.* ℥j. edulcati; *torminibusq;* ſedandis fiat abdominis calida, frequensque inunctio:

Rec.

XXVIII.

Rec. *Ungu. comitiss. de hyosc.*
ol. cydon. an. ℥ß. *mastich. cort.* ʒij. *M.*

Noctu datus *bolus* ex *ther.* ANDR. ʒß. & land. op. gr. *j.* (d. 29. *Aug.*)

§. Hercanus totam noctem ob *tussim* valde molestam traduxit in somnem. Ter in die calidum haustum *decocti pectoralis* assumat. Paret sibi *electuarium nostrum pectorale euporiston* & interdum in ore liquefieri sinat nonnihil *confectionis hordeatæ* (Gersten-Zucker.) (d. 7. *Sept.*)

Hercanus. *Tussis.*

§. Avia noctem satis tolerabiliter transegit: *dolor nephriticus* maximam partem est mitigatus, & urina utcumque, quamvis non plane libere, succedit. Pergat cum externis, intus vero assumat cochleatim *mixturam nephritico-diureticam*:

Avia. *Nephritis.*

Rec. *Aq. fragor. fœnic. petrosel. an.* ℥ij.
oc. ♋. *crud. cont. test. ov. calcin. an.* ʒß.
Tinct. succin. ℈ij. *sir. de alth. Fern.* ℥ß. *M.*

In hujus mulieris hypocausto vidi picturam *mulieris* usque ad cingulum *barbatæ*. Inscriptio talis erat: **Das bartichte Gretlin von Saltzburg/so sich am Hofe der Hertzoginen von Beyern/gebohrnen Marggrävinen zu München aufgehalten hat.** Id est: MARGARETHA *Barbata* SALISBURGENSIS, *quæ in aula Ducissæ* BAVARIÆ, *natæ* MARGRAVIÆ MONACHII vixit. *Mulierum barbatarum* plurima hinc inde circumferuntur Exempla; quæ inter *vid. obs. 95. Ann. IX. Dec. I. Ephem. Cur.* Caussa nonnunquam est *defectus mensium*. *In fœminis mentum non exornatur illo honore*, ait WEDELIUS *Physiol. reform. Cap. II. p. 40. nisi ultimo tempore, ubi menses cessant, & siccatur magis corpus in vetulis, ut barbatum, vel quasi, mentum videas, sicuti & extraordinarie feminæ barbatæ visuntur suppressis mensibus, quale exemplum apud* HIPPOCRAT. *consignatum est lib 6. epid. sub fin. & in rarithecio* GOTHANO *talis depicta videtur* (quid si hæc esset nostra MARGARETHA SALISBURGENSIS?) sic LANZONUS noster *Ann. V. & VI. Dec. III. Eph.* cum *obs. 283.* tefert, se vidisse uxorem ROMANDIOLAM 50. annorum sterilem, barbam gerentem, quæ interrogata retulerit, *se nunquam menstruas purgationes vidisse, nec mammas tumefactas, quin & pectus velut viri*, fuisse. RAYGERUS quidem *ad obs.* SPINDLER *97. Schol.* scribit, se vidisse mulieres, quæ rite purgabantur, & tamen lanuginem patiebantur tam fortem circa mentum, ut opus habuerint illam radere. Sed hoc istorum sententiæ

non

XXVIII. non derogat, qui a *suppressis mensibus barbam* existere dicunt. Unius enim rei plures possunt esse caussæ. *Vid. n.* SCHENK. *obs. lib. I. fol. 6. &* 576. BARTHOLIN. *Cent. I. obs. 42* RHOD. *Cent. III. obs. 40.* Nobis aliquæ mulieres cognitæ fuerunt & adhuc sunt, quæ *barbam* aluerunt & alunt; una CREILSHEMII, alia GÖPPINGÆ, utræque mortuæ, tertia hic STUTT-GARDIÆ pilos in mento raros equidem, CHINENSIUM more, sed longos tamen & cultro identidem rescindendos, cuilibet conspiciendos exhibens. *Viragines* autem utplurimum existunt, id est, animo virili præditæ (d. 29. *Aug.*)

Epistrophea. §. Epistrophea ab ordinatis d. 9. *Aug.* melius habet.

Arctoæ *filius. Epilepsia.* §. Arctoæ *filius* (*vid. 16. Ian.*) hactenus ab *insultibus epilepticis* liber, ipsis denuo enormiter infestatus fuit. *Purgetur*:

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. tart.* ℈j.
dacryd. gr. iiij. M. pro 1. dosi.

Postea *venam secet*, ac *pulveris* sequentis mane & noctu 3. cuspides cultri per tempus bene longum assumat:

Rec. *Rad. Valerian.* ℥j. *elæosacch. succin.* ʒvj.
pulv. lumbric. 🜃 *ppt. visc. quern. an.* ℥ß. *M.*

Vitet *vinum*, cui nimium deditus esse videtur, immo, a cujus abusu fortassis originem traxit malum.

De *pulvere lumbricorum terrestrium* prædicat HOFFM. *Comment. in* POTER. (qui liber ob solum commentarium legi meretur, nam, quæ POTERII sunt frivola, thrasonica & circulatoria pleraque existunt) p. 498. quod facultatem admirandam possideat ad *depulsandam epilepsiam* etiam *chronicam*; eo solo observato, quod mense *Majo* collecti longe insignioris virtutis sint, quam alio tempore.

Toparii *filiolus. Sternutatio nimia.* §. Toparii *filiolo* (*vid. 24. Aug.*) ad nimias & aliquandiu continuantes *sternutationes*, *fumigatio cum agallocho*, suasa, & plumula *oleo amygdalarum dulcium* imbuta parieti narium interno applicata. Ad avertendas autem *convulsiones* detur interdum cusp. 1. de *polline*, cum quolibet vehiculo:

Rec. *Unicorn. ver. coral. r. ppt. margar. ppt.*
lap. bez. occid. an. ℈ß *orient. gr. v.*
♁. *nat. ppt.* ♄ *ii rectif. an. gr. viij.*
facch. perlat. ʒj. *M.* (d. 29. *Aug.*)

Heli-

§. Helinia *menses* accepit, & quidem valde copiosos. Adsunt *vomitiones* & æstus magnus cum intensa siti. Jussi abstinere a medicamentis heri ordinatis, quippe vim *emmenagogam* sui maxima parte possidentibus. Ordinavi *mixturam* cochleatim interim accipiendam: XXVIII. Helinia. *Menses copiosi.*

Rec. *Aq. rub. id. ceras. n. an.* ℥iij.
♉. *diaph. CC. philos. an.* ʒß.
ess. anod. ℈j. *sir. rub. id.* ℥ß. *M.*

Foris cordis scrobiculo *emplastrum antemeticum* consuetum: (d. 29. *Aug.*)

§. De Melodidascalo (d. 19. *Aug.*) hactenus tacuimus; sed neque novi quid referre potuimus. Semper enim adhuc *genæ*, cum primis dextra, *convelluntur*, *dolores ventris scorbutici* cum *cephalæa* torquent, alia symptomata cruciant. Rogavit, ut denuo excogitarentur aliquæ, quæ ad minimum *contractionum spasmodicarum* augmentum impedirent. Factæ sunt *pilulæ*, quarum mane & pomeridie n. xv. deglutiat cum *aq. cinnam. cydon.* insequente semper moderato motu: Melodidascalus. *Contractiones spasmodicæ.*

Rec. *Extr. valerian. rut. gentian. an.* ʒj.
alcohol. chalyb. ʒij. *myrrh. r.* ℈j.
C. alc. philos. succin. a. ppt. an. ℈ij.
cum bals. de copaib. F. l. a. pilulæ.

Cum primo haustu vini in quolibet pastu hauriat 40. guttas *mixturæ*:

Rec. *Elix. balsam.* ℥ß.
~. cochl. ʒij. ⊖✱. *anis.* ʒj. *M.* (d. 30. *Aug.*)

§. Mosellani *uxor* narrabat de quadam e suis sororibus, quæ multis abhinc annis *odontalgia* intolerabili laboravit. Suasum ut *capo* manus oppositæ lateris dolentis applicaretur *cortex medianus juglandis in aceto vini maceratus*. Consilio præpostere intellecto medicamentum impositum *lateri dolenti oppositæ maxillæ*. *vesiculum* sustulit ægerrime denique curatum, sed relicto nævo arte nulla corrigibili; *Dolores* autem *dentium* mitigati fuerunt. Puellæ quoslibet libentius dolores sustinent, quam admittunt medicamentum, unde formæ labes affricari potest. *Vesicatoria* faciei nunquam applicanda, nam eorum vestigia rarissime delentur. Mosellani uxor. *Odontalgia.*

XXVIII. Chordaphus. §. Mirum eſt, quod ſibi a mercatoribus *S.* GALLENSIBUS narratum *Chirurgus* quidam noſtras e peritioribus retulit. Nimirum, aliquem ex *paſſione iliaca* Lethaliter decumbentem ibi locorum ſemet ſectioni ſubjeciſſe, atque in *inteſtinis* repertum fuiſſe *verum chordapſum*, id eſt, miras inteſtinorum contortuplicationes & involutiones, quibus manu ſolerti rurſum explicatis, abdomen conſutum & ægrum intra menſis unius ſpatium reſtitutum adhuc pancratice valere. Mirum omnino ſi verum.

Apiarii uxor. §. Uxor Apiarii melius habet, & quidem ab *aqua*, ut ſibi imaginatur STERNFELSIANA. Nam rurſum melius appetit, & vires recuperat. Famigerata hæc *aqua* nomen habet a familia nobili STERNFELSIORUM, jucunda eſt, & vere *analeptica*. Habetur in omnibus officinis noſtris, & quilibet *Pharmacopœorum* noſtratium compoſitionem genuinam ſe poſſidere prætendit, ac in arcanis ſervat. Jam triginta tres fere elapſi ſunt anni, cum mihi tunc REGIOMONTI BORRUSSORUM verſanti communicata fuit hujus aquæ talis deſcriptio:

Rec. *Aq. epilept.* LANG. ℥j.
elix. vit. MATTH. *Juleb. roſat. an.* ℥vj.
moſch. alex. ambr. gryſ. an. gr. j. M.

Quæ, cum meliorem neſciam, & proſtans in una ſaltem *officinarum* noſtrarum ſapore, colore, odore, ſit huic valde ſimilis, mihi hactenus pro genuina eſt habita.

Pleſii puella. §. Pleſii *Filiola* præterita nocte excrevit *lumbricum* ſatis magnum. Vix credibile, hunc ſolum inteſtinorum incolam fuiſſe; hinc reſpectum ad lumbricos habendum omnino cenſeo. Cæterum vires eleganter recuperat. (d. 30. *Aug.*)

Emmuſus *Tertiana interm.* §. Emmuſus hodie paroxyſmum ſatis atrocem denuo ſuſtinuit, & notabile eſt, eum *tertiana* licet exquiſite *intermittente* laborantem, æſtu durante fere continuo delira loqui. *Pulverem chinatum*, ut, qui maxime, averſatur, immo horret. Hinc repetita *eſſentia chinata* nupera, guttatim accipienda. (d. 30. *Aug.*)

XXIX.

XXIX.

Qui mane quievit in quarto exacte gradu, veſperi per lineam unam

anam cum semisse subsedit Mercurius. Liquor contra *thermometri* mane in medio quarti gradus residere visus vesperi dictum gradum proxime attigit. Nox fuit serena, sed valde frigida. Dies mane frigida, meridie & pomeridie calida, & ab ortu ad occasum solis clara. XXIX.

5. Mosellani *Filiola minima*, (d. 27. *Aug.*) annicula, hodie mane *exanthematibus* variatur, quæ pro *morbillis* agnovi: medicamentorum propemodum plane nihil assumit. Jussi, ut quovis possibili modo propinare tentaret *lapid. bezoard. orient. gr. v.* Et cochleatim præbere conaretur *mixturam*: Mosellani *Filiola.* *Morbilli.*

Rec. *Aq. fl. samb. til. an. ℥iß. cinnam. ʒj.*
elix. vit. Matth. compl. ʒj. conf. alk. c. ʒß. sir. viol. ʒj. M.

Calidiusculæ *mixturæ* addidi: quod *morbilli* pallerent, & puella difficulter spiraret, indicio, spiritus esse suppressos. Aliquid medicaminum ægerrime, & furtim quasi admisit, hinc & pomeridie levius habebat, & *morbilli* coloratiores erant. (d. 30. *Aug.*) Mosellani *uxor.* *Ischuria.*

Cum matrem ipsammet gravidam pallere & languere cernerem, nunquid mali sentiret, interrogabam? Ipsa subridens respondit, se jam per 24. horas *ischuria* laborasse, ut vero mihi rem manifestaret, pudore prohibitam fuisse, nunc autem sponte *lotium*, & copia larga, suos aggeres rupisse, interim se dolores internecinos perpessam esse. *Pudores ejusmodi intempestivi mortibus causam præbere possunt. Non omnem pudorem custodire est bonum,* SIRACIDES ait, *cap. 41. v. 16.* qui inter res, de quibus neminem *pudere* decet, *cap. 42. v. 1. seqq.* etiam numerare potuisset, immo debuisset, occultationem morborum. Quis enim *Medicus* ex aspectu vultus alieni de *urinæ suppressione* judicet? Novimus quid TUCKIUS de famigeratissimo BURRHO prædicet *tr. de chrysog. anim. & miner. p. m. 160.* nempe, *quod non raro ex facie de totius corporis constitutione vaticinatus fuerit,* & in consilium *Medicum* vocatus icones magnorum virorum & PRINCIPUM sibi deposcerit, (fortasse pro exornando Musæo) ut tanto rectius in constitutionem eorum penetrare posset, & quo pacto interiora viscera, se haberent, inquirere; it. p. 162. dictum BURRHUM ex intuitu hominis studiosi præpudore affectum secretum patefacere nolentis, latens circa anum malum detexisse perhibetur. Credat illa, qui volet, mihi tam esse perspicaci non licet. Interim monendi sunt

XXIX. *juniores Practici*, ut ibi locorum, ubi ſunt *Medici* domeſtici, non ſemper expectent ſponte confitentes reos, ſed quoties ex habitu corporis quempiam male habere perſpiciunt, interrogationibus ſuis anſam detegendi malum ſuppeditent.

Toparii *nutrix*. *Flatus*.

§. Toparii *nutrix* paupercula ruſticaque mulier otio nunquam aſſueta & probe paſta ob ἀδδηφαγίαν *flatibus* vexatur, qui, ne per *lactationem* in alumnulum derivarentur, ordinavi *pulverem*, cujus ter in die 3. cuſp. cultri per ſe ſumantur:

Rec. *Elæoſacch. e 4. ol. carminat. ℥ij.*
pulv. cort. aurant. ʒij. M. (d. 16. *Oct.*)

Ageranomus. *Arthritis*.

§. Ageranomus (d. 26. *Aug.*) *dolorum arthriticorum* denuo mirum augmentum ſumit, appetitus plane deſici, corpusque extenuari incipit; ſic ut medicamenta ſimul humectantia, ſtomachique coctionem promoventia ſcribere inductus fuerim. Sumat igitur mane ac pomeridie quantitatem caſtaneæ de *electuario*:

Rec. *Conſ. fl. paralyſ. ℥j. ſymphyt. roſar. an. ℥ß.*
pulv. arthrit. WEPF. *ʒij. extr. papav. c. ℈ß.*
ſir. fl. paralyſ. q. ſ. M.

Ante meridiem hora decima & noctu ante ſomnum ex quolibet congruo vehiculo capiat 50. guttas *mixturæ*:

Rec. *Elix. balſam. ʒiij. eſſ. anod. ℈j.*
🜄. cochlear. ⊖✱. an. ʒiß. M.

Pulvis arthriticus WEPFERI talis eſt:

Rec. *Lumbr. 🜃ſtr. ppt. ℥ij. CC. philoſ. ppt. ℥ß.*
ungul. alc. ppt. ʒiij. cryſtall. mont. ppt. ʒij.
Oc. ♋. ppt. ʒiij. matr. perl. ppt. ʒiß.
ol. NM. expr. ʒj. ⊖. ſuccin. vol. ℈j.
tab. man. chr. perl. ℥iiiß. M. F. ☿. ſubt.
Doſ. mane & veſperi ʒß. ex idoneo vehiculo.

Efficacior fit *pulvis*, ſi ad ℈ij. additur ♁. *diaph.* ℈ß. it. ſi ſimul adſint *convulſiones*, cuique doſi ♃ *nat. gr. j.* (d. 7. *Sept.*)

Avia. *Nephritis*.

§. Avia denuo impetitur *doloribus nephriticis*, quamvis non adeo atrocibus, quam antea, neque *vomitu* ſimul præſente. Bibat mane, pomer. & noctu calidum hauſtum *decocti* FORESTI, pergendo cum inunctione. (d. 31. *Aug.*)

Nama-

§. Namaplusius (3. *Jun.*) redux ex *acidis* GOEPPINGENSIBUS, illarum effectum valde dilaudavit, cumprimis in alvo solvenda, quem præstare solet maxime, si bibunt obesi. *Balneavit* quoque, & se mirum in modum agilem hinc redditum esse prædicat, quum antea lassus esset. XXIX. Namaplusius.

§. Esmori *major* natu *filia* rursum debilior. *Lumbricum vivum* excrevit noctu præterita, satis magnum, ex atro rubentem. Indicium est, *lumbricos* extravasato cruore satiari. Esmori *Dysenterici.*

Sæpenumero *Medicus*, quid cum ægris, semet absente, agatur, nescit, & tamen de eventu responsio prætenditur. Multa in hac domo clam me & *collega meo* fieri, non tam suspicor, quam certo scio.

Reliqui duo convalescunt, per DEI gratiam. Semper tamen, usque ad plenariam valetudinem *pulverem* assumere tenentur.

Lumbrici, sine specificis *pellentibus* datis, in morbis, præcipue *acutis* sponte prodeuntes *plerumque signum lethale*, (d. 30. *Aug.*)

§. Quamvis Æthiopis *Filia*, sine dubio beneficio assumti *boli*, per totam noctem quiete dormiverit, hodie tamen plus vigesies jam dejecit, licet sine magna virium dejectione aut *febrili* æstu. *Pulvis* ita mutatus, usu eodem manente: Æthiopis *filia. Dysenterid.*

Rec. *Trag. gran. act.* ℥ß.
🜄. *catech. bol. arm. ppt. sang. Drac. an.* ℈ij.
extr. torment. ℈j. *papav. comp.* ℈ß.
ol. nuc. mosch. expr. gr. vj *M. F.* ℞.

Noctu repetatur *bolus theriacalis* heri datus. *Torminibus* ventris mulcendis *emplastrum* adeo dilatandum, ut abdomen totum tegatur:

Rec. *Ungu. de hyosc. empl. de melil. an.* ℥j. *M.*

Paretur *lac amygdalinum relictis glumis* extortum. (d. 30. *Aug.*)

§. Anthraeuli liberi meliuscule vivere videntur. (d. 30. *Aug.*) Anthraculi *liberi.*

§. Vocatus sum ad Nanzium lapicidam cui ante dies aliquot in alio loco versanti *Chirurgus* quidam *castrensis* improvidus, una cum *hepatica brachii dextri* (ita *basilicam* vocant) *arteriam* quoque pertuderat. Brachium erat intense tumidum ac dolor acerrimus. *Chirurgus* amoliendæ gangrenæ caussa *epithema nigrum* applicaverat. Plura per praxin meam infortunia vidi a*pertusione dictæ venæ*, hinc rarissime eam fieri patior. Rectissime BARTHOLINUS *anat. nov. Libell. l. cap. 7. p. 642. Chirurgos monet, ut caveant in hujus sectione, ne nervus tertii & quarti paris adjunctus lædatur, unde magnus cruciatus, febris, convulsio & mors. subjacent*, pergit, *& arteria, quibus læsis anevrisma & sanguinis profluvium.* Nanzius. *Vena sectio infausta.*

XXIX. Nigredici *uxor*. §. Nigredici *Uxor* (d. 27. *Aug.*) cum sanitate in gratiam rediturae videtur. Adest *apyrexia* totalis & constans; appetitus laudabilis; virium augmentum. Consumat, quod medicamenrorum superest. (d.7. *Sept.*)

Toparii *filiolus*. *Obstructio narium*. §. Toparii *Filiolus obstructione narium* laborat, quamvis adeo frequenter non amplius *sternutet*: Circa radicem nasi subter frontem fiat *illitus unguenti*:

Rec. *Ol. rosat. ℥j. majoran. gtt. ij.*
subigatur cum vitello ovi, ut acquirat.
consistentiam unguenti.

Rec. *Aq. majoran.* ℥j. *mann. Calabr.* ʒj.
⊕li alb. ℈j. *D. solut. & cum pluma naribus infricetur.*

Vertici *cucupha* ex ramentis *agallochi* & *fol. maioran.* cum bombace. (d. 30. *Aug.*)

Tigurinus. *Tussis nocturna*. §. Tigurinus (d. 27. *Aug.*) *calorem febrilem* non amplius sentit, saltem adhuc molesta est *tussis* praecipue nocturna, cum pectoris quadam gravitate, sine dubio a congestione pituitae. Sumat gtt. xxxx *mixturae* bis in die cum vehiculo sequenti seorsim quoque per cochlearia hauriendo:

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ʒj. *Tra. croc.* ℈j. *M.*
Rec. *Aq. acac. veron. an.* ℥iij.
∽⊖✱. anis. ʒß. *sir. papav. err.* ℥ß. *M.* (d. 30. *Aug.*)

Helinia. §. Helinia nondum *vomere* cessat; experitur *tormina* & *cardialgiam*; *mensium* non amplius tam immodicus *fluxus*, Repetatur *emplastrum antemeticum*. Compescendo *vomitui* & sedandis *torminibus hystericis* dicatae *pilulae* una vice deglutiendae:

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. M. F. 8. pill.

Cochleatim hauriatur *mixtura*:

Rec. *Aq. meliss. menth. an.* ℥iiß. *hyster. offic.* ℥ß.
Tinct. castor. ℈j. *sir. menth.* ℥ß. *M.* (d. 30. *Aug.*)

Neandri *Filiola minor*. *Convulsivi motus*. §. Neandri *Filiolae* natu *minori*, de qua jam aliquoties, adhuc interdum frustilla *lumbrici lati* ex ano prorepunt; Sed hodie ex improviso, praeviis *terroribus*, *convulsivis motibus* cum aestu summo tentatur; ordinata *mixtura* cochleatim sumenda, & *balsamum cephalicum* jamsaepe descripta. quidsi *lumbrici* sint horum motuum auctores? (d 30. *Aug.*)

Cum

Cum visitarem hanc puellam, & Parentes animo valde contristato morbum plangerent, alia quædam mulier, *sapientula Abelitidis*, nî fallor, consanguinea in hæc statim verba erupit: Abjicite mœrorem & curas; Bekämen die Kinder keinen Stoß / so würden sie bald groß. *Proverbioli* sententia est, *morbos in pusillis non plane declinari posse*. Talium *proverbiorum* aliquam multa passim a mulierculis proferuntur, & a talibus tolerari possent; sed miratus sum aliquando *Medicos Practicos* hæcce talia mutuari, & data occasione in ægrotos ac adstantes jaculari, quod non sine cachinno aliquoties audivi. v. gr. *Obstetricum* dicterium: Stündlein bringts Kindlein. It. Sehr / macht kein Schmeer. cujus sententia est: a *doloribus neminem pinguescere posse*. Ita Medicum loqui raro decet, plerumque enim, & maxime si sint juniores, deridiculo habentur a *Sycophantis*. XXIX.

§. Visitator die 28. *April* in locum tribus horis a suo domicilio dissitum cum aliquot sui similibus profectus, ibique ultra biduum moratus cum in multam noctem bibisset, nec satis vinum edormisset, vesperi rhedam conscendere volens, nescio quo fato, corporis æquilibrium perdens, ex altera rhedæ parte super stratum lapideum, vehementer alliso capite, præceps agitur, ibique fere attonitus aliquamdiu jacet, in lectum postea repositus ad se tardissime redit cum languore summo; ea nocte medicamenti nihil usurpavit, vires per quietem se collecturum sperans. Mane vero nimium adhuc languens *Medicum* accersivit, qui in affectu se aliquid *apoplectici* agnoscere, cui forte *podagra* nimis diu emanens occasionem dederit, pronuncians, in rem illam sequenti modo consuluit: Visitator. *Lapsus*.

Postquam heri ecclipsin spirituum animalium passus es, & inducias nimium longas dante *podagra*, corpore cumprimis obeso, metuendum sit, ne genere nervoso nimium irritato vel debilitato, vera *apoplexia* vel *hemiplegia* aliquando oriatur, ego, quibuslibet 14. dierum intervallis, triduo vel quatriduo ante *lunam novam* & *plenam* aliquoties iterandum lene *purgans* necessarium judico, cui fini *extractum catholicum* in *pilulas* pond gr. j. conglobatum servire posset. Vesperi ante somnum decem pro dosi suaderem, quæ, si intra 10. vel 12. horas non 4. 5. vel plures sedes excitarent, die sequenti totidem deglutiri possent. Cum mihi Dn. Visitatoris constitutio sit incognita, *Medicus ordinarius* e *laxantibus* olim præscriptis dosin

facile

XXIX. facile determinare poterit. Intercalari tempore nonnunquam *nervinis*, v.g. *pulveribus cephalicis* uti non inutile foret. Ante omnia maturius ad somnum te componas, & lucubrationes, quin omnes *animi passiones*, omni modo fugias, velim: pedes semper in calore, etiam duplo, detineantur, ut libera sit magis & maneat transspiratio, profutura non tam solis artubus, quam præcipue capiti. Præservandi fine nec externa spernenda, qualia v.gr. sunt *fonticuli*, & ubi suspicio cujusdam paroxysmi, *vesicatoria* magni facienda, quæ non in dies, sed hebdomatas, immo menses aperta servanda; horum enim beneficio non tantum a partibus nobilioribus ad extimum cutis continuo aliquid expellitur, sed & serosa colluvies *salino-viscida* copiose, tanquam per cribrum excernitur. In *Diæta* vitentur omnes *liquores* nimium *calidi & spiritus ardentes*, nervoso generi nocentissimi, affectusque *apoplectico-paralyticos* excitare volentes. Cibi parciore præbio assumantur, corpus ante pastum cœlo favente moveatur. *Guttæ ij. vel iij. olei cephalici* [Rec. *aq. apopl. bis destill.* ℈ij. *ol. lign. rhod. rorism. lavend. salv. an.* ℈ß. *M. ad vitrum*] conquassata prius lagenula vertici, nuchæ & temporibus perfricandis inserviant, cujus etiam ad gtt. *iij. iiij. vj.* cum *infuso Theé*, *aq. ceras. n. fl. paralys. &c.* usus internus non est contemnendus, si forte *vertigo* vel alia quædam capitis debilitas sentiatur. *Aër* pluviosus & simul subfrigidus fugiendus. D. B. Hucusque *Medicus* accersitus.

Ut rogatus de meo quid addam, nondum liquere existimo, an aliquid *apoplectici* conjunctum fuerit? Cum Dn. Patientem se lautius invitasse certum sit, nec ante de ulla *vertigine* quidquam unquam conquestus fuerit. Quod velut *attonitus* aliquamdiu jacuerit, allisioni capitis in stratum lapideum & *concussioni cerebri confusionique spirituum animalium* omnino deferri potest. In terram attoniti boves etiam maximi jugulandi concidunt, ubi sinciput eorum securis inversæ ictu forti petitur. Non aliud hic volo, quam quid efficere posit *commotio cerebri*. Rem propterea parvi pendendam esse non arbitror, quamvis, nisi urgeat peculiaris capitis debilitas vel insueta *vertigo*, toties repetitas *purgationes* non esse necessarias judicem. Cæterum a Dn. *Medico* laudata adeo non displicent, ut Dn. Patientem quo monitis istis salutaribus potius congrue, quoad possibile, vivat, modis omnibus hortari non dubitem, sumat autem *haustum laxativum* consuetum d. 21. *Septemb.*

Rec. *Aq. laxat. Vienn.* ℥iij. *cinnam.* ʒj.
syr. de cich. c. rh. ʒx. *M. pro 1. dosi.*

D. 25.

XXIX.

D. 25. ejusd. venam secet. Postea mane & noctu *pulveris cephalico-nervini* cusp. 2. cultr. per se, vel cum *aq. ceras. n.* sumat:

Rec. *Specif. cephal. pulv. anal. fr. Mind. c. an. ℥iß. M.*

Utatur porro *balsamo* a dicto *Medico* præscripto.

Uxorcula Dn. VISITATORIS in puerperio ante annum exantlato *tremorem artuum* diuturnum valde molestum passa est, cum *deliquiis* nonnunquam *hystericis, dyspnœa & palpitatione.* Est valde teneræ texturæ, meticulosa, plurium jam liberorum mater. Tunc *mixtura* sequens a me ordinata multum profuit, cujus *descriptionem* a me propterea petiit, quia nunc puerpera idem rursum symptoma metuat, & nunc loco abhinc longe dissito moretur: *Uxor. Tremor.*

Rec. *Aq. fl. til. veron. an. ℥iij. hirund. c. cast. ℥ß.*
♁. cochlear. ʒj.
CC. ⊖' vol. oleos. an. ʒß.
℞. *croc. ℈j. sir. fl. pœon. ʒiij.*

Sumat mane, postquam surrexit, cochlear unum uni scutellæ infusionis *Thée* permixtum, superhauriendo adhuc 2. scutellas, sed sine *mixtura*: noctu autem cubitum itura dictæ *mixturæ* 2. cochlearia sorbeat.

XXX.

XXX.

MErcurius mane iterum in tertia linea quarti gradus & liquor *thermom.* in ejus mediate per totam diem manserunt. Nox clara & frigida, diei pars maxima serena.

§. Oenophylax (d. 20. *Aug.*) per nuper ordinata, quoad speratum *mensium fluxum* voti nondum damnata est. *Menses provocare, non semper est res parvi momenti.* Fortissime *pellentia* nonnunquam sunt minimæ efficaciæ. Plerumque magis efficitur suspensa manu, quam violentæ sanguis lentus, viscidus, quidquid feceris, tam cito non attenuatur. Tentanda varia, nec uni insistendum diu remedio. *In menstruorum provocatione a lenioribus aperitivis ad fortiora paulatim procedendum est,* ut vult RHASIS *in division. alleg.* VALESC. *de* TARANT. *Lib. VI. cap. 8. p. 507.* Præclare SENNERTUS, *in mensium*, ait, *suppressione diuretica* *Oenophylax. Mensium suppressio.*

XXX. *minus conveniunt*, *quum liberior urinæ fluxus mensium promanationem retardet.* Ita, sicut alibi, hic etiam est opus prudentia Nos, ad præscriptum HIPPOCR. *specificis aromatica* miscentes, ordinavimus *infusum* more nostro parandum & potandum tale:

Rec. *Herb. puleg. meliss. an. mß.*
rad. rub. tinct. ℥j. *cinnam. ac. cort. aurant. an.* ʒiij.
caryoph. mac. ⊖. *absinth.*
sem. fœnic. cort. WINTER. *an.* ʒiß.
limat. ♂. ℥iß. *M. Conc. cont. D.*

Bibat haustum mane & pomer. insequente motu.

Nil addimus, quam monitum TARANTÆ *loc. cit.* *Nisi idonea victus ratio in mensium provocatione adhibeatur, medicamenta parum aut nihil juvant.* Regula hæc nostræ *Oenophilaci* parum fausti præsagit. Nam est *ancilla aulica.* (d. 27. *Sept.*)

Pannonius. *Arthritis.* §. Pannonius 40. annorum iracundiæ vinoque deditus jam ante annum *arthriticus* diu decubuit a TAMIA denique feliciter curatus. Ante octiduum bene potus ira vehementi exarsit & super cespites gramineos resupinatus obdormivit. Experrectus dolorem in artubus statim sensit, leviorem primo, hinc magis intensum cum rubore, tumore, æstu, siti, inappetentia. Huc delatus me vocavit. Ejulavit præ doloribus lancinantibus & urentibus instar infantis, totasque noctes traduxit insomnes. Singulis 6. horis sumatur *pulvisculus* cum sequenti vehiculo per cochlearia quoque seorsim hauriendo:

Rec. *Pulv. lumbr.* 🜄 *str. ppt.* ʒij. ♁. *diaph.* ʒj.
⊖. *succin. vol.* ℈j. *extr. pap. comp.* ℈ß.
M. F. 7. ℞*es.*

Rec. *Aq. fl. paralys. papav. err. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒj. *ess. anod.* ℈j.
sir. fl. paralys. ℥ß. *M.*

Artus involvantur *leporinæ pelli*, quorum prius fiat frequens & calida inunctio:

Rec. *Ol. lumbric.* ♆. *camph. an.* ℥ß.
ess. anod. ʒj. *M.*

Bibat *aquam* pane tosto imbutam, vitando *vinum*, quod nullus morborum minus, quam *arthritis*, tolerat (d. 1. *Sept.*)

Etmori *filia major.* §. Esmori *Filia* natu *major*, quamvis adeo frequenter & multum non dejiciat, excrementa tamen nimium graveolentia, *delirium*

tota

tota nocte, virium summa debilitas. Sed hodie appetitus, qui ante non aderat. Concessi, ut *vini* HISPANICI cochlear unum præberetur, non obstante *delirio*, quod æstus eo nullus comitabatur, ut potius *artus frigerent*. Vesperi tamen vires refectiores videbantur. In medicamentis nihil mutatum. (d. 31. *Aug.*) XXX.

§. Apud Mosellani *Filiolam* symptomata remittunt, *morbilli* successive disparent, annuente DEO brevi convalituram spero. Consumat *mixturæ* reliquias. (d. 31. *Aug.*) Mosellani *filiola.*

§. Ob *famem* fere *caninam* in *vermium* opinione confirmati, *pulverem vitri veneti & sabinæ cum melle subactum & dimidiæ putamini juglandis immissum umbilicis puellæ* PLESIANÆ (d. 28. *Aug.*) per noctem imposuimus, ordinando simul *pulverem anthelminticum*. Sitis cum *diarrhœa* remittunt. (d. 6. *Sept.*) Plesii *puella. Suspicio vermina.*

§. Tigurino noctem suaviter transigenti & hodie satis belle viventi in crastinum præscriptæ *purgantes pilulæ*: Tigurinus.

Rec. *Extr. cathol. gr. xv.*
magist. gial. scammon. an. gr. vj.
cum elix. propr. F. *pil. n. xviij. del. pro 1. dosi.* (d. 31. *Aug.*)

§. Melodidascalum (d. 28. *Aug.*) in celebre quoddam emporium profecturum & ibi occasionem cum PRINCIPIS cujusdam *Archiatro* conferendi habiturum, GNOMILEGUS & ego comitati sumus descriptione succincta affectus *hypochondriaco - scorbutici*, describendo simul *pilulas* & *mixturam* d. 28. *Augusti* descriptas, & simul dicti DN. *Archiatri* sententiam oravimus. Det DEUS, ut ipsi DN. Patiens, salvus ducatur, & consilium istud exotericum ipsius sanitatem multum promoveat. (d. 28. *Sept.*) Melodidascalus.

§. Emmusus (d. 28. *Aug.*) *Paroxysmum febrilem* hodie frustra expectavit. *Diarrhœam* passus est cum *euphoria*. Quid si hæc fuerit *critica*? Non obstante *febris* emansione, usui tamen *essentiæ antifebrilis* constanter insistat, cum *recidivis* hoc anni tempore sit nihil frequentius. [d. 7. *Sept.*] Emmusus. *Febris interm.*

§. Apud Toparii *filiolum* hodie *coryzæ* flumen exoptatissimum. Unde desinunt vehementes & frequentes *sternutationes* hesternæ, ipseque solito hilarior. Pergant tamen cum liquore *errhino* & *linimento nasali*. (d. 31. *Aug.*) Toparii *filiolus. Coryza.*

§. Neandri *filiola* heri ordinatis, cooperante *summo* Neandri *filiola.*

 ARCHI-

XXX. ARCHIATRO, multum profecit. Consumatur, quod pharmacorum est reliquum. (d. 31. *Sept.*)

Æthiopis filia. §. Æthiopis *Filia* repetito heri *bolo theriacali*, noctem placide transegit, ne semel quidem surgere coacta. Pomeridie *vomitus* & hunc secuti *menses* per triduum anticipantes. Fit hoc apud mulieres dysentericos ob *sanguinis* præternaturalem *orgasmum*, & tunc danda moderatissime *adstringentia*, omissis *opiatis*, ne *fluxus menstruus* cohibeatur. Ego hodie a medicamentis *dysentericis* plane feriari jussi. (d. 30. *Aug.*)

Anthraculi *filiolus.* *Dysenteria.* §. Anthraculi *Filio* in periculosissimum denuo statum relapsus. Frigent extrema, sudor est frigidus, spiritum vix trahit, excrementa cadaver olent, abdomen *spasmodice* tensum turget, pulsus est celer ac debilis identidem expavescit. In crastinum funus habebimus. Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥ij.
fl. til. ℥j. *epil. L.* ℥ß.
conf. alk. c. ʒß. *liq. CC. succin.* ℈j.
sir. fl. tun. ʒij. *M.*

Nucha, vertex, tempora ungantur *balsamo cephalico* consueto saltem aliquo modo contractiori. (d. 31. *Aug.*)

Cancellistæ *filiolus.* *Tumor in faucibus.* §. Cancellista suum mihi *Filiolum* novennem inspiciendum præbuit. In sinistra parte *faucium* prope *uvulam* visebatur *tumor spongiosus castaneam* facile *æquans*, *molliculus*, *renitens*, *indolens*. Primo *pisum* vix æquans in hanc magnitudinem per aliquot septimanas successive creverat. Puellus hilaris est, appetens, nil inde incommodi, nisi in *deglutitione* sola sentiens. Attamen, cum metus sit, ne in majorem continuo molem auctus denique & *deglutitionem & respirationem* penitus inhibeat, commeatuique alimentorum & inspiratui aëris viam intercludat, Consilium anxie quærunt. Nil aliud e *spongioso* hoc *tumore* colligere potui, quam ipsammet *glandulosam buccæ substantiam* a stagnatione lymphæ expansam. Fiat *gargarismus* sæpe calide adhibendus:

Rec. *Rad. pentaphyll.* ℥ß. *ros. r. balaust. an. mß.*
sem. acetos. ʒj. *conc. cont. coq. in aq. Font.* ℔j.
ad consumt. 3a. part. Colat. add.
sir. plantag. ℥j. *D.*

Post

Post quemlibet *gargarismum* per calamum anserinum *pulvis* afflandus, *tumori*:

Rec. *Fl. balaust. rad. bistort. torment. an.* ℥j.
alum. rup. ℥ß. F. ℥.

Fiat hoc ter vel quater in die. Vitetur potus frigidus. (d. 24. *Sept.*)

§. Helinia & nudius tertius & heri vespertinis semper horis *horrore* cum inseq. *astu* se præhendi hodie demum sentit, immo reminiscendo sæpius semet sensisse affirmat. Conjungitur *vomitus* cum *torminibus* & *cardialgia*, paroxysmus finitur sudore, sicque demum *proteus febrilis* se prodit, *febris* nempe *hysterica quotidiana intermittens*. Hinc aliter, quam hucusque, sola symptomata curando tantum, res aggredienda fuit: Helinia. *Febris hysterica quot. int.*

Rec. *Cort. peruv. subtiliss.* ℥. ℥j.
♂. *diaph.* ℈ij. ⊖. *abs.* ℈j. *M.*
F. 4. ℥. *sum. sing. 6. horis unus.*

Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. cent. min. plantag. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ℥ß. *ol. caryoph. gtt.* ij.
sir. rub. id. ℥ß. *M.*

Nunc *vomitum* doloresque brevi cessaturos spero. (d. 1. *Sept.*)

§. Cusani *uxori* (d. 23. *Aug.*) ad demulcendum intolerabilem fere *matricis dolorem* suasi injectionem ex *rad. symphyt. & fl. hyper. cum lacte coctorum*, idque solum, ne nihil agere velle viderer. Sic enim *Medico* frequenter cogendum; quum terribile videatur discedere ab ægro summis doloribus torto, ac dicere: *juvare non possum*. Cusani uxor.

§. Nipsi (7. *Aug.*) *Filiolum purgavi* post exantlatas *variolas*: ipsiusque simul sororculæ dedi *purgans* ob *scabiem*, qua laborat, humidam. Nipsi *filiolis.*

§. Nisseti *Filiolus* 2. annorum sanissimus visus derepente corripitur *convulsionibus epilepticis* satis atrocibus. Nesciens adhuc, an *dentitioni* vel erupturis *exanthematibus* rem deferre deberem, ordinavi mera *antepileptica*: Nisseti *filiolus.*

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥iß.
epil. L. ℥ß. *conf. a k c.* ℥ß.
pulv. march. ℈j. *sir. fl. pæon.* ℥ij. *M.*

XXX. *D. cochleatim*, & vertex cum nucha ac temporibus ungantur *balsamo*:

Rec. *Ol. NM. expr. ℨß. ſuccin. ℈ß.*
rut. anth. an. gtt. v.
axung. caſtor. ℈j. *M.* (d. 31. *Aug.*)

Moroſus. *Febr. tert. int.* §. Moroſus (d. 6. *Maji*) *febri tertiana* TUBINGÆ corripitur ante tres ſeptimanas, & fiduciam in me, conſuetum ſibi *Medicum*, collocans, medicamenta petit, ſe jamjam *purgante* uſum ſcribens:

Rec. *Eſſ. chin. chin. triſol. fibr. an.* ℥ij.
ol. caryoph. gtt. iiij. *M.*

Sumat ſingulis 6. horis gutt. xxx. cum vehiculo ſequenti per cochlearia ſeorſim quoque hauriendo, præcipue tempore æſtus:

Rec. *Aq. plantag. cent. min. an.* ℨij.
~⊖*. ℈j. *ſir. rub. id.* ℨß. *M.*

Diæta ſit congrua.

XXXI.

XXXI.

UTraque vaſa, qualia heri, veſperi tamen Mercurius per dimidiam lineam ſubſedit. Nox nubila, interdum decidente pluvia rara; Dies maxima ſui parte obſcura; poſt ſeptimam veſpertinam pluvia larga.

Anthus. *Febris tertiana continua.* §. Anthus 50. annorum, olim a *lue gallica* curatus, aliquandiu pauperiter vivens in alieno loco, & ibi in ſummo æſtu e puteo profundo frigidiſſimam bibens, in *febrim tertianam continuam* incidit, & ſic affectus huc delatus eſt. Viſitavi ipſum ſumme æſtuantem in medio paroxyſmo, delirum, tremulum. Duo *veſicatoria* imperavi, utriſque brachiis affigenda; *pulveres* ordinavi ſex horarum intervallo ex quolibet vehiculo ſumendos:

Rec. *Pulv. chin. chin.* ℨij. ♁. *diaph.* ℨj.
⊖. *abſinth.* ℨß. *ol. caryoph. gtt.* iiij.
M. F. 7. ℞.

In æſtu ſummo cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. borrag. acetoſ. rub. id. an.* ℥ij.
~♀. ℈ß. *ſir. berb.* ℨvj. *M.*

Vitet vinum. Bibat aquam, in qua panis toſtus madet, cujus ſingulis hauſtibus admiſceat *ſiruborum* cochl. j.

Rec. *Sir. rib. berb. ceraſ. acid. an.* ℥j. *M.* (d. 8. *Sept.*)

Neandri *filiola.* §. Neandri *filiola* morbi heſterni ne veſtigium oſtendit. Juſſi tamen conſumere ſenſim, quod heri ſcriptum fuerat. A *vermibus* provenisse

venisse puto, qui subitaneos ejusmodi & terrificos insultus excitare, eademque pernicitate recedere solent. XXXI.

§. *Filiolus* quoque Nisseti nec ullum hactenus *convulsivum motum* expertus est, vegetus hodie atque hilaris. Hos paroxysmos *dentitioni* adscribo. Nisseti *filiolus*.

§. Anthraculi *filiolus* hodie, quod prædixeram, mortuus est. Anthraculi *filiolus*.

§. Toparii *Filiolus* raro amplius *sternutat*. oculi lemis incrustantur, quas emollire jussi *illinitione croci in lacte materno soluti*. (d. 8. *Sept.*) Toparii *filiolus*.

§. Mulier quæ olim apud PLESII *filiolam* nutricis officio defuncta fuit, *febri tertiana*, diu laboravit; cujusdam denique consilio *portiunculas alii* quotidie deglutivit, & quidem ternis vicibus die prima portiunculas 71. altera 72. tertia 73. Remisit *febris*, succedentibus in ejus locum *colicis doloribus* acerrimis, cum *articulari morbo* æque dolorifico, ut *febrim* antiquam millies præoptarit, denique in quartanam incidit, qua cum adhuc conflictatur. *Ita haut raro remedia sunt morbo nocentiora*; ea potissimum, quæ superstitiosum quid redolent. Quid enim isti numeri? cum quantitatis, qua talis, neque continuæ, neque discretæ, sit ulla efficacia. Nutrix. *Febris tert. int.*

Sed & plures hodie medicationes egregias didici, centum boum mactatione dignas; *Panacæam* nimirum ad quosvis morbos infantiles, *urinam infantuli* caute exceptam, rursumque potui datam. Sic & contra *menses suppressos* infallibile secretum laudata fuit *urina patientis in aneam pelvim emissa, ibidemque donec viridescat, relicta, quaterque epota*. Observatum fuisse volunt, jam ante quartam potionem sanguineas strias urinæ commixtas. Legesis, quæ de *auturoposia* notavi ad *Ann. II. Dec. III. Eph. Cur. obs.* 116.

§. Avia (d. 29. *Aug.*) a *nephritico* dolore plane libera est. Non dubito quin *calculos* cum *urina* excreverit, quamvis per incuriam non observarit. Nam, *quicumque vomitu exercentur nephritici, nunquam non calculos mejere solent*. Præservationis fine commendavi jugem usum *pulveris nephritici* euporisti, toties jam allegati. (d. 17. *Sept.*) Avia. *Nephritis.*

§. Esmori *Filia* natu *major* cruenta dejicit magis quam unquam, continuo delirat. Multa queritur de dolore pedum lacerante, vesperi quoque de *torminum* augmento. At licet magis, quam per totum morbi decursum appetat, mihi tamen mortem non evasura putatur. Ob deje- Esmori *Filia major*.

XXXI. de lectiones noviter plus cruentas quatuor *pulveres*, priorum more sumendi, ordinati:

Rec. *Bol. arm. ppt.* 🜃. *sigill. an.* ℈ij.
nuc. mosch. ℥. *CC. ust. ppt. an.* ℈j.
ol. nuc. mosch. expr. gr. iiij. *M.*
F. 4. ℥.

Pedes mulceantur *linimento*:

Rec. *Ol. lumbric.* ♀. *camphor. an.* ℥j.
ess. anod. ʒj. *M.* (*infra.*)

Mosellani *Filiola. Tussis. Constipatio.*

§. Mosellani *minima* natu *filiola morbillos* non amplius habet; ut vero *tussi* cum *rhonchis* vexatur, & alvum habet constipatam. Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. acac. veron. rosar. an.* ℥iß.
conf. alk. c. ʒj. *sir. ros. solut.* ℥ß *M.*

Quocunque modo propinetur *sperm. cet. rec.* ℈j.

Jugeri *uxor. Symptomata hysterica.*

§. Jugeri *uxor* 40. annorum symptomatis *hystericis* graviter vexatur. *Clavo* in *capite*, *asthmate convulsivo*, *deliquiis*, terroribus ac tremoribus, ut *convulsiones* erupturæ timeantur: sumat ter in die gtt. xxv. *mixtura* ex vehiculo sequenti, etiam seorsim per cochlearia hauriendo:

Rec. *Liq. CC. succin.* ʒj. ♁⊖✱. *anis.* ʒß.
ess. croc. ℈j. *M.*

Rec. *Aq. veron. hyssop. card. bened. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ʒj. *bez.* ♃ *al.* ♁. *nat. ppt. an.* ℈j.
oxymell. squillit. ℥ß. *M.*

Capitis parti dolenti *unguentum alabastrinum.*

Stomachosus. *Accessus febrilis.*

§ Stomachosus, vir quinquagenarius, obesus, *sanguineo-cholericus*, heri cœpit horrere, cum insequente æstu, siti & oris amaritie: Pulsus magnus & celer, urina probe tincta. Narravit, se jam olim ejusmodi insultus passum, sed exhibito *vomitorio* statim levatum; ut igitur tale præscriberem, rogavit. *Obesis non libenter emetica scribo. Carnosos* HIPPOCRATES *magis per inferiora, quam superiora purgare jubet Aph. 7. sect. IV.* At vero, cum ex oris amaritie biliosum stagma sponte sursum moveri perciperem, ex eadem HIPPOCRATIS doctrina *Aph. 21 sect. I. naturam esse ducendam, quorsum vergit*, judicans, more meo *catharticum* ἀνωκατωτερικὸν ordinavi tale:

Rec.

XXXI.

Rec. *Tart. emet. gr ij. Crem. tart.* ℈j.
dacryd. gr. iiij. ol. mac. gtt. ij. M. pro 1. dosi.

Inter vomendum vero *analepticam mixturam* cochleatim præberi volui:

Rec. *Aq. menth. cinnam cydon. an.* ℥iß.
conf. alk. c. ʒß. *sir. cinnam.* ʒij. *M.*

Hoc facere consuevi, quoties a *vomitibus* nimium debilitatum iri vomentem prospicio. (d. 1. *Sept.*)

Ipsius *uxor* 46. annorum *dolore capitis*, me judice, *hysterico* affligitur, cui 10. *pilulas* ordinavi noctu ante somnum deglutiendas: Uxor. *Cephalæa hysterica.*

Rec. *Extr. bez.* CAMER *papav. comp. an. gr. iij.*
Zedoar. castor. an. gr. iij.
M. F. 8. pil.

Emulsio externa inserviat pro *frontali epithemate.*

Potus utrisque *aqua fontana* cocta, cui injecta crusta panis tosta.

Pomeridie hora secunda utrosque rursus adii. Maritum *purgatio* vehementer exercuit. Sumat noctu 6. *pilulas* ex *extr. bez.* CAM. & *papav. c. an. gr. iij.* *Uxor* autem, cum usque ad noctem sine medicina esse nollet accepit *mixturam* ad gutt xxx. sumendam ex quol. vehic.

Rec. *Elix. uter. Cr.* ʒj. *ess. anod.* ℈j. *M.* (d. 1. *Sept.*)

§. Halietoris *filiola* minima 14. circ. dierum vociferatione & eruptione crepituum ventris clarorum, *eructationibusque* sonoris *colicam flatulentam* se pati demonstrat. Ordinata jam aliquoties descripta *mixtura carminativa* cochleatim danda. Ter insuper in die gutt. iiij. ♁ ⊖ ✱. *anis.* ex quol. vehic. Abdomini calida inunctio ter ad minimum pro rei exigentia in die repetenda: Halietoris *filiola minima.* *Colica flatulenta.*

Rec. *Ungu. anod. alth. an.* ℥ß.
ol. chamom. ʒij. *carv.* ℈j. *M.*

§. Lactistis *filio* 25. annorum ad *hecticam* prono, *tussiculoso* & tamen vultu semper roseo prædito, cum alibi locorum moraretur, d. 30. *Martii*, ordinavi ternum indies *haustum decocti pectoralis*, & in quovis pastu cochl. ij. *gelat.* ex *an. ras. CC. & ebor.* in scutella juris carnium soluta. Hinc bene habuit. Nunc autem domum rediens denuo *tussit*, æstuat, aliquantisper anhelat, & cumprimis queritur, a levissima frigidiusculi 🜁is admissione statim *tussim* excitari, non quidem plane siccam, sed nec tamen ita, uti vellet, humidam. Iterum suasi usum *decocti* Lactistis *filius.* *Metus hectica.*

XXXI. *cti pectoralis & gelatinæ*, simul autem volui ut cum matutino & nocturno illius *decocti* haustu assumeret gtt. xxv. *mixturæ*:

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ℨiß. ℞. *croc.* ℨß. *M.* (d. 1. *Oct.*)

Esmori *major filia.* §. Cum Esmori *major* natu *filia* hac vespera non tantum cruenta in maxima copia excerneret, sed perpetuis quoque ejulatibus *torminum ventris insignissimorum* testimonia daret, ordinavi haustulum nocturnum:

Rec. *Pulv. lap. hæmat. sang. Drac. ver. an.* ℈ß.
sir. papav. a. aq. plantag. an. ℨiij. *M.*

Venter ungatur *unguento de hyoscyamo.* (d. 1. *Sept.*)

Æthiopis *filia.* §. Æthiopis *filia* noctem tolerabiliter transegit, raro dejecit, dies fuit mediocris. Repetatur noctu *theriaca c. laud. op.* Bibatur *emuls. amygd.* Appetitu fertur ad *elixatas gammaros.* Invitus concessi ob rationes jam adductas. (d. 1. *Sept.*)

Tigurinus. §. Tigurinus a *cathartico* suo non nisi quater dejecit. Cætera sibi restitutus videtur. (d. 1. *Sept.*)

SOLI DEO GLORIA!





J. N. J.

ETEODROMI
MEDICO-PRACTICI
LENTILIANI.
MDCCIX.
SEPTEMBER.

I. I.



MErcurius iterum in tertia linea quarti gradus; liquor *thermometri* qualis per aliquot dies, hodie vesperi tamen quartum gradum attigit. Tota nox pluviosa; dies varia, nunc serena, nunc interspersis pluviolis nubila.

§. Intermiseram heri commemorare, me vocatum fuisse ad SEBÆ *Filiolum* minimum biennem *variolosum*, hactenus a GNOMILEGO, nunc absente, curatum. *Variolæ* retrocedere videntur, & livere, hinc *asthma*, cum præcordiorum anxietate, & languore summo, *pavoribus* tendinumque in carpis subsultibus, pulsu debili ac celeri. Data *mixtura* cochleatim: Seba. *Variolæ retrocedentes.*

Rec. *Aq. fl. til. fumar. an. ℥ij. epil. L. ℥ß.*
liq. CC. succin. pulv. march. an. ℈j.
lap. bez. occid. ℈ß. sir. fl. pœon. ℥ß. M.

Vertex, nucha, tempora ungantur *balsamo cephalico* consueto. Hodie melius habet, hilarior est, liberius spirat, *variolæ* vividiores. Pergendum

I. dum igitur cum heti ordinatis, donec GNOMILEGUS rediens, quæ facto ſint opus, edoceat.

Esmori *major filia.* *Dyſenteria.*

§. Esmori major natu *filia* noctem miſerrime transegit. *Hauſtulum* heri præſcriptum aſſumere detrectavit. Per noctem ejulatus continui, *deliria*, dejectio cadaveroſiſſima: vires valde languidæ; nonnunquam deliquia. Convaleſcentia non tantum non ſperatur, ſed nec optatur amplius.

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *cinnam. cydon.* ℥j.
conf. alk. c. ʒß *ſir. fl. tun.* ʒiij. *M. D. cochleatim.*

Cum reliquis. v. gr. *pulvere*, pergatur. (d. 5. *Sept.*)

Stomachoſus. *Febris continua.*

§. Stomachoſus noctem placide tranſegit, hodie ſe vegetum ac omnino ſanum eſſe putat, ſed ventriculum arbitratur a medicamento *cathartico* debilitatum, & eructationes quoque hinc fieri autumat. Pulſus adhuc *caloris præternaturalis* indicia præbet. *Venæſectionem* a me flagitabat, ſe enim illi aſſuetum eſſe. Recuſavi hodie, quod heri demum fortiter *purgatus* fuiſſet: naturam enim, ſine urgente neceſſitate, tot ſimul generoſis evacuationibus arietari nolle. Ordinavi *mixturam* cochleatim ſorbendam:

Rec. *Aq. menth. aniſ. an.* ℥iiß.
cinnam. cydon. ℥j.
♁. *diaph. CC. philoſ. an.* ʒß.
conf. alk. c. ʒß. *ſir. cydon.* ℥ß. *M.* (d. 2. *Sept.*)

Uxor ipſius, quum heſternam medicinam *catharticam* marito tam bene ceſſiſſe vidiſſet, non ceſſavit urgere donec eandem & ſibi præſcriberem, ſe enim abundare multa *bile*, os ſemper amareſcere, nec ſe convaleſcere poſſe, niſi voti participem factam. Cum nimium urgens contraindicatio nulla adeſſet, ordinatus denique *pulvis*:

Rec. *Tart. em. gr.* ij. *Crem. Tart.* ℈j.
dacryd. gr. ij. *ol. mac. gtt.* j. *M.*

Et, cum *aquas deſtillatas* nullatenus ſe pati poſſe affirmaret, inter vomendum refectionis gratia ſumatur quantitas fabæ de *confectione*:

Rec. *Conſ. fl. tun.* ʒij.
conf. alk. inc. diacinnam. Reg. Mynſ. an. ʒß. *M.* (d. 5. *Sept.*)

Bacillius. *Febris continua.* *Nephritis.*

§. Bacillius 36. annorum vir, macilentus, ante biennium *pleuriticus*, a me, DEO dirigente, curatus, nunc ante biduum, prævia laſſitudine, horret, hinc æſtuat, ſitit, ex capite dolet, nil appetit, de dolore lumborum & *urinæ difficultate* quæritur; pulſus eſt celer & magnus. Aliquando fuit *nephriticus*. Nondum ſatis ſcio, an nephritis ſit ſympto-

pro-

ptoma *febris continua*, an hæc, uti fieri solet, *nephritidem* excitavit. Anhelat quoq; & eructat, nondum tamen evomit. In hac incertitudine mente ad plures scopos directa, duos ordinavi pulveres, quorum unus adhuc antemeridie, alter noctu ante somnum, utriq; cum *aqua panata* sumantur: I.

Rec. *Oc. ♋. ppt. test. ov. calcin.*
diaph. ♂al. an. ℈j. ol. anis. gtt. ij.
M. F. 2. pulv.

Cochleatim simul præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. fœnic. fragor. an. ℥iij.*
Tart. ⊖✱. anis. an. ℈j.
sir. fragor. ℥ß. M.

Lumbi calide aliquoties ungantur:

Rec. *Ungu. alth. ʒvj. ol. scorp. ʒiij. M.* (d. 7. *Sep.*)

§. Pannoniu parum profecit cum 30. *Aug.* ordinatis. Dolores valde intensi propemodum omnes articulos occuparunt, & *arthritis* pene universalis adest: sitis inexhausta, inquietudo, *vigiliæ, &c.* Lingua est scabra, aspera, sicca, deglutitio difficilis, interdum delira loquitur. Ordinata *emulsio* tripartienda, cujus una pars statim, binæ reliquæ trium horarum intervallis sumantur; Pannonius, *Arthritis.*

Rec. *Sem. melon. papav. a an. ʒiij.*
aq. fl. paralys. rosar. an. ℥iij.
F. l. a. Emulsio: add.
oc. ♋. ppt. succin. a. ppt. an. ʒß.
sir. fl. paralys. ℥ß. M.

Noctu ante somni tempus deglutiantur sex *pilulæ* grani unius pondere ex an. *extr. bez. & papav. comp.* Utrisque brachiis *vesicatorium* unum affigatur. (Cum *febris* continua simul adsit) Os reficiatur *passulis* minoribus in an. *vini & aq.* font. per cocturam tumefactis. Paretur a Chirurgo *Gargarismus.* (d. 7. *Sept.*)

§. Zegnemintana *ferinas balneas* aditura petit *tragema*, quo post quamlibet lotionem cum pane tosto & modico vini uti posset: Zegnemintana. *Tragema ad ferinas.*

Rec. *Spec. diacr.* MYNS' *℥j. pulv. cach.* qu. *inc. ℥ß.*
trag. arom. offic. ℥iij. elæos. mac. ℥j. M.

Non semper necessaria sunt ejusmodi *tragemata*? Sed hæc mulier stomacho debili est prædita, phlegmatica, catarrhosa.

§. Tigurino post nuperam *purgationem* ad *bilem* ulterius refrenandam, ructus nidorosos supprimendos &c. ordinavi gtt. xxv. *mixturæ* mane & pomeridie ex quolibet, modo non spirituoso, vehiculo sumendas: Tigurinus, *Anorexia biliosa.*

Rec.

I. Rec. ♁. dulc. *sir. fl. tun. an.* ℥iß. *M.*

Addito tali *sirubo* acrimonia *spiritus* per dulcificationem cum ∇. infracta adhuc mitior, gustuque suavius medicamentum, redditur. Noctu quantitas juglandis accipiatur de *electuario* :

Rec. *Conf. acetosell.* ℥ij. *pulp. tamarind.* ℥ß.
Cryſtall. Tart. antihect. Pot. an. ℥ij.
pom. citr. conquaſſ. n. j. *M. D.*

Æthiopis *filia.* *Dysenteria.* §. Æthiopis *Filia*, crebrius quidem adhuc dejicienti, sed pravis cæteroquin nullis symptomatibus afflictæ, peregre profecturus, ordinavi *electuarium*, quantitate castaneæ singulis 4. horis sumendum:

Rec. *Conſ. roſ. r. antiq. ſymphyt. an.* ℥j.
miv. cydon. ℥ß. *gumm. ceraſ.* ℈j.
lap. hæmat. ppt. croc. ♂. *adſtr. an.* ʒß.
ſem. hyoſcyam. ℈ij. *ſir. e. roſ. ſicc. q. ſ. F. Elect.*

Cum externis & ordinario potu pergatur. (d. 5. *Sept.*)

Helinia. *Febris.* §. Cum Helinia a 30. *Aug.* ordinatis multo mitius, quam ante *febricitet*, nec tamen *febri* plane renunciavit, medicamenta semel proficua experta repetere jussi (d. 6. *Sept.*)

II.

II.

CUm hodie summo mane mihi abhinc equis celeribus proficiscendum fuerit, in locum 7. milliaribus STUTTGARDIA distantem, *barometricæ* & *thermometricæ*, observationes, usque ad felicem, ita volente DEO, reditum, ut ferientur necesse est.

Stomachosus. *Febris continua.* §. Antequam hinc abire possem, excitabar a somno hor. 2. post medium noctis & vocabar ad Stomachosum. Heri noctu novus horror eum impetebat cum insequente propemodum intolerabili æstu & præcordiorum anxietate. Rogabat per DEI misericordiam, ut *venam* pertundere liceret, se suammet naturam optime nosse, sanguine abundare, & olim in militia versantem unicum in hac solatium reperisse; malle se eam me adhuc præsente, quam aliorsum præfecto celebrari. Pulsus erat revera magnus & celer, venæ funiculorum ad instar tumebant, oppressio erat circa præcordia &c. Dicto audiens e mediana sinistri sanguinis circiter ℥vj. extraxi, ipseque statim se levari sentiebat. Interim ordinati a me *pulveres* terni *præcipitantes* sex horarum intervallo summendi:

Rec. ♉. *diaph. CC. philoſ.*
⊕. *pp. an.* ʒß. *M. F.* 3. ℞.

Vehi-

Vehiculum, seorsim quoque per cochlearia sumendum, tale fuit: II.

Rec. *Aq. card. ben. acetos. rub. id. an.* ℥ij.

mixt. simpl. ℈ij, *sir. acetos. citr.* ℥ß. *M.*

Aquæ crusta panis tosti conditæ singulo haustui addatur unum cochlear *mixturæ sirruborum* alterantium:

Rec. *Sir. rub. id. berb.*

ceras. acid. cydon. an. ℥iß. *M.* (d. 5. *Sept.*)

Mane hora quarta, sub ANGELICO comitatu, profectus sum, cœlo mediocriter sereno, sed via existente valde lutosa. Pomeridie hora rursum quarta feliciter in eo, quem mihi destinaveram loco, appuli. In via notabile nihil vidi, nisi excidium flebile arborum frugiferarum, cum primis excelsissimarum *juglandium*, quod passæ sunt ab inclementia præteritæ hiemis, damno per unius hominis ætatem non reparabili. Præterea mœstis oculis vineas contemplabar, pampinos quidem & folia tenera sed præterea nihil, conspiciens. Domi meos ægros commendaveram curæ GNOMILEGI, si qui meum expectare reditum non possent.

Patiens meus HYGIOLITHUS, Vir 55. annorum, obesus, sanguineo-phlegmaticus, ante quinque circiter hebdomatas *intermittente febri* laborare cœpit, cujus typus non admodum constans erat. *Febri* fere rursum evanida successit *diarrhœa*, & inappetentia ad omnes cibos. Datum a *Medico infusum* e *stomachicis*, *amaricantibus* & simul *blandissime laxantibus* intentione optima. *Diarrhœa* non tantum aucta fuit, sed recrudescebat simul calor præternaturalis, vires adeo frangebantur, ut languidior, quam unquam, decumberet, ac pessimæ notæ signum, *singultus*, miserum noctes, diesque indesinenter fatigaret. Opposita huic pessimæ notæ signo varia tremendum symptoma leniverunt quadamtenus, non sustulerunt.

Hygiolithus.

Febris.

Diarrhœa.

Singultus.

Accedens virum; Amicum meum intimum, adeo languidum & morosum quasi inveni, ut mecum loqui aut nollet, aut non posset, quod mihi valde displicuit, quippe ominosum mihi visum, quod ab antiquo HYGIOLITHO plane alius esset. Pulsus erat celer & languidus, *urina lixiviosa*, sitis parca, cor oppressum & anxium, jactationes crebræ, *diarrhœa* & adhuc *singultus*: mens tamen constabat. Noctes totas vigilabat, de nullo dolore querens. Ea vespera & nocte, fateor, spem omnem pene convalescentiæ me penitus abjecisse. Recordabar quidem *Aphor. 41. f. VII.* HIPPOCR. *si senioribus ultra modum purgatis singultus accidat, non bonum.* Sed hic ultra modum *purgatus* non erat. Quid si, ratiocinabar, hic *singultus* esset ex *inflammatione hepatis*, juxta *Sect. dictæ Aph. 17*? Nam

II. de recidiva *febris*, & quidem ex *intermittente* in *continuam* mutatæ, non dubitabam. Quod olim jam in *singultu febris continua* comite saluberrimum expertus eram, & hic ordinavi, nempe *pulverem* ex potu ordinario sumendum:

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. ℈j. *bez. ♂al.* ℈ß.
ther. cœl gr. j. M.

Cochleatim sumatur *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag. scord. rub. id. an.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥ß.
conf. de hyac. ʒj. *sir. e ros. sicc.* ʒiij. *M.*

Pro duabus dosibus nocturnis inserviat sequens *emulsio*:

Rec. *Sem. melon. papav. alb. an.* ʒiiß.
burs. pastor. ʒj.
aq plantag. rub. id. an. ℥iij.
M. F. l. a. Emulsio.

Cum linguæ non minima scabrities & siccitas adesset, pro ejus humectatione cochleatim ordinata *mixtura*:

Rec. *Mucilag. e sem. cydon. c. aq. plant. extr.* ℥j.
sir. violar. mell. rosat. an. ℥ß. *M.*

Ad vires reficiendas de *electuario* quantitas nucis moschatæ subinde deglutiatur:

Rec. *Cons. acetosell.* ℥ß. *carn. citr. cond.* ʒiij.
conf. alk. c. spec. cord. temp. an. ʒj.
sir. acetos. citr. q. s. M.

Bibat *emulsionem amygdalarum* (d. 3. *Sept.*)

Jaculator. *Febris tertiana intermittens.*

§. Jaculator, Vir 65. annorum, jam duos paroxysmos *tertianarios* sustinuerat, comite simul, quamvis levi, *diarrhœa*. Sitis erat modica, vires adhuc robustæ. Cras mane deglutiat *electuarium*:

Rec. *Pulv. Cornach.* ʒß. *elect. cathol.* ℥ß.
M. pro 1. dosi.

Rec. ♁. *diaph. conch. ppt. CC. ust. ppt.*
Oc. ♋. *crud. cont. fl.* ⊖✳. ⊖. *abs. an.* ℈j.
ol. caryoph. gtt. iiij. M. F. 4 ℥.

Unus adhuc hodie, alter cras noctu, reliqui duo perendie, mane & pomeridie cum quolibet vehiculo sumantur; cochleatim simul propinata tali *mixtura*:

Rec. *Aq. cichor. ceras. n. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒß. *sir. acetos. citr.* ℥ß. *M.*

Inter-

Interrogabat, annon *acidulas* bibere liceret? Recusavi, quod adesset simul *diarrhœa*; commendavi potius *decoctum hordei*, cum *sem. anisi, CC. usto* & pauxillo *cinnamomi*: II.

§. Hygiolithi *filiola* 3. annorum jam per aliquot dies *dysenteria*, licet non admodum vehementi, laborabat. Singulis 4. horis dentur 2. cusp cultr. de *polline* sequenti, ex adjecto vehiculo, etiam alias cochleatim hauriendo: Hygiolithi *filiola*. *Dysenteria*.

Rec. *Coral. r. ppt. ▽. sigill. bol. arm. ppt.*
gumm. arab. an ℈j. sacch. penid. ʒj.
ol. nuc mosch. expr. gr. ij. ther. cœl. gr. j. M.

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an. ℥ij.*
cinnam. cydoniat. ℥ß.
conf. de hyac. ʒß, sir. myrtill. ʒiij. M.

Venter frequentius calide ungatur:

Rec. *Ungu. anod. comitiss. an. ℥ß.*
ol. cydon. mastich. an. coct. ʒij. M.

Bibat *emulsionem amygdalinam*. (d. 3. Sept.)

III.

HYgiolithus præter spem & opinionem nostrum omnium hanc noctem satis tolerabiliter transegit. Ter circiter alvum deposuit, & *singultus* multum quievit. Promtius etiam ad interrogata respondebat, & sui similior evadebat. Et cum comperissem, post præcedaneam *febrim*, remittente omni æstu, ipsi a *Medico* concessum fuisse, ut panem biscoctum semel aut bis in die vino veteri imbutum assumeret, ipsum hac licentia abusum panis vino ebrii quantitatem nimiam infercisse, cætera ne juris quidem calidi guttam, multo minus quid aliud esculenti admisisse, in eam opinionem deveniebam, *singultum* hunc fuisse ex *inanitione*, juxta *Aph. 39. sect. VI.* Domum igitur abiturus, consilio cum *Medicis* inito, sequentia disponebam: Singulis quatuor horis sumatur unus e *pulveribus*: III. Hygiolithus. *Diarrh. singult.*

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. *ʒj.*
♁. nat. ppt. bez. miner. myrrh. r. an. ℈j.
ther. cœl. gr. iiij. M. F. 4. ℞.

Emplastrum ex *fermento pistorio*, & *theriaca* cum *nuce moschata* scorbiculo cordis, frequenter renovandum, applicetur. Noctu *pilulæ* sex cum reliqua medietate *emulsionis* hesternæ deglutiantur:

Rec. *Extr. bez. castor. ther. cœl. an. gr. ij.*
bals. de TOLU *vel* PERUV. *q. s. F. pil. n. vj.*

Sin-

III. Singulis horis cochl. j. assumatur de *mixtura*:

Rec. *Vin. cydon.* ℥ij. *aq. mastich. cinnam. cydon. an.* ℥j.
extr. Zedoar. gr. viij. *ol. aurant. gtt.* viij.
℞. castor. ʒß. *laud. op. gr.* ij. *sir. cydon.* ℥j. *M.*

Cum *cataplasmate* vel *emplastro* semper pergatur, vel, si hoc non sufficere videatur propter *singultum*, adhibeatur sequens:

Rec. *Ferment. acerr.* ℥iij. *pulv. menth. cr.* ʒvj.
sem. cumin. carv. anis. an. ʒij.
nuc. mosch. n. j. *ther.* ANDR. ʒj. *M.*

Si forte, post meum discessum, calor augeatur & *delirium* adsit, aliquoties detur *electuarium* pro 1. dosi per se:

Rec. *Diascord. Frac.* ℈ij. *ther. cœl. gr.* ij.
♁. *diaph. CC. philos. an. gr.* xv. *M.*

Tunc etiam *camphorata* adhibeantur & *vesicatoria* affigantur. In statu convalescentiæ victus instruatur *analepticus*. Utatur *gelatina CC.* & *ebor.* simpliciter parata, & *elect. resumt.* GERHARDI. Tota hæc dies egregie transacta; parum *singultiebat*, nisi ab hausto potu aliquoties. Discurrebat, licet non aliquam multa. (d. 4. *Sept.*)

Mechraxius. *Febris tertiana interm.*

§. Mechraxius, vir 27. annorum jam ter *febricitavit* typo *tertianæ intermittentis*; Accersebat me, & dicebat, sibi perendie FRANCOFURTUM esse proficiscendum, petere igitur, ut quantocyus se a *febre* liberarem. Respondi, penes me non stare, ut salvos præstem ægrotantes hora vel die præstitutis. Deglutiendum esse & sperandum. Dedi *pulverem anocatotericum* mihi consuetum. *Pilulæ* duodecim grani unius pondere singulis 6. horis cum quolibet frigido vehiculo sumantur:

Rec. *Extr. cort. peruv.* ʒj. *gentian.* ʒß.
diaph. ♂*al.* ℈ij. *ol. caryoph. gtt.* iiij.
bals. peruv. q. s. F. pil. pond. gr. ij.

Cum primo vini haustu in quolibet pastu sum. gtt. 50. *mixturæ*:

Rec. *Ess. absinth. comp. trifol. fibr. an.* ʒiij. *M.*

Hygiolithi *Filiola*.

§. Hygiolithi *filiola* noctem non male transegit, parum dejecit, hodie rursum cum appetitu non nullo comedit. Pergatur cum medicamentis. (d. 4. *Sept.*)

IV.

IV. Hygiolithus.

Hygiolithus hanc noctem optime transegit, parum dejecit, non nisi quid pharmaci, vel juris, vel potus assumendo, parum *singultivit*. Hac tota die, discurrentes alios audivit, & multa diversis de rebus ipse loque-

loquebatur. quod etiam intra quatuordecim dies non factum, ipse spontaneo appetitu ferebatur in *pulticulam* ex *ovis cum butyro* confectam (Eyer-Brey) cujus etiam portionem non pœnitendam cum voluptate assumebat, sic, ut spem convalescentiæ non macilentam conciperemus. Tunc etiam accersebat pandocheum quendam, ipsique curam me domum revehendi committebat, ac rogabat, ut, si quid delicatum in diversorio suo haberet, ipsi transmitteret, cum appetitum redire sentiret. Interim me summopere rogavit, immo per DEUM & amicitiam veterem conjuravit, ut hanc unicam adhuc diem largirer, visurus, an in convalescentiæ tramite constanter sit incessurus. Ægerrime consensi, cum domi haberem, qui me desiderarent. Attamen, quod sumtus non paucos in hoc iter impedisset, fiduciamque in me tam firmam collocasset, vinci me denique passus sum. *Pulveres* consuetos repetere jussi; haustulum *vini cydoniorum* interdum concessi, &, cum *emplastrum stomachicum* a quolibet etiam levi corporis motu sede sua moveretur, jussi cruciatim duo frustilla *emplastri catagmatici* superimponere, sicque firmare. Porro invitatus a pluribus amicis nusquam tamen, nisi apud ægrotum meum, pransus sum ac cœnavi, ut totus illius essem, in cujus gratiam sumtibus non parvis accersitus eram. Nec tamen qui consilium meum exquirerent, alii defuerunt. (d. 11. *Sept.*) IV.

Recemni *uxor.* *Passio hysterica.*

§. Recemni *uxor* quinquagenaria a juventute *hystericis insultibus* vehementer obnoxia, cumprimis illis, qui genus *nervosum* infestare solent, a multis *Medicis* multa hinc inde conquisivit consilia, quorum aliquibus parvo, nonnullis noxio, multis nullo cum effectu usa fuit. Maxime infestatur *ructus acidissimis*, dentes quoque stupefacientibus, *clavo hysterico* fere perpetuo, unde quoque visus debilitatem contraxit, *palpitatione cordis*, nunc *diarrhœa*, nunc *alvo constipata*, *fluore albo* muliebria excoriante. Appetitus est firmus, &c. Cum omnia *Medicorum* scrinia jam expilarit, suasi, ut *antacido* mihi hactenus efficacissimo experto, *magnesia* nempe *alba* methodice uteretur, incipiendo mane cum ℈j. per quatriduum ita continuando, postea per 14 dies ℈iß. assumendo, denique per quatriduum iterum ℈j. deglutiendo & ita finiendo. De hac *magnesia* alibi, ni fallor, plura dixi, hic non repetenda, præter eo solo, quod hactenus *alcali* nullum mihi obvenerit, majorem *spiritus mineralis acidi* portionem destruere valens quam hæc *terra* ⊕ *fixa*. De hac extat *Disputatio* elegens ZWINGERI *Basileæ* An. 1708. habita, circa finem.

Polemon. *Abauditio.*

§. Polemon, Vir quadragenarius, jam ab aliquo tempore *ob-*

IIII. *auditionem* cum *susurris* patitur, absque *cephalaa*: contraxisse se putat ex itinere tempore pluvioso suscepto, Jam *purgavit.*

Rec. *Rad. imperat.* ℥ß *pyrethr.* ʒiij.
mastich sel. ʒv. *sem. staphid. agr.* ʒiij.
cubeb. ʒij. *caryoph. arom.* ʒj.

E conc. cont. mane formetur cum linteo *nodulus* instar avellanæ majoris & masticetur tamdiu, donec sputum excernere desinat,

Turunda bombacina *olei* sequentis aliquot guttis imbuta interdiu per dimidiam horam, & postea per totam noctem *auri* immittatur;

Rec. *ol. amygd. amar.* ʒj. *succin. gtt. iiij. M.*

Filiola, *surdastra.* Narrabat etiam de *filiola* sua sexenni, ipsam nempe a morbo diuturno prægresso tei vere animam egisse, sic, ut neque *Medicus*, neque quisquam adstantium ipsam ad se redituram ullo modo cogitarit. Ab eo tempore puellam esse surdastram, & nihil, nisi per magnos chamores, percipere. Parum mihi spei superesse dixi in puella a *pharmacis* internis plane abstemia. Jussi tamen *herbam cardui benedicti*, *cum vino rubello* coquere; colaturaque expressa *nodulos bombacinos* calide macerare, auribusque dies noctesque immittere. Si hoc non juvet, eodem modo applicetur sequens:

Rec *Aq. card. bened.* ℥j. ⊖. *fraxin.* ʒß.
∾. *ceras. n.* ℥ß. ⊖✱ *gtt. xx. M.*

Quodsi aurim aliquando suppurari viderint, pure prius per aliquot tempus fluere permisso denique utendi modo plane simili applicent medicamentum sequens:

Rec. *Mell. rosat.* ℥ß *croc.* ♂. *adstr.* ʒj.
ol. succin. gtt. iiij. M.

Si nec inde quid auxilii, ad *setaceum* deveniendum,

Chalcei *uxor.* *Intemperies hepatis calida.* §. Chalcei *uxor* 23. annorum, 2. liberorum mater, macilenta, vultu roseo prædita, nunc a multo jam tempore conqueritur de *phlogosibus* & æstu corporis cum siti, *alvique* molestissima *constipatione*. Siccitas oris perpetua, sic ut labia findantur; alvi excrementa esse siccissima, & non nisi cum dolorifico nixu quasi exprimenda dicebat. Intemperiem hepatis calidam, vel certe sanguinem sufficienti sero quacunque ex caussa destitutum incusans, commendavi curam *seri lactis caprilli* per 3. vel 4. septimanas methodice usurpandam; incipiendo mane cum 3. scutellis, & quotidie cum una adscendendo ad sex scutellas, (si tot sine magno incommodo bibere possit.) Sex illis scutellis insistat per 14. dies,

IV.

dies, hinc rursum descendat quotidie per unam scutellam, donec tribus curam absolvat. Pomeridie tres scutellas a principio ad finem curæ hora tertia bibat. *Seri lactis* mensuræ uni incoquat *flor. acac. m ß.* Si una post potum matutinum hora alvus non succedat, quantitatem nucis juglandis minoris de sequenti *electuario* sumat:

Rec. *Elect. cathol.* ℥j. *pulp. tamarind. passul. an.* ℥ß.
conf. alk. inc. ʒj. *M.*

Absoluta hac cura bis in die cochlearia 2. *gelatinæ* ex *an. ras. CC.* & *ebor.* Simplicissime cum aqua fontana paratæ, liquescere sinat in juscu-lis & calide sorbeat, diu continuando. Mane quoque & noctu ante somnum cusp. 3. cultr. de *pulvere* sequenti per se adsumat:

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. ℥j.
diaph. ♂ *al.* ♃ *al. an.* ʒiß.
elæosacch. mac. ℥j. *M.*

Vitet *aromatica*, calida, nimium exsiccantia. Bibat vinum lymphatum *decocto passularum cinnamomisato.*

Hygiolithi *filiola.* *Dysenteria.*

§. Hygiolithi *filiola* adhuc *dysenterica pulverem* d. 2. *Sept.* ordinatum consumsit, quem ita, pergendo cum reliquis, mutari volui:

Rec. *Coral. r. ppt.* 🜃. *sigill. bol. arm. ppt.*
♁. *diaphor. an.* ℈j.
ol. NM. expr. gr. iiij. *ther. cœl. gr.* j.
sacch. penid. ʒj. *M.*

Usus, qui prioris.

Hygiolithi *filius.* *Febris quartana.*

§. Hygiolithi *filius* natu major 16. annorum nuper laboravit *febri quartana intermittente*, quæ ipsum jam ante octiduum reliquerat. Hodie denuo, prævio satis atroci frigore, novum paroxysmum *febrilem* passus est, quem rursum quartanarium futurum signa consueta innuunt.

Rec. *Tart. emet. gr. iß. Crem. tart.* ℈j.
dacryd. gr. iij. *ol. mac. gtt.* j.
M. pro 1. *dosi.*

Rec. *Ess. cort. peruv. trifol fibr. an.* ʒij.
ol. caryoph. gtt. ij. *M.*

Mane, pomeridie & noctu dentur guttæ xxx. ex quolibet vehiculo, non obstante, si paroxysmus adsit, vel desit.

V. V.

HOra tertia matutina, patiente meo valere jusso, tutaminique divino commendato (quem talem reliqui, ut meliorem optare non potuerim) reditum ad lares domesticos paravi, & hora tertia pomeridiana salvus rursum ac incolumis, per DEI gratiam, hic appuli. Vesperi Mercurium meum reperi in prima linea quarti gradus, liquorem *thermometri* fere in dicto gradu. Dies interdum serena, maxima tamen sui parte insigniter pluviosa.

Esmori *major filia.* *Dysenteria.*

§. Esmori *Filiam natu majorem* (d. 1. *Sept*) meliorem in suo genere, quam dimiseram, reperi, quamvis non in eo statu, qui convalescentiam qualicunque modo polliceri poterat. Jussi pergere cum medicamentis hactenus a CHEMONIO ordinatis. Reliqui bini omnino convaluerant. (d. 6. *Sept.*)

Æthiopis *Filia.*

§. Æthiopis F*ilia* (1. *Sept.*) tempore meæ absentiæ vario modo habuit, ac interdum creberrime, cruenta semper intermixta, dejecit, cum magnis *torminibus*. Hac nocte deglutiat *pilulas* octo pone sequentes cum potu ordinario:

Rec. *Extr. bez.* CAM. *torment.*
castor. papav. comp. an. gr. ij.
M. F. 8. pil. pro 1. dosi. (d. 7. *Sept.*)

Tigurini *filiolus.* *Symptomata ebrietatis.*

§. Tigurini *filiolus* medius 6. annorum (23. *Mart.*) heri, nemine advertente, *vini rubelli* copiam pro hac ætatula non pœnitendam (immo fere pœnitendam) cum pane bis cocto absumsit. Ortus inde per totam noctem insignis corporis æstus, & mane *vomitus* cum *dolore capitis* vehementi. Vocabant me adhuc absentem; sed cum post reditum meum accursarem, ipse crapulam interim edormierat, & vegetus erat. Non inane est SUEVORUM proverbium: *pueros ante decennium ne quidem scire debere, quid sit vinum?* *Lactentibus* tale quid propinare plane frivolum est, vinum enim, qualecunque sit, acore suo lac coagulare aptum natum est. Hinc plane falluntur Parentes, & infantum curatrices mulierculæ, quæ nonnumquam tenellis vinum præbent, ut facilius *dentiant*. Quæso, quam connexionem habet *dentitio cum vino*? Credo mulieres illas sub hoc prætextu sibimetipsis prospicere, nempe, ut occasionem sic nanciscantur unum & alterum pocillum vini clanculum exhauriendi. Nos cum MOEBIO facimus, *Instit. lib. IV. Part. I. cap. 3. p. 445.* dicente: *Vinum infantes & pueri non bibant.* PLATO *II. de legib.* severitate disciplinæ SUEVOS anteit; cum, *lege sancimus*, ait, *ut puer, usque ad annum duodevigesimum, vini usum prorsus ignoret. vid.* quoque CREGUT. *de morb. infant. th. 16.* & cum-

cumprimis SACHS, *Ampelograph. p. m. 256.* & peculiari capite PRIMEROS. *de vulg. error. lib. III. cap. 16.* V.

§. Stomachosum (d. 2. *Sept.*) reperi *febre continua* vera cum *uxore* (d 1. *Sept.*) laborantem, quibus interea GNOMILEGUS prospexerat. Hodie nil addidi, nisi ut uxori, pro refectione oris sicci aliquid petenti scriberem *electuarium*, interdum ad *myristicæ nucis* quantitatem degluti-endam: Rec. *Conf. acetosell.* ℥ß. *carn. citr. cond.* ʒiij.
conf. alk. inc. ʒj. *spec. cordial. temp.* ʒß.
sir. acetos. citr. ʒiij. *M.*

Stomachosus & *uxor.*

Cæterum *purgans* d. 2. *Sept.* dictæ mulieri præscriptum ex sententia operatum est, nisi quod ob *vomitionem* fauces quasi laceratas quereretur: Cum interna in hunc finem nollet, saltem foris collum investiri jussi *emplastro de meliloto*:

§. Siderolithi *uxor* (7. *Aug.*) quæ hactenus se gravidam esse existimavit denuo aliquid *fluxus uterini sanguinei* sentit, quamvis parum. Jussi, ut, quantum possibile, immota jaceret, crastinumque expectaret.

Siderolithi *uxor.* *Fluxus Mensium.*

§. Nerizii *Filia* 16. annorum heri horruit, æstuavit postea sitivit, appetitus prostratus: me absente GNOMILEGUS medicamenta contra *febrim continuam* ordinavit, quibus cum pergere jussi, donec morbus ulteriore decursu, quid facere conveniat, indicaturus sit. (d. 3. *Sept.*)

Nerizii *filia.* *Febris continua.*

VI.

VI.

MErcurius usque ad ultimam quarti gradus lineam adscendit, immo dictum gradum vesperi superavit. Liquor *thermometri* mane infra quartum gradum constitutus, ad medium dicti gradus vesperi descenderat. Nox erat mediocriter serena, Dies varia & frigidiuscula.

§. Stomachosi & *uxoris* curam ipse rursum suscepi. Marito 4. *pulveres* ordinati, quorum unus singulis 6. horis cum potu ordinario sumatur, non neglecta mixtura GNOMILEGI cochleatim sumenda:

Stomachosus.

Rec. *Spec. diacr. Myns.* ʒiß. ♁. *diaph.* ʒß.
M. F. 4 ☿.

Ejus *uxori*, una cum *continua febri*, *hystericos* quoque insultus patienti 2. *pulveres*, quorum unus ante-alter pomeridie sumatur, ordinati:

Uxor.

Rec. *Bez.* ♃ *al. cryst all. ppt.*
♁. *nat. ppt. an. gr. xviij. M.*

VI. Valde sitiebat. *Alvus* jam a triduo *constipata*. Dolebat ex *stomacho*. Suasum *suppositorium* & cibus laxans, pulticula nempe e pomis cum passulis & semine anisi cocta. *Passulæ* cum an. *aqua & vini cocta* ac tumefactæ in serviant ori humectando. Stomachi regio delibuatur *linimento*:

Rec. *Ungu. pomat.* ℥ß. *ol. carv.* ℈j. *philos.* ʒij. *M.* (d. 7. *Sept.*)

Capsopœi *uxor*. *Hæmorrhagia uteri.* §. Capsopœi *uxor* quum medicamenta d. 10. *Jun* ad *phtisicam tussim* ordinata per aliquot dies usurpasset, nec effectus inde speratus sequeretur, seduci semet est passa, ut consuleret *Parochum vicinum*, *empiricum* famosissimum; qui, more suo, farraginem plane inconditam variarum formularum præscripsit, effectu ad melius adeo nullo, ut potius magis inde tussiret, cumprimis noctu, qua totius corporis concussione, sanguinisque κλόνῳ effecit denique, ut, *gravidam* se reputans, in periculosissimam *uteri hæmorrhagiam* incideret. Vocatus culpavi *Medicorum* detrimentosam mutationem. Nec enim in mea semper potestate esse, ut rimas sarcire valeam. Quid interea temporis usurpatum fuerit, me omnino nescire, rogare idcirco, ut me vel domi relinquant, vel mea solius, aut mecum alius veri *Medici*, ope uteretur, quod se facturos promiserunt. Maritus omnia se inscio & absente facta affirmabat, & ægra se ab aliis seductam fuisse, quiritabatur. Merentur quidem hujus farinæ vagabundi ægroti, ut a *Medicis* veris deserantur, quos ipsi antea deseruerant, & postposito DEI odine ad BAAL SEBUB auxilium quæsiverant; sed *Medicus* verus ad eos iterato vocatus suo propterea officio salva conscientia deesse non potest. Ego adventans, ægramque summe debilem inveniens, dedi statim 3. *pilulas* WILDEGANSIANAS, & cochleatim propinari volebam *mixturam*:

Rec. *Aq. plantag.* ℥iij. *burs. past.* ℥iß.
acet. destill. ℥ß. *laud. op. gr.* ij.
Cor. r. ppt. lap. hæmat. ppt. oc. ♋. *crud. cont. an.* ʒß.
sir. mytill. ʒiij. *M.*

Cum nonnunquam adsint *hysterica deliquia*, *liquoris CC. succinati* aliquot guttulæ instillentur linteolo, quod naribus admoveatur. Paretur etiam *Cataplasma* lumbis frigide applicandum:

Rec. *Litharg.* ♄*is.* ℥iij. *bol. rubr.* ℥ij.
excip. pulverisata cum aceto & album ovi conquass. ut F. pulmentum linteo illinendum.

Jaceat, quantum possibile, immota & bibat *emulsionem amygdalarum*

rum saturatissimam. Cum eam vesperi visitatum redirem, *hæmorrhagia uterina* plane remiserat. Ornatos videbam omnes manuum pedumque digitos annulis e *sarmentis recentium scoparum* contortis (von Besenreisich) quod erat consilium *obstetricis*. Alia quædam mulier fecerat *cataplasma* ex *pulvere ossis sepiæ, creta & rubrica fabrili cum aceto impastato & cum butyro eliquato frixo*, quod subter mamillas calidum applicaverat experimento, me judice, prius successuro, quam annulorum e scopis fabricatorum. Jussa fuit in quiete manere, & cum *mixtura* cochleatim sumenda pergere. (d. 7. *Sept.*) VI.

§. Neritii *Filia* noctem tolerabiliter transegit. Cum *mixtura* cochleatim sumenda consumta esset, aliam talem eodem modo utendam præscripsi: Neritii *Filia.* *Febr. cont.*

Rec. *Aq. meliss. scord. chærefol. an. ℥ij.*
mixt. simpl. ʒj. sir. papav. err. ℥ß. M.

Insistatur usui *pulveris* a GNOMILEGO ordinati. Fronti & pulsibus admoveatur *emulsio externa*. Caput enim dolet, ac æstus adest. Dicebat mater, filiam ante ¾. annos *menses* primum, & quidem largiter satis, passam fuisse, qui per integrum post annum emanserint, ante tres vero menses iterum parce fluxerint. *Febrim* hanc *continuam* originem inde traxisse, non est impossibile. (d.7.*Sept*)

Filius 12. annorum & ipse queritur de *membrorum lassitudine*, inappetentia & siticula. Suasi, ut crastina luce adsumeret *rhabarbari* in *pulverem* comminuti ʒß. domi maneret, ac *decocti prunorum dulcium* unum atque alterum haustum assumeret. (d. 7. *Sept.*) Filius.

§. Ichthyboli natu major *Filiola* 11. annorum jam ab aliquo tempore pallet, interdum horret ac æstuat, conqueritur de *lumborum* dolore, *urinæ* non semper liber exitus, quæ est alba, turbida, cum sedimento albo, pituitoso, viscido, ductili & quasi interdum foliaceo, ramenta quædam *membranacea* referente, ac *fœtido*. *Vlcerati renis* unius erat suspicio. Signa enim, quæ LOMMIUS recenset in *obss.* plura aderant. Tentavimus, quid medicamenta sequentia valerent: *Pulvis*, cujus mane & pomeridie 2. cultri cuspides cum quolibet vehiculo sumantur; Ichthyboli *filiola.* *Suspicio ulceris renum.*

Rec. *Rad. alth. ʒij. liquir. ʒj.*
gum. arab. antihect. Pot. an. ʒj.
balsamosacch. de COPAIB. *ʒij. M. F.* ℞.

Ante-

VI. Antemeridie hora decima & noctu ante somnum hauriantur cochlearia tria *aquæ heleocathartica* SCRETÆ, cujus descriptio talis est:

Rec. *Tereb. chiæ* ℥viij.
rad. irid. fl. herb. dictamn. cret.
fol. menth. cr. an. ℥ij.
sem. agn. cast. rut. fœnic. an. ℥iß.
vin. alb. ℥xxxx. *Dest. l. a. ex MB.* (d. 7. *Sept.*)

Esmori *Filia.* *Dysenteria.* §. Nondum desinit negotium nobis facessere, immo sub specie convalescentiæ parentes magis, qnam penitius introspicientes *Medicos* fallere, major natu ESMORI *Filia.* Edit, ut freno magis, quam calcari opus habeat, utplurimum tamen *delirans*, indies virium debilior, & magis emaciata; excrementa non æque frequentia, quam perditissime fœtida. Excussit nobis loculos fere omnes, & jam iterum, absente Dn. *Collega*, rei incurabilis cura mihi soli incumbebat; nolebam videri, ut qui *pharetram gestaret inermem.* Dedi bis in die guttulas 4. *balsami de* COPAIBA ex jusculo calente. Cum *pulvere* & *mixtura* cochleatim sumenda nuperis pergere jussa. NB. *Balsama* vegetabilia nativa, v. gr. *opobalsamum, bals. de* COPAIBA, PERU, TOLU, dum propinare intendis, calefieri volunt, alias in guttulas non discontinuantur. (d. 7. *Sept.*)

Æthiopis *Filia.* *Dysenteria.* §. Æthiopis *Filia* noctem non admodum faustam se pernoctasse, frequenterque cum magnis *torminibus* dejecisse querebatur. Ne semel tamen per noctem bibit, & calor in pulsu præternaturalis nullus, immo, hic solito languidior, & spiritus magis oppressi, quos roborandos & excitandos esse existimans, præter *pulverem* consuetum cochleatim propinari volui *mixturam*:

Rec. *Aq. menth.* ℥ij. *mastich. cinnam. cydon. an.* ℥ß.
elix. vit. Matth. inc. ʒß. *ess. anod.* ℈j.
sir. cinnam. ʒij. *M.*

Vesperi longe melius habebat. Attendat hic junior *Practicus*, *Medico* sæpe medicamenta esse mutanda, præter communem morbi cursum. In plerisque enim *dysenteriis* formulæ nimis calidæ nocent; hic profuit. Opus igitur est prudentia. (d. 7. *Sept.*)

Filius. *Dysenteria.* *Filius*, qui jam per triduum cruenta dejecerat, 14 annorum, homo ligneus & medicamenta insolidum horrens, ad mulcenda *tormina* accepit *unguentum dysentericum* nobis consuetum, jam aliquoties descriptum. (d. 7. *Sept.*)

Helinia. *Alvus adstrictior.* §. Helinia (d. 2. *Sept.*) sub levibus *febrilium* insultuum admonitiunculis adhuc sitiebat & *alvum adstrictiorem* habebat. Et *febris* adhuc reli-

relicta fomiti & *constipationi* sitique occurrendum esse duxi *pulveribus* & *decocto*: VI.

Rec. ♁. *diaph.* ʒj. *Crem.Tart.* ʒij. *M.*
F. 6. *pulveres.*

Sumatur mane & noctu unus ex quolibet vehiculo.

Rec. *Hord. mund.* ℥ij. *CC. ust.* ʒiß.
rad. acetos. ℥ß. *liquir.* ʒij.
passul. min. ℥j. *sem. anis.* ʒß.
Conc. cont. coq. in mens. ij. aq. font. ad consumt. mens. dim. pro potu ordinario. (d. 6. *Sept.*)

§. Thesei *Filiola*, quam mense *Aprili* (13. *Apr.*) *variolosam* curaveram, nunc *dysenterica* mihi offertur. *Diarrhœam* primo vulgarem, hinc *cruentam*, *dentitioni* adscripserant, donec vires propemodum fatiscerent, nam octavus jam labitur dies, ex quo male habere cœpit. *Dentitionis* tempore infantes *alvum fluxam* habere consuetum est, quamvis non universales melius tamen *constipatione*. Sed quoties epidemice *dysenteria* grassatur, infantilibus quoque *diarrhœis* nullatenus fidendum. *Cautela* enim *abundans*, quod proverbium, si alibi decies, in Medicina millies valet, *non nocet*, nocet autem deficiens. Infantulorum haut pauci, sub schemate *diarrhœæ dentitionem* comitantis, quam hic locorum vocant, eine Zahn-Ruhr/ occasione rem bene gerendi elapsa, mortui sunt. Hinc, ubi *dysentiricus* in domo decumbit, quam infantuli quoque incolunt, *Medicum* ordinarium Parentes monere decet, ut infantulis alvum nimis fluxam habere videntes, starim auxilium quærant. Recte enim VALESCUS de TARANTA: *Quoties popularis est dysenteria & aliquis lienteria, vel diarrhœa, vel tenesmo torquetur, paullo post dysenteria corripietur.* Dicimus nos: *correptum iri non vane timetur.* Infantulæ huic ordinatus est *pulvis*, cujus singulis 4. horis 3. cusp. cultri quovis modo præbeantur: Thesei *filiola.* *Dysenteria.*

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. *trag. gran. act. an.* ʒij.
ther. coel. gr. ij. M.

Cochleatim detur *mixtura*, imponendo quoque *theriacale emplastrum* umbilico:

Rec. *Aq. scord. card. bened. an.* ℥iß.
epil. L. sir. card. bened. an. ℥ß. *M.* (d. 7. *Sept.*)

§. Tigurini *Filiolus* tertius fortasse a majore natu infectus & ipse frequenti dejectione torminosa & sanguineis striis distincta minus imminentis Tigurini *filiolus.* *Tertius.*

VI. *Dysenteria.* nentis *dysenteriæ* projicit. *Emplastro theriacali* umbilico admoto, cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag.* ℥ij. *cinnam. cydon.* ℥j.
Cor. r. ppt. cryst all ppt. an. ℈j.
ess. anod. ℈ß. *sir. cydon.* ℥ß. *M.* (d. 8 *Sept.*)

Siderolithi *uxor.* *Metus abortus.* §. Siderolithi *uxor* hodie adhuc parum sentit de *fluxu muliebri.* Imperata denuo corporis & animi quiete, jussi mane, pomeridie & noctu 3. cusp. cultri de tali *pulvere* adsumere:

Rec. *Pulv. gran. cherm.* ʒj. *cach.* Qu. *inc.* ʒij.
bez. ♃*al. CC. ust. ppt. an.* ℈iiij.
balsamosach. peruv. ʒij. *M.* (d. 8. *Sept.*)

Apiarii *uxor.* *Diarrhœa spontanea.* §. Apiarii *uxor* (d. 23. *Iun.*) *diarrhœam* spontaneam cum euphoria accepit, cum redeunte appetitu. Salutarem esse judicavi, nec ullo modo, hodie saltem, sistendam. Ventriculo tamen & viribus roborandis datum *tragema* pro lubitu ad aliquot cultri cuspides per se sumendum:

Rec. *Trag. arom. offic.* ℥ß. *spec. diacr.* MYNS. ʒij.
troch. alkerm. ʒij. *M. F.* ℞.

Tumor insuper in dextræ manus dorso surrexit dolorificus, qualem cum sæpe habeat, nihil medicinæ contra eum desideravit. (d. 8. *Sept.*)

Plesii *filiola.* *Fluxus cœliacus.* §. Plesii *Filiola* ((d. 30. *Aug*) habet excrementa cineritia, quasi *fluxu cœliaco* laborantium. Cum cætera bene valeat, insistendum esse soli consueto *pulveri* judicavimus. (d. 10. *Sept.*)

Photandra. *Dysenteria.* §. Photandra *virgo* 17. annorum jam ultra quatuordecim dies *dysenterica* decubuit. Absente *Medico* ordinario noctu vocatus inveni valde debilem, extremis frigidis, sudore frigido, deliram & de cordis languore querentem, lingua titubantem, terroribus quassatam, extrema minitantem: *Pulsus* erat, me judice, *reciprocus.* Dato prognostico scripsi mixturam cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. scord. rub. id. an.* ℥iiß.
conf. de hyac. ʒj. *sir. acetos. citr.* ℥ij. *M.*

Si parum ad se redierit, detur unus e *pulvisculis*:


Rec. *Mater. perlat. smaragd. ppt. an. gr. xv. M.*
F. 2. ℞.

Scrobiculo cordis linteamina calida applicentur madefacta liquore,


Rec. *Aq. carbunc.* ☉. ℥ij. *succ. gran. cherm.* ʒij. *M.*

Plu-

Pulsum adfuisse dixi *reciprocum.* Obscura est *pulsuum* doctrina, & veteres in admodum numerosas differentias, forrasse tantum in conceptu mentis formatas & apud ægrotos nusquam observabiles diffunduntur, quamvis neque hoc negandum sit, a neotericorum quibusdam eas nimis angustis cancellis includi. Diversis autem revera modis præcipue illi *pulsus inæquales* ab Auctoribus explicantur; sic, quem ego *reciprocum* dico, a MOEBIO *Instit. lib. III, part. I. sect. IIII, cap. 7.* dicitur esse species *Myuri. Myurus* autem ipsi dicitur, qui *instar caudæ muris semper imminuitur,* ita ut sequens ictus semper sit minor priore, quem distinguit porro in *myurum deficientem* & *reciprocum* seu *recurrentem*, quorum ille est, qui semper diminuitur, donec ad ἀσφυξίαν veniat, hic, qui ad magnitudinem priorem assurgit, quando aliquousque decrevit: Notis *Musicis* exprimendus talis esse debet *reciprocus*:




Contrario plane modo HAFENREFFERUS in *monochordo symbolico-biomantico paraphras. 4. p. m. 66.* pulsum hunc ita significat, ut non ab incremento diminuatur sed ad diminutione augeatur:



Talem unquam observatum fuisse merito dubitamus: Neque ita comparatus fuit virginis nostræ *pulsus* secundum utrumque schema.

Dicrotus potius fuisse videtur, ex eo, quod a MOEBIO describatur, quod sit bis feriens inæqualis, per quem arteria ab elevatione recurrit, tanquam malleus ab incude resiliens. Ita significari posset



VI. Longe aliud quoque ſchema tradit HAFENREFFERUS p. 64. Ego *reciprocum* vocavi, quod arteria ſaliendo quaſi & curtiſſimo motu reſiliendo *pulſum* reciprocaret, juxta ſchema paullo ante traditum. Quisquis autem ille fuerit, ſive MOEBIANO, ſive HAFENREFFERIANO, ſive noſtro more vel *myurus reciprocus*, vel *dicrotus*; Hi pulſus tamen omnes, ut recte MOEBIUS *loc. cit.* docet non carent periculo, quippe naturam aut oppreſſam aut ſuppreſſam ſignificantes. Sicut & *dicroti* præſagium peſſimum eſt, & niſi alia ſigna meliorem ſpem faciant, lethale.

Interim, licet fateri neceſſe habeam, obſervationes & ſchemata HAFENREFFERIANA mihi ſpeculativa potius quam Practica videri, durior tamen eſt cenſura CONRINGII in *Manud. ad Med. p. m.* 129. ita ſcribentis: *Non putamus operæ pretium eſſe, vel integrum titulum ineptiis plenum huc adſcribere.* Mitior HORSTIUS in *Introd. ad Medic. p.* 194. cujus hæc ſunt verba: *Quantam analogiam pulſus habeat cum Muſica, id omnium optime exponit* MONOCHORDON *amici noſtri, doctiſſimi* HAFENREFFERI. Exponit, ſed an omnium optime, ſuperius adducta demonſtrabunt. (d. 7. *Sept.*)

VII.

VII.

MErcurius mane in prima linea quinti gradus conſtitutus, veſperi usque ad tertiam lineam quarti gradus, adeoque per duas lineas ſubſedit. Liquor *thermometri* mane in medietate quarti gradus repertus, dictum gradum veſperi proxime attigit. Nox fuit ſerena & frigida. Mane pruina, immo glacies, Dies tota rurſum & frigida, & clara.

Lanicius. *Febris intermitt.*

§. Poſtquam Lanicius d. 27. *Aug.* ordinato *purgante electuario* d. 5. *Sept.* ſufficienter evacuatus fuiſſet, ſequenti die, pluvioſo cœlo, CANTSTADIUM abiit pedeſter, ibique ſtatim inſedit balneo, pomeridie rurſum lotus, ſimul ſcarificari ſe paſſus eſt, poſt ſcarificationem eodem pedeſtri itinere domum reverſus: æſtuavit valde & noctem tranſegit inquietam bis vomens, fractis multum hinc viribus. Annon ſat errorum in heſterna una die? 1. Non ſtatim a *purgatione* iter ſuſcipiendum erat, 2. nec pluvioſa die; nam ita perfrigerato corpore transſpiratio inhibita fuit; 3. ſtatim, cum appuliſſet, inſedit labro, fortaſſe aqua ſimul nimium calente, ab uno nempe extremo ad aliud: 4. pomeridie rurſum inſedit, cum ab initio curæ non niſi ſemel lavandus fuerit; 5. poſt balneum veſpertinum cucurbitulas ſcarificatas cuti affixit: 6. calefactum ſic probe per lotiones & ſcarificationes corpus frigari veſpertino domum remeans expoſuit, unde pori denuo conſtricti. Si quis ex compoſito *febrim* in

cor-

corpore suo suscitare voluisset, aliter ipsi agendum non erat. Quam stolidum haut raro comperitur vulgus in rebus sanitatem concernentibus? Jussi, ut *balneis cervinis* domi uteretur sine mora; d. 11. *Sept. venam* sibi *tundi* pateretur, *venesectionis* die a balneatione ferias ageret, sitim autem, de qua valde querebatur, leniret *acidulis*. (d 9 *Sept.*) VII.

§. Esmori major natu *filia* noctem transegit mediocriter, nec male se habere putat ab usu *balsami de copaiba*, quod proinde, ne sine medicamento moreretur, continuare jussi. (d. 8. *Sept.*) Esmori *Filia.*

§. Æthiopis *Filia* tolerabiliter habet, appetit, sistuntur *tormina*, alvus non admodum crebra. Nil in methodo mutatum. Æthiopis *Filia.*

Aheneus ipsius *Frater*, nec precibus, nec minis neque jurgiis ad assumenda pharmaca, immo, ne ad manendum in conclavi calido adigi potest. Adhuc dejicit, sed vorat simul, ut, qui *bulimo* laborat. Nullum video periculum, hinc moribus suis relinquendum esse judico. (d. 8. *Sept.*) Filius.

§. Photandra pomeridie noctis circa horam secundam matutinam adeoque postea vix trihorio, quam advocatus fueram, exspiravit, sicque præsagium infaustum pulsus sive *reciproci* sive *dicroti* eventu lethali confirmavit. Photandra.

§. Apud Ichthyboli *Filiolam* de effectu heri ordinatorum pauca adhucdum prædicari possum, cum ea vix usurspare cœperit. Interim mater de *timore præternaturali* dixit, qui puellam sæpe sine ulla caussa morali corripiat, cumprimis noctu. Nil propterea mutandum vel addendum esse duxi, cum fortasse *lumbrici* subsint, quibus exterminandis semper adhuc locus dabitur. (d. 10. *Sept.*) Ichthyboli *Filiola.*

§. Capsopœi *uxor* bene habet, remisit *uteri hæmorrhagia*, appetitus parum redit, sed virium adhuc summus languor, quem deperditioni sanguinis adscribo. Pergat tamen cum hesterna *mixtura*, omisso *cataplasmate*, & parum moveatur. (d. 8. *Sept.*) Capsopœi *uxor.* *Hæmorrhagia uteri.*

§. Neritii *Filia* noctem mediocriter transegit, parum dormivit, sed æstus temperatior. Pergat cum heri ordinatis. Vesperi æstus rursum magis intensus. Præscripti 2. *pulveres*, quorum unus hodie noctu, alter cras mane cum potu ordinario sumatur, non intermissa *mixtura* & *emulso* externo. Neritii *Filia.* *Febris continua.*

Rec. *Bez.* ♃ *al. cryst all. ppt. an.* ℈ß.
ther. cœlest. gr. ij. M. F. 2. ℥.

VII. NB. Hac vespera *diarrhœa*, sed nondum adeo frequens, illam invasit. (d. 8. *Sept.*)

Filius. *Amaror oris. Inappetentia.* *Filio* post *purgationem* adhuc de sapore amaro in ore, & inappetentia querenti ter in die tres cultri cuspides de *pulvere* sequenti, cum quovis vehiculo, injuncti:

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ʒij.
pulv. hepat. r. ʒj. *M.*

TheseiFiliola. *Dysenteria.* §. Thesei *Filiola*, vere *dysenterica*, longe, mitius ægrotat. Pergant igitur cum medicamentis.

Hercanus. *Febr. tert. interm.* §. Hercanus (d. 28 *Aug.*) cum per omnia melius valere videretur, ab aliquot jam diebus veros *tertianæ intermittentis* paroxysmos sustinuit. Jam sufficienter evacuato, præscripsi *electuarium* meum *antipyreton*, adhuc semel hic describendum, cujus singulis sex horis quantitatem juglandis minoris adsumat:

Rec. *Cort. peruv. subtiliss.* ☿. ʒvj.
fraxin. rad. gentian. an. ℥ß.
⊖. *absinth.* ʒj *ther. Androm.* ʒij.
caryoph. arom. ℈j.
sir. rub. id. rob. samb. an. q. s.
F. *Elect. med. consist.*

NB. Ego ejusmodi *electuaria*, etiam in medio paroxysmo, si tempus ita ferat deglutienda exhibeo.

Malchomi uxor. *Tenesmus hæmorrhoidalis.* §. Malchomi *uxor* 36, annorum nunc a triduo vexatur *tenesmo hæmorrhoidali* longe acerrimo. Singulis fere momentis invitatur ad dejiciendum, cum dejicit, prodit nonnihil muci cruenti cum intolerabili dolore. *Tormina* non adsunt, & alvus suo tempore naturaliter solvitur, excrementis consistentiam legitimam habentibus. Igitur *dysenteria* non est.

Rec. *Rad. Ipecac. subtiliss.* ☿. ℈j.
cinnam. acut. ℈ß. *M. pro 1. dosi.*

Aquæ panatæ multum, immo plurimum, identidem superbibatur. Effectus hujus medicamenti fuit optatissimus. Aliquoties *vomuit* non sine molestia, sed *tenesmus* notabiliter remisit. Jussi quiescere a medicamentis, donec dies crastina, quid porro sit faciendum, docuerit.

An. 1706. d. 30. *Jun.* me convenit Ser. Ducis quidam *stabularius*, qui præteriti anni æstate in militia versans *dysenteria epidemica* correptus lente

lente convaluit; ab eo vero tempore *tenesmum* valde molestum retinuit, qui eum omni calore vivaci, viribusque omnibus exuit. Ego caussam conjiciens in digestionem stomachi debilem, & acrimoniam intestinalis lymphæ, ordinavi mane & pomer. cusp. 3. cultr. de *pulvere* tali, ex quolibet vehiculo sumendo: VII.

Rec. *Pulv. stomach.* BIRKM. ℥ß.
Spec. diatrag. fr. ʒij.
ras. lign. sassafr. rad. scrophular. an. ʒj.
M. F. ☿.

Noctu guttas xxxx. de *mixtura* ex *cochleari vini*, vitatis omnibus acribus, acidis, salsis:

Rec. *Elix. mumial.* CLAUD. *sir. de symph.* FERN. *an.* ʒiij. *M.*

Die 9. *Febr.* rediit, se nil quidquam per ista levatum esse, queritans. Igitur datum *electuarium*, cujus mane & noctu quarta pars per se sumatur:

Rec. *Diascord. Fracast.* ℥j.
rad. Ipecac. subtil. ☿. ʒij. *M.*

Rec. *Butyr. rec.* ℥ij. *vitell. ov. n. ij.*
croc. opt. ʒß. *M. F. pasta.*

Hujus portio avellanæ magnitudine linteo raro inclusa ano intrudatur, ut ibi liquefiat. NB. Hoc *topicum* est præstantissimum in *tenesmo*. Fumus e seqq. ano aliquoties in die excipiatur:

Rec. *Fol. verbasc. mß. fl. ros. r. balaust. an.* ʒß.
cap. papav. alb. cont. n. ij.
mastich. ʒj. *thur.* ʒß. *M. F. tart. grossus.*

Sed his *topicis* vix opus fuit, cum *electuarii* etiam prima portio officio non defuerit. (*infra.*)

§. Bacillius d. 1. *Sept.* ordinata eatenus cum fructu usurpavit, ut *nephritici dolores* cessarent, & urinæ liber exitus vendicaretur, interea vero temporis, cum absens essem, *febri continua* correptus fuit. Et, cum nullius *Medici*, quam meo consilio, vivere vellet, morbo sibi relicto, nihil donec redissem usurpavit. Offendi hominem vehementer languidum ac æstuantem, cum siti inexplebili & appetitu plane prostrato. *Obauditio* tanta, ut vix altum clamantes perciperet; pulsus celer, quamvis non languidus *vigiliæ continuæ*. Exprobravi supinam negligentiam, quod hactenus ob meam absentiam morbum usque adeo augeri, & in viscera grassari permiserint; *Medicum* esse *commune bonum*, nec unius urbis mœni- Bacillius. *Febris continua.*

VII. mœnibus includi posse. Dari plures hic *Practicos* eximios. Sed factum infectum fieri nequibat. Hostem igitur sic aggressus sum:

Rec. ♁. *diaph. CC. philos.*
☉. *ppt.* ♁. *nat. ppt. an.* ʒ ß.
F. 4. ☿. *sum. singulis 6. horis unus.*

Rec. *Sem. melon. papav. a. an.* ʒiij.
aq. ceras. n. card. bened. an. ℥iij.
F. l. a. Emuls. add.
oc. ♋. *crud. cont.* ʒj. *sir. papav. a.* ʒvj. *M.*

Altera dosis noctu hora 9. & nisi somnus obrepat, altera pomeridie noctis hauriatur; si obrepat, servetur in crastinam noctem loco frigido.

Pessime faciunt, qui uni *Medico* se ita devovent, ut etiam in summæ necessitatis casu alius consilio uti recusent. Ego, peregre abiens, Domesticis quoque meis impero, ne me quærentibus spem reditus certam faciant, sed illos, ut alius cujusdam *Medici* consilium exquirant, sollicite moneant. (d. 8. *Sept.*)

Nigredici *Uxor.* §. Nigredici *Uxor* (d. 29. *Aug.*) interea vires adeo recepit, ut in curæ supplementum, quod semper soleo, *pilulas purgantes ex extr. cathol. cum magisteriis compactas*, ordinaverim.

Pannonius. *Arthritis.* §. Pannonius [d. 1. *Sept.*] eodem quo Bacillius, more rem gessit, scil. per meam absentiam *arthritidi* habenas laxavit, repetita solum *emulsione* d. 1. *Sept.* ordinata. Interim decubuit in cubiculo frigido, sudores in hoc morbo adeo necessarios, artus frigori exponendo, repressit: unde *febrile* incendium exarsit; dolores intensissimi cum artuum

Essere. rumoribus facti, & *pustulæ*, quas Essere vocant, maximo numero sibi contiguæ, *semen canabinum* quantitate referentes & pure impleræ collum ac dorsum totum, cum insigni *pruritu*, occuparant. Sumat ter in die gtt: xxv. de *mixtura* sequenti, cum vehiculo adjecto etiam seorsim hauriendo:

Rec. *Mixt. simpl.* ʒiß. *ess. annod.* ℈j. *M.*

Rec. *Aq. fl. paralys. ceras. n. an.* ℥iij.
♁. *diaph.* ♁. *nat. ppt. an.* ʒß.
sir. rub. id. ℥ß. *M.*

Prævia semper *frictione* cum externa unctione pergatur, & in hypocaustum calidum se conferat. (d. 11. *Sept.*)

§. Sto-

§. Stomachosus præterita nocte parum dormivit, queritur de æstu, siti & ventriculi dolore: VII. Stomachosus.

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. *mater. perlat. an.* ℨß.
ol. caryoph. gtt. ij. M. F. 2. ℞.

Sumantur ante & pomeridie ex vehiculo adjecto seorsim quoque per cochlearia hauriendo:

Rec. *Aq. rub. id. borrag. an.* ℥iij.
cinnam. bugl. ℥j.
sir. granat ℥ß. *M.*

Noctu sex *pilulas* pro 1. dosi:

Rec. *Extr. bezoard. papav. err. an. gr. iij.*
M. F. 6. pil.

Uxor alvum equidem solvit, sed debilis tamen est, inquietissime dormit, & *deliquiis* quasi *hystericis* tentatur, illacrymans &c. Reiterentur *pulveres* heri ordinati, & noctu sumat *pilulas*: Uxor.

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp.*
castor. an. gr. ij. M. F. 6. pil. (d. 8. *Sept.*)

§. Quemadmodum Uberaulidis *Filiola* (d. 4. *Julii*) a *variolis*, per DEI gratiam, salvus evasit, ita nunc *Filiola* ex *dysenteria* graviter decumbens manum meam postulat, biennis, & jam ultra octiduum laborans; creberrime sanguinolenta cum summis *torminibus* dejiciens, *animi deliquia* subinde patiens &c. Rogati, cur non citius auxilium petissent, responderunt, puellæ nil minus, quam pharmaca propinari posse. Quid ergo me vultis? Ut externa quædam, ajunt, præscribas. Ordinavi *nodulum* parum vel nihil profuturum, potui ordinario immergendum: Uberaulidis *Filiola*. *Dysenteria*.

Rec. ♁. *diaph. CC. ust. ppt.*
🜃. *sigill. an.* ℨß. *M.*

Videant, quocunque modo cochleatim, vel alio de *mixtura* sequenti quid propinare possint:

Rec. *Aq. plantag.* ℥iij. *cinnam. cydon.* ℥j.
ess. anod ℈ß. *sir. cydon.* ℥ß. *M.*

Ablomen ungatur *unguento Comitissæ.*

Patientes illos, qui nil, nisi catalogum mortuorum augent, emanere, quam me consulere, mallem.

§. *Uxor* Dominici tricenaria tres jam *tertianæ paroxysmos* exantlavit: Dominici *uxor*. *Febris tert. int.*

Rec. *Tart. em. gr. ij Crem. tart.* ℈j.
dacryd. gr. iij. M. pro 1. dosi.

 Postea

VII. Postea mane pomer. & noctu cusp. 3. cultri de *pulvere* sumat ex quol. vehiculo;

Rec. *Cort. peruv. subt.* ☿. ℥ß.
C. alc. phil. arcan. dupl. ⊖. *abs. an.* ʒj.
ol. caryoph. gtt. iiij. *M.*

Notabile est, quod de hac muliere maritus refert, paroxysmum nempe *frigoris febrilis* in humero sinistro incipere, in momento quasi usque ad extremitatem illius pedis rapi, & ibi cum frigore summo dolorem atrocissimum lacerantem excitare, durantem, usque ad æstum; ut inde quis conjicere valeat, genus nervosum per ista frigora *febrilia* non parum affici, immo illius forte subjectum esse. Quod ulteriorem disquisitionem meretur.

Agoranomus. *Arthritis.* §. Cum *arthriticus* Agoranomi (d. 29. *Aug.*) affectus ex sententia cedere nondum velit, ipseque indies magis contabesceret, denique tum ad humorum acrimoniam tollendam, tum ad humectationem exsucco corpori restituendam ordinavi sequentia:

Rec. *Ras. lign. sanct.* ℥j. *sassafr.* ʒx.
cort. lign. sanct. rad. sarsapar. an. ʒvj.
rad. chin. ʒv. *liquir.* ℥ß.
herb. cochlear. chamædr. trifol. fibr. an. mß.
cass. lign. ʒiij. *sem. anis.* ʒij. *mac.* ʒj.
Conc. cont. D. pro Dec. theiformi.

Mane capiatur cochlear magnum, & vasi *theino* indito superfundatur quart. 1. *mens.* WÜRTEMB. *aq. ferventis.* stent. per 12. horas loco cal, hinc usque ad *theinum* calorem calefactum *infusum* per scutellas sorbeatur: quibus exhaustis statim fiat recens *infusio*, eaque in calore per totam diem servata noctu ante somnum potetur, quod mane factum.

Bis autem in die, singulorum nempe pastuum tempore cochl. ij. *gelatinæ ex an. ras. CC & ebor* simplicissime factæ liquefiant in jure carnis bubulæ vel gallinaceæ, & calide sorbeantur.

Cum adsit *alvi constipatio*, *potiuncula* OSWALDI detur. (d. 10. *Sept.*)

Thyrebola. *Menses ap. vetulam revertentes.* §. Thyrebola mihi narravit, viduam 60. annorum ante annum ad artus roborandos adisse *balneas* CANTSTADIENSES, ibique, cum lota fuisset, *menses* dudum abolitos *recepisse*; Nominatas esse hos *menses flores cœmenterii*, Kirchhof-Blumen/ hancque mulierem non aliquam multo post esse mortuam. *Balnea* tantum abest, ut humores extra vocent,

ut

VII.

ut potius intro pellant. Hinc aquis calidis, & quidem eo magis, si calidioribus, insidentibus crispatur v. gr. cutis in digitis. Non igitur mirum, si sanguis in centro collectus *orgasmum* capiat, & vias jam obsoletas pro sui depletione quærat. Sed propterea neque tardius neque maturius illa mulier, cui quid tale contingit, morietur. Nam sexagenariam mori æque mirum non est, quam illas decedere, qui post conjugium quinquagenarium iterato per *Sacerdotis* manum copulari desiderant, quem actum propterea multi aversantur, quia, experientia teste, repetitum ejusmodi connubium brevi per mortem rumpatur. Quid ni rumpatur, quod per rerum naturam in sua coalitione non amplius diu persistere potest?

§. Emmusus (30. *Aug.*) hactenus ab *intermittente tertiana* immunis, recidivam patitur, sine dubio ob diætam perversam *Raphanos* edit *cum aceto & olivo conditos.* Altero post die *febrilis* paroxysmus tragœdiam instauravit. Fallaciam caussæ fortasse committo, quamvis me non committere putem. Quidquid sit, EMMUSUS denique vi morbi ac tædio compulsus *electuarium febrifugum* assumere, rem sc. sibi impossibilem visam aggredi, decrevit. Ordinavi tale, cujus intervallo 6. semper horarum castanea quantitas absumatur: Emmusus. *Febr. tert. interm.*

Rec. *Pulv. cort. peruv.* ℥ij. *fraxin.*
rad. gentian. ar. ℥j.
⊖. *absinth.* ℈j. *caryoph. arom.* ℈ß.
bals. peruv. ℈ß. *rob. samb. syr. rub. id. an. q. s.*
F. elect. med. consist.

Ob alvum nimium fluxam una suasi potum vini rubelli, cum mica panis tosti & cum *nuce moschata* perfricti. (d. 10. *Sept.*)

§. Cum vesperi adissem Malchomi *uxorem*, me triumphum ante victoriam cecinisse observavi. Quamlibet enim *Ipecacuanha* effectus, quem desiderare potueram, fuisset, ipsa tamen sub solis occasum de cruciatu *tenesmi* non sustinendo denuo querebatur. Rem omnem in humorum acrimoniam devolvens ordinavi sequentia: Malchomi *uxor.*

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. *diatrag. fr.*
rad. alth. ☿. *an.* ℥j.
ther. cœl. gr. iiij. *M.*

F. 6. *pulveres* & singulis 4. horis unus sumatur; cochleatim vero sequens *mixtura*:

VII. Rec. *Aq. plantag. malv. an.* ℥ij.
esse. anod. ℈ß.
sir. de alth. FERN. *symphyt. an.* ℥ß. *M.*

Lumbis *unguentum* frequenter calide applicandum:
Rec. *Ungu. popul. de hyosc. an.* ℥ß. *M.*

Noctu deglutiendas dedi 3. *pil.* WILDEGANSIANAS. Pergant cum *massa sphincterica* supra ordinata. (d. 9. *Sept.*)

VIII.

VIII.

VAsa matutina, quæ hesterna vespertina. Vesperi Mercurius infra tertiam lineam quarti gradus descenderat, manente in eadem statione *thermometri* fluido. Nox erat serena, sed frigida. Dies fere usque ad solis occasum clara, sed appetente nocte larga pluvia

Suburrana. §. Suburranæ d. 3. *Aug.* scripseram aliqua in *acidulis* DEINACENSIBUS & *balneis* ZELLENSIBUS usurpanda. E dictis *balneis* 6 *Sept.* ad me sequentia? Necessarium esse duxi, ut tibi scriberem, *acidas* DEINACENSES mihi non male cessisse, nisi quod *fluor albus* auctiore, quam domi rivo manarit. Nunc autem in ZELLENSIBUS *balneis*, quibus intra 11. dies vicenis insedi, mane per bihorium, pomeridie per unam horam, aqua magis tepente, quam ultra teporem calida, dictus *fluor albus* me magis, quam in *acidulis*, exercuit, sic ut curam abrumpere pene decrevissem. Consultus autem *Medicus* præsens, nil subesse periculi, immo necessarium esse dixit promovere dictum *fluorem*, cui fini *pulvisculum* cum *mixtura* quadam sumendum ordinavit, quinimmo, cum, absoluto loturæ cursu *menses* immineant, ut hic in balneis eos expectarem, per triduum a lotura abstinerem, postea singulis diebus per unam horam lavarer, suasit. Nec vero te celare velim, in DEINACENSIBUS *mensium fluxum* rite, coloreque debito progressum, die quarta usque ad 11. & 12mum decolorem & summe fœtidum extitisse. Quid igitur mihi faciendum, edissere? Revertar ne domum post cursum 3. septimanarum, domique *cervinarum aquarum* usu, quod superest, abigere sustineam? an adhuc diutius hic me morari velis? Stomachus mihi magis debilitari videtur, non obstante, quod *tragemate* a te ordinato & *essentia absinthii* tibi non minus nota diligenter utar. Tabesco & post pastum *stomachi dolorem* experior, nec multum læta mihi animus præsagit. &c.

Respondi: me *Medici* supra notati sententiam amplecti. Movere *balneas*, non semper intra præstitutas cancellas sua præstare. Vim ZELLENSIUM jam cognitam, Cervinarum non similiter esse. Præstare, ut a fonte

fonte uno salutem expectaret. *Balneas* omnes macritudinem inducere; *cardialgiam* aliunde sobolescere. Telam igitur ibi locorum inchoatam felicius quam alibi pertexi. (d.3 *Oct.*) VIII.

§. Theodoricus 34. annorum *scabiosus a Pharmacopola* quodam accepit *unguentum*, quo manuum pedumque articulos perfricaret. Quod cum per triduum fecisset, faucibus dentibusque dolere, multum exspuere, dictis in locis *ulcerari*, & fœtidissima screare cœpit. Accitus *Chirurgus* hominem *salivatione* tentari vidit, remque ad *Physicatum* detulit. Inspexi cum DN. Collega. Fauces ulceratissimæ, gingivæ labiaque tumentia, *saliva teterrime fœtens*, vera *salivatio*. *Unguentum* inspectum visui *globulos Mercuriales*, aliquos *papaveris semen* magnitudine æquantes, obtulit. Regiminis debiti miser ignarus, non tantum frigidiori aëre utebatur, sed insuper dolorem faucium aqua frigida in ore detenta lenire sustinebat, sic, ut si diutius inspectio dilata fuisset, ipsi intercluso cibi potusque commeatu, morte pereundum fuisset. Cum in *Xenodocho* nostro moraretur, & eodem hospitio cum ipso fruentes ob tetrum fœtorem illius contubernio uti recusarent, rem omnem ad *Magistratum* detulimus, atque, ut in *leprosorium*, locum competentem, & *salivationi mercuriali* aptum, reciperetur, voluimus. Cœptam enim semel *salivationem* sine vitæ periculo sisti non posse, quin ejus potius cursum persequendum, & illum, qui huic malo, præter vocationem, ansam præbuit, ad sumtus refundendos adigendum esse.

Theodoricus. *Scabies.*

§. Hamaxetæ *Filia* per ea, quæ de 3. *Iulii* ordinata sunt, multum profecit, & *cardialgia* adeo molesta maximam partem remisit; cum autem ejus nonnihil adhuc sentiatur, ipsaque se jam olim sic afflictam *vino juniperino* multam juvatam fuisse diceret, jussi, ut dimidium cochleare *mixturæ* sequentis uni quartario vini admisceret, eumque cujuslibet pastus tempore hauriret:

Hamaxetæ *Filia.* *Cardialgia.*

Rec. ∾. *bacc. jun ip.* ℥ ij.
ol. ejusd. ʒ ß. *M.*

Sibimet ipsi e *semine cydoniorum* paret *mucilaginem* & cum *sir. papav. err.* mixtam cochleatim usurpet. (d. 22. *Sept.*)

§. Anthus medicamenta d. 31. *Aug.* præscripta diligenter usurpavit. Cum autem *febricitare* nondum cesset, licet paroxysmi sint longe mitiores, *pulverum* vero ulteriores propinas deprecetur, substituimus *essentiam*, cujus singulis pastibus gtt. xxxx. ex jusculo vel cochleari vini adsumat:

Antus. *Febris interm.*

VIII. Rec. *Eff. chin. chin.*
absinth. an. ℥iß. *M.* (*infra.*)

Stomachosus & *uxor.* §. Quemadmodum hodie Stomachosum tolerabiliter viventem reperi, continuationemque heri præscriptorum injunxi, ita *uxor* ipsius longe, quam heri, debilior visa, æstuans, ac delira. Et cum *alvum* a triduo clausam quereretur, laudavi *clysterem domesticum*, quem nullatenus admittere, seque libentius morituram esse dicens, volebat. Largitus sum inducias usque ad vesperam. Cumque tunc ab assumtis cibis *laxantibus* nondum dejecisset, *clysterem* ulterius differri non posse dixi, qualem ex *cremore hordei*, *oleo olivarum*, *melle*, *butyro*, *vitello ovi & pauxillo ⊖is* fieri volebam. Et cum expavisset per hanc diem, aliaque signa, v. gr. *dolor capitis*, *vomituritio*, &c. *convulsionis* metum incuterent, pro 2. dosibus spatio 6. horarum sumendis ordinavi *liquoris CC. succin.* ʒj. (d. 9. *Sept.*)

Esmori *Filia.* §. Esmori *Filia* natu major in medicæ praxeos opprobrium adhuc misere decumbit, perpetuo ferme delirat, mucosa identidem dejicit, se *tormina* sentire ait, magis in horas contabescit, in lecto, præ virium debilitate vix corpus erigere potest, metumque nobis imprimit *febris lenta tabifica*, ob vitam anteactam, cum per anni ferme integri spatium calidi cibi prope nil admisisset, ventre prætumido fuisset, ac in cella vinaria nonnunquam potui nimium indulsisset. Cochleatim accipiatur *mixtura*:

Rec. *aq. Capon.* MYNS. ℥iij. *confort. offic.* ℥ij.
pulv. anal. fr. MIND. *inc. antih.* POT. *an.* ʒj.
sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Gelatinam ex an. *ras. CC. & ebor.* in jure liquefactum bis in die sorbeat. Hac vespera multum comedit. (d. 9. *Sept.*)

Æthiopis *liberi.* §. Æthiopis *liberi* propemodum, per DEI gratiam, convaluerunt, nec medicinis amplius opus habent. (d 9. *Sept.*)

Capsopœi *uxor.* *Metus Pthiseos.* §. Capsopœi *uxor* (d. 6. *Sept.*) postquam a nuper ordinatis *fluxus uteri cruentus* cessasset, nunc tamen ferinæ *tussi* acrius vexanti remedia quærit. Præscriptus *pulvis*, cujus mane, pomeridie & noctu 3. cusp. cultr. per se assumat;

Rec. *Spec. diatrag. fr.* ʒij. *diair. simpl.* ʒj.
extr. papav. err. ℈ß. *croc. opt.* ℈j.
elæosacch. anis. ʒij. *M.*

Coch.

Cochleatim, *tussi* præcipue nimium affligente, sumatur *mixtura*:

Rec. *aq. veron. hyssop. an.* ℥iij.
~⊖✱. anis. ℈j. *diacod. Mont.* ℥j. *M.*

Potus ordinarius sit *passulatum* HORSTII. (d. 11. *Sept.*)

§. Neritii *Filia* per totam fere noctem dormivit, & cum hodie quoque continuo dormituriat, hicque somnus mihi & GNOMILEGO propterea suspectus videatur, quod eum nulla major agilitas, sed languor potius summus comitetur, unde spirituum quandam suppressionem divinare licet, igitur *vesicam* in altero pede excitavimus, *mixturamque* simul ordinavimus in tres doses partiendam, quarum una ternis semper horis propinetur: Neritii *filia.* *Febr. cont. soporosa.*

Rec. *Aq. scord. card. bened. fumar. ar.* ℥iij.
mater. perlat. crystall. ppt. an ℈ij.
♁. *nat. ppt.* ʒß. *lap. bez. orient.* ℈ß.
mixt. simpl. ʒij. *diascord.* FRAC. ʒiij. *M.*

Cochleatim autem reficiendis viribus data *mixtura*:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *scord. ceras. n. an.* ℥j.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. fl. tun.* ʒiij. *M.* [d. 9. *Sept.*]

§. Siderolithi *uxor* a *pulvere* nudius tertius ordinato, sic ad se rediit, ut hodie quoque in publicum prodire sit ausa (quamvis institutum non probaverim. Usui *pulveris* illius insistere motumque minus necessarium differre jussi. (d. 18. *Sept.*) Siderolithi *uxor.*

§. Bacillius indies magis evadit surdaster: debilis est, delirat, æstuat ac sitit. Repetantur *pulveres* heri ordinari. Cochleatim propinetur *mixtura*: Bacillius. *Febr. contin.*

Rec. *Aq. veron. card. bened. rub. id. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ʒj. *conf. alk. c.* ʒß.
sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Utrisque brachiis *vesicatorium* inuratur, & quum de faucium dolore impeditaque *deglutitione* queratur, opus erit, ut accersitus *chirurgus* fauces inspiciat, quibus pro re nata succurrendum. Parent ex *fermento cum* ✝ & ⊖e *suppedalia.* (d. 9. *Sept.*)

Apiarii

VIII. Apiarii *uxor.* §. Apiarii *Uxor* (d. 6. *Sept.*) alternis sibi diebus pejus vivere videtur, & suspicionem facit latentis *tertianæ continuæ*, appetitu tamen sic rursum satis firmo, quod unum me sperare jubet, plus esse in imaginatione, quam re. Propterea, præter nuperam *tragæam*, nihil scripsi, visurus, quid ulterius sit eventurum. Non enim est in mora periculum. (d. 12. *Sept.*)

Tigurini *Filiolus, Odondysenteria.* §. Tigurini *Filiolus* (d. 6. *Sept.*) natu tertius cum *dysenteria dentit.* Cruenta enim dejicit, & simul *salivat*, manus ori ingerit, *gingivasque* tumentes habet, nostri Zahn-Ruhr vocant.

Rec. *Aq. plantag. ceras. n. an.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥j.
conf. alk. c. ʒj *sir. fl. pæon.* ʒij. *M.*

Præbeatur cochleatim, & ter in die 2. cusp. cultri de *polline*, quovis modo:

Rec. *Cor. r. cryst all. smaragd. an. ppt.* ℈j.
lap. bez. orient. gr. v. occid. ℈ß. *M.* (d. 9. *Sept.*)

Toparii *filiolus. Tormina.* §. Toparii *Filiolus* (31. *Aug.*) *torminibus* vexatur a flatibus retentis, & hinc vociferatur. *Flatus* interdum prodeunt sonori. Cochleatim exhibeatur *mixtura:*

Rec. *Sir. ♃ chamom. ol. amygd. d. rec. expr. an.* ʒij.
ol. anis. Still. gtt. iij. *M.* (d. 10. *Sept.*)

Anthus. *Febris continua.* §. Cum pomeridie visitassem Anthum, æstum percipiebam valde auctum, biberat vim magnam *aquæ panatæ*, pavoribus quatiebatur, torvius, quam ante, videbat. Persuasi homini, ut rursum admitteret *pulveres*, mihi enim rem suspectam videri, nec certum me esse, annon erupturæ sint *convulsiones.* Annuit. Hora noctis nona sumat *pulverem* unum, post noctis meridiem alterum, cras hora octava antemeridiana tertium, omnes ex *mixtura* adjecta, seorsim quoque more solito danda;

Rec. ♁. *diaph.* ♁. *nat. ppt.*
Ⓓ. *ppt. an.* ʒß. *camph. gr.* vj.
M. F. 3. *Pes.*

Rec. *Aq. fl. til. rub. id. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒj.
aq. epil. L. sir. fl. pæon. an. ℥ß. *M.*

Aqua rubi idæi suavissima est recens destillata, & *formulis* omnibus addit gratiam, reficit vires & refrigerat; sed ætatem non fert, hinc non

non nisi recens præscribenda v. gr. usque ad hoc tempus. Ingruente autumno acescit. (d. 9. *Sept.*) VIII.

§. Petalogypsi *amita* 34. annorum, adhuc *virgo*; nudius tertius cœpit horrere magnum horrorem; prævia *oscitatione & pandiculatione*, post horrorem *vomitus* insignes aliquot summe molesti: evomebat pituitam ductilem cum pauca bile: sequebatur æstus, hunc *delirium* comitabatur; nox erat inquieta, fuit denique sudor, hinc viribus valde delassata, tempus tolerabiliter transegit. Hodie pomeridie tertia, novus & atrocior, stipatus iisdem symptomatis, paroxysmus. Valde debilitatur, sic, ut *apyrexias* die extra lectum manere nullatenus potuerit. Ordinati quatuor *pulveres* intervallo sex horarum sumendi ex vehiculo seorsim quoque hauriendo:

Petalogypsi *amita*. *Tertiana intermittens cum vomitibus.*

Rec. ♁. *diaph. CC. philos.*
oc. ♋. *ppt.* ⊕. *ppt. an.* ʒß.
ol. caryoph. gtt. ij. *nuc. mosch. expr. gr.* ij. *M.*
divid. in 4. *p. æqu.*
Rec. *Aq. rub. id. plantag. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒj. *sir. cydon.* ℥ß. *M.*

Scrobiculo cordis imponatur *empl. antemeticum* consuetum. Bibat *emulsionem amygdalarum*. (d. 12. *Sept.*)

§. Teretrii *Filiola* triennis a triduo decumbens *variolisque* obsita minimis non recte prodire volentibus; anhelat, æstuat, pavet.

Teretrii *filiola*. *Variola.*

Rec. *Sem. melon.* ʒij. *aquileg. nap. an.* ʒß.
papav. a. ʒj.
aq. fumar. ceras. n. card. ben. an. ℥iß.
F. l. a. Emuls. add.
bez. miner. CC. philos. an. ℈j.
sir. fumar. ℥ß. *M. D. cochleatim in horas dimidias.*

Vesicatorium alteri brachiolo affigatur.

NIVERO *Chirurgus* ex charitate scil. Christiana jam aliquas *mixturas* e seplasia sua depromptas largitus fuerat, forsan etiam ratione *moti peristaltici*, velut apud PLESII *Filiolam*, aliqua facturus. O si calami scriptorii loco novaculas suas rasorias arriperent isti *scioli*! Cæterum lamentabatur iste TERETRIUS, omnes suos liberos a partu aliquamdiu sanissimos, quum aliquousque adoleverint caussarios fieri, & utplurimum tabidos mori. Cum autem persuasus sit, *uxorem* non generare lac nutritioni aptum, infantes suos, postquam vix lucem viderunt, aliorsum per 8. circiter abhinc horas ad nutricatum peregrinæ mulieris elocare,

VIII. nec, nisi post *ablactationem*, repetere consuevit. Hypocaustum vero, quod incolit, est humile, e muris crassissimis exstructum, aëre semper incarcerato non perflabile. Hinc esse credo, quod locis spatiosis & perflabilibus lactati pusiones in hanc specum postea reducti fiant demum *valetudinarii*. Institutum autem plane peculiare, nuper natos exigere domo & urbe, aliique nutrici per quatuor milliarium distantiam absenti, alumnulos concredi, ubi, quid cum ipsis agatur, scire non possis. [d.9, *Sept.*)

IX.

IX.

QUi mana in medio quarti gradus quieverat Mercurius, vesperi dictum gradum dimidia linea superavit. Liquor *thermometri* paullo infra hunc gradum constitutus, in ea statione per totam diem perseveravit. Tota nox cum sequenti die nubila & pluviosa.

Doxoplusius. *Cachexia scorbutica*.

§. Doxoplusii symptomata jam fere talia sunt: Indies magis contabesco & valde palleo, & cum antea sola surarum caro muscula fuerit adeo flaccida, nunc eodem modo se habent femora, brachia, pectus, totum corpus. Appetitus est prostratus, noctes sunt insomnes. Ante crepusculum diei, & pomeridie hora tertia maxime incommode vivo, sic ut aliquando vere animo linquar. Mane os pituita viscida & salsa oppletum, quam ægerrime exscreo, cujus neque color est sincerus. Id mihi quoque hactenus observatum, licet plerumque antemeridie aliquot *theæ* scutellas, singulis quoque pastibus portionem vini ac cervisiæ bibam, interdiu tamen rarissime mingam, noctu autem partitis vicibus fere plus *urinæ* reddam, quam potus accepi. Nunc per aliquot noctes *spasmo* affligor a suris ad usque tarsum protenso. Ab æstu & frigore æqualiter offendor, quamvis calor a frigore semper superetur, neque magis caleam, quam in volis manuum; alias per totam noctem nunquam recte calefio, quin, spatiatum prodiens, toto corpore per motum calefacto facies tamen friget. Prisci dolores ventris ac dorsi nunc mitius cruciant, *asthma* quoque remisit, interdiu nulla *tussis*, noctu nulli *sudores*, caput, præter narium obstructionem & oris siccitatem, bene dispositum. Commercium mihi literarium intercedit cum ARGANDRO, *Medico* Juvene, sed curioso & erudito. Affectum meum vult provenire e *prava digestione* & *constitutione vitiosa ventriculi* & *intestinorum*, ut & diathesi *scorbutica*, a qua *atrophia* & *tumor pedum nocturnus*. Chylum male elaboratum esse viscidum, cui salia acria implicentur, nervos adoriantur, dolores *podagricos* excitent, particulasque pingues alimentosas, quæ

quæ jam partibus affigendæ fuerant, deprædentur, sicque tabis ansam præbeant. *Curam consistere in purificatione sanguinis & correctione primarum viarum.* Suadet, ut sinistro brachio *fonticulus* inuratur; menstruum porro usum *pilularum*: IX.

Rec. *Mol. de hermodact. succin. Crat. ammoniac. Tart.*
magist. gial. ☿ii dulc. extr. panchym. an. ℈j:
troch. alhand. gr. iiij. ol. lign. sassafr. gtt. iiij.
c. bals. peruv. F. pil. ex. ℈j. n. xij.

Sumantur noctu ante somnum 4. ad 5. & mane sequenti 6. ad 7. Alternis diebus *R. ♂. aper* ZWŒLF. It. *elix. aperit.* CLAUD. usurpetur. Præsente alvi constipatione (quæ tamen apud me nulla) laudat mihi methodicum & curativum potum *seri lactis tamarindinati*, robori stomachi simul *morsulis* prospiciendo. *Decoctum* quoque *Bromium* mihi utile futurum sperat. Pulverem denique commendat ex ☿. *stomach.* Querc. ♂ ♂. *cach. antihect.* POT. ☿. *rad. ari, oc. ♋. succin. a ebor. s. △. ⊖. digest. sylv. arcan Tart. sicc. an. ℨß. cum sacch. ℥j. & o. mac.* & *lign. sassafr.* *Postremo* & ⊖. *vol. oleosum* SYLV. *sassafrassat.* cum R. *lign. al.* cum *Thée* germ. sum. Ne quid porro desit, stomacho non reluctante, suadet *lixivium ex Ciner. junip. cum aq. carmin. factum.* Quid tibi de his omnibus videatur rescribe.

Iudicium meum ob certas rationes suspendo. Prudens & sagax Lector facile e curationibus meis, in quantum menti meæ & Stylo hæc omnia congruant, subodorabitur.

§. Accessit me Molitrix *ancilla febri continua* jam ultra quinque dies laborans. Tota æstuabat, sudore diffluebar, artubus tremebat, pedibus insistere non poterat, capite nutabat: Pulsus erat celer & magnus. Quæ, dico, te agunt Intemperiæ, ut in publicum prodire audeas, *febri continua* versus apicem scandente? Respondit, sibi non esse, quem mittere posset. Exprobravi audaciam, dataque schedula, ut ocyus domum reversa in lectum resupinaretur, imperavi. Sumat *pulveris alexipharmaci* CAMERARII ℨß. antemeridie, & tantundem pomeridie, cum vehiculo seorsim quoque usurpando: Molitrix. *Febris continua.*

Rec. *Aq. rub. id. endiv. borrag. an.* ℥ij.
mixt. simpl. ℨß. *sir. papav. err.* ℥ß. *M.*

Deploranda nonnunquam conditio miserorum, qui vix gradiri potentes, cum neminem habeant, qui serviat, ipsi *Medicos* adrepere coguntur. Adeo ardet Christiana Charitas, ut, nisi numis suffletur, ocyus dicto extinguatur. [d. 18. *Sept.*]

IX. Stomachosus & uxor. §. Stomachosus melior, *uxor* adhuc debilis. Ad incendium *febrile* protinus in viro delendum ordinati *pulveres*, intervallo sex horarum ex ordinario potu sumendi, pergendo cum *mixtura* cochleatim bibenda:

Rec. *Mater. perlat. CC. philos.* ♁. *ppt. an.* ℈ß.
ol. anis. gtt. ij. M. F. 3. ℞.

Uxori cum summa virium prostratione insuper *deliranti*, & *liquorem CC. succinatum* ulterius assumere plane detrectanti, *pulveres* alii, eodem, quo superiores, modo usurpandi ordinabantur:

Rec. ♂. *diaph.* ♁. *nat. ppt.* ♁. *ppt. an.* ℈ß.
camph. gr. vj. M. F. 3. ℞.

Notavi *febres continuas* jam propemodum *epidemice* grassantes, virium quasi ex professo deprædatrices esse. Adeo debilitantur ægri, ut vix digitum movere aut verbum profari queant. Semper dormituriunt; multum *delirant*, sudoribus frigidis diffluunt. Sic, ut malignitate omni carere vix dici queant. Modo tamen a nobis tradito & porro tradendo tractati, nulli omnino, per DEI gratiam, perierunt. (d. 10. *Sept.*)

Esmori *Filia*. §. Esmori major natu *Filia* denuo supra glaciem frigida per noctem ejulavit, e fusco viridia continuo dejiciens. Pergat cum nuper ordinatis. (d. 10. *Sept.*)

Æthiopis *Filia*. §. Æthiopis *filia* quum vires recuperet, ac per totam diem extra lectum versari queat, liquida tamen adhuc, quamvis sine ullis *torminibus*, excernat, a me jussa est, ut solum *tragaam granorum actes*, ter in die per aliquot dies usurparet, nec appetitui suo nimium indulgeret. (d. 11. *Sept.*)

Regenotti *uxor*. *Anxietas splenetica*. §. Mutandus fuit animus & Regenotti *uxori* denuo pharmaca præscribenda. Nam & de anxietate præcordiali, & summa lassitudine ac inappetentia querelas agit, quamvis *diarrhœa* remiserit. Nisi succurratur, *melancholiam hystericam* esse metuendam censeo. Sumantur ter in die 2. cusp. cultr. de *pulvere* sequenti ex adjecto vehiculo etiam seorsim usurpando:

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ʒij.
pulv. anal. fr. MIND. *inc. diaph.* ♃ *al. an.* ʒj. *M.*

Rec. *Aq. meliss. fumar. an.* ℥iiß.
hirund. c. castor. ℥ß.
conf. de hyac. inc. ʒj. *sir. cinnam.* ʒij. *M.* (d. 10. *Sept.*)

Lani-

§. Lanicius (d. 7. *Sept.*) hactenus nondum ad se plene rediit. immo denuo *febriles* insultus sustinere cogitur, cum aliquot jam dierum *constipatione*; huic ultimæ, quum opposuissem *potiunculam* OSWALDI fomitem *febrilem* extinguere tento *pulveribus*, quorum dosis una singulis sex horis cum adjecto vehiculo seorsim quoque usurpando, sumatur: IX. Lanicius. *Febricitans interto typo*

Rec. ♁. *diaph. CC. philos.* ☽. *ppt. an.* ʒj.
M. F. 6. pulv.

Rec. ▽. *card. ben. borrag. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒj. *sir. rub. id.* ℥ß. *M.* (d. 10. *Sept.*)

§. Bacillio continuum fere *delirium*, præcipue noctu; nec minor obauditio, præterea alvus justo fluidior. *Vesicatoria* noluit admittere, nec *suppedalia* imposita. Sitis est magna, æstus intensus. Cum *pulveribus* & *mixtura* cochleatim sumenda pergat; *electuarii* sequentis pro lubitu tantillum deglutiatur: Bacillius.

Rec. *Cons. aretosell.* ℥iij.
♁. *diaph. CC. philos. an.* ʒiß.
sir. rub. id. parum. M.

Ut *emplastra vesicatoria* brachiis affigi pateretur, multis persuasionibus impetravi, nec *suppedalia* se ulterius dilaturos promiserunt. *Chirurgus*, qui *emplastra* applicaturus est, fauces quoque inspiciat. (d. 10. *Sept.*)

§. Neritii *Filiam* GNOMILEGUS & ego hac meridie valde debilem reperimus, *Comate* quasi *vigili* afflictam, dormiebat enim, non dormiebat; Stupor magis est, quum *vigiliæ* eam plus satis exerceant, ipsaque recte dormire vehementer cupiat. Sunt adhuc *pulveres*, quibus utatur, & simul cochleatim cordialis *mixtura*: Neritii *Filia.*

Rec. *Aq. conforr. offic.* ℥iij. *scord. rub. id. an.* ℥j.
cor. r. ppt. ʒß. *conf. alk. inc.* ʒj.
sir. fl. tun. ʒiij. *M.*

Noctu, tempore somni, media pars *emulsionis* hauriatur, medietate reliqua in crastinam diem asservata:

Rec. *Sem. 4. fr. maj. an.* ʒj. *papav. a.* ʒij.
aq. scord. ceras. n. rub. id. an. ℥ij.
F. l. a. emuls. add.
mater. perlat. cryst all ppt. an. ʒß.
sir. rub. id. ℥ß. *M.* pro 2. *dos.*

IX. At vero pomeridie *diarrhœam* pati cœpit, ac aliquoties dejecit, ſciſcitati ſunt Parentes, num, hoc non obſtante, tamen propinanda eſſet *emulſio*. Non duxi conſultum. Sed eam in hypogæo cuſtodendam ordinavi, ſurrogato *pulvere* pro 1. doſi ex quol. vehic. accipiendo:

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. *gr. xv. bez. min.* ℈ß.
🜄. *ſigill. gr. v. ol. Nuc m ſch. expr. gr.* j. *M.*

Diarrhœa in *febribus continuis* mihi ſuſpecta ſunt, niſi eveniant critice, cum ſymptomatum remiſſione ſalutari. (d. 10. *Sept.*)

Malchomi *uxor*. *Teneſmus*. §. Malchomi *uxor* cum nudius tertius placidam noctem habuiſſet, quam efficaciæ *pilula um* WILDEGANSIANARUM detuli, heri quoq; ſatis adhuc tolerabiliter viveret, nocte præterita in immaniſſimum denuo ac intolerabilem *teneſmum* incidit. Pro duabus doſibus ordinavi ſequentem *mixturam*:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. ſir. portulac. an.* ℥iß.
eſſ. anod. ℈j. *M.*

Noctu rurſum deglutiat tres *pilulas* WILDEGANSIANAS. Cum *linimento* ano intrudendo, & *unguento* pergat, inſimulque *cataplaſma* frequenter calidiſſime ano admoveri patiatur ex *ſem. lin. cum lacte cocto.*

Teneſmus eſt dolor acerbiſſimus & haud raro difficulter compeſcibilis. (d. 10. *Sept.*)

Anthus. §. Anthus cum paroxyſmo ſuo *febrili* rurſum acerrime luctatus fuit. Pergat cum medicamentis ultimis. (d. 10. *Sept.*)

Capiſtrani *Filiolus*. *Dyſenteria*. §. Capiſtrani *Filiolus* natu minimus ſeſquiennis *dyſenteria* per triduum laborat, quam *dentitioni* acceptum ferentes neglexerunt. Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag. burſ. paſt. an.* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
Cor. r. ppt. CC. uſt. ppt. an. ℈j.
ſir. cydon. ℥ß. *M.*

Abdomen ungatur calide & frequenter:

Rec. *Ungu. comitiſſ.* ʒvj.
ol. cydon. maſtich. an. ʒiij. *M.*

Potui detur *emulſio amygdalarum*, pulticulæ, vel farinæ potius pro pulticula admiſceatur pars media *amili.* (d. 10. *Sept.*)

Æxuri *uxorcula*. *Partui vicina non proficiſcantur.* §. Æxuri *uxorcula*, primum gravida, & quidem a partus termino ultra 4. ſeptimanas non remota, iter ſuſcipere volebat in urbem abhinc viginti milliaribus diſtantem. Num id fieri tuto poſſet, rogabar? Dixi *Medicum*, ſepoſitis rationibus politicis, quippe extra forem ſuum collocatis,

catis, id ſemper, quod tutiſſimum eſt, ſuadere debere. Tutiſſimum autem eſſe, ſi tempore pluvioſo, aëre jam horridiuſculo, viis lutoſis &c. domi maneat. Poſſe profectionem hanc bene cedere, idem non poſſe, immo, non bene ceſſuram probabilius eſſe. Quatuor ſeptimanas, cumprimis apud primiparas, non haberi pro termino: Computum cum omnium mulierum, tum maxime primi pararum non raro fallere. Quid ſi partus doloribus in viæ medio. Sub cœlo forte ploraturo, obruatur? Dixit, hoc non futurum, ſeque ſperaſſe, me a ſuis partibus contra parentes ſtaturum. Id vero fruſtra ſperas, occinui; etenim, ſi præter opinionem res male ceſſerit, in conſultorem faba cudetur. Paruit, (d. 1. *Oct.*) IX.

In ejusmodi rebus facilem eſſe *Medicum* non decet, qui nonnunquam interrogatur modo, ut invi ia ſucceſſus infauſti in ipſum devolvatur. Audiunt poſtea: *Medicum te interrogavi, ſapientiorem te eſſe oportebat.*

§. Effectum medicamentorum in Tigurini *Filiolo* nondum laudare poſſum, frequenter dejicit, appetitus minuitur; hilaris tamen eſt, & ſatis adhuc vegetus. *Dentitioni* omnia deberi adhucdum ſentio. Nihil mutandum putavi. (d. 10. *Sept.*) Tigurini *Filiolus tertim.*

§. Medicamenta heſterna *variolarum* mi iades e cute *filiolæ* Teretrii propulerunt. Nondum tamen delirare ceſſat, quamvis ex pulſu & aliis mihi mitius ægrotare videatur. Pergant cum *emulſione* expulſiva. (d. 10. *Sept.*) Teretrii *filiola. Variola.*

§. Excellentiſſimi viri, Medicinæ Doctores, D. D. MÔGLINGIUS. *Archiater Ducalis* D. D. RUOFF & D. D. BÖHMIUS, Practici, mecum inſpexerunt merces pharmaceuticas, quas eximius e noſtris *Pharmacopola* Dn. OTTMANNUS, AMSTELODAMO aſportari curaverat. Quam illæ fuerint omnes nitidæ, quam ſelectiſſimæ, ſcribi non poteſt. Tales ſcilicet, quales in agro noſtro natæ recentiores & vividiores eſſe non poſſent. Viſæ ibi *radices exoticæ*, viſa *gummata*, viſæ *reſinæ*, quaſi e magnis acervis cura ſumma proruta. E plurimis aliis fuit *myrrha*, cui ſimilem nunquam conſpeximus, fuit *agaricus*, ea quantitate, qua nullus antea nobis viſus. Oculos autem, nareis & linguam afficiebant ex INDIIS allata rariſſima & curioſiſſima. Qualia ſunt *deſtillata* in INDIIS *olea cardamomi*, *cinamomi* ex cortice & foliis, *cubebarum*, *caryophyllorum*, *galangæ*, *piperis nigri*, *Zingiberis*, *ſaſſafras*, *Culilavan*, *ſantali citrini*, *terræ indicæ*. Hæc omnia *olea* longe magis ætherea ſunt & penetrantia, quam quæ ex Inſpectio mercium pharmaceaticarum Ottmanniarum.

aro-

IX. aromatis apud nos demum destillantur. Tale quid me jam legisse recordor in aliquo *Historiæ Academiæ Regiæ scientiarum* anno, quamvis locum jam allegare non vacet; nempe quid distent *olea* ex aromatis in EUROPAM vectis destillata ab illis, quæ in Ipsismet INDIIS destillantur, quippe recentioribus, & per diuturnam vectionem maritimam nondum enervatis. *Oleum cinnamomi Indicum* plane exaltatissimæ virtutis erat, ac adeo suavi sapore, ut nil unquam suavius me gustasse meminerim. Inter hæc olea unum quoque signatum erat *oleum* Cajeputh. Sed cum nusquam inveniam, quid sibi velit ea vocula suspicor ego, ex odore quoque & sapore, esse *oleum* Calambouc, quod est species *agallochi*, seu *ligni aloës*. vid. Valent. *Mus. Mus. Lib. II. part. IV. cap. 6. §. 7. & 3. Oleum Terræ Indicæ*, quale sit, ignorare cogor. Ostendebatur quoque *oleum* inscriptum *Zerra ind.* quæ qualis sit, nusquam reperio. *Oleum gratia albæ indicæ* quoque exhibitum non intelligo. Aderat porro *balsamum de* Tolu verum, *balsamum de Mecca*, seu *opopalsamum* verissimum, consistentiæ valde crassæ, odoris & saporis, præ communi *opobalsamo*, suavissimi; *balsamum de* Rackasir. *Spiritus acmellæ indicæ* cum ipsamet herba: de quibus & eorum virtuti diuretica *vid.* Valent. *loc. cit. Lib. II. p. III. cap. 1.* quid sit *herba Paragrai*, etiam nobis ostensa, divinare non possum. Nisi est illud regetabile, quod DALE in *pharmacol.* *supplem.* p. m. 297. PERYGUA vocat, ac describit, quod sint fragmenta foliorum exsiccatorum, festucarum & pulvis, plantæ illius, quam Dn. Biscay in navigatione sua sursum in RIO DE LA PLATA sub titulo: *Herba* PARAGUAY delinavit: quod verisimillimum est, cum ab homine illiterato, istarum curiositatum designatore, facile scribi potuerit, loco PARAGUAY, PARAGRAY. *Radix serpentariæ virginianæ* erat admodum elegans; *Radix Pareiræ bravæ*, radici nostræ *chamaleæ* similis LUSITANIS virtutæ *lithontriptica* celebris? *Radix nostra signoria*, NLNSING, &c. *Cortex Culilavvan*, *Massoy*, qui ambo censentur ex genere *cassiæ caryophyllatæ*; *Cortex* JUBAB. *gummi* KEKENNEMAL; *Lapis cordialis de* GOA, de COROMANDEL. *Lignum Carobaccinum*, *agallochi* simile & insigne stomachicum. *Placentæ Catagamba*; *Faba* S. IGNATII, *Fructus Acajoux* (de ligno solum nomen ex POMETO recenset VALENTINI *p. m. 279.* Denique aderat quoque ⊖. *catharticum* ANGLICANUM ex *aquis Epsomensibus* extractum, præter alia longe curiosissima; Sic ut gratiam apud omnes Naturæ curiosos mereatur vir elegans & industrius.

Monui-

Monuimus hunc virum, ut *Theriacam* dispensaret, quod facere promisit. Injecta quoque mentio *theriacæ* concisioris pro pauperibus, de qua suo loco. IX.

X. X.

MAne Mercurius in tertia linea quarti gradus quiescens vesperi dictum gradum paulum superavit. *Thermometrum*, quale hesternum. Nox fuit nubila, dies serena.

§. In nundinis hisce solennibus me accesserunt viri, qui venum expositurі erant *olea varia destillata, petræ, juniperi, carvi, scorpionum, &c.* hæc quoque animalcula viva, radicem *victorialis*, &c. quales nundinatores e TIROLENSI *comitatu* & CARINTHIA GERMANIAM pervagari solent. Rogabant licentiam sua vendendi. Quamvis igitur sit alibi dictum, extra nundinarum tempus talia venundare prohibitum esse, tunc tamen, quum nundinæ celebrantur, prærogativam quandam, & jus veluti quæsitum isti homines prætendebant, quod ipsis infringere, non unius viri, nedum *Medici*, auctoritate fieri potest. Dedi licentiam. Id solum disquiri meretur: An, si alio tempore has merces vendere non licet, nundinarum tempore de jure & æquo liceat? Mihi videtur, quod non. Privilegia quidlibet cuilibet in nundinis solemnibus venum exponendi sine dubio fundamentum obtinent in libero per totam GERMANIAM commercio, & mutuo quoslibet in sustentatione sua, prout æquum est, juvandi consensu. Jam vero ista privilegia ad sanitatis & vitæ negotium extendi non debent. Recte facit Princeps, vel *Magistratus*, qui subditis suis eatenus de lucro prospicit, ut nemini, nisi inquilino, fas sit, per totum anni tempus merces certas ad necessitatem vel luxum, ad victum vel amictum pertinentes, ita vendere, ut exteris idem facere, nisi in solemnibus nundinis, nefas habeatur. At vero longe aliud est sanitatis negotium. Nam in illis rebus, quæ ad morbos depellendos requiruntur, aut æquum est unicuique mercatori pharmaca sua vendere, aut iniquum est. Sin illud? Cur non omni tempore, etiam extra nundinas? sin hoc? Cur nundinarum tempore civium salutem Harpyis exponere fas sit? Igitur, si *elæopolis* extra nundinas urbem pervagari non licet, in nundinis ipsis æque non licebit. Par est ratio *circumforaneorum* omnium, *circulatorum*, & quocunque nomine veniant harum quisquiliarum nebulones, quin Imperatorum, Regum, Electorum, Principum privilegiis muniti; totum orbem pererrant, & imprudentes emungunt. Cur enim in nundinis magis, quam extra has, incautos fallere liceat? Præterea si maxime ipsorum quisquiliæ quidquam valerent, gladius tamen

Elæopolæ: circulatores *an in nundinis tolerandi?*

X. men daretur in manus furentium, in manus scil. hominum, qui talibus aut plane non, aut saltem non rite uti sciunt, vel utuntur sine prudentia in sui perniciem. Utinam aliquando cum pulvisculo tollantur ista nebulonum Catharmata! Sed, *vivat confusio!*

Regnüzii *uxor.* *Lactis defectus.*

§. Regnüzii *uxor* puerpera queritur de *lactis defectu* & petit auxilium.

Rec. *Lact. lun.* ʒij. *cryst all. ppt.* ʒj.
sem. card. mar. nigell. fœnic. an. ʒiij.
M. F. ℞. *subtiliss. cui adde*
ol. fœnic. gtt. iiij.

Capiat ter in die 3. cusp. cultr. per se. Bibat *emulsionem amygdalinam*; Item, *infusum rad. sigill.* SALOM. in aqua & vino: Sed probe cavendo, ne idem, quod BROMIOSTRABI *uxori* ante quadriennium & huic accidat. Ista enim in *lactis defectu* mulierem suam clinicam in certam *officinam* misit, ut ibi peteret *radicem sigilli* SALOMONIS, (Weißwurtzel) & socius pharmaceuticus ipsi porrexit *radicem hellebori albi* (weise Nießwurtzel) quam, cum immersissent dimidio vini & aquæ, non tantum puerpera, sed etiam ejus infantulus, & puerperæ soror, quæ forte fortuna haustum hujus *infusi* acceperat, horrendos vomitus sustinuerunt, non nisi magno studio a me curati. Tutius igitur est, hanc *radicem* schedulæ inscriptum, quam oretenus, petere; nam in hoc bello ne semel quidem peccare licet.

Stomachosus & *uxor.*

§. Stomachosus & *uxor* per hanc totam diem solito tolerabilius, cum remissione plerorumque *symptomatum* vivebant. Marito scripti *pulveres:*

Rec. *Mater. perlat. CC. philos.*
Ocul. ♋. *ppt. an.* ʒß.
ol. anis. gtt. ij. M. F. 3. pulveres.

Uxori: Rec. ♂. *diaph.* ♁. *nat. ppt.*
matr. perl. ppt. an. ʒß.
M. F. 3. pulveres:

Usus, qui priorum, cum potu ordin. & reliquis pergendo. (d. 11. *Sept.*)

Neritii *Filia.*

§. De Neritii *Filia* heri dictum, quod *diarrhœa* corripi cœperit, atque ob eam caussam *emulsionis* loco datus fuerit noctu *pulvis.* Hodie aliquanto meliorem inveni, quamvis de nocte bis alvum liquidam deposuisset. Heri comederat *placentulas* vel pastillos ex pasta butyracea confectos, cujus interanea continebant *poma* & *passulas minores*

nostr

nostri vocant Aepfel-Kräpflein. Unde *diarrhœam* in hydropota & febricitante extitisse mirum non est. Hesternum *pulverem* in duplo repetere, alterum antemeridie, alterum noctu assumere, & cum *mixtura* pergere jussa fuit. ((d. 11. *Sept.*) X.

Filio duodecenni de *colica flatulenta* querenti, data *mixtura* cochleatim haurienda: Filius. *Colica flatulenta.*

Rec, *Aq. carv. menth. an. ℥ij. carminat. ℥ß.*
R. aurant. ʒij. ess. anod. ℈ß.
extr. Zedoar. gr. ij. sir. chamom. ℥ß. M.

§. Capistrani *Filiolus* per hesterna profecit, ut, si non *dysenteria*, languores tamen alii, remiserint. Pergat igitur cum pharmacis. (d. 11. *Sept.*) Capistrani *Filiolus.*

§. Bacillius adhuc leviter *delirat*, cætera melius habet, æstus non amplius adeo magnus, quin & melius mihi audisse visus est: pulsus longe, quam antea remissior. Præ *electuario* pulveres mavult, qui tales, priorum more utendi, præscripti sunt: Bacillius.

Rec. ♁. *diaph. CC. philos.*
🜃. sigill. an. ʒß. M. F. 3. ♁.

Repetatur *mixtura* d. 8. *Sept.* ordinata, & cum *suppedalibus* pergatur. (d. 11. *Sept.*)

§. Cœlolyri *uxor* quadragenaria vino a juventute adeo dedita fuit, ut fere nil, nisi potaret. Unde factum, ut non tantum in sterili conjugio viveret, sed appetitu ad cibos successive abolito contabesceret, ac rugarum varietate vetulam plusquam septuagenariam referret. Obruebatur interdum tantæ *narium hæmorrhagia*, quæ arte vix ulla compescibilis esset. Nunc a longo tempore *tussi sicca* vexata, viribus adeo sensim defecit, ut hactenus incessu suo lento vultuque lurido spectrum in domo oberranti similis, jam decumbere cogeretur. Accitus inveni pulsum valde debilem, manus frigidas, *tussim* vehementem, *vomitus* assumtorum, *deliquia* interpolata, &c, quod maxime notandum erat, vini vel odorem aversantem. Jam igitur, dico ad *maritum*, de salute conjugis actum est, idque solum adhuc deerat, ut vini tædio caperetur; pauci dies illum cohorti beatarum adsociabunt. Nihil ordinatum, præter *mixturam* cordialem: Cœlolyri *uxor.* *Marasmus.*

Rec. *Aq. confort. offic. ℥iij.*
cinnam. cydonniat. ceras. n. an. ℥j.
conf. alk. inc. ʒj. spec. cord. temp. ʒß.
sir. fl. tun. ʒij. M. (d. 11. *Sept.*)

X. Malchomi *uxor.* §. Malchomi *uxor* ab hesternis omni fere dolore *tenesmode* defuncta placidissime degit. Repetantur. (d. 12. *Sept.*)

Lanicius. §. Lanicius, alvo soluta, *pulveribusque* adhibitis, hodie sibi basilice vivere videtur. Utrum constanter, tempus docebit. ((d. 11. *Sept.*)

Teretrii *Filiola.* §. Teretrii *Filiola* signa quædam non admodum fausta nunc demum præbet. *Variolæ* confertissimæ quidem, sed minimæ, parum fastigiatæ, cum puncticulis nigris in medio, difficulter spirat, anhelitus valde difficilis, continuum *delirium* &c. vix evadet mortem:

Rec. *Unicorn. ver. mater. perlat.*
lap. bez. occid. an. ℈j. *orient.* ℈ß.
♁. *nat. ppt.* ℈j. *M.* F. ℥.

Capiat ternis vel quaternis horis 2. cuspides cultri, *mixtura* sequenti simul cochleatim hausta:

Rec. *Aq. fumar. card. bened. fl. til. an.* ℥j.
epil. L. ℥ß.
ess. myrrh. ℈j. (*ob metum gangrenæ*)
sir. fumar. ℥ß. *M.* (d. 12. *Sept.*)

Ichthyboli *Filiola.* §. Ichthyboli *Filiola* (d. 7. *Sept.*) per ea, quæ d. 6. *Sept.* ordinata sunt, multum profecit, nec urinam ostendit usque adeo limosam. Suasi igitur, ut in cursu medicato alacriter pergerent, medicamentis, ubi consumta fuerint, denuo parandis. (d. 17. *Sept.*)

Grapteris *Filiolus.* Zungenlösen. §. Grapter de *filiolo* natu majore fere trienni sollicitus, quod ferme nullam voculam pronunciare posset, eum mihi inspiciendum ostendit utrum linguæ frenum rite sit laxatum? Ob ihm die Zunge recht gelöset sey? Re accuratius perlustrata vitii nihil in lingua reperi. Consolatus sum parentes, ne animi nimium angerentur; experientia namque comprobari, quod infantes multi tardissime fari discant, immo, quinquennales demum didicisse.

Anthus. §. Anthus durissime a sua *febri* habetur, quæ nunc est *continua paroxyzans.* Pomeridie semper alto quasi *sopore* afficitur, nec edens, nec bibens, nec medicinæ quidquam assumens, vel ad interrogata respondens. Metuo *lethargum vel apoplexiam*, vel certe *convulsiones.* Hodie demum comperi, ipsum bis *mercurialem salivationem* sustinuisse. *Virus* adhuc in massa sanguinea latitare *venereum* verisimile est, indeque durius & periculosius decumbit.

Rec. *Diascord.* FRACAST. ʒij.
♁. *diaphor. CC. philos. an.* ʒj.
F. Electuarium tripertiendum.

Sin-

Singulis sex horis sumatur pars una, cochleatim quoque præbendo mixturam; X.

Rec. *Aq. scord. card. bened. an.* ℥iij.
ess. lign. ʒj. *sir. fumar.* ℥ß. *M.* (d. 11. *Sept.*)

§. Esmori natu major *filia* quamvis hodie lusitaverit, continuo tamen *delirat*, ejulat, vociferatur, contentiosa est. Ter saltem intra nycthemeron alvum deposuit, sed talem, qualem non diu superfuturi. Nil novi ordinatum. (d. 11. *Sept.*) Esmori *Filia.*

§. Plesii *Filiola* (d. 6. *Sept.*) indies magis vires colligit, & mirum, quantum comedit. Dictum, ne nimium una vice cibi præberetur. Pergat cum suo *pulvisculo.* Plesii *Filiola.*

§. Regenotti *uxor* melius habet. Pergat cum usu medicamentorum. (d. 11. *Sept.*) Regenotti *uxor.*

§. Toparii *uxor* (26. *Aug.*) a me petiit, ut pro sudore pellendo aliquid scriberem. Persuasæ enim sunt nostræ puerperæ, bis vel ter durante puerperio necessario cuilibet esse sudandum, quod quandoque, non semper tamen, locum habet. Nostra ob *præfocationes hystericas*, quibus obnoxia est, non sine emolumento sudat, cui fini ordinata ℞. *bezoard.* ʒß. e scutella *thée* sumenda pro dosi una. (d. 13. *Sept.*) Toparii *uxor.* *Sudor puerperalis.*

Filiola d. 8. *Sept.* contra *tormina* ordinata unice profuerunt; Ad *intertriginem* subter axillas, in inguinibus &c. laudavi inspersionem pulvisculi linteo raro includendi: Filiolus. *Intertrigo infantilis.*

Rec. *Ceruss. tut. ppt. gumm. tragac. an,* ʒß.
M. F. *Q. subtiliss. instar alcohol.* (d. 17. *Sept.*)

§. Jam demum Agoranomus per illa, quæ d. 7. *Sept.* ordinata sunt, a doloribus *arthriticis* mitius haberi incipit. Igitur diligentem usum omnibus modis inculcavi. (d. 18. *Sept.*) Agoranomus.

§. Emmusum quoque *electuarium* d. 7. *Sept.* ordinatum a *febri* sua liberaturum esse persuademur, quod paroxysmi vix perceptibiles existant. Sed mira narrant, quanto cum horrore *electuarium* deglutiat, & quam plane virilitatem omnem exuat, quoties appropinquat sumendi tempus. (d. 20. *Sept.*) Emmusus.

§. Tigurini *Filiolus* antiquum obtinet. Tigurini *Filiolus.*

XI.

MErcurius per hanc totam diem in prima linea quinti gradus substitit. Liquor *thermometri* ex matutina statione, medio scil. quarti gra-

X. gradus, vesperi paullum surrexit. Nox erat serena & frigida. Mane nebula densa, & instar nebularum autumnalium quasi *empyrevma* spirans. Dissipata nebula reliquum diei clarum & calidum.

Æthiops, *Pleuritis spuria*, §. Ad ÆTHIOPEM vocatus sum. Vir est 56. circ. annorum, plurium liberorum pater, multis a juventute morbis obnoxius, aliquando quoque *potionatus*. Ad *hecticam* pronus, monogrammus & propemodum plane ex carnis. Nocte præterita, prævio levi horrore, incidit in dolorem lateris dextri punctorium, cum æstu *actussicula*. Pulsus erat celer & magnus, respiratio anhelosa. Lateri dolenti tamen incumbere non potuit, sed opposito: Neque sanguinem sputavit; Judicavi *pleuritidem spuriam*; ordinavi *mixturam* cochleatim sumendam:

Rec. *aq. card. mar. anis. an.* ℥iiß.
pulv. anticol. CAM. ℈ij. ♁. *nat. ppt.* ℈j.
ess. anod. ℈ß. *sir. papav. err.* ʒiij. *M.*

Latus dolens mulceatur *unguento de hyoscyamo*: Vitetur vinum. Vesperi eum nec meliorem, nec deteriorem offendi, *mixturaque* insistere jussi. (d. 14. *Sept.*)

Filia natu major. Narrabant de *Filia natu majore*, (d. 9. *Sept.*) hactenus *dysenterica*, eam heri decies dejecisse flava, nihil sanguinei. Per totam diem e lecto manserat, nimium movebatur, & *trageam granorum actes*, cujus adhuc jugem usum injunxeram, neglexit. Cum tamen & appetitu frueretur integro, & alacris ad munia esset, nil metuendum judicavi: (d. 12. *Sept.*)

Esmori *filia.* §. Esmori *Filia* semper fit debilior; ejulat ac de summis *torminibus* queritur; comedit, sed res nauci, pastilia, poma assata, frixa, alia minus congrua. Interdum veris *deliquiis* fatigatur:

Rec. *aq. borrag. papav rhaad. cinam. cydoniat. an.* ℥jß.
specif. stomach. POT. ℈j. *spec. de gemm. fr.* ℈ß.
elix. vit. Matth. c. ʒß. *ess. anod.* ℈ß.
sir. cinnam. ʒij. *M. D. cochleatim.*

Ventris inunctio crebra *linimento balsamico*:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥ß. *ol. nuc. mosch. expr.* ʒj.
ol. menth. absinth. an. gutt. ℈j.
bals. peruv. schœnanth. ℥. *an.* ℈j. *M.*

Vesperi varia pessimi moris signa, frigus extremorum, tendinum subsultus, oculi torvi. Metuebam *convulsiones*. (d. 12. *Sept.*)

§. Lanicius factus est *tertianarius exquisitus*. Imperavi *Venæsectionem*, non tam ob *febrim*, quæ sanguinis missionem per se non indicat, sed ob fervorem sanguinis, & quod tempus *venam secandi* assuetum adesset. Ordinavi *electuarium febrifugum* toties allegatum, cujus singulis 5. horis qnt. juglandis minoris deglutiatur. (d. 18. *Sept.*) XI. Lanicius. *Tertiana exquisita.*

§. Neritii *Filia* hodie mane spem recuperandæ valetudinis auxit. Ultimos *pulveres* repeti voluimus, & continuare usum *mixturæ* consuetæ: sed vesperi cum eam visitatum redissem, *diarrhœa* denuo miseram vexare cœperat. Igitur noctu assumere jussi *pulverem* sequentem ex quolibet vehiculo: Neritii *filia.*

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. *gr. xij. bez. miner.* ℈ß.
bol. arm. ppt. gr. viij. ther. cœl. gr. j. M. pro 1. dosi.
(d. 12. *Sept.*)

§. Malchomi *Uxor* præterita nocte bene dormivit: Hac tamen die *tenesmus* fores rursum, quamvis aliquo modo civilius, pulsavit. Noctu rursum imperavi tres *pilulas* WILDEGANSIANAS. Cochleatim autem propinari volui *emulsionem*: Malchomi *uxor.*

Rec. *Sem. melon. papav. alb. an.* ℥iij.
aq. malv. chamom. an. ℥iij.
F. l. a. Emuls. add. spec. diatrag. fr. ʒj. *ess. anod.* ℈j.
sir. de alth. FERN. ℥j. *M.*

Suasi quoque *balneum aquæ dulcis*, incoctis *flor. chamom. Sem. lini & hordeo integro.* (d. 12. *Set.*)

§. Cœlolyri *uxor* hodie paullo melius habet, haustulumque vini rursum accepit. An denuo sit inducias pactura cum morte, tempus docebit. Interim est adeo sceleton ut magis sceleton fieri non possit. Cœlolyr. *uxor.*

§. Bacillius heri *profluvium alvi* tale accepit, ut lectum quoque inscius vel inadvertens permerdaret, quæ res me sollicitum habet, cumprimis, quia & æstus adhuc adest, & sitis cum *obauditione*. Tres *pulveros* priorum modo utendos ordinavi: Bacillius. *Alvi profluvium.*

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. ʒj. *bez. min.* ℈j.
🜄. *sigill.* ℈ß. *ther. cœl. gr. iij.*
M. F. 3. ℥*es.*

Noctu sumantur sex *pilulæ* ex an. gr. iij. *extr. Bez. & papav. comp.* formatæ. Bibat *emulsionem amygdalinam.* (d. 32. *Sept.*)

§. Hamaxeus vocavit ad *filiolum* natu minimum, fere anniculum Jam a principio mensis *Julii* puellus adhuc vegetus, languere cœpit, *diarrhœam dentitioni* adscriptum accipere, cibos quoslibet aversari Hamaxei *filiolus. Atrophia.*

soli

XI. ſoli potui inhiare, abdomine turgido craſſeſcere, artubus & reliquo corpore macreſcere. Cum abſens tunc *acidas* GÖPPINGENSES adiſſem, alius *Medici* conſilio, & quum hic ante 14. dies etiam alio profectus eſſet, neſcio quorum vel quarum qualibus conſiliolis, vixerunt; Vocatus comparui, & vidi miſerabilem creaturam, præterque tumidum abdomen, verum ſceletos. Puellus continuo quiritabatur, nil edebat, nil pharmaci ſumebat, dejiciebat liquida, vomebat; facies prout *ſilicernii* rugoſa, cutis arida & ſqualida. Quid, inquam, vultis a me fieri, cum puellus omnia pharmaca recuſet? Omnia ſe tentare velle dixerunt, modo, quod eſſet efficaciſſimum, præſcriberem. Igitur cogitationes ad *obſtructiones meſenterii* & *diarrhœam* ſimul intendens ordinavi *pulviſculum*, cujus ter in die 2. cultri cuſpides quovis excogitabili modo præbeantur:

Rec. *Spec. antatroph.* ʒj. *ſpec. diacr.* Mynſ. ʒß.
ol. nuc. moſch. expr. gr. ij. M.

Cochleatim detur *mixtura*:

Rec. *Aq. capon. M.* ℥ij. *plantag. ceraſ. n. an.* ℥j.
-⊖*. *aniſ.* ℈j. *ſir. papav. err.* ℥ß. *M.*

Spinæ dorſi *unguentum reſumtivum*. (d. 12. *Sept.*)

Capiſtrani *filiolus.* *Dyſenteria.*

§. Capiſtrani *Filiolus* per excretiones ſuas cruentas & torminoſas ſe vere *dyſentericum* eſſe declarat. Singulis 4. horis dentur 2. cuſp. cultr. de *pulviſculo* ſequenti:

Rec. *Trag. gran. act.* ʒj. *ther. cœl. gr. ij.*
cor. r. ppt. ▽. *catech. pulv.* March. *an.* ℈j. *M.*

Cochleatim infundatur *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. ceraſ. n.* ℥j.
cinnam. cydon. ℥ß. *epil. M.* ʒiij.
ſir. myrtill. ℥ß. *M.*

Bibere pergat *emulſionem amygdalarum* panni aſperi frictu prius a pulverulentis ſordibus liberatorum, hinc una cum glumis contuſarum. (d. 12. *Sept.*)

Stomachoſus *& uxor.*

§. Stomachoſus hodie vix paroxyſmi veſtigium ſenſit, & de reliquo ſibi belle habere viſus eſt. Juſſi hodie a medicamentorum aſſumtione feriari, viſurus, num natura propriis viribus hoſtis reliquias propellere poſſet; quod haut raro facio, indeque meas indicationes ſumo. Sed & *uxor* paullo melior, niſi quod de *alvi conſtipatione* queratur. Iterum ſuaſi *clyſterem* nuper præſcriptum & repetitionem *pulverum* ultimoaum. (d. 12. *Sept.*)

§. Hodie

§. Hodie Hygiolithum (d 4. *Sept.*) quem 5. *Septembris* adeo bene constitutum reliqueram, mortuum esse, non sine stupore comperi. Morbi cursum ulteriorem a relicta vidua scriptis expiscabor. Interim jacturam feci amici integerrimi & e paucis longe suavissimi, de quo vere dicere poteram, quod ipse vir beatus aliquando ad me scripsit, immo plenicre adhuc ob inopinatam mortem jure & versu dicere possum, nempe, quod habetur 2. *Sam. I. v. 26. Dolet mihi super te, Frater mi* JONATHAN; *suavis fuisti mihi valde: mirabilis fuit amor tui mihi præ amore mulierum.* Molestum est *Medico* in distans curare. Non dico, me virum hunc bonum ex emortualis orci faucibus, si præsens, erepturum fuisse, præsentes enim *Medici* industriæ suæ sine dubio reliquum nihil fecerunt. Interea tamen me non adfuisse doleo, quamvis, cur doleam, propemodum ipse ignorem. Talis certe morbus fuit, qui *Medici* præsentiam postularet. (d. 25. *Sept.*) XI. Hygiolithus.

§. Scepomactis *Filia* 17. annorum, *febri tertiana intermittente* laboravit, quam, ut depelleret, alicujus suasu, *cochleam domiportam vivam de collo suspendit*, & brevi liberata fuit. *Amuleti* hujus vim non capio. Verbis aut cerimoniis hic nihil actum. Ab eo tamen tempore *febri* sufflaminata, non curata, male habet puella: pallet anhelat, cor *palpitat*, artus delassati sunt, sitis adest, inappetentia cum dolore capitis, *vertigine* & *cardialgia* vexant. Quid salutarius hic indicari queat, quam *catharticum* primas vias sursum deorsum turbans? Datus *pulvis* pro una dosi: Scepomactis *Filia.* *Febris tertiana interm.*

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. tart.* ℈j.
dacryd. gr. iij. ℳ.

Postea ter in die guttæ xxxx. *mixturæ* ex jure calido vel alio vehiculo dentur:

Rec. *Ess. absinth.* ℥ij. ⊖. *vol. oleos.* ℥j.
℞. *croc.* ℈j. *M.* (d. 20. *Sept.*)

§. Postquam Anthus *olei olivarum haustum* assumsisset, alvo soluta statim mitius ægrotavit, & symptomata omnia remiserunt. Jussi tamen, ut cum heri ordinatis, quæ recusaverat, pergere ne obliviscerentur: fomitem enim morbi nondum exstirpatum esse. Anthus.

§. Regenotti *uxor*, quamvis aliquatenus melius habeat attamen de *vertigine stomachica* valde querebatur. Erat *vertigo* tenebricosa, tunc utplurimum, quum stomachus vacuus fuit, etiam in lecto decumbentem, exercens. Quod puerpera ab octo diebus hactenus fere nihil Regenotti *uxor.*

XI. omnino, quam jurulenta, comedisset, cibum concessi solidiorem, sed eupeptum tamen, & cum consuetis pharmacis pergere jussi. (d. 13. *Sept.*)

Pannonius. *Pemphinges.* §. Pannonius (7. *Sept.*) denique in conclave calefactum se recepit. Sed non tantum dolores *arthritici* vehementer cruciant, verum & æstus cum siti magis augentur, & per totum dorsum *pemphingum* semen canabis quantitate æquantium conglomeramina videntur, sic ut occultæ *febris continuæ* metus non omnino vanus adsit. Ordinabam duos *pulveres*, quorum unus hodie vesperi, alter cras mane sumatur:

Rec. ♁ *diaph. CC. philos.* ♁ *nat. ppt. an.* ℈j. *M.*

Noctu autem ante somnum hauriatur *mixtura mucilaginosa*, mihi in doloribus *arthriticis* pertinacibus probatissima:

Rec. *Mucilag. sem. psyll. c. aq. fl. paralys. extr.* ℥j.
sir. de alth. FERN. *papav. alb. an.* ℥ß.
ess. anod. ℈ß. *M. pro* 1. *dosi.*

Unica dosi hujus *mixturæ* nonnunquam dolores *arthriticos* per 3. septimanas sine successu oppugnatos, feliciter expugnavi. (d. 13. *Sept.*)

Dioptricos. *Idiosyncrasia.* §. Dioptricus in discursu mihi fassus est, se *antimonium diaphoreticum* nullatenus perferre posse, eoque sumto statim cum anxietate summa *vomere*. Tentatum id esse a variis *Medicis*, sed infausto semper cum successu. Mirabilis *idiosyncrasiæ* varietas, cujus tot stupenda hinc inde recensentur exempla, quorum rationem dare perdifficile est. Interim interest *Medici*, ut sciat, quæ medicamenta pati, quæ non sufferre possint ægroti: sæpe enim in mea mihi praxi observatum v. gr. *mixturas* aliquas adeo nil profecisse, ut potius dolores intenderentur aliaque mala sequerentur; re examinata fortasse ingredientium numero comprendebatur aliquid ægroto vi *idiosyncrasias* adversum, *cinnamomum*, *camphora*, *crocus* &c. quibus exesse jussis, felix erat medicatio. (d. 12. *Sept.*)

Capsopoei uxor. §. *Uxor* Capsopoei (8. *Sept.*) *hæmorrhagiæ uterinæ* novum quendam insultum passa excrevit abortum pollicis magnitudine. Vehementer adhuc *tussit*, & cum nuper *passulatum* HORSTII pro potu ordinario laudassem, mater ipsius potum scil. suaviorem & magis efficacem redditura, *liquiritiam* adjecit. Bibere non potuit, eo quod *liquiritiam* a natura sibi adversam esse affirmaret. Igitur, ut posthac omitteret, præcepi. Prævia *laxatione* cum *potiuncula* OSWALDI curam *seri lactis caprilli* suasi, simplicis quidem hujus, nec incoctis variis herbis alterati, quod sine *antiphthisico* non bene fieri persuasi sumus. Aliter se res habet cum *sero lactis*, quod

quod variis ejusmodi *vegetabilibus* medicatum reddere magis congruum est. (d.26.*Set.*) XII.

XII.

MErcurius in medio quinti gradus quiescens vesperi paullo profundior fuit; *Thermometrum* idem quod nunc ab aliquot diebus semper Nox serena fuit & frigida, dies itidem clara & mediocriter calida. Noctes hæ frigidæ vinitoribus displicent, eo quod lignosa vitium substantia mollior adhuc sit, nec ossificata; Es kan sich das Rebholtz nicht beinen/ ajunt: quod, nisi fiat, frigus hiemale sustinere non potest.

Sceptrifer. *Hypochondriacus.*

§. Sceptrifer, vir 56. circ. annorum, haut ineleganter litteratus, ad me venit & conqueritur de continuo ac permolesto non tam *tinnitu*, quam *susurro ambarum aurium*, sic, ut interdum loquentes audire vix possit, symptomate *verbi divini Praconi* valde incongruo existente. Caput non dolet, vertigo interdum levis adest, appetitus sibi constabat, somnus erat interruptus. Consuluit inter alios *empiricum* quendam *alchimistam* jam ante annum ex *dysenteria* mortuum, qui caussam mali conjiciebat in *venæsectionem* infaustam, intempestivam, signo non favorabili administratam. Vanitas! Talia, si veræ forent, actum esset de *venæsectionibus* in casu necessitatis, ubi signa fausta expectare non licet, quovis *Zodiaci signo*, quovis planeta, scil. regnantibus quavis diei noctisve hora, celebrandis. Miseros *Philosophos* cum ejusmodi ætiologiis! PELERINUS *catarrhis acribus* rem detulit, & *scarificationem in auricula* suasit. Fundamentum ejusmodi *scarificationis* quo stet talo, ipsius Patroni dispexerint. Ego, qui jam diu virum novi, *susurrum* hunc *hypochondriacum* symptoma pronunciavi. Se enim esse *hypochondriacum* vir ipse negare non poterat, qui nonnunquam effusissime hilaris ex improviso morosus citra caussam vel in lacrymas exsolvitur; macilentus est, *picrocholus*, meditabundus, suspicax, nunc affatim, & minus, quam decet, appetens, nunc cibum aversans, &c. Dedi *haustum laxativum* consuetum; postea commendavi *masticatorium* itidem consuetum e *sem. staphid. agr. rad. pyrethr. imperat. mastich. cubeb. sel. & caryoph. arom. gr. m. contusis* & mane nodulo quantitate avellanæ innexis masticandis; Mane vero & noctu sumantur guttæ xxx. *mixtura* ex quolibet vehiculo:

Rec. R*æ.* ♂. *helleb.* ʒij.
ess. lignor. succin. an. ʒj. *M.*

XII. Æthiops. §. Æthiops aliquanto mitius degit, dolore quamvis nondum plane cessante: pergat cum *mixtura* hesterna. (d. 13. *Sept.*)

Filia major. *Filia* natu major adhuc multa & sæpe dejicit, sed incruenta, appetitu integro, viribus increscentibus magis, quam decrescentibus. *Trageam granorum actes* nondum assumsit. Habeat igitur sibi. (d. 13. *Sept.*)

Esmori *Filia.* §. Esmori *Filia* lyram consuetam lyrat, indies tamen viribus magis fractis. Ostendebant vesperi *butyrum viride potabile*, idque sibi valde ad affectum commendatum fuisse prædicabant, introsumtum. *Torminibus* equidem sedandis oportunum esse remedium dixi, sed alvi fluxum promovere potius, quam sistere vel moderari. Quantum scio, non adhibuerunt. (d. 13. *Sept.*)

Teretrii *filiola.* *Variola.* §. Teretrii *filiola* (d. 10. *Sept.*) præter opinionem meam ab usu pharmacorum d. 10. *Sept.* ordinatorum *variolas* suas non male excoquit. Leviter spirat, delirare desinit, sitis remittit, *variolæ* bene constitutæ. NIVERO *Chirurgus* dedit *eclegma*, sed plane præter rem ac necessitatem, quum fauces nil vitii ostendant. Moleste officiosus est ille *Pantopragmon*. Si necesse fuisset, ego ipsemet *eclegma* ordinaturus eram. (d. 13. *Sept.*)

Neritii *filia.* *Febr. cont.* §. Neritii *Filia* per totam noctem placide dormivit, ne semel quidem alvum deponendo, quod tamen mane surgens, usque ad hanc antemeridianam decimam horam, denuo ter facere coacta fuit. Dati *pulveres* bini, quorum unus pomeridie, alter cras mane sumendus:

Rec. *Mater perlat. ebor. fossil. an.* ʒ ß.
ol. nuc. mosch. expr. gr. iiij. *M.* F. 2. *pulv.*

Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag. scord. an.* ℥ iij.
cor. r. ppt. mater. perl. an. ʒ ß.
conf. de hyac. inc. ʒ j. *sir. cydon.* ℥ ß. *M.*

Repetatur *pulvis* hesternus nocturnus. (d. 10. *Sept.*)

Capistrani *filiolus.* §. Capistrani *Filiola* frequentius, copiosius & magis cruenta, quam heri dejicit. Nil tamen vel in methodo vel medicamentis mutandum esse censui. (d. 10. *Sept.*)

Hamaxei *filiolus.* §. Hamaxei *Filiolus* heri ordinatorum nihil assumit. Ne hilum in melius mutatur affectus, immo vires magis fatiscunt, cum nec *juris calidi* guttam admittat. [d. 9. *Sept.*]

Bacillus. §. Bacillius alvo tametsi adhuc lubrica, tamen in aliquibus melius

melius habere videtur; ratio redit cum aliquantillo appetitu, & æstus valde remittit. Repetantur hesterna medicamenta. (d. 13. *Sept.*) XII.

§. Malchomi *Uxor* noctem placide transegit, *pilulis* WILDEGANSIANIS officio suo rursum satisfacientibus; sed cum jam dolor quantillus denuo ingruere videatur, necessarium judicavi, ut mulier purgaretur; præscripsi ergo in crastinam diem *haustum laxativum* consuetum. Malchomi *uxor*.

Narrabat mihi hæc mulier, se ante sexennium post laboriosum *partum* per 14. septimanas *ventris dolores* intensissimos sustinuisse, idque sibi venisse, quod ab obstetrice post partum negligeretur, & nimium ante frigus hausisset, quam in lectum duceretur. Omnia fuisse a *Medico* exhibita, *pulveres*, *olea*, *clysteres*, *unguenta*, *emplastra*. Frustra. Curatam se denique fuisse a solo *decocto foliorum sennæ cum jure prunorum dulcium* facto, & bis assumto; hinc enim, alvo semper largissime soluta, dolores abolitos esse.

Sæpenumero fit, in *partubus* cumprimis *laboriosis*, ut post exantlatum fœtum obstetrices fœtui inserviendo matrem, vel, matri accurrendo, fœtum negligunt. Hinc aliæ prudentes mulieres his actibus ut adsint, semper necesse est. Cumprimis omni modo cavendum, ne puerperæ frigidum aërem admittant; sexcenta enim hinc mala oriri possunt, inter quæ eminet *lochiorum suppressio* & *capitis dolores* ante nulla compescibiles. (d. 13. *Sept.*)

§. Petalogypsus, stabularius, currum sustollere laborans in *epigastrio* sinistro, prope lienis situm, sonum quasi ruptorium sibi audire visus est, & dolorem percepit in loco dicto. *Tumor* interim vel rubor non aderat, non vomebat, cruentum neque exspuebat, neque per alvum excernebat. Eum multum damni passum esse, non credo. Ne tamen officio defuisse viderer, postquam *oleum olivarum* cum *unguento rubro potabili* jam haussisset, ordinavi mane & noctu ʒß. *pulveris ad casum officinalis* ex jure calido; Foris impositionem *emplastri diaphor.* MYNS. Petalogypsus. *Ab onere sublato dolor.*

Ejus *amita* (8. *Sept.*) *tertianæ intermittentis* exquisitæ typum exhibens accepit a me *electuarium antipyreton* consuetum. *Ejus amita. Febr. tert. interm.*

§. Architecti *Filia* 20. annorum, vultu roseo prædita, faceta, amabilis, *menses* ultra semestre paucissimos & a trimestri nullos habet. *Asthma* adest cum *tussi molesta*, *palpitatio cordis* & *carotidum* externarum, lassitudo, sitis. Valde difficilis sum ad præbenda *purgantia*, & fortius pellentia non nisi summa cum cautela solis istis exhibere soleo, de quarum probitate mihi tantum non certo constat, quamvis in hoc mundi sene- Architecti *filia*. *Mensium suppressio.*

XII. senecta fere nemini sit amplius fidendum. Sumat mane & pomeridie cusp. 3. cultri de *pulvere* tali, sequente corporis motu:

Rec. *Troch de myrrh. chalyb. c.* ♎ e ʒij.
borac. ven. ℈ij. *succin. a. ppt.* ʒß.
croc. opt. ℈j. *spec. diatrag. fr.* ʒiij. *M.*

Noctu ante somnum sumantur guttæ xxxx. *mixturæ* sequenti:

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ʒij. *R. croc.* ℈j. *M.*

Utrorumque vehiculum sit *Decoctum pectorale* e speciebus officinalibus paratum, cujus ter in die, medicis horis, haustus calidus hauriatur. Diæta sit congrua. (d.30. *Sept.*)

Trabeculi *uxor.* *Dysenteria.* §. Trabeculi *uxor* 50. annorum ante biduum correpta fuit *diarrhœa* cum *torminibus*; accepit *theriacam*, *vinum rubrum* &c. Sed malo sic interim aucto, ut cruenta quoque dejiciat, cum aliquali *tenesmo*. Vomuit quoque bis vel ter. Obesa est. Vellem jamjam convaluisse. De *dysenteria* certus hodie scripsi *mixturam* cochleatim sumendum:

Rec. *Aq. plantag. charesol. an.* ℥iij.
♁ *diaph. terr. catech. an.* ʒß.
ess. anod. ℈ß. *conf. de hyac.* ʒj.
sir. frag. ʒiij. *M.*

Cras mane sumatur *pulvisculus* ex *jure calido*, jus calidum sæpissime & affatim superhauriendo:

Rec. *Rad. Ipecac. subtil.* ℈iß. ℈j. *cinnam.* ℈iß. ℈ß. *M. pro 1. dosi.* (d. 13 *Sept.*)

§. Frater meus HALIS SUEVORUM mihi scripsit, *dysenteriam* ibi valde grassari, multosque, cumprimis infantes, abripere; Numerum mortuorum hisce diebus auxisse *Physicum* loci *ordinarium* D. D. BAUMANNUM, sexagenarium, Practicum veteranum, qui, sine dubio *febri maligna* semet associante, intra quinque dies, vitæ pausam fecerit. Rogavit, ut qua methodo *dysentericos* tractarem, ipsi transscriberem. Feci: quæ, cum alia non sint, quam his ipsis paginis contenta, plura non addo.

Stomachosus & *uxor.* S. Stomachosus cum *uxore* periculo erepti videntur. Cum tamen ipse præterita nocte rursum sentiat calorem præternaturalem, naturæ soli totum opus concredere non tutum esse ducens, *pulveres* d. 10. *Sept.* ordinatos repetere jussi. (d. 14 *Sept.*)

Apiarii *uxor.* §. Apiarii *uxor*, [d. 8. *Sept.*] per DEI gratiam plene convaluit.

§. *Cameræ Ducalis Præses*, generosus *Dn. de* TESSIN mihi monstravit ferri mineras elegantissimas ac divites in districtu MURHARTENSI &

BAK-

BAKKANANGENSI nostri *Ducatus* erutas, & inter alias, frusta valde ponderosa, superficiem fere terræ lambentia, oblonge rotunda, & obscure rubra, quas *Renes* vocare solent *Metallurgi*; Erznieren. Qui, ubi inveniuntur, illa loca *mineris* abundare creduntur, fodienda proinde, quamvis interdum profundissime sepeliantur *metalla*. Factum alicubi initium; sed aquæ scaturigines fossores impedire cœperunt, quæ aliorsum derivandæ sunt, priusquam ulterius procedere liceat. Inclytus hic *Ducatus*, nondum omnes thesauros suos in gazophylaciis subterraneis reconditos novit. XII.

XIII.

XIII.

UTraque vasa, qualia heri vesperi, quamvis hac ipsa vespera Mercurius quartum exacte gradum occupaverit. Nox fuit serena, Dies varia, calida tamen, sed calore per ventorum placidorum susurros temperato.

§. Empoli *uxor* 36. ann. conqueritur de anxietatibus *spleneticis*: Interdum sibi sine ulla caussa plorandum esse; cor quasi pondere magno pressum, Die gantze Welt sey ihr zu eng. Es klopffe alles zusammen in Brust und Kopff. *Alvum* esse *constipatam*, ventrem rugire, *phlogoses* affligere &c. Rogata de *mensibus*, eos parcissime & inordinate fluere dicebat. Hoc anni tempore non amplius, nisi urgeat, *emetica* præscribere soleo, memor moniti HIPPOCRATICI *sect.* IV. *Aph.* 4. *Æstate superiores ventres potius medicamentis repurgato, hyeme vero inferiores*.

Empoli *uxor*. *Melancholia hysterica*.

Purgans igitur *catotericum* tale ordinavi:

Rec. *Gial. n. resin. Crem. tart. an.* ℈j.
dacryd. gr. iiij. M. pro 1. dosi.

Exantlata *purgatione* mane ac pomeridie sumat ʒ. cusp. cultri de *pulvere* pone sequenti ex vehiculo quolibet, corpus movendo:

Rec. *Alcohol chalyb.* ℥j. *rad. Zedoar.* ʒij.
fibr. helleb. n. ʒii.
myrrh. r. pulv. cinnam. ⊖. *fumar. an.* ʒj. *M.*

Noctu ante somnum gtt. xxxx. *mixturæ* ex cochl. vini:

Rec. R. ♂. *helleborat. elix. aper. Claud. an.* ʒiij. *M.*

Hisce symptomatis mature occurrendum, nam *melancholia* hæc, si mentem valide turbaverit, ægre curatur: suspicaces enim & immorigeri sunt hi patientes, & in illis tractandis est opus prudentia. Cum inquiris in eorum morbum, non interrogandi sunt, cujuscunque sint sexus, an sint

melan-

XIII. *melancholici*? Diffitentur enim, & non libenter sic interrogari volunt. Ego plerumque sic interrogare soleo: Ist man nicht zu Zeiten etwas moros?

Quibus *chalibeata* scribo, eos semper præmonere soleo, ut, post aliquod dierum usum perlustrent *alvi excreta*, ea enim fore *nigri coloris*, quod si vidissent, ne quid mali ominarentur; nigredinem enim esse effectum medicinæ. Nisi moneantur tales & forte fortuna excrementa sua videant, ab earum nigredine perterriti, tristissima sibi quoque imaginantur. *Melancholici* enim præ aliis e muscis elephantos facere consueverunt.

Esmori *filia.* §. Esmori natu major *filia* multum *tussire* incipit, & licet ex rhonchis pituita in motu esse cognoscatur, ad exscreationem tamen perficiendam vires non adsunt. Medicamenta etiam ulterius assumere recusat, exceptis solis *tragematis*. Hinc ordinatus *pulvis* ter in die ad 2. cusp. cultri sumendus:

Rec. *Trag. arom. offic.* ℨij.
spec. diatrag. fr. antihect. Pot. an. ℨß.
ol. cinnam. gtt. j. M.

Cochleatim præbeatur *eclegma* ex *mucilag. sem. cydon. cum aq. ceras. n.* (quæ forte aderat) extracta: admixto *sir. mororum*. Pectus & latera, quæ a *tussi* dolere dicit, *unguento viridi potabili* ungantur. (d. 10. *Sept.*)

Æthiops. *Pleur. Spuria.* §. Æthiops nocte præterita parum dormivit, *dolore* quippe *lateris punctorio* nondum plane cessante. In crastinum ordinavi *potionem laxantem* consuetam. *Uxor* dicebat, laudatam sibi fuisse remedium ad consolidanda post *dysenteriam* intestina: *sacchari canariensis* ℥iiij. *coquantur cum sextario lactis vaccini ad consumtionem dimidiæ partis.* Hauriatur calidem. Non improbavi; malle me tamen, ut *sacchari pondus* diminuatur; dixi.

Filia. Quid post dysenteriam faciendum?

Capistrani *puellus.* §. Capriani *puellus* tolerabiliter vivit. Male ominantur Parentes ob inediam: dixi, puellum nutriri *emulsione amygdalina*, quam affatim haurit. Inappetentia neminem in morbis terrere debet, cumprimis acutis & affinibus. Natura enim, tunc aliis motibus intentata digestioni ciborum vacare non potest. Hinc ægri nunquam, ut cibum assumant, vi cogendi, quod multi perperam faciunt; cumprimis autem mulierculæ cum ferculis suis (nonnunquam morbo quam minimum congruis) operosæ esse solent, quarum intempestiva beneficentia modeste reprimenda. (d. 14. *Sept.*)

Ephippi *uxor. Ablactatio.* §. Ephippi *Uxor* ob artuum dolorem ab debilitatem *balneis cervinis*,

vinis utitur & simul *lactat* puellam minimam. Quærit an *ablactare* liceat? differendam esse censui *ablactationem*, metuens, ne si puella potui alii nondum asueta forte languere inciperet, mater in cura turbaretur. Præstiterat ante *balnearum* usum *ablactasse*; sed consultus non fui. XIII.

§. Lerolus quamvis ab *infuso* d. 26. *Aug.* ordinato nil amplius *purgatus*; ad se tamen sensim rediit, vimque dicterii vulgati elusit, *quod purgationes retentæ sint instar veneni* Saltem appetitum sibi meliorem optanti, suasi usum *essent. absinth. ad* gut. xxxx. sis in die cum vino sumendæ. Lerolus. *Inappetentia.*

Filiolo (d. 23 *Aug.*) per præscripta d. 14. *Aug.* a *febre* sua penitus liberato *purgans*, in supplementum curæ, ordinavi: *Filiolus.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℨß. *magist. gial. gr. iij. M. pro* 1. *dosi.*

§. Toparii *Uxor* [10. *Sept.*] cum *asthmate* raucet, ac pressionem circa præcordia sentit. Exscreatio nulla. Pituitam viscidam bronchia occupantem resolvendam esse ratus, ordinavi *mixturam* ad guttas xxv. ter in die, cum adjecto vehiculo, seorsim quoque hauriendo, sumendam: Toparii *uxor.* *Asthma cum raucedine.*

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ʒij. ꝶ *croc.* ℈j. *M.*

Rec. *Aq. acac. hyssop. majoran. an.* ℥iß.
sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Adest simul *dolor capitis.* (d. 18 *Sept*)

§. Trabeculi *Uxor* ab *Ipecacuanha* hodie egregie vomuit, nec admodum dejecit. Sumat jam singulis 5. horis cusp. 3. cultr. de *pulvere* sequenti per se, postquam noctu 9. prius *pilulas* ex *extr. bez. torment. & papav. comp. an. gr. iij. c. ess. anod. factas* deglutiverit: Trabeculi *uxor.* *Dysenteria.*

Rec. *Trag. gran. act.* ℥ß.
Cor. r. ppt. bol. arm. ppt. ▽. *catech. an.* ʒj.
nuc. mosch. ☿. *extr. torment. gumm. arab. an.* ʒß.
extr. papav. comp. ℈j. *balsamosacch. peruv.* ℥j. *M.*

Sacculus ex *herb. equiset. fol. querc. & furfur. an.* paratus abdomini calide applicetur. (d. 14. *Sept.*)

§. Neritii *Filia* paullo mitius ægrotat. Cum vini sit appetens, nec æstus adeo magnus, GNOMILEGUS permisit, ut pomeridie *intritam* comederet ex *part. 2. aq. & part.* j. *vini*, *cum grumis panis secalini*, *cinnam. & saccharo.* Libentius consensi ob nondum sedatam *diarrhœam*, datis tamen simul *pulveribus stomachicis* ultimis. Accepit suam *intritam* & indormiit. d. 14. *Sept.*)

XIII. Regenoti *uxor.* §. Regenotti *uxor* (d. 11. *Sept.*) a solidiore cibo vires recipit. Cum medicamentis pergere *jussa*. (d. 18. *Sept.*)

Teretrii *filiola.* §. Teretrii *filiola* periculo omni exemta. (d. 20. *Sept.*)

Bacillius. §. Bacillius convaliturus videtur. *Diarrhœa* cessat, Redit appetitus. Fervor sanguinis est temperatus. Dormit. (d. 15. *Sept.*)

Hamaxei *filiolus.* §. Hamaxei *Filiolus* morti proximus. Sed qui aliter posset, cum neque cibum nec pharmaca admittat? Concessi modicum *vini* HISPANICI. (d. 15. *Sept.*)

Malchomi *uxor.* §. Malchomi *uxor* leniter evacuata, quoad *tenesmum*, optime habet. Cum tamen *hystericis insultibus* creberrime se cruciari queratur, pro usu futuro in quibusvis id generis insultibus, ordinavi *mixturam* ter in die ad gutt. xxx. ex adjecto vehiculo, seorsim quoque hauriendo, summendam:

Rec. *Ess. chin. chin. castor. an.* ℨiß.
anodyn. ℈j. ⊖. *vol. oleos.* ℨj. *M.*
Rec. *Aq. chamom. malv. an.* ℥iij.
hirund. c. castor. ℨvj.
conf. alk. inc. ℨj. *sir. papav. a.* ℥ß. *M.*

Trulli *filiolus. Interm. quartana duplex.* §. Trulli *Filiolus* 13. annorum *quartanæ duplicis* paroxysmos jam ternos sustinuit. Una est dies *apyrexias*: bini sunt *pyretici.* Præscripsi in crastinam diem *haustum emetico-catharticum*:

Rec. *Aq. laxat:* VIENN. ℥iij.
sir. de cich. c. rh. emet. an. ℨiij. *M.*

Postea singulis 6. horis 3. cusp. cultr. de *pulvere* per se, vel cum potu ordinario sumantur:

Rec. *Matr. perl. ppt.* ♁. *diaphor.*
conch. ppt. fl. ⊖✱. *an.* ℨj.
elæosacch. caryophyll. ℥ß. *M.* (d. 19. *Sept.*)

Pannonius. *Arthritis.* §. Pannonius (d. 11. *Sept.*) effectum sui *eclegmatis* satis laudare non potest, sublato enim omni dolore *arthritico*, per totam noctem placide dormivit. Hac nocte repetere jussi. (d. 22. *Sept.*)

Munieri *filiola. Convulsionum metus.* §. Munieri *Filiola* biennis jam ab octiduo male habet, cum æstu, siti, ejulatione, pavoribus, abdomine tumido ac tenso, *alvo constipata.* Rogati, cur tamdiu me domi reliquissent, responderunt, *puellam nil omnino Medicinæ assumere.* Si tale quid audio, mihi annunciatur gaudium magnum. Tentandum, an de *pulvisculo* sequenti aliquid in substantia dari queat, sin, in nodulo potui ordinario immergendus:

Rec.

XIV.

Rec. *Mater. perlat.* ℨj.
Calc. phil. ebor. fossil. an. ℨß. *M.*

Cochleatim detur *aqua fl. til. Cum sir. fl. pœon. æquali* portione mixta, si fieri potest. Abdomen ungatur *unguento de arthanita. Vesicatoria* utrisque brachiolis affigantur. (d. 15. *Sept.*)

XIV.

MErcurius mane in tertia linea quarti gradus constitutus, vesperi usque ad dicti gadus medium subsedit. Liquor *thermometri* per hos aliquot dies stabilis. Nox nubila. Mane post ortum solis nubecula in pluviolam soluta. Reliquum diei calidum & serenum.

§. Hodie Casus tragicus accidit. *Martinus* STÖRZER, quadragenarius, tabellio PFULLINGENSIS per plateam angustam, sed hominum itu reditu que frequentatissimam, Scholasticam dictam, cum transiret, sartor quidam situlam capacissimam magmate ex *calce* & arena repletam (Maurer-Speise) funique alligatam per operarios ad suæ domus fastigium sustollere curavit. Fune autem vetustate exeso, a pondere ducentarum, quod volebant, librarum rupto, situla præcipitata fuit super miseri *occipitium*, ipseque humi prostratus illico exspiravit. Ut de proxima mortis caussa constaret, corpus legaliter inspiciendum & aperiendum nobis est traditum. Caput forinsecus inspectum exhibuit cutim pilosam usque ad pericranium a medio *suturæ sagittalis*, usque ad medium *suturæ lambdoideæ* latitudine digitorum quatuor, longitudine trium detractam, illæso tamen & calvariæ adhuc firmiter adhærente *pericranio*. Calvaria ablata intus & extus ullius læsionis ne unum quidem vestigium monstravit. *Cerebrum* ipsum illibatissimum. Mors in cervice reperta. Cuti extima discissa visui offerebatur congrumati sanguinis copia magna. *Vertebra cervicis prima* ATLAS *dicta*, a secunda, cui nomen *Epistropheus*, tanto hiatu, qui minimum digitum facile admitteret, separata, proinde cervix, cum ligamentorum & musculorum suorum contusione, fracturam passa fuit. (Das Genick war entzwey gebrochen.) Judicium nostrum tale fuit: Cum per isthanc violentam *fracturam cervicis* non tantum spinalis medulla ibi loci contrita, *ligamentaque* & *musculi colli* contusa, sed & *venæ* ac *arteriæ cervicales*, quin & *jugulares* ac *carotides internæ* ruptæ fuerunt, ut læsus hoc modo illico moreretur, erat necesse; Hinc illam *fracturam per se ac simpliciter lethalem* pronunciamus.

XIV. An hæc læsio proprie fractura dici mereatur? si germano more loquaris, es hat den Hals oder Genikk gebrochen/ res clara est. Interim substantia vertebrarum non fracta, sed sola connexio illarum per rupturam violentam ligamenti lati & validi abolita fuit.

Trabeculi *uxor.* §. Trabeculi *uxor* hanc noctem tolerabiliter transegit, nec multum cruenti dejecit. Pergat cum heri ordinatis. (d. 15. *Sept.*)

Eronei *Filius.* *Tenesmus.* §. Eronei *Filius* 12. annorum, a triduo cruenta dejicit. Non dubitandum de *dysenteria*, sed *tenesmus* majus facessit negotium. Nihil *febricitat* & prava signa non adsunt. Ano fuit excipiendus *fumus* ex *acere* (Spreuer) & *colophonia* mixtis & incensis, cujus, nescio, suasu. De *acere*, quod *materiam medicam* augeat, nusquam reperio. Quod tamen *colophonia* ipsi per mixta esset, compositum hoc *suffumigium* indulsi, simul præcipiens, ut massa conficeretur e *vitello ovi, butyro & croco subactis*, cum qua massa & linteo non admodum denso facti noduli t avellanæ magnitudine ano subinde intruderentur. Intus vero singulis 5. horis 3. cuspides cultri de sequenti *polline*, cum *emulsione amygdalarum* (quæ potui quoque ordinario inserviat) sumantur:

Rec. *Spec. diatrag. fr.* ℥iij. *trag. gran. act.* ℥ij.
extr. papav. comp. ℈ß. *M.* (d. 17. *Sept.*)

Capistrani *Filiolus.* §. Capistrani *Filiolus* hodie mihi plus, quam antea, languere videtur. Appetitus plane prostratus, caput sustollere non valet, pulsus est debilior. Symptomata hæc a *dentitione* magis, quam *dysenteria* arcessenda censeo; Nam intra duodecim horas vix ter, nec ea quidem cruenta, dejecit. *Convulsionibus* potius contraeundum esse censens, *pulvisculum*, manente utendi modo, sic mutavi:

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. ℥j. *Spec. cephal.* ℈j.
ebor. fossil. Cor. r. ppt.
🜄. *catech. lap. bez. occid. an.* ℈ß.
orient. gr. v. *M.*

Vertici, nuchæ, temporibus *balsamum cephalicum* consuetum. (d. 14. *Sept.*)

Neritii *Filia.* *Hæmorrhagia.* §. Non admodum bene cessit *Intrita Filiæ* Neritii, nam calor noctu exacerbatus & sanguis in ebullitionem tantam actus, ut exitum sibi per *nares* pararet. Fluxus ille, referente sic & credente matre, suppressus' inspersione *pulveris sympathetici* super linteolum sanguine exstillato madidum. Ordinati tres *pulveres* priorum more usurpandi:

Rec.

Rec. *Mater. perlat. ebor. fossil.* XIV.
cryſtall. ppt. an. ʒß. *ol. MN. expr. gr. vj. M.*
F. 3. doſes.

Pergat cum *mixtura* cochleatim ſumenda, & hactenus *intritis* valedicat. (d. 15. *Sept.*)

§. Machæri *uxor* quinquagenaria, mulier litigioſa & iracunda, XANTIPPAM referens, in civitate quadam vicina litem cum *genero* habuit, iraque fervidiſſima exarſit. Domum veniens corripitur *frigore* magno, ſequitur *æſtus*, ſitis, *cephalæa, delirium.* Adminiſtrata *venæſectio.* Ego tres *pulveres* ordinavi, quorum unus qualibet ſexta hora cum adjecto vehiculo, etiam ſeorſim uſurpando, ſumatur: *Machæri uxor. Febris continua.*

Rec. ♁. *diaph.* ♂. *nat. ppt.*
⦶. *ppt. an.* ʒß. *M. F. 3.* ☿.

Rec. *Aq. card. bened. rub. id. an.* ℥iij.
mixt. ſimpl. ℈ij. *ſir. acetoſ. citr.* ℥ß. *M.*

Emulſio externa ſerviat pro *oxyrrhodino* & *epicarpiis. Veſicatorium* utrique brachio applicetur. Potus ſit *aqua panata.* (d. 15. *Sept.*)

§. Eſmori *Filiam*, quum circa meridiem viſitatum irem, valde debilem & ferme *agonizantem* offendi. Oculi erant glauci, lingua titubans, ſudor frigidus; De lecto in lectum fugitare geſtiebat. Aderat *mixtura cardialis*, oderat *odoriferum* naribus admovendum. Circa veſperam hæc tam diuturna *dyſenterica*, placide exſpiravit. *Eſmori Filia.*

§. Æthiops (d. 11. *Sept.*) de *dolore punctorio* nihil amplius ſentit; Saltem adhucde *gravitate pectoris*, & oppletione quaſi (als wenn alles voll wäre) queritur. Ordinavi *potionem laxativam* conſuetam, ea differentia, ut *aq. laxat. vienn.* ℥iiß. ſolummodo ſcripſerim. (d. 17. *Sept.*) *Æthiops.*

§. Stomachoſus hodie curam non admodum levem alioqui ſollicitæ menti addidit. *Apyrexia* fere totalis adeſt, ſed appetitus denuo minuitur, *alvus* a biduo *conſtipata* eſt, *ructus olidi* labia permeant. Avertat DEUS *paſſionem iliacam. Solvatur alvus potiuncula* OSWALDI. Utatur *tragemate* bis in die ad 4. cuſp. cultri per ſe: *Stomachoſus. Iliacæ paſſionis metus.*

Rec. *Trag. arom. offic.* ℥ij. *ſpec. diacr.* MYNS. ℥ß.
elæoſacch. aniſ. ʒij. ♁. *diaph.* ʒj. *M.*

Ultimum addidi, ſemper adhuc reſpectum habens ad *febrim.*

Uxori itidem plane nihil *febricitanti*, ſed de proſtrato adhuc appetitu querenti, *tragema* ſequens præſcriptum, eodem modo utentum: *Uxor.*

XIV. Rec. *Trag. arom. offic.* ℥ij. *diaph.* ♃ *al.* ʒj.
spec. diacr. MYNS. *elæosacch. cinnam. an.* ℥j. *M.*
(d. 16. *Sept.*)

Rhabdaulitis *Filiolus.* *Colica flatulento-spasmodica.*

§. Rhabdaulitis *filiolus* (17. *Aug.*) nunc ab aliquot diebus valde vociferatur, viridia dejicit, expavescit, flatus edit sonoros, nec ructibus deficientibus, æstu summo infestatur, tremit, imminentium *convulsionum* signa præbet. Periculum in mora esse metuens ordinavi *pulvisculum* sequentem, effectum ejus subticendo, quoniam alioqui propinare non ausi fuissent:

Rec. ☉. *fulmin. gr.* ij.
arcan. duplic. gr. iij. *M. pro* 1. *dosi.*

Cochleatim autem præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. anis. chamom. an.* ℥ij.
⊖*. *anis.* ℈ij. *ess. anod.* ℈ß.
elæosacch. anis. ʒij. *M.*

Quocum initium demum fieri volui ad minimum trihorio post assumtum *pulverem*, ne, scil. hic ob admixtam *mixturæ essentiam anodynam* effectu suo frustraretur. Media nocte vocor ad *puellum*, ancilla dicebat, eum aliquoties jam *vomuisse*, ante *vomitum* pallescere, frigesieri, post *vomitum* adeo languere, ut quasi mortuus jaceat. Ego nil quidquam territus ob ☉ *fulminans*, quod me ordinasse sciebam, tamen accessi; Desierat *vomere*, bis etiam adeo olida, quæ vix tolerari possent, dejecerat, languebat, pulsu tamen valido, nullisque ullius *convulsionis* aut alius periculi signis præsentibus, desperatam fere matrem consolatus fui, bonum esse dicens, quod olidissima ista materia superne & inferne excreta fuerit, me nihil præscripturum, cum necesse non sit. Nam me etiam præsente rursum vividior fiebat ac cibum assumebat. Discessi, sed *pulvisculum* illos *vomitus* excitasse non dixi.

Non semper necessarium, immo quandoque noxium est, vel ipsimet ægro vel *adstantibus* aperire medicamentorum effectum. Aliqui enim sunt adeo timidi, ut, quidquid in contrarium afferas, *medicamentum drasticum* exhibere non audeant, sicque εὐκαιρία haut raro cum summo immo lethali ægrotantis periculo, e manibus elabatur. Quinimmo nec semper conducit, post pharmaci effectum, quid dederis, fateri. Nam alio tempore non amplius fidunt. Quid intereſt ægroti, semper quid

propi-

propinetur scire? *Fiducia in Medicum* tanta merito esse debebat, ut quidlibet, si præceperit ipse, ægri cum spe pinguissima assumere nil tergiversentur. Talis fuit ALEXANDRI MAGNI in DEMOCEDEM *Archiatrum* suum fiducia, qui dicto *Medico* sinistra manu porrexit litteras, quibus Rex monitus fuit, ne isti viro fideret, qui *venenum* propinare decrevisset, dextra porrectum poculum confidentissime exhausit. XIV.

Hoc *pulvisculo* ex ☉. *fulmin.* & *a can. dup'.* multos parvulos ex orci faucibus eripuimus. (d. 15. *Sept.*)

§. Jorami *filiolum* (27. *Aug.*) rursum adii; vix unquam vidi *puellum* magis emaciatum, edentem tamen, nec amplius *lientericum*. *Atrophia* similis erat illius, quam adscribunt *fascino*. Cochleatim præbeatur *mixtura*: Jorami Filiolus. *Atrophia a fascino*.

Rec. *Aq. capon.* MYNS. *confort. offic. an.* ℥ij.
pulv. anal. fr. MIND. *c. Conf. alk. c. an.* ʒß.
sir. fl. tun. ʒij. *M.*

Spina dorsi ter quaterve calide *ungatur* a cervice usque ed os *coccygis*.

Rec. *Ung. resumt.* ℥ß. *ol. rosat.* ʒij. *M.*

Singulis diebus jussi *balneare* in *decocto sideritidis*, quod aliquoties in *atrophia pusionum a fascino* credita compertissimum inveni. Germ. vocatur Glied-Kraut/ aliquibus in locis Beschreih-Kraut/ eo quod laborare velint parvulos *atrophia* quum eos malefici conceptis verbis alloquuntur, quod vocant: Die Kinder werden beschrihen. Plerumque quum infantes hoc *decocto* lavantur, aqua fit tota pinguis & spumosa, quasi *smegma* in ea solutum esset, quod, si fit, operatio fausta creditur. (d. 16. *Sept.*)

XV.

MAne Mercurius idem qualis heri vesperi, hac vespera parum subsedit. Liquoris *thermometri* nil mutata statio. Nox fuit serena & subfrigida. Dies mane & vesperi nubila, inter medio tempore clara. XV.

§. Rhabdaulitis *Filiola* per reliquum noctis tamen aliquoties adhuc *vomuit* & languidus ac inquietus fuit. Ter in die cusp. 1. cultr. maj. de *pulvere* detur cum *mixtura anticolica* heri præscripta: Rhabdaulitis *Filiola*.

Rec. *Spec. diacr. M.* ʒj. *pulv. Marab.* ʒß.
lap. bez. or. gr. vj. *ther. cœl. gr.* j. *M.*

Pome-

XV. Pomeridie ipsam inveni languentem quidem, sed magis tamen, quam mane, vegetam; edit quoque & bibit. Attamen parentes, (quibus aliquot jam parvuli e *convulsionibus* mortui sunt) ut omni modo resisterem insultibus *epilepticis* obsecrarunt. Ordinavi *mixturam*, cujus similes jam sæpe descriptæ, cum *balsamo cephalico* consueto.

An Medicus gratificari debeat ægrotis medicamenta minus necessaria, & a nullo symptomate indicata petentibus, quæritur? Distincte respondendum. *Purgantia*, *emetica*, *sudorifera*, alia potenter operantia recusanda: Talia enim, quando hostem in visceribus frustra quærunt, humorum compagem alterant ac destruunt. Confortantia, temperata, in & externa, acriter insistentibus, dari possunt, ne officio deesse velle videaris. (d. 16. *Sept.*)

Neritii *filia.* *Dyspnœa.*

§. Neritii *Filia* non equidem toties dejicit, sed liquida tamen. Altum spirat, quod jam per aliquot dies fecit. Sæpenumero credidi, & adhuc dum credo *dyspnœas* ejusmodi oriri a sola spirituum animalium paucitate, debilitate, oppressione, in emaciatis, languidis, diu decumbentibus, sic, ut ipsis non sit robur sufficiens ad machinam *pulmonum* movendam. Id cumprimis inde cognoscitur, si *dispnœa* est sine *tussi*, sine *stertore*, sine *spasmo*. Non autem est cum *spasmo*, si continua est; nam, quæ cum *spasmo*, existit, subito invadit, subito remittit. *Obstructio narium* vexat.

Narium obstructio.

Reiterentur *pulveres* heriordinati; naribus attrahatur *liquor album & elaterii extractum aq. majoran.* in qua soluta *manna calabr.* Oleum *errhinus* jam aliquoties descriptus ex Pectus calide fricetur *mixtura*:

Rec. 🜄. *camph. aqu. carbunc. aur. an.* ℥ij.
∽⊖✱. ʒj. *M.*

A meridie *narium hæmorrhagiam* levem iterum est passa cui indormiit. Vesperi cum de *dyspnœa* maxima querela esset, jam accedente quoque *tussicula sicca*, præscripta *mixtura* cochleatim præbenda, non neglectis reliquis:

Rec. *Aq. borrag. veron. an.* ℥ij.
∽⊖✱. ʒß. *Tæ. croc.* ℈j.
mater. perlat. ʒß. *sir. de prass.* ℥iij. *M.* (d. 16. *Sept.*)

Trabeculi *uxor.*

§. Trabeculi *Uxor* ultra vigesies præterita nocte dejecit, sed excrementa erant pauca, nec admodum sanguinolenta. *Tenesmus* eam valide exercere incipit.

Rec. *Fl. verbasc. p. ij. colophon.* ʒvj.
thar. masc. ℥ß. *conc. cont. D.*

Ejus

Ejus portio prunis candentibus injiciatur, & *fumus* excipiatur ano, XV.
nsidendo cloacæ portatili, quinquies aut pluries in die:

Rec. *Rad. torment.* ℥ß. *CC. ust ppt.* ʒij.
mastich. sel. ℈j. *Cass. lign.* ʒj.

Conc. cont. coq. in mens. iß, aq. font. pro potu ordinario, intercalando *mulsionem amygdalarum*, & cum reliquis pergendo. Noctu *ther. Andr.* ʒj. *c. laud. op. gr.* j *pro* 1. *dosi.* (d. 16. *Sept.*)

§. Apud Machæri *uxorem continua febris* in incremento. Per totam noctem fuit inquietissima, *deliravit*, multum bibit. Pulsus est magnus ac celer, urina flammea: *Vesicæ* rite fluunt. Ante meridie nihil ordinavi, quum adhuc adessent pharmaca. Pomeridie videns & *delirium* augeri & æstum, ordinavi *emulsionem* bipertiendam ac nostro more aliquoties jam descripto usurpandam: Machæri *uxor.* *Febris continua.*

Rec. *Sem 4. fr. maj. an.* ʒj. *papav. a.* ʒiij.
aq. fumar. papav. rhœad. an. ℥iij.
F. *l. a. Emulsio. add.*
bez. miner. CC. philos. an. ℈j.
sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Suppedalia fiant ex *fermento panis* & *aceto*. Cum *pulveribus* & *mixtura* pergatur. Hæc mulier eo periculosius decumbit, quo minor est *adstantium* cura. Præter *maritum* nemo est, qui cochlear juris vel præbere possit. Dixi, ut sibi de *muliere clinica* prospicerent. (d. 15. *Sept.*)

§. Cerdaleus, Pistor 26. annorum in molendino vicini pagi ERG farinam facturus in hypocausto offendit ex *febre ardente* decumbentes. Hausit contagium. Domum veniens nauseavit, horruit, æstuavit, *deliravit capite doluit.* Mane inveni flammea facie horridum ac torvum, tremebat toto corpore: Pulsus erat magnus ac celer, subsiliebant tendines. *Vena* heri jam *secta.* Utrique brachio affigatur *vesicatorium.* Sexta qualibet hora sumatur *pulvis* cum adjecto vehiculo, seorsim quoque hauriendo: Cerdaleus. *Febris continua.*

Rec. ♁. *diaph.* ♃. *nat. ppt.*
☽. *ppt. an.* ʒß. *M. F.* 3. ✗.
Rec. *Aq. card. bened. endiv an.* ℥iij.
mixt. simpl. ℈ij. *sir. rub. id.* ℥ß. *M.*

Oxyrrhodinum fiat ex *emulsione externa.* Ne detur vinum (d. 16. *Sept.*)

XV. Munieri *Filiola.* §. Munieri *Filiola* pejor quam nudius tertius. *Lumbrici* nulli prodierunt. Abdomen adhuc tumidissimum, ejulationes clamosæ per totam noctem: quæsita fere nil respondet, manum admovens ventri; continui *pavores*: jusculi ne guttam admittit. Ejusmodi *tumores* abdominis interdum a sola tensione *spasmodica* musculorum abdominis proveniunt, comitantibus aliis *convulsionum* internarum indiciis. (Sind Bauchgichter.) Ejulationes illæ clamosæ, (Kriller.) *Convulsionum* soboles existunt. Cum ejusmodi symptomatis raro salvantur, eoque minus, si medicamenta fastidiant. Loco *unguenti de arthanita*, dedi *unguentum de hyoscyamo* cum *nervino* mixtum, & *mixturam epilepticam* cochleatim infundendam, quales jam plures adfuerunt. (d. 17 *Sept.*)

Hamaxei *Filiolus.* §. Hamaxei *Filiolus* (d. 13. *Sept.*) mundo brevi valedicturus videtur. Non eram quidquam ordinaturus, quum spiritus ægre trahatur, oculi obfuscentur, extrema frigeant. Precibus autem *Parentum* gratificaturus præscripsi *mixturam*:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥ij. *cinnam. cydon.* ℥ß.
elix. vit. Matth. c. conf. alk. c. an. ʒß.
sir. fl. tun. ʒij. *M.*

Rec. *Aq. carbunc. aur.* ℥ij. 🜄 *camph.* ℥ß.
ther. Andr. ʒj. *M.*

Fricetur *pectusculum* cum ventre. (d. 16. *Sept.*)

Bacillius. §. Bacillius (d. 13. *Sept.*) per DEI gratiam indies fit melior. Concessi pauxillum *vini*, & noctu, quum libenter dormire vellet, tres *pilulas theriacales*.

Capistrani *Filiolus.* *Dysenteria.* §. Capistrani *Filiolus* vires quoque resumturus videtur, cessante multum *alvi fluxu*. Pergatur cum *pulvisculo* & *mixtura* hesternis. Nescio, cujus consilio ventri *epithema* paraverant, *summitates* scil. *absinth. cum vino rubello* & 🜄 *coctas*. Item *amygdalis pro emulsione*, addebant *nuces avellanas rubras*; & *hæc duo remedia* valde ad *dysenteriam* compesendam prædicabant. Cum nocere non posse viderem, etiam me non consentiente facturis, concessi. (d. 17. *Sept.*)

Nissetus. *Dysenteria.* §. Nissetus 54. annorum, obesus, *picrocholus*, heri jam senti *diarrhœam* cum *torminibus*, hodie tamen in templo sacra Synaxi usus est. Alvum violenter repressit, domum veniens aliquoties reddidit cum *torminibus* vehementissimis; vesperi post cœnam me accivit. Est difficillimus ad medicamenta. Dedi *quatuor. pilulas* WILDEGANSIANAS, & commendavi *potum emulf. amygdal. dulc.* cum *glumis* contusarum. (d. 16. *Sep.*

XVI. Mer

XVI.

XVI.

MErcurius hodie mane ſubſtitit intra primam & ſecundam lineam quarti gradus; veſperi fere ad tertium gradum ſubſedit. Liquor *thermometri* jam per aliquam multos dies, mane paullo infra quartum gradum, & veſperi paullo propior dicto gradui conſtanter obſervatus eſt. Nox fuit nubila. Dies mediocris, calidior tamen. Veſperi parum tonavit.

Halon. *Raucedo cum Aſthmate.*

§. Halon per ea, quæ 13. *Iunii* ordinata ſunt, levamen non pœnitendum ſenſit, *raucedo* multum remiſit, *ſpiritus* liberior factus eſt. Interim, cum ſermo tamen adeo clarus non ſit, atque olim fuerat, ipſiusque negotia ſint ita comparata, ut coram *Magnatibus* ipſi dicendum ſit, porro, quum ſcalas adſcendit, tamen *reſpiratio* quadantenus adhuc *difficilis* exiſtat, nec minus autumnus adſit in hiemem ſuo tempore præcipitandus, proinde metus ſit, ne hieme adventante affectus denuo exaſperatur & more aliarum *raucedinum* diuturnarum mala quædam moleſta poſt ſe trahat. (Nulli enim *raucedini* diu fidendum.) Hæc omnia deſiderium apud patientem excitant liberationis omnimodæ ab hoc affectu, eo magis, quod *tinnitum* vel *ſtrepitum* potius in *auribus* ſentiat, cætera tamen ſibi ſaniſſimus videatur, appetat, dormiat, non *tuſſiat*, nec contabeſcat. Ponderatis omnibus acrimoniam & viſciditatem lymphæ temperandam eſſe exiſtimans, rem ita ſum aggreſſus. Data *potio laxativa* mihi conſueta cum additamento ſex guttul. ~⊖ * *aniſ.* D. 21. hujus menſis e mediana ſiniſtri educantur ℥v. *ſanguinis.* Poſt VS. paretur *De-coctum:*

Rec. *Raſ. lign. ſanct.* ℥iiij. *viſc. quern. lentiſc. an.* ʒvj.
rad. farfar. ℥ß. *ar. ppt.* ʒij. *liquir.* ʒiij.
herb. veron. hyſſop. an. mj. fol. aron. p. j.
flor. bellid. min. mj. paſſul. maj. exacin. ℥iij.
ſem. aniſ. ʒiß. *M.*

*Inc. & con*ᵗ. *infund. in aq. font.* ℔vj. *digere per 12, horas loc. cal. probe tecta, poſt coq. in MB per 2. horas. colat. expr. D.*

Sumantur mane in lecto hora 5. vel 6. circiter ℥vj. calide, noctu ante ſomnum tantundem. Maneat mane adhuc per horam in lecto, ſudori, ſi quis excitetur, ſe permittendo. Poſtquam ſurrexit, liquefiant cochl. ij. de ſequenti *gelatina* in brodio calido, quod hauriendum:

XVI. Rec. ℞as. CC. ℥iij.
coq. c. mens j. aq. sub finem add.
cons. ros. r. ℥iß. cibeb. ℔j.
herb. veron. fragar. an. mj.
coq. adhuc parum, Cola & F. gelatina.

Pomeridie hora 4. & noctu cum *decocto* sumatur quantitas juglandis minoris de tali *electuario*:

Rec. *Cons. ros. r. ℥ij. majoran. ℥j.*
bol. armen. æthiop. miner. an. ʒiij.
ther. Androm. ʒij. sir. papav. err. q. s. M.

Secum gestet continuo *rotulas*, iisque perfunctorie utatur:

Rec. *Rad. irid. fl. ℈ij. fl. ♤. ℈j.*
fl. benz. extr. liquir. helen. an. gr. v.
conf. alk. c. ʒß. bals. peruv. gr. xv.
cons. majoran. ʒij. sacch. a. in aq. acac. sol. ℥iß.
F. l. a. rotulæ illinendæ ol. cinnam. gtt. ij.

Notabile est, hunc ægrum etiam sentire dolorem circa *scrobiculum cordis*, quamvis tolerabilem, & quidem ab eo tempore, quo media hieme de equo præceps factus pectus ad ephippii mucronem (Sattel-Knoff) allisit, & parum tunc etiam sinceri sanguinis exscreavit, quamvis postea non amplius. Et, cum ante hunc casum *raucus* jam fuerit, exinde confici posse puto, *dyspnœam* & *raucedinem* in hoc subjecto diverso, e communi caussa non dependentes affectus esse, *dyspnœam* videl. esse a lapsu, *raucedinem* ab aëre frigido. His positis modo non anguis in herba lateat! Conferantur, quæ supra d. 29. *Julii* de *milite* dicta sunt, cui lignum ex alto supra pectus ceciderat. (d. 21. *Sept.*)

Helinia. *Clavus hystericus.* §. Helinia (d. 6. *Sept.*) nondum ex sententia convaluit. In lecto decumbens molestiæ parum sentit, & sanam se ferme putat; quamprimum corpus erigit, *cephalæa* summa adest, cum *deliquiis hystericis* & *anxietate præcordiali*. Bibere, comedere, dormire potest. Sumat mane, pomer. & noctu gtt. xxv. de sequenti *mixtura* cum adjecto vehiculo seorsim quoque hauriendo:

Rec. *℞æ. castor. ʒj. ess. anod. ℈j. M.*
Rec. *Aq. puleg. matricar. an. ℥iij.*
hirund. c. castor. ℥j. sir. papav. err. ℥ß.
♁. nat. ppt. succin. a. ppt. an. ʒß. M.

Cucupham gestet super verticem capitis ex *as. fœtid. ℈j. castor. opt. ʒß. succin. fl. ʒj. conc. & cont. & cum sindon. r. & bombace constat.*

Cum

Cum hæc mulier ſit egena, & in camera frigida, his affectibus valde infeſta, decumbere cogatur, ſuaſi, ut imploraret beneficium *Noſodochiale*. Nam ibi, præter *hypocauſtum* calidum, gratis ſubminiſtranrur pharmaca, alimenta & lecti. XVI.

§. Niſſetus præterita nocte non multum dejecit, ob *tormina* tamen & roſiones circa umbilicum parum dormivit. Imponatur *umbilico emplaſtrum ex an. empl. de melil. & ungu. de hyoſc. cum cera in conſiſt. redact.* Et, cum ante biennium *dyſenteria* quoque *epidemica* laboraſſet, nilque medicamentorum aſſumere vel potuiſſet, vel voluiſſet; quæſivi tunc ex ipſo, utrum *Caffé* cum *lacte* biberet? Annuenti *radicem tormentillæ pulveriſatam* æquali pondere cum *farina Caffé toſta* miſcui, quam *mixturam* cum *lacte* bibens a *dyſenteria* tunc immunis evaſit, quod experimentum & alii non ſine fructu tentarunt. Hoc iterum, jam ut uſurparet, ſuaſi. Pergatur cum *emulſ. amygdal.* & *emplaſtro.* (d. 17. *Sept.*) Niſſetus. *Dyſenteria.*

§. Cerdaleus per totam noctem *deliravit*, appetente vero die ſenſim calor deferbuit & nunc valde remiſſus eſt. Conqueritur de nauſeabundo *pulverum* ſapore, quos repetere juſſi, omiſſa *camphora*, qua, cum mens hodie conſtaret, usque adeo non eſſe opus cenſebam. Cum *oxyrrhodino* & *mixtura* pergatur, & cum nimis tenuem ac jejunum diceret e ſola *aqua panata* potum, curavi, ut admixtis *rubi idæi*, *cydoniorum*, & *ceraſorum acidorum*, *ſirubis* fieret *Iulebus*. Veſperi adhuc mitius habentem offendi. (d. 17. *Sept.*) Cerdalendus. *Febr. cont.*

§. Machæri *uxor* non tantum per totam noctem incondita protulit, ſed aliquoties etiam alvum dejecit, ſemper, non niſi induſio amicta, foras in locum ſecretum abiens. Mane quidem *delirium* remiſerat, ſed illa valde languebat, pulſus erat celer ac debilis, cor oppreſſum, ſitis inexplebilis, lingua arida, cutis ſicciſſima. Dixi *regimen* eſſe nimis *frigidum*, poros obſtipari, ſalutis proram ac puppim in *ſudore* poſitam eſſe, ſic evaſuram non eſſe, manendum in lecto, cloacam portatilem hypocauſto inferendam, &c. *Sudorem* vi pellendum eſſe ratus, ordinavi *potionem hidroticam* quadripartiendam, cujus quarta ſemper portio tertia quaeli bet hora ſub moderate calido regimine hauriatur:

Rec. *Aq. flor. ſamb. card. bened. an.* ℥iiij.
mixt. ſimpl. ♁. *diaph. an.* ℈iiij.
diaſcord. FRACAST. ʒiij. *M.*

Cum reliquis in & externis pergendum.

Alvus laxa, cutis adſtricta & contra. Repreſſo ob frigus externum

 ſudore

XVI. ſudore facile *diarrhœa* exiſtere potuit, quæ, niſi veniſſet, actum jam fuerat de ſalute ægrotæ. Pomeridie, quod *ſudor* erupiſſet, melius habuit. (d. 17. *Sept.*)

Cermadius. *Febr. quotid. interm. Colica nephritica.*

§ Cermadius 30. annorum aliquot jam paroxyſmos *quotidianæ intermittentis* poſtquam ſuſtinuiſſet, præterita nocte *colica nephritica* truculentiſſima obrutus fuit. Uxor propinavit *ſpiritum vini cum pipere*, eundem quoque *vini ſpiritum* cum *theriaca mixtum* umbilico admovit, dolore aliquandiu mitigato. Nunc autem magna cum acerbitate recruduit, adeo, ut metus inceſſerit *convulſionum*. Accitus, pro dolore compeſcendo ſcripſi *mixturam* ſequentem, ſui media parte ſtatim hauriendam:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. ſir. dealth. Fern. ar. ℥iß.*
eſſ. anod. ℈ß. M. pro 2. doſibus.

Abdomen ungatur *unguento de hyoſcyamo*. *Nephritidi* & *febri* ſimul oppoſitus *pulvis*; cujus una ſchedula ſexta qualibet hora, cum adnexo vehiculo, ſeorſim quoque hauriendo, ſumatur:

Rec. *Oc. ♋. ppt. Conch. ppt. ♁. diaph.*
teſt. ov. calcin. arcan. dupl. ⊖. onon. an. ℈j.
M. F. 4. pulveres.

Rec. *Aq. petroſel. fragor. an. ℥iij.*
ſir. chamom. ℥ß. M.

Recenſebat idem, ſe aliquoties in doloribus *nephriticis* hauſiſſe duo vel tria cochlearia *ſuccorum rut. murar. hortens.* & *ſedi vermicularis* recenter expreſſorum cum ſucceſſu. (d. 17. *Sept.*)

Filiolus. *Leucophlegmatia.*

Ejus *filiolus* quatuor vel quinque annorum *leucophlegmatia* laborabat, totum corpus, faciem, abdomen, artus &c. tumens, cum urina ſuppreſſa ventrisque doloribus & *aſthmate*. *Fomentationes* fecerunt cum *floribus fœni* (Heublumen) ſed ſine effectu. *Purgandum* eſſe dixi, quod vires ſuppeterent.

Rec. *Pulv. Cornach. ℈j. ſir. domeſt. ℥ß.*
aq. petroſel. ℥ij. M. pro 1. doſi. (d. 17. *Sept.*)

Neritii *Filia.*

§. Neritii *Filia* noctem tranſegit inquietam, & quater liquida dejicere coacta fuit. A *berberibus conditis* heri nimium comeſtis hanc *diarrhœam* eſſe profectam credidi. Hodie tolerabiliter vivit. Utatur conſuetis *pulveribus*. Novi nihil ordinatum. Pomeridie bene habuit, & melius, quam hactenus unquam. (d. 17. *Sept.*)

Trabeculi *uxor. Dyſenteria.*

§. Trabeculi *uxor* noctem placide tranſegit, ſine dubio ope *ther. opiatæ*. Pergat cum *pulvere* & *Decocto* pro potu ordinario. Noctu repe-

repetatur usus *theriacæ cum opio.* Tota dies tolerabiliter transacta. XVI.

Narrabat mihi B. Dn. D. SCHWANIUM, *Medicum* olim hic *Nosodochialem aulicum*, *dysentericis* hæc tria suadere solitum. 1. *Theriacam* 2. *Lac bubulum coctum cum vitellis ovorum.* 3. *Suffitum ex incenso polygono. Theriacalem* methodum hausit a Præceptore suo *D.* OSWALDO, cujus diu fuerat inquilinus. vid. de hac & *polygono miscellan. m. Part. I. p. 20.* (d. 17. *Sept.*) Doct. Schwanius.

§. Rhabdaulitis *filiola* vires egregie, per DEI gratiam, recuperat. (d 25 *Sept.*) Rhabdaulitis *Filiola.*

§. Stomachosus (d. 14. *Sept.*) sensim convalescit. Sed *uxor* typum *continuæ tertianæ* levis adscivit. Ambo adhuc olide ructant. Cum autem alia signa suspecta non adsint, *iliacæ passionis* conceptus a me metus minuitur. [d. 18. *Sept.*] Stomachosus & *Uxor.*

§. Jorami *Filiolus* (d. 14. *Sept.*) bene tolerat *balneum e sideritide*, quamvis de effectu nihil adhuc sentiatur, nec aqua a lotione multum spumescat. Pergere nihilominus, nec intus ordinata negligere, jussi. (d. 18. *Sept.*) Jorami *Filiolus.*

§. Hamaxei *Filiolus* adhuc aliquantillum, quod miror, vivit. Certe non omnino vana est *cordialium* efficacia. Vani sunt potius BONTEKOANI, GEHENNISTÆ &c. qui non tantum omnem ipsis virtutem derogant, sed insuper ea nocere clamitant. Nihil præscriptum, cum certe, moriturum esse sciam, & medicamenta adhuc suppetant. [d. 17. *Sept.*] Hamaxei *Filiolus.*

§. Vocatus sum ad Daphnidem, juvenem 22. annorum. Nuper e peregrinatione domum venerat, statim languens, sed caussam vel morbum potius tamdiu supprimens, donec dolorum vehementia victus, *urinam* sibi *suppressam* & *membrum* supra modum *tumens* patefaceret. Noctu sum illum in longe dissita domo morantem visitare coactus. Cum autem e circumstantiis bonum illum socium molestias suas e lupanaribus asportasse viderem, stomachabundus medicinam ordinavi & *chirurgi* potius, quam mea ope ipsum curandum esse pronunciavi. *Gonorrhœa* aderat *virulenta*, *tumor scroti* & *penis* immensus, urinæ quidem liber, sed cum ardore summo, profluxus. Cochleatim detur *mixtura*: Daphnis. *Gonorrhœa virulenta.*

Rec. *Aq heleocathart. scret.* ℥vj. *ess. anod.* ℈j.
sir. de alth. Fern. ℥j *M.*

Ter in die gtt. x. *bals. de copaib.* ex jure calido sumantur. Membrum virile involvatur *cataplasmati* ex *spec. emoll. cum lacte coctis.* Accer-

XVI. certatur *chirurgus* &c. Sum *Medicus*, & in conſcientia me obſtrictum eſſe novi, ut quibuslibet quoquo modo laborantibus vocatus conſulam, ſed libere fateor, torturæ loco mihi eſſe viſitationes ejusmodi laſtaurorum & hircorum olidiſſimorum. Quondam *lues venerea* peculiaris erat ſortis potioris hominibus, pour les hommes de condition; ſed vero hodie cerdones & bajuli frondibus illis coronati incedunt.

XVII.

XVII.

MAne Mercurius, qualis heri veſperi, talis etiam per integram diem perſeverans. Liquor *thermometri* mane pauxillum ſubſederat, ſed veſperi priſtinam ſtationem occuparat. Nox mediocriter ſerena, dies calida & maximam partem pluvioſa.

Hamaxei *Filiolus*. §. Hamaxei *Filiolus* præterita nocte exſpiravit.

Niſſetus. *Dyſenteria*. §. Apud Niſſetum *dyſenteria* radices altas non aget. Semel præterita nocte dejecit, quamvis ob roſiones circa umbilicum parum dormiverit. *Mixtura* ex *farina Caffé* & *rad. torment.* rurſum officium facturа videtur, hinc ipſi adhuc inſiſtere juſſi. Volui etiam, ut *cinnamomum* crebro manderet, ſalivamque ejus viribus imprægnatam deglutiret. Veſperi petiit *vinum rubrum*, quod moderate conceſſi; Noctu rurſum deglutiat 3. *pilulas theriacales.* (d. 18. *Sept.*)

Neritii *Filia*. §. Neritii *Filia* intra 24. horas ne ſemel quidem dejecit, ac cætera quoque calor minuitur, mens ſibi conſtat. Morbus decrementum ſumturus videtur. Pergat cum ultimis *pulveribus.* (d. 18. *Sept.*)

Eronei *filiolus*. §. Apud Eronei *Filiolum* (d. 14. *Sept.*) *teneſmus* propemodum omnino ceſſavit. Appetitus cum viribus redit. Pergat cum *pulvere*, qui conſumtus eſt repetendus. (d. 19. *Sept.*)

Trabeculi *uxor*. *Dyſenteria*. §. Trabeculi *uxor* placide dormivit. Antemeridie ter dejecit, ſed ſine magno teneſmo vel *torminibus*. Pergat cum *pulvere* ac potu ordinario. Noctu *theriacam opiatam* non aſſumat. (d. 18. *Sept.*)

Capiſtrani *Filiolus*. §. Capiſtrani *Filiolum* (d. 15. *Sept.*) convaliturum ſalutaria ſigna ſpondent, rediens appetitus, mentis hilaritas, dejectionum raritas. Nihil amplius præſcriptum. (d. 20. *Sept.*)

Machæri *uxor*. *Febr. cont.* §. Machæri *uxor* noctem rurſum inquietam habuit, *deliravit* ſubinde, multum bibit, ſudavit tamen, alvus adhuc laxior, rari terrores.

Rec. ♁. *diaphor. C. alc. philoſ.*
♁. *nat. ppt. an* ℈j. *F.* 2. ℥.
uſus, qui priorum.

Rec. *Conſ. acetoſell.* ℥ß. *carn. citr. cond.* ʒiij.
conf. alk. inc. ʒj *ſpec. cord. temp.* ʒß.
ſir. acetoſ. citr. q. ſ. F. Elect. molle.

Su-

Sumat interdum quantitatem nucis moschatæ, cum *mixtura* consueta pergendo. Vesperi morbus denuo incrementum sumsisse visus. Magna in patiente δυσαρεστία & morositas. Mallem ab ista cura liberari. Nil enim & video magis & audio, quam lites, rixas & jurgia. *Filia* non obtemperat ægra, maritus curam ægrorum habere nescit, mulierem clinicam, avaritia non admittit. Interim eorum, quæ fieri debebant, fere nihil fit. O, quam huc quadrat *Aph. 1. Hippocr. Sect. I. Neq; satis est ad ea, quæ facto opus sunt, præsto esse, [Medicum] sed & ægrum, & eos, qui præsentes sunt, & res externas ad id probe comparatas esse oportet,* (d. 18 *Sept.*) XVII.

§. Non nisi dira prognostica *Filiolæ* Munieri (d. 15. *Sept.*) symptomata edunt. Vires vitales quotidie magis labascunt, augentur suspiria clamosa *convulsionum* internarum nullus finis abdomen instar *tympani* tensum. Cibi vel juris nihil admittit. Pulsus celer ac parvus. Dato *prognostico mixturam cordialem* cochleatim dandam præscripsi. Munieri *filiola.*

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *sir. papav. a.* ℥ß. *M.*

De *liquore cornu cervi succinato* dentur ter in die guttulæ quinque ex quolibet vehiculo. Abdomini *emplastrum de meliloto.* (d. 20. *Sept.*)

§ Æthiopem adivi, visurus quomodo se gesserit *potiuncula laxativa* d. 15. *Sept.* assumta & 14. ordinata? *Septies* alvum movit cum euphoria, ipseque nunc, pro suo modulo, largiente DEO, benevalet. Risum autem *uxor* movit, quæ recensebat, *potionem laxantem* ferme vomitu rejectam fuisse, *cum tamen statim post assumtionem poculum inversum in locum suum collocasset*, (Sie habe den Becher gleich umgestürtzt.) Ne scil. vomitu rejiceretur *potio*. Et cum per 12. annos jam STUTTGARDIÆ, vivam, hodie tamen demum rescivi, quod vulgus, quum *purgantia* assumsit e poculo, poculum statim invertat, ne vomitu reddatur, quod potum fuit; si vero pharmacum fuit *emeticum*, poculi stationem erectam relinquunt, metuentes, ne eo inverso, loco *vomitus purgatio* fiat per alvum. Æthiops.

§. Ichthyboli *Filiola* (d. 10. *Sept.*) major natu medicamenta d. 6. *Sept.* ordinata, diligenter huc usque usurpavit, nec sine effectu omni, nam *dolor lateris punctorius* plane cessavit, nec urina amplius quum emittitur, ardet. Sedimentum tamen adhuc est *pituitosum*, immo *purulentum*. Sed aliud insuper in ægra observatur; tristitia nempe singularis, immo vera *melancholia*, suspiria, lacrymæ, anxietates, cum corporis extenuatione. Caussa mihi videtur seri visciditas & acrimonia. Ichthyboli *filia.* *Ulcus renum & Affectus spleneticus.*

XVII, Non oblitus *exulcerationis renum* digitum etiam intendi in affectum *spleneticum*, &, usu nil mutato, *pulverem* a priori quadantenus differentem ordinavi talem:

Rec. *Antihect. pot. diaph. ♂al.*
matr. perl. ppt. cryst all. ppt. an ʒj.
spec. diatrag. fr. ʒij. balsamosacch. peruv. ʒiij. M.

Mixtura quoque cochleatim sumenda, retento usu, sic mutata:

Rec. *Aq. heleocathart. ℥vj. fumar. ℥j.*
℞. *♂. helleb. ʒij. sir. fumar. ℥ß. M.*

Bis in die cum scutella brodii carnis liquefiant ac sumantur 2. cochlearia *gelatinæ ex an. ras. CC. & ebor. simplicissime parata.* [d. 25. *Sept.*]

Narpelia. *Mensium suppressio. Melancholia.* §. Narpelia vidua 46. annorum, fatorum necessitate tristior, victuque duriore, quam olim, utens, in *mensium* primo paucitatem, hinc successive *suppressionem* incidit. Adest *dyspnœa, cor palpitat, lassitudine artuum affligitur,* post pastum pressio, *phlogoses* & interpolatæ *horripilationes,* circa lumbos dolores lancinantes, *clavus* in capite &c. Cutis efflorescebat *scabie sicca. Venæsectionem* recusabat, cum nunquam post eam bene habuisset. Morbus, ni fallor, radicatur in *mensium suppressione*, cujus caussa est sanguinis cum acrimonia salsa conjunctus lentor, symptoma palmarium *melancholia hysterica*; Datum *electuarium purgans* consuetum. Postea mane & pomeridie capiantur 3. cuspides cultri de *pulvere*, ex quolibet vehiculo, insequente corporis motu:

Rec. *Alcohol. chalyb. ℥j. diaph. ♂al. ʒij.*
⊖. absinth. Cor. r. ppt. pulv. lign. sassafr. an. ʒj.
croc. opt. ℈j. balsamosacch. peruv. ℥j. M.

Noctu sumantur gtt. xxxx. ℞. *♂. helleborat.* ex cochl. vini.

Avia. *Nephritis.* §. Avia me accessit (31. *Aug.*) & dixit, se adhuc sentire frequenter dolores in lumbis, nonnunquam satis acerbos, nec appetitu pristino valere. Dedi *electuarium purgans* Consuetum; Hinc suasi *venæsectionem,* quod ipsi per plurimos annos adsuevisset. Postea *pulverem* meum *nephriticum* euporistum, meo more usurpandum. (d. 5. *Oct.*)

Torcularii *Filiolus. Dentitio.* §. Torcularii *filiolus* triennis, jam a quatriduo æstuat, sitit, expavescit, *alvo* est *constipata,* manus ori ingerit, salivat. Hæc symptomata *dentitioni* adscribens, cum semper in his casibus *laxam alvum constipata* meliorem expertus fuerim, ordinavi, *mixturam* e *bezoardicis*, moderate refrigerantibus & *laxantibus* consartam, cochleatim propinandam:

Rec. *Aq. ceras. n. borrag. an. ℥ij.*
♁. diaph. CC. philos. an. ℈j.
magist. gial. gr. iij.
sir. rub. id. ros. solut. an. ʒiii. M.

Oxyrr-

Oxyrrhodini & *Epicarpii* loco esse volui *emulsionem externam.* (d. 18. *Sept.*) XVII.

§. Cermadius, quoad *colicam nephriticam*, per hesterna multum profecit. Interim *febrilis insultus* nihilo civilior factus, immo durior accedente hodie *occipitis* terebrante vix tolerabili *dolore.* Reiterentur *pulveres* heri ordinati, cum additamento 2. *granorum ther. cœl. occipiti linimentum:* Cermadius. *Dolor occipitis.*

Rec. *Ol. NM. expr.* ʒß. *succin. op. in* 🜄 *sol. an.* ℈ß.
bals. peruv. ℈j. *M.* (d. 18. *Sept.*).

Filiolo sufficienter evacuato *mixturam* cochleatim dandam præscripsi: Filiolus.

Rec. *Aq. petrosel. fœnic. an.* ℥iiß.
⊖. *vol. oleos.* ʒß. R. *croc.* ℈j.
sir. fragor. ℥ß. *M.*

Interim multo liberius, quam heri, spirat, & *urina* melius *succedit.* (d. 18. *Sept.*)

Toparii *Filiolus* a *pulvere* inspersorio d. 10. *Sept.* ordinato ab *intertrigine* liberatus, nunc a biduo vociferatur fere continuo, pedes attrahit, ructat, flatus sonoros emittit: excrementa sunt viridia & *acidum spirantia*; lac evomitum in coagulum abiit. *Colica* est *spasmodico flatulenta* ab acido ventriculi & intestinorum peristromate, debilique digestione. Contraitum *absorbentibus, antispasmodicis* & *carminativis.* Toparii *Filiolus. Colica spasmodico-flatulenta.*

Rec. *Pulv. anticol.* CAM. *epil. mirab. an.* ℈j. *M.*

Dentur ter in die 2. cusp. cultr. cum *aq. fl. til.* Vertici, nuchæ & temporibus *balsamicum linimentum:*

Rec. *Ol. Nuc. mosch. expr.* ʒj.
succin. rut. an. ♌ *ll.* ℈j.
bals. peruv. ℈ß. *axung. castor. ver.* ʒß. *M.*

Abdomini *emplastrum anodynum* consuetum ex *empl. de melil.* & *ungu. de hyosc.* Mamma non crebro præbeatur. (d. 18. *Sept.*)

§. Cerdaleus in *tertianam intermittentem* incidit. Vult aliquot prius paroxysmos sustinere, quam *febris* sistatur. Habeat sibi (d. 25. *Oct.*) Cerdaleus. *Tert. interm.*

XVIII.

XVIII.

UTraque vasa in hesterna vespertina statione: Vesperi autem Mercurius in tertio, *tinctura* in quarto gradu. Nox fuit pluviosa, licet calida, dies partim pluviosa, partim serena.

XVII. Nissetus. *Dysenteria cessans.* §. Nissetus præterita nocte bis tantum ad alvum deponendam e lecto surgere coactus fuit, quo facto statim iterum in placidum somnum delapsus est. Redit appetitus, ac præter lassitudinem, mali propemodum nihil superest. Noctu rursum sumere jussi *3. pil. theriacales*, eo quod, præter *pilulas*, & has ipsas ægerrime, adsumere nihil queat. (d. 19. *Sept.*)

Molitrix. *Febris continua.* §. DEUS benedixit medicamentis d. 9. *Sept. Molitrici* ordinatis, ut *febris continua* vis infringeretur. Jam me rursum accessit tota alia, viribus fere integris, appetitu tamen debiliori, de oris amaritie adhuc queritur. Dixi opus esse *purgatione*. Respondit, se difficulter moveri, quapropter odinati 2. *pulveris digestivi*, per 2. noctes ante somnum ex jure calido sumendos:

Rec. *Rad. ar. ppt. Tart.* ⊕*lat. an.* ℈*ij.*
F. 2. ℥.

Tertia die mane accipiatur *purgans emeto-catharticum* consuetum. Post *purgationem* bis in die ʒß *pulveris cardui benedicti* per aliquot dies capiatur.

Toparii *filiolus. Colica spasmodico-flatulenta.* §. Toparii *Filiolus* præterita nocte quidem melius quievit, sed manet *eructatio acida*, manent *borborygmi* & aliqualia *tormina*; Acido partim absorbendo, partim simul evacuando laudata MAGNESIA *alba*, cujus ℈j. bis hac die cum *emulsione amygdalarum* exhibeatur; non neglecto pulvisculo hesterno, *mixtura* & *emplastro*. (d. 19. *Sept.*)

Neritii *filia.* §. Neritii *Filia* ter rursum hac nocte dejecit; virium summus tamen languor, quamvis nec æstus, nec sitis, amplius adsit.

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ℈*ij.* *corn. rhinocer.* ℈*ß.*
cor. r. ppt. 🜃. *catech. an.* ℈j.
ol. mac. gtt. ij. M. F. 3. ℥.

Usus, qui priorum, simul cum *mixtura* cochleatim sumenda pergendo. Hæc ægra adeo viribus omnibus exuta fuit, ut, instar infantis ulnis excipienda, inque lectum inferenda & efferenda fuerit: quod in pluribus hac *febre continua epidemica* laborantibus observavi, cum tamen alia malignitatis signa nulla adessent, & mortem plerique evaderent. Ego spirituum vel oppressioni, vel paucitati adscripsi; nam & plerique spiritum vix ducere poterant. [d. 19. *Sept.*]

Machæri *uxor. Febris continua instans.* §. Machæri *Erinnys* in usu medicamentorum valde negligens est, totamque diem immo & noctem murmurando & litigando consumit; semper delira loquitur; Pulsus est debilis. Cum medicamenta nondum consumta sint, illorum usui diligentius insistere jussa est. Vesperi

speri *delirium* idem. Se nudare toto corpore non verecundatur, quod pessimum in *febribus continuis* signum, & qui talia faciunt, cumprimis muliebris sexus (exceptis *erotomania* affectis) plerumque moriuntur. Per totam diem fere nil medicamenti quidquam assumsit, immo & porro assumere recusat; si, ut salutis spes parca supersit, quod marito dicere non intermisi. (d. 19 *Sept.*) XVIII.

§. Trabeculi *uxor* tolerabiliter habet; minuuntur dejectiones in quantitate & qualitate. Pergere jussa fuit cum *pulvere* & *decocto* pro potu ordinario. (d.19.*Sept.*) Trabeculi *uxor*.

§. Tigurino *uxor* peperit puellum, & quidem in ordine non interrupto septimum. Erant, qui dicerent puellum esse duplici lingua præditum, quos vel quas inter ipsa fuit *obstetrix*. Mater perterita me puellum inspicere jubet, sub ligua protuberabat caro quædam glandulosa quasi glandulæ conglomeratæ, *thymi pancreatis*, &c. procul dubio a saliva viscida in illis glandulis collecta easque expandente, nil autem, quod vel alterius, *lingulæ* figuram vel substantiam referret. Ideo bono esse animo jussi matrem, fore enim ut illa caro sensim concidat ac evanescat. Non satis habentes *Chirurgum* quoque accersiverunt, ac denique ab hoc eadem edocti acquieverunt. Vidi autem hoc in pluribus *infantulis*; & reprehendenda hic est obstetricum vel inscitia vel protervia, miseras puerperas in mœrores ac terrores frustra conjicientium. Tigurini *Filiolus minimus. Lingua duplex credita.*

§. Toparii *Uxori* (d. 13. *Sept.*) pro tollenda *coryza*, gravitatem ac dolorem capitis excitante, suasi *euporiston Sim.* PAULLI *quadrip. bot.* nempe *naribus attrahendam simplicem amaraci aquam*, cujus efficaciam multoties expertus sum. Toparii *uxor. Coryza.*

§. Cermadius hodie *colicis* denuo doloribus, quamvis non adeo acerbis, prehensus fuit. Datæ tres *pilulæ* WILDEGANSIANÆ. *Febris* heri non admodum ursit. Cermadius. *Colica.*

Filiolus anasarca affectus præterita nocte placidissime dormivit, & melius, quam multis antidhac diebus. *Tumor* fere omnis in toto corpore subsedit, urina copiosa redditur, anhelitus est liber. Tale quid mihi adeo brevi temporis spatio non spoponderam. (d. 19. *Sept.*) *Filiolus leucophlegmatia.*

§. Siderolithi *Uxor* (8. *Sept.*) *uterino profluvio* correpta spem omnem conceptus rursum amisit. Necesse judicavi, ut hoc autumno, instante cumprimis *æquinoctio*, lustraretur. Data *potio laxativa* consueta, & imperata d. 22. vel 23. *Sept. Venæsectio.* (d. 27. *Sept.*) Siderolithi *uxor.*

§. Scherlentrus a tribus jam septimanis *febre continua* laborat; Scherlentrus. *Febris continua.*

XVIII. *Chirurgus* quidem e junioribus, nuper [demum examinatus], hominis curam suscipere ausus est. Et, cum, prout paullo ante memoratum, nunc epidemice grassans *febris continua*, vires decumbentium supra modum deprædari soleat, *Chirurgus* hic insuper *sudoribus* immodicis miserum sic exhauriebat, & nimium *refrigerantibus* enervabat, ut *animo* intra *nycthemeron* frequentissime *linqueretur*, verbum profari; digitumve movere vix posset, omni sudore, qui, poris nimium patulis factis, ferme continuus erat, frigido existente. Cognito periculo binos simul *Medicos* accersunt, animæ unum, corporis alterum. *Parochum* & me indigito. Cur, inquam, non statim vocastis *Medicum*? Resp. Amicus noster atque vicinus ille *Chirurgus* sponte se obtulit, rem extenuavit & curam certissimam pollicitus est; nam ex hoc morbo quasi per lusum a se sanatos esse innumeros. Egregie vero, dico, nam res ipsa loquitur. Sepositis itaque *refrigerantibus*, *alexipharmacis fixis* cum modice *calfacientibus* rem aggredi tentavi, & *mixturam* sequentem cochleatim hauriendam scripsi; Rec. *Aq. ceras. n. borrag. card. ben. an.* ℥iß.
cinnam. bugloss. ℥vj.
☿. *diaph. CC philos. an.* ʒß.
elix. vit. MATTH. *c.* ʒj. *sir. cinnam.* ℥iij. *M.*

Refectionis caussa nonnunquam præbeatur quantitas myristicæ nucis de *electuario*:

Rec. *Conf. acetosell.* ℥ß. *carn. citr. cond.* ℥iij.
conf. alk. c. ʒj. *spec. cordial. temp.* ʒß.
sir. acetos. citr. q. s. M.

Pectus fricetur *aqua carbunculi aurea*. Potui nonnihil *vini* veteris generosi admisceatur. Refrigerandi fine foris nihil applicetur.

Si immaturi hi *Chirurgastri* suum *forfex*, *forpex*, *tomex*, diligentius arriperent, de rebus *Chirurgicis* in examinibus quæsiti, non muti pisces essent, adunco naso libros *Chirurgicos* probe vestigarent, tunc demum, sui quod est officii, exsequerentur. Nunc autem istæ pecudes pleræque (non omnes dico) rostris suis adoriuntur SCHRŒDERUM *Germanicum*, SFORZIÆ sichern und geschwinden Artzt / CARDILUCII *Drectatus Practicos*, den Barmhertzigen Samariter / und dergleichen Bachanten-Tröster / & nefariis ausibus internos morbos curare satagunt; in *Chirurgicis* autem rasione barbæ, & sectione venæ (dummodo semper recte) omne suum studium terminatum cupiunt. Sed heus! bone *Chirurgaster*! Præpara te ad *une fort-rude Mercuriale*, quam *Physici* STUTTGARDIANI suo tempore declamabunt. (d. 20. *Sept.*)

§. Lani-

§. Lanicius post usum *electuarii febrifugi* d. 11. *Sept.* ordinati, & administratam *Venæsectionem*, *labiis exulceratis*, *febrim* amisit ac restitutus est. Id vero notabile fuit ipsum, quoties *electuarii* dosin assumsit semper largissime, & adeo quidem, evacuatum fuisse, ut sibi de *dysenteria* metuerit. Recordor tale quid interdum *sirubum cydoniorum* efficere solere, sed cicurandus hic erat *theriaca*. Puto virtute medicamenti Naturam robur adeptum in sanguinea massa tumultum secretorium excitasse, nullo patientis malo, summo potius bono. [d 3. *Oct.*] XVIII. Lanicius. *Febr. tert. interm.*

§. Stomachosus (d. 16. *Sept.*) de re nulla amplius, nisi de appetitu nondum restituto queritur. Suasi, ut primo haustui in quolibet pastu *vinum absinthites* compositum inserviret, ac cum *tragemate* nuper ordinato pergeret. *Uxori febriles* adhuc quosdam insulticulos sentienti, præter idem *vinum absinth.* & *tragema.* Ordinavi mane, pomeridie & noctu ante somnum guttas XXXVI, *mixturæ* cum quolibet vehiculo: Stomachosus *Febr. tert.* *Uxor.*

Rec. *Ess. cort. peruv. elix. balsam.*
trifol. fibr. an. ℥ij. *M.* (d. 20. *Sep.*)

§. Commorabatur hic ITALUS quidam illustri sanguine satus, qui aliquando languens a nostris *Medicis* neminem admisit *Febritare* audivi, & valde consumtum esse. *Carnis vitulinæ* pondo duodecim ad quindecim una vice in uno cacabo tamdiu elixavit, donec jusculi non ultra libram unam remaneret. Libram hanc jusculi vere consummati quotidie absumsit, additis *quatuor ovorum vitellis* & adjecto pauco *sale*. Potus erat simplex *ptisana*. Non puto ridendum hoc *analepticum*, modo non impingatur in *Aphor. 10.* HIPPOCR. *Sect. II.*

§. Regenotti *Uxor* (d. 13. *Sept.*) flagitat *endiviam* cum pullo elixam, concessi: quin & *emulsionem amygdalinam* pro lacte augendo indulsi. (d. 20 *Sept.*) Regenotti *uxor.*

§. Agoranomus (d. 10. *Sept.*) *decocto suo* & *gelatina* d. 7. *Sept.* ordinatis hactenus diligenter institit, ab *arthritide* tamen penitus liberari nondum potuit, quamvis mitius habeatur. Jussi cum *decocto* pergere, & cum SERENISSIMA PRINCEPS VIDUA *gelatinam analepticam* ex animalibus eorumque partibus confectam e culina sua gratiosissime largita fuisset, ejus assumtionem sedulam omni studio suasi. [d. 20. *Sept.*] Agoranomus. *Arthritis.*

§. Torcularii *Filiolus* misere decumbit. Alvus ab hesternis ne semel quidem soluta Imperavi *clysma* ex *jure carnis*, *oleo olivarum* & *pauco sale*. Ordinavi *balsamum cephalicum* & *emplastrum theriacale* capitis fontanellæ. Cum *mixtura* pergendum esse duxi. (d. 20. *Sept.*) Torcularii *filiolus.*

Fili-

XVIII. Filiola. *Ophthalmia.* *Filiola* ejusdem alii contra *ophthalmiam* a nonnemine suasum *amuletum ex ruta muraria. Lapide bufonite* oculos fricabant, *fungos sambuci* cum *aqua rosarum pallida* impraegnatos alligabant. Nihil simpliciter repudiabam.

Limonii *uxor. Febr. quotid. int.* §. Limonii *uxor* 30. annorum, ante quatuordecim dies gemellos peperit, statim post puerperium *febre quotidiana intermittente* prehensa suos tamen proles lactat, sed virium, uti vix aliter esse potest, summe debilis & umbra fere hominis. Sumat singulis 6. horis cusp. 2. cultri de sequenti *polline*, cum sequente, vel alio vehiculo:

Rec. *Conch. ppt. diaph. ♂ al. Oc. ♋. ppt.*
fl. ⊖ ✱. ⊖. absinth. an. ʒj.
ol. caryoph. gtt iiij. *M.*

Rec. *Aq. cichor. borrag. card. bened. an.* ℥iij.
syr. rub. id. ℥ß. *M. D. cochleatim.*

Pulsibus *emplastrum febrifugum* ex *Zingibere*, ⊖*e com.* & *fuligini camini* cum *vitello ovi* subactis. Diaeta & victus *analepticus* hic exulant. Nam pauperculi sunt. (d. 2. *Oct.*)

Jorami *Filiolus. Atrophia a fascino.* §. Jorami *Filiolus* (d. 16. *Sept.*) adhuc diligenter *sideritide* lavatur, sed sine notabili adhuc successu, vel ulla virium aut carnium restitutione. Jussi *balneo pedes vervecum* quoq; incoqui & loco aquae comun. nostras *cervinas* advectari; praeberique simul cochleatim:

Rec. *Aq. confort. offic. emuls. violat. Mynf. an.* ℥ij. *M.*

Bis in die cum ordinario potu dentur sex guttulae ⊖ *vol. oleos.* (d. 19. *Sept.*)

Fissurae *manuum.* §. Ancilla clinica *Xenodochii* nostri praeterita hieme crebris linteaminum lotionibus, summo frigore, occupata, *fissuras* in *manibus* accepit, quas diligenti lotione cum *urina propria* tandem delevit.

XIX.

XIX.

MErcurii statio matutina, qualis hesterna vespertina; Hodierna tamen vespera ultimam tertii gradus lineam attigit. Liquor *thermometri* mane paullo infra quartum gradum consistens, vesperi dictum gradum assecutus est. Nox erat mediocris. Dies maximam partem serena, interspersa semel rarissima pluviola. *Plenilunii* ingressus serenus.

Nissetus. *Dysenteria.* §. Nissetus praeterita quidem nocte non nisi semel alvum deponere coactus fuit, parum tamen dormivit, quod curis magis, quam morbo adscribo, nam & bene pransus est, & per totam quoque diem

tantum

tantum semel dejecit, idque sine torminibus. Cras iter parat FRANCOFURTUM, quod, licet, dissuaserim, ipse tamen indeclinabile putat. Suasi ut secum reciperet *pilulas theriacales*, & *caffe* suum cum *pulvere radicis tormentillæ* mixtum; item *Electuarium dysentericum* SEREN. DUCISSÆ, maximam partem constans ex *rob. de cornis* & *nuce moschata*, quantum gustu percipere possum; utque sibi caveret a vino recenti, ab acidis omnibus & fructibus crudis, ab omni vini excessu &c.

§. Toparii *Filiolo magnesia* exhibita, quam ægerrime admisit; Interim melius habere cernitur, quod peracto *plenilunio* futurum esse prædixeram. d. 20. *Sept.*) Toparii *Filiolus.*

§. Eo, quod Neritii *Filia* bene habeat, per totam noctem dormiverit, nunquam dejecerit, aliquantillum appetat, ideo a medicamentis hodie abstinere jussi, visurus, quid Natura, sine officinæ adjumento, valeat; (20. *Sept.*) Neritii *Filia.*

§. Cermadius heri *febrilem rigorem* non sensit, quamvis aliqualem æstum. Mediam noctem tolerabiliter transegit; sed post noctis mediam aliqua *colicæ* indicia; *pilulæ* vero, quas suppeditaveram, tres WILDEGANSIANÆ, statim in herba dolorem suffocarunt. Hodie mane exhausit patellam jure carnis cum pane impletam, cum appetitu, quod diu non fecit. *Febrim* in decremento esse puto, *pulveres* tamen repeti volui. Cermadius.

Corporis habitus in *Filiolo* plane detumuit, spiritus liber, appetitus integer. Laudetur DEUS! (d. 21. *Sept.*) Filiolus.

§. Machæri *uxor* quadantenus equidem sibi melius, quam heri, constat; valde tamen adhuc debilis. Tussit vehementer. Assumtioni medicamentorum contranititur. Vesperi, se sanam reputaturum esse dixit, dummodo tussis cessaret. Arrepta hinc occasione, me pharmacum contra *tussim* scripturum esse promisi. Consensit. Sub hac autem larva simul *alexipharmacis* militare non neglexi: Data igitur cochleatim sumenda *mixtura*: Machæri *uxor.*

Rec. *Aq. veron. acac. an.* ℥iij.
♁. *diaph. CC. philos. conf. alk. inc. an.* ʒß.
sir. papav. errat. ℥ij. *M*: (d. 20. *Sept.*)

§. Eunuchi *Filiolus* septem hebdomatum, dies noctesque nunc per biduum vociferatur, pedes attrahit, viridia & acidum spirantia excernit, facies livida circum os & oculos, post clamores emortualis pallor & debilitas, pavores, *tremores* &c. motus atque sonori flatus. Eunuchi *Filiolus.* *Colica spasmodico flatulenta.*

Rec. ☉. *fulmin. gr. ij. arcan. dupl. gr. iij. M. pro 1. dosi.*

Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. chamom. anis. an.* ℥ij.
~⊖✳. *anis.* ℈j. *ess. anod.* ℈ß.
pulv. anticol. CAM. ℈j. *elaos. anis.* ʒij. *M.*

Abdomini *emplastrum ex ungu. de hyosc. & empl. de melil. an.*

Eronei *Filiolus.* *Tenesmus.* §. Eronei *Filiolo* (d.17. *Sept.*) fere denuo cum *tenesmo* dejicienti, quamvis cætera vegeto & appetenti ordinatum *electuarium*, iisdem, quibus pulvis, horis sumendum;

Rec. *Conf. ros. r. antiq.* ℥j. *miv. cydon.* ℥ß.
conf. de hyac. c. ʒj. *nuc. mosch.* ʒß.
coral. r. ppt. bol. arm. ppt. 🜃. *sigill. an.* ℈ij.
extr. torment. ℈j. *sir. myrtill. q. s.* F. *Elect.*

Trabeculi *uxor.* *Dysenteria.* §. Trabeculi *uxor pulverem* suum consumsit, & cum nihilominus intra nycthemerum adhuc 6. 7. 8. vicibus, non sine omni dolore, dejicere cogatur, alium *pulverem* ordinavi more *tragematis* cum pane tosto & vini modico, vel etiam per se ad cusp. 4. cultri aliquoties in die sumendum:

Rec. *Trag. arom. offic.* ℥ij. *gran. act.* ℥j.
spec. diacret. Myns. ℥ß. *M.*

Præscriptum quoque pro quatuor dosibus nocturnis *electuarium*:

Rec. *Conf. ros. r. antiq.* ℥ß. *diascord. Frac.* ʒij.
ther. Andr. ʒj. *extr. torment.* ℈j.
♁. *diaph.* 🜃. *sigill. nuc. mosch. an.* ʒß.
sir. cydon. parum. M. (d. 20. *Sept.*)

Hesychioli *Filiolus.* *Colica spasmodico-flatulenta.* §. Hesychioli *Filiolo* 10. septim. eodem modo, quo Eunuchi *Filiolus* per omnia habenti, ordinata *mixtura purgans* talis;

Rec. *Magist. gial. gr.* vj. *subige cum vitello ovi, & add. aq. acac. parum.*
Detur sensim pro 1. dosi.

Præscripta quoque *mixtura* cochleatim sumenda *Eunuchi* plane similis, & *sacculi* ventri imponendi, ex *bacc. junip. sem. carv. fl. chamom. & cort. aurant. sicc.*

Siderurgi *Filiolus.* *Convulsiones. epileptica.* §. Siderurgi *Filiolus* anniculus a biduo valde æstuat, sitit, languet, pavet, gesticulatur, *gingivæ tument*; est valde obesus, medicamenta fastidit, assumta revomit. *Dentitioni* hæc omnia adscribens, de *convulsionibus epilepticis* metuens ordinavi *mixturam* cochleatim præbendam:

Rec. *Aq. plantag. ceras. n. an.* ℥iß. *epil. L.* ℥ß.
conf. alk. c. ʒß. *pulv. march.* ℈j.
sir. fl. pœon. ʒiij. *M.*

Nodu-

XIX.

Nodulo illigatus potui immergatur *pulvis*;

Rec. *CC. ust. ppt. cryſtall. ppt.*
mater. perlat. an. ʒj. *M.*

Nuchæ, vertici, temporibus *balſ. cephal. conſuet.* Fontanellæ *emplaſtrum theriacale.* Vix diſceſſeram & *convulſiones epilepticæ* horrendæ eruperunt. Præter externa tunc nil adhiberi volebam. Notandum, male fieri a *Practicis* & *Adſtantibus*, ubi, in ipſo *paroxyſmi epileptici* κλόνῳ medicamenta puſillis infundunt; id enim non tantum fruſtra fit, quum tunc temporis deglutire neſciant; ſed & miſelli ſuffocationis periculo exponuntur; immo, cum opprobio *Medici*, ſuffocatos fuiſſe ſcio. Præterea *convulſiones epilepticæ* in uno continuo tractu per horam durantes plerumque funeſtæ ſunt, cum vel centies aut ultra ſuſtineri queant, dummodo *paroxyſmi* ſint breves. (d. 20. *Sept.*)

Micrælius. *Febr. cont.*

§. Micrælius 40. annorum, caſtra diu ſecutus, jam ante octiduum ex *febri continua* decumbere cœpit. *Pharmacopola* quidam dedit *mixturam refrigerantem* cochleatim ſumendam. Inveniebam æſtuantem, moroſum, pulſu magno & valido præditum, ſitientem, *anorectum.* Dedi 3. *pulveres*, quorum unus ſexta qualibet hora capiatur e vehiculo ſeorſim quoque hauriendo:

Rec. ♁. *diaph.* 🜔. *nat. ppt.* ⦶. *ppt. an.* ʒß.
M. divid. in 3. p. æqu.

Rec. *Aq. ſcord. rub. id. an.* ℥iij.
mixt. ſimpl. ʒß. *ſir. card. bened.* ℥ß. *M.*

Veſperi rurſum vocatus inveni plane *attonitum*, eo more, quo ANTHUM aliquando offenderam: torvum videbat, nil loquebatur, nec digitum movebat. Cum tamen neque ſtertor adeſſet, neque ſpuma, artus omnes eodem modo mobiles & calidos viderem, pulſus eſſet magnus & robuſtus. Mirantibus omnibus accerſivi *chirurgum* & ℥vj. Sanguinis e brachio detraxi: vulnere nedum deligato ad ſe rediit, mirans, quid ſecum ageretur. Debilis tamen fuit. *Liquoris CC. ſuccin.* gtt. xxv. propinatæ, guttæ aliquot etiam linteolo naribus admotæ. Cochleatim data *mixtura*:

Rec. *Aq. conf. offic.* ℥iij. *epil. L.* ℥j.
conf. alk. c. ʒj. *M.*

Pectus fricetur 🜄. *rectif.* [d. 20. *Sept.*]

Nezelii *uxor.* *Syncope hyſterica.* *Spaſmus abdominis.*

§. Nezelii *uxor* d. 27. *Aug.*) a triduo puerpera queritur de *ſyncope hyſterica* frequenti & *ſpaſmo abdominis* truculentiſſimo. Abdomen intro trahi, ait, cum umbilico, ut ſuperficie ſua vannum quaſi mentiatur:

 Rec.

XIX. Rec. *Tinct. castor. succin. myrrh. an.* ʒß.
croc. ess. anod. an. ℈j. *M.*

Sumat ter in die gtt. xxx. cum *aq. ceras. n.* Venter frequentius calide ungatur:

Rec. *Ol. laur.* ℥j. *philos. castor. an.* ℥ß.
~CC. ʒj. *M.* [d. 22. *Sept.*]

Siceus. *Cephalæa.* §. Siceus 30. ann. prævio levi horrore, insequenteque æstu *cephalæam* sentit atrocissimam: pulsus est magnus & celer.

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. F. c. elix. propr. 8. pil.
pro 1. dosi.

Rec. *Aq. fl. til. verben. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒj. *sir. de beton.* ℥ß. *M.*

Fronti *emulsio externa.* Cras urina servetur. (d. 20 *Sept.*)

Jorami *Filiolus.* §. Jorami *Filiolus* balneum e *sideritide* non frustra usurpaturus videtur. Affatim comedit, & dejectiones cessant. Diligenter lavare pergant. Monstrabant in abdomine maculam rubram grossi magnitudine; nil aliud divinare poteram, quam unctionem justo fervidiorem: jussi mulcere *oleo rosato.* (d. 22. *Sept.*)

Trulli *Filius. Quartana duplex.* §. Trulli *Filius* (d. 13. *Sept.*) hodie paroxysmum nullum sensit & cætera vegetus est. Jussi tamen *febrifugum pulverem* iterari, ejusque usui insisti.

XX.

XX. MErcurius per dimidiam lineam mane adscenderat, vesperi in tertio gradu quievit. *Thermometri* liquor hactenus semper stabilis, vesperi paullo infra quartum gradum subsistebat. Nox & dies, nil nisi pluviam præcipitabant.

Micrælius. *Febr. cont.* §. Micrælius iterum suus factus noctis reliquum cum hodierna die tolerabiliter transigit. Insistatur *pulveribus, liquori CC. succin.* & *mixturæ refectivæ* heri ordinatis, & insuper ad *asthma tussimque* cochleatim præbeatur:

Rec. *Aq. veron. hyssop. an.* ℥iij.
~⊖✱. anis. R. croc. an. ℈j.
sir. jujub. papav. err. an. ℥ß. *M.*

Potum ordinarium elegit *acidulas.* Cur recusarem, caussa non fuit. (d. 21. *Sept.*)

Neritii *Filia. Appetitus incongruus.* §. Neritii *Filia* heri vesperi unicum *berberis* fructum conditum comedit, & hac nocte bis alvum fluidam est experta. In alvo sponte ad

fluidi

fluiditatem inclinante parvo opus est stimulo, quem vix aliquid efficere posse credas. Præstiterat igitur a *berberibus* aciditate sua sacchari involucris velata ζέσιν præternaturalem in sanguine excitare valentibus, abstinere. Qui appetitu petulantiori ad talia feruntur, plerumque dicere solent: Wenig schadet wenig; ego semper regerere: Nichts schadet gar nichts. Etiam detrimentum parvum amoliri decet, quia detrimentum; quod a me vesperi factum, cum virgo nostra maturas aliquot uvas comedere gestiret. Recusavi simpliciter, Adstantesque, ne appetitui tam vesano velificarentur, obtestatus sum. Cum autem *mixtura* cochleatim sumenda consumta fuisset, *tussisque* NERITIAM vexaret, aliam præscripsi talem: XX.

Rec. *Aq. veron. scabios. an. ℥iij.*
ess. croc. ⊖. vol. oleos. an. ℈j.
conf. alk. inc. ʒj. sir. de alth. Fern. ℥ß. M. (d. 22. *Sept.*)

§. Apud Siceum præterita nocte *cephalæa* multum remisit. Cum autem pulsum adhuc offenderem magnum, plenum & simul celerem, imperavi *venæsectionem in mediana sinistri* celebrandam. Incisione non satis ampla facta sanguis exstillavit guttatim, postea floridissimus & inculpabilis in examine repertus. Hanc *venæsectionem* nihil valere pronunciavi. Nam revera ille sanguis, qui e plaga justo minore magis exstillat, quam profluit, semper floridior esse comperitur, quod mecum plurimi observarunt. An illud soli lucis modificationi juxta BAYLEUM sit adscribendum, merito dubitatur. Probabilius est, globulos sanguinis particulis mucidis & gelatinosis mobiliores, cum *spiritu vitali* sibi præ illis exitum parare & invenire; illas autem, nempe mucidas reprimi ac retineri. De hac re sic eleganter alicubi WILLISIUS (prout allegavi in §. 29. *tr. Germanici mei* vom *præservir*-Aderlassen An. 1692. *editi*) *quamprimum sanguinis detrahendi quantitas determinatur, proxima tunc cura esse debet, ut facto orificio largiori idem æqualiter mixtus tempore citissimo effluat; secus enim, si ex foramine exiguo, aut stillatim, aut cum virgula minuta exibit, massa sanguinea fermentescens in partes secedet, quodque subtilius & magis spirituosum est, portione crassiori & feculenta pone subsistente erumpet.* Volui igitur, ut temporis haut longo intervallo *venæsectio* repetatur. Vesperi ordinati quatuor *pulveres*, quorum singulis sex horis unus sumatur, cum *mixtura* cochleatim sumenda & *emulsione externa* simul pergenda: Siceus.

Rec. *♁. diaphor. C.C. philos.*
♁. nat. ppt. ☽. ppt. an. ʒß.
M. F. 4. ℞. (d. 21. *Sept.*)

§. Dissoluta heri, prævio *frigusculo*, *diarrhœa* frequenti, cum modicis Dissoluta. *Diarrhœa.*

XX. dicis tamen *torminibus* affligi cœpit, & nocte præterita ſæpe dejicere coacta fuit. Metuenti *dyſenteriam* ordinavi *pulverem*, cujus ſingulis 4. horis 3. cuſp. cultri ſumat per ſe, vel cum vehiculo calido:

Rec. *Trag. gran. act.* ℥ß. *ſpec. diacr. Mynſ.* ʒij.
cor. r. ppt. nuc. moſch. ℥is *an.* ʒj.
extr. papav. c. ℈j. *elæoſacch. caryoph.* ℥ß. *M.*

Bibat *emulſionem amygdalarum dulcium.*

Capiſtrani *filiolus.* *Teneſmus.* §. De Capiſtrani *Filiolo* 17. *Sept.* relatum, quod medicamine non amplius indigeat: at vero nunc denuo *teneſmo dolorifico* affligitur: cui compeſcendo cochleatim præſcriptum *eclegma*:

Rec. *Mucilag. ſem. cydon. cum aq. malv. extr.* ℥j.
ſir. de alth. Fern. liquir. an. ℥ß. *M.*

Inteſtinum rectum mulceatur *unguento de linaria.* (d. 21. *Sept.*)

Teretrii *filiola.* §. Teretrii *Fliolæ* (d. 3. *Sept.*) in complementum curæ *varioloſæ* ſcriptum *purgans*:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xv.* (d 27. *Sept.*)
ſir. de cich. c. rh. ʒvj. *aq. fumar.* ʒij. *M. pro 1. doſi.*

Niſſeti *filiolus.* *Convulſiones.* §. Niſſeti *Filiolus* natu minimus prævio fere nullo ullius ægritudinis ſigno ſubito corripitur *motibus convulſivis*, cum *vomitione* & magno æſtu. Motus illi non diu durarunt. Æſtus vero, me præſente, adhuc magnus erat. Cum *variolas* nondum habuiſſet, aliquid tale ſubeſſe ſuſpicans cochleatim præberi volui *mixturam*:

Rec. *Aq. fumar. fl. til. an.* ℥ij.
mater. perlat. ℈j. ♁. *nat. ppt.* ℈ß.
lap. bez. or. gr. iij. ſir. fumar. ℥ß. *M.*

Maneat in hypocauſto calido. Eſt anniculus. (d. 21. *Sept.*)

Oragius *apertus.* §. Oragius, *Chirurgus* 35. annorum jam per decennium miſerrime vixit. Mirum quid, ac plane ſingulare recenſeo. Nec bibere poterat, nec edere quidquam erecto corpore, quantumlibet appeteret. Omnia citius dicto *revomebat.* Super ſiniſtrum vero latus decumbens cibum & avide ſumebat, & retinebat quoque. Jam octennium circiter eſt, ex quo me aliquando conſuluit. Hilaris tunc temporis adhuc erat ſibi præſens, bono corporis habitu, nec *tuſſiens*, nec anhelus. Varia præſcribebam, quæ hic adducere ſupervacaneum. Curabam enim, neſcio quid? Cum levaminis ne micam perciperet, ipſe ſumere, ego ſcribere ceſſavimus. Quid intra hos octo annos actum ſit, novi cum ignaris. Audio, ſine fructu, innumeris uſum eſſe. Contabuit ſucceſſive, & poſtremo *melanictericus* factus heri exſpiravit. Accepta corpus aperiendi licentia, emaciatiſſimum & fumo quaſi induratum adorti ſumus. Sublato

lato *sterno* pulmones undique pleuræ, diaphragmati, spinæ dorsi, quinimmo versus fauces ipsi collo firmissime adnati, nusquam, nisi anteriore parte sub sterno liberi: erant insuper toti *scirrhosi* & *tuberculis* (quæ præsens *Chirurgus turbiculas* vocabat.) *vomicisq;* refectissimi. Die Corda war gantz eingeschrumpffen/ (sic iterum *Chirurgus*) id est: Cor erat flaccidum & ex sangue, cum *excrescentiis polyposis* in utroque ventriculo. Jam vero legite rem miram: Turgidi ventriculi situs in sinistro latere, qui undique & diaphragmati & peritonæo sub diaphragmate, qua costas adhuc cingit, firmissime adnatus erat: quem, cum ab accretione liberassemus omni studio, incidimus, duplicemque prima facie reperimus, sic ut oculis nostris binæ cavitates semet offerrent, intergerina membrana, quasi mediastino quodam, separatæ. Cum vero rem penitius inspiceremus, ecce, pars ventriculi dextra prope pylorum, immo & cum pyloro, adnata fuerat peritonæo sinistro supra lienem, pars autem sinistra prope superius, immo cum superiori, orificio eidem peritonæo infra lienem adnectebatur; *Lien vero intra has ventriculi duplicaturas ventriculi fundo undiq; arctissimo adhærebat*; quem diu frustra in tota abdominis cavitate quæsitum, hic invenimus, ut primo internæ ventriculi cavitati inclusus videretur, sed ventriculo curatius inspecto, modo supra memorato se obtulit, exemplo a me nunquam vel observato, vel lecto. Hepar ventriculum nusquam tegebat, omentum aranearum tela. Id tamen & hepati insolitum accretio nempe portionis ejus ad ventriculi fundum, peritonæum sui lateris, ipsamq; spinam dorsi. Renes & intestina nil peculiare habebant. Mesenterium *tuberculis* refertum; in cavitate abdominis effusum serum. Corpus totum prorsus exsangue, ut incisiorem æque incruentam non viderim. Jam a longo tempore difficulter spiraverat, &, si vel erectus incedere, vel *pandiculari* vellet, funem quasi ab humero sinistro versus illud *epigastrium* protendi querebatur, qui corpus versus latus sinistrum violenter traheret vel inclinaret. Jam igitur caussa patet, cur, non nisi inclinato super sinistrum latus corpore, cibum potumve retinere potuerit? Nam, quia ventriculi pars dextra, dum corpus erectum fuit, parti sinistræ, ubi est œsophagus incumbebat & versus illam partem premebat, intromisso cibo vel potu, ventriculus semet expandendi spatium non habuit, & a mole superioris partis itemque lienis pressus, admissa reddere cogebatur: Per decubitum autem supra sinistrum latus, ab eo pressu liberior assumta & admittere & retinere potuit. Dixerunt hunc puerum immodicis cursitationibus, saltationibus, motuq; & jactu corporis pernicissimo suæ quoslibet ætatis superasse, quin & æstu magno perfusum vinum affatim hausisse; an igitur per illas tam violentas viscerum, præcipue ventriculi XX.

concussi

XX. concussiones, superficies viscerum, abrasa exteriori cuticula, sauciatæ, postea aliis partibus corporis adglutinatæ fuerint, ignoro quidem, nec tamen absurde sic statui credo.

Trabeculi *uxor*. *Nephritis cum dysenteria.*

§. Trabeculi *uxor* qua *dysenteriam* in vado jam constituta, nocte præterita *doloribus nephriticis* (quibus frequenter est obnoxia) corripitur. Hauriat *olei amygdalarum dulcium recenter expressi* & cum *sir. de alth. Fern. mixt. an.* ℥ß. Cum *antidysentericis* hesternis tamen pergat. Vesperi *dysenteriæ* parum, sed *nephritici doloris* adhuc plurimum. Repetatur noctu *oleum amygdalarum*. Dixerat litum cum *oleo Philosophorum* sibi ad *nephriticos dolores* ab amica laudatum fuisse. Tentari posse dixi. (d 21. *Sept.*)

Siderurgi *filiolus*. *Epilepsia.*

§. Apud Siderurgi *Filiolum convulsiones epilepticæ* quidem cessarunt ipse tamen est adeo debilis, ut non diu supervicturus videatur. Pomeridie *convulsiones* iterum dirissimæ. Nil aliud, præter hesterna, ordinatum quibus, dum licet, insistant. (d. 21. *Sept.*)

Machæi *uxor*.

§. Machæri *Uxor*, tametsi adhuc delira, ulteriori tamen periculo carere videtur. Æstus enim & sitis non æque intensi, quam antea, & appetitus quadamtenus redit. Affligitur adhuc *tussi*, cui *mixtura* nuper ordinata ulterius obviandum esse putavi. (d. 21. *Sept.*)

Munieri *filiola*.

§. Munieri *Filiola* (d. 17. *Sept.*) jam nudius tertius diem supremam lausit.

Toparii *filiolus*.

§. Toparii *Filiolus* proficit. (d. 26. *Sept.*)

Regenotti *uxor*. *Vinipetens.*

§. Regenotti *uxori* (d. 18. *Sept.*) quod peteret, nec æstus vel calor præternaturalis adesset, stomachique debilitas poscere videretur, concessi modicum *vini* in quolibet pastu. In vino ut *sulphur* deprimatur & *spiritus ignei* propellantur, nostri homines duabus partibus affundunt, aquæ fontanæ ebullientis partem unam, & ovum recens positum immergunt, *sulphur* (*tartareos potius salinos atomos*) attrahat. Et cum ipsa de magna artuum debilitate, sic ut vix pedibus inniti possit, queratur, frigusculum etiam in illis fere perpetuum sentiat, eos calide fricari jussi *decocto rorismarini* cum vino. (d. 8. *Oct.*)

Scherlentrus. *Febr. cont.*

§. Scherlentrus (18. *Sept.*) a nuper ordinatis statim levamen sensit, vires quadantenus recepit, sibimetipsi præsentior fuit, sic, ut convalescentiæ spes affulgeat; tanti est, recte judicare morbos. Cum *hidroticis fortibus* & refrigerantibus si perrexisses, de ipso actum fuisset. Jam morbus *intermittentis tertianæ* typum assumturus videtur. Pergant cum nuper ordinatis. (d. 22. *Sept.*)

Agoranomus. *Arthritius.*

§. Agoranomus (18. *Sept.*) nondum ad se redire potest. Dolor adhuc in lumbari regione vexat, nec artus officium faciunt. Semper

per expectavi donec *arthritici* dolores cessassent, postea *balneas cervinas* methodice usurpandas imperaturus. Cum vero temporis diuturnitas patientiam in utrisque, me & ipso, propemodum extinxisset, lotionem illam ad minimum tentari volui, pro cujus tolerantia, utrum sit magis balneandum, nec ne? decernendum erit. Pergat nihilominus bibere *decoctum* & *gelatinam aulicam* usurpare. [d. 25. *Sept.*] XX.

§. Emmusus [d. 10. *Sept.*] *electuarium febrifugum* d. 7. *Sept* ordinatum non nisi summa & fere puerili cum nausea assumsit, nec omne consumsit, *febri* se libentius periturum esse, parum prudenter, dicens; Id tamen profecit, ut paroxysmi *tertianarii* non amplius cum frigore, sed statim cum æstu, licet parco, invadant. Nec tamen *febris* versa est in *tertianam continuam*; siquidem intermedia die perfecta est *apyrexia*. Sumat ter in die cusp. 2. cultri de *pulvere* cum quolibet vehiculo: Emmusus. *Febr. tert. interm.*

Rec. *Conch. ppt. ocul.* ♋. *crud. cont.*
♉. *diaph. fl.* ⊖ ✱ *c.* ⊖. *absinth. an.* ʒj.
ol. caryoph. gtt. iiij. M.

§. Stomachosus & *Uxor* (d. 18. *Sept.*) in meliorem cum sanitate gratiam quotidie redeunt, quamvis viribus magis jam polleat maritus. (d. 22. *Sep.*) Stomachosus & *uxor.*

§. Scepomactis *Filia* a *catarctico* d. 11. *Sept.* ordinato vehementissime mota fuit, cum debilitate insigni, quod rarum non est apud illos, qui genere nervoso sunt facile irritabili. *Cardialgia* non remittit, nec anxietas cum mœrore conjuncta. Mulierum tria mala M. hic suam quoque personam ludunt, Magen/ Miltz/ Mutter/ etc. Mane & pomeridie cusp. 2. cultri sumantur per se. Scepomactis *filia.* *Cardialgia.*

Rec *Spec. diacr. Myns.* ℥ß. ♁. *nat. ppt.* ʒß.
cor. r. ppt. diaph. ♃ *al. an.* ʒj.
pulv. cachect. qu. inc. ʒij. *extr. papav.* ℈ß.
M. F. ♉.

Noctu pergat cum nupera *mixtura*. Cochleatim vero detur sequens in omni anxietate:

Rec. *Aq. meliss. fumar. an.* ℥iij. *hirund. c. cast.* ℥ß.
ꝶ. ♂. *helleb.* ʒij. *castor.* ʒj.
elæosacch. anis. ʒij. *M.*

§. Torcularii *Filiolum* (18. *Sept.*) hodie valde debilem inveni. Adsunt varia *motuum convulsivorum* imminentium signa, non toties repetenda. Si *convulsiones* in nervum eruperint, eum vix evasurum credo, Torcularii *filiolus.* *Convulsionum prodromi.*

XX. quod vires a morbo jam nimium labefactæ sint. Dentur ter in die 2. cusp. cultr. de tali *polline*:

Rec. *Pulv.* MARCH *epil. mirab. an.* ʒß. *M.*

Cochleatim infundatur *mixtura*, cum externis pergendo:

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
⊖. *vol. oleos.* (ob asthma) ℈j.
sir. fl. pœon. ℥ß. *M.* (d. 21. *Sept.*)

Machetes. *Vertigo stomachica.* §. Machetes (d. 14. *Aug.*) per incidens *oris* & *gingivarum* symptoma *scorbuticum* ab ulteriori usu *pulveris ophthalmici* d. 1. *Aug.* ordinati fuit impeditus, quem tamen reassumsit ab eo malo rursum liberatus; &, quoad visum, magnum inde levamen percepit, sic,ut arti suæ rursum invigilare queat; saltem adhuc queritur de aliquali *vertigine*, mane cumprimis quum evigilavit, vexante, donec quid cibi cepisset. *Vertiginem* hanc esse ventriculi prolem judicans ordinavi *mixturam* cujus mane statim 2. cochlearia sumat:

Rec. *Aq. chærefol. salv. an.* ℥iij.
mastichin. cinnam. cydon. an. ℥ß.
specif. cephal. ʒß. *conf. alk. inc.* ʒj.
sir. cinnam. ʒiij. *M.*

Notet lector, me non semper ordinare *confectionem alkermes incompletam* propterea, quod *completam* ob suaveolentiam nocituram esse credam; sed quod sumtibus parcendum sit, apud illos, qui zonam possident vacuam. (d. 2. *Oct.*)

XXI.

XXI.

MErcurius mane tertium gradum emensus, vesperi primam quarti gradus lineam attigit. Liquor *thermometri* mane in medio quarti gradus constitutus, vesperi dictum gradum ferme assecutus est. Nox præterita præcedentibus paullo frigidior & serena. Mane tenuis nebula. Dies mixta, maxima tamen sui parte pluviosa. Pomeridie leve tonitru. Botri jam putrescere incipiunt, quæ putredo vindemiam accelerabit.

Tigurini Filius. *Dysenteria.* §. Tigurini *Filius* natu maximus 10. annorum, qui mense *Februario* a *variolis* tum periculose decubuerat, nunc a biduo *diarrhœa* correptus in malum *dysentericum* incidit. Mane statim ordinavi *pulvisculum* ex jusculo sumendum:

Rec. *Rad. ipecac. subt.* ☿. *gr. xvj.*
cinnam. opt. gr. viij. M. F. ☿. *pro* 1. *dosi.*

[Fre-

Frequentissime sorbeatur jus calidum, quod in exhibitione *Ipecacuanhæ* apprime necessarium. Feliciter operatus est *pulvisculus*. Vesperi scripta *mixtura* cochleatim sumenda:

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥j.
conf. de hyac. ʒj. *ess. anod.* ℈ß.
sir. myrtill. ℥ß. *M.* (d. 22. *Sept.*)

Reliquis *Filiolis* præservandi fine *pulvis* ordinatus, cujus mane & noctu 2. vel 3. cusp. cultri pro ratione ætatis dentur: *Filioli reliqui.*

Rec. *Trag. granor. act.* ℥j. *spec. diacr.* MYNS. ℥ß.
ol. nuc. mosch. expr. gr. vj. *elæosacch. cinnam.* ℥j. *M.*

Inquilini reliqui vel *cinnamomum*, vel *nucem myristicam* diligenter masticent. *Suffitus* in domo frequenter fiant.

§. Siceus præteritam noctem satis tolerabiliter transegit; *Capitis dolor* fere omnis abactus. Pergat uti *pulveribus*, qui adhuc restant. (d. 22. *Sept.*) Siceus. *Febris continua.*

§. Trabeculi *uxor* ad alvum reddendam non nisi bis præterita nocte surrexit, melius sine omni dubio habitura, si *nephritici dolores* non essent. Sic enim ab uno stimulo & alter excitatur. Novi nihil ordinatum, Repetatur *oleum amygdalarum dulcium*, &, cum litum *olei philosophorum* dolores lenire credat, illi modo insisteret, concessi. (d. 22. *Sept.*) Trabeculi *uxor.* *Nephritis.* *Dysenteria.*

§. Nisseti *Filiolus* minimus exclusit *morbillos*. Cessant omnino *convulsiones* & alia dira symptomata. Calor hypocausti sit mediocris. Pergatur cum hesterna *mixtura*. *Decocto* pro potu ordinario admisceatur nonnihil *aquæ fumariæ*. (d. 22. *Sept.*) Nisseti *Filiolus minimus.* *Morbilli.*

§. Siderurgi *Filiolus* heri vesperi mortuus est. Siderurgi *Filiolus.*

§. Halon potionem *laxativam* d. 16. *Sept.* ordinatam heri demum assumsit, & leniter, sufficienter tamen, quia octies, evacuatus est. Hodie ex præscripto celebrata *Venæsectio*. Globuli sanguinis rubri mucilagini implicati comparebant. Nunc pergendum cum reliquis medicamentis. Halon. *Raucedo.* *Obauditio.*

Non libenter extra casum necessitatis patior, ut, qui *purgans* hauserunt, altero statim die *venam secare* patiantur, sed unum ad minimum intercalarem esse jubeo. Sed hic per alia negotia non aliter licebat. (d. 25. *Sept.*)

XXI. Micrælius. *Febr. cont.* §. Micrælius non admodum male haberet, nisi per quinque jam dies esset *alvo constipata*. Caput adhuc valde debile atque ad quandam *somnolentiam* propensio, cum calore præternaturali:

Rec. *Specif. cephal. bez. miner.*
succin. a. ppt. an. ℈j. *M.F. 2. pulv.*

Detur hodie adhuc unus cum jusculo, alter cras mane, non neglecto jugi usi *liquoris CC. succinati*. *Clyster* applicetur *domesticus* ex *crem. hordei cum ol. oliv. melle, butyro,* ⊖*e & vitello ovi.* Sed antequam hic applicaretur, alvus, cum euphoria, sponte soluta est, mediantibus *suppositoriis*, heri frustra adhibitis. (d. 22. *Sept.*)

Machæri *uxor*. *Febr. cont.* §. Machæri *uxor* adhuc in hesterno statu, nisi quod ob externi aeris frigidioris admissionem transspiratio nimium inhibita convalescentiam impedire videretur; cui rei ut obviarem, imperato regimine calidiori, jussi ter in die gutt. xxx. *mixturæ simplicis* cum potu ordinario adsumere, & cum ordinaria *mixtura* cochleatim haurienda pergere. (d. 23. *Sept.*)

Cermadius cum *Filiolo*. §. Cermadius (d. 19. *Sept.*) tolerabiliter omnino vivit, *febrilis* paroxysmus nullus, appetitus cum viribus rediens. *Alvus* sola *constipata*. Dedi *potiunculam* OSWALDI. (d. 22. *Sept.*)

Filiolus ipsius a *leucophlegmatia* omnino per DEI gratiam convaluit.

Eroneus. *Dysenteria.* §. Eroneus 50. annorum a triduo laborans *diarrhœa*, nunc *dysenteriam* experitur. Sedes jam frequentissimæ. Cochleatim sumatur *mixtura*:

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥iiß.
cinnam. cydon. ℥j.
conf. de hyac. ʒj. *sir. myrtill.* ℥ß. *M.*

Noctu autem *pilulæ ex* vehiculo frigido:

Rec. *Extr. bezoard. torment. papav. c. an. gr. iij.*
M. F. 9. pil. pro 1. dosi.

In crastinum diem accipiatur *pulv. Ipecac.* ℈j. *cum cinnam.* ℈ß. Potus sit *Dec. mastich.* (d. 22. *Sept.*)

Torcularii *filiolus*. §. Nondum res salva apud puerulum Torcularii, quamvis *convulsiones* nec eruperint, nec forte sint erupturæ, cum signa comparere desinant. Jussi tamen cum heri præscriptis pergere, &, cum puellus multum bibendo stomachum debilitet, *aquæ panatæ*, quam unice amat, addere curavi *sirubum cydoniorum*. (d. 22. *Sept.*)

XXII. Mer-

XXII.

XXII.

MErcurius paullo ſupra primam lineam quarti gradus per totam diem ſubſtitit; Liquor *thermometri* mane qualis fere ſemper hactenus, veſperi proxime quartum gradum attigit. Nox mediocris. Dies partim ſerena, partim pluvioſa. Pomeridie Iris.

§. Pannonius (13. *Sept.*) ab *arthritide* ſua DEO juvante plene convaluit, & jam tantum queritur de agilitatis defectu in manibus (Die Hände seyen ihm so ungelenck.) Suaſi *Frictionem* articulorum matutinam & nocturnam *vino calido*, cui *ſalvia*, *rosmarinus* & *lavendula* in cocta, perficiendam, ipſumque a crapulis & litibus, *arthritici* mali promotoribus, dehortatus ſum.

Pannonius. *Arthritis.*

§. Hamaxetæ Filia, a *vino* ſuo *juniperino* d. 8. *Sept.* ordinato, per DEI gratiam plene planeque convaluit.

Hamaxetæ *Filia.* *Cardialgia.*

§. Tigurini major natu *filiolus* noctem pernoctavit valde laborioſam; frequentiſſimæ fuerunt ac etiam num hac die ſunt, *dyſenterica dejectiones* cum dolorifico *teneſmo*. Sumat ſingulis quatuor horis quantitatem de tali *electuario*, *mixtura* cochleatim haurienda non neglecta:

Tigurini *major natu filiolus. Dyſenteria.*

Rec. *Cenſ. roſ. r. antiq.* ℥j. *miv. cydon.* ℥ß.
ther. opt. ʒij. *conf. de hyac.* ʒj.
cor. r. ppt. bol. arm. ppt.
🜄. *catech. pulv. nuc. moſch. an.* ʒß.
laud op. gr. ij. ſir. myrtill. q. ſ. F. *Elect.*

Paretur *decoctum* pro potu ordinario ex *rad. torment.* ℥ß. *CC. uſt.* ʒj. *maſtich.* ℈j. *cinnam.* ʒij. *cum menſ.* j. *aq. font. cui poſtea cruſta panis toſti* injicienda. *Polygoni* in aqua cocti *vapor* de die aliquoties ano excipiatur. Ventri imponatur *ſacculus ex furfuribus*, *foliis quercus* & *equiſeto*. Noctu detur *bolus ex ther. Andr.* ℈j. *cum laud. op. gr.* j. cum reliquis pergendo.

Laudaverant aliqui contra *teneſmum vaporem decocti carnium fumo induratarum* ano exceptum. Ex quo fundamento, nondum recte capio. Verum quidem eſt, aliquid *gelatinoſi* in illo jure contineri, (Es iſt etwas klebricht.) Sed an jus in vaporem reſolutum illos particulas ſecum vehat, merito dubitatur. Plus præſidii quis collocare poſſet in linteis ipſomet jure imbutis & calide applicatis, niſi ſalſugo obſtaret. *Adſtrictoriam* vim elevari plane vanum eſt. Atomos blandas *ſulphureas* attolli, problema eſt. Fortaſſe ſolus vel aquæ communis vapor elevatus vi paregorica miſeros ſolatur. (d. 24. *Sept.*)

XXII. Filiolus *minimus.* FILIOLUS *minimus* 3. septimanarum etiam frequenter dejicit, vociferatur & *convulsionum* prodromos emittit. Parum hujus *pulveris* aliquoties in die quovis modo præbeatur:

Rec. *Specif. cephal. pulv. epil. mir. bol. arm. ppt. an.* ℈j. *M.* (d 24. *Sept.*)

Pezus. *Anorexia.* §. Pezus 32. annorum alibi locorum *febri tertiana* correptus & nescio quibus remediis curatus, huc veniens de *inappetentia* & pressione *stomachi* post cibum sumtum queritur. Jam *purgavit.* Sumat mane pomeridie & noctu gtt. xxxx. *elixiris balsamici* e quolibet congruo vehiculo; In principio cujuslibet pastus cum haustulo vini gtt. xxx. *ess absinth.* & post pastum cusp. 3. cultr. per se *tragemate* ex *spec. diacr.* MYNS. *p. 1.* & *trag. arom. offic. p. iiij.*

Siceus. § Siceus præterita nocte placide dormivit, & hanc diem ita transegit, ut contentus esse queat. Parum restare arbitror, quam ut viribus receptis purgetur & venam adhuc semel secari patiatur: Interim, dum tempus huic rei commodum appulerit, ter in die *pollinis* sequentis 3. cusp. cultri per se assumat:

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. ℥ß. *diaph.* ♂*al.* ʒj.
Crem. Tart. ʒiß *trag. arom. offic.* ℥iß. *M* (d. 24. *Sept.*)

Cermodius. §. Cermadius alvo soluta in tramite convalescentiæ feliciter incedit. (d. 24. *Sept.*)

Trabeculi *uxor.* §. *Nephriticus dolor* apud uxorem TRABECULI remissior, nec *dysenteria* amplius ferocit, attamen est valde languida, unde apparet, quid dolores in impedienda convalescentia possint? (wie sie einen zurück werffen können.) Pergat cum consuetis. (d. 23. *Sept.*)

Micrelius. *Febr cont.* §. Tametsi Micrælius alvum sponte deposuit, e variis tamen signis ipsum adhuc scybalis abundare deprehendens, dedi *potiunculam* OSWALDI. Plus habet in recessu hæc *febris*, quam facile quis putet, cum calor non admodum sit præternaturalis, sitis non adeo magna, pulsus non adeo debilis & ipse tamen æger languidissimus, ad soporem semper propensus. Memini me de *febre continua* jam grassante tale quid supra scripsisse. *Pulveribus alexipharmacis* diligenter insistatur & cochleatim præbeatur *mixtura:*

Rec. *Aq. meliss. borrag. rosar. an.* ℥ij.
♁. *diaph. conf. alk. c. an.* ʒj.
sir. cydon. ℥ß. *M.* (d. 23. *Sept.*)

§. Mal-

§. Mallem Niſſeti *Filiolum* hodie talem inveniſſe, qualem optasſim; ſed, *morbillis* licet excluſis, tamen pavere pergit & interdum concuti, cum æſtu ſitique maximis, & *alvus fluidior* mihi diſplicet, quam ſicut in *variolarum*, ita & *morbillorum* principio præſtat eſſe conſtipatam quam fluidam. Cochleatim propinetur *mixtura*: XXII. Niſſeti *filiolus minimus. Morbilli.*

Rec. *Aq. fl. til. plantag. an.* ℥ij.
epil. L. cinnam. cydon. an. ℥ß.
cor. r. ppt. cryſtall. ppt. ♁. *nat. ppt. an.* ℈ß.
conf. alk. c. ʒj. *ſir. fl. pœon.* ℥ß. *M.*

Emplaſtrum theriacale applicetur capitis fontanellæ & umbilico. (d. 23. *Sept.*)

§. Scherlentrus (d. 20. *Sept.*) vires admodum tarde recuperat, adhuc valde languidus, extra tamen vitæ periculum per DEI gratiam poſitus. Ut *intermittentis tertianæ* characterem in eo penitus exſtinguerem, dedi *pulverem* in 10. partes dividendum: Scherlentrus. *Febr. tert. interm.*

Rec. *Conch ppt.* ♂. *diaph. oc.* ♋. *crud. cont.*
fl. ⊖✳. ⊖. *abſinth. an.* ʒj.
ol. caryoph. ℈ß. *M. F. 10* ☿es.

Mane, pomeridie & noctu ſumatur doſis una ex quolibet vehiculo, ſimul cochleatim propinando *mixturam*:

Rec. *Aq. card. bened. chærefol.* (*ob urinam ſubſiſtentem.*) *an.* ℥iij.
cinnam. cydon. ℥j.
♎. *cochl.* ⊖. *vol. oleoſ. an.* ʒſs.
conf. alk. inc. ʒj. *ſir. fl. tun.* ʒiij. *M.*

§. Neritii *Filia* (20. *Sept.*) nunquam melius, quam hodie, vixit. Appetitus redit cum viribus. Incedere ſola poteſt; Aſſidere menſæ, quum alii diſcumbunt, &c nil ordinatum; ſed monita fuit, 1. Ne viribus ſuis nimium confiſa diutius, quam par eſt, extra lectum moraretur, frequenter potius decumbat, & iterum ſurgat. 2. Ne appetitui nimium indulgeat. Sæpe parumque & coctu facilia comedat. 3. Ne aëri frigido ſe maturius exponat. Conceſſum etiam eſt tantillum vini aqua temperati. (d. 23. *Sept.*) Neritii *filia.*

§. Cum Torcularii *Filiolo* res adhuc dubia. (d. 23. *Sept.*) Torcularii *filiolus.*

§. Eroneus ab *Ipecacuanha* quinquies copioſe vomuit, & ſtatim ſemet eſſe levatum prædicavit, quamvis dejectiones adhuc eſſent frequentes. Noluit exutus veſtibus decumbere, vel cloaca portatili uti, ſed alvum depoſiturus foras ad ſellam communem ibat, me licet contradicente. Appetebat adhuc, nec fractis viribus erat. Noctu cubitum iturus aſſumat *bolum*: Eroneus. *Dyſenteria.*

Rec.

XXII. Rec. *Elect. diascord.* FRAC. ʒj. *laud. op. gr.* j.
CC. ust. ppt. bol. arm. ppt. an. ℈j. *M.*

Libenter, prout quoque fieri debebat, *ipecacuanham* bis, immo nonnunquam ter darem, dummodo per hominum nostrorum meticulositatam liceret, sed plurimi ne semel quidem assumerent, si vomitum ciere præscirent. Non enim capere possunt, quo pacto vomitus *dysentericis* prodesse queat. Interim tamen hoc emolumenti præstat *ipecacuanha*, ut vel semel adhibita impetum morbi statim frangat. (d. 23. *Sept.*)

Filius. *Filius* plane convaluit, & fere nimium appetit.

Capistrani. *Filiolus.* §. Capistrani *filiolus* (d. 20. *Sept.*) *fluxum alvi* fere *colliquativum* accipere videtur. Nil comedit. Extenuatur. In medicamentorum tamen usu nil mutari voluerunt Parentes.

Nezelii *uxor.* §. Nezelii *uxor* per nuper (d. 19. *Sept.*) ordinata multum profecit. *Syncope hysterica* plane cessavit. Pergat uti illis medicaminibus. (d. 9. *Sept.*)

Jorami *Filiolus.* *Atrophia.* §. Jorami *Filiolus* (d. 19. *Sept.*) non equidem e *sideritidis balneo* male habet, immo semper melius appetit, cessante *diarrhœa*; sed interim habitior non fit. Jussi cum lotione diligenter pergere, ac simul ter in die 2. cusp. cultr. de tali *pulvisculo* dare:

Rec. *Æthiop. miner. elæosacch. mac. an.* ʒj. *M.*

Cochleatim autem præbere *mixturam*:

Rec. *Aq. charefol. cochlear. an.* ℥ij.
~ cochl. ⊖✱. *anis.*
℞. *croc. an.* ℈j. *sir. papav. alb.* ℥ß. *M.*

Abdomen statim a *balneo* & aliis quoque temporibus calide ungatur *unguento cardiaco.* (d. 29. *Sept.*)

Agnelæi *Filiolus.* *Colico spasmodico-flatulenta.* §. Agnelæi *Filiolus* minimus semestris noctes diesque vociferatur fere continuo; femora contrahit, viridia excernit, lac coagulatum vomit, *flatusque* sonoros plurimos emittit.

Rec. *Oc.* ♋. *crud. cont. matr. perl. ppt.*
cryst all. ppt. smaragd. ppt.
lap. bez. occid. an. ℈ß. *orient. gr. v.*
♁. *nat. ppt.* ☿. *rectif. an. gr. xv. M.* F. ☿.

D. ter in die cusp. 1. *cultr. ex quol. vehic.* simul cochleatim propinando *mixturam spasmodico-carminativam*:

Rec. *Aq. anis.* ℥iij. *fl. til.* ℥j. *epil. L.* ℥ß.
~⊖✱. *anis.* ℈j. *ess. anod.* ℈ß.
elæosacch. anis ʒiij. *M.*

Abdo

Abdomini imponatur *emplastrum* ex an. *empl. de melil. & ungu. de hyosc.* mixtum. XXIII.

XXIII.

MErcurius mane supra lineam tertiam quarti gradus adscendens vesperi dictum gradum attigit. Liquor *thermometri* paullo infra quartum gradum toto die perstitit. Nox erat fere nubila, dies serena & calida, *Æquinoctii* bonus ingressus.

§. Cupediaria vidua 60. & quod excedit annorum, affectibus *hypochondriaco hystericis* frequenter obnoxia, eoque nomine mihi diu nota, *dolorem punctorium* vagum in toto fere corpore, latere cumprimis sinistro, percipit. *Pleuritis vera* plane non; *spuria* non tam late vagatur. Qui *scorbuto* laborant, talia non raro patiuntur, quo de legatur DRAWITIUS & melior, quam plurimi credunt, *scorbuti* explanator, EUGALENUS. Fibræ nerveæ cuti intertextæ vellicantur a spiculis *scorbutici* sanguinis salinis. *Purgata* jam sponte consilio fuit. Mane & pomeridie sumantur x. *pilulæ* ex quolibet, dummodo frigidiusculo, vehiculo:

Cupediaria, *Scorbuti symptoma.*

Rec. *Extr. gentian. Zedoar. an.* ℥ß.
papav. comp. ℈j. *M.* F. *pil. pond. gr.* I.

Noctu ante somnum gtt. xxxx. *mixturæ* ex cochleari vini.

Rec. *Elix. aperit.* CLAUD. ℥ij. ℞. *castor.* ʒj.
ess. anod. ℈j. *M.*

§. Manica, Rhedarius, 40 circ. annorum, macilentus, *tussiculosus*, caussarius, arduo tamen labori addictus, præterita nocte cubans in lecto, proxime cubiculum suum semet audisse affirmavit *Casum* sive *lapsum* valde terribilem & impetuosum cum fragore horrido. Perculsus inde & plane attonitus illico *cohorruit*, insequente *æstu* summo. Mane vocatus *bolum sudorificum* propinavi:

Manica. *Febris cont.*

Rec. *Diasord.* FRACAST. ʒj.
♁. *diaph. CC. philos. an.* ℈j. *M.*

Per cochlearia ministretur *mixtura:*

Rec. *Aq. fl. samb. card. bened. an.* ℥iij.
♁. *diaph.* ♁. *nat. ppt. an.* ʒß.
mixt. simpl. ʒj. *sir. card. bened.* ℥ß, *M.*

Non omnino vanum est, quod de ominosis lapsibus in domubus brevi moriturorum a multis prædicatur, quamvis multa quoque fabulosa veris misceri diffitendum non sit. Nil tale audivimus, sed ad fide dignorum relatione multiplici accepimus. Cumprimis autem id notari dicunt, nempe, si quis, etiam tunc aliquando sanus, ex hac vita sit brevi

 deces-

XXIII. decessurus, audiri non raro, vel ab inquilinis, vel ipsomet mortis candidato lapsum in ædibus quasi sacci farina turgentis, wie ein Meel-Sakk; ut ædes, quoque contremiscant. Cum tale quid *Medico* nunciatur, seu verum sit, seu imaginarium, terrori tamen inde concepto medicamentis obviandum, qualia sunt fere sola *spasmodica*. Male faciunt, qui talia pensi nullius habentes, ægrotis firmiter persuasis exsibilatione sarcastica sola mederi conantur. De caussis horum & similium ominum lege sis *tract.* SONTAGII de *spectris & ominibus morientium*, it. BURGGRAVII *Jatricen ominum lethique curiosam*. Quid in MANICÆ domo futurum sit, præstolamur. (d. 24. *Sept.*)

Uxor Stomachosi. §. *Uxor* Stomachosi (d. 20. *Sept.*) quum sibi fere in solidum restituta videretur, aquam fontanam nimiis repetitisque haustibus ingurgitando, denuo lapsa est in summos languores, *cardialgiam* & *inappetentiam*. Ut medicamentum *purgans* ordinarem mordicus urgebat. Quum esset nimium debilis virium ad hujusmodi evacuationem sustinendam, sub *æquinoctii*, temporis ad *purgationes* incommodi, prætextu negavi. Præscripta interim sequentia: Mane, pomerid. & noctu gtt. xxx. *elixiris* ⊕*li* MYNS. ex quocunque vehiculo totidemque inunctiones scrobiculi cordis calidiusculæ:

Rec. *Ol. absinth. coct. lumbric. an.* ℥iij.
nuc. mosch. expr. ʒß.
ungu. de hyoscyam. ℥iij. *M.*

Interdum ægrotis incongrua flagitantibus *æquinoctia*, *lunæ quadraturas* &c. objectare non impia est impostura; quamvis constitutionem humanam ab *æquinoctiali* tempore mutationes subire, non plane rejiculum esse videatur. Ova gallinacea sub ipso, vernalis præcipue *æquinoctii* die posita incorruptibilia perennare ERASMUS BARTHOLINUS observavit in *Act. Med.* HAFN. *vol. I. obs.* 52. Nos eundem ante plus quam viginti annos imitati rem veram esse comperimus. Non multum hic scrupulari, multo minus propter *æquinoctia* rei bene gerendæ occasionem negligere decet. Nec tamen susque deque habendæ hæ temporum mutationes. Quid valeant *venæsectiones* circa *æquinoctia* celebratæ alicubi STAHLIUS famigeratissimus demonstrat. (d. 24. *Sept.*)

Nisseti *Filiolus*. *Morbilli.* §. Nisseti *filiolus* hesterno more vivit, &, cum pejor non sit, periculo vacare morbum spes est non nulla.

Homiletis *uxor*. *Icterus*. §. Homiletis *uxor*, plurium liberorum mater, nuper puerpera, *febri quotidiana intermittente* laboravit, quam excepit *Icterus flavus*. Omnis ferme contabuerat, ut cutis vix ossibus hæreret. Appetitus erat plane

plane abolitus, virium summus languor. Ter in die sumantur guttæ xxx. *mixturæ* sequentis ex quolibet apto vehiculo. XXIII.

Rec. *Ess. absinth. elix. propr.*
anim. rhabarb. an. ʒj.
℞. *croc.* ℈j. *M.*

Cochleatim autem alia talis præbeatur:

Rec. *Aq. fragor. cent. min. plantag. an.* ℥ij.
~⊖*. ℞. *croc. an.* ʒß.
diaph. ♂*al.* ʒj. *sir. de prass.* ℥ß. *M.*

Potum efficiant vinum vetus cum æquali portione fontanæ, quibus immergatur in nodulo inclusus crocus.

Uti *morbum regium febri* ante diem septimum succedere malum HIPPOCRATES pronunciat *Aph.62. sect. 4.* ita post illum diem advertantem salubrem idem prædicat, *Aph.64.* Spem igitur cæteris paribus de ægra convalitura concepimus. Nam habet fere modum *criseos*, [d. 25. *Sept.*]

§. Trabeculi *uxor* mirum, quam esse languida perseveret, quamvis excretiones *dysentericæ* tam frequentes non sint. Credo *nephriticum dolorem* tantum virium deprædatum esse. Cochleatim hauriatur: Trabeculi *uxor.* *Dysenteria.*

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥iiß.
cinnam. cydon. ℥j.
Cor. r. ppt. matr. perl. ppt. an. ʒß.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. fl. tun.* ℥iij. *M.*

Emplastrum super alutam extensum regioni stomachi imponatur:

Rec. *Empl. de crust. pan. cerat. stomach. gal. an.* ℥ß.
malax. c. ol. mastich. D. Cum reliquis pergatur.

Noctu datæ *pilulæ*:

Rec. *Extr. torment. gr. iiij. bezoard. Cam. gr. iij.*
ther. cœl. gr. ij. F. 9. pil. pro 1. dosi. (d. 24. *Sept.*)

§. Eroneo, præter heri ordinata, & continuanda, hodie, scriptus *pulvis*, cujus singulis ternis horis tres cultri cuspides per se accipiantur: Eroneus. *Dysenteria.*

Rec. *Trag. gran. act.* ℥ß. *spec. diacr. Myns.* ʒij.
bol. arm. 🜨 *sigill. an.* ʒj. *nuc. mosch.* ☿. ℈ß.
extr. torment. ℈j. *elæosacch. mac.* ℥ß.
M. D. ad scat. (d. 24. *Sept.*)

§. De Micrælio nondum meliora. Mirabar hominis pusillanimitatem, semper mori paratim, cum tamen signa mortis nulla adsint, quamvis languere non negem. Præter *mixturam* hesternam, singulis 5. horis adsumat *pulveris* pone sequentis 3. cusp. cultri per se: Micrælius. *Febris continua.*

.XXIII

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. ℥ij.
lap. prunell. cryſtall. ppt. an. ℥ß.
M. F. ℈.

Miranda quorundam ægrorum puſillanimitas, qui, potiſſimum continuè, *febricitantes*, hinc ſemper migrare volunt, contradicentibus *Medicis* inſultant, ac, tametſi alias nil minus, quam hypochoudriaci, triſtia ſuis capitibus impendentia quælibet, ſibimet vaticinantur. Tale quid etiam aliquando in *Medicis veteranis* obſervavi. His non indulgendum, ſed omni modo laborandum, ut metus mortis eorum animis eximatur. Dici enim non poteſt, quantum obſit medicationi felici puſillanimitas? Jamjam plurimos metus mortis præ ipſomet morbo jugulavit. Vel hoc nomine *Medicum* decet exporrigere frontem & cum ægrotis hilariter converſari. (d. 26. *Sept.*)

Charmurus. *Hypercatharſis.*

§. Charmurus vir, 36. circ. annorum, texturæ tenerioris, macilentus, cum ſocio pharmacopœi familiarius agens, eidem conqueſtus eſt, de oris amarore, inappetentia & ſimilibus. Bonus hic ſocius, ne medicam praxin neſcire videretur, dedit pulverem purgantem. At, bone DEUS! quæ hinc in corpore rebellio? Intra bihorium plus quinquagies & vomebat & cacabat, *ſyncopem cardiacam* patiebatur, ſudores erant frigidi. Curritur ad *ſacerdotem*, feſtinatur ad *Medicos*; LENTILIO tunc domi non reperto, accerſitur interim COMEDIAS, qui *mixturam* cochleatim uſurpandam ex *adſtringentibus* ordinavit. Adventens & ego, hominemque adhuc per utrumque guttur atrociter exerceri conſpicans, primo deteſtatus ſum facinus maleferiati *pharmacopœi*, poſtea dedi tres *pilulas* WILDEGANSIANAS, & laudavi *electuarium* interdum quantitate caſtaneæ ſumendum, pergendo nihilominus cum mixtura Comediana:

Rec. *Conf. menth. criſp. roſ. r. antiq. an.* ℥ij.
confect. de hiacinth. ℈j. *ther. cœl. gr. ij.*
ſir. cydon. parum. M.

Videtur evaſurus eſſe. Male ſit interea naſutulo *pharmacopœo* extra ſuæ functionis circos erranti. Meminiſſe debebat conſtitutionis Ducalis, cujus vigore nemini *Pharmacopœorum*, inconſulto *Medico*, quiddam pharmaci *purgantis* propinare licet. Secus qui faciunt, a perjurio non procul abſunt. (d. 28. *Sept.*)

Peniſſa. *Vlcera fiſtuloſa.*

§. Convenit me Peniſſa, Leberide nudior mulier, 34. circ. annorum. Oſtendebat in altero genu, *ulcera fiſtuloſa*, cuniculos quaquaverſum agentia, atque ut in rem conſulerem, rogabat. Opus eſſe manu chirurgica dixi, quin & diætam exquiſitam requiri. Quum igitur mediis

neceſſariis

XXIII.

necessariis omnibus, ob summam paupertatem, careret, Libello supplici beneficium DUCALE implorare ne intermitteret, quo impetrato meis consiliolis me non esse defuturum.

§. Cum Neritii *Filia* hodie contentus esse possum. [d. 27. *Sept.*] Neritii *filia.*

§. Legimerni *uxor* 27. circ. annorum, roseo vultu prædita, torosa, plethorica, post conceptum uteri putatitium, jam secunda vice periculosa *uteri hæmorrhagia* corripitur. Cochleatim propinetur *mixtura*: Legimerni *uxor.* *Hæmorrhagia uteri.*

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an. ℥iiß.*
✠ ℥ß. Oc. ♋. crud. cont. ʒj.
lap. hæmat. ppt. sang. Drac. an. ℈j.
laud. op. gr. ij. sir. myrtill. ℥ß. M.

Ex *farina laterum & bolo rubro cum aceto & ovi albumine conquassato* fiat pasta, & ex hac super linteum extensa *cataplasma* lumbis frigide imponendum. Somni tempore deglutiantur *pilulæ*:

Rec. *Extr. bezoard. torment.*
papav. comp. an. gr. iij.
M. F. *pil. n. ix. pro* I. *dosi.*

Potus sit amygdalarum emulsio. Quantum potis immota jaceat. (d. 24. *Sept.*)

§. Machæri *uxor* (d. 21. *Sept.*) heri tres botros grandiusculos una merenda devoravit, licet adhuc ex *febri continua* delirans. Evasura tamen videtur. Multos homines diætæ errores etiam maxime enormes haut raro impune ferre, mirum! Annon per hos botros sanguis antea incensus, in majorem fermentationem rapi debuerat. Atqui tale adeo nihil factum, ut nox præterita præcedentibus potius quietior esset. Nemo tamen *Medicus* junior per isthæc exempla semet seduci patiatur, ut ægris quidlibet edendi facultatem largiatur. (d. 1. *Oct.*) Machæri *uxor.* *Febr cont.*

§. Apud Torcularii *filiolum* nervorum subsultus & pavores adhuc dum *motus convulsivos* minitantur. Candidatulus esse mortis videtur: Torcularii *filiolus.* *Motus convulsivi.*

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an. ℥iß.*
♎ nervin. ℈ij. pulv. March. ℈j.
conf. alk. c. ʒß. sir. fl. tun. ʒiij.
M. præbeatur cochleatim.

Rec. *Aq. carbunc. aur. ℥ij. conf. alk. inc. ʒj. M.*

Inserviat pro *epithemate* cordis & pulsuum, cum reliquis pergendo. (d. 25. *Sept.*)

XXIV.

XXIV.

MAne Mercurius in quarto gradu, liquor *thermometri* in hujus gradus medietate, vesperi ambo vasa liquores suos paullo infra quartum gradum suspenderunt. Nox serena, sed frigida. Dies clara. Mane nebula.

Retelirae *filiolus. Dyspnœa. Atrophia.*

§. Quamvis Retelirae puellus ordinatis d. 15. *Aug.* hactenus sit usus, *dyspnœa* tamen & *tussis* nondum cessant, immo *tabes* cum tensione abdominis augentur. Mortua matre in curam ancillae delapsus pusio, sine dubio negligentius habetur. Medicamenta pauxillum mutata fuerunt. Mane cusp. 2. cultri de sequenti *pulvisculo* quovis modo exhibeantur. Rec. *Æthiop. miner.* ℥iß. *arcan. dupl.* ʒß. *M.*

Pomeridie guttulae decem *tinctura martis Zwœlf.* cum potu ordinario propinentur. (d. 2. *Oct.*)

Manica. *Alvus constipata.*

§. Manica mitius degit. Ab aliquot diebus sedem non habuit. Ordinata *potiuncula* OSWALDI. *Mixtura* hesternae continnatus fit usus. (d. 25. *Sept.*)

Stomachosi *uxor.*

§. Cum *uxor* Stomachosi *purgans* medicamentum flagitare non desisteret, seque prius salutem recuperare non posse perpetuo clamitaret, *pulveris* hodie *Cornachini* ʒß. dedi. Quindecies κάτω, semel ἄνω purgata fuit, levior quidem inde sibi visa, mihi non item; pulsus enim languorem indicabat. Capiat *mixturam* cochleatim:

Rec. *Aq. menth.* ℥ij. *mast. ch.* ℥ß.
elix. vit. Matth. c. ʒj. *sir. cinnam.* ʒij. *M.*

Non obtemperandum erat voluntati hujus mulieris. Quid enim, si *hypercatharsis* orta fuisset? Ejusmodi petitrices impudicae DELILAM imitantur, quae continuis suis flagitationibus animam denique SIMSONIS lassavit. *Jud.* 16. (d. 25. *Sept.*)

Haloranus. *Pleuritis vera.*

§. Haloranus, 34. circ. annorum, mercenarius, pauper heri passus est horrorem, hinc in altero latere supra costas dolorem punctorium vehementem, cum aestu, siti, tussi, spiratu difficili. Super latus affectum cubare potest. Ex vera *pleurisi* laborantem inveni. In lateris affecti, quod erat sinistrum, larga *venaesectio.* Postea singulis 6. horis ʒß. *pulv. pleurit. officin.* vehente *mixtura* etiam sigillatim sorbenda:

Rec. *Aq. card. Mar. charefol. an.* ℥ij.
ess. anod. ℈j. *sir. papav. errat.* ℥ß. *M.*

Latus dolens ungatur *unguento de hyoscyamo.* Potus ordinarius sit

aqua

aqua panata. Pomeridie mitius dolebat & ſpirabat. Examinatus ſanguis cruſtam albam craſſam, *pleuriticorum* more, exhibebat. (d. 25. *Sept.*) XXIV.

§. Tigurini major natu *filiolus* (d. 22. *Sept.*) non æque dejectionibus adeo crebris amplius vexatur, quam permoleſta, ipſumque ad mictiones irritas continuo vellicante *dyſuria*, quod ſymptoma frequenter infauſtum accidit *dyſentericis*. Juſſi pubem & perinæum ſæpius ungere *ſcorpionum oleo*: *dyſenteria* vero ſingulis 3. horis occurrere ſumtione *pulveris* ad 3. cultri cuſpides: Tigurini *major filiolus.* *Dyſuria.*

Rec. *Trag. gran. act. ℥ij. extr. torment. ℥ß.*
gumm. arab. bol. arm. ppt. croc. ♂. adſtr. an. ℥j.
ol. NM. expr. gr. vj. ſacch. penid. ℥iij. M.

Mixturæ, decoctique ordinarii nuper præſcriptorum continuus ſit uſus.

Filiolus *minimus* eſt valde debilis. *Tormina* ex ejulatu perpetuo ſumma judicantur: æſtus per alia ſigna ſe prodit, quemadmodum & imminentes *convulſiones*. Cochleatim præbeatur *mixtura*: Filiolus *minimus.* *Dyſenteria.*

Rec. *Aq. plantag. fl. til. an. ℥ij.*
pulv. march. ℈j. bez. miner. ℈ß.
eſſ. anod. gtt. v. conf. alk. c. ℥ß.
ſir. fl. pœon. ℥iij. M.

Abdominis inunctio frequens & calida.

Rec. *Ungu. comitiſſ. ℥ß.*
ol. cydon. maſtich. an. ℥ij. M. F. ungu.

Pomeridie, quum apud majorem *filiolum Dyſuria* vehementius inſiſteret, cochleatim præbita ſequens *mixtura*, cum priore alternando:

Rec. *Sir. de alth. Fern. ℥j.*
aq. heleocathart. ℥ij. M.

Loca ſupra dicta ungantur ſequenti *linimento*:

Rec. *Ungu. alth. ℥j. ol. ſcorp. ℥ß. ſuccin. ♌ ll. ℈j. M.*

Ingratum mihi hoc ſymptoma, ut mox emaneat, precor. (d. 25. *Sept.*)

§. Trabeculi *uxor* noctem ſic ſatis commode tranſegit. Melius quam unquam, eſt pranſa. Nil aliud ordinatum, quam, quod heri. (d. 25. *Sept.*) Trabeculi *uxor.* *Dyſenteria.*

§. Eroneus *teneſmum* experitur validiorem, & ſæpius ∴ quam hactenus dejicit. Cauſſam ſuſpicor corporis, & ipſiusmet præcipue ani perfrigerationem. Hactenus enim ut alvum in cloacam portatilem exoneraret, ob intempeſtivum & noxium pudorem, perſuaderi non potu- Eroneus. *Dyſenteria.*

XXIV. potuit. Hinc toties diu noctuque extra calidum hypocaustum scybala sua in communem sentinam ejiciens, frigus hoc anni tempore jamjam penetrantius evitare non potuit. Nil autem *dysenterico* malo magis hostile, quam frigoris admissio, sic ut sæpe necesse sit ipsasmet portatiles in hypocaustum illatos cloacas prius calefacere, quam ægrotis ipsis insideant. Tale quid in cubiculo pati molestum & mihi judicari fateor; nam portatilium ejusmodi sellarum fœtor quasi specifice teter est. Ferendum autem, quod vel mutari non potest, vel certe non sine majori detrimento mutatur. Ne dicam, per communem foricam sanis quoque *dysentericum* posse contagium affricari, quod, ne fiat, cavere, Christianum decet. Cæterum hesternis diligenter uti, pudoremque noxium deponere jussus est. (d. 52. *Sept.*)

Legimerni *uxor*. Uteri hæmorrhagia.

§. Legimerni *uxor* maxime efficacem experitur præscriptorum effectum. Suasi, ut cum pharmacorum reliquiis continuaret, *Medicumq;* suum ordinarium, tunc equidem ægrotantem, in futurum consuleret: Hos affectus enim raro pacem, pleramque vero inducias pangere. (d. 2. *Oct.*)

Psora leprosa.

Inspiciendam se nobis obtulit Magdalena Goott, paupercula, 30. circ. annorum. Totum corpus occupaverat *squammosa sicca scabies*, cumprimis autem nucham. Ad quam curandam nisi lapis omnis moveretur, psoram isthanc in leprosi quid posse degenerare judicavimus. Cum per octennium ista tam putida *scabies* jam duraverit, omnes *Medicorum* juxta & Chirurgorum conarus eluserit, quin & *thermæ* nostræ *ferinæ* nuper methodice usurpatæ malum adeo non vicerint, ut potius exasperarint, curam & diuturnam & incertam tamen pronunciavimus, miserabilem personam a consortio sanorum arcendam, ipsique victum ad minimum esse suppeditandum, monuimus.

Schiess. Hæmorrhagia narium.

§. Vocabar ad *Chiliarchæ* cujusdam, cui nomen erat Violetho, natione ROMANI cubicularium, SCHIESS appellatum, hominem circiter annorum 25. Is in DUCATU MEDIOLANENSI *febri* correptus intermittente, cum *Chiliarcha* GERMANIAM petiturus esset, apud *Italos* manere recusavit, & licet ægre consentiente Domino, febricitans sub illius comitatu profectus est. Jam attigerant SUEVIÆ fines, & ecce cubicularius largissima *narium hæmorrhagia* non semel correptus fuit, atque, præter alia, nescio quæ, adhibita, intra breve tempus plus vigesies venam sibi tundi passus est. Huc venienti denuo nares largissimo rivo fluxerunt, quibus obturatis exitum sibi sanguis per buccam paravit. Vultus hominis pallidissimæ mortis effigies. Pulsus celer ac debilis, extrema frigida.

Rec,

XXIV.

Rec. *Sperniol. Croll.* ☾. *ppt. an.* ʒß.
laud. op. gr. ij. *M. F. 2.* ☿es.
sum. singulis 4. horis unus.
Rec. *Aq. fol. querc. plantag. burs. past. an.* ℥ij.
lap. hæmat. ppt. sang. drac. an. ʒß.
laud. op. gr. ij. sir. rub. id. ℥ß. *M. D. cochleatim.*

Potui ordinario inserviat *tinctura rosarum.* Immobilis, quoad fieri potest, jaceat. Vinum & aromata vitet.

Totuplicem *venæsectionis* repetitionem quis approbet? An mirum esset, si æger supervicturus in hydropisin laberetur? Novimus, venæsectionibus nonnunquam curari largissimas *narium hæmorrhagias*, non fuisse curatas, itidem novimus. Ne quid nimis. Recte dexterrimus SCRETA *in Colleg. Pr. MSto. In narium hæmorrhagia nimia, venæsectio ante omnia locum in plethoricis habet; si vero ea diu duraverit, & a sola sanguinis acrimonia originem traxerit, ista negligenda*, quis enim adhuc *plethoricum* credat eum, qui vel sexies, ne dicam pluries, parvis intervallis venæsectionem est passus? sed &, quis Rasores nostros *plethoram* a sanguinis acrimonia discernere doceat? Nam horum præcipue suasu tot lanienas noster sustinuit, Denique addo: Per istas hæmorrhagias *febrim* apud nostrum solutam fuisse, per *Aph. 60. Sect. IV.* HIPPOCR. *Quibus per febres aures obsurduerunt, sanguis ex naribus profluens, aut alvus exturbata morbum solvit.* (d. 25 *Sept.*)

§. Securii *Filiola* decennis *febris quotidianæ intermittentis* jam aliquot paroxysmis vexatur. Sitis est magna, fauces aridæ, fissuræ in palato & lingua. Singulis 6. horis 3. cusp. cultr. de tali polline sumantur: Securii *filiola.* *Febris quot. interm.*

Rec. *Ocul.* ♋ *crud. cont. CC. ust. ppt.*
♁ *diaph. fl.* ⊖ ✱ *ci* ☾. *ppt. an.* ʒj.
conch. ppt. ʒij. *elaosacch. caryoph.* ʒiij. *M.*

Cochleatim detur *mixtura*:

Rec. *Aq. cardui bened. fumar. an.* ℥iij.
♀. ℈j. *sir. rub. id.* ℥ß. *M.*

Lingua, palatum fricentur *melle rosato.* Vitetur vinum. (d. 27. *Sept.*)

Siceo (d. 22. *Sept.*) in complementum curæ datum *electuarium purgans* consuetum. (d. 26. *Sept.*) Siceus.

§. Cancellistæ *filiolum* d. 30. *Aug.* diximus tumore faucium quodam laborare, illique pharmaca opposuimus. Videbantur ab initio profuisse, sed cum puellus esset nimirum impatiens, & parentes ni- Cancellistæ *filiolus.*

 mium

XXIV. *Accessus febrilis.* mium indulgentes, ab usu brevi desistebatur. Tumor enim, quamvis sine incremento notabili, adhuc adest. Nunc eum præhendit *accessus febrilis*, cui contraitum emulsione suavi, duobusque in utroque brachiolo *vesicatoriis*. (d. 22. *Sept.*)

Cermadius. *Colica.* §. Cermadius (d. 25. *Sept.*) opificio suo rursum litare cœpit. *Colica* nonnunquam languida veluti vestigia. Pro usu domestico, suasi *mucilaginem seminis cydon. cum aq. rosextr. & cum saccharo edulcoratam*, in parva quantitate parandam, &, quoties opus, cochleatim deglutiendam. *Sacculum* itidem stomachicum consuetum.

XXV.

XXV. MErcurius mane, qualis heri vesperi, hac vespera ad tertiam quarti gradus lineam subsedit. Liquor *thermometri* in quarti gradus medio mane inventus, vesperi paullum surrexit. Noctis & diei amœna serenitas.

Manica. §. Ab Oswaldi *potiuncula* sufficienter & cum euphoria purgatus fuit MANICA. Cum tamen adhuc valde *tussiat*, ægre *spiret* ac insuper appetitu sit prostrato, scriptus *pulvis*, cujus mane & pomeridie cusp. 3. cultri per se sumantur:

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ʒß. *diatrag. fr.* ʒj.
pulv. lign. sassafr. antih. Pot. an. ʒj.
croc. opt. ℈j. *extr. papav.* ℈ß.
ol. NM. expr. gr. vj. elæosacch anis. ʒß *M.*

Noctu *electuarium* euporiston ex rad. helen. herb. veron. & heder. 🜄str cum melle.

Haloranus. *Pleuritis vera.* §. Apud Haloranum de *vera pleuritide* nullum amplius dubium. *Pulverum*, *mixturæ* & *unguenti* continuatus vigeat usus, & cum tussis intendatur, *asthma* sonorum augeatur, exscreatio cruenta non sit admodum facilis, nec doloris punctorii remissio, præceptum, ut ter in die calidum haustum *decocti pectoralis*. Cum *baculo liquiritiæ* frequentissime lambatur *eclegma*:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥j. *sir. de alth.* FERN. ʒvj.
spec. diatrag. fr. ʒij. *sperm. cet. rec.* ʒj. *M.*

Cataplasma ex semine lini cum lacte cocto sæpe calidissime lateri dolenti imponatur.

Dendronius. *Vomica pulmonum.* § Dendronius (d. 21. *Aug.*) vitam hactenus sub aliena cura misere traxit, aliter trahere non potuit, ob viscerum, cumprimis respirationi inservientium probabilem corruptelam. Diu jam conquestus de

rion

dolore circa scrobem cordis, vel paullo infra, *pus* nunc & *sanguinem exscreat*, non sine rhonchis & summo labore. Æstus adest, cum siti. *Pulmonum vomicas* arbitror. Caussam confert in *aquas* CANSTADIENSES, quas excitasse malum quiescens autumat. Es hätte ihm den Höfel aufgerühret. Vulgi dicterium, qui *apostemata* non secus ac limum induratum in corpore versari, & ab aliquibus medicamentis emolliri, sibi imaginantis. Dantur inde, qui, dum pessime habent, medicinas tamen aversantur, eam solam ob caussam: Sie möchten den alten Höfel aufrührisch machen. Multi per ejusmodi cautelas pereunt, qui temporius tractati fortasse curari potuissent. Transeant illa cum cæteris erroribus. Nos interim parum spei in convalescentiam Nostri collocantes, *Decocti pectoralis* 4/5. *mens.* adjecimus *sir. heder.* ▽ *str. & diacod.* MONT. *an.* ℥ij. ∽⊖✱. ʒß. *M.* singulis tribus horis bibatur haustus calidus. Cum *baculo liquiritiæ* frequenter lambatur. *eclegma*:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.* ℥j.
lohoch de farf. sir. de alth. FERN. *an.* ʒvj.
spec. diatrag. fr. sperm. cet. rec. an. ʒj.
⊖. *vol. oleos.* ℈j. *M.* [d. 25. *Oct.*)

Cancellistæ *filiolus*.

§. Cancellistæ *filiolus* melius habet, æstu multum imminuto. *Vesicatoria* faciunt officium. Cum puer sit valde phlegmaticus & proinde crebris defluxionibus obnoxius, unde sine dubio *faucium* adhuc præsens *tumor*. Suasi *fonticulum*. Grata parentibus non suasi. (d. 26. *Sept.*)

Eroneus. *Dysenteria.*

§. Eroneus calefacti cubiculi commoda notabiliter sentit, nam & parcius dejicit, & levius habet, redeunte quoque parum appetitu. *Pulverem* d. 23. *Sept.* ordinatum ad egerendum stimulare magis contendit, quod per ingredientia impossibile est. Interdum talia comminiscuntur ægroti, medicamenta inviti assumentes, ut sc. ab eorum usu absolvantur. Falsitas querelarum deprehenditur, si medicamentis affingunt operationes per naturam ingredientium impossibiles. Non igitur statim ipsis fides habenda. Nos, quia æger noster ad se sponte rediturus videtur, ut ab usu dicti *pulveris* tantisper feriaretur, concessimus. (.27. *Sept.*)

Trabeculi *uxor.* *Dysenteria.*

§. Trabeculi *uxor* magis queritur de *nephritico dolore*, quam *dysenterico* flumine, quippe hoc declinante, ille intenditur, etiam cum *micturitione* & vomitibus. Non neglectis *dysentericis*, ordinavi haustum ex *ol. amygd. d. rec. expr.* & (propter intestinorum ulcera) *sir. de symphyt. Fern. an.* ℥j. pro 1. dosi: Faciet hic insultus *nephriticus*, ut tardius convalitura sit ægra, cum alioqui *dysenteria* sit in declinatione. (d. 26. *Sept.*)

XXV. Homiletis *uxor.* *Icterus.*

§. Homiletis *uxor* (d. 23. *Sept.*) aliquantum levata videtur, quamvis color *ictericus* nondum remiserit. Repetantur medicamenta nuper ordinata, ea tamen lege, ut *guttæ* bis tantum in die sumantur; bis etiam *pulvis* sequens ad 3. cuspides cultri per se. *Guttis* tempus concedatur matutinum & pomeridianum, *pulveri* meridianum & nocturnum:

Rad. *Rad. rub. tinct.* ℥j. *diaph.* ♃ *al.* ℈iiij.
croc. opt. ⊖. *CC. vol. an.* ℈j.
elæosacch. fœnic. ʒiij. *M.*

Mulierem *ictericam* adeo emaciatam nondum vidi. Spero tamen evasuram. (d. 26. *Sept.*)

Archeguli *uxor.* *Phthisis.* *Febricula.*

§. Archeguli *uxor*, 32. annorum, jam aliquot liberorum mater, ad *phthisin* jam diu prona, nunc octavo mense gravida, *febricula* insuper *intermittente tertianæ* typum observante corripitur, cum *asthmate* & *tussi*, cumprimis noctu vehementer affligente. Nudius tertiut a me desideravit saltem nocturno tempore ut *tussim* parum sedarem. Laudavi *pilulas* de *cynoglossa*, quarum numero tres sub introitum lecti deglutivit, earumque effectum prædicavit. Bene se gerunt in tussi a materia tenui & acri, minus in crassa, viscida, ubi spiratum potius magis difficilem reddunt, quod probe notandum. Una fidelia duos parietes dealbaturus & contra febrim & tussim memet armavi. Sumat bis in die de sequenti *pulvere* cusp. 3. cultri per se:

Rec. *Rad. ar. ppt. irid. fl. an.* ℥j.
diaph. ♃ *al.* ☿. *lign. sassafr. conch. ppt. an.* ℈iiij.
croc. opt. ℈j. *elæosacch. anis.* ʒiij. *M.*

Antemeridie hor. 10. & noctu ante somnum sumantur gtt. xxx. *mixturæ* ex quolibet vehiculo:

Rec. *Ess. chin. chin.* ʒij. *croc.* ʒß.
anod. ℈ß. *M.*

Alternis noctibus (nam singulis propinare non expedit) assumantur porro tres *pilulæ de cynoglossa.* (d. 28. *Sept.*)

Calpurnia. *Vomitus sanguinis.*

§. Calpurnia 48. annorum pauper vidua, postquam hactenus *menses* rite fluxissent, ante trimestre eos ultimo promanare vidit, quod, cum per ætatem fieri censeret, nihili æstimavit, licet ab eo tempore *phlogoses*, *palmum*, & præcordiorum anxietates pateretur. Ab hinc triduo sine prævio vel comite dolore *sanguinem* sincerem largo proventu *vomuit*, vomitusque illi identidem redierunt, cum virium non minimo lapsu. Perterriti accurrunt. Nil de tussi, asthmate, nil de sanguine puri commixto,

ni

nil de cauſſa quædam externa contundente, exedente, comprimente. Dixi menſes præcluſa via ordinaria exitum ſibi per os pandere. Quater in die 2. cuſp. cultri ſumantur de *pulvere* cum quovis idoneo vehiculo : XXV.

Rec. *Chalyp. c.* 🜂. ℥ij.
diaph. ♂ *al. pulv. rad. rub. tinct. an.* ʒj. *M.*

Cochleatim hauriatur *mixtura* :

Rec. *Aq. meliſſ. plantag. an.* ℥iij.
hirund. cum caſtor. ℥j.
℞. ♂. *aperit.* ʒj. *conf. de hyac. inc.* ℈iiij.
ſir. cydon. ℥ß. *M.*

Immota jaceat, pauca loquatur, vinum vitet. (26. *Sept.*)

§ Caprœni *filiola* annicula ventrem habet prætumidum & tenſum, cætera hilaris ac bene appetens. Cauſſam conjectans ſucci nutritii & lymphæ in venis lacteis meſenterii glanduliſque ſtagnationem, præbui *purgans* : Caprœni *filiola.* *Venter tumidus.*

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xv. ſir. roſ. ſolut.* ℥ß.
M. pro 1. doſi.

Poſtea mane & pomer. cuſp. 2. cultr. de *pulviſculo*, in quolibet vehiculo :

Rec. *Æthiop. miner.* ʒiß. *M.*

§. Rhabdaulitis *filiola* (d. 16. *Sept.*) denuo quaſi *cholerici* quid pati, id eſt, vomere ac dejicere cœpit. Ter in die præbeatur 1. cuſp. cultri de *polline ſecuturo*, ex *emulſione amygdalina* : Rhabdaulitis *filiola.* *Vomitus.* *Diarrhœa.*

Rec. *Trag. gran. act. ſpec. diacr.* MYNS. *an.* ʒj.
ſmaragd. ppt. cryſtall. ppt. an. ℈j. *M.*

Rec. *Empl. de cruſt. pan. cerat. ſtomach.* |*gal. an.* ℥ß.
malax. c. ol. maſtich. F. emol. impon. ventriculi regioni.
(d. 26. *Sept.*)

§. Ichthyboli *major natu filiola* per medicamenta d. 17. *Sept.* ordinata, eo usque profecit, ut *ſplenetici* vel *melancholici* nil amplius ſentiatur. Interim urina adhuc, etiam cum fœtore, purulenta. Dolor etiam in regione lumbari. *Renum ulcera* malum rebelle, ſeri ſalſi perpetuo affluxu glutinationem impediente. Opus igitur patientia, diæta fere inſulſa, & jugi uſu medicamentorum. Sumat mane & pomeridie 6. *pilulas* ex quolibet vehiculo : Ichthyboli *filiola.* *Vlcus renum.*

Rec. *Balſ. ind. ſicc. extr. liquir. an.* ʒß.
myrrh. r. extr. hyper. an. ℈j.
cum terebinth. F. pil. gr. i. conſp. ☿. LIQUIR.

 Noctu

XXV. Noctu ante somnum tria cochlearia *mixturæ*:

Rec. *Aq. balsam.* ℥ix. *sir. balsam.* ℥j.
ess. myrrh. ʒj. *M.* (d. 29. *Sept.*)

Schiess. *Hæmorrhagia narium.* §. Schiess intra hoc nycthemeron bis adhuc, sed parum e naribus fluxit. Repetendi *pulveres* heri ordinati, quod laudabilem jam effectum præstiterint, Cum *mixtura* cochleatim sumenda & *Tinctura rosarum* pergatur. In promtu autem habeantur sequentia, si forte, nocturno præcipue tempore, *hæmorrhagia* redisset, ne medicamentis necessariis destituamus.

Rec. *Lacc. pictor. alum. rup. an.* ʒß. *M. F.* ℞.

Insuffletur naribus per calamum anserinum huic operi aptatum.

Rec. *Bol. arm. lap. alabastr.*
lithar. ☉. *an.* ℥ij.
🜄. ⊕*l. dulc.* ℥ß. *M. F.* ℞.

Excipiatur *albumine ovi conquassato* & *aceto vini*, *cataplasmatisque* forma fronti applicetur.

In quibuslibet paroxysmis gravioribus per signa quædam medica metuentis, *Medicum* prudentem ægro vesperi de medicamentis necessariis prospicere decet. Nocte enim concubia *Medici* juxta & Pharmacopœi non semper tam cito excitantur e somno, quam rei momentum postulat.

Dixit hic æger, suasisse quendam, ut labro aqua frigida pleno lumbotenus insideret; hoc enim esse contra *narium hæmorrhagias* juvamen expeditissimum. Dissuasi, ni velit evadere *paralyticus*. Ut maxime nonnunquam prosit hoc stratagema, eo tamen uti hominem a diuturna præcedanea febre, perque tot hæmorrhagias, viribus plane exhaustum, non erat consultum (d. 26. *Sept.*)

Halan. *Obauditio.* §. Oblitus eram nuper Haloni (d. 21. *Sept.*) simul topicum contra *obauditionem* ordinare, quod hodie factum. Imbuat gossypium contortum sequenti calidiuscula *mixtura*, auri intrudat, per noctem relinquat, mane gossypium recens recenter imbutum immittat, sed non nisi per dimidiam horam relinquendo:

Rec. *Aq. card. bened.* ℥j. ⊖. *fraxin.* ʒj.
~⊖✱. *gtt. xx. ess. anod.* ℈j. *M.* (d. 28. *Sept.*)

Mydropola. *Metus apoplexiæ.* §. Mydropola, vir annorum circ. quadraginta, obesus, vultu rosco, nonnunquam oculis tenebras, postea quasi mille specula obversari sentit, cum capitis dolore & *vertigine*. Metuendam esse dixi *apoplexiam*. Terrefactus, quid agendum, quærit? Dico de *pulvere præservatorio* mihi familiari. Respondet, sibi simpliciter impossibile esse, ut medicamentum

XXV.

rum ullum, quocunque nomine veniat, admittere valeat. Quid igitur me facere cupis? Externum, ait, aliquid suadere. Suasi *fonticulum*.

Stomachosi uxor.

§. Stomachosi *uxor* a *purgatione* sua valida, præter spem, vegetior evasit, adeo, ut hodie prima vice aliquandiu extra lectum manere potuerit. Audentes fortuna juvat, sed & haut raro deserit. (d. 1. *Oct.*)

§. Fama est de *balneis mineralibus* haut procul ab opido WAIBLINGA, dudum quidem scaturientibus, sed scaturigine a multis annis sepulta, nunc denuo casu reperta. De illarum viribus mira prædicantur, sic, ut occasionem commodam nactus illas aquas sub examen vocare decreverim.

Tigurini major filiolus.

§. Tigurini major natu *filiolus* omni periculo exemtus videtur. (d. 27. *Sept.*)

Torcularii filiolus.

§. Idem me de Torcularii *filiolo* (d. 23. *Sept.*) prædicare posse, ipse miror, cum ejus res tam ancipiti talo steterint. DEUS mirabilis in operibus suis.

Agoranomus.

§. Agoranomus (d. 20. *Sept.*) *balneis* nostris *cervinis* non sine magno suo emolumento lavatur. Pergat methodice ac diligenter. (d. 30. *Sept.*)

Hygiolithus.

§. Hodie per litteras certior factus sum, amicissimum meum Hygiolithum (d. 11. *Sept.*) mox a discessu meo pejus habere cœpisse, effloruisse denique *petechias*, ipsumque a morbo jam diutius durante viribus plane fractum & exhaustum fato cessisse.

Febres petechiales in se periculosæ, alii cuidam *febri* supervenientes, utplurimum, si non semper, sunt lethales. *Petechiæ* vel ante tertium ab insultu primo, vel post septimum diem erumpentes, vitæ sunt hostes, quantocumque etiam colore blandiantur.

XXVI.

XXVI.

MErcurius mane in statione hesterna vespertina, hodie vesperi paullo infra tertiam quardi gradus lineam subsedit. Liquor *thermometri* quarto gradui paulisper inferior. Nox frigida, dies calida, utraque serenæ.

Gypsopœus.

§. Gypsopœus, inter plura symptomata, alibi recensenda, *obauditione* quoque laborare suo loco dicetur. Hac occasione mihi occurrerunt euporista varia *obauditioni* sacra, quæ *Lectorem* celare nolo. *Cortex bryoniæ* contusus retro aures impositus vesicas ciet. Sed inde forsan efficacius nihil habetur, quam a quibuslibet *vesicantibus*. *Pulvis* paratur e ⊖✱. & ♆ *oleo lavend.* & *absinth.* imprægnandus, cujus, prunis inspersi, fumus auribus per phiolam vitream,

cui

XXVI. cui fundus adamante excisus, excipitur, *Brassica, crispa, fusca*, (braun oder blauer Köhl/) in aqua decoquitur, ejusque vapor itidem auribus immittitur. Naribus attrahitur succus *betæ*, it. *spir. formicarum*. (d. 27. *Sep.*)

Micrælius. §. Micrælius (d. 23. *Sept.*) animum hactenus recepit & cum valetudine sensim in gratiam redit. Recuperando appetitui dicatum *tragema*, cujus ter in die 3. cusp. cultr. per se sumantur:

Rec. *Pulv. stomach.* BIRKM. *spec. diacr.* MYNS. *an.* ʒij.
trag. arom offic. ℥ij. *M.*

Tentet *intritam* ex vino ac pane siligineo, comedere, quam, si calorem præternaturalem non excitare sentit, audaciorem se præbeat in moderate ad singulos pastus bibendo meraco, vero virium reparatore. Præterlapsis adhuc aliquot diebus, primum in utroque pastu haustum absolvat *vinum absinthites compositum*. (d. 27. *Sept.*)

Rhabdaulitis *filiola*. *Vomitus*. §. Rhabdaulitis *Filiola* hoc nomine melior quod *diarrhœa* cesset, interim adhuc vomit, & omnia per *vomitum* rejecta, spirant acidum, quod in excrementis alvi itidem observatum. Hinc *pulvere* hesterno, ob constipandi facultatem, abdicato surrogavi sequentem *antacidum*, priore modo usurpandum:

Rec. *Magnes. alb. oc.* ♋. *crud. cont. an.* ʒj. *M.* (d. 27. *Sept.*)

Calpurnia. *Vomitus sanguinis*. §. Calpurnia ab hesternis medicamentis multum levata fuit, neque sanguinem hactenus vomuit. Cum tamen de summo *capitis dolore*, eoque æstuoso queratur, quem bullienti intra vasa sanguini detuli, suasi, ut *ungu. nutrit.* ℥j. *cum album. ov. n.* j. *conquassaret*, linteo quadruplicato affricaret, frontique applicaret, non neglectis heri ordinatis.

Thaumatonymus. *Tertiana*. §. Thaumatonymus 40. circ. annorum diu *tertianarius*, multis remediolis frustra adhibitis, per haustum *asari decoctum* a *febri* liberatus fuit. Sed cum nihilominus neque vires instaurari, neque appetitus redintegrari vellet, caput doleret, aliæque molestiæ ipsum exercerent, denuo datum *electuarium purgans*, consuetum sed in auctiore dosi;

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈ij. *elect. epsyll.* ℥ß.
M. pro 1. *dosi.*

Cochleatim detur *mixtura*:

Rec. *Aq. ceras. n. borrag. an.* ℥iij. *masstichin.* ℥ß.
cor. r. ppt. ♁. *diaph. an.* ʒß.
sir. cinnam. ʒij. *M.* (d. 4. *Oct.*)

§. Mosel-

§. Mosellani *Uxor*, 34. circ. annorum, a biduo *diarrhœam* cum *torminibus* patitur. Cum *dysenteria* epidemice grassetur, eandem & suis cervicibus impendere metuens, consilium auxia petit. *Pilulæ* statim deglutiantur: XXVI. Mosellani *uxor*. *Metus dysenteriæ.*

Rec. *Extr. torment. bezoard. papav. comp. an. gr. iij.*
F. *pil. n. ix. pro. 1. dosi.*

Unum & alterum subinde cochlear *mixturæ* hauriatur:

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an. ℥iiß.*
conf. de hyac. inc. croc. ♂. adstr. an. ʒj.
laud. op. gr. ij. sir. portulac. ʒvj. M.

Umbilicali regioni *emplastrum*:

Rec. *Empl. de melil. ungu. de hyosc. an. ℥ß. M.*

Potus *emulsio amygdalina.* Pomeridie dejectio saltem una, tormina plane cessantia. Pergat cum *mixtura.* (d. 27. *Sept.*)

§. Cancellistæ *Filiolus* a motu *febris continuæ* liberatus, vires recuperat. Cancellistæ *filiolus.*

§. Trabeculi quoque *uxor* parum amplius *nephritici* sentit, præteritaque nocte melius, quam unquam antea, quievit, quamvis adhuc vehementer languida. Duplicem morbum dupliciter quoque vires postulari, mirum non est. Sufficiat nunc abesse periculum. Præter *tragema dysentericum* usitatum novi nil præscriptum. (d. 27. *Sept.*) Trabeculi *uxor.*

§. Homiletis *uxor* meliuscule habens cum nuperis ordinatis pergere jussa fuit. (d. 29. *Sept.*) Homiletis *uxor.*

§. Cum Siceo d. 20. *Sept.* vena quidem secta fuerit, sed plaga adeo angusta, ut parum sanguinis guttatim exstillaret, jam tunc *venæsectionem* istam frustraneam fuisse, judicavi. Nunc autem cum plene convaluerit, plethoricus sit, venæsectionique adsueverit, eam hoc autumno nullatenus esse negligendam colligens, d. 28. *Sept.* denuo, ac rite quidem, celebrandam esse dixi. Siceus.

§. Schiess, desistente omni *hæmorrhagia narium*, vires sensim recipit, in lecto tamen manere jussus, donec omnia in vado existentia securitatem promittant. Porro bibatur *tinctura rosarum.* (d. 27. *Sep.*) Schiess. *Hæmorrhagia narium*

§. Toparii *uxor* [d. 20. *Sept.*] me vocatum consuluit de nutrice puelli sui, quam ad iram valde pronam esse querebatur, sic, ut ne duriusculum verbum sine excandescentia sufferre possit. Metuere se, ne lactatus ab ea alumnulus characterem convulsivum adsciscat. Sin igitur mihi videretur, se, hac abdicata, nutricem mansuetiorem conducturam esse. Toparii *uxor.* *Nutricis iracundia.*

XXVI. sed, *ubi sunt gaudia*? Nirgend mehr! Der frommen und tugendsamen Säugammen-Mutter ist gestorben. Exemtæ poterant vivere matres ab his & aliis non levibus curis, si fructui ventris suæ mammam ipsæ non denegarent. Respondi: si puellum per ætatulam ablactare liceret, me facile descensurum in abdicationem nutricis. Cum autem porro lactandus sit, expulso hoc Dæmonio, fortasse magis furiosum aliud admittere consultum non esse. Hanc victus domestico jam assuetam, aliam assuefaciendam, quod sine lactis alteratione, pusillo noxia, fieri vix possit. Satius esse, occasiones ad iram omnes amoliri, & puellum aliquot ante, quam alioqui decretum erat, septimanis ablactare. (d. 1. *Oct.*)

Capsopœi *uxor*. *Phthisit*. §. Capsopœi *uxor* (d. 11. *Sept.*) hactenus *lac caprillum* modo præscripto bibit, sed sine ulla *tussis* remissione, quæ magis interim efferata fuit, cum accedente quoque *stomachi tumore*. Quærit, an, *mensibus* præterea nunc anticipantibus, cum *lactis cura* nihilomnibus pergendum esse censeam? Rem hanc mihi probe expendendam esse dixi. Interim vero laudavi euporiston, haustum nempe nocturnum *aquæ fl. acac. calidæ cum saccharo canto.* (d. 27. *Sept.*)

XXVII.

XXVII.

MErcurius mane in tertia linea quarti gradus subsistens, vesperi vix notabiliter decrevit. Liquor *thermometri* nunc quarti gradus medium occupans vespera dictum gradum proximius attigit. Nox fuit serena, dies æque talis & calida.

Gypsopœus. *Paralysis scorbutica*. §. Gypsopœi, Vir 53. annorum, vitæ sedentariæ deditus, bene appetens, vinique generosioris potui adsuetus, a semestri laborare cœpit *Lumbagine* sinistri lateris, dolore se brevi extendente ad sinistrum hypochondrium, ad regionem usque scorbiculi cordis, & accedente alvi stypticitate. Varia usurpavit, interque alia multa *purgantia* & *clysteres* acriores. Ante sex *septimanas* SUALBACENSES ad fontem bibens, alvum & urinam supprimi sensit & *paralysin pedum* animadvertit, prævio stupore & difficultate eundi; Er müste gleichsam die Füsse höher entpor heben. Conjungebatur dolor subinde atrox utriusque, cumprimis sinistri pedis, itemque nuchæ tensivus. Suffultus ab aliis, cum pedibus vult insistere, prius, quam hi terram attingant, versus clunes retrahuntur, dum contingunt, contremiscunt. *Spasmo flatulento* fere totum corpus oberrante affligitur. Urina naturalis, pulsus satis bonus, appetitus utcumque vegetus, sitis exigua. GNOMILEGUS judicavit esse *paralysin scorbuticam*, nisi a *purgantibus* & *clysteribus acrioribus* abstineatur, totalem *paresin* minitantem.

Lau-

XXVII.

Laudatus ab eo fuit *pulvis*, cujus singulis 8. horis ad ʒß. cum adjecto vehiculo, sumatur:

Rec. *Pulv. anal. fr.* Mynd. *c. specif. cephal. an.* ʒij.
Cor. r. ppt. agagrop. an. ʒiß.
ol. cinnam. gtt. iiij. M.

Rec. *Aq. ceraf. n. lavend. til.*
epil. L. an. ℥ij.
elaosacch. succin. ʒij. *M.*

Ossi sacro *emplastrum causticum* palmare:

Rec. *Empl. diaphor. Myns. vesicator. an.* ℥ß.
ol. euphorb. ʒij. *campb.* ʒß. *M.*

Vitato vino, paretur *decoctum* pro potu ordin.

Rec. *Ras. lign. quern.* ℥ß. *sassafr.*
rad. chin. an. ℥ij. *sarsapar.* ℥iiij.

Tertia pars coquetur in mens. iij. aq. font. ad. consumt. ⅓.

Clysteres, nec admodum crebri, ex *rad. pœon. valerian. an.* ℥ß. herb. rut. mij. mell. rosat. ʒiß. ol. lin. q. s. Nuchæ & spinæ dorsi *linimentum*:

Rec. *Ungu. nervin.* ℥j.
ol. terebinth. succin. philos. an. ʒij. *M.*

Doloribus & *spasmis* propulsatis, *thermæ* Offenavienses.

Sententiam quoque meam rogatus, præsupposito torpore & quasi fixitate spirituum animalium, debilitateque, quin & *obstructione nervorum* femora & pedes moventium, laudavi Gnomilegi consilium de *vesicatorio* ossi sacro imponendo, tale quoque nuchæ utiliter applicari posse credens. *Pulverem spasmodicum volatili* quodam *sale, v. gr. CC.* acuere forsan proficuum esset. Intus non sine emolumento cochleatim præbere posse censebam *mixturam* simul calefacientem & resolventem:

Rec. *Aq. lavend. rorismar. an.* ℥iiß.
theriacal. simpl. hirund. c. castor. cinnam. an. ℥ß.
⊖. *vol. oleos.* ℞. *castor. an.* ʒj.
sir. fl. tun. cinnam. an. ʒiij. *M.*

Fortasse bis in septimana *sudare* non esset nociturum:

Rec. *Ther. Andr.* ʒj. ∽*CC.* ʒß.
⊖. *vol. CC. gr.* viij. *M. pro* 1. *dosi.*

Foris spinam dorsi a nucha ad os sacrum, prævia *frictione*, bis in die se oblinere pateretur;

XXVII. Rec. *Ung. nervin.* ℥j. *succ. cochlear. expr.* ʒiij.
ol. chamom. hyper. an. ʒvj.
junip. castor. laur. an. ʒij.
alum. plumos. ℞. *castor. an.* ʒj.
~⊖✱. ʒij. *bacc. junip.* ℥ ß. *M.*

Waldscmidt dicit, omnibus remediis antiparalyticis addi debere *castoreum*. Clysteres & potum ordinarium laudo, ut & suo tempore *balneas minerales*. Magni facerem usum ⊖. *vol. viper. ital.* ad 14. dies bis in die ad ℈ß. in *mixtura* supra memorata. (d. 16. *Oct.*)

Teretrii *filiola*. §. Teretrius in platea occurrit. Interrogabam, num feliciter operatum fuisset ordinatum d. 20. *Sept.* filiolæ *purgans*. Statim revomuisse dixit. Respondi, si nolit puellam post *variolas furunculis* vel *scabie* affligi, omnino *purgandum* esse. Denuo fieri curet haustulum, sed puellæ bipartitis dosibus, horæ unius intervallo, exhiberet.

Capsopæi *uxor*. §. Re pensitata, ut *uxor* Capsopæi potui *lactis caprilli* insisteret, mandavi: cum primo vero ipsius haustu toties, quoties, tres cultri cuspides de *pulvere* sequenti commisceret:

Rec. ▽. *catech.* ʒij. *antihect. Pot.* ʒj.
piper. nigr. ☿iß. ʒß. *elæosacch. anis.* ʒij. *M.*

Dum *tussis* immanius urget, capiat quantitatem *nucis moschatæ* de *electuario* contra ferinam tussim specifico: ordinarie vero quantitatem juglandis noctu, antequam itur cubitum:

Rec. *Pulp. passul. cons. ros. r.*
sir. capill. ♀is ℥ij.
sacch. cant. alb. ☿. ℥j.
spec. diatrag. fr. ʒij. *extr. papav. c.* ℈j. *M.*

Præclare noster Hippcrates *Lib. II. Aph. 52.* *Cum quis omnia recta ratione facit, neque tamen pro ratione succedit, non est ad aliud progrediendum, si manet, quod ab initio visum est.* Aderat tussis, eaque tenuis, non aderat *febris*, nec ullum aliud *contraindicans*. Igitur *lactis cura* methodice instituta abroganda non erat. Turpissimum Medico methodum in horas mutare, & quoties ægrum visitat, toties alia præscribere. Fluctuantis animi judicium, qualis non nisi *Practicos ignorantes* decet. Sed nec uni methodo præter rem præfracte inhærendum. Uti semper, ita & hic opus prudentia. (d. 4. *Oct.*)

Mosellani *uxor*. *Metus dysenteriæ*. §. Mosellani *uxor* præterita tota nocte ne semel quidem dejecit, nec tamen inde quid sequioris passa, immo viribus multum levata, sic ut

ut *dysenteriæ* metus evanescat. Suasi, ut, quod *mixturæ* superesset, porro consumeret. (d.28.*Sept.*) XXII.

§. Quemadmodum Tigurini *major* natu *filiolus* (d.25.*Sept.*) ab omni periculo exemtus videatur, per totam noctem dormit, parum dejicit, appetit, hilaris est: Ita *minimus* fatalem horam imminere per signa contraria minitatur. Tentavi adhuc succumbenti naturæ succurrere medicamento, si quodvis aliud, efficaci: Tigurini *major* & *minimus*.

Rec. ☉. *fulmin. gr. ij. arcan. dupl. gr. iij.*
ol. cinnam. gtt. j. M. pro 1. dosi, quolibet modo exhibenda.
(d. 28. *Sept.*)

§. Trabeculi *uxor* præterita nocte nova tormina passa ter dejecit; ab hausto *ol. amygd. d. cum sir. de symph.* FERN. *an.* ℥ *j.* melius habuit, usque ad vesperam. Pergat cum *tragemate* consueto & bibat *emulsionem amygdalinam.* (d.28.*Sept.*) Trabeculi *uxor.* *Dysenteria.*

§. Schiess viribus adhuc languet: languit cumprimis antemeridie, nec mirum a tanta sanguinis profusione vires tardiuscule colligi. Sanguinis adhuc aliqualem ebullitionem ex pulsu colligens, viribus ita prospicere decrevi, ut simul sanguis incrassaretur. Ordinatus *pulvis*, cujus ter in die 3. cusp. cultr. per se sumantur. Schiess. *Hæmorrhagia narium.*

Rec. *Spec. diacret. Myns. diatrag. fr.*
pulv. Haly rec. an. ʒ *ij.*
🜄. *catech.* ʒ *j. troch. alkerm.* ʒ *iij. M.* F. *pulvis.*

ELECTUARII sequentis tantillum pro lubitu, diu noctuque, deglutiat:

Rec. *Conf. symphyt.* ℥ *j. fl. tun.* ℥ *ß.*
conf. alk. inc. de hyac. inc. an. ʒ *j.*
sir. fl. tun. ℥ *ß. M.*

Bibatur *emulsio amygdalarum dulcium* saturata pro potu ordinario, addito *pauco sacchario.* (d. 28. *Sept.*)

§. Rhabdaulitis *Filiola* cum sanitate fœdus novum inivit. Rhabdaulitis *filiola.*

§. Oenophylax (30. *Aug.*) ab illo *infuso* melius utique aliquandiu habuit, sed culinæ aulicæ abutens denuo in *clavum hystericum* penetrantissimum delapsa, vix mentis est compos. Sumat ter in die gtt. xxx. *mixturæ* ex apto quolibet vehiculo: Oenophylax. *Clarus hystericus.*

Rec. *Liq. CC. succin.* ʒ *j.* Tʀ. *castor.* ʒ *ß.*
ess. anod. ℈ *j. M.*

Linimentum affricetur lateri capitis dolenti, quoties necesse videbitur, repetendum:

XXVII. Rec. *Philon. Rom.* ℥j. *axung. castor.* ℥ß.
balʃ. peruv. ℈ʃs. *M.*

Paret ſibi *cucupham* conſuetam ex *aſ. fetid. caſtor. opt. an.* ℥ß. *ſuccin. fl.* ℥j. Et naribus frequenter attrahat *elæoſaccharum* noſtrum *errhinum.* (d. 21. *Oct.*)

Gramatophorus. §. Oblitus ſum ſuo loco recenſere hiſtoriam Grammatophori, hominis ſtupidi & pauperis. Hic circa finem Menſis *Auguſti ſcabie pruriginoſa* affectus *Pharmacopolium* quoddam intravit, a *Pharmacopœo* conſulto nactus *unguentum Mercuriale.* Perunxit ſe circa brachiorum pedumq; articulos, cubans in conclavi frigido, aëri libero ſe committens & in diæta reliqua more conſueto vivens. Dolent primo dentes, hinc fauces, intumeſcunt gingivæ, labia, &c. ſputum emittitur multum. Omnium, quæ ſcire neceſſum fuerat, ignariſſimus homo ſimplex, ad æſtum oris compeſcendum aqua frigida frequenter os colluit, nullo ſuo bono. Fauces, palatum, inflammantur, exulcerantur, dentes vacillant, ſputum excernitur fœtidiſſimum, cum filamentis carneis palati & faucium: Dolor fit intolerabilis. Conſanguineorum quidam dedit *gargariſmum*; ſed in pejus omnia ruunt. Contubernales de fœtote Chirurgo querelas deferunt, qui, re examinata, *Phyſicos* compellat. Inſpiciebatur miſer. *Magiſtratui* opidano ſequentia referebantur: „GRAMMATOPHORUM invenimus vere ſalivantem. Monſtravit nobis a *pharmacopola* ſuppeditatum contra ſcabiem „*unguentum*, in quo *mercuriales* globuli ſe magna copia viſui nudo offerebant. Vacillant omnes dentes, utræque maxillæ tument, magis tamen „dextra quam ſiniſtra, ſputum profluit putidiſſimum, & quamvis *lue* „*venerea* affectus non ſit, attamen cum in Xenodochio nulla ſit commo-„ditas ad *ſalivandum* tuto, *ſalivatio* vero ipſa reprimi ſine vitæ periculo „non poſſit, eum in leproſorium transferendum, ibique methodice tra-„ctandum eſſe judicamus. Miſer hic homo in Xenodochium tanquam alumnus receptus fuit, quales ubi ægrotant, Miniſterio *Phyſicorum* ad hæc officia publice conſtitutorum hactenus, quod ſciam, nunquam caruerunt! Igitur *Pharmacopola* erat, conſulentem ad ſuos *Phyſicos* ablegare; vel, ſi maxime dare voluit *unguentum mercuriale*, miſellum inſtruere, quomodo, ſi forte ſaliva ſuccederet, rem gerere deberet. Transeant. In leproſorium receptus eſt, ubi, quanta & *Phyſicorum* & *Chirurgi* ſolertia fuerit impenſa, ut hominem ex orci faucibus eriperemus, ſcribi, dicive vix poteſt. Juvit tamen DEUS, ut exemptis aliquot dentibus, maxillæque fruſtis, convaleſcentiæ ſpes affulgeat.

§. Neri-

§. Neritii *Filia* (d.23. *Sept.*) per DEI gratiam, convalescit. XXVII. Neritii *filia.*

§. Siderolithi *uxor* (d.18. *Sept.*) sensim vires cum appetitu recepit, ne quidem laxativo tunc ordinato usa. Siderolithi *uxor.*

§. Eroneus (d.25. *Sept.*) *cardialgiam* patitur, adhuc frequenter dejicit, redeunte tamen appetitu, non admodum male habet, hinc novi nil ordinatum, quum nuper scripta nondum essent consumta. (29. *Sept.*) Eroneus. *Dysenteria.*

§. Securii *Filiola* (d.24. *Sept.*) ad prorsus delendum characterem *febrilem purgatione* opus habere judicata fuit, quam talem scripsimus: Securii *filiola.* *Febr. interm.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j.
sir. de cich. c. rh. ℥vj. *aq. acac.* parum *pro. 1. dosi.* (d.29. *Sept.*)

§. Dioptricus alteram *maxillam* tumebat cum dentium insigni dolore. Toti maxillæ imponatur *emplastrum*: Dioptricus. *Odontalgia.*

Rec. *Empl. de melil. diaphor.* Mynf. *an.* ℥ß.

Malaxetur cum *oleo succini.* Noctu sumantur gtt. xx. ℞æ. *bezoardicæ*, pro *diaphoresi* juvanda vel etiam sudore ciendo. (d. 11. *Sept.*)

§. Induciæ Micrælio pactæ, pax nondum. Nunc in *febrem intermittentem* fabula terminatur: Capiat singulis 6. horis magnitudinem juglandis de sequenti *electuario*: Micrælius. *Febr. interm.*

Rec. *Cort. peruv. fraxin. rad. gentian. an.* ℥ß.
⊖. *card. bened.* ʒj. *caryoph. arom.* ℈j.
sir. rub. id. rob. samb. an. q. s. M. (d. 1. *Oct.*)

XXVIII.

XXVIII.

UTraque vasa, qualia heri mane. Vesperi Mercurius in ultima linea quarti gradûs, & liquor *thermometri* paullo infra dictum gradum. Nox serena &, pro anni ratione, frigida. Dies antemeridie serena, pomeridie pluvia larga.

§. Archeguli *uxor*. (d. 25. *Sept.*) a medicamentis levius omnino, quod fere miror, habet, *febris* remisit, querela una de *torminibus* ab assumtione medicamentorum cruciantibus. Sumantur parciore præbio. Vidi sæpe medicamenta nonnunquam ægris molesta fuisse per *cardialgiam* vel alia mala, detracto hinc eorundem medicamentorum tantillo pondere, demum se bene gessisse. Probe attendant *Practici* juniores, ne statim medicamenta mutent, sed dosin Archeguli *uxor.*

prius

XXVII. prius minuant, viſuri, qualis tunc ſit futurus effectus. Non vana ſcribo. (d. 8. *Oct.*)

Girgilli *Filius.* *Metus tympanitidis.* §. Girgilli *filius*, 8. annorum, jam a longo tempore quælibet aſſumta primo poſt prandium, deinde poſt cœnam, cum per dimidiam horam in lecto jacuit, revomuit. Qui vomitus jam equidem ceſſavit, ſed immediate poſt paſtum abdomen cum ventriculo inflantur, iterumque ſubſident, reliquo corpore fere contabeſcente, & urina debito parcius fluente. Perſuaſus de *inflatione ventris ſpaſmodica*, præter *ſtomachica urinam* quoque *pellentia* ordinare decrevi; Mane, pomeridie & noctu accipiat 2. cuſp. cultri de ſequenti polline, per ſe, vel cum vehiculo adjecto, ſeorſim quoque ſumendo:

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ℥ß.
conch. ppt. Oc. ♋. crud. contuſ.
teſt. ov. calcin. aſell. ppt. an. ʒj.
♁. nativ. ppt. ♉. rectificat. an. ʒß.
ol. NM. expr. gr. vj. M.
Rec. *Aq. menth.* ℥v. *maſtichin.* ℥j.
ſir. cydon. ℥ß. *carminat.* ʒj. *M.*
Foris imponatur *ſacculus ſtomachicus* conſuetus.

Regenottus. *Purgatio.* §. Regenotto nuper præſcripſeram PILULAS PURGANTES:
Rec. *Extract. cathol. gr. xv.*
magiſt. gial. ſcammon. an. gr. v.
Cum elix. propr. F. *Pilulæ n. xviij.*
de ☉. pro 1. doſi.

Deglutivit hodie, ſed operatio fere nulla. Vir gracilis eſt, ſiccioris temperici. Non competit his *forma pilularis.* Poſtulant interim, & ſe nil aliud aſſumere poſſe regerunt. *Pilulæ* multis opus habent diluentibus, non enim tam promte ſolvuntur in ſtomacho. Quorum aſſumtionem ubi negligunt *purgandi*, *purgatio* etiam minus rite ſuccedit. Propinavi circa meridiem *Decoctum foliorum ſennæ* cum jure *prunorum dulcium*; nec tamen fuerunt, ſedes admodum frequentes.

Melodidaſcalus. §. Diximus d. 30. *Aug.* profectum eſſe Melodidaſcalum ad compellandum quendam Archiatrum. A reduce comperimus dictum Archiatrum approbaſſe omnia a me & GNOMILEGO d. 28. *Aug.* ordinata. Nil addidiſſe, niſi, ut poſt *pilularum* aſſumtionem ſex ad octo ſcutellas Thée ſorberet, ob torporem ſpirituum & ſomnolentiam a ſero nimis viſcido provenientem, ſic enim viſciditatem illam inciſum & attenuatum,

tum, acrimoniamque temperatum iri. Porro voluit, ut MELODIDASCALUS 3. vel 4. primis diebus in septimana *pilulas* nostras, reliquis autem diebus *mixturam* a se ordinatam (Rec. *ess. antiepil. m. sc.* ℥ß. *liq. CC. succin.* ʒij. *M.*) propter vim *antispasmodicam* & exaltantem, etiam immediate ante potum *thea*, cum *aq. cinnam cydon.* ad gutt. xxx. assumeret, quacum in his casibus, ubi simul labes *hypochondriaca* & inde metuendus affectus *apoplecticus*, multum salutaris effecerit; hinc etiam das Verkirnen impeditum iri, cum per inversionem & ablutionem illius viscositatis (quæ cumprimis noctu fibris *æsophagi* adhæret, & has aliquo modo resolvit.) tonus nervorum œsophagi restituatur. *Somnolentiæ* suspectæ largiorem dosin *mixturæ* a me & GNOMILEGO præscriptæ, v. gr. ad gtt. LX. LXV. vult opponi, quin & per vices, quantum capit netricum digitalis (einen guten Fingerhut voll.) ⊖. *CC. vol.* in haustu vini in principio pastus assumi, cujus ⊖ cum *ol. rut.* & *lavend.* imprægnati, lagenula semper in promptu esse debet, naribus tempore hujus somni extraordinarii, ad excitandos spiritus & dissipandas aliquo modo viscositates, tubulos cerebri oppilantes, admovendum. Alvus semper sit libera, per consuetam Magnesiam aut clysmata, officii monenda. Mœstitia cesset. Arbitratur etiam hic vir egregius, noctu ante somnum 2. ad 3. fistulas vom Knaster-Taback/ (nicotianæ strepitantis) quin & mane, post potum *thea*, unam fistulam, exhaustas, ad fluiditatem viscosæ, in glandulis salivalibus hærentis, & quasi stagnantis materiæ impetrandam, valde conducibiles futuras. (d 30. *Sept.*) XXVIII.

§. Charmurus (d. 23. *Sept.*) ab *hypercatharsi* sua per nupera liberatus tamen adhuc de *stomachi dolore & inappetentia* conqueritur, quibus obviam ivi *tragemate* communi jam sæpe descripto, ut & *vino absinthite composito*. Charmurus. *Hypercatharsis.*

§. Regenotti *filiola minima* 3. septimanarum *colica flatulenta* cruciatur, erumpentibus *flatibus* sonoris levari solita. Cochleatim data probatissima *mixtura*: Regenotti *filiola minima*. *Colica flatulenta.*

Rec. *Aq. anis.* ℥ij. *epil. l.* ℥ß.
∽⊖✱. *anis.* ℈j. *ess. anod. gtt.* v.
elæosacch. anis. ʒij. *M.* (d. 3. *Oct.*)

§. Mosellani *uxorem* visitaturus domi non reperi. Lætatus sum de convalescentia, facinus interim audax probare non potui. Præstiterat hoc autumnali tempore domi adhuc per aliquot dies mansisse. Mosellani *uxor.*

XXVIII. Tigurini *filii.* §. Tigurin *major natu filiolus*, DEO sospitante, convaluit; *Minimus* adhuc periculose decumbit. (d.30. *Sept.*)

Trabeculi *uxor.* §. Cum Trabeculi *uxore* res in vado. (d. 29. *Sept.*)

Schiess. §. Idem de Schiess prædicare valeo. (d.30.*Sept.*)

Halon. *Obauditio.* §. Cum Halon (d.25.*Sept.*) semper adhuc multum quereretur de obauditione, cum strepitu auris dextræ, nec levamen a locali nupero sentiret, ne rem neglectim habere viderer, suasor fui, ut Onisimum accerseret, hunc enim habere instrumenta quibuscum commode auris interna ad helicem usque explorari posset. Adfuit. Nil invenit. Præter meum dictum locale Sacculos e *cephalicis* & *oticis* noctu circumligandos consuit. (d 29. *Sept.*)

XXIX.

XXIX.

Mane vasa, qualia heri vesperi. A meridie Mercurius per sesquilineam cecidit. Pomeridie tempestas cum tonitru horrifico & multo fulgure. Res hoc anni tempore, circa Sacra nempe *Michaëlitica*, insolita. Quid inde futurum sit, tempus dabit. Vesperi Mercurius fere rursum adscendit ad tertiam quarti gradus lineam, liquor autem *thermometri* ad dictum gradum. Nox fuit serena.

Halon. *Obauditio.* §. Haloni hodie *pulvis masticatorius* ordinatus, cujus mane portionem linteolo in noduli formam coërcitum jejunus ori tamdiu masticando, immittat, donec sputi nil amplius ejiciatur.

Rec. *Rad. imperat.* ℥v. *pyrethr.* ℥ß.
sem. staphid. agr. ℥iij. *mastich. sel.* ℥vj.
cubeb. ℥ij. *caryoph. arom.* ℥j. *conc. cont.* D.

Præter *sacculos* Onisimi, in aurim affectum immittatur *vapor panis secalini cum semine carvi* recenter pisti, a furno calentis, & confracti. Naribus frequenter attrahatur nonnihil *pulveris errhini* sequentis:

Rec. *Elæosacch errhin.* ℥ij. ☉li *alb.* ℈j.
rad. helleb. alb. elater. an. ℈ß. *M. F.* ☿is *subtil.* (d.30. *Sept.*)

Eroneus. *Dysenteria.* §. Eroneus indies viribus proficit, rursum appetit, imminutis omnino dejectionibus præternaturalibus. Serio monui, ne nimium sibi tribuens, in ullo diætæ genere licentius extravagari auderet.

Trabeculi *uxor.* §. De Trabeculi *uxore* heri vera prædicavi, quoad *dysenteriam.* Dolor autem *nephriticus* adhuc lecto affigit, quem, sibi valde familiarem & periculo vacantem, non admodum curat. (d 30. *Sept.*)

§. Jora-

XXIX.

§. Jorami *Filiolus* [d. 22. *Sept.*] Comparative quoque melius degere videtur; percipi hinc, ut cum lavacro & reliquis medicamentis continuare ne desisterent. Recordor ante triginta annos mihi CRAILSHEMII oblatum fuisse puellum trimestrem, qui ita contabuerat, ut totam faciem innumeræ plicæ deturparent; ibi loci morbum vocabant den Alt-Vatter / eo quod plicæ faciei silicernium referrent. Idem vero per *balneum ex sideritide* restitutus fuerat a Rustico, non procul OETTINGA RHÆTIÆ. (d. 2. *Oct.*) — Jorami *Filiolus.* *Atrophia.*

§. Homiletis *uxor* (d. 26. *Sept.*) heri ex nare dextra multum sanguinis excrevit, qui fere totus nil nisi loturam carnium referebat, paucissimis globulis & striis sanguineis innatantibus, revera cachecticæ constitutionis signum. Alioqui enim floridior semper & compactior esse solet sanguis e naribus stillans, præ illo, qui e pertusa vena profluit, nisi forsan in *hæmorrhagiis* narium valde diuturnis. Non diffiteor mihi suspectam esse isthanc *hæmorrhagiam*, præcipue quum *mœrore* quoque *splenetico* affici videam mulierem. Capiat his in die qnantitatem *Castaneæ* de tali *electuario*: — Homiletis *uxor.* *Icterus.*

Rec. *Elect. resumt.* ℥j. *diaph.* ♂*al.* ʒj.
matr. perl. ppt. bol. arm. ppt. croc. ♂ *adstr. an.* ℈j.
conf. symphyt. ℥j. *sir. fragor. q. s. M.*

Noctu ante somnum sumat gtt. xxx, ꝶ. ♂. *hellebor.* ex quolibet vehiculo. (d. 2. *Oct.*)

§. Securii *filiola* [d. 27. *Sept.*] nondum *febricitare* cessat, sed nec in usu medicamentorum assidua est. Præter *pulverem* nuperum, adhuc ordinata *mixtura febrifuga* cochleatim sumenda, & imponi jussum *emplastrum febrifugum* consuetum: — Securii *filiola.* *Febr. interm.*

Rec. *Aq. plantag. cent. min. an.* ℥iij.
sir. card. bened. cydon. an. ʒiij. *M.* (d. 1. *Oct.*)

. Manieri *uxor*, 40. circ. annorum, plurium liberorum mater, in conjugio cætera infelici misere vivens, infantem semestrem lactans, cum horrore, æstu aliisque *febris* continuæ signis ante biduum decumbere cœpit. Jussi, non expectato Lunæ incremento, puellum ablactare. cæterum scripti sex *pulveres*, quorum singulis diebus 3. capiantur, ex vehiculo adjecto, per se quoque assumendo: — Manieri *uxor.* *Febris continua.*

Rec. *diaph.* ♃*al. CC philos. an.* ʒj.
♁. *nat. ppt.* ♁. *rectif. an.* ʒß.
M. F. 6. [illegible].

XXIX. Rec. *Aq. ceras. n. scabios. borrag. an. ℥ij. mixt. simpl. ʒß. sir. acetos. citr. ℥iij. M.*

Pavores etiam quid *convulsivi* minitantur. Bibat *aquam panatam.* (d. 30. *Sept.*)

Histus. *Dysenteria.* §. Hystus 58. circ. annorum, in *dysenteriam epidemicam* incidit; Vir macilentus & vinolentus, iracundiæ quoque deditus. Jam cruenta dejicit, eaque multoties cum *torminibus* ac *tenesmo.*

Rec. *Rad. Ipecac. subt.* ℞*is.* ℈*j. cinnam. ac.* ℈*ß. M. F.* ℞*. pro 1. dosi.*

Bibat multum jusculi inter vomendum, & pro siti postea fallenda *emuls. amygdalarum non excorticatarum.* Noctu somni tempore deglutiat *bolum*:

Rec. *Ther. Androm.* ʒ*ß. laud. op. gr. j. M.* (d. 30. *Sept.*)

Ichthyboli *filiola.* *Dysuria.* §. Ichthyboli *filiola* (d. 25. *Sept.*) præter urinam lacteam, (quæ tamen aliquanto tenuior] etiam cum dolore mingit, & quasi quadam *lotii suppressione.* Pergendo cum nuper ordinatis, sæpe cochlear unum hauriat de *mixtura*:

Rec. *Aq. fragor. petrosel. an.* ℥*ij. oc. ♋. crud. cont.* ℈*j. ess. anod.* ℈*ß. sir. de alth.* Fern. ℥*j. M.* (d. 30. *Sept.*)

Grapter cum *uxore.* §. Grapter cum *uxore*, corpus hoc auctumno lustraturi consilium meum exquisiverunt. Dixi, me necessariam utrisque judicare *venasectionem*; e sanguine vero demum, utrum sit quoque opus purgatione, judicaturum. Heri vena secta. Sanguis hodie a me examinatus fuit utrorumque satis laudabilis, in fundo vasis tamen amurcam deponens, indicatricem evacuationis. *Uxor* post venæsectionem, de dolore punctorio alterius lateris querebatur. Non aderant alia signa pleuritidis. Tres *pilulas theriacales* noctu deglutiat. (d 30. *Sept.*)

Metanagon. *Podagra.* §. Pelerinus Metanagoni, viro valde obeso, quinquagenario, podagrico, militi, post *acidularum Iebenhusanarum* usum, suadebat aditum ad *balneas* BOLLENSES, in quibus cum per aliquot dies lavaretur, *podagricos* insultus sustinuit longe acerbissimos, tanta cum animi impotentia, ut nemo fere in ipsius conspectum venire auderet. Plaustra convitiorum jaculatus est, imprecationesque diras in totam *facultatem Medicam*, & balneas Bollenses, tanquam detrimentosissimas exsecratus est, se nunquam cuiquam suasurum, ut stygiam istam paludem intrare præsumat. Balneæ minerales non omnibus opitulari possunt, neque propterea, si forte non juvant,

juvant, diris devovendæ. Nec, an podagricos dolores istæ aquæ provocarint, adeo liquet. *Podagricis* nusquam tuta fides. Corripi possunt etiam in templo; siccine & hæc demolienda? quid commeruit totus *Medicorum* chorus, ut, cum aqua saluberrima in culpæ consortium rapiatur? Anne & miles semper vincit? XXX.

XXX.

MErcurius mane qualis heri gradum vesperi quartum proxime attigit. Liquor *thermometri* per totam diem paullo infra dictum gradum substitit. Nox turbidula, dies utplurimum nubila & per vices pluviosa.

§. Tigurini *filiolus minimus* mundo valedixit. Tigurini *filiolus minimus*.

§. Histus ab *Ipecacuanha* quinquies largiter vomuit, præterita tamen nocte & hodierna adhucdum die fluxum *dysentericum* longe mitiorem experitur. *Tenesmo* affligenti opponatur *suffumigium* e *colophonia* prunis injecta. Cochleatim propinetur *mixtura*: Histus. *Dysenteria*.

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. burs. pastor. an.* ℥ij.
mastichin. ℥ß.
croc. ♂. *adstr. bol. arm. ppt. an* ʒß.
ess. anod. ℈j. *sir. myrtill.* ℥ß. *M.*

Sacculus ex *furfuribus*, *equiseto* & *foliis quercus* sæpe calidissimus imponatur abdomini. Pergat bibere *decoctum mastiches*, quod præ *amygdalarum emulsione* elegit. (d. 1. *Oct.*)

§. Apud Trabeculi *uxorem* etiam *nephritis* remittit, adeoque convalescentiæ plena spes affulget. Occasione hujus ægræ in mentem venit, quod in praxi, si non semper, frequentissime tamen, occurrit; Oriente nempe quodam *morbo intemperiei*, & aliquandiu durante, plerumque denique excitari alium quendam ægroto alias familiarem morbum. Ita *hystericæ mulieres*, quando *febricitant*, plerumqne simul symptomata *hysterica* suscitantur! Teneri pusiones *convulsionibus* alias obnoxii, dum *variolas*, *morbillos*, &c. excludunt, simul convelluntur. Cum *arthritide nephritideve* conflictantes, ubi *dysenteria* vel alio tali morbo corripiuntur, istorum simul affectuum insultus in consortium rapiunt. Sic, ut *Medicus* non imprudenter ex ægro laborante quærat, quibusnam alius morbis laborare consueverit, alterumque simul in cura oculum in ejusmodi consuetos affectus intendant; nec ita felicius medicaturos ullum est dubium. (d. 2. *Oct.*) Trabeculi *uxor*.

XXX. Schiefs. §. Schiefs (d. 28. *Sept.*) nil amplius omnino *hæmorrhagici* patiens, ab exantlato hodie ſpontaneo, hocque largiſſimo, ſudore, quaſi νεογενής, catalogo ſanorum nomen denuo largitus eſt. (d. 5. *Oct.*)

Ichthyboli *filiola.* *Dyſuria.* §. Ichthyboli *Filiola*, quamvis lotium tanto cum dolore non amplius reddat, urina tamen hucusque in excretione lactea & ſedimentum pituitoſum deponens urinarias vias *purgatione* opus habere declarat; Hinc ordinata in craſtinum *mixtura* uno hauſto ſumenda:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xxiiij.*
ſir. de cich. c. rh. ℥*vij.*
aq. acac. ℥*ij. cinnam.* ʒ*ß. M.*

Poſtea cum nuper ordinatis pergatur. (d. 4. *Oct.*)

Architecti *filia.* *Menſium paucitas.* §. Nil lucratus ſum cum medicamentis Architecti *filiæ* d. 12. *Sept.* ordinatis, niſi, quod mutato colore roſeo nunc palleat, *cordis palpitatione* laboret, menſes nondum rite ſuccedant. Arbitror in eo ſolo me peccasſe, quod ipſam purgare auſus non fuerim. Audacior itaque nunc, ob præſumtam in puella morum probitatem factus, *pulverem* ſcripſi *anocatotericum*:

Rec. *Tart. em. gr. ij. Crem. Tart.* ℈*j.*
dacryd. gr. iij. ol. mac. gtt. j. M. pro 1. doſi.

Poſtea mane pomeridieque bibat hauſtum *infuſi* calidum, corpus movendo:

Rec. *Lymat.* ♂ *fin.* ℥*j.*
cinnam. ac. cort. aurant. an. ʒ*iij.*
caryoph. arom. mac. cort. Winter.
⊖ *abſinth. ſem. fœnic. an.* ʒ*iß.*
herb. meliſſ. puleg. an m ß.
ſacch. a. ℥*ij. Conc. cont. affund. aq. font. bull. menſ. ß. & poſt horam vini alb. frig. menſ. j.*

Diæta congrua modis omnibus inculcata. Nam hic errare virginem acetariis deditam ſuſpicor. Egregie VALESCUS *de* TARANTA *Philon.* lib. VI. cap. 8. p. m. 507. *Niſi idonea victus ratio in menſium provocatione adhibeatur, medicamenta parum aut nihil juvant.* Notandus etiam eſt HIPPOCR. *ſect. V. Aph. 36. Mulieri menſes decolores*, neque ſemper eadem periodo procedentes, *purgationem indicant eſſe neceſſariam.* Sunt enim ſignum *cacochymiæ*, a qua ordinarie *purgantia* indicantur. (d. 2. *Oct.*)

Grapteri & *Uxor.* §. Ob ſanguinis vitium heri detectum Grapteri cum *uxore* in craſtinum diem ſcriptæ *pilulæ purgantes* nobis conſuetæ.

§. Moſel-

§. Mosellanus 45. annorum heri passus est *insultum* vere *febrilem*. Hodie pertusa vena. Sanguis erat viscidus & confuse cohærens. *Somnolentus* est & morosus. Modo ne parturiat *hemitritaeum*. Dimidium *emulsionis* hauriat noctu hora 9. medietatem alteram pomeridie noctis. XXX. Mosellanus. *Accessus febrilis.*

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ℥iß.
aq. charefol. acac. an. ℥iij. F. *l. a. Emuls. add.*
bez. miner. CC. phil. an. ℈j.
sir. papav. alb. ℥ß. *M. pro* 2. *dos.* (d. 1. *Oct.*)

§. Melodidascalus (d. 28. *Sept.*) *variis scorbuticis* in fronte fœdatur. Suasi illitum *unguenti pomati* DUCISSÆ. (d. 3. *Oct.*) Melodidasculus. *Vari.*

§. Petalogypsi amita per *electuarium* d. 12. *Sept.* ordinatum a *febri intermittente* liberata, nunc se pedibus tumere queritur. Non insolitum pedibus *febricitantium* in declinatione, & si desint alia *cachexiæ* signa, non admodum formidandum. Suaserunt aliqui, ut *anserinam* tibialibus immitteret, superque illa ambularet. Concessi. Sudoribus se fere perpetuis madere dicit. Assumto *rob sambuci* cum *theriaca* ANDR. ut sudorem ex instituto proliceret, auctor & impulsor fui. Ut vomitus vomitu, ita sudore sudor sæpe curatur, quod tamen apud solos robustos, non extenuatos & *phthisicos* valet. Hæc nostra ob tumorem pedum sero abundare judicata. Petalogypsi amiti. *Febris inter.*

§. Leontii *filia* cum scriptis d. 15. *May* non parum proficiendo per æstatem sic satis bene habuit. Nunc æstate se in autumnum præcipitante, ad pristina relabitur. Repetenda volui tunc ordinata, una cum pertusione *venæ*. Annuit ægra, sibique jam a *Chirurgo* laudatam fuisse venæsectionem, sed eam celebrandam in *signo subtili*, quale sit *virginis*. Dixi, per me licere, utrum in hoc vel alio signo pertusionem illam patiatur. Siccine *virginis* signum sit magis subtile, quam *geminorum*. Mirum, quid *Astrologis* in mentem venerit, ut omnia *Zodiaci* signa describerent *animalibus*, excepta sola *libra*: *Intelligite stolidi in populo, & stulti, quando sapietis* JEHOVAH *sciens cogitationes hominis, quod hæ vanitas*. Psal. 94. v. 8 11. Leontii *filia. Melancholia hysterica.*

§. Sicuti Halon quoad *raucedinem* levamen sentit; Ita quoad *obauditionem* antiquum obtinet, præscripta tamen diligenter usurpet. (d. 14. *Oct.*) Holon.

§. Agoranomum (d. 25. *Sept.*) visitans nixum scipione in ædibus deambulantem inveni. *Cervinarum* nostrarum non parvi æstimandus effectus. Optandum, ut earum potior cura habeatur. Patent enim sordibus & quisquiliis cujusq; maleferiati, quippe subdiales & a nemine custoditæ. Agoranomus

Man-

XXX. Manieri uxor. *Febris continua.*

§. Manieri *uxoris* res hodie, quam heri, deteriores. Reliqua symptomata, gemitus & suspiria comitantur, & pertinax *alvi constipatio*, cui occurrendum putavi *potione* OSWALDI, alvo reserata reliquis medicamentis insistendo, Confusiones œconomicæ curas valde morantur. Ubi lites ac dissentiones in ædibus video, labitur ad curam fiducia. Pertinent huc inter τὰ ἔξωθεν HIPPOCR. *Aph. I. sect. I.* Per hæc enim recte sex res non naturales, quas inter *animi pathemata* locum non infimum merenrur, intelliguntur. (d. 1, *Oct.*)

Arctoæ *filiola minima.*

§. Arctoæ *minima* natu *filiola* mortua. Scripsit, post mortem auditum in domo casum seu lapsum insignem, (Es habe einen grossen Fall gethan) Ante sepulturam corpusculi mortui nullam rigiditatem, sed miram adhuc mollitiem fuisse. De lapsibus istis alibi dictum. Mollitiem vero corporum demortuorum quod attinet, ea mortem alius propinqui vel sanguine juncti portendere creduntur. Talia corpora non semel vidimus: mortem agnati cujusdam prædicere, non capimus. Mors aut contingit per suffocationem aut resolutionem; Si priore modo, succulenti moriuntur, quorum corpora aliquamdiu mollia manere, nil miri vel portentosi; si posteriore modo corpus in *tetanum* exporrectum, quomodo rigiditatem universalem induat, facile captu.

SOLI DEO GLORIA!





J. N. J.

ETEODROMI MEDICO-PRACTICI LENTILIANI MDCCIX.

OCTOBER.

I.

I.



MErcurius hoc mane paullo ſupra tertiam lineam quarti gradus quieviſſe viſus, veſperi ferme ad dicti gradûs medietatem delapſus eſt. *Thermometrum* in heſterna ſtatione. Nox turbida. Dies nubila, ſed ſine pluvia.

§ Neſcio, quid cum noſtro Micrælio (d. 27. *Sept.*) agatur. Certe res mihi non parum ſuſpecta, & nonnulla cum eo clanculum patrari nil dubito. *Convulſionibus* quaſſatur, immo veris motibus *epilepticis*; ſenſuum enim nullus uſus, pulſu tamen robuſto exiſtente. Jacet attonitus, ad interrogata nil reſpondens, altum ſpirans. Quid ſi per *amuleta febrim* ſufflaminarint? Nil fatentur. Ordinata ſequentia: Micrælius. *Convulſiones.*

Rec. *C. alc. philoſ. ſuccin. a. ppt. an.* ℥ß.
♁. ♂ *ÿ. rectif. nativ. ppt. an. gr. xv.*
⊖. *CC. vol.* ℈ß. *M. F. 4.* ☿.

Singulis ſex horis una doſis quocunque modo propinetur, cochleatim vero ſumatur *mixtura*:

I. Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. rut. an.* ℥ij.
epil. Lang. ℥j.
liq. CC. succin. ℞. *castor. an.* ʒß.
sir. fl. pœon. ℥ß. *M.*

In quovis paroxysmo *liquor CC. succinatus* naribus admoveatur. (d. 8. *Oct.*)

Mosellanus. *Febris.* §. Mosellanus heri, tempore vespertino, denuo novo horrore, quamvis leviter, quassatus fuit, per totam tamen noctem non insuaviter dormivit, & hodie se satis vegetum ostendit. Emulsionis dimidium hausit, alterum futura nocte hausturus. Deprecatur alias medicinas. Cum in horum intermissione nihil adhuc periculi videam, immo, re in pejus denuo abitura ad assumenda magis obsequentem futurum sperem, indulsi. Sic interdum prudenter gratificari expedit, damit man sie bey gutem Willen erhalte. (d. 2. *Oct.*)

Securii *filiola.* *Febris quot. int.* §. Securii *filiola* vehementer est refractaria, quam hoc nomine acriter increpavi. Eorum, quæ d. 29. *Sept.* ordinata sunt, fere ne micam usurpavit, a nemine homine sibi per poppysmos vel jurgia persuaderi passa. Interim quotidie *febri* corripitur cum *vomitibus.* Sancte promisit, se ter diebus singulis ex ordinario potu sumturam gutt. xx. ℞. *cort. pe uv.* Multi severioribus imperatis oggannientes, quum discessit *Medicus*, tamen imperata faciunt, alii, dum se facturos promittunt, non faciunt. Gratiores illi præ his, juxta exemplum MATTH. 21. v. 28. s.

Æxuri *uxor.* §. Æxuri *uxor* (d. 9. *Sept.*) Partui nunc vicinissima motum infantis a biduo non sentit, phlogoses interim patitur cum anxietate non levi. *Venæsectionem* præpuerperalem ulterius non esse differendam judicantes, eam sine mora administravimus. Redibat embryoni motus. Pomeridie sanguis sub examen vocatus valde mucidus erat cum paucis globulis rutilantibus. In gravidarum venæsectionibus non semper expectari potest Lunæ incrementum, omnium minime, si partui proxime approximantur. Venam secandi commodissimum tempus est, quum tale quid fieri necessitas requirit. (d. 5. *Oct.*)

Machæri *uxor.* *Febris continua.* §. Recordetur *Lector*, quæ de Machæri *uxoris* intemperantia d. 23. *Sept.* notavimus. Remiserat *febris*, hodie recidivam est passa. Cœnavit heri patinam *endivia cum olivo & aceto condita.* Quanta vesania. Porcis objiciuntur margaritæ, si talibus ordinantur medicinæ. Deseri tamen non debent. Orta *tussis* vehementissima cum gravi dyspnœa. Prævia reprehensione *Decocti e speciebus pectoralibus* ter in die calidum haustum imperavi, cochleatimque sumendam præscripsi *mixturam:*

Rec.

Rec. *Aq. veron. hyssop. an.* ℥iiß. I.

♁ ✱. *anis. cochlear.* ℞. *croc. an.* ℈j.

sir. de hyssop. ʒij. *M.* (d. 3. *Oct.*)

§. Toparii *filiolus* (d. 26. *Sept.*) *dysuriam* pati post multas vociferationes, ex eo compertus, quod profluente denique *urina* semper quietior evaderet. Cochlearim præbeatur *mixtura*: Toparii *filiolus.* *Dysuria.*

Rec. *Aq. petrosel. fragor. an.* ℥ij.

sir. de alth. FERN. ℥j. *M.*

Pubes & perinæum calide ungantur *linimento*:

Rec. *Ungu. alth.* ʒvj. *ol. scorp.* ʒij. *M.*

Sæpe pusilli vociferantur, caussa *torminibus* adscripta; quum pharmaca his opposita non opitulantur, expiscari *Medicum* decet, an urina rite succedat? sæpe enim ex *dysuria* vel *Ischuria* tantos edunt clamores. Veritas deprehenditur observando, an post clamores minxerint, & post mictum clamare cessent? It. arenulæ rubræ in linteaminibus vel involucris eorum tunc sæpe reperiuntur. (d. 5. *Oct.*)

§. Lactistis *filius* (d. 31. *Aug.*) quamvis a nuperis melius habeat & spiret, attamen metum *hectica* ob *tussis* quasdam reliquias, & phlogoses post pastum, nondum omnem abjiciens, porro tutus præstari desiderat. Mane & pomeridie deglutiat quantitatem castaneæ de *electuario*: Lactistis *Filius.* *Metus Hectica.*

Rec. *Elect. resumt.* ℥ij.

cons. ros. r. fl. bellid. an. ℥ß.

pulv. HALY *rec.* ʒij. ♁. *diaph.* ℥j.

sir. papav. err. q. s. F. *Elect. molle.*

Hora antemeridiem decima, & noctu ante somnum capiat cusp. ℥. cultri de *pulvere* tali, per se:

Rec. *Sem. papav. alb.* ʒij. *portulac. melon. an.* ʒiß.

amyl. gumm. arab. tragac. an. ʒj.

♁. *diaphor. gr.* xxxxv.

rad. irid. flor. croc. opt. matr. perl. ppt.

fl. ♀. *an.* ʒj. *sacch. cant. a.* ℥ß. *M. F. pulv.*

Paratus est ad imitationem DEKKERI, *not. in Pr.* BARBETT.

§. Stomachosus & *uxor* (d. 25. *Sept.*) amplius de re nulla, nisi de appetitu nondum satis firmo queruntur, cum dolore levi stomachi. Quamvis præscriptionem adeo necessariam non judicarem, ventriculum ad officia per se successive rediturum sperans; attamen, ne consiliis meis deesse velle inculparer, jussi ut ipse *elixiris* ⊕*li* Stomachosus & *uxor.*

I. MYNS. Illa *elixiris balsamic* HOFFM. gtt. xxx. utrique mane & in quolibet pastu ex vini haustulo absumerent; utrique etiam mane & noctu regionem ventriculi perlinerent *magmate balsamico:*

Rec. *Ungu. pomat.* ℥vj. *bals. peruv.* ℈j:
ol. NM. expr. ℨj. *absinth. menth. an.* ℈j.
caryoph. ℈ß. *M.* (d. 7. *Oct.*)

§. Orto inter Amicos discursu de *capillorum humanorum coloribus* variis, notabatur, puellos rusticorum *capillos albos* frequentissime, præ urbanis aliis, ostentare. TERDENI *Chirurgus*, me Judice, caussam non inepte deducebat a radiis solaribus, quibus expositi capite nudo discursitantes puelli rustici, *capillorum* quasi dealbationem sustinent (die Haare werden gebleichet.) Addebat porro, hosce capillos ad comas adscititias esse penitus ineptos, quippe mortuos, & per solares radios quasi arefactos. Narrabat HANNOVIÆ in usa esse capillorum dealbationem, sed eos, ad solos circos plectendos (zu Haarzöpffen/) quibus ad mundum capitis utuntur SUEVIÆ superioris puellæ, non item ad Comas adscititias [Peruquen] adhiberi posse ac solere.

Manieri *uxor.* §. *Uxor* Manieri a primo statim haustu *potiunculæ* OSWALDI solutam alvum percipiens, multum levata, hodie utcumque valet, suumque pusionem ablactavit. Qua cum exultatione mariti convalitura sit nescio. Certe pinguius mihi *Ctintrum* quam *sostrum* polliceri potuissem. (d. 2. *Oct.*)

Histus. *Dysenteria.* §. Histus fere nil amplius dejicit, & convaliturus est. (d. 1. *Oct.*)

II.

II.

MAne Mercurius paullo infra, & liquor *thermometri* paullo supra medietatem quarti gradus. Ultimus ita perstitit, prior ad primam usque 4ti gradus lineam vesperi subsedit. Nox & dies nubilæ, venti fremebant per diem.

Bombaulitis *filiolus.* *Diarrhœa.* §. Bombaulitis *filiolus* biennis nuper ex *morbillis*, *Medico* nullo consulto, laboravit, qui cum evanuissent, successit, nunc per sex hebdomatas durans *diarrhœa.* Appetitus est prostratus, sitis intensa, corpusculum emaciatur, sine *tussi*, sine anhelatione. Parentibus oritur quoque suspicio de *vermibus.* Quod statim post *morbillos* fieri oportuit, nunc minime intermittermittendum esse putans, ordinavi *laxativum:*

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xv. sem. santon.* ℈ß.
sir. de cich. c. rh. ℨvj. *aq. acac.* ℥ij.
M. pro una dosi.

Postea

Postea mane, pomeridie & noctu cusp. 2. cultri de *pulvere* ex *an. spec. antatroph. & æthiop. miner.* quovis modo præbeantur. II.

Pueri variolosi & morbillosi, quanto nimium potus ingurgitant æstuantes, *diarrhœa* post morbum primum frequenter corripiuntur, & stomachos acquirunt valde debiles. *Diarrhœa*, sicut ante vel sub eruptionem *variolarum & morbillorum*, periculosissima plerumque est, ita circa finem horum morborum periculo fere vacat. Nonnunquam intestinorum parietibus internis adhæret mucus acris, intestina ad egestionem continuo stimulans, quo per *laxantia* evacuato, *fluxus alvi* cessat. (d.9.*Oct.*)

§. Reteliræ *filiolus* [d. 24. *Sept.*] adeo non salvatur per hactenus ordinata, ut nunc potius assumta quælibet statim revomat, macies augeatur, vires magis debilitentur. Stat adhuc sententia de negligenti cura ancillæ, quæ, ut audio, pusillo vini nimium, ad confortandum, sc. stomachum largitur. Puelli hujus morbus mihi curatu difficilis judicatur. Bis in die 2. cusp. cultri dentur de sequenti *pulvisculo*; Reteliræ *filiolus. Vomitus.*

Rec. *Spec. diacr.* Myns. ʒij. *ol. NM. expr. gr.* iiij.
elæosacch. caryoph. ʒj. *M.*

Cochleatim propinetur *mixtura*;

Rec. *Aq. plantag. ceras. n. an.* ℥ij.
mastichin. cinnam. cydon. an. ℥ß.
ess. anod. ℈ß. *sir. cydon.* ʒiij. *M.*

Stomachi regio frequenter & calide ungatur:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥ß. *bals. peruv.* ℈j.
ol. nuc. mosch. expr. ʒß. *absinth.* ℈j.

Potui *emulsio amygdalina.* (d.7.*Oct.*)

§. Nondum adeo res integra apud Mosellanum. Nox fuit mediocris, calor præternaturalis constans, cum siti pulsuque celeri & magno. *Tussis* valde molesta, tempore cumprimis nocturno. Coryza in naribus, caput grave & obtusum. Ante- & pomeridie sumatur unus e *pulveribus* cum adnexo vehiculo, per intervalla sensim sumendo: Mosellanus. *Metus febr. catarrh.*

Rec. ♁. *diaphor. CC. phil. cryst all. ppt.*
♁. *nat. ppt. an. gr. xv. F. 2.* ℞es.
Rec. *Aq. majoran. rut. card. bened. an.* ℥ij.
ess. succin. lignor. an. ʒß. *sir. fumar.* ℥ß. *M.*

Noctu sumatur *3. pil. de cynogl.*

II. Naribus crebro *errhinum* attrahatur:

Rec. *Aq. majoran.* ℥iß. *dissolv. in ea mann. calabr. pur.* ʒj.
Olei alb. elater. an. ℈j. *M.*

Siti levandæ *acidulæ*. (d. 3. *Oct.*)

Trabeculi *uxor.* §. Trabeculi *uxori* (d. 30. *Sept.*) nunc per DEI gratiam plenarie restitutæ, postquam ipsi pro usu familiari, *pulverem* meum *nephriticum* euporistum, jam passim descriptum, commendassem, valedixi:

Peptidius. *Epilepsia.* §. Ante dies aliquot vocatus sum ad Peptidium, sartorem e suis peregrinationibus reducem, *phthisicum* consummatum. Quæ tunc, dato prius prognostico, præscripserim, lubens notare supersedeo, cum talia hinc inde in his mensibus reperiantur. Mihi hunc ægrum hodie visitanti patruus ejus retulit, hunc, sc. Peptidium in pueritia per tres anni quadrantes fuisse *lunatice-epilepticum*, prostratumque fuisse pleniluniis & noviluniis omnibus, denique curatum a *Fabro* FEUERBACENSI sequentem in modum: *Cor, pulmones, bilis & hepar canis masculi* e corpore demum exemta, calentia, in vini mensura una probe lavabantur & valide, saltem manibus comprimebantur; admiscebatur huic vino pulvis quidam viridis, vinumque puero potui datum. A primo potu adhuc semel, hinc ab eo tempore, per tot annorum decursus nunquam *epilepticus* factus est. Addebat, fabrum hac methodo multos curasse, pro sexu tamen fœminino adsumendo adsumsisse viscera canis femellæ. Potum hunc, utcumque horridum & sine dubio valde insuavem, si modo morbum hunc insputandum tollat, ingurgitare, est operæ pretium. Si detur optio, malim hunc, quam sanguinem calidum recenter decollati.

Aqua destillata fellis ex catulo *canis* in ∽ *lil. conv.* Luna decrescente propinata specificum dicitur in *epilepsia*. Ettmüll. Schröd. *dilucid vid. m.* Schrœderum ipsum & *Hoffm.* in *Clave*, qui ultimus *fel catelli lactantis* nigri strangulati in *epilepsia* pro singulari arcano haberi dicit, cum liquore appropriato exhibitum. Cujus beneficio DUCIS BUKENGAMI *Filius* sit sanatus; hocque in *Anglia* esse usitatissimum, si scil. primarius affectus *epilepsia* fuerit.

§. Machetes [d. 20. *Sept.*] hactenus utcumque & tolerabiliter vixit, nunc de tensione ac *dolore nuchæ* queritur. Volui, ut imponeret *emplastrum regium* Burrhi. (d. 14. *Oct.*)

§. Jora-

§. Jorami *filiolus* (d.29.*Oct.*) ob continuas vociferationes & famem fere insatiabilem, sine tamen corporis augmento, novam suis incussit formidinem de verme umbilicali. (Heitzwurm) Dixi, quamvis talem adesse non credam, experimentum tamen impune fieri posse cum *fundulo vivo*, umbilico superligando; eum enim plane exesum iri, si vera sit de *verme* suspicio. II. Jorami *filiolus*. *Vermis umbilicalis.*

Umbilicalem vermem arrosine *gobii fluviatilis* detectum pereleganti observatione ostendit Velsch. *Hecatost. II. Obs. 66.* Duo quoque exempla recenset *Excell.* Mackius *noster Ann. X. Dec. II. Eph. Cur. Obs. 105.* in puello 5. & Adolescente 19. annorum observata, quibus utrisque in acutissimis (sine dubio ventris) doloribus funduli vivi impositi & usque ad spinas exesi fuerunt, cum dolorum levamine. Haur equidem ullius *umbilicalis vermis* mentionem facit, sed animal tamen vivum, quale quale fuerit, esse oportet, quod hosce fundulos seu gobios fluviatiles adortum est. Egregia quoque est observatio *Exc.* Grübelii *Ann. I. Dec. III. Eph. Cur. Obs. 51.* cum *scholio*, ubi *vermem*, post *pisciculos* unum cum dimidio ambesos per laxans quoddam expulsum fuisse, diserte scribit. *Vermes* ex *umbilico* puellæ numero octo, *lumbricis* intestinalibus similes, sine ullo abscessus vestigio prorepsisse notat *Zodiacus Med. gall. Ann. 1679. p. m. 98.*

§. Homiletis *Uxor* (d.29.*Sept.*) favente DEO, vires recuperat. (d. 9. *Oct.*) Homiletis *uxor*.

§. De *uxore* Limonii (d.18. *Sept.*) nil hactenus quidquam comperi namque ob paupertatem, ut eam ulterius visitarem, nolebant. Hodie in illius viciniam vocatus, an & quei viveret, interrogavi: Responsum, eam adhuc *febricitare*, totoque corpore intumescere, & ob summam pauperiem nec *Medico*, nec *medicina* uti. Libenter gratis tales visitarem, tamen nolunt, non tam me timentes, quam officinam. Nam si maxime consilio meo gratis adessem, gratis tamen pharmaca suppeditare pharmacopolarum, nostratium consuetudo non est. Nec tale quid ab ipsis promiscue prætendendum. Sie würden sonst eine starcke Kundschafft bekommen. Limonii *uxor*. *Febris quotid. interm.*

§. Grandines præterita 29. *Sept.* circa Cantstadium & Geissburgum in vineas projecti hiscere fecerunt uvas, & possessores vinearum ad moturandam vindemiam adegerunt, ne scilicet succus plane exstillaret, ac vitium congelationis contraheret. (Damit der Wein nicht fröstele.) Dolendum, quod vitis a vindemiatione una ad alteram

II. ram tot periculis exposita sit, adeo, ut spes dubia vindemiationis prosperæ non prius cesset, quam mustum in dolio recondatur, siquidem in ipsis capis haut raro congelari testetur experientia.

§. Hoc anno *lolium temulentum avenæ* maxima copia in toto fere Ducatu admixtum varios partim periculosos morbos, inter edulia relatum, concitavit, de quo in sequentibus plura.

Architecti *filia*. §. Architecti *filia* a *purgatione* d. 30. *Sept.* ordinata & heri assumta septies vomuit, ac ter dejecit, nunc *infusum chalybeatum* bibere parata. (d. 9. *Oct.*)

Legimerni *uxor*. *Mola carnosa*. §. Legimerni *uxor* (d. 24. *Sept.*) interea tamen *molam carnosam* exclusit, & nunc sibi restituta videtur. Necessarium fore dixi, ut *Medicus* ordinarius *intemperiei uteri* prospiceret, quod, ni fiat, recidivæ semper periculum manere. Rogavit, annon consultum esset adire *balneas* ZELLENSES? Differendam esse curam dixi ad vernale tempus, nam hoc anni tempore non admodum salubriter in aquis mineralibus lavari, non quod viribus tunc exutæ sint, sed quod aliis commoditatibus carere necesse habitura sit.

Manieri *uxor*. §. *Uxor* Manieri melius habere incipit, promtius convalitura, si per jurgia domestica liceret. Petit a me *tragema stomachicum* roborans, quod tale præscripsi:

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. *elæosacch. mac. an.* ℥ß.
Coral. r. ppt. diaphor. ♃ *al. an.* ʒj. *M.*

Sumat mane, pomeridie & noctu 3. cusp. cultr. per se.

Misera res conjugium litigiosum, pessundans animæ corporisque salutem!

Nahmelius. *Flatus. Gingivarum laxitas.* §. Nahmelius (15. *April.*) de flatuum molestiis & gingivarum laxitate querens, a me impetravit medicamenta sequentia:

Rec. *Essent. carminat.* ℞. *aurant. an.* ʒij. *M.*

Sumantur gutt. xxx. ex cochleari vel cyatho vini, omni tempore, quoties flatulenti quid editur, aut a flatibus molestia sentitur. *Gingivas* autem bis in die perfricari volui *electuario* sequenti:

Rec. *Tart. crud. gr. xxxxv. rad. irid. flor.* ʒj.
alum. ust. gr. xvij. conf. ros. r. ʒvj.
mell. rosat. ʒij. ♃. *parum. M.*

De hoc viro multa recensere possem omnino mira: nunc autem non vacat. *Colica spasmodica* sæpe laboravit, consilio tunc usus Medici cujusdam juvenis ex antiquo stemmate HIERON. MERCURIALIS. Nam frequentissimum ipsi cum *Mercurio* commercium erat, cujus tamen genium

nium & ingenium versipelle quam minime perspectum habebat. Per propinatum incautius *Mercurium dulcem*, præter intentionem in hoc excitavit *salivationem*, quam), cum dirigere non didicisset, neque jam per sex hebdomatas continuo durantem reprimere posset, miserum eo miseriæ deduxit, ut ob fœtorem cadaverosum omnes inquilini eum abominarentur. Vicit tamen Natura, & ætas adhuc juvenilis. At vero ab eo tempore dentes vacillare pergunt, nec ullis remediis firmari possunt. Si mercurius vivus viveret, quanto cachinno excepturus esset Medicellos, qui eo tam pueriliter abutuntur. II.

§. Hodie mihi transmissæ fuerunt binæ lagenæ, altera *aquis salinis* SULZENSIBUS, altera iisdem MURRHARTENSIBUS impletæ, & imperatum, ut sub examen earum contenta vocarem. SULZA est opidum hujus Ducatus ad *Nicrum* in *silva* HERCYNIA situm, coctura *salis* nobile. Mensura illius aquæ *Würtembergica*, 56. uncias ponderans, largitur ⊖. comm. ℥j. ʒj. Tentavimus has aquas cum omnibus nostris *liquoribus probatoriis*, quæ ab eorum nullo vel tantulam mutationem subierunt, nisi a sequentibus: *Solutio* ☽ fecit impense lacteas. A solutione ☿ ♎ti primo nulla mutatio, denique parum *opaluit*. *A solutione sacch.* ♄. *lactuit* valde cum magnis *floccis*. *A solutione resinæ* parum *opaluit*. Nec aliter fieri par erat. Nam *cum solutione* ☽ *lactescunt omnes aquæ salinæ*. Idem fit cum *solutione sacchari* ♄. Ab *opalescentia* modica cum *solutione resinæ* proditur omne, etiamlibet quantillum *acidi*, quale ⊖i *comm.* inesse nemo negaverit. *Solutio* autem ☿ ♎. per supra notatam mutationem præsentiam itidem valde debilem *alcali urinosi* fixi detegit, quod itidem ⊖i *comm.* largiendum, cum sit quasi ⊖. *enixum*. Excell. D. D. CASPAR, *Physicus* SULZENSIS celeberrimus. Fautor noster, in litteris ad nos datis, ⦶ quoque his aquis inesse non dubitat, idque demonstrare satagit e quibusdam ipsi sic dictis *floribus* ⦶*si. saporis*, lintribus ligneis, in quibus colligi & aliquandiu adservari solet, isthæc aqua cocturæ destinata, affixis; it. ex sapore *aquæ salinæ concentratæ*, (aus dem gradirten Saltz-Wasser / & e quisquiliis salinarum (Hall-Erde / Halæ suevorum, halb-Ertzig)) agris fecundandis idoneis; denique e recensione *Coctorum*, qui ante aliquot annis, cum linter vel alveus maximus removeretur, in ejus fundo integra frustra oblonge rotunda puri nitri reperta fuisse perhibuerint. *Sulphure* quoque non plane vacuas esse inde *coctores* concludere notat idem *vir egregius*, quod ⊖ excoctum tostioni expositum ab ignis tortura flavescat, odoremque *sulphureum* spiret; qui tamen color flavus ab ulterius pro-

II. tracta tostione rursum evanescat. Denique ex colore ochreo parietibus canalium ligneorum ipsorumque fontium affixæ mucilaginis, nonnihil *martis* participare has aquas idem suspicatur. Non contradicimus. Miramur tamen, has aquas cum *solutione* ☽ neque flavuisse, neque rutilasse, neque nigricasse, quæ phænomena alias ♀is præsentiam detegunt. Et, quamvis *aquæ nitrosæ* cum *solutione sacch.* ♄i etiam lactescant, *salinæ* vero idem faciant cum & hæ aquæ sint eminenter salinæ, utrum ista lactescentia præsentia ⊕ hic adscribenda sit, non certo liquet. Denique a *solutione gallarum* ne minimam quidem mutationem hæc aqua subiit, quod fieri tamen debebat, si quid *martis* inesset, Non enim omnis mucilago ochrei vel *ferruginei* coloris de *marte* participat, quod est certissimum. Crusta ahenis affixa, Kesselstein / est *lapis quidam calcarius* potissimum naturæ *alcalicæ fixæ*. Murrhartum est opidum cum celebri olim cœnobio, ad Murram fluvium in confinio ditionis Limburgicæ Suevoque Hallensis situm, quamvis ad hunc Ducatum pertinens. Fama fuit olim & hic *aquas salinas* scaturiisse, quales nuper denuo repertam examini subjecimus. Nullius erat saporis, quo carere non debuit, quamvis in vitro diu recondita fuisset, antequam ad manus nostras venisset. Sic enim solæ, si quas habuit, volatiles particulæ evanescere potuerunt, minus autem *salinæ fixæ*. Quidquid sit, ad omnes nostros *liquores probatorios* immutata stetit, excepta *solutione sacchari* ♄i per quam itidem impense *lactuit*, a *solut.* ☿ ♎ti denique parum opalis facta, &, quod mirati sumus, *violarum sirubus* eidem admistus ad *virorem* tamen aliquantillum inclinavit. *Solutio sacchari* ♄i. ⊖. comm. non plane abesse demonstravit. Solut. ☿ii ♎ti & sirubus violarum *alcalici* quid prodiderunt. Quid si *alcali fixum terrestre* sit potissimum ingrediens?

III.

III.

MAne utraque vasa, qualia heri vesperi, hac autem vespera *barometrum* paullo altius. Nox & dies nubilæ, hæcque cum interspersis tenuissimis pluviolis. Hodie in agro Stuttgardiano cœptum est vindemiari. *Novilunii* madens ingressus.

Leontii *filia*. *Melancholia*.

§. Leontii *filia* [d. 15. *May.*] hactenus non admodum incommode vivens, ab aliquo tempore adfectu melancholico denuo cruciatur. Pauperculæ suasi *pulverem* e *rad. buglossæ* cum æquali portione *sacchari* miscendum, cujus mane & pomeridie cusp. 2. cultri per se, vel ex quolibet

bet vehiculo sumat: noctu vero ante somnum gtt. xxx. R♂. *hellebor.* ex potu ordinario. *Radix buglossæ* concisa potui ordinario in nodulo complexa immergatur. III.

§. Lanicius (d. 18. *Sept.*) a *febri intermittente* liberatus, ut scil. stomachus roboraretur, *species* accepit a Lunalio *Chirurgo*, pro *infuso* quibus per aliquot dies usus, incidit in appetitum longe magis prostratum, cum lassitudine, præternaturali calore, siti & angustia pectoris. Ructus amari continuo sustollebantur. Cum purgatione opus habere, difficulter tamen moveri exploratum haberem, prævio *pulvere digestivo* præscripsi *electuarium purgans* consuetum in auctiore dosi. Lanicius. *Febris continua metus.*

Si modo isti *cornicularii*, memores juramenti suæ, domi manerent cum exsecrandis suis consiliolis, neque numulis aliquot conscientiam posthaberent? Surdis hic narratur fabula, illic narrabitur æternum horrenda sententia. Alius quidam Balneator, *Nobilis* valde *ignobilis* huic Lanicio dare voluit *pilulas purgantes*, quarum similes, eo prædicante, in tota urbe non existant. Quis risum teneat? Miser iste *venifeca*, primo statim aspectu *Trituratorem* magis, quam *Chirurgum* refert, & suas tamen *pilulas purgantes* omnes alias in hac urbe post se relinquere sibi vane imaginatur?

§. Mirum est, a *Chirurgo* GOEPPINGENSI mihi hodie relatum: prope pagum THOMASHARDT, *præfecturæ* SCHORNDORFFENSIS, a multis ipsa meridie visum in agro seniculum ignotum, semen suum solertissime spargentem. Quem, cum Adstantium nemo novisset, nec ipse eminus compellatus quidquam responderet, illi perterriti Prætori illius pagi (dem Schultheisen/) rem nunciarunt, qui cum Venatore exiens eundem quoque seniculum seminantem conspexit, atque hi ambo, animo obfirmato ei appropinquare ausi sunt, interrogaturi, quis qualisve esset? seniculus autem, cum hi jam non procul abessent, factus est invisibilis. Præfligiæ! caritatem fortassis annonæ prædicentes.

§. Suburrana (d. 8. *Sept.*) *tumorem* ostendit *in maxilla* sinistra versus nasum protensum, cum aliquali dolore. Metuit, ne inde abscessus & *ulcus fistulosum* oriatur. Non rubor erat, non pulsatio. Credidi tumorem *glandulæ conglomeratæ* salivalis superioris a *saliva* stagnante ortum. Jussi, uteretur *suffitibus discutientibus* & *resolventibus*, bonoque esset animo, nam periculum portendi nullum. Suburrana. *Tumor in maxilla.*

III. Eadem heri ſumtura fuit *magneſia alba* ℥iſs. in *emulſione amygdalarum dulcium*, ſed impedita neglexit. Hodie *magneſia* in *emulſione* portionibus piſiformibus diverſæ quantitatis in *lapillos albos* duriſſimos, quos mihi palpandos exhibuit, concreverat. *Emulſionis oleoſæ ramoſæque* particulæ hoc *alcali fixum terreſtre*, ni fallor, in lapideam duritiem compegerant. Quid? ſi inde ſequeretur: *Emulſionem amygdalarum* non eſſe *magneſiæ* tum aptum, atque hactenus creditum fuit, vehiculum? Quid? ſi in ſtomachis debilioribus in eosdem *lapillos* conglobaretur?

Moſellanus. §. Moſellanus noctem ſic ſatis quiete tranſegit, & per hanc quoque diem non admodum male habet. Juſſi, nocte imminente rurſum deglutire ʒ. *pilul. theriacal.*

Regenotti *fil. min.* *Alvus conſtipata.* §. Regenotti *filiola* minimæ (*d. 28. *Sept.*) ad reſerandam alvum fere ſemper conſtipatam jam ante dies aliquot ordinaveram *oleum amygdalarum* dulcium, ad cochl. j. cum pauco ſaccharo, immediate ante pulticulam exhibendam, cujus optatus fuit ſucceſſus, quale quid mihi in multis infantibus compertum. (d. 6. *Oct.*)

Melodidaſcalus. *Spaſmus faciei.* §. Melodidaſcali miſera conditio. Spaſmus faciei cum ingruente frigido aëre indies augetur, cum dolore valde acuto *maxillæ* dextræ. Pertæſus dolorum & vitæ, nullo amplius medicamine uti ſibi firmiter propoſuit: Immo, ſe domi ſuæ convaleſcere non poſſe perſuaſus abhinc abitum meditatur. Conſolatus ſum pro mea virili, & neque ad medicamenta uſurpanda coëgi, nec abitum diſſuaſi. Eſt & hoc *prudentia Medicæ* non poſtremum, indulgere aliquando ægrotorum in morbis pertinacibus, propoſitis etiam quantumvis incongruis. Contradicendo nimirum magis fiunt pertinaces, ſi vero annueris, haut raro ſponte mutant animum. Id hic ſine dubio fiet. Intenſus dolor compellet ad medicationes, & aëris inclementia itineribus obicem ponet. (d. 8. *Oct.*)

§. Cum *luem peſtiferam* in POLONORUM, PRUSSORUM & SILESIORUM viſcera graſſantem noſtris finibus propius accedere fama tuliſſet, qui hic alimur, conducti ſtipendio, obſtrictiqui juramento, ARCHIATRI & PHYSICI, noſtrarum eſſe partium duximus, ut loco competente periculum capitibus noſtris imminens denunciaremus, & quo pacto, vel illud declinari, vel præſens propelli poſſet, fideliter indicaremus. Emanavit hinc auctoritate Ducali ſeverum edictum 1. Ut peregrinus nemo ſine accuratiſſimo examine in Ducatum admitteretur, quod in ſpecie contra Judæos ſancitum. 2. Ut mercatores & nundinatores merces aliunde advectas non ſine diſcrimine coëmant, & in eis ſeligendis curam ſummam adhibeant

hibeant, præſertim quod attinet veſtes pelliceas, plumas, lanam, corium e POLONIA diſtrahi ſolita. 3. Ut univerſo *Ducatu*, immo SUEVICO *Circulo* ita dicti Zigeuni, hiſtriones, Agyrtæ, circulatores, aleatores, fritillarii, (Jauner) manumiſſi & palantes gregarii, hujusque farinæ homunciones procul exigerentur. 4. Ut in hac ſede Ducali omnibusque totius Ducatus oppidis quilibet Magiſtratus oculum intendat, in munditiem domorum & platearum, ad inquinationem aëris omni modo præcavendam. 5. Ut notorie pauperibus alimenta neceſſaria ſubminiſtrentur. 6. Ut *Medici* ac *Phyſici* univerſi *Ducatus*, quilibet *Pharmacopolas* ſuos inſtruat, ad *officinas*, ſuas medicamentis tam ſimplicibus, quam compoſitis, ad ejusmodi morbos contagioſos apprime pertinentibus, efficaciter & ſufficienter locupletandas. 7. Ut iidem *Phyſici* morbos in ſuo quilibet *Phyſicatu*, de contagione mala ſuſpectas obſervantes, ſtatim ad collegium Arrhiatrorum Ducalium, cum neceſſariis circumſtantiis per litteras deferrent. III.

Nos *Phyſici provinciales* WÜRTEMBERGICI & SUTTGARDIANI quod noſtrarum erat partium, exſequi non diſtulimus, & *Pharmacopolis* noſtris injunximus, ut quam maturime medicamentis ſequentibus ſimplicibus & compoſitis in quantitate ſufficienti ſuas officinas inſtruere ne tardarent.

SIMPLICIA.

RAD. *Angel. anthor. petaſit. carlin. contrajerv. gentian. ſcorzon. valerian. Zedoar. leviſt. aron. ſarſapar. chin. liquir. acor. bardau. helen. vincetox.*

HERB. *Card. bened. ſcord. rut. ſalv. fumar. cent. min. abſinth. pimpin. roſmar. veron.*

FLOR. *Calend. ſamb. galeg. ſalv. lavend. hyper. anth. croc. 4. cordial.*

SEM. *Angel. card. ben. citr. hyper. baſil. 4. carminat. 4. frig. maj. papav. alb. nap. naſturt.*

FRUCT. *Caric. bacc. laur. mal. aurant. citr. granat. gran. cherm.*

LIGN. *ſaſſafr. agalloch. guajac. ſantala omnia.*

CORT. *Peruv. fraxin. chaquarigl.*

AROMATA *uſualia omnia.*

ANIMAL. *Ambra, Zibeth. moſch. pulv. viper. caſtor. CC. C. alc. rhinoc. raſ. ebor. oſſ. de cord. cerv.*

III. VARIA. *Myrrh. r. aloë socot. camph. succin styr. calam. galb. ammoniac. mastich. lap. bez. or. & occ.* 🜄. *lemn. sigill. bol. arm.* & WÜRTEMB. ♁. *natlv. unic. ver. ebur foss. crystalli, coralia, Lapp. prett.* ⊕. ♀. ⊕. *limat.* ♂. *opium. bals. de* COPAIB. de TOLU, *peruv.*

COMPOSITA.

PULV. *bez.* CAMER. *pannon. r. marchion. analept.* MIND. *fumal.* HAUG.

SAL. *CC. vol. viper. vol. card. ben. arcan. dupl. succin. vol.*

SPIR. *CC. Tart.* ⊖ ✱. ⊕*li.* ⊕. *simpl. & dulc.* ⊖. *simpl. & dulc.*

TINCT. *bezoard. Coral. aurant. succin. Tart. myrrh.*

ESSENT. *absinth. alexiph. Claud. lignor. castor. mixt. simpl.*

ELIX. *propriet.* PAR. *& dulc. balsamic.* HOFFM.

OL. *junip. angel. citr. rut. succin. salv. camph.* 4. *carminat. nuc. mosch. expr.*

SUCC. *citri.*

SIRUP. *de scord. card. bened. fumar. acetos. citr. fl. tun. viol. cydon. balsamic.*

CONS. *Spagir. ros. viol. fl. tun.*

ELECT. *diascord.* FRAC. *Ther.* ANDROM. *conf. alk. utraque, de hyacinth.*

ROB. *junip. samb.*

BALS. *citr. apopl. rut.*

EXTR. *bezoard papav. err. & comp. croc. rut. angel. zedoar. castor. ther. sic dicta coel. laud. opiat.*

EMPL. *diaphor. Myns. Reg. Burrh.*

VARIA. *CC. philos. alc. philos. mater. perlat.* ♁. *diaphor. diaphor.* ♂*le &* ♃ *ale. reg.* ♁. *medicin.* ♁. ♁ *ij* ☿. *dulc.*

Hæc tum quidem occurrerunt. Alia potuisse addi, alia omitti, non præfracte negaturi simus. Pro pauperioribus *medicamenta composita* sequentia futuris usibus in promtu haberi jussa:

PULVIS ALEXITERIUS.

REC. *Rad. gentian. cort. fraxin. herb. card. ben. an.* ℥j.
🜄. *lemn. bol. arm. vel Würtenb.* ♁. *diaph. an.* ℥ß.
CC. ust. ʒvj. *camph.* ʒj. *M. F.* ℞.

ACE-

ACETUM BEZOARDICUM. III.

Rec. *Herb. ſcord. rut. ſalv. an. miij.*
rad Zedoar. angel. gentian. an. ℥iij.
fl. roſ. r. calend. an. mj.
caſtor. opt. ʒj.
Conc. cont. aff. acet. vin. ℔ll. menſ. iij. D.

ELECTUARIUM ALEXIPHARMACUM.

Rec. *Rad. angel. leviſt. Zedoar.*
valerian. bardan. gent. an. ℥j.
herb. ſcord. mij. rut. card. ben. an. mj.
fl. ſamb. p. vj. myrrh. r ℥j.
camph. ʒiij. nuc. moſch. op. crud. an. ʒj.
Mixta & ☿. excip. mell. deſpum. ℔ij.
rob. ſamb. junip. an. ℔ß. F. l. a. Elect.

Inſuper GNOMILEGUS & ego cogitare cœpimus de *Theriaca* quadam *contractiore*, & quilibet cogitationes ſuas ſeorſim in chartam conjiciendas ſuſcepimus. Mihi nata ſequens, (ubi obſervandum, me tunc quidem putaſſe, notata *aſteriſco*, commode quoque, ſine virium detrimento, omitti poſſe.

Rec. *Herb. ſcord. rut.* * *card. bened.*
com. abſinth. fl. cent. min. * *ſamb. an. mj.*
rad. angel. Zedoar.
contrajerv. * *valerian. an. ℥j.*
gentian. ʒvj. * *cal. arom. ℥ß.*
bacc. junip. ℥iij. pulv. viper. noſtr. ℥ij.
🜃. ſigill. vel boli Würtenb.
* *cort. citr. myrrh. r. an. ʒvj.*
* *ſuccin. a. fl. ♁. an. ℥ß.*
caſtor. opt. croc. orient.
op. theb. camph. an. ʒij.
F. omn. ☿. ſubtil. cujus ℥iiij. l. a. excipe mell. deſpum. ℔j.

DEUM precamur, ut hæ curæ ſint ſuperfluæ, & ut quisque, quantum in ſe eſt, per innocentis vitæ puritatem, ejusmodi pœnas amoliri, atque ſic JEHOVAH *inter nos inveniat viros ſepientes ſepem, & ſtantes in ruptura coram Ipſo pro Terra, ut non perdat eam.* EZECH. 22. v. 30.

Bolum WÜRTEMBERGICAM quod attinet, in quibusdam de *Materia Medica* ſcriptis *Auctoribus* talis fieri mentionem, eſt in propatulo.

III. talo. Ipse SCHRÖDERUS in Pharmacop. Lib. III, *bolum* WÜRTEMBERGICAM Francofurtensibus usualem esse scribit, quem sequitur HOFFMANNUS in *Clave*, & VALENTINI *Lib. I. cap.* 1. §. 8. *Mus.* MUSÆOR. Ex qua provincia autem nostri *Ducatis* illa *bolus* eruatur, ubique est altum silentium, immo hodie adhuc erutam FRANCOFURTUM vehi, nemini, quod sciam, per somnium notum. Necesse tamen id olim factum esse, tractuque temporis, fortasse bellorum injuria, venisse in desuetudinem. Ante breve tempus *minera bolaris* nova inventa est in *ditione* URACENSI, qua loco *boli armenæ* vel aliarum *terrarum* SILESIACARUM, pari effectu interne & externe utimur. Duorum hæ boli sunt generum, colore distinguendorum. Altera *bolus* est *ochrea*, id est, *pallidule flava*, altera colore magis ad *album* vergente. Utræque tactu pingues, facile solubiles, linguæ adhærentes, omnibus aliarum *bolorum* characteribus prædití. In orbiculos formari & signari se patiuntur itidem aliarum more. Tentavimus has bolos, si quid possent ad absorbendum acidnm. *Bolus orientalis* ad *spiritum vitrioli* ac *nitri* plane quievit, quod sum miratus. *Boli* autem WÜRTENBERGICÆ *flavæ* ℈ß. cum ebullitione levi destruxit ∽⊖*li* gtt. xvij. & ∽⦶. gtt. xxxiij. Boli ex pallido *alba* ℈ß ∽*um* ⊖*li* intactum reliquit, *spiritus* autem ⦶. gtt. XIV. cum ebullitione valde debili destruxit. Unde tamen conficitur nostris *bolis*, quam *orientali*, fortius *alcali* inesse. Quamvis & hoc pateat, acidum absorbendi fine *bolos* & *terras signatas* omnes non admodum efficaciter præscribi, quum dentur alcalia longe fortiora. Nec minus verisimile, si qua bolis ac terris inest vis alexipharmaca, eum absolvi magis obtundendo acrimoniam quamlibet salinam per pinguedinem suam, quam acidum absorbendo. Interim in nos etiam proverbium: *Tute lepus es, & palpamentum quæris.* Neglex imus hactenus nostras *bolos*, exteris meliores. Utimur, ni fallor *orientali bolo*, non, quia *melior*, sed, quia *orientalis*.

§. Amicus quidam meus hodie mihi ostendit substantiam quandam e pelliculis albis, tenuissimis & pellucidis non aliter conflatam, quam est illa substantia, quæ reperitur in cavitate calamorum anserinorum, (vulgo die Seele des Federkiels vocant.) Hanc eximi dicebat, loco ceruminis, ex auribus alius cujusdam amiculi, quinimmo talem, nec aliam, continuo eximi solere. Nulla interim in *auditu* difficultas, nec aliud quid auribus ullum pariens incommodum. Saltem ex hoc phænomeno non accrescit suffragium illis, qui ob calorem & saporem *cerumen aurium* consistere putant e portionibus sanguinis *biliosis*. Vid. *Disp.* MAPPI *de cerum. aur.* habit. ARGENTOR. 1684.

§. MA-

§. Machæri *uxor* (d. 1. *Oct.*) virium adhuc valde debilis est, tussi nondum diminuta. Pergat cum nuperis. Machæri *uxor.*

IV. IV.

VAsa utraque, quæ heri vesperi, talia quoque per hanc totam diem manserunt. Nox pluviosa. Ante meridiano tempore larga pluvia. Tota dies nubila. LUTETIA scriptum, ante noctes aliquot exortam ibi tempestatem, cum tanto tonitruum boatu & fulgurum evibratione, ut diem supremum adesse plerique credidissent. Proverbium germanicum ita sonat: Spater Donner / früher Hunger. Id est. Tonitrua hiemalia præsagiunt annonæ caritatem; quam, uti nostris hostibus non precamur, ita si GALLOS tamen esurire, quam nos, mallemus, quid illud nobis vitio vertat?

§. Thaumatonymus (d. 26. *Sept.*) absolutis nuperis ad restaurandum appetitum jussus fuit usurpare *electuarium diacorum*, sed nullo cum juvamine. Nam adhuc decumbere cogitur, quamvis non continuo. Prostratus appetitus, inquies adest nocturna, caput grave ac turbulentum. Mane & pomeridie sumat 3. cusp. cultr. de *pulvere*: Thaumatonymus.

Rec. *Pulv. st. m. c.* BIRKM. ℥ß.
♁. *diaph. lap. prun. an.* ʒß. *M.*

Nocte ante somnum gtt. xxv. *elixiris* ex cochl. vini:

Rec. *Elix. propr. P.* ʒj. *ess. anod.* ℈j *M.*

§. Saraceni *uxor* (d. 5. *Jul.*) petiit a me *purgans* autumnale, in forma *electuarii*. Si consuetum meum dedissem, ejus mentionem hic facturus non eram. Attamen, ut *novelli practici* videant, quanta sit Naturarum in sustinendis *purgantibus* varietas, & quam minime deceat, *Medici* temeritatem e præscripta formula judicare, formulam ecce sisto: Saraceni *uxor.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈ij. *magist. gial. gr. v.*
elect. e psyll. ℥iij. *M. pro 1. dosi.*

Dantur nasuti *pharmacopœorum ministri*, qui formulas ejusmodi suggillant, & ancillis eorum, quibus ordinatæ sunt, dissuadere audent, quippe nimium violentas, quod mihi non semel factum, immo cum famæ detrimento factum. At vero hoc *electuarium* vix quinquies alvum subduxit. Nescit *Pharmacopœi* minister *Medici* intentionem, nescit consulentium constitutionem. Igitur male judicat, si quid erratum putat, *Medicum* esse monendum, non calumniose tradacendum, novit, vel certe nosse debet.

IV. Temnandri *major filia*. *Febrilis accessus*.

§. Temnandri *major* natu *filia* 18. annorum, hac vespera derepente corripitur horrore cum insequente magno æstu & dolore capitis acerrimo. Statim hauriatur emulsio:

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an. ʒj.*
aq. beton. verben. an. ℥ij.
F. *l. a. emuls. add.*
diaph. ♃ al. ℈j. sir. fl. pœon. ʒij.
M. pro 1. dosi.

Capiti *linimentum*:

Rec. *Ol. hyosc. expr. ʒj. axung. castor. ʒß.*
bals. peruv. ℈ß. M.

Cras venæsectio.

Ichthyboli *filiola*.

§. Ichthyboli *filiola* (d. 29. *Sept.*) sufficienter purgata fuit, ac inde meliuscule haber. Cum reliquis medicamentis diligenter pergat. (d. 9. *Oct.*)

§. Multa predicabantur de stupendis virtutibus *aquæ traumaticæ* DIPPELIANÆ. HARDESIUS, *Medicus* ETHNOECIANUS mira se in variis magnis *vulneribus* præstitisse narrabat. Et notum est nobis metipsis exemplum *scriniarii*, qui intra januam ejusque postem alterius manus pollicem misere contriverat. Lintea in hanc aquam intincta & circumligata propemodum incantamenti ad instar pollicem restituerunt. Odi blaterones, qui medicamenta vel sua vel aliena hyperbolicis encomiis in longinquum ebuccinare solent. Laudo tamen, quæ laudari merentur. Descriptionem *arcani* Lecturos celare nolumus:

BALSAMUM TRAUMATICUM VEGETABILE DIPPELIANUM.

Rec. *Succor. recc. beton. chærefol. pimpin. sanic. semperviv. an. ℔ij.*
⊖. *gemm.* ℔j.
Sal misceatur cum succis, deinde addantur ✢ mens. ij.
Stent in digestione sufficienti & ℞llentur ad medietatem.

Aqua non est admodum insuavis gustu. In *hæmoptysi*, *ulceribus* internis præbetur cochleatim. Externa *vulnera* & *ulcera* linteis hac *aqua* imbutis obvolvuntur.

Micrælius. *Convulsiones*.

§. Cum *epileptici* tumultus in Micrælio (d. 1. *Oct.*) nuper quiessent, heri tamen *motus convulsivi* interni (stille Gichter) miserum exercuerunt. Jam diu se *vertigine* laborasse nunc demum fassus est. Suasi jugem usum *pulveris rad. valerianæ* mane & noctu ad ʒß. per se, vel cum ordi-

ordinaria potu. Gestare quoque perpetuo volui *cucupham* e solis pæoniæ maris radicibus minutissime concisis. IV.

§. Capsopœi *uxor*, (d. 27. *Sept.*) effectum curæ *lactis caprilli* prædicabat, sibique aliquo modo melius esse dicebat. Ego nil, quod spem facieret pinguiorem, observare potui; curam tamen absolvere jussi. Cur enim contradicerem? Non decet *Medicum* ægrotis se melius habere affirmantibus obstrepere: non verum est. Nam, si annueris, majore cum fiducia Medicinam sumunt. Exitus acta probabit. (d. 18. *Oct.*)

Capsopœi *uxor*. *Phthisis*.

Ipsius *minimus puellus* (d. 4. *Iul.*) *unctionem* spinæ dorsi nullatenus vult sustinere; alias *medicamenta* non male succedunt. Salvabitur tamen, licet tardius. (d. 18. *Oct.*)

Puellus *minimus*. *Rhachitis*.

§. Agoranomum ad tumorem genu valde rebellem & dolorificum denique usurpasse *unguentum* cujusdam fabri *Schorndorfensis*, vesicas illitu excitans, cui tum *cantharides* inesse credebamus, d. 8. *Aug.* relatum. Ingrediebantur autem sine dubio hoc *unguentum vermes majales*, seu cantharelli unctuosi, Schmaltz-oder Mayen-Würme. Reperiuntur cumprimis *Majo* mense circa margines agrorum, an den Rainen/ & vel levissimo digito pressi liquorem oleosum flavidulum sudant. Celebris quidam *Medicus* FRANCOFURTENSIS, DYNORUS vermium horum *essentia* ad *dysuriam* feliciter uti perhibetur. Igitur, instar *cantharidum* ad vias quoque urinarias determinantur. Generosissimus quidam vir 40. ejusmodi *vermes* infundi mandavit in *oleum olivarum*, eo modo, quo cum *scorpionibus* fieri solet. Prædicatur hoc *oleum* ad *morsum canis rabidi*, si guttæ xv. propinentur, morsibus etiam foris applicandum. MÖLLENBROCCIUS de *varis cap. 13. p. 58.* etiam mentionem injicit horum *vermium majalium* ex WIERO & HORSTIO, quos pulverisatos ex *cervisia* propinatos *varis* mederi existiment. Sed alios ab his diversos magis commendat ex CLUTIO *Hemerob.* cap. 4. p. 81. sub titulo *vermium Majalium* in ericetis appetente mense *majo* & circa *Junii* umbilicum inveniendos. Superstitiosum est, eos 1. numero impare usurpandos, 2. digitis non contractandos esse. Rediguntur itidem in *pulverem* & cum *cervisia* ex *arthritide vaga* decumbentibus propinantur. Effectus eorum est *primo maxima ventris perturbatio & circa urinæ ductus, ita, ut præ dolore occumbere videantur; hinc per urinas omne eorum opus absolvitur, seri multum eliciendo, sed maximo & excessivo morsu.* Porro additur: *Vomitum alvumque terribiliter cient cum horrendis symptomatibus, ardore urinæ & interdum lethali ischuria, & hinc judicantur esse cantharidum species.* *Vermes* a me visi magis respondent *cantharellorum* HORSTIANORUM & WIERIANORUM, quam

 horum

IV. horum *vermium* CLUTIANORUM descriptioni, qui tamen a nostris Schmaltz-Würme & Mayen-Würme appellantur.

V. V.

MErcurius mane sesquilineam supra tertium gradum emensus erat, vesperi transscendens medium quarti gradus. Liquor *thermometri* immutatus. Tota nocte tenuis pluvia cecidit; Dies itidem fere tota fuit pluviosa.

Narpelia. *Scabies.* §. Narpelia (d. 17. *Sept.*) non ante plusculos dies medicamenta tunc ordinata inchoavit, ab usu maturiore per alia negotia præpedita. Queritur autem fauces a *pulvere* nimium exsiccari, & sic quidem, ut siti molesta post assumtionem vexetur. Scabiosa est. Scabiosi vero sitibundi ob sanguinis & humoram salsedinem. Suasi tamen, ut, assumto statim *pulveri* affunderet 2. vel 3. scutellas *infusi theiformis*:

Rec. *h. veron. fumar. trifol. fibr. an. mß.*
sem. anis. ℥ij. M. Conc. cont. D.

Sic enim corpus humectatum iri. Cum ℞. itidem pergat, sed eam assumat ex scutella jusculi carnosi, in quo liquefacta *gelatina CC.* Manus, ob *scabiem*, lavet *lirivio* ♄.

Nunc demum mihi fassa est abinde a morte mariti, quæ ante novennium contigit, *menses* se non amplius vidisse. Revocandos tunc equidem temporis fuisse respondi, jam vero, quum 46. annos vivendo compleverit, nil amplius, valetudine salva, moliendum esse.

Saltarchi *Filiola*, *Essere.* §. Saltarchi *filiola* 10. annorum, prævio frigusculo & æstu cutem pingitur exanthematibus scarlatinis, *Essere* vocatis. Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. fumar. borrag. an. ℥ij.*
bez. min. Corn. C. phil. an. gr. xv.
sir. card. ben. ʒiij mixt. simpl. ℈j. M.

Detineatur in calore æquabili & temperato lecti, pro transspiratione juvanda. Vinum potui non detur, (d. 6. *Oct.*)

Æxuri *uxor.* §. Æxuri *uxor* (d. 1. *Oct.*) motum embryonis plane debilem percipit. Sumat ter in die 2. vel 3. cusp. cultri de polline sequenti per se;

Rec. *Trag. arom. rubr. ʒij.*
spec. de gemm. fr. pulv. anal. fr. MIND. *inc. an.* ʒß. *M.*

Fori

Foris umbilico admoveatur *emplastrum* ex *pane mellito* NORIB. *cum vino Hispan. & V. coctum.* VI.

Conduxerunt sibi *Nutricem* in alio quopiam loco lactantem, &, cum alumnulo suo inter lactandum certum aliquod *decoctum* propinare, dictumque alumnulum hoc *decoctum* fere magis, quam ipsumet lac appetere, comperissent; orta suspicio, num forte lac vitiosum evasisset? Non vanæ sunt ejusmodi suspiciones. Lactentes enim, tametsi decocta quoque bibant, mammæ tamen avidius inhiare solent, si *lac* rite habeat. Igitur examinatum fuit a me *lac*, sed laudabile repertum. Inter lactandum vero priori alumnulo propinatum quoque *decoctum*, ut eo facilius huic adsuescendo *ablactari* posset. Cur autem hoc, præ lacte, libaverit, ignorare cogor, nisi fortasse nutrix illita pappillarum insuavi rem technis aggressa est, quod tamen fateri non vult. (d.8.*Oct.*)

§. Schiessio (d.30.*Sept.*) post exantlatum morbum iterum ad suos profecturo, & de superstite capitis dolore quiritanti, viatici loco scripsi sequentia: Schiess. *Cephalalgia.*

Rec. *Spec. diacr. Myns.* ℥ß.
specif. cephal. ʒß. *pulv. cephal.* CAM. ʒij. *M.*

Sumat mane & noctu 2. cusp. cultr. ex quol. vehiculo. Cui superadditum *balsamum cephalicum* nobis consuetum, ad inunctionem temporum, verticis & nuchæ.

§. Toparii *filiolus* (d.1.*Oct.*) exhibet quidem involucra sua rubicunda, sed colore non æque tali, qualis esse solet ab arenulis in puerorum *nephritide*. *Cinnabarim* potius ipsam refert. Ordinatus fuerat huic pusello d. 17. *Sept.* inter alia *pulvis epilepticus mirabilis* MYNS. quem, cum ingrediatur notabilis pars ♁. *factitia*, colorem involucrorum si non omnem, saltem maxima ex parte inde proficisci eo facilius credo, quod ♁ in pusillis præbitam cum excrementis alvi redditam fuisse non semel viderim; quamvis fateri quoque necesse habeam, longe aliam esse rationem excrementorum alvi, quam urinæ, cujus ultimæ plures sunt circuitiones ac diverticula. Tale quid tamen non impossibile esse, demonstrant observationes miræ rerum cum urina excretarum. Talia sunt *pus pleuriticorum Zodiac. Med. gall. Ann. I. p. 142. Semen anisi, carbones* FABR. HILD. *Cent. V. obs. 51.* VELSCH. *obs. Med. 60. Pulmonis frustula.* HILD. *Cent. II. obs. 30. Nuclei pomorum comestorum. Ann. II. Dec. III. Eph. Cur. obs. 150. Eruca. Ann. I. Dec. III. obs. 82. Acus, ossicula, uvarum acini, semina melonum. Ann. II. Dec. I. obs. 3. & schol. Materia peccans phthisicorum, peripneumonicorum, anginosorum. Ann. III. Dec. I. obs. 212. Aselli, insecta alia,* Toparii *filiolus.*

V. *nuclei prunorum*, *varia Act. Med.* HAFN. *Vol. V. obs. 112. Ann. IV. & V. Dec. I. Eph. Cur. obs. 156. Confer.* Schenk. *lib.* III. *fol.* 555. & Marcell. Donat. *Hist. mir. l. IV.* (d. 8. *Oct.*)

Agoranomus. §. Agoronomus (d. 31. *Sept.*) ab *arthritide* sua petedentim plane liberatus.

Histus. *Dysenteria.* §. Histus (d. 1. *Oct.*) postquam *Dysenterici* nil amplius omnino sentit, nunc demum *doloribus arthriticis* in utrisque tarsis & calcaneis affligitur. Tale quid fieri a *dysenteria* nimis mature suppressa, per *metastasin* dolorificam, novum non est. *Vid.* quæ in hanc rem notavimus *Part. I. Miscellan. p.* 251. Noctu dedimus *pilulas theriacales nr. iiij.* & sub auroram sudorem imperavimus. *Litum* porro commendavimus, locorum dolentium frequentiorem & calidum, perficiendum *linimento* nostro *arthritico* ex ℣. *camphorat.* & *ol. lumbric. part. iiij.* & *ess. anod. part. I.* Superimposito *empl. diaphor.* Myns.

Dysenteriam vix ortam statim compescere validis *adstringentibus* non est artis. Per importunitatem autem ægrotorum suorum interdum Medici, ut ἀμεθόδως agant, urgentur. (d. 15. *Oct.*)

VI.

VI.

QUi mane repertus fuerat in ultima quarti gradus linea, vesperi ad tertium fere gradum se demisit Mercurius. Liquor *thermometri* mane paullo supra medietatem quarti gradus consistens, vesperi nonnihil assurrexit. Nox nubila fuit & frigida. Dies serena.

Saltarchi *filiola.* §. Saltarchi *filiola* bene habet cum suis *papulis*. Pergat cum *mixtura* & calido regimine. (d. 2. *Oct.*)

Essere. Canusii *filiola.* *Tertiana intermitt.* §. Canusii *filiola* 9. ann. jam aliquoties *intermittentis* tertianæ typo *febricitavit.* Rec. *Tart. emet. gr. j. Crem. Tart. gr. xv. dacryd. gr. iij. M. pro 1. dosi.*

Postea capiantur singulis 6. horis 3. cusp. cultr. de *pulvere* nostro *febrifugo* euporisto, ex quocunque vehiculo.

Rec. *Cort. fraxin. rad. gentian. an.* ℥ß. ⊖. *absinth.* ʒj. *M.*

Item singulis 24. horis carpis utrisque imponatur *emplastrum ex Zingibere, fuligine camini splendente,* & ⊖*e com. cum terebinthina.*

Regenotti *filiola.* *Minima.* *Ructus acidi.* §. Regenotti F*iliola* minima (d. 3. *Oct.*) inter ipsam *lactis* suctionem nunc ab aliquot diebus lamentabiliter vociferatur, erumpentibus autem *flatibus* conticescit. *Ructus* crebri non tantum *acidum* spirant, sed, quod revera mirum, dummodo lac nutricis, per tantillum temporis, quod solet, in osculo retineat, nedum deglutitum, plane *coagulatum* exspuit. scriptus fuit a GNOMILEGO *pulvisculus absorbens*, quo cum, & *mixtura* nostra

nostra nupera pergere jussi: & cum de *torminum* præsentia non esset dubium, abdomen inungendum volui *linimento*: VI.

Rec. *Ungu. alth.* ℥ij. *ol. nuc. mosch. expr.* ʒß.
balf. peruv. ℈j.
ol. anis. carv. an. gtt. v. M.

Dum parvuli *vomunt*, cumprimis si lac maternum, semper interrogare soleo, num lac vomitu rejectum sit coagulatum nec ne? Casu affirmativo exsuperanti acido potenter resisto. Nobilis hic est *alba magnesia cum emulf. amygdalina.* (d. 7. *Oct.*)

VII.

Mane Mercurius paullo infra tertium gradum, liquor *thermometri*, qualis heri. Vespeti utraque vasa in matutina statione. Nox & dies mediocriter serenæ. Interdiu nonnunquam cadentes aquæ guttulæ. VII.

§. Acropolitanus, vir annorum circ. 36, staturæ pusillæ, macilentus, valde in rationibus & scripturis suis laboriosus, texturæ teneræ; ab aliquo tempore *Syncopen*, patitur *stomachicam*, animi, dico, deliquium jejuno cumprimis ventriculo. Mane *vomituritio* & collectio aquæ limpidæ in ore. Appetitus est mediocris. A pastu statim scriptionibus suis accingitur & vitam agit sedentariam cardialgia est frequens. Mane capiat cusp. 3. cultr. de *pulvere* tali per se, comedat postea juris calidi aliquot cochlearia: Rec. *Spec. diacr.* Myns. ʒiij. *diatrag. fr.* ʒiß. Acropolitanus. *Syncope stomachica.*

♁. *nat. ppt.* ʒß. *ol. NM. expr. gr. iij.*
extr. papav. comp. ℈ß. *M.*

Pomeridie hora 4. & noctu ante somnum gtt. 40. *mixturæ* ex quolibet vehiculo: Rec. *Elix. balsam.* ʒij. *ess. anod.* ℈j. *M.*

Regioni ventriculi imponatur *sacculus stomachicus* consuetus. (d. 17. *Oct.*)

§. Gonioceri *filia dolore dentium* acerbissimo laborat, dente nullo vel cavo, vel alias vitioso existente. Videtur esse defluxio catarrhalis. Mane, pomeridie & noctu sumantur gtt. xxx. mixturæ catarrhalis, ex *aqua majoranæ. serpilli* vel alia: Gonioceri *filia.* *Odontalgia.*

Rec. *Ess. lignor.* ʒij. *anod.* ℈j. ℞. *succin.* ʒj. *M.*

Cataplasma e *pulvere spec. emoll.* cum lacte bubulo cocto. Sinistro brachio affigatur *vesicatorium*.

§. Thraso (d. 4. *Jun.*) a me petiit præservativa quædam contra *colicam*, qua sæpe, ut in superioribus dictum, affligitur. Jussi, ut secum semper in pyxidula gestaret *pilulas de cynoglossa*, pond. gr. j. Et, quamprimum *Colicæ* prodromos sentiret, statim nr. vj. quovis modo deglu- Thraso. *Colica.*

VII. deglutiret: Item, ut præservatorie uteretur *pulvere familiari ex sem. papav. alb. anis. rad. Zedoar. cort. aur. sicc. cum pauco sacchara.*

Certum est, multis *doloribus*, cumprimis *spasmodicis*, efficaciter occurri posse, modo tempore opportuno rem aggrediamur. Tempus autem maxime oportunum est, si dolorum sint quidam prodromi, uti revera ferme nunquam non sunt, & ab iis, qui doloribus id generis, v gr. *Cephalicis*, *colicis*, *arthriticis* infestari solent, facile præsentiri possunt, antequam dolores exasperentur, in promtu habere quoddam anodynum, v.gr. *pilulas*, *electuaria*, essentias, & absque mora portiones eorum debitas assumere. Sic enim dolores quasi in herba suffocantur; & egregium est stratagema practicum Contra si dolores jam sedem fixam occuparint in *genere* præcipue *nervoso*, illinc, nervis semel acrius irritatis, tam facile semet expelli non patiuntur.

Thrasonis *minister*. *Febrilis accessus*.

§. Thrasonis *minister*, adolescens 17. annorum, constitutionis non admodum robustæ & macilentus, in arce qnadam vicina laborum gratia aliquandiu commoratus, incidit in *febrim* ibi loci epidemicam, fonti illius loci frigidissimo adscriptam. Dedi *electuarium purgans* consuetum in contractiore dosi, quod semel tantum ἄνω, semelque κάτω *purgavit*. Ut operationem promoverem, sub ipsa meridie propinavi *dec. folior. senn. ex horum ʒij. & dec. prun. dulc. ℥vj.* Quod statim revomuit. Vesperi igitur, quum *purgatio* valde necessaria judicaretur, datus *pulvis purgans*:

Rec. *Gial. n. resin. Crem. Tart. an. ℈j.*
troch. alhaud. gr. iiij. M. F. ☿. *pro 1. dosi.*

Mane & noctu cum cochleari vini sumat gtt. xxx. *ess. absinth. comp.* (d. 19. *Oct.*)

Stomachosus. *Tussis sicca. Dyspnœa.*

§. Stomachosus (d. 1. *Oct.*) jam demum *tussi sicca* cum *dyspnœa* vexari incipit. Bibat ter in die calidum haustum *decocti*:

Rec. *Spec. pro Dec. pector. ℥iij. rad. armorac. ℥j.*
sem. sinap. nasturt. an. ʒj.
coq. in mens. iß. aq. font. ad consumt. ¼. Colat. add.
~⊖✳. anis. ʒß. sir. de hyssop. ℥iij. M.

Qualibet nocte ante somnum degluttiantur 5. *pilulæ de cynoglossa*, pondere gr. j.

Uxor. *Sputum viscidum*.

Uxor multum pituitæ viscidæ continuo exscreat magna cum molestia, quam tamen excretionem, nullo modo impediendam esse duxi, potius per incidentia fluxum promovendum ratus, ordinavi *mixturam* cochleatim sæpe sumendam;

Rec.

VII.

Rec. *Aq. veron. hyssop. an. ℥iij.*
hirund. c. castor. ℥j.
♁. cochl. ⊖✱. *anis. an.* ʒß. ℞. ♂. *helleb.* ℥ij.
diacod. MONT. ℥iij. *M.*

Tincturam ultimam addidi, quod *splenetica* quædam *morositas* simul apud ægrotam observaretur.

Hi conjuges incolunt domum, cujus conclavia sunt valde humilia, atque sic ob aërem oppressum sanitati conservandæ, cumprimis apud illos, qui defluxionibus obnoxii sunt, non admodum apta. (d.12. *Oct.*)

§. Apud Saltarchi *filiolam* papulæ penitus evanuerunt, ipsa per DEI bonitatem convalescente. (d.12. *Oct.*) Saltarchi *Filiola.*

§. Retelirae *filiolus*, (d.2. *Oct.*) equidem *vomere* cessat, sed nunc *alvo constipata* laborat, continuo vociferatur, *convulsionum* prodromos edit. Vix evasurum puto. Detur *pulvisculus*: *Essere.* Retelirae *filiolus.*

Rec. ⊙. *fulmin. gr. ij. arcan. dupl. gr. iij. M. pro 1. dosi.*

Cochleatim vero *mixtura* propinetur:

Rec. *Aq. veron. ceras. n. an.* ℥iß. *epil. L.* ℥ß.
confortat. offic. ℥ij.
pulv. MARCH. ℈j. *sir. ros. solut.* ʒvj. *M.* (d. 9. *Oct.*)

§. Alutarius, vir 36. circ. annorum, macilentus, heri demum correptus fuit horrore cum insequente insigni æstu, & immensa siti. Dolor capitis acerbissimus. Affinis balneatur venam secavit, quod non improbavi. Sed nihilo levius inde habens, me hodie accersit. Inveni virum valde æstuantem, sitibundum, cum pulsu celeri & simul parvo. Dolor capitis summus. De febri continua satis atroci certus, dedi 4. *pulveres*, quorum singulis 6. horis unus detur e *mixtura*, etiam extra *pulverum* usum, cochleatim sumenda: Alutarius. *Febris continua.*

Rec. ♁. *diaph. CC. philos.*
♁. *nat. ppt.* ⊕. *ppt. an.* ʒß. *M. F. 4.* ℞.

Rec. *Aq. cichor. fl. samb. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ℈ij *sir. acetos. citr.* ℥ß. *M.*

Fronti *unguentum alabastrinum. Gargarismus* ab Affini balneatore paretur, & post *gargarismum* (nam & fauces jam inflammationem minabantur) sumatur cochlear unum mucilaginis *e sem. cydon. cum aq. ros. extract.* Potus sit *arthydrus.* Si febres continuæ tam properanter ad statum festinant, minime bonum. (d. 8 *Oct.*)

§. Cum Regenotti *filiola* ab usu *pulveris* GNOMILEGIANI plus vociferetur, eum intermittendum, & cum reliquis pergendum esse suasi: Regenotti *filiola.*

VII. §. Hodie cum *uxore*, quatriduo post *novilunium*, venæsectionem autumnalem celebravi. Sanguis meus erat granulatus, id est, globuli particulis gelatinosis immersi erant, quamvis densissime; sic ut non esset sanguinis una continua substantia. Semper existimavi signum debilioris digestionis. Atque, ut verum fatear, a *febri* ultima ventriculum meum sui roboris multum amisisse, inde concludo, quod si, cibos alias mihi gratissimos, pisa, lentes, carnem suillam fumo conditam, botulos &c. comedo, me non tantum pati innumeras *eructationes nidorosas*, sed etiam torsionibus quibusdam *colicis* vexari. Desistendum igitur mihi a talibus puto. Nam & hic *alia vita mores alios poscit*. *Uxoris* sanguis more solito crusta pituitosa densa obducebatur, qualem, cum per annos jam multos venæsectione profundat, & suis interim negotiis sic satis alacriter præsit, de tali sanguine non amplius nobis metuimus. Interim quum hisce lustrationibus ab annis jam multis, assueti simus utrique, eas impune non intermissuri temporibus verno ac autumnali celebramus circa *æquinoctia*, quod tempus est accommodatissimum. Hoc autem autumno negotiis practicis nimium distractus, ad hanc usque diem invitus differre coactus sum. (d. 8. *Oct.*)

Bromiostrabi *uxor.* *Asthma e plethora.*

§. Bromiostrabi *uxor* 32. circ. annorum, jam plurium liberorum mater, ab aliquot nunc annis corripitur *asthmate* crebro fere suffocativo. Non adest sibilus, non exscreatio, non *tussis*. Non ingruit subito & subito rursum desinit, ergo nec est *convulsivum*. Per aliquot continuos dies durat. Appetitus est integer. Sanguis floridus interdum exspuitur, interdum e naribus excernitur. Gravida levius spirat, cumprimis ultimis mensibus, levius etiam, quamdiu lactat. Nihil juvant expectorantia, incidentia, resolventia, attenuantia: Nil *decocta*, nil *sperma ceti*, nil *volatilia spirituosa*, immo hæc malum exasperant. Pulsus nunquam est inrermittens, ergo nec *polypus* est in corde, quamvis *cor palpitet* in paroxysmo. Magnus potius est & creber. *Venasectiones* semper præsentaneum juvamen attulerunt, immo, non tam præsentaneum, quam certum, siquidem non immediate ab illo, sed altera demum die plerumque *dyspnœa* cessat. Igitur judicavi difficilem hunc *spiratum* esse solius *plethoræ* effectum; nec melius occurri posse, quam sanguinis detractione sedula, & diæta tenui, quod ultimum apud hanc mulierem opipare vivere consuetam, locum non invenit. Hodie rursum ob eandem caussam ei secta vena, sanguis etiam nunc, uti semper, erat laudabilis.

Recte *Excell.* STAHLIUS *Patholog.* p. m. 760. *Asthma convulsivum* inter alia, familiare, seu commune esse scribit, omnis quasi generis insigniter *plethoricis*, aut insigni *plethoræ* commotione affectis. VIII.

VIII.

VIII.

MAne vasa, qualia heri. Vesperi ☿ius per 1½. lineas sub tertio gradu; liquor *thermometri* in medio quarti gradus, subsistebant. Nox erat mediocris. Pomeridie pluvia larga. Summum argumentum frigoris insitati præteritæ hiemis est illud, quod memoratum publice fuit de *thermis* AQUISGRANENSIBUS, eas nempe tunc fuisse congelatas, idque non factum esse intra tempus 118. annorum.

§. Greniltæ *filiola* dudum laborat *scabiola* sicca, valde pruriginosa: est 11. circ. annorum, interna medicamenta horrens. Cum sine *purgatione* malum tolli non posse affirmarem, tandem paucas se *pilulas* esse sumturam recepit. Ordinatæ sequentes: Greniltæ *Filiola.* *Scabies sicca.*

Rec. *Extr. cathol.* ℈ß.
magist. gial. scammon. an. gr. v.
F. pil. n. x. de ⊙. *pro 1. dosi.*

Post *purgationem* manus usque ad cubitos aliquoties in die laventur *aqua* ♆. lotione per se exsiccanda, videl. nullo adhibito mantili.

§. Toparii *filiolus* (d. 5. *Oct.*) ratione *dysuriæ* nondum mitius vivit, sed continuo vociferatur, quamvis acidi ructus, & sonori flatus etiam de *colica* testimonium perhibeant. Datus *pulvisculus* consuetus ex ⊙ *fulmin. & arcan. dupl.* & ordinata cochleatim *emulsio*: Toparii *filiolus.* *Dysuria.*

Rec. *Sem. lithosperm. viol. an.* ʒj.
aq. petrosel. fragor. an. ℥iß.
F. *l. a. Emuls. add.*
Oc. ♋. *ppt. test. ov. calcin. an.* ℈ß.
sir. fragor. ʒiij. *M.*

Cum *unguento* pergatur. (d. 9. *Oct.*)

§. Archeguli *uxor* (d. 28. *Sept.*) de re nulla amplius, nisi *alvi* pertinaci *constipatione* querens, jussa fuit OSWALDI *potiunculam* haurire. Archeguli *uxor.* *Alvi constipatio.*

§. Hoc autumno a diversis amicis vineas colentibus dono accepi *botros* & *mustum*. Nil ad palatum. Amphora tamen hujus omphacii, quod mirum, veniit 25. florenis rhenanis. Constat autem amphora nostras 160. mensuris, mensura vero 56. unciis. *Musti* bonitas e sola saporis dulcedine cognosci non potest. Omne *mustum*

VIII. demum ex uva pressum, dulce sapit, licet postea generosum esse, quam minime comperiatur. Nota boni *musti* cumprimis est, *si non sit admodum tenue & aquosum*, sed pingue tactu, & intra digitos aliquo modo tenax & viscosum. (Wann er klebricht oder pichicht ist.) Alia, si non statim vel postridie a torculari clarescat, sed aliquamdiu turbidum ac dulce maneat. Rursum, si a coctione crassescat, vel, ut medice loquar, se facile in *Rob* coqui permittat. *Musta* enim, quo generosiora eo compactius ac densius *Rob* largiuntur. Contra *mustum* ignobile, tametsi diu coctum, tenue tamen manet, ac lymphaticum. Sed, quid de *mustis* intra dolia mox ebullitione sonora enormiter tumultuantibus, adeo, ut primis diebus homines ingressu cellæ, ni subito suffocari velint, prohibeant? Pluribus id pro bonitatis nota habetur, quasi a spirituum copia dependens. Aliis hoc *mustum* soboles uvarum non perfecte maturatum, sed, si maturuissent, mustum generosum exhibiturarum æstimatur, quibus & memet accedere diffiteri nolo. Anno 1706. *musta* tanto tumultu in cadis efferbuerunt, ut aliquot homines incautius cellas intrantes suffocati perierint, nec tamen illius anni vinum factum est generosum. Notabilis est observatio ab amico mihi communicata. Is enim mustum e conculcatis uvis (quod in hoc Ducatu fieri solet) profluens, itemque illud, quod e *vinaceis* adhuc succulentis torculari exprimitur, utraque seorsim asservavit, illud appellant Vorlaß/ hoc Trug: & ecce hoc ultimum præ illo primo & citius & longe ferocius in dolio efferbuit, cum tamen generositate & bonitate *mustum* primum, hoc secundarium multis modis antecedat. Hoc phænomenon, si quod aliud, ebullitionis hunc ferocem tumultum non esse bonitatis notam, evidenter testatur. Rationem reddit PORTZIUS *anatom. vin. Rhenan.* cap. II. p. 16. his verbis: *Nec mirum*, MUSTUM *aquosius, citius effervescere, generosius minus. Salia enim magis aqua diluta ac soluta sunt, ut citius & melius in se agere possint, secundum axioma: Salia non agunt, nisi soluta.* Scil. in musto generoso particulæ salinæ utriusque generis, acidæ nempe & alcalicæ sulphurearum, pinguium, roscidarum & ramosarum compedibus vinciuntur & quasi inviscantur, ut tam facile semet extricare, sibi invicem appropinquare, luctamque suam & hostilitates exserere non possint. Salia enim contraria, quo minus ab aliis particulis impediuntur, eo promtius commissa pugnam ineunt. Hinc est, quod *vina* GERMANICA, præ GALLICIS, HISPANICIS & ITALICS, magis effervescant ac tumultuentur. Abundant enim *acido* copiosiore, deficiunt *sulphure roscido.* Hinc & *alcali*, quod his, v. gr. GALLICIS, &c. inest, non tantum

hostis

hostis sui, *acidi*, languorem eludit, sed & a 🜄. *roscido* simul impeditur: ut hostem, si quis par viribus adesset, adoriri non possit. Unde autem tam *subita* cellas ejusmodi intrantibus suffocatio. Exempla suppeditant Auctores varii, MARCELLUS DONATUS, PLATERUS, SCHENKIUS *alii*, quos allegari videsis ap. SACHSIUM *Ampelogr. Lib. II. sect. VI. Membr. I. cap 3. p. 166.* Nosque ipsi talia supra adduximus. SENERT. *Paralip. p. 136. caussam confert in vapores 🜄eos e musto in fermentatione a salsis partibus separatos, in cerebrum penetrantes & spiritibus narcosin inducentes*; cui pollicem premunt B. SACHSIUS *loc. cit.* & *Illust.* olim noster *Præses* ARGONAUTA FEHRIUS, *ap. eund. ib.* At vero, non *apoplectici* vel *attoniti* corruunt isti homines, sed *suffocantur*. Testes omni exceptione majores sunt, qui cellas ejusmodi intrantes maturrime pedem semivivi retrahunt, de intercepta respiratione pectorisque gravitate percepta querentes. Igitur *organa respirationis* afficiuntur. Præterea *vina* minus generosa, adeoque 🜄*is* roscidi pauperiora majores & periculosiores tumultus excitant, quod supra demonstratum. Denique ex fece cervisiæ ebulliente in cella *monachos* duos suffocatos exhibet FORESTUS lib. IX. obs. 2. *Schol.* Atqui hic liquor æque 🜄*eus*, quam quodlibet *mustum* a nemine, qud spero, reputabitur. Rectius igitur PORTZIUS *tr. cit. p. 20.* *Cella, ait, vaporibus ex effervescentia ortis adeo impletur, ut locus liberiori pro respiratione aëri non detur; immo NB.* CODENSANT *illum vapores exhalantes acidi, qui cum inspiratione ad pulmones delati sanguinem circulantem congulant, ut motus circulationis impediatur.* Nec male, quamvis timidiuscule, Exc. CAMERARIUS conjecturavit *Disp.* eleganti *de subsidiis pro arte Medica ab Antlia pneumatica petendis habit.* TUBINGÆ 1691. *Propos. V.* p. 39. *aërem crassitie sua tam repentinæ invasionis caussam esse. Nimirum aer, quem exhalantes sub motu isto fermentativo moleculæ innumeræ crassiorem efficiunt, graviorem, magisque elasticum, æquilibrio ejus cum interno* (aëre) *sublato, corpus valide comprimit, humorumque viam intercipit; simul* aër *hic gravior pulmones nimis expandit, vascula coarctat: sanguinisque circulationem sufflaminat* Nempe ad respirationem rite perficiendam adæquata requiritur aëris textura, sic, ut si nimium subtilis sit (quod e montosis Provinciæ CHILI notavimus in tr. vom Præservir-Aderlassen.) Sanguinem nimis attenuando; Si nimium crassus, condensando, circulationem impediat, sicque suffocandi necessitatem imponat. Recordamur, tunc equidem temporis, quum isti viri a nobis allegati in cella suffocarentur, in convivio nuptiali ortam inter 2. Medicos juniores contentionem, uno caussam suffocationis aëri nimium rarefacto, altero nimium densato ad-

 scriben-

VIII. ſcribentibus. At vero, quomodo aër rarefiat tot muſteis vaporibus & exhalationibus oneratus & impletus, immo ſuffarcinatus ? Medelam hujus mali plane contrarium oſtendere rectiſſime judicarunt Excellentiſſimi Viri PORTZIUS & CAMERARIUS locis allegatis. *Nempe facibus accenſis vel aliis flamis patet aditus; igne enim hoc aër rareſit ac ſubtilior redditur, ſpatiumque aëri pro liberiori reſpiratione paratur.* Sin igitur aër ab effluviis *muſteis* magis attenuaretur, in ignibus adeo non eſſet præſidium, ut potius aquæ ſuffuſione iſta rarefactio corrigi deberet. O ſi tunc mihi citius iſti caſûs denunciati fuiſſent, quod merito fieri debuit! Culter enim anatomicus facem nî fallor lucidam accenſura fuiſſet, inveſtigatis nempe reſpirationis organis. Curioſius interim eſt, quod Exc. noſter LEDELIUS *obſ. 45. Ann. II. Dec. III. Ephem. Cur.* recenſet de mercatore plusquam quinquagenario, cellam vinariam ingreſſo, apoplexia tacto & mortuo, dum occuparetur in replendis doliorum, generoſa vina Hungarica condentium, vacuitatibus. Quid ? ſi fallacia cauſſæ committeretur ? Certe vini effluvia cauſſas fuiſſe hujus *apoplexiæ* non aperte claret. Ejusmodi hiſtoriæ *Excell.* DN. LANCISII per elegantem *tractatum* de *mortibus ſubitaneis* acceſſione haut vana locupletare potuiſſent. Cum autem de hiſce muſteis ſuffocationibus altum ſileat, vel hoc argumentum eſſe poſſet, ob *vina* illarum regionum *generoſiora*, minus *acida*, & magis *ſulphurea* ejusmodi caſus vel omnino non, vel certe rariſſime, contigiſſe.

Supereſt, ut *Practicos juniores* doceamus, *qua methodo in talismodi cellis ſuffocandis ſubvenire deceat?* Vellemus utique, ſi poſſemus. At vero ſi quod eſſet auxilium, id vel eſt nimis ſerum, vel minus neceſſarium. *Suffocatio* hæc eſt momentanea. Sine vitæ periculo ſuccurrere nemo poteſt, nam idem *ſuffocationis* fatum quosvis deſcendentes manet. Alias *venæſectio* præſentaneum eſſet remedium ; æque præſentaneum, ſi ⊖ quidam *volatilis* temporius propinari poſſet. Si adhuc vivi, quamvis vel ſemianimes protrahantur, aëri liberiori & rariori expoſiti, ad ſe ſponte, ſine pharmacorum ope, redeunt. Aliquando me legiſſe recordor, ſed in quo *Auctore*, memoria excidit, *margaritarum piſcatores* totum caput vitta denſa, craſſaque, cui affixus canalis longus, munire, ſeque ſic in aquam ad piſcaturam demittere, ut altero canalis extremitas extra ſuperficiem aquæ promineat, ſicque aêrem demiſſi haurire poſſint, quo de aliquid etiam Exc. noſter VALENTINI *Muſ. Muſ. lib.* III. *cap. 36.* §. *3. ex* VIELHEUR in Beſchreibung frembder *Materialien* p. 176. Hujus artificii Vitta, ſi eſſet in promptu, deſcendensque in cel- arundine ſeu canali, altera ſui extremitate extra cellam protenſa, rariorem

aërem

VIII.

ërem haurire posset, id forte jamjam suffocandis adhuc satis mature sal-vandis esset subsidio fururum. BLANCARDUS im Holländischen Jahr-Register. Cent. VI. obs. 58. *Quodsi*, ait, *infans cum funiculo umbilicali & secundinis in lucem prodiens, pro mortuo repetatur, secundinæ nondum ab infante separatæ igni ardenti exponuntur, quæ dum ardent, arteriæ denno pulsantes vitam adhuc inesse tenello demonstrant, isque quasi reviviscit.* Experimentum rei non feci, quod autem ubi succedit, verisimiliter fortasse in cellis pro mere suffocatis habiti, succenso circum circa quam proxime igni, in vitam revocari possent. Plures enim per suffocativos casus, apparenter quidem, non vere mortuos esse, demonstrant exempla ab *Ill.* LANGELOTTO *Ann. VI. & VII. Dec. I. Eph. Cur. obs. 20.* allegata, eorum, qui per 16. horas, immo per tres dies, immo per septem septimanas aquis submersi, protracti, & nihil-ominus in vitam revocati sunt. Certa tentanda, etiamsi frustra, sunt prius omnia, quam taliter affecti sepeliantur. Optime autem se hic omnino gerit *indicatio præservativa*; ante, scil quam mustum valide ferbuerit, ignes in cellis succendere; sic enim aër respirationi idoneus, una cum intrantibus, servatur.

§. Alutarius noctem quidem præcessa leviorem est nactus, at vero *torvitas oculorum* mihi vehementer displicet. *Pulveres* hesternos repetere, & reliquis ordinatis insistere jussi. (d. 9. *Oct.*) — Alutarius. *Febris continua.*

§. Melodidascalus (d. 3. *Oct.*) consueto per auctumnum *secta vena.* Globuli rubentes rari muco, ceu visco, inhærebant. Substantia facile dissipabilis. *Cachexiæ* signa. (d. 17. *Oct.*) — Melodidascalus.

§. Regenotti *Uxor* (d. 20. *Sept.*) quod *filiola* mammam ulterius sugere detrectaret, & coacta vociferaretur, *lac* suum mihi gustandum præbuit. Salsidulum erat. Orta quæstio: Utrum *ablactare* infantem, in *lactis* correctioni & auctioni invigilare expediret? Hoc ultimum si fieri posset, priori potius habendum judicans, *pulverem* ratione *magnesiæ* absorbentem, ratione ☿is HALY dulcificantem, ratione reliquorum ingredientium *Galactopœum* ordinavi, cujus ter in die 3. cusp. cultri cum *muls. amygd. dulc.* sumantur: — Regenotti *uxor.* *Lactis penuria.*

Rec. *Lact. lun. magnes alb. an.* ℨj.
pulv. HALY, *rec. elæosacch. anis. an.* ℨij. *M.*

Infantes ad minimum nondum semestres sine materno lacte educare miserum; miserum non minus alere nutricum lacte meretricio. Igitur omni modo allaborandum, ut lactatio matrum conservetur & promo-

VIII. promoveatur. DEUS ignoscat matribus illius, quæ prolem suam, sine caussa sontica, faciunt expositiriam, quæ se lactere non posse per varios prætextus simulant, cum possint. Nos larvam non uni tali mulieri detraximus, quamvis tunc gratiam haut magnam ineuntes. Cum his colludere *Medici* christiani non est, (d. 9. *Oct.*)

Clavicula. *Clavus hystericus.*

§. Clavicula, *clavo hysterico* misere cruciata, 30. annorum virgo, quod sæpe sibi fieri dicebat, me consultum ivit. Menstrua rite fluunt, appetit, dormit, torosa & ag lis est.

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. tart.* ℈j.
dacryd. gr. iij. ol. mac. gtt. j. M. pro 1. dosi.

Rec. ℞. *castor. succin. an.* ʒj.
ess. anod. ℈ß. *M.*

Sumat mane & noctu gtt. xxv. ex quol. vehiculo. Pro inunctione externa *linimentum*:

Rec. *Vngu. de hyosc. ol. castor. an.* ʒij.
pulv. as. fœtid. subt. ʒß. *M.*

Vitet *iram*, cui summopere dedita. (d. 14. *Oct.*)

Bromiostrabi *privigna.* *Chlorosis.*

§. Bromiostrabi *privigna* per ea quæ d. 21. *Junii* scripseram sibi sic belle restituta fuit, sed, per diætæ valde incongruæ vitia in pristinam *chlorosin*, uti plerumque fieri solet, relapsa, me in *acidulis* versante, usa est consil o *carnificis* ESSLINGENSIS, ac denuo restituta. Nunc ob eandem caussam denuo *chlorotica*, me quoque denuo consuluit, qui, more meo, petitis non defui.

Rec. *Tart. em gr. ij. Crem. tart.* ℈j.
dacryd. gr. v. M. pro 1. dosi.

Postea *venæsectio*. Hinc mane & pomeridie haustus *infusi*, non neglecto corporis motu:

Rec. *Limat. ♂. fin.* ℥j.
caryoph. mac. ⊖. abs. sem. fœnic.
cort. WINTERAN. *an.* ʒiß.
aurant. cinnam. an. ʒij.
herb. meliss. puleg. an. mß.
sacch. alb. ℥ij. *Conc. cont. D.*

Saxum SISYPHI *volutura* pergat incongrue victitare.

§. Uxor *mea* post venæsectionem male habet, ac *menses*, qui vix ante dies aliquot substiterant, heri statim post missionem sanguinis recepit, quem per missionem denuo agitatum fuisse, hinc constat. Sanguis non bene mittitur statim ante vel post *mensium fluxum*. Priore casu jam

est

est in ebullitionis motu, posteriore vix in quietem redactus, adeoque denuo facile irritabilis. *Medicum* a mulieribus de *venæsectione* consultum, quando fluxerint, contari decet.

IX. IX.

MAne vasa, qualia heri noctu. Vesperi Mercurius in ipso tertio gradu, liquor *thermometri* paullo supra quarti medium. Pluviola per dimidium noctis. Dies mutabilis, interdum serena, interdum pluvialis.

§. Bombaulitis *filiolus* (d. 2. *Oct.*) a nupero *purgante* non nisi bis, & nil *verminosi*, dejecit. Interim a *pulvisculo* symptomata remittunt, quem propterea repetendum, eoque denuo absoluto rursum *purgandum* esse monui. Bombaulitis *filiolus.*

§. Architecti *filia* (d. 2. *Oct.*) post purgationem infusum bibere parata *mensium fluxu* obruta fuit. Quæsivit tunc, an, hoc non obstante, *infusum* potare conveniat? Abnui. Nunc autem, depenso illo tributo, dictum *infusum* inchoare jussa est. (d. 29. *Oct.*) Architecti *filia.*

§. *Uxor* Cellarii *venæsectionibus* vernali & autumnali adsueta me diem commodam rogavit, quam hodiernam præstitui. Cum vero acriter ex capite dolere cœpisset, ortum est dubium, *an, hoc dolore non obstante, vena tamen esset secanda*? Immo vero dixi, eoque magis *venæsectionem* indicari, quod a frigidis mitius doleret, ac temporales arteriæ nimium pulsarent. Variant etiam hic consulentum ingenia, quum aliqui in percontando sint nimium negligentes, aliqui nodum in scirpo quærant. Postremi, licet magis molesti, magis tamen mihi grati sunt. Nam in *Medicina* minus necessaria interrogare, quam utique necessaria negligere, semper præstat. Cellarii *uxor.*

§. Technastes, cum *infusum* d. 13. *Maji* ordinatum, quamvis tunc abrumpere coactus, *Junio* demum mense, non sine *asthmatis* summo levamento bibisset, anno hoc senescente novi *asthmatis* præludia sentiens, annon idem repetere liceret? rogavit. Contraindicante nullo præsente, concessi. Technastes. *Asthma.*

§. Apud Alutarium *febris continua* semper adhuc incrementum sumit. Calor præternaturalis, dolor capitis, sitis, augentur. Urina flammea, pulsus celer nec admodum robustus. *Agrypnia.* Alutarius. *Feb. cont.*

Rec. ♁. *diaphor.* CC. *philos.*
matr. perl. ppt. ☽. *ppt. an.* ℥ß.
M. F. 4. ℈. Usus qui priorum.

IX. Rec. *Sem. 4. fr. maj. an.* ʒj. *papav. an.* ℥iij.
aq. ceras. n. papav. rhœad. a. ℥iij.
F. l. a. Emuls. add.
bez. miner. oc. ♋. *ppt. an.* ℈j.
sir. papav. a. ℥ß. *M.*

Pars una capiatur somni tempore; altera servetur in crastinum, nisi dolores & vigiliæ, ut illa post medium noctis assumatur, urgeant. Cum *mixtura* nupera & *unguento alabastrino* pergatur. (d. 10. *Oct.*)

Nezelii uxor. *Palpebra semi paralysis.* §. Nezelii *uxor* (d. 22. *Sept.*) palpebram sinistram se nunc ab aliquot diebus aperire non posse, nisi cum summa molestia, queritur. Nullæ hic lemæ, nec *palpebrarum* a pure vel humoribus viscidis conglutinatio in caussa. Ego guid *paralytici* subesse metuo. Ad nerveas palpebræ fibras roborandas, earumque tonum restituendum commendavi diligentem frictionem illius cum *aqua* REGINÆ HUNGARIÆ.

Nobilem olim in CURLANDIA novimus, cujus *palpebra* superior sinistra plane resoluta fuit, nulla amplius arte sanabilis. Digito sublata oculum condebat omnino illæsum, cum visione perfecta. Sic & visus nobis aliquando Molitor STEINHEIMENSIS prope DILLINGAM, vir dives, cujus utræque superiores *pulpebra paralytica* fuerunt. Huic suasi, ut interdiu palpebras sublatas emplastro quodam valide adhærente (mit einem Hefft-Pflaster) suspensas teneret, (nam in visu non erat vitium) in somnum autem se compositurus, prævio affrictu olei eadem removeret. sic enim futurum, ut visu suo ad libitum uti posset. (d. 25. *Oct.*)

Modalis. *Stomacace.* § Modalis, vidua 64. annorum, vinolenta, macilenta, *scorbutica*, querebatur nuper de *dolore dentium, carie*, & vacilatione eorum, & gingivarum hypersarcosi sanguinolenta, cum fœtore. Suaseram ut intincto in *mixturam* sequentem linteolo dentes cum gingivis aliquoties in die leniter fricaret, osque calide prolueret *decocto ficuum & rad. alth. cum lacte caprillo*:

Rec. ℞. *gumm. lacc.* ℥j. *mell. rosat.* ʒij.
~ cochl. ⊖ ✱. *an.* ℈j *M.*

Hodie se paruisse & brevi persanatam esse, læta nunciavit.

Homiletis *uxor.* §. Homiletis *uxor* [d. 2. *Oct.*] de solo virium adhuc defectu queritur, cætera plane sana & appetens. Dixi de *tragemate*. Ea nimio constare in *officinis* reposuit. Parare docui *domesticum* e *cinnamomo*, *maci* & *saccharo* cum vino paneque tosto sumendum. Sic interdum subveniendum egestati, quamvis haut tarentur ementitæ.

§. Quamvis adhuc sedimentum album pituitosum in urina *filiolæ*

Ichthy-

Ichthyboli (d.4.*Oct.*) conspiciatur, eam tamen sine dolore ullo reddit, & cætera valentior evadit, hinc cum nuper ante *purgationem* ordinatis continuare jussa. (d. 18. *Oct.*) IX. *Filiola. Dysuria.*

§. Cum Regenotti *uxor* adhuc dubia esset, an *filiola* invita suctio a *lactis vitio* dependeret, nec ne? Auctor fui, ut mulierem lactantem aliam accerseret, sic enim harum uberibus admota filiola, planum futurum, an culpa sit in lactante, an lactente? Quæsita talis & inventa. Infans adoriabatur utrasque papillas mulieris alienigenæ magna cum aviditate, beneque pota, quietior, quam unquam antea, facta fuit. Cum igitur de lactis proprii correctione & augmento mecum ipsa mater dubitaret, nec pusillæ aquam potui dare vellet, nutricem expiscari decretum. Mori poterat ante misella, quam illa materni lactis salsedo corrigeretur. (d.10. *Oct.*) Regenotti *uxor*. *Lactis vitium.*

§. Toparii *filiolus* a *pulvisculo* ex ☉ *fulmin.* aliquoties vomuit ac dejecit, hincque, ut fieri solet, morosus ac languidus factus est. Convocati Medicus, obstetrix, sorores, commatres, ac tota familia. Mater inconsolabilis, *gemitibus* ac *singultibus* totam domum complebat; etiam aliqua non admodum suavia *Medico* præsenti occinens, quasi *pulvere* suo deleterio filioli jugulum petisset. *O generatio incredula & perversa, quousque ero vobiscum? quousque tolerabo vos?* Matth. 17. Quis unquam vomuit sine languore? Jam vero ordinanda fuerunt, tametsi necessitate nulla cogente, medicamenta regia & ducalia, Cochleatim præbeatur *mixtura*: Toparii *filiolus.*

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥ij. *cinam. borrag.* ℥j.
conf. alk. c. ʒß. *pulv. March.* ℈ij.
lap. bez. or. gr. iiij. *sir. fl. tun.* ʒiij. *M.*

Addendum quoque fuit *balsamum cephalicum* consuetum. Noctu omnia meliora, quod prædixeram. Cum nutricis mammam sugere nollet, eum propter debilitatem virium & agonis præsentiam facere non posse dicebant. Jussi mulierem lactantem aliam accersere. Accersiverunt. Puellus avide suxit. (d. 10. *Oct.*)

§. *Virgo nobilis* 26. annorum, nobis jam Ottosylvana dicenda, non admodum quidem frequenter, sincerum tamen, & sine torminibus, cum *tenesmo sanguinem dejicit.* Ob *dysenteriam* epidemice grassantem sollicitus, dedi *pilulas pulverem* deprecata: Ottosylvana. *Dysenteriæ metus.*

Rec. *Rad. ipecac. subtiliss.* ☿. ℈j.
ol. cinnam. gtt. j.
cum mucilag. tragac. F. *pil. n.* xx. *pro* 1. *dosi.*

Hauriat jus calidum in magna quantitate. (d. 10. *Oct.*)

§. Namaplusii *filia* 31. annorum ventriculum nec satis appetere, Namaplusii *filia*. *Anorexia.*

IX. tere, nec digerere questa, petit remedia. Cognita mihi fuit diæta monstrosa, quam suis depingerem coloribus, nisi lecturis nostratibus ægram simul prodere cogerer, quam, certas ob rationes, in occulto manere tutius. Jussi mane cum *scutella thée* vel *caffé*, & in quolibet pastu cum primo haustu vini sumere *elix.* ⊕*li* MYNS. gtt. xxx. Post pastum autem cum simila tosta & haustulo vini ʒ. cultri cuspides de *tragemate*:

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ℥ß.
pulv. anal. fr. MIND. *inc.* ʒij.
elæos. cinnam. ℥j. *trag. arom. offic.* ℥ij. *M.*

Ejusmodi *tragemata* nec male sapiunt rusticis in *Hercynia* silva. [d. 15. *Oct.*]

Retelirae *filiolus.* *Tabes.*

§. Retelirae *filiolus* (d. 7. *Oct.*) licet non amplius vomat, indies tamen magis contabescit, sic, ut cutis vix ossibus hæreat. Dentur ter in die 2. cusp. cultr. de sequenti *polline*, quovis modo:

Rec. *Specif. antatroph.* ʒij. *pulv. anal. fr.* MIND. *c.* ʒß.
ol. caryoph. gtt. ij. *M.*

Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥ij. *capon.* Myns. *rec.* ℥j.
sir. fl. tun. ʒiij. *M.*

Balneum instituatur e *sideritide* cum aqua fluviali cocta. Ut Pater de hujus filioli dote sollicitus sit, non est necesse. (d. 10. *Oct.*)

§. De vindemia hujus anni non admodum locuplete, orto inter amiculos discursu, SILURULUS se non ditiorem esse futuram præscisse asserebat, nam *acinos* plerosque autumni præteriti, non nisi duobus *arillis* prægnantes fuisse, quod signum sit vindemiæ futuræ pauperioris a seculorum Experientia probatissimum. At vero variat *arillorum* numerus ratione differentium *uvarum* seu *botrorum*. Visa enim haut raro uva agigartos, id est, quod omni nucleo caret, quales dantur in urbe MENIN SYRIÆ, item in *Insula* MADERA, in urbe TABRIS PERSIÆ, in tribu DAN, prope torrentem SOREC; vid. SACHS. *Ampelogr. P.m.108.* In HISPANIÆ dantur uno tantum *arillo* præditæ. ibid. Uvæ moschatellinæ pleræque binis tantum *arillis* præditæ visuntur. Sic, ut numerus arillorum ad vindemiationem largam nil facere deprehendatur.

X.

X.

MAne Mercurius per dimidiam lineam supra tertium gradum surrexerat, vesperi repertus in tertia linea quarti gradus. Liquor *thermometri* mane in medietate hujus gradus etiam per totam diem perseverans.

Nox

Nox fuit mediocris; antemeridie pluvia larga, reliquum diei serenum. X.

§. Remistus, Juvenis 20. annorum heri noctu in platea vagans ab alio quodam errone gladio petitus fuit. Vulnerabatur manus dextra in ipso inferiore carpo, discissisque venis & arteriis, eo loci, ubi pulsus explorari solet, largissima secuta est *hæmorrhagia*. Domum portatus & a Chirurgis binis decenter deligatus fuit, postquam sanguinis vix credibilis copia jam effluxisset, qui ægerrime sisti potuit, donec instrumento quodam a TERDENI *Chirurgo* suppeditato arteria sufficienter comprimeretur. Erat simile illi, quod describit SCULTET. *Armam. Chir. Part. I. Tab. XVIII. n. 4. p. m. 27.* & applicandi modus traditur *Tab. LII. nr. 1.* Cura externa *Chirurgis*, quamvis non sine mea symbola relicta, quum vires valde labascerent, & sauciatus vomituriret cum crebris eructationibus, ordinata mixtura roborans cochleatim præbenda:

Remistus. *Vulnus in carpo.*

Rec. *Aq. borrag. rosar. an. ℥iij.*
cinnam. bugl. ℥j.
conf. alk. inc. ʒj. sir. fl. tun. ʒiij. M.

Ter in die sumat 2. cusp. cultr. *de pulvere* per se.

Rec. *Spec. diacr.* Myns. *diatrag. fr. an. ʒiij.*
cordial. temp. ʒß.
elæosacch. anis. ʒvj. M.

Potui detur ptisana. Vinum vitetur. Parum moveatur. Ne per momentum quidem solus relinquatur, immo, quando dormit, adstantes ipsum subinde accedant, advertentes, si forte sanguis *arteriosus*, ruptis obicibus, denuo profluat. *V. d. obs. 96.* SCULTET. (d. 26 *Oct.*)

§. *Uxor* Tectonici 50. annorum, ante dies aliquot prævio horrore incidit in æstum, capitis dolorem, sitim, summum languorem *Asthma* simul sonorum. Mens constat. Interrogavi consulentes, cur non statim me accessissent? Egestate se prohibitos officinam statim adisse respondebant. Datas a Pharmacopola *pilulas*, *pulveres*, *sudorifera* vicibus iteratis, fructum se nullum percipientes cogitasse: Sie wollten vor die rechte Schmidte gehen. Quam igitur antea *fabricam* adierunt? Revera *fabricam*, si *fabrica*, uti solet, accipiatur pro *impostura*. Quando denique cessabant isti Myrepsici ἀφοδεύματα sua labris ægrotorum affricare?

Tectonici *Uxor.* *Febris continua.*

Rec. ♁. *diaph.* ♁. *naï. ppt.*
asell. ppt. ⊕. ♁*iat. an. ʒß.*
M. F. 4. pulv.

X. Sumatur singulis sex horis unus ex vehiculo sequenti, per se quoque cochleatim capiendo:

Rec. Aq. fl. samb. card. ben. veron. an. ℥ij.
mixt. simpl. ʒj. *sir. papav. err.* ℥ß. *M.*

Utrisque brachiis affigantur *vesicatoria*. Potus *arthydrus*. (d. 13. *Oct.*)

Ottosylvana. *Metus dysenteriæ.* §. Ottosylvana ab *Ipecacuanha* heri decies vomuit, & aliquoties dejecit cum languore magno. Præcautionis loco noctu heri datæ *3. pilul. Theriacal.* & impositum scrobi cordis *emplastrum antemeticum* consuetum. Sed per totam noctem ne semel amplius vomuit vel dejecit, ac hodie vires aliquatenus recepit, evanido quoque *tenesmo*. Jam iterum cusa fuerat in innocentissimam *Ipecacuanham* & ejus propinatorem faba, quamvis vomitum excitaturam prædixissem, nec illi habeantur in numerato. Si medicamenta operarentur per suavitatem amplexus Juvenilis, sane morbos puellæ multæ simulaturæ fuerint.

Exuri *uxor.* §. Cum Æxuri *uxor* (d. 5. *Oct.*) partui indies magis appropinquet, familiares Matronæ jam sollicitæ esse cœperant, de comportandis ad varia partus symptomata necessariis. Cumprimis autem interrogabatur, quid in *hæmorrhagia uteri*, & profluxu *sanguinis arteriosi* (Hertzgeblüt) faciendum, si forte noctu parienti *Medicus* non statim præsens esse posset. Prædicabatur ab aliqua mirum in modum fotus muliebrium cum *rubrica fabrili, creta & osse sepiæ in pulverem* comminutis & in *aqua* coctis. Quærebant ex me, an non conducibilius esset pulveres coquere cum *aceto*? Immo vero dixi, si *cataplasma* lumbis applicetur, partibus autem genitalibus, statim a partu *aceti fotum* neutiquam convenire. (d. 20. *Sept.*)

Regenotti *uxor. Ablactatio.* §. Regenotti *Uxor nutricem* nacta pusillam ablactavit. Ad promtiorem *lactis* per se non copiosi *discussionem* imperatus *sudor*, & impositio *emplastri de spermate ceti*, superimpositis *sacculis* ex *oryza* integra confectis ac identidem percalefactis. Durante sudore removeatur cum *sacculis emplastrum*. Aderat mulier quædam *synonyma*, quæ suadebat impositionem *foliorum arboris juglandis*. Non rejeci, sed ob dolorem capitis, quem hæc *folia* in consuetis vel tantum olfacta ciere solent, dissuasi. Nam & nostra frequenter ex capite dolet. Interim puellæ cum nutrice sua quam optime convenit. (d. 12. *Oct.*)

Alutarius. *Febris continua.* §. Cum Alutarium mane visitarem, ipse noctem satis bene se transegisse, & sibi per omnia melius esse prædicabat. Præter *pulveres & mixturam*, ordinavi roborans *electuarium* quantitate *nucis moschatæ* pro lubitu sumendum:

Rec.

X.

Rec. *Conf. acetosell.* ℥ß. *carn. citr. cond.* ʒiij.
conf. alk. inc. ʒj. *spec. cord. temp.* ʒß.
fir. acetos. citr. q. s. M.

Pulsus debilis quidem, sed æqualis. *Urina* parum a sana abludens. Juscula quoque sua comedebat. Pomeridie adhuc talem inveni, qualem hoc rerum statu optare possem. Jussi, ut noctu *pilulas* deglutiret:

Rec. *Extr. bez. papav. comp. an. gr. iij.*
M. F. pil. n. vj pro 1. dosi.

At vero vesperi hora demum sexta *convulsiones* inopinato eruperunt, quæ, quamvis non admodum feroces, ad vitæ tamen finem, intra bihorium secutum, durarunt. Mirabar, nec immerito. Nunquam enim deliraverat, nec malignitatis, neve *convulsionum* ulla signa aderant. Faciunt huc *Aphorismi* HIPPOCR. Sect. II. 26. *Convulsioni febrim advenire præstat, quam convulsionem febri.* Et *Aph.* 19. *Morborum acutorum non in totum certæ sunt prædictiones, neque salutis neque mortis.* Igitur cautum, hic se præbeat *Practicus*, ne salutem pollicendo, si res aliter ceciderit, adstantium semet ludibrio exponat.

§. Reteliræ *filiolus* morti proximus. Retelir æ *filiolus.*

§. Toparii *filiolus*, cui GNOMILEGUS, præter mea, *sirubum* menthæ, cum paucis aliis ordinaverat, ac *vesicatorium* alteri brachiolo affigere curaverat, hodie mediocriter vivit, ac ita quidem, ut spes sit convalescentiæ. (d. 11. Oct.) Toparii *filiolus.*

§. Historiam *spasmi flatulenti* crus alterum Bohemi exercentis d. 19. *Aug.* sufficienter narravimus. Nunc, alio profecturus, a me petit, ut sententiam meam aliis illius loci, quorsum tendebat, *Medicis* proponendam cum cura mihi proficua visa, scriptis comprehensam propemptici loco communicarem. Feci, & præter memoratam morbi historiam, ejus curationem solidiorum judicio submisi: Laxetur *pilulis* consuetis, postea mane haustum *decocti* calidum assumat: Bohemus. *Spasmus flatulentus.*

Rec. *Ras. lign. sanct.* ℥iiij.
visc. quern. lentisc. sassafr. an. ʒvj.
Rad. sarsapar. bardan. an. ℥j.
herb. card. bened. fumar. an. mj.
fl. samb. mij. liquir. ras. ʒiij.
sem. anis. ʒiß.
Conc. cont. infund. in aq. font ℔vj. *diger, per 12. hor. loc. cal. probe tecta, post coq. in MB. per 2. horas. Colat. expr. D.*

Post-

X. Postquam bibit, insideat *laconico* & per suncensum ♀. egregie sudet, post sudorem in lectum decumbens quiescat, praecedanea frictione cum pannis calidis fumigatis. Ita dies 14. consumantur. Pomeridie & noctu sumat ℥ß. de ∼ *galban. comp.* quem describit MOOR *Pathol. cerebr.* cap. 20. p. m. 539. ex *aq. lavend.* cum *sir. fl. paralys.* edulcata.

Praeter *balneas minerales* externa parum juvabunt. Potus quidem *acidularum* ad sanguinis acrimoniam *scorbuticam* temperandam, minus autem ad *spasmum* hunc *flatulentum* cicurandum conducit. Si quid autem foris tentare libet, sequens fortasse non esset nociturum:

Rec. ∼. *matrical.* ℥ij. *ess. anod.* ʒj. *M.*

XI.

XI.

MErcurius mane linea una supra quartum gradum, vesperi pauxillum subsedit. Liquor *thermometri* paullo infra medietatem nominati gradus repertus, vesperi hujus gradus duas tertias complevit. Nox frigida, mane nebula densa, dies tota serena.

Labeo. *Bradypepsia.* §. Labeo (de quo etiam 6. *Febr.*) de *bradypepsia ructibusque nidorosis* querens, petit infusum, quod ipsi tale scriptum:

Rec. *Herb. absinth. menth. cr. an. mj.*
fol. senn. s. s. ℥iß.
rad. cal. arom. cichor. an. ℥ß.
rhabar. gial n. resin. mechoac. a. an. ʒiij.
fl. acac. mß. passul. min ℥ij. ⊖. *tart.* ℥ß.
sem. anis. cass. lign. an. ʒij. *mac.* ʒj.
conc. cont. D. more nostro parentur & bibantur.

Pitydiae *ancilla.* *Menses suppressi.* §. Pitydiae *ancilla*, triginta annorum, nunc a decem septimanis *menses* non habet. A balneatore quodam Calvensi & Pharmacopola nostrate bis fortiter *purgata*, fontem tamen illum reserari non sentit. Interim pallet, lassa est, cor palpitat, venae turgent, altum spirat, *plethorae* pleraque signa. Nane sumat 4. cusp. cultri de *pulvere* per se, corpus movendo:

Rec. *Limat. chalyb. subtiliss.* ℥ß. *diaph.* ♂*al.* ʒij.
succin. a. ppt. ʒj. ⊖. *CC. vol.* ʒß.
croc. ℈j. *elaeosacch. caryoph.* ʒvj. *M.*

Pomeridie & noctu gtt. xxxx. *elix. aperit. Cl.* ex quol. vehic. Quid? si infruniti isti Practicelli *abortum* procurassent? Nam, quis ipsis dixit, ancillam e furtivo congressu non forte gravidam esse? Id enim

enim neque spatulæ neque pistilli docere poterant. Sed vero aliquam multa sic perpetrari quotannis, quis dubitet? XI.

§. De Chloranci *filio* (quem etiam memoravimus mense *Majo* diversis vicibus) quorum convictu utebatur, multa quiritabantur, cum nempe, comprimis mane, tantum *fœtorem* ex ore spirare, qui totum cubiculum contaminet. Inspecto ore de *Stomacace* nihil. Dentes erant mundi, quotidie diligenter mundari soliti. Res absolvebatur nuda relatione, igitur nec a me quidquam ordinatum. Interim certum est, caussam ejusmodi fœtorum non semper in buccis quærendam esse. Nam ejusmodi halitus non raro ex ipsomet ventriculo surgunt, quod præcipue testantur *ructus nidorosi*. Vere, quamvis parum terse, loquitur GRIMBERGHIUS *in præfat. ad observ. suas medicas*: *Sunt aliqui homines, qui interdum interrogant, quæ caussa, ut sic ex ore suo fetent, caussa proxima hujus odoris mali nil aliud est, quam alimenta putrida, quæ adhuc apud se habent. Phthisici* tamen e pulmonibus suis talem quoque mephitim spirant, sed in puero nostro nihil *phthisici*. *Lumbricos* in ventriculo hospitantes idem efficere posse, nullum est dubium. Sublata quidem caussa tollitur effectus. Interrea tamen palliari potest illa *Camarina*, vel potius obtundi *confectione catechu*, qualis est sequens:

Chloranci *filius*. *Fœtor anhelitus*.

Rec. *Sacch. alb.* ℥iiij. 🜄. JAPON. *s. catech.* ℥j.
ambr. grys. mosch. orient. an. gr. ij.
F. cum mucil. tragac. c. aq. ros. extr. l. a.
cylindrali instar muscerdæ.

Horum unus vel alter linguæ suppositus sensim in ore liquescat. DEKKERUS *Exerc. Pract.* p. m. 398. Ad *fœtorem oris* e ventriculo adscendentem sequens *conditum* ordinavit, quem aliquoties non infeliciter imitati sumus:

Rec. *Cinnam. mors. el. rad. irid. fl. an.* ʒiij.
nuc. mosch. cort. aur. an. cond. ℥ß.
lap. prunell. ʒj. *ol. caryoph. gtt.* vj.
cons. menth. cr. ℥ij. *M.*

Ter de die sumatur ad *nucis moschatæ* magnitudinem.

§. Spes convalescentiæ non confundit in Toparii *filiolo*. Nam longe alia hodie mane, quam adhuc heri, rerum facies. *Vesicatorio* plurimum adscribo, cujus ope prolecta seri magna copia. Præter *mixturam* GNOMILEGI præscriptus hodie *pulvisculus*, cujus ter in die cusp. 2. cultri dentur:

Toparii *filiolus*.

Rec. *Oc.* ♋. *crud. cont. cryst all. ppt.*
matr. perl. ppt. an. ʒß. *ol. anis. gtt.* ij. *M.*

XI. Per totam pomeridiem placide dormivit, sufficienter quoque pastus. [d. 12. *Oct.*]

Graptoris *ancilla.* *Quotidiana interm.* §. Grapteris *ancilla febris quotidianæ intermittentis* nunc aliquot paroxysmos exantlavit. Datum *electuarium purgans* consuetum. (d. 15. *Oct.*)

Grapter. *Tussis;* §. Ipsi Grapteri moleste tussienti suasi, ut *herba thea* permisceret *rad. helen.* & *lign. sassafr.* & loco *sacchari com.* scutellis injiceret *pulverem rotul. e spec. diatrag,*

Dynosideri *filiola.* *Variola.* §. Dynosideri *filiola* triennalis *variolas* exclusura videtur, stipata symptomate circa eruptionem valde suspecto, *diarrhœa.* Medicamenta non nisi cum summa pertinacissimaque resistentia admittit, alias potuissem efficaciora, *diarrhœam* simul respicientia, ordinare.

Rec. *Mater. perlat. CC. ust. ppt.*
Cor. r. ppt. an. ʒß. *M. F.* ℥.

Præbeatur aliquoties in die quacunque possibili via. Potui ordinario misceatur *aqua fumariæ.* Ventriculi regio ungatur *oleo. NM. expr.* superimposito umbilico *emplastro theriacali.* (d. 12. *Oct.*)

Trusseti *uxor.* *Febr. cont.* §. *Uxor* Trusseti, 36. annorum, plurium liberorum, filiolam minimam adhuc lactans, mater, heri noctu, prævio horrore, æstuavit cum siti summoque *capitis dolore.* Quum calor præternaturalis adhuc persistat, jam per 16. horas durans, suspicio de febri continua orta. Primum fuit, ut infantulam, jam fere anniculam, ablactandam curarem. Hinc matri ordinata cochleatim sorbenda talis mixtura:

Rec. *Aq. fl. samb. card. bened. an.* ℥iij.
bez. ♃ al. ʒß. ♁. *nat. ppt.* ℈j.
R. bezoard. ʒj. *ess. anod.* ℈j.
sir. fumar. ℥ß. *M.*

Noctu, tempore somni, deglutiantur octo *pilulæ*:

Rec. *Extr. bezoard. papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. M. F. 8. pil.

Potus sit *arthydrus.*

Infantulæ præternaturaliter quoque calenti & frequenter paventi ordinatus *pulvisculus*, cujus ter in die cusp. 2. cultri præbeantur:

Rec. *Pulv. pannon. r.* MARCHION. *an.* ℈j. *M.* (d. 12. *Oct.*)

XII.

XII.

MAne Mercurius qualis heri vesperi, qui hac vespera steterit, ignoro, quum pomeridie peregre præfectus sim & alibi pernoctaverim. Liquor *thermometri*, tertium gradum una tertia parte transcenderat. Nox fuit serena & frigida, dies, cum serenitate, valde calida, quasi *mensis Julii.*

§. Pallæ

§. Pallæ *chirurgi uxor* 32. circ. annorum a longo jam tempore est vere *maniaca*, sua tamen, licet rariora & breviora habens intervalla. Tempore paroxysmi *maniaci* propemodum est *rabiosa*, nec verbis, nec alio modo coërcibilis. Homines adoritur contumeliis, &, si copia detur, etiam pugnis. Cachinnatur, vociferatur, cantillat, mille stoliditates in theatrnm producit. Perpetuæ sunt vigiliæ, fames fere canina. Multa a multis *Medicinam* legitime vel illegitime factitantibus, frustra licet, usurpata. Medicamenta respuit. Cum inter alia edulia pultibus delectetur, juxta methodum ETTMÛLLERIANAM, exhibere jussi cum pulte *rad. helleb. alb. subtiliss.* ℥. ℈ß. vel amplius, intra 3. l. 4. dies identidem repetendo. Vel:

XII. Pallæ *uxor.* *Mania.*

Rec. *Rad. helleb. alb.* ʒj. *cinnam. ac.* ℈j.
infund. per noct. in haustu vini, & detur potui cibata.

Vel accipiatur *rad. helleb. a.* ʒj. infund. in *aq. font.* ut mollescat; aqua abjiciatur, radix mollis iterum infundatur per noctem in haustulum vini, qui detur potandus. Nam vario modo res aggredienda, quum valde sint pertinaces juxta & suspicaces *maniaci*.

Diebus a *vomitione* vacuis, mane & pomeridie detur unus e *pulvisculis*:

Rec. *Ent.* ♀. ☾. *pp. an.* ʒj.
F. 6. ℥.

Cum alvus plerumque sit constipata *folia sennæ* in potum ordinarium, nempe *arthydrum*, infundantur. Detur etiam *emulsio amygdalarum dulcium* admixta notabili quantitate *sem. papav. albi*, edulcanda quoque cum *sir. papav. alb.* Nam *opium ipsum* minus conveniens. Insistatur his per integrum mensem, quo absoluto relationem actorum expecto. HERMANN. in *Cynosur. mater. med.* p. m. 71. aliquot adhuc formulas non inelegantes *helleborum album maniacis* propinandi tradit. Instar omnium sit sequens:

Rec. *Rad. helleb. a.* ☿ *ii dulc. an.* ℈ß.
⊖ *tart. gr. vij. laud. op. gr. j.*
M. F. ℥. *pro 1. dosi in sir. fumar. exhib.*

A multis commendatur *sanguis asini* vel *asinæ* mense *martio* vel *Aprili*, ☽ decr. circa aures evacuatus, linteolis mundis exceptus, & siccatus, cujus frustulum 2. pollices longum & 2. vel 3. digitos transversos latum, infunditur in haustum aquæ *anagallid. phœniceæ*, *fumar.* vel similis ad coloris rubelli extractionem. Haustus mane *maniaco* propinatur, repetendo per integrum triduum, & expectato semper in lecto sudore. Quod experimentum ex HARTMANNI *praxi chymiatrica* laudat CLAUDERUS

XII. *Ann.III. Dec.II. Eph. Cur.obs.83.* Non diffiteor, ejusmodi remedia me aversari, cum elegantiora omnino dentur,& effectum promissis responderе non immerito dubitem. Ad EBRODUNUM *Galliæ* BORRICHIUS vidit *Asinum* in deliria & furias actum. *Vol.V. Act.Med.Haffn. p.107.* Quis igitur confidat in horum sanguine contra furores?

Narrabat PALLA, *Chirurgum* quendam STEINHEIMENSES *maniacos verberibus* curare solitum. Idem de *Barone* quodam BOHEMO mihi in *acidulis* GOEPPINGENSIBUS, additis aliquot successus felicis observationibus relatum. MOOR in *Pathol. cerebr. cap. VI. p. m. 181.* notabile quoque exemplum recenset felicis duræ hujusmodi tractationis in maniaco ferocissimo eventus. Negotium non semper succedere, quin aliquos in majorem rabiem per verbera repetita ferri, expertus novi. Opus igitur discretione ac prudentia.

Dictum quoque *Chirurgum* solere maniacis intus propinare *arsenicum*, aliquos curasse aliquos interemisse dicebat. It.dare *arsenicum in febribus intermittentibus.* Crudelius morbo remedium Aliqui e *Chirurgis* nostris *Castrensibus,* nimium audaces,militibus *febrientibus arsenicum* dare non dubitarunt: re ad *Collegium Arhiatrorum Ducalium* delata, ipsis merito sub gravi pœna tale quid ulterius audere interdictum fuit. *Arsenicum* quocunque modo intra corpus datum, non est boni viri remedium. Vide quæ in hanc rem disserui in *Dec.II. Ann. III. obs.46. Eph. Cur.* & cumprimis *Obss* STAHLIANARUM *mens. Novembr.* sub titulo ARCHIATRI *per tot.* ubi dira symptomata curam hanc *arsenicalem* comitantia & consequentia graphice notantur.

Quod superest, juniores practici monendi sunt, ne *helleborum album* propinent vacuo ventriculo, sed vel cum, vel statim post sumtos cibos: secus enim hinc excitabuntur illæ *convulsiones*, quas ob hanc caussam Practici *helleborismos* vocant. Hinc etiam supra notatum expresse, ut *infusio hellebori* CIBATIS propinetur.

Toparii *filiolus.* §. Toparii *filiolum* hodie ex voto belle habentem inveni. Consultum igitur, ut nuper ordinatis diligenter insisteretur, duxi. (d.28.*Oct.*)

Regenotti *uxor.* *Inappetentia.* §. Regenotti *uxor* (d.10.*Oct.*) *inappetentiam* caussatur, quam, ut per aliquot adhuc dies patienter ferret suasi propterea, quod *filiolam* demum *ablactasset.* Nam, si *orecticis* adhibitis appetitus augeretur, vel famem esse cum molestia majore tolerandam, vel materiam lacti novam suppeditatum iri, cum alioqui matres ablactantes moneantur, ut parco eoque tenui per aliquot dies victu nutriantur.

Puella

Puella interim fit indies habitior & læta diem transigit. XII.

Nutrix autem a potu frigido *becchica* evasit: quo interdicto, sudorem imperavi matutinum, itemque mane & noctu scutellas aliquot *Caffé* uti sorberet. (d. 24. *Oct.*) *Filiola. Nutrix. Tussis.*

§. Dynosideri *filiola variolarum* loco exclusit *morbillos*, eosque sat elegantes. *Pulvisculum* assumit. *Diarrhœa* de quo lætor, cessat. Igitur quodammodo melius habet. *Morbillorum*, nisi epidemice grassentur, præ *variolis* non admodum distincta sunt ante eruptionem signa, sic, ut tempore *variolarum epidemicarum* sit difficile prædictu, si infans ægrotare cœpit, utrum exclusurus sit hos vel illos? Immo difficile est, etiam *variolis* non epidemice grassantibus, adeo similis est utrorumque invadendi modus. In genere tamen, vel ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ circa *morbillorum* initia *febris* est magis acuta, & symptomata omnia statim ab initio graviora, oculi magis rubent ac illacrymantur, & nares frequentius sanguine stillant, quod, si fit, de morbillis adhuc timide, si vero jam præcesserint *variolæ*, certius ac tutius pronunciare licet. *Dynosideri filiola. Morbylli.*

MATER *gravida* rogavit, *num infantulum pariendum lactare debeat, nec ne*? se enim ab omni lactatione male habere solitam. Cum adhuc quatuor ad partum menses numerentur, eam nimis festinanter interrogare dixi. Sententiam igitur eo magis differendam, quo magis certi aliquid decernere sit arduum. *Mater. Lactatio.*

§. Stomachosus (d. 7. *Oct.*) propulsa quoque *tussi* nunc optime vivit. *Uxor* semper adhuc molimina quædam *febrilia* sentit, quibus penitus exstirpandis oppositæ *pilulæ*, quarum numero decem mane & noctu in quovis vehiculo sumantur: *Stomachosus & uxor.*

Rec. *Extr. chin. chin.* ʒß. *cal. arom.*
balʃ. peruv. an. ℈j. *ol. caryoph. gtt.* iiij.
F. *pil. n.* LXX.

§. Egerticulus (d. 1. *Jun.*) per totam noctem *anxietates* patitur & quiescere non potest, sputum est cruentum & e naribus quoque sanguinolenta emungit. Quæ mala cum e plethora mihi proficisci viderentur in homine facie ahenea prædito & vinoso, cras *venam secare* jussi; Hodie vero scripsi *emulsionem*, cujus dimidia pars noctu ante somnum, altera, vel cras noctu, vel, si prior somnum non conciliet, post medium hujus noctis, hauriatur: *Egerticulus. Plethora molestia.*

Rec. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒj. *papav. a.* ʒiij.
aq. cichor. endiv. an. ℥iij.
F. l. a. Emulʃ. add.

XII. *oc. ♋. crud. cont. cryſtall. ppt. an. ℈j.*
ſir, portulac. ℥ß. M. pro 2. doſib.

Hic vir, more omnium ebrioſorum, parciſſime comedit, ſed pomeridie fere ſemper crapulam potat, ut plane mirum ſit, ipſum vitam tamdiu protrahere poſſe. (d. 12. *Oct.*)

Truſſeti *uxor & filiola.* §. *Uxor* Truſſeti cum *filiola* per heri ordinata multum profecerunt; illis igitur inſiſtendum.

Phagœnus. *Aſthma cacheƈticum.* §. De Phagœno d. 25. *May.* dictum, quod largiter e naribus ſanguinem ſtillarit, ibique datum prognoſticum, virum hunc ſanguinem ſucceſſive vappidum gignere, ſicque abhinc emigrandum præparari. Prognoſticum meum haut in vanum datum tempus fortaſſe brevi declarabit. Quamvis enim tunc temporis hæmorrhagia ceſſarit, vir tamen bonus nunquam vires abinde collegit, ſed ſemper *aſthmate* laboravit, appetitum amiſit, carnis privium in lacertis expertus eſt, & circa pedum talos tumefieri cœpit. Rogavit, ut ipſe in domicilii locum proficiſcerer, ſtatumque morbi præſens examinarem. Ne igitur ſine *pharmacis* abirem, mecum recepi medicamenta antaſthmatica ſequentia.

Rec. *Aq. hyſſop. acac. an. ℥iij.*
aſthmat. ℥ß.
♒. cochlear. ʒj. ⊖✱. aniſ. ʒß.
Ꞧæ croc. ℈j. oxym. ſquillit. ℥ß. M. cochleatim.
Rec. ⊖. *vol. oleoſ. ʒj. Ꞧæ. croc. ℈j. M.*
Sumantur, quoties opus, gtt. xxx. ex quol. vehic.

Pectus frequenter calide ungatur:
Rec. *Ung. pectoral. ℥j. 🜄. camph. ℥ß.*
☿ii dulc. rit. par. (ad imitat. Crameri.) *ʒj. M.*

Cum ibi appuliſſem, virum hunc, jam 62. annos natum, ſtudiis & vitæ ſedentariæ uti ſupra modum deditum, ita diætæ nimium agreſti non minus ſupra modum aſſuetum, appetituſque ſui mancipium, offendi talem, qualem ſupra deſcripſi, quibus addebant domeſtici, ipſum valde ſomnolentum eſſe, *tuſſiq;* ſicca vexari. Candidatum *hydropis aſcitis* cognovi: nam & *pulſus* inſuper *undoſus* fuit, & pedum frigidorum usq; ad talos *tumor œdematoſus*, & urina lixivioſa pauca. Propinavi mecum recepta in craſtinum plura ordinaturus. d. 13. *Oct.*)

XIII.

XIII.

OB abſentiam vaſa mea mane contemplari non potui. Domum circa meridiem veniens, Mercurium offendi paullo infra quartum gradum, qui

qui veſperi ad tertiam dicti gradus lineam reſederat. Liquor *thermometri* circa meridiem paulo ſupra memoratum gradum inventus, veſperi in eo quievit. Nox fuit ſerena, nec admodum frigida, dies adeo & ſupra modum calida, ut ſolis ardorem ſuper equo vix ſuſtinere poſſem, quod hoc anni tempore plane inſolitum. Veſperi leve tonitru. XIII.

§. Phagœnus hanc noctem adeo belle transegit, ut diu tam levem ſe pernoctaſſe non recordaretur. Hinc, diſpoſitis diſponendis, equo conſcenſo STUTTGARDIAM repetebam, imperans, ut aſportatis medicamentis per biduum, vel circiter, uti pergerent, me interea morbum accuratius expenſurum, &, quid porro ſit opus facto, determinaturum eſſe. Jocabatur ipſe, præſentiam Medici ſymptomatum diritatem fugaſſe, quod aliquando, cæteris paribus, fieri, non eſt negandum. (d. 15. *Oct.*)

Phagœnus. *Aſthma cachecticum.*

Filia major natu, 30. circ. annorum *dyſpnœa* & eadem jam diu laborat, ſcalas conſcenſura quieſcere cogitur, *cor* inſigniter *palpitat*, laſſa & languida eſt, pallet: *menſes* ſunt *pauciſſimi*. Dixi hos eſſe tragœdiæ ſolos actores, me neceſſaria domi ordinaturum. (d. 15. *Oct.*)

Filia major. Menſes imminuti.

§. Vix domi appuleram, quum mei nunciarent, adfuiſſe ante bihorium e CORBINIANI domo, qui citiſſimum auxilium pro *filiola* triennali flagitarent. Advolens, medicamenta quidem ab alio *Medico* interim præſcripta, ſed puellam ſimul agonizantem inveni. Symptomata mihi tam narrata præterita, quam viſa præſentia, *catarrhum ſuffocativum* prodebant, quem, an præſens amoliri potuiſſem, ignoro. *Medicus* interim eſt commune bonum, & ſemper in urbe præſens hærere non poteſt, quamvis, quos, abſentiæ tempore, fatum adoritur, Medicum, inſtar claudi Sutoris libenter alligarent.

Corbiniani *filiola. Catarrhus ſuffocativus.*

§. Trichemboli *uxor*, 8. liberorum mater, 38. circ. annorum, demum puerpera, *lochiis* nimium fluit, ad *ſyncopen* usque, præſente ſimul magno æſtu ac ſiti, quos friguſculum præceſſerat. Singulis ſex horis ſumatur *pulviſculus* ex adjecto, ſeorſim quoque uſurpando, vehiculo:

Trichemboli *uxor. Lochiorum nimius fluxus.*

Rec. *Bec. ♃al. ♁. nat. ppt.*
cryſtall. ppt. an. ℈j. *M. F. 3. ☿es.*

Rec. *Aq. meliſſ. plantag. an.* ℥iiß.
cinnam. cydon. ℥j.
conf. de hyac. ʒj. *eſſ. anod.* ℈j.
ſir. chamom. ℥ß. *M.*

Bibat *emulſionem amygdalinam*, & parum moveatur. (d. 14. *Oct.*)

§. Tecto-

XIII. Tectonici *uxor.* *Febris cont. catarrh.* §. Tectonici *uxor* (d. 10. *Oct.*) non tantum vehementer æstuare pergit, sed insuper asthmati tussis ferina jungitur, cum faucium asperitate, indeque orta deglutiendi difficultate, sic, ut *pulverum* ulteriorem usum deprecata sit. *Febrim* agnosco *continuam catarrhalem.* Cum *pulveribus* dispensari non posse dixi, sed suasi, ut eos, repetitos, cum *cremore hordei* sumeret, sic facilius deglutiendos. Ter in die bibat haustum *decocti pectoralis* calidum, cui prius instillentur *mixturæ simplicis* gutt. xxv. Thorax ungatur *unguento pectorali.* Cochleatim sumatur *mixtura mucilaginosa* aliquamdiu semper in ore tenenda, nec nisi sensim deglutienda:

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. acac. extr.* ℥j.
sir. papav. err. mell. rosat. an. ℥ß. *M.*

Ægrotorum petitis non semper velificandum; præcipue, si deprecantur medicamenta, quæ in morbi cura familiam ducunt. Tales autem sunt in *febribus continuis pulveres absorbendo-præcipitantes.* (d. 16. *Oct.*)

Theodorici *Filiolus.* *Leucophlegmatia.* §. Theodorici *filiolus* 11. annorum, e summo æstu, nudato pectore, frigido semet aëri exposuit. Pori constipati, transpiratione sufflaminata, *tumoris leucophlegmatici* auctores fuerunt. Universaliter enim tumebat, a capite ad calcem, cum aliquali pectoris angustia. Perterriti parentes, hausti veneni suspicionem seducti funesta quæque præsagiebant, quos, vestigata & agnita caussa, sum consolatus. Cochleatim detur *mixtura,* & æger in calore lecti & hypocausti temperato detineatur:

Rec. *Aq. card. bened. fl. samb. fumar. an.* ℥iß.
mixt. simpl. ℈ij. *sir. card. ben.* ℥ß.
♁. *diaph. CC. philos. an.* ʒß. *M.* (d. 14. *Oct.*)

Dynosideri *filiola.* *Morbilli.* §. *Morbillos puellæ* Dynosideri comitatur *tussis* acerrima, cum dolore capitis, æstu sitique intensis, pulsu celeri & magno. Noctem habûit valde molestam. Ter in die de *pulvisculo* dentur 2. cusp. cultr. ex quolibet vehiculo:

Rec. *Bez. miner. cryst all. ppt. an.* ʒß.
lap. bez. occid. ℈ß. *M.*

Cochleatim vero detur *mixtura*:

Rec. *Aq. fumar. card. ben. rosar. an.* ℥iß.
sir. card. ben. viol. an. ʒiij. *M.* (d. 18. *Oct.*)

Grapteris *ancilla.* §. Grapteris *ancilla* ab ordinato d. 11. *Oct.* purgante sufficienter quidem evacuata & sibi levari visa, nunc demum, aucto noviter calore dolorem *punctorium, pleuritici* æmulum, in altero latere subter papillam sentire cœpit, isti tamen lateri non incumbere potens. Vespera erat. Ordinavi *pilulas* noctu degluciendas:

Rec.

Rec. *Extr. bez. gr. iij. papav. comp. castor. an. gr. ij.* XIII.
M. F. pil. n. vij. pro 1. *dosi.*

Cochleatim propinetur *mixtura*:

Rec. *Aq. card. bened. card. mar. fi. paralys. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒß. *ess. anod.* ℈ß.
sir. card. bened. ℥ß. *M.* (d. 15. *Oct.*)

§. Egerticuli sanguinem hodie conspexi. Cute alba propemodum unciali & viscidissima obductus erat, reliqua substantia magis nigra quam rubra, tota mucida. Interim ab *emulsione* hesterna nox placidior præterita. Egerticulus.

Rec. *Spec. diacr. Myns.* ʒij. ♁. *diaph.* ʒj. *M.*
F. 6. ℥.

Horarum 6. intervallo semper una dosis capiatur, ex *mixtura* tali, seorsim quoque haurienda:

Rec. *Aq. cichor.* ℥iij. *hepat. nob.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥j.
sir. cydon. ℥ß. *M.*

I*nappetentia* simul aderat. Adesse veró solet in vinolentis, qui, quo plus bibunt, eo minus edunt.

Saltarchi *filiolam* (d. 7. *Oct.*) post *esseras* plane evanidas & recuperatos vires purgandam tamen esse putavi: Saltarchi *filiola.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *sir. de cich. c. rh.* ʒvj.
aq. cinnam. ʒß. *fumar. parum M. pro* 1. *dosi.*

XIV.

XIV.

MAne vasa, quæ heri vesperi cum differentia vix perceptibili. Vesperi Mercurius offendebatur paullo supra medietatem quarti gradus, liquor *thermometri* in ipso eodem gradu. Nox fuit serena antemeridie æstus & serenitas, pomeridie pluvia usque in ipsam noctem producta.

§. Halon (d. 30. *Sept.*) adhuc semper conqueritur de asperitate faucium, tinnitu auris sinistræ & obauditione in illa. Dolendum, hunc virum præesse functioni, quæ, ob diætæ fere in singulis partibus indeclinabiles errores, methodicæ curationi obicem, ponit. Interim tamen qua datur, non qua libet, eundum, Cum, hodierno more (sc. ut ratio status observetur) matutinis temporibus *thée* sorbillare consueverit, sequens infusum theiforme, mane & noctu, more nobis consueto, haurire jussi ad 3. scutellas cum vel sine *sacchare*: Halon. *Obauditio.*

XIV. Rec. *Rad. sarsapar. mund.* ℥ij.
ras. lign. sassafr. ℥j.
rad. helen. cal. arom. an. ℥ß. *liquir.* ʒiij.
sem. anis. ʒij. *M. conc. cont. D.*

Cum *apophlegmatismo* nupero adhuc aliquandiu pergatur: Capiti vero *pileolus* nocturnus & *cucupha* interdiu sub coma adscititia gestandi parentur e *speciebus*;

Rec. *Fol. majoran. salv. rut. laur.*
fl. stoech. arab. lavend. an. p. j.
caryoph. arom. cardam. min. an. ʒß.
conc. cont. D. ad. chart. irror.
ol. lavend. majoran. an. gtt. vj.

Gossypium contorsum *liquore balsamico* imbutum auri læsæ mane & noctu calidiusculæ immittatur:

Rec. ℞. *castor. succin. an.* ʒß.
ol. salv. rut. carv. an. gtt. iiij.
bals. peruv. ℈ß. *M.*

Obauditio & *aurium susurri* non tam promte tolluntur, ac sibi quis inexpertus imaginari posset, immo, per biennium durantes fere fiunt incurabiles: Quamvis *surditas* (& eo facilius *obauditio*) quæ aliquando intenditur, & aliquando remittitur (id est, quæ per intervalla augetur & minuitur) curabilis est. VALESC. a TARANT. *philon. Med. lib. II. cap. 45. p. 153.*

Theodorici *filiolus.* *Pustula.* §. Theodorici *filiolus pustulis* per totum corpus efflorescit, faustissimo præsagio, nam & liberius jamjam spirat, & corpus detumescit, cumprimis autem facies. *Mixtura diaphoretica* insistatur, & regimen adhuc observetur calidum. (d. 16. *Oct.*)

Machetes. §. Fui hodie apud Machetem (d. 2. *Oct.*) qui regium BURRHI *emplastrum* nuper adeo suo non defuisse officio prædicabat, ut altero statim die collum quaquaversum movere potuerit, hactenus etiam sic satis tolerabiliter vivens. (d. 21. *Oct.*)

§. Controversia mihi solvenda proponebatur inter duas obstetrices mota, circa ruptionem membranarum fœtum involventium. Nempe, si in partus doloribus istæ membranæ sponte rumpi nolint, an naturæ, matrive soli res relinquenda, an vero unguibus obstetricum membranæ dilacerandæ, sicque aquis & simul fœtui exitus patandus sit? Ob man die Wasser mit Gewalt brechen solle oder nicht? SCHIPHRA affirmavit, negavit PUAH. Quis jam se litibus harum ERYNNIUM interponat? Si HARVEO fides habenda, membranæ fœtum involventes nullo modo rumpendæ erant,

erant. Quamvis enim in *append. exercit. de gener. animal.* tr. *de* PARTU *p. m.* 364. fateatur, *mulieribus plerumque membranas ante fœtus exitum disruptas aquam profundere*, attamen paullo post, *obstetricibus*, ait *expertis non ignotum, mulieres aliquando conceptum integrum, cum ambientibus membranis illæsis, excludere. Atque* hujusmodi partum videri maxime naturalem, *in quo fœtus (tanquam fructus maturus, qui ab arbore totus solvitur, seminibus ante destinatum a natura tempus minime effluentibus) una cum secundis elabitur.* At vero, pace hujus viri egregii, statuere liceat, illum partum esse magis immo maxime naturalem, qui communiter & plerumque fit. Communiter autem fit, rupto membranarum prius aggere, profusisque aquis, quod sane non fieret, si prodiens una cum illæsis membranis magis naturalis foret. Ego in ista tot annorum praxi neque vidi, neque audivi, rarissimeque legi partum HARVEANO more editum, & forte nec alii mecum observarunt. Igitur secundum ordinem & leges naturæ in partu humano (quid enim ad nos partus brutorum? A quo ad humanum non valet consequentia, velut a mulieribus ad fœmellas brutorum ratione *menstrui fluxus* eadem non valet) membranas rumpi necesse est. Ut igitur ad quæstionem, a partibus PUÆH stare videtur MAURICEAU qui *in tr. de accident. & morb. gravid. & puerper. lib. II. cap. 7. p. m. 161.* expresse scribit: Obstetricibus esse expectandam spontaneam membranarum rupturam, nec eas, aliquarum more, vi rumpendas, ut aquæ profluant, siquidem, fœtu non rite composito, partus magis impediatur, quam promoveatur, cum, aquis effusis, muliebria rursum exsiccentur &c. SCHIPHRÆ partes alii, eorumque fere omnes reliqui veteres juxtim atque recentiores tuentur, nempe, si membranæ sint firmiores & per se rumpi nolint, ne parturiens per moram diuturnam nimium languescat, & fœtus cum sui periculo moras longiores texat, aut unguibus obstetricis, aut forficula vel cultello dividendas, atque sic aquis eluvium parandum esse, ad lubricandas pro faciliore partu genitales vias. Vid. HERLICIUS *de cur. gravid. puerp. & infant. cap. 21. p. m. 82.* Welsch im Hebammen-Buch *Part. I. cap. 23. p. m.* 244. VÖLLTERUS noster in der neueröffneten Hebammen-Schul/ Part. I. cap. 6. p. m. 16. inter caussas partus difficilis numerat si membranæ justo tardius rumpuntur, & sic fœtus impeditur, ut prodire non possit, & si justo citius rumpuntur, ut genitalia, ante partum rite compositum exsiccentur. Hinc, illud si contingit, cap. 10. docet, quo pacto obstetricem deceat eam unguibus perrumpere. Idem docet MURALTUS XIV.

XIV. noster im Kinder-und Hebammen-Büchlein p. m. 160. & Solingen in den Handgriffen der Wund-Artzney tr. *de officio obstetricum* cap. 26. p. m. 650. qui ultimus rem optime conficere videtur, ubi quidem inquit, expectandam quidem esse rupturam spontaneam (quo de HERLICIUS & WELSCHIUS tacent, quasi arbitrentur, non esse expectandum) aut nimis tarde contingentem artis ministerio promovendam, qua cum distinctione controversiam hanc posse decidi arbitramur.

Trichemboli *uxor*. §. Trichemboli *uxor* hodie multo tolerabilius vivit, & tantum de *lactis* quadam inopia, infantulo suo non suffectura, sollicita est. Jussi pergere cum hesterna *mixtura*, *pulvisculos* autem, eodem usu manente, sic mutavi:

Rec. *Diaph.* ♃*al. lact. lun. an.* ℨß.
ol. fœnic. gtt. iij. M. F. 3. ℞. (d. 15. *Oct.*)

§. De Quinzia dictum, eam *ranulam sub lingua* curare solitam, & quidem feliciter, perfricando locum affectum, panno coccineo, quo pusillorum facies abstergi solent (mit einem scharlacken Fegpletz) usque ad prolectionem sanguinis. Concedo sic extirpari ranulam, deletis per illam frictionem, seu laceratis potius vasculis sanguineis, cruorem, qui antea ibi stagnaverat, tumoremque excitaverat, profundentibus; frictionem autem alio æque, quam coccineo panno, utiliter perfici posse, persuasus sum.

Excell. WEDELIUS olim D. D. THEISNERO communicavit experimentum singulare: Sumitur frustum pali lignei, quo bufo vivus transfossus est, & in formam cultelli scinditur, eoque lingua raditur. *Vid. Disp.* THEISNERI *de ranula sublingua, habit.* JEN. *Ann. circ.* 1673. *cap XV.*

Clavicula. §. Clavicula (d. 8. *Oct.*) a *purgante* sufficienter evacuata, statim se levatam persensit.

Jaquelina. *Purgatio.* §. Mirum, quam difficilia sint motu nonnulla subjecta per purgantia etiam satis larga dosi præbita. JAQUELINA 30. annorum virgo, pallida, valde macilenta, ad iram prona, sua sponte sibi selegit *purgans*, *mannæ* sc. *Calabrinæ puræ* in *aqua acac.* solutæ ℨx. Ne una sedes mota. Vesperi assumsit *albæ magnesiæ* ℨiß. Ne una sedes mota. Quid ad hæc DN. COKBURNIUS, cujus circa finem *Aprilis* facta mentio? Certe si Jaquelina ponderata fuisset ad stateram, subducto calculo *Cokburniano* a dosi longe minori sufficienter *purgari* debuisset.

Bupolitanus. §. Bupolitanus narravit, *uxorem* suam annorum circ. 46. ante triduum a nisu magno aliquid sustollendi, sensisse *tumorem in inquine dextro*,

tro, cum aliquo quasi ſtrepitu ſubito orientem, dolentem, indies augmentum capientem, dum in lecto reſupinatur diſparentem, dum erecta ſtat, rurſum prodeuntem. Pronunciavi *herniam inguinalem*. Mane, dum inteſtina retroceſſerunt, imponere juſſi *emplaſtrum catagmaticum*, diu geſtandum, cum faſcia decente ab *Oniſimo* noſtro paranda. Mane & noctu tres cultri cuſpides ſumat de *pulvere* ex *crem hordei*: XIV. *Hernia inguinalis.*

Rec. *Sem. perfoliat. rad. ſymphyt. maj. an* ℥ß.
lap. oſteoc. ʒß. *ſacch penid.* ℥j. *M.*F.℈.

Si ægra ſub uſu hujus *pulveris* per 14 dies aut ultra in lecto diu noctuque, quantum poſſibile, immota cubare poſſet, quietem hanc ad coalitionem valde proficuam futuram, nullus dubito. Vitet tamen ægra, quantum poteſt, omnem motum nimium, ſaltationes vel ſaltus, onerum ſublationes aut geſtationes, cohibitionem ſpiritus, cachinnos effuſos, clamores, cantus &c. (d. 11. *Nov.*)

§. Tachini *filia* 18. annorum ante ſex ſeptimanas ipſo *menſium fluxu* præſente, nuptiali feſtivitati interfuit, nimium & incongrua comedit, ſaltavit &c. ſubſtiterunt ab eo tempore menſes, & ſymptomatis ipſa conſuetis affligitur, *chlorosi*, *palpitatione*, *dyſpnœa*, &c. Datum *emetocatarticum* conſuetum, & ſuaſum, ut poſt illam purgationem mane & noctu ſumerat gtt. xxxx. *elix aperit.* Cl. ex quolibet vehiculo. Puellis *menſtruatis* taliſmodi epulis intereſſe non conducit. (d. 16. *Oct.*) Tachini *filia.* *Menſes ſuppreſſi.*

XV.

XV.

MErcurius mane paullo ſupra tertiam lineam quarti gradus, liquor *thermometri* paullo infra dictum gradum reperti, qui ultimus talis per totam diem perſeveravit. Tota nocte largiſſima, etiam ad multum diei durans pluvia, quod miror, cum ſtatio mercurii tam ſit alta, immo per diem adhuc altior facta fuerit, ſic ut hac veſpera fere medium quinti gradus attigerit, cum tamen largiſſima, quod dictum, pluvia usque ad meridiem, & tenuior fere usque ad ſolis occaſum duraverit. Certe in *barometris* interdum accidunt, quorum ætiologia tam promta non eſt. Hæc enim altitudo Mercurii claritatem & ſerenitatem aëris ſignificare debebat, quam ſerenitatem etiam in craſtinum mihi fere polliceor.

§. De Phagœno (d. 13. *Oct.*) nunciatum, quod a nuper ordinatis aliquanto liberius ſpiret, nunc autem, vigore promiſſionis meæ, aſthmati *cachectico* medicationem congruam ulteriorem expectare. Sumat mane & pomeridie hora 3. de *pulvere* mox deſcribendo 3. cultri cuſpides ex quolibet vehiculo: Phagœnus. *Aſthma cachecticum.*

XV. Rec. *Spec. diacret.* Mynf. ℥ß. *diatrag. fr.* ʒij.
pulv. cach. Qu. *inc.* ʒiij. *elaeosacch. mac.* ʒvj.
croc. opt. ⊖. *CC. vol. an.* ℈j. *M. F.* ☿.

Noctu autem ad somnum se compositurus gutt. xxxx. *mixturæ* ex cochleari vini veteris *Neccarini*:

Rec. *Elix. balsam.* ʒiij. ⊖ *vol. oleos.* ʒiß. *M.*

De *Tinctura* vero nupera sumat in quovis *asthmatico* paroxysmo, tempore quolibet invadente, gtt. xxx: Cum *gelatina* itidem diligenter continuando. Asthma senile curatu difficile. (d. 23. *Nov.*)

Filia. *Menses diminuti.* *Filia* ad promovendum *mensium fluxum diminutum* ordinatus *pulvis emetocatharticus* consuetus. Postea mane & pomeridie 3. cusp. cultri de tali *pulvere* cum quolibet vehiculo sumantur, corpus movendo:

Rec. *Rad. rub. tinct.* ʒij. *chalyb. c.* ♀. ʒiij.
diaph. ♂*al.* ʒiß. *succin. a. ppt.* ʒj.
croc. opt. ⊖ *succin. vol. an.* ℈j. *elaeosacch. angel.* ℥ß. *M.*

Noctu cubitum itura ex cochleari vini *elixir. aperit.* Claud. gtt. 50. sorbeat, insuper exquisitæ diætæ studendo.

Trichemboli *uxor.* §. Trichemboli *uxor* per omnia melius habet, calor præternaturalis cum doloribus remisit, *lactis in mammis* sufficiens proventus. Ulteriori medicatione non opus esse judicavi, a qua *lactantes*, quantum possibile, arcere soleo.

Histus. §. Histus ab inde a *dysenteria* suppressa (d. 5. *Oct.*) nondum plane immunis est a *doloribus arthriticis.* Sed nulla amplius medicamenta usurpat. Eo fini hæc recensetur, ut confirmetur, quod de *adstringentibus* intempestivis dictum d. 5. *Oct.* Plura mihi adhuc, quæ jam non incidunt, exempla sunt nota.

Namaplusii *filia.* *Cephalæa.* §. Namaplusii *filia* (d. 9. *Oct.*) æstu correpta fuit magno, cum *dolore capitis* valde molesto, & siti intensa, heri vesperi. Quæsivit annon liceret comedere *ova confracta & cum aceto cocta*, (saure Eyer) qualia Saxonibus sunt familiaria, quam contractam ab hesterna crapula parœniam fugare satagunt? Immo vero, dixi, cur non simul lac ebutyratum? Nuper demum conquesti sumus de *anorexia* & stomachi debilitate ab *elixiris vitrioli* usu egregie sublatis, jam igitur ventriculum ferculo tam delicato solabimur? ordinavi potius emulsionem noctu ante somnum, una vice hauriendam; Rec. *Sem. 4. fr. maj. an.* ʒß. *papav. a.* ʒij.
aq. fl. til. ceras. n. an. ℥ij. F. *l. a. Emuls. add.*
matr. perl. ppt. cryst all. ppt. an. ℈ß.
aq. cinnam. ʒj. *sir. papav. alb.* ℥ß. *M. pro 1. dosi.*

Dolor

Dolor cessavit, sed nox tamen inquieta fuit cum æstu magno. Sermo de *venæsectione* ortus, quam in tota vita nunquam est passa, remis proinde velisque contranititur, se adhuc crastinum expectaturam dicens. Hinc iterari volui *emulsionem*. (d. 16. *Oct.*) XV.

§. Grapteris *ancilla* (d. 13. *Oct.*) sibi heri non male habere visa, vesperi tamen sustinuit paroxysmum *tertianæ exquisitæ*. Ad pharmaca nauseat, *pilulas* tamen elegit. Sequentium numero decem bis in die, *medicis* horis, ex quocunque vehiculo deglutiantur: Grapteris *ancilla.* *Tertiana interm.*

Rec. *Extr. cort. peruv.* ʒß. *cal. arom. gr. xv.*
papav. err. ℈ß. *ol. caryoph. gtt. iij.*
cum bals. peruv. si opus. F. pil. nr. LX.

NB. Si *extracta* ficciora sunt, *pilulæ* quodam humectante in consistentiam redigendæ; si molliora, digitis formatoribus per se obediunt. Suspendat de collo nodulo linteo inclusam *camphoram*. *Venæsectio* cras immediate ante *febrim* administretur, cui assueta est, eamque hoc autumno neglexit. (d. 18 *Oct.*)

§. Nezelii *filiola minima* ¾. annorum, texturæ valde teneræ, jam ab aliquo tempore morosa fuit, languidula, stertens. Præscripsi d. 2. *Oct.* haustulum *purgantem*: Rec. *Pulv.* Cornach. *gr. xv.* Nezelii *filiola.* *Icterus.*
sir. decich. c. r. h. ℥vj. *aq. acac. parum. M pr. 1. dosi.*

Assumsit mota ne semel quidem alvo, vocatus, eam hodie plane *auriginosam* reperi. Invita assumit.

Rec. *Diaph. mart. al.* ʒj. *croc. opt.* ℈j. *M F.* ℞.
D. ter in die cusp. 2. cultr.

Crocus misceatur cibis. Rogatus, an urinam puellæ vesicæ suillæ inclusam de camino suspendere liceat? licere dixi. Potum quoque dabant ex aureo pocillo. Non interdixi. Vulgus his talibus multa tribuit, quæ, si *Medicus* bona cum conscientia permittere potest, permittat, vel potius conniveat. Olim in Curlandia vidi, qui pocula conflaverunt e cera flava, eisque intus ubique adglutinaverant varios numos aureos, sed, quod necessarium putabant, hæreditate acceptos, (Erb Gold) ex iisque potabant, sicut etiam ex manibus e cera confictis & cavis (aus einer aus Wachs formirten holen Hand.) Alicubi frustum lardi porcini urina *icterici* madens cani devovandum præbent, salutem per *transplantationem* sperantes.

Icterici difficulter moventur a *purgantibus*, hinc si *purgandi* sunt res per *infusa* tentanda. Caussam radicari arbitror in picea viscididate excrementorum alvi, ob denegatam *bilis* admixtionem. (d. 10. *Oct.*)

§. Technastis *filiolus* biennis, totam *faciem tumet*, cum calore præternaturali siti, languore, *deglutiendi difficultate*. Technastis *filiolus.* *Tumor faciei.*

Rec.

XV. Rec. *Mater. perlat. cryſtall. ppt.*
CC. uſt. ppt. an. ℥ß. *M. F.* ℞.

Præbeatur quacunque poſſibili via ejus quædam portio ter vel quater ſingulis diebus. Collum involvatur *emplaſtro de meliloto.* Arceatur a vino, nec frigide bibat. (d. 16. *Oct.*)

§. Hoc anni tempore *lues quædam contagioſa inter oves graſſabatur*, cum paſſim in *Ducatu*, tam præcipue in ita dictis campeſtribus (auff den Fildern) huic urbi vicinis. Certitudine rei explorata damnum ſanitati humanæ hinc impendens *Magiſtratui opidano* ſequentem in modum *ordinarii Phyſici* ſcriptis declaravimus: Fama eſt, in *campeſtribus provinciæ* STUTTGARDIANÆ, paſſimque in *Ducatu*, luem in pecora graſſari, quod mihi LENTILIO ante dies aliquot BERNHUSAM equitanti PLIENINGENSIS opilio ſponte narravit. Cum igitur, ob præſentem annonæ caritatem & pecuniæ inopiam, nulli dubitemus, quin carnes pecorum, cumprimis vervecum infectorum, urbi noſtræ invehantur, a ſortis inferioris civibus vili pretio coëmendæ & comedendæ, idque jam clanculum factum eſſe, rumor ſparſerit, unde contagioſi morbi in urbe excitari poſſent, ut pro ſalute civium vigilemus, functio noſtra requirit. Rogamus igitur, ut in veritatem rei prudenter inquiratur, venundatio vel carnium, vel ipſorummet infectorum vervecum & ovium ſevere inhibeatur, delinquentes emphatice puniantur, atque ſic omne hinc metuendum periculum ſollicite declinetur.

XVI.

XVI.

MAne Mercurius ultra medium quinti gradus adſcenderat, *thermometri* vero liquor unam tertiam quarti gradus occupaverat in FLORENTINO; in BATAVO attigerat gradum 65. quod hoc autumno nondum factum. Veſperi Mercurius in medio quinti, & liquor *thermometri* in medio quarti gradus, reperti. Nox fuit ſerena, ſed frigus, quale adhuc nullum. Mane nebula denſa, ſed cadens, hinc tota dies, cum frigore ſenſibili, ſerena.

Tectonici *uxor.* *Tuſſis.*

§. Tectonici *uxor* (d. 13. *Oct.*) nil amplius *febrile* ſentit, reſtat tamen adhuc *tuſſis*, cum *faucium aſperitate.* Cochleatim detur *mixtura*:

Rec. *Aq. veron. hyſſop. an.* ℥iiij.
♈. cochl. ʒj. ⊖✱. *aniſ.* ʒß.
ſir. de eryſim. ℥ß. *M.*

Ter in die capiantur tres cultri culp. de *pulvere* per ſe:

Rec. *Rad. ar. ppt. irid. fl. liquir. an.* ʒij.
Sem. aniſ. ʒj. *naſturt.* ℈j.
croc. auſtr. ℈j. *ſacch. a.* ℥ß. *M. F.* ℞.

Tech-

§. Technaſtis *filiolus* faciem detumuit multum, & mitius per omnia vivit, reliquias propterea medicamentorum conſumere juſſus. (d. 12. *Dec.*) XVI. Technaſtis *filiolus*.

§. Hac æſtate quidam e fundamento novum ædificium erexerat, & etiamnum *Gypſarii* in conclavibus incruſtandis occupati erant, quibus operis abſolutis ædium poſſeſſor hoc hiemale tempori eosdem incolere decreverat. Hinc, utrum valetudine ſalva id commode fieri poſſet? orta quæſtio, quam negative decidi. Nam hoc anni tempore, qui gypſo & calce incruſtantur parietes non niſi per fornacis calorem exſiccantur, quod impune quidem accidit, ubi conclavia ſunt ac manent aliquandiu incolis vacua, feneſtræque ſimul detinentur apertæ, ut aëri ventisve concedatur aditus. Dum autem incoluntur conclavia, fornacibus accenſis effluvia calcis & gypſi aërem intra vaporaria concluſum non tantum nimis humectant, ſed & evaporationibus ſuis ſalſis, acribus inquinant, ut inſpiratus duplici modo, denſitate nimirum & acrimonia valetudini humanæ noxiam apportent. Nam & clare videtur, quo pacto feneſtrarum orbitæ in calefactis ejusmodi conclavibus, madeſcant, vaporibusque denſatis undiq; manare obſerventur, ne dicam de fœtore naribus tunc apprime moleſto. Quamvis igitur corporibus robuſtis ea non ſtatim ſic officiant, ut oriatur inde notabile detrimentum, attamen dantur texturæ rarioris homines, qui per illos vapores ad *phthiſin & aſthmata convulſiva* diſponuntur. Igitur ejusmodi ædes incolere tutum nullatenus exiſtimandum. BLANCARDUS *de ſcorbuto* cap III. §. 14. *Ædes*, inquit, *noviter exſtructæ multos exhalant vapores* CALCARIOS, *quibus una cum* ALCALI, ACIDUM *quoque copioſum ineſt, unde motus legitimus* ♁. (ſc. cum aëre per inſpirationem hauſti) *impeditus, ſanguis proinde craſſior evadit, coagulatur ac rite circulari nequit, unde* SCORBUTUS. *Dolæus Encyclop. Med. lib. II. cap. IV. de phthiſi p. m. 296.* Medicos ad unum omnes vetare ſcribit, ne quis in conclavi recens calce obducto dormiat; particulæ enim calcis acutæ volatiles, non tantum ſanguinem volatiliſant, ſed & diſcindunt arteriolarum tunicas, quibus diſciſſis neceſſario ſanguis effluit, quem ſequitur puris ſputum. Et quamvis BLANCARDIANA hypotheſis non tam ſanguinis volatiliſationem, quam condenſationem ſupponat, ab effluviis tamen calcis acribus fixis eandem eroſionem fieri poſſe, neminem latere debet. *Gypſum* quod attinet, de eo ſic LANGIUS opp. part. I. p. m. 284. *Gypſum poſt uſtionem intus tuto non adſumitur, ob metum ſtrangulationis & lapideſcentiæ intra corpus, unde infinitæ moleſtiæ futuræ; Unde* VENENIS *merito accenſetur, &c.* Quid igitur de ejus exhalationibus boni ſperandum? Elegans & curioſa eſt *Diſputatio* Exc. GOTZSCHALCHI *de calce viva*, habita LUTET. PARIS. An. 1685. ubi §. 27. effluvia calcis vivæ

XVI. in ædibus recenter exſtructis exculare laborat, actionem nocivam non immediate a *calce* dependere credens, ſed ab *acido acriore* ipſius aquæ intra partes cœmenti ſtagnantis, effluvia ſua, (usque ad omnimodam ſui evaporationem) de ſe emittentis, quæ non aliter agant, quam ſi ex palude ſtagnante elevata eſſent. Largiamur hæc. Interea verum manet, ejusmodi noviter cæmentata conclavia, iſta evaporatione nondum peracta, minus tuto habitari.

Theoderici *filiolus*. *Hemicrania*.

§. Theodorici *filiolus* (d. 13. *Oct.*) rurſum ſe nimis mature aëri frigidiori exponens, in ſiniſtro ſincipitis latere dolorem fere *hemicranicum* patitur, quamvis cætera vegetus & de re nulla omnino querens. Denuo calori mancipatus fuit, & ſcripti tres *pulviſculi*, quorum duo adhuc hodie, tertius cras mane ex *aqua ceraſ. nigr.* ſumantur;

Rec. ♁. *nat. ppt. C. alc. philoſ.*
bez. miner. an. ℈j. *M. F. 3.* ℞.

Latus capitis dolens delibuatur *linimento* frequenter & calide:

Rec. *ungu. de hyoſc.* ʒij. *axung. caſtor.* ʒß.
balſ. peruv. ℈j. *M.*

Toparii *nutrix*. *Lactis defectus*.

§. Toparii *filiolum* alens *nutrix* (d. 29. *Aug.*) *lactis* penum paupetem incipit cauſſari. Cum filioli mater perhibeatur mulier valde iracunda & cum nutrice perpetuo litigans; orta ſuſpicio, annon vitæ hujus pertæſa nutrix cauſſam abeundi per ſimulatam *agalaxiam* fingat? Quum convinci non poſſet, nec nutritius jam eſſet ea ætate, qua commode puſilli ferre ſolent ablactationem, *galactopoëticis* medicamentis rem tentari, nutricemque clanculum obſervari poſſe ſuaſi, annon ſemetipſam in abditis ædium locis emulgere deprehendatur? Medicamenta fuere ſequentia:

Rec. *Lact. lun.* ʒij. *cryſtall. ppt.*
ſem. ſiler mont. an. ʒj. *papav. alb.* ʒiij.
elæoſacch. fœnic. ʒvj. *M. F.* ℞.

Sumat mane, pomerid. & noctu 3. cuſp. cultr. per ſe. *Radix ſigill. ſalom.* minutim inciſa immergatur potui ordinario, cavendo, ne quod alio tempore factum, loco hujus *radicis* ex *officina* aſportetur *radix hellebori albi* (an ſtatt Weißwurtzel/ weiſe Nießwurtzel) *Lacticiniis* crebro utatur, pultibus, *oryza* cum lacte cocta. *Confectionem ſem. fœnic.* e pera maſticet. Alibi locorum pulverem parant ex *uberibus vaccarum toſtis*, quem eſui præbent: it. dicta ubera cocta comedunt. Hic haberi non poſſunt, cum rariſſime vaccæ mactentur. Utrum expetita vis tanta *galactopoëtica* illis inſit, aſſeverare non auſim. Interim tamen hominum perſuaſioni, ſi nocumenta nulla timenda, aliquid indulgendum. (d. 17. *Oct.*)

Nama-

XVI.

§. Namaplusii *filiam* nec persuasiones meæ, nec Patris & aliorum poppysmi & jurgia, ut sibi venam tundi pateretur, adigere potuerunt. Habeat sibi. Namaplusii *filia.*

§. Apud Tachini *filiam* (d. 14. *Oct.*) præscriptum & heri sumtum *purgans* fortiter ἄνω & κάτω est operatum. Guttas nunc bene cessuras esse speramus. (d. 9. *Nov.*) Tachini *filia.*

§. Hodie *primipilus* quidam *Lanionum* erga me conquestus est, de clandestina invectione carnium morbosarum in hanc urbem. Oves & verveces viscerum putrida labe infectas comperiri, igitur nomine totius opificii se rogare, ut huic tam detrimentosæ invectioni obex ponatur. Respondi, rem a physicatu jam ad Magistratum delatam, neque me de medela dubitare, dummodo & ipsi Laniones ad portas urbis conducant speculatores, qui deprehensas merces temeratas loco competente deferant. Non tamen intermisimus *Physici* Dn. *Præfectum* STUTTGARDIENSIS *provinciæ* scripto monere, ut per omnes pagos inspectioni suæ creditos opilionibus in mandatis dare ne gravaretur ut pecudes infectas & mortuas aperiant, interanea, pulmones, cor, hepar, ventriculum, lienem, probe scrutentur, & observata fideliter communicent; ad avertenda omnia hinc ipsorum & nostris cervicibus impendentia mala. (d. 11. *Nov.*)

§. Occamus hac vespera, ex itinere redux, æstuat, sitit, ex capite dolet, pulsus celer & magnus. Horrorem præcessisse negat. Occanus. *Suspicio febris.*

Rec. *Mater perlat. Oc.* ♋ *ppt. an. gr. xv.*
F. ℞. *pro una dosi nocturna,*
addito gr. j. ther. cœl.

Julebum sibi paret pro potu ordinario ex *arthydro* & *sirubis* sequentibus:

Rec. *Sir. rub. id. papav. errat. cydon. an.* ℥ij.
~♁. ℈j. *M.*

Cras urinam inspiciendam præbeat.

Hic vir ante aliquot hebdomatas hinc proficiscens in primo statim diversorio *horrore febrili* correptus fuit, typo *tertianam exquisitam* referente. Tribus in locis per dies aliquot decubuit, ac denique post usum variorum medicamentorum a *febri* liberatus fuit. Vereor, ne, charactere nondum penitus deleto, *febris* denuo repullulet. (d. 17. *Oct.*)

§. Nezelii *filiola* ordinatorum ne micam assumsit, hodie multo, quam heri, *flavidior.* Cum *lactis* potum amet, auctor fui, ut *saponem* VENETUM minutim incisum & in *lacte* calido solutum propinare tentarent, ad modum SYLVII, mihi non semel proficuum compertum. (d. 18. *Oct.*) Nezelii *filiola.* *Icterus.*

XVI. §. In curiosissimi Dn. OTTMANNI nostri Musæo sane quam aspectabili mihi hodie monstrata *Terra de sepulcro*. S. ULRICI, EPISCOPI olim AUGUSTANI, glirium antidotum. Idem prædicatur de *Terra* MURHARTENSI, *Cœnobii* WÜRTEMBERGICI, & ECHTERDINGENSI, (lapidum figuratorum feraci, de qua alibi) quamvis experimentum in stabulo DUCALI factum voto non respondeat. Attamen id possum fide bona testari, non tantum in toto, quod sciam, AUGUSTANO *Episcopatu* hodienum, sed & in omnibus istis locis, quæ per mutationem religionis ab illo *Episcopatu*, eidem olim subjecta, discesserunt, *glires* nusquam reperiri. Sic NORDLINGÆ ne unum glirem videas, erat enim olim sub Diœcesi vel potius *Episcopatu* AUGUSTANO. OETTINGÆ vero, tantum duabus leucis illinc distante, glirium non pauper commeatus nam olim ad EYSTETTENSEM *Episcopatum* pertinebat. S. UDALRICUM, E*piscopum Augustanum* ferunt olim glires exorcismo e toto *Episcopatu* exegisse. Sit, ut sit, eo, quo dixi modo, se res habet.

§. Rumor nunc maximus percrebuit in DUCATU nostro, de calamitosis effectibus *lolii temulenti*, cujus fere ditior fuit, quam ipsiusmet *avena* seges. Qui de hac *avena* comedunt, attoniti fere fiunt ad tempus, donec vis, quam credo *narcoticam*, exhalavit. Hodie mihi dictum, virum quendam HOCHBERGENSEM placentarum quoddam genus comedisse, quod vernacula vocant Flamm-Kuchen/ quæ coqui solent in pistorum clibanis post extractos panes, eumque inde factum fuisse plane vesanum, sic, ut propemodum incendiarii criminis reus sit factus. Id alicubi, quamvis non ubique, observatum panes e lolii temulenti miscella pistos tantundem damni non intulisse, quam juscula, pultes, &c. ex illa farina cocta. Dabitur autem posthac occasio, de his plura disserendi.

Gypsopœus. *Paralysis scorbutica.* §. Recurret Lector ad 27. *Sept.* ubi de affectu GYPSOPŒI, quod huc sufficiat, reperturus est. GNOMILEGUS & ego tunc ordinavimus, quæ ad rem factura credebamus. Interim ad nos Dn. CHORIUS loci *Physicus*: D. 26. *Sept.* apud nos fuit illustris *Medicus* FONTANUS. Eadem ipsi, quæ nobis, de affectu sententia. *Paralysin* vocat *scorbuticam* cum *intestinorum spasmodica contractione* ab acido austero oriundam, cui dederit occasionem vini, & hujus mangonisati, superfluus potus. *Decocto* GNOMILEGI vult addi *polypodium*, & bis in die cum illo *decocto* suadet assumtionem *pulveris* ex *millepedibus & lumbricis* terrestribus, æqualibus mixtis, ℥ß. Hæc enim ultima duo, ex animali penu petita, huic morbo esse plane *specifica* & appropriata. Bis in die suscipiatur moderatus femorum motus. (Quem tamen ob summum dolorem æger perferre non potuit.) Cæterum æger posteris binis noctibus pessime habuit. *Dolor tensivus hypochondriacus* cum anxie-

anxietate & ulcerosa laſſitudine omnium articulorum tantus erat, ut vel XVI. attactum non ferret. In horumce dolorum furore urina non ſentienti profluit. Cum per *clyſmata*, a GNOMILEGO ordinata, intra dies aliquot alvus ſoluta non fuerit, *clyſter colocynthiacus* eam copioſe movit cum euphoria, excreta pituita alba valde viſcida. *Cauſticum* applicatum *veſicas* quidem ſuſtulit, ſed ſine dolore notabili. Motus femorum non omnis abolitus, ſenſus autem, quaſi tibialibus pelliceis indutorum & ſic incedentium. *Urina ſtraminea* ſine notabili ſedimento, Arena rubra, ſicut antidhac, in ea non amplius ſubmergitur, filamenta tamen, vel quaſi, innatant. Quid porro faciendum cenſetis.

Reſpondi, quæ de *polypodio*, *aſellis & lumbricis* ſuaſerit CHORIUS, placere, non autem æque *mictionem urinæ inſenſibilem*, *paralyſin* ad minimum dimidiam *ſphincteris veſicæ* ſignificantem. *Clyſteres colocynthiacos* eſſe revera ſuſpectos. *Alvum* tamen *ciere*, per ea, quæ circumſtant, non æque facile eſſe. *Paralyſin ſphincteris ani* promoveri ab oleoſis, acria *pareſin* minitari. *Potiunculam* igitur OSWALDI huic ægroto convenientem eſſe mihi videri, *Veſicatorium* dolores majores excitaſſe maluiſſem, nam memet metuere, ne forte mutetur æger in ſtatuam vivam. In methodo medendi me nihil, quod mutandum eſſe ſentiam, invenire. Interim CODARMUS nuper præſcripſerat medicamenta ſequentia:

Rec. *Scob. ebor. CC. an.* ℥iij.
rad. chin. ſarſapar. an. ℥iiij.
viſc, til. colurn. an. ℥j.
coq. △. *lent. ad conſiſt. gummat. cavend. empyreuma.*

Rec. *Hujus gummat. magnes alb. an.* ℥ß.
oc. ♋. *ppt.* ♁. *diaph. an.* ʒij.
cryſtall. mont. ppt. lumbric. 🜃 *ſtr. ppt.*
♁. *nat. ppt. ſuccin. ppt. an.* ʒj.
M. F. ℞. *ſum. bis in die 3. cuſp. cultr.*

Rec. *Rad. ſarſapar. chin. an.* ℥iß.
fl. til. mij. viſc. quern. ʒvi.
rad. Carlin. ℥ß. *caſſ. caryophyllat.* ʒij.
polypod. ℥j.
e conc. cont. F. infuſum theiforme.

Bibantur mane cum ſupra ſcripto pulvere 3. cuſp. cult.

XVI. Rec. *Conf. alk. c.* ℥j. *pulv. lap. s. pretios.* ʒiß.
extr. lign. al. ℈j. *balf. de* Tolu. ʒj.
ol. mac. gtt. iij. cinnam. gtt. ij. citr. gtt. v.
M. F. confectio. sum. noctu cusp. 1. cultr.

XVII.

XVII.

MErcurius mane quieverat paullo supra primam lineam quinti gradus, liquor *thermometri* paullo supra tertium gradum. In Batavo 64. gradum attigerat, uno igitur gradu, quam heri, humilior. Vesperi ☿ius erat in quarto gradu, liquor *thermometri* in ejus dimidio. Nox fuit frigida & serena. Dies æque talis.

Acropolitanus. *Syncope cardiaca.* §. Acropolitanus per ea, quæ 7. *Oct.* ordinata sunt, in tantum se restitutum esse prædicat, ut præter *vertiginem* levem, de quo queratur, non inveniat. Præ cæteris autem laudat præscriptum *elixir*, eoque, si mihi videretur, se diutius usurum decrevisse dicebat. Cur negarem caussam omnino nullam inveni.

Melodidascalus. *Dyspnœa scorbutica.* §. Melodidascalus [d. 8. *Oct.*] heri *asthmate* vel *dyspnœa scorbutica* vehementer tortus, me suasore *Tincturam bezoardicam* sic dictam *essentificatam* Jüngkenii ad ʒß. assumsit, sudavit & bene habuit. (d. 29. *Oct.*)

Occamus. *Febris interm.* §. Occamus hac nocte bene quievit, mane vero ostendit urinam cum sedimento *lateritio*. Certus inde de *febri* factus, ordinavi *electuarium antifebrile* mihi consuetum, cujus singulis sex horis nucis juglandis quantitatem assumat, cum regimine debito. (d. 18. *Oct.*)

Abronomi *uxor.* *Venæsectio in gravida.* §. Abronomi *Uxor*, 36. circ. annorum, non adeo pridem nupta, nunc per 23. septimanas gravida jam bis venam secavit. Utrum adhuc bis ante puerperium idem facere liceat, rogat? Cui, inquam, fini? se abundare respondit sanguine; sie sey blutreich/ venas tumere, se *phlogoses* pati, præcordialibus anxietatibus obrui &c. Consensi. Plerasque mulieres bis in quavis graviditate venam tundere, res est consuetudinis, frequenter malæ. Sicut autem sæpenumero tales sunt sanguinis nimis prodigæ, ita multæ nimis tenaces. Oblatæ mihi, quibus gravidis non satis fuit, quater venam secare. Examinandæ mulieres, an & in quantum sint *plethoricæ*. Prudentia practica hic requiritur.

Toparii *nutrix.* *Lactis defectus.* §. Toparii *nutrix* scaturiginem lacteam penitus defecisse affirmat. Jussa mulgere aquam ex pumice prolicuit. Mammæ insuper flaccidæ. Veneficium incusat. Man habe ihr die Milch genommen. Quæritur, num tale quid per *magiam* fieri possit? Posse fieri, testatur experientia.

Sagam

Sagam cuidam feminæ comminatam fuiſſe, eam nunquam *lactaturam*, idque ſic accidiſſe, & lac ejus ſubito exaruiſſe, ex BODINO refert *Frommannus* de *faſcinat*. Lib. III. part. IV. ſect. I. cap. 9. p. 607. idemque in variis *brutis* fieri, narrat *ſect. II. cap. 3. p. 651.* Utut ſit, *lac* abeſt. Quærebant igitur ex me, utrum præſtaret? *Proſpicere ſibi de alia nutrice, an puſioni lac bubulum propinare*? Prius mihi placuit, quod *lac humanum* bubulo præferendum eſſe mihi videretur, dummodo ſtatim alia nutrix haberi poſſet. Sin, lac bubulum tamen non purum eſſe præbendum, ſed aliûs *decocti*, v. gr. *aniſati* dimidio temperatum. (d. 18. *Oct.*) XVII.

§. Menſibus *Junio* & cumprimis *Julio* de Ergaga ſane quam multa ſunt dicta. Ea ex fonte GŒPPINGENSI diſcedens in rheda, diverſorio, & ubique, quin & cum domi appuliſſet, in ſuis ædibus, conſuetum, Occidite, occidite, indeſinenter cantavit: ſed & domi *acidulas* indeſinenter hucusque potare perrexit, donec pedetentim cantus ille ceſſaret, ac, prout litteræ ad me datæ nunciarunt, petulantia non equidem in totum, in tantum tamen infringeretur. Quid opus porro factu cenſerem, quæſitum? Reſpondi, bibendas *acidulas*, donec ipſa *Ergaga* illarum tædio caperetur. *Pulveris* autem ſequentis ʒ. cultri cuſpides mane præberi volebam, vel cum *acidulis*, vel his non placentibus, cum pocillo Thée, ſuperbibendo hujus adhuc duo pocilla. Ergaga.

Rec. *Rad. bugl.* ℥iſ. ʒvj. *lign. al* ℈iiij.
pulv. cach. QU. *inc. C. alc. philoſ. an.* ʒij.
⊖. *hyper.* ʒß. *croc. orient.* ℈j.
ſacch. perlat. ʒvj. *M. F.* ℥.

Noctu, ſomnum initura, ſumat gtt. xxx. *ꝶ.* ♂. *helleborat.* cum *aqua hyperici*. Diæta ſit congrua.

§. Machetis *filiola* minima *tumorem* aluit in genu dextro jam multo tempore, qui, tametſi ſublatus fuerit a *Chirurgo* B. BUHINGERO, tamen, ob ligamenta quaſi abbreviata pedem non rite extendere poteſt. Flexura *genu* ungatur ter in die *linimento* calido: Machetis *filiola.* *Tumor genu.*

Rec. *Ungu. nervin.* ʒvj. *axung. canin.* ℥ß.
ol. philoſ. ʒij. *ſuccin.* ℈j. *M.*

Superimpoſito ſemper *emplaſtro*:

Rec. *Empl. diaphor.* Mynſ. *de ran.* VIG. *c.* ☿ *io. an.* ʒvj.
malax. c. ol. philoſ. D.

XVIII.

XVIII.

MAne MERCURIUS infra quartum gradum pauliſper ſubſe-

XVIII. derat, liquor autem *thermometri* in illius gradus medietate deprehensus. Vesperi Mercurius paullo supra dictum gradum adscenderat, liquor vero *thermometri* paullo infra eundem descenderat. Per noctem *pluviola*, a meridie largissima pluvia, quasi nimbus Ingressus *plenilunii* pluviosus.

Occam⁹. *Quotid. interm.* §. Occamus heri vesperi rursum *paroxysmum febrilem* sustinuit, unde liquet, ipsum laborare *quotidiana intermittente*. Sedulus igitur sit in assumtione *electuarii*, diætæque errores fugiat. (*infra.*)

Grapteris *ancilla febris.* §. Grapteris *ancilla* (d. 15. *Oct.*) in tantum a *febri* liberata, ut non amplius frigeat, æstus tamen vesperi redeat, cum summo *capitis dolore*. *Vesicatorium* alteri brachio affigendum suasi. Non vult.

Halasti *filiola.* *Phlycthæna.* §. Halasti *Filiola* 7. annorum omnia signa *variolarum* sive *morbillorum*, nunc *epidemice* grassantium, & jam imminentium signa præbuit. Indicabat abdomen ac dorsum dolere, æstuabat, vomebat, alvus erat constipata. Parentes rem negligentissime tractantes, eruptionem impediverunt. Æstu sic continuante subito e *cuticula* tolluntur vesiculæ similes illis, quæ per ambustionem excitantur. Pruritus aderat, sine magno dolore. *Phlyctænas* indigito, nostris dictas das wilde Feuer. Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. fumar. scord. an.* ℥iiß.
mixt. simpl. ʒß. *diascord.* Fracast. ʒij. *M.*

Phlyctænarum fiat Inunctio:

Rec. *Ungu. alb. camph.* ℥ß. *ol. scorp.* ℥ij. *M.*

Vanelli *uxor.* *Arthritis.* §. *Uxor* Vanelli 50. circ. annorum, nuper *dysenterica* fuit. Morbo per *adstringentia* valida justo maturius oppresso, secuta fuit *arthritis* fixa valde pertinax. Usurpata varia parum effecerunt. Vocatus ad ægram, dedi *pilulas*, noctu deglutiendas:

Rec. *Extr. hel.* CAM. *papav. errat. an. gr.* vj.
F. pil. nr. xij. *pro una dosi.*

Repetantur singulis noctibus, & sumantur cum *mixturæ mucilaginosæ* pone sequentis *cochleari* uno, quæ itidem *mixtura* temporibus quoque aliis cochleatim hauriatur, nobile *antarthriticum*:

Rec. *Mucilag. sem. cydon. cum aq. fl. paralys. extr.* ℥j.
sir. de alth. Fern. *papav. alb. an.* ℥ß.
ess. anod. ℈ß. *M.*

Articulos involvat *pelli leporina*. Regimen sit calidum. Vinum vitetur. Potus sit ptisana communi more parata.

Hæc mulier jam antea frequentius fuit *arthritica*, hinc citius a suppressa *dysenteria*, talis denuo evadere apta. (d. 19. *Oct.*)

Lactans

Lactans mulier alia pro *Filiolo* Toparii (d. 16. *Oct.*) quæsita & inventa, cujus uberibus avide inhiavit pusillus, cum voluptate lac suxit, nocteque præterita, quin die quoque hodierna bellissime habuit. Num eadem nobis halcyonia obtigissent a lacte bubulo propinato? hæreo (d. 13. *Oct.*) XVIII. Toparii *filiolus.*

§. Capsopœi *uxor* (d. 4. *Oct.*) tantum profecit ab hucusque continuata *lactis caprilli* cura, ut appetitus inde decens redierit, torisque denuo lacerti turgeant. Vexat tamen adhuc *tussis*. suasi ter in die cusp. 3. cultri de *pulvere* ex lactis vaccini calidi scutella: Capsopœi *uxor.* *Pathysis.*

Rec. *Rad. alth.* ℥ß. *liquir. irid. flor.*
gumm. arab. sem. papav. alb. cydon. an. ʒj.
fol. heder. 🜄 *str.* ʒiß. *elæosacch. anis.* ℥iß. *M. F.* 🜄.

Filiola itidem a *rhachitide* liberata, dente nunc uno excluso, vires egregie recipit, ac de nocte magis evadit quieta. De hujus puellæ collo vidi pendere quid, instar *scapularis* vel *amuleti* panno coccineo inclusum. Roganti, quid esset? responsum: Esse infantis *umbilicum*, quem sic insutum & de collo suspensum ad faciliorem *dentitionem* non minimum contribuere, vulgo prædicetur.

§. Dynosideri *filiola* (d. 13. *Oct.*) quamvis *morbillis* feliciter exantlatis, attamen tussire pergit, abdomine simul tenso, urinaque existente lactea, cum reliquis non adeo obscuris pullitiei *verminosa* indiciis, & cum alioqui convalescentes ab istis catholicis *exanthematibus* evacuare soleam, digitum simul in *vermes* intendens, *pulvisculum* leniter evacuantem pro vicibus aliquot, modo quovis practicabili, dandum ordinavi: Dynosideri *filiola.* *Vermes.*

Rec. *Corallin. sem. santon.*
spec. diagal. ☿ *ii dulc. rit. par. an.* ʒß.
sacch. perlat. ʒij *M.*

Mane & noctu abdomen totum calide ungatur:

Rec. *Ungu. arthan.* ℥ß. *croc. metall.* ℈ij.
extr. coloc. ℈j. *ol. absinth. q. s. M.*

§. Res *Filiolæ* Ichthybolanæ (d. 9. *Oct.*) interea temporis in melius notanter mutatæ. Viget appetitus, indolens est & hilaris. Nihilo tamen minus urina prodit adhuc lactea, fœtens, cum sedimento pituitoso & quasi membranulis innatantibus. Non est *castor* morbus, quo de *vid. obs. 116. Ann. I. Dec. III. Eph. Cur.* Tametsi enim in hac excernitur æque urina lactea, ea tamen neque deposito sedimento clarescit, nec fœtida est, sed fortasse portionibus chylosis ob ἀδδηφαγίαν accumulatis imprægnata, quem proinde morbum abstinentia sola curatum loc. cit. legimus. D. FRANCUS *Castorologia sua* §. 3. *p. m. 9.* vocat *Urinam cahecticorum*; cum vero Ichthyboli *filiola.* *Dysuria.*

XVIII. castor obveniat cætera quoque sanis, modo nimium & opipare pastis, hactenus nostro HÜNERWOLFFIO, supra notatæ observationis auctori, adstipulamur. *vid. m. Ann. I. obs. 89. Eph. Cur. & schol.* De *vesica* quadam *scabie* sollicitus jussi, ut *bals. de* COPAIB. gutt. vj. noctu ante somnum *balsamosacchari* vero *de* COPAIBA mane & pomeridie cusp. 2. cultri præberent. Notandum vero istud *balsamum* non nisi supra fornacem calefactum in guttulas dissolvi. (d.8. *Nov.*)

Nezelii *filiola.* *Icterus.* §. Nezelii *filiola* (d.16. *Oct.*) nunc demum *pulvisculum* nuperum circiter a biduo sumere cœpit, & quidem evanescente hinc *ictero*, puellaque mitius vivente.

Halon. §. Haloni (d. 14. *Oct.*) suasi, ut haustui *decocti* sui, dum adhuc in lecto mane cubat, admisceret ℞. *bez.* MICH. *gutt. xx.* sudoremque sic prolicere tentaret, quod se facturum suscepit. (d.26. *Oct.*)

Occamus. *Febr. quot. interm.* §. Occamum hac vespera *febrilis* paroxysmus iterum obruit cum enormissimis *vomitionibus*. Cochleatim hauriat *mixturam*:

Rec. *Aq. menth.* ℥iij. *cinnam. cydon.* ℥j.
masticbin. ℥ß.
conf. de hyac. ʒj. *extr. papav. comp. gr. iiij.*
sir menth ℥ß. *M.*

Scrobiculo cordis imponatur *empl. antemet.* consuetum, nec interim omittatur usus *electuarii antipyreti.*

Grassantur nonnunquam epidemice *febres intermittentes*, quarum paroxysmi cum *vomitibus* ordinarie inchoant. *Vid. Disp. m. inaugur. de febre tertiana intermittente epidemica* CURLANDIAM *populante, habita* ALTDORFII *An. 1680.* Remiscui tunc, quum ibi praxin exercerem, *pulveribus antifebrilibus gr. j. laud. op. & tantillum pulv. nuc. mosch.* cum successu non pœnitendo. Quin & observantur *febres*, in quibus post rigorem vel horrorem *vomitiones* cientur, superveniente postea demum æstu. (d. 19. *Oct.*)

XIX.

XIX.

MErcurius mane paullo supra medium quarti gradus evectus, vesperi fere medium quinti gradus assecutus est. Liquor *thermometri* quartum gradum aliquanto superavit. Per totam noctem, usque ad diei crepusculum larga pluvia, quæ per totam fere diem duravit. In crastinam nobis pollicemur serenitatem.

Thrasonis *minister.* *Passio iliaca.* §. Thrasonis *minister* (d 7. *Oct.*) a nupero *purgante* denique evacuatus & sibi quodammodo melior habere visus, *alvum* accepit *constipatam*. Quum talis evadere soleat post *purgationes*, rem primis diebus nihili

æsti-

XIX.

æstimarunt sui. Stipticitate vero justo diutius durante, juvenique ob tensionem abdominis molesta, varia cœperunt adhibere remediola sic dicta domestica, sed sine fructu. Heri, applicato retentoque *clystere* itidem domestico, admotum quoque *suppositorium melleum*. Circa vesperam clyster cum stercoribus, ipsoque suppositorio, per *vomitum* redditus, terrorem domesticis magnum incussit. *Torminibus* quoque miserum valide simul cruciantibus ad me hodie itum. Præscripsi *potiunculam* OSWALDI 3. vicibus, si omnibus opus, hauriendam. *Clysma* statim injicere jussi:

Rec. *Troch. alhand.* ʒß. *bulliat in ol. lin.* ℥vj.
applicetur.

Calida fiat, ac frequens abdominis inunctio:

Rec. *Vngu. de hyosc.* ℥j. ♁ *diaphor.* ʒj. *M.*
ol. nucist. exp. ʒß. *philosoph.* ʒj. *M.*

Dejecit ab hoc clysmate, & mitius postea habere sibi videbatur. Stomacho postea roborando & impediundis vomitibus dicata *mixtura* cochleatim sorbenda:

Rec. *Aq. menth.* ℥iiij. *mastichin. cinnam. cydon. an.* ℥j.
conf. de hyac. inc. ʒj. *ol. menth. gtt. iij.*
sir. menth. ℥ß.

Scrobiculo cordis *emplastrum antemeticum.*

Quemadmodum clysteres (quamvis & tunc *motu intestinorum peristaltico* inverso) per vomitum rejici adeo forte rarum non est, ita sane rarius idem fieri cum *suppositoriis*. Exemplum tamen parallelum interea temporis mihi narravit *Practicus* illustris Dn. D. HUEBERUS, *Physicus* LANDSHUTENSIS, Patronus noster; patrem nempe suum, olim quoque *celebrem* MEDICUM, ejusmodi glandem in iliaca passione per *vomitum* rejectam, observasse. Uti liquoribus quaquaversum liberior semper transitus conceditur, ita solidum corpus, quale est *glans mellea*, *valvulam coli* subingredi, locum inter plane insolita meretur. CAMERARIUS *disp. poster. de tenesm. hab.* TUBING. An. 1693. *cap. 11. p. 34. 35.* ex GUAINERIO refert casum de *suppositorio* ex *opio* confecto, ad superiora progresso & tandem *cum filo appenso per vomitum rejecto.* Impossibilitatem prætendentibus os obturant SENNERTUS, BORELLUS. Vid. DIEMERBROEK *anat. lib. I. cap.* 7. Et, quis huic nostræ observationi contradicet? Et, quamvis OVERKAMP in *œconom. animal. c. 3. quæst. 11.* in *clysmata* more suo acriter invehatur, ob valvulam coli ea in intestina tenuia adscendere non posse clamitans; magis tamen est audiendus STISSERUS *Act. laborat. chim spec. I. cap. 7.* Qui omnino legi meretur.

XIX. Funestum quidem clysmatis in colica injecti & per vomitum rejecti exemplum recenset GNÔFFELIUS *Dec. I. Ann. III. obs. 209. Eph. Cur.* Sed felicior eventus apud ægrotum meum speratur. (d. 20. *Oct.*)

Toparii *Nutrix.* §. Hodie me convenit nutrix *filioli* Topariani, lætabunda se *lactis proventum* recuperasse narravit, rogans, ut pro se diutius in hac functione retinenda intercederem. *Lactis* tantillum emulsum a me plane aquosum repertum. Intercessionem recusavi. In rem talem consulere res omnino est ardua, & si usquam, certe hic, in *Medico* prudentia requiritur. Alumnulum uno, quoad lactatur, lacte nutriri, cæteris paribus, esse tutissimum, æquo cuilibet rerum æstimatori non esse potest ignotum. Immo, plus dico, etiamsi lac nutrici primæ sit ignobilius lacte secundæ, primam tamen, cæteris rursum paribus, esse secundæ præferendam nullus dubito. Illi enim lacti pusillus adsuevit. Nam & huc plane quadrare existimo HIPPOCR. *Aphor. 50. sec. II.* Recusandi tamen apud me rationes prævalebant. 1. Quod lac ipsum esset valde aquosum ac tenue, mulieris alterius crassius ac pinguidulum. 2. Quod prima nutrix ubertatem lactis ob lucri cupidinem simulare posset in alumni fraudem. 3. Quod parrentes mulierem aversarentur, & omne, quod longo post tempore morbidi puellum invasisset, illi nutrici acceptum latum fuisset. (infra.)

Occamus. §. Occamus quoad *vomitionem* hodie melius habet, quamvis prostrato appetitu. Pergere jussi cum *electuario*, & cum primo haustu vini in quolibet pastu assumere gutt. 50. *elixiris*:

Rec. *Elix. balsam.* ʒiij. *ess. cort. peruv.* ʒiß. *M.*

Vanelli *uxor. Arthritis.* §. *Uxor* Vanelli noctem transegit satis tolerabilem, hinc *pilulas* hesternas instante nocte repetere consultum duxi, ordinato insuper *linimento*, quorum, prævia pannis fumigatis frictione dolentes articuli frequenter & calide ungantur:

Rec. *Ungu. nervin.* ℥j. *ol. philos.* ʒij.
~. lumbric. formic. an. ʒiij.
CC. tart. an. ʒj. *M.*

Per frictiones pori cutanei melius adaperiuntur, insigni commodo facilioris penetrationis *linimentorum* tunc immediate sequentium, quorum tunc promtior est semper effectus. (d. 23. *Oct.*)

Namaplusius & *uxor* Bohemi. §. *Venam secare* decreverant hodie Namaplusius & *uxor* Bohemi, distulerunt ob diem pluviosum. Quæritur, an recte? Dies sanguinis missioni destinatus sit serenus minimeque turbidus, ait HOFFM. *Meth. med. Lib. I. cap. 13. p. 232.* Dantur hinc *Medici*, qui nec *Lunæ mutationes*,

nes, nec alias quaslibet constellationes considerant, sed suos clientes diem solummodo serenum expectare jubent. Dico: si in casu necessitatis quolibet anni dieive tempore venam secare licet immo oportet, cur non extra hunc casum, intentione præservatoria? Diebus serenis sanguinem relictum in venis agiliorem fieri (es gebe frischers Geblüthe) sine omni valida ratione adstruitur. Et, quis hoc anni tempore serenitatem aëris sibi polliceatur? Certe, qui *venæsectionem præservatoriam* hucusque distulit, ab ulteriori dilatione quid lucri sit facturus, nullatenus perspicio? Unius rei non unus est finis. Qui venam secant, ut foras deambulent, & cuticulam curent, illorum interest eligere diem serenum. Quibus major est valetudinis cura, perinde habent, utrum id faciant cœlo sudo, an pluvioso. Nos olim commendavimus *æquinoctia* tractatulo vom *Præservir*-Aderlassen supra alicubi citato. Sed illa tempora ob aëris plerumque inclementiam multis non multum arrident. Plurimis *venæsectio* felicius esset profecto cessura, si ob aëris inclementiam dictam intra domesticos lares coërcerentur. Quid magis est ridiculum, quam pro conservanda sanitate profundere sanguinem horis antemeridianis, pomeridie vero in pagos exspatiari, ventrem ultra modum saginare, tuburcinari, vino ad crapulam, immo vomitum, impleri, id est, suæ valitudini per hanc asotiam detrimentum majus, quam per *phlebotomiam* emolumentum inferre? XIX.

Obiter solvenda quæstio: *Num* VENÆSECTIONI *superindormire liceat?* Multis videtur esse res plena periculi, hinc dormiturientibus remis velisque contraniruntur. Si quid inde periculi metuendum, non est aliud ullum, quam venæ vulneratæ relaxatio & hinc excitanda *hæmorrhagia*. Rarum non est, vulnusculum etiam aliquot post *venæsectionem* horis hiare, sanguinemque denuo profundi; quod, si dormientibus, utplurimum solitariis, acciderit, magnæ sanguinis copia dispendinm ante facere possunt, quam vel ipse dormiens, vel absentes alii observent. Igitur, donec vulnusculum caluit, vigilare tutius. Alioqui nihil est, quod somnum prohibeat.

§. Nova Toparii *nutrix* aridam habet mamillam alteram, una tantum earum *lac* generante. Num tuto credi possit ipsi puellus, interrogabar? In *lacte* nullum vitium: Et una ista mamilla, quod satis esset, largiebatur. Præferendum esse dixi unius mamillæ lac laudabile, duarum, immo trium, sicubi darentur, mamillarum vitioso lacti. Una mamilla id solum habet incommodi, ut, si forte qua labe afficiatur, altera exsucca vicem hujus obire non possit. BARTHOLINUS enim propterea geminas esse dicit, *ut una læsa altera officium faciat. Anat. nov. lib. V. cap. I. p. 325.* Toparii *nutrix.*

XIX. *p.325.* Alioqui natura defectum lactis in ubere vacuo pensare utplurimum solet in pleno. Nonne videmus unam mulierem haut raro gemellis, immo trigeminis alimoniam sufficientem præbere? *Monorchides* frequenter sunt æque immo magis proliferi, quam ipsimet *triorchides.* Tribus verbis: Præstat matrem, etiam una mamilla turgentem, alere suam prolem quam conducere nutricem etiam trimammatam, quali tamen, si opus habet, quærat sibi potius duplici penu instructam, lacte tamen supposito laudabili.

Mulieris *trimammiæ* meminit *obs. 93. vol. III. Act. Med.* HAFFN. quæ in sinistro pectoris latere mammam sub mamma, quamvis inferiorem superiore quadamtenus minorem, nihilo tamen minus omnes tres papillis suis præditas & lactiferas ostendebat. Parallelam observationem ex WALEO refert BARTHOLIN. *loc. cit.* quin & ex CABROLIO & JOH. FABRO binas mulieres, utrinque binis, id est, unamquamque quatuor mammis ornatos. *vid. Ann. II. Dec. I. Eph. Cur. annot. ad obs. 72. p. 396.* BORELL. *Cent. I. obs. 49.* BLANCARD. *Part. II. Collect. Phys. Med obs. 49.* Et de *2 papillis* in una mamma, lac utrisque sugenti præbentibus dictæ *obs. 72. Ann. II. Dec. I. Eph. Cur. scholium.* (d. 20. *Oct.*)

Terebus. *Acidulæ.* §. Cum Terebo de vi tute medicamentorum *antacida* orta confabulatione, fontes *aciduli* quoque in scenam producti. Si *acidulæ* sunt, inquiebam, acidorum in corpore humorum domitores, ergo in his *alcali* prædominari necesse est, cur igitur vocantur *acidulæ*? Annuebat Terebus, & præcipue virtutem *antacidam* aquarum *Tœngensteinensium* præ quibusvis aliis *acidulis* prædicabat. Fontem istum non vidi, neque aquam sub examen vocavi: Id vero plane certum est, vim ejus, usque dum huc in urceis etiam munitissimis deportatur nimium, quantum infringi, sic ut acidulas nostri Ducatus ad fontem longe meliores esse, quam illas nobis advectas, nil omnino dubitem, quid quid alii contradicant. Eram aliquando in loco, ubi aquæ Tœngensteinenses vini cyatho semipleno velocitate magna affusæ lactescere dicebantur, & saporis inde miram oriri suavitatem, nec tale quid alias quaslibet acidulas præstare posse, magna fiducia asserebatur. Me præsente fiebat experimentum. Omnes adstantes lactescentiam illam & saporis suavitatem mirabantur. Ego, ne vel parum prudens vel oculatus viderer, idem *par Compagnie* asserebam, sed, ut verum fatear, nihil eximii vel in ista imaginativa lactescentia, vel saporis suavitate deprehendebam, quod non cum quavis aqua *acidula* vino velociter affusa me præstare posse confiderem, sive sim verus, seu falsus, vel sensu stupens. Id solum addo: Me comperisse mulierem *aquas* TÖNGENSTEIN-

ENSES

ENSES methodice, impari plane cum successu, quam antea, GŒPPINGENSES potarat, bibentem. Utrum *fallaciam caussæ* committam, hæreo. XIX.

§. Artamus de *torminibus post pastum* querebatur. Est *picrocholus.* Ructus edit nidorosos. Cum primo haustulo vini sumat in quolibet pastu *elixiris balsamici* gtt. xxxx. Post pastum vero *intritam* ex simila tosta cum vino albo & 4. cusp. cultri de *tragemate* tali: Artamus. *Tormina post pastum.*

Rec. *Trag. arom. offic.* ℥ij.
elaosacch. e 4. ol. carmin. ℥j.
pulv. cach. QU. *inc. magnes. alb. an.* ℥ß. *M.*

XX.

XX.

MErcurius in tertia linea quinti gradus matutinis horis repertus, vesperi ad ejus medium recessit. Liquor *thermometri* in tertio gradu per totam diem perstitit. Nox erat valde frigida, dies itidem, quamvis remissius & maximam partem nubibus obscurata.

§. Halon ex me quærebat: quid mihi vellem cum symbolo meo. *Aut pius, aut Medicaster?* Nil, inquam, aliud, quam, quod Exc RIEDLINUS, *Amicus meus, in Manud. ad stud. Med. p. m. 10.* de hoc symbolo sentit: *me scil. innuere, sine pietate* MEDICINAM *exerceri rite minime posse, hincque* MEDICASTRI *nomen omnino mereri, qui piis annumerari non possit.* Mentem sane meam acu tetigit. Quod pluribus declaravi in propediem edendis *Jatromnematibus*, sub titulo: *Medica praxis divinum Charisma. Medicastri* quippe mihi reputantur *Medici* quantumvis eruditissimi, quantumvis etiam celeberrimi, nisi veræ simul pietati studeant. Dantur hodie Medici hinc inde, qui ut videantur esse *du bel air*, *& galants hommes*, non solum sibi sedulo cavent, ne piis quibusdam discursibus, instar soricum, se prodant, personam in obscœna mundi scena gnaviter agunt, id est, scurras ac moriones induunt. Valeant isti, cum omni gratiarum aucupio! Annon HIPPOCRATES *gentilis* aliquando in Judicio surget cum generatione hac & condemnabit eam? *Matth. XII.* 42. cujus dummodo jusjurandum legerint, quam procul ab illius pietate absint, videbunt isti scurræ, Christianorumque *Medicorum* scybala. Egregie vir ille summus *Lib. de Medic.* præter alia, MEDICUS, ait, *bonis ac honestis sit moribus, unaque gravitatem cum humanitate conjunctam habeat. Temeraria namque proclivitas & promptitudo, quamvis valde sit utilis, despectui est, &c.* Quo fulmine se percuti sentiant illi, qui ob sacrum denarium sua persona ad histrioniam abuti patiuntur. Adhuc unum divini SENIS locum Halon.

alle-

XX. allegare placet. *lib. de decent. ornat.* *Scientia de* DIIS *vel maxime animo ipsius (Medici) implexa est. Etenim in aliis affectionibus & in symptomatis accidentibus*, MEDICINA *erga* DEOS *valde reverenter se habere comperitur.* MEDICI *vero* DEIS *concedunt.* Erubescite & resipiscite parasitastri aulici! Symbolum tamen meum *Fanaticos* quosdam *medicastros* adegit, ut in *hagiomaniam* suam me pertrahere sint ausi, a qua me longe alienissimum esse, semperque fuisse documentis haut obscuris declaravi. Medicum me profiteor non pietistam, sed pium, librorum Evangelicæ Religionis symbolicorum assertorem, quoad vitam DEUS concesserit, strenuissimum. Et hæc de symbolo: *Aut pius, aut Medicaster!*

§. Quemadmodum jam ante triginta annos *sciagraphiam Postillæ Medicæ* conscripsi, e quolibet *Evangelio*, quæ *Medicis* usibus accommodari valerent, ostensurus; ita hodiernum de REGULO CAPERNAITICO *Evangelium, Joh.* IV. in animum mihi revocavit morem nostrorum hominum. Sicut enim iste *Regulus* filium suum non posse sanari persuasus fuit, nisi CHRISTUS *Archiater*, ad ipsum descenderet: Ita in hac nostra urbe raro videas ægros schedulis a *Medico* domi scriptis esse contentos, quin a *Medico* semet adiri malint. Non improbamus, bene scientes, *Medicum* præsentem in ictu quasi oculi plus depræhendere posse, quam absenti consulentes intra horam nunciare valeant. Hoc solum frequenter mirati sumus vagari consulentes extra urbem ad farinæ multiplicis *chamæpracticos*, & ne quidem desiderare, ut ipsi ægrotum videant, sed remedia tantum postulare, adeoque plus fidere *Medicastro* absenti, quam *Medico* præsenti, idque fieri non tantum a plebe, sed etiam a primatibus. Fiat autem! *Stulti tamen sunt, qui taliter faciunt.*

Thrasonis *minister.* *Iliaco passio.*


§. Thrasonis *minister* præterita nocte ter alvum deposuit, semel *vomuit.* Rejecta per vomitionem sola *blenna*, stercorei nihil. Neque ructus homerdã olebant. Ut alvum apertam servarem, ordinavi *mixturam* hac die cochleatim sumendam, alternis cum heri præscripta *mixtura* vicibus:

Rec. *Sperm. cet. rec.* ℥j. *diaph.* ♃ *al.* ʒß.
⊖. *CC. vol.* ♋. *nat. ppt. an.* ℈j.
mann. CALABR. *pur. ol. amygd. d. rec. expr.*
sir. papav. err. an. ℥ß *conf. alk. c.* ʒß. *M.*

Motus quidam leniter convulsivi metum verarum *convulsionum* incutiebant. Repetatur *clyster* hesternus. Lintea *oleo lini* calido imbuta ventri applicentur, non intermisso *unguento.* A *clysmate* ter dejecit, quadantenus melior, quam heri.

Observavi heri pulsum in ægri carpo, quem neque caprizantem, neque

neque myurum, neque ſerratum, neque reciprocum &c. vocare poſſum, nec ejus typum in *Methodo Biomantico* HAFFENREFERIANO, ſignaculis muſicis delineatum inveni. *Coturnizantem* ego vocavi, & talis fuit: XX.



Talis accuratiſſime menſuram *coturnicalis* cantici exprimit; & nomen ſignificantius mihi non occurrit. In eadem & hodie menſura perſiſtit. Si quid notabile ſequetur, ſuo loco memorabitur. (d. 21. *Oct.*)

§. Cum *unimammia* Toparii *nutrice* negotium feliciter ſuccedit, nec puſillus habet, quod vel de paupere penu, vel alimoniæ vitio queratur. Prior igitur, ſoluto pretio, ad ſuos lareis relegata (d. 24. *Oct.*) Toparii *nutrix*.

§. Occamus heri *febrilem* inſultum paſſus non eſt. Pergat cum ſuis medicamentis. (d. 21. *Oct.*) Occam⁹.

§. Hierocomus (d. 7. *Oct.*) ſemper adhuc cachecticam ſaburram in pelle ſua geſtare videtur. Laſſitudo eſt in artubus, color faciei pallidus, reſpiratio difficilis, inappetentia, pedum *œdematoſus* tumor. Mane & noctu ſumantur *elixiris balſamici* gtt. 50. ex jure, & in quolibet paſtu *vini abſinthitis compoſ.* non ſemel deſcripti cyathus unus, medicamenta ſcil. jam olim ab ipſo non ſine emolumento uſurpata. *Podagricus* eſt hic vir; at vero *podagra* cum *cachexia* male convenire, ſeduli obſervatores *Practici* norunt. (d. 2. *Nov.*) Hierocomus. *Cachexia.*

§. Æxuri *uxori* (d. 10. *Oct.*) ventrem ſubſidere, ſeque ad mingendum frequentet invitari, quin circa os ſacrum dolere ſentit; ſigna *clauſtrorum hyſtericorum* in rupturæ procinctu exiſtentium. Sie hebet an zu krachen. Petuntur medicamenta quædam pro futuris uſibus, ſi forte doloribus tempore nocturno obrueretur, quæ hos nimium languidos excitare valerent. Ordinata cochleatim ſumenda *mixtura*: Æxuri *uxor.*

Rec. *Aq. lil. alb.* ℥iiij. *cinnam. hugl.* ℥j.
conſ. alk. inc. ʒj. *ſyr. artemiſ. r.* ʒij. *M.*

Detur primo ſolitaria, ſin res ex voto non concedat, addantur cuilibet cochleari guttulæ xxv. *tinctura* talis:

Rec. *Tinct. ſuccin.* ʒj. *croc.* ʒß. *M.* (d. 22. *Oct.*)

XXI.

XXI.

MErcurius mane paullo supra primam lineam quinti gradus constitutus, vesperi fere ad usq; quartam lineam descendit. Liquor *thermometri* parumper infra quartum gradum per totam diem quievit. Nox clara fuit & frigida; dies pluviosa & humido-frigida, naß-kalt. Circa meridiem deturbatæ grandines pisiformes, semel etiam auditum tonitru.

Occam⁹. *Febr. interm.* §. Dies quoque hesterna Occamo ἀπύρετος exstitit, redeunte simul appetitu. Quod signum, quamvis sit bonum, ab *electuario* tamen desistere, quod cupiebat, tutum non esse pronunciavi; morbum enim posse *quartanæ* typum adsciscere, promtissimasque esse *febrium intermittentium* recidivas, nisi fomes omnis sit cum pulvisculo, quod ajunt, sublatus. Hinc etiam paroxysmis quantumlibet emanentibus semper adhuc cum *antifebrilibus* pergere aliquandiu tutissima est ad constantem curam via. (d.22.*Oct.*)

Regenotti *uxor.* §. Regenotti *uxor* (d.12.*Oct.*) cum *infantula* sua basilice valet. (d.7.*Dec.*)

Thrasonis *minister. Iliaca passio.* §. Thrasonis *minister* noctem non plane insomnem transegit. Nulli equidem redeunt *vomitus*, quum tamen sponte nondum succedat alvus, pacem mihi nondum polliceor, sed morbum solas inducias pepigisse metuo. *Clyster* denuo applicatus alvum non nisi semel movit. Nocte præterita e nare sinistra sanguinis profluxus sat vehemens. Adsunt *convulsionum* metuendarum non levia signa, tendinum subsultus, terrores, oculorum torvitas. Mane & noctu dentur gtt. xxv. *liq. CC. succin.* ex quolibet vehiculo, ter autem in die de tali *electuario* quantitas castaneæ:

Rec. *Cass. rec. extr. pulp. passul. an.* ℥j.
pulv. rad. mechoac. alb. Crem. Tart. an. ʒj.
sir. papav. a. ℥ß. *M.* (d.22.*Oct.*)

Lustis *uxor. Quartana interm.* §. Cum hodie Lustem alius *Medici* nomine visitatum ivissem, ipsius *uxor* mihi recensuit: se *febri quartana* quam diutissime afflictam, variaque sibi a *Medico* suo ordinario præscripta sine fructu fuisse. Pertæsam diuturnæ vexationis denique sibimetipsi aliquid applicasse, remotum in profluentem abjecisse, *febrim* inde constanter emansisse. Quæsita, quid *pentaculi* fuisset? manifestare noluit, *ne scil. intempestive arcanum effutiendo recidivam pati cogeretur.* Mira superstitio, sed & mira illius versutia, quæ mulierem hanc arcanum docuit; non enim tutiore artificio eam ab arcani revelatione arcere potuit, nisi sub recidivæ comminatione, & sic arcanum semper mansit arcanum.

§. Mache-

XXI.

§. Machetes (d.14.*Oct.*) semper caussarius, de perpetua *faucium* & linguæ *ariditate* conqueritur, aperto semper ore dormire adsuetus. *Pomum citri decorticatum & in rotulas concisum saccharoque consperſum*, ut pro humectanda lingua frequenter assumeret, sibi ab amico suasum narrabat. Novi nil, inquam, portulisti. Fac rei periculum. Id tamen te scire velim, hoc remedii genus parum profuturum, nisi labiis pressis indormias. Ariditas faucium non semper testis caloris interni præternalis, sed aêris per labita hiantia, somni cumprimis tempore, ubi respiratio magis valida, intromissi effectus. Hinc, ubi de talismodi siccitate queruntur ægroti, semper sciscitandum, an ore aperto dormiant, vel naribus obstructi sint. Perpetuis enim potulentorum ingurgitationibus hisce vitiis medela non affertur, immo ventriculi tonus laxatur. Obstructio narium *errhinis* tollenda. Qui labris hiantibus ex consuetudine dormiunt, desuescant. *Asthmatici* spiritum per os apertum trahere coguntur, quo in casu medicandum *asthmati*, & sic sublata caussa tolletur effectus. (d.24.*Nov.*)

Machetes. *Ariditas faucium.*

§. Oenophylax (d.27.*Sept.*) se a *clavo hysterico* per tunc ordinata statim liberatam fuisse prædicabat, nunc vero ejusdem se doloris prænuncios sentire, petere igitur, ut *elaosacharum errhinum* illo tempore tam sensibili cum juvamine usurpatum, denuo præscriberem. Præscripsi.

Oenophylax. *Clavis hystericus.*

Errhina in *clavo hysterico* valde proficua; hinc *succus betæ* naribus attractus cum ab aliis, tum ipso quoque BAGLIVIO laudatur: & BLANCARDUS *Collect. Cent. VI. p.229.* turundam cultello formare præcipit e *radice betæ recenti*, inque nareis tam diu titillando intrudi, donec sanguis proliciatur. Pertinet huc *Aph.* HIPPOCR. *10. sect. VI. Capite dolenti, ac vehementer laboranti, pus aut aqua aut sanguis per nareis, vel os, vel aures effluens, morbum tollit.* Natura igitur interdum *errhinis*, & tunc præcipue, juvanda, quum tensio quædam aut gravitas circa nasi radicem dolentibus percipitur.

XXII.

XXII.

UTraque vasa mane in hesterno vespertino statu. Hac autem vespera sicut Mercurius paullo elatior, ita *thermometri* liquor paullo humilior. Nox erat maximam partem pluviosa, sicuti & tota fere dies. Noctem futuram frigidiorem præteritis auguramur.

XXII

Regenotti *nutricis filiola.* *Alvi constipatio.* §. *Nutricis* Regenottianæ *filiola* 9. mensium, quam, ut alibi lactare posset, ablactare cogebatur, *alvi constipatione* pertinaci laborans, experitur symptomata talismodi constipationem comitantia.

Rec. *Ol. amygd. d. sir. ros. solut. an.* ℥ij. *M.*

Hujus prius conquassatæ *mixturæ* detur immediate, ante exhibitionem pulticulæ, cochlear unum. Umbilicus autem ter ad minimum in die ungatur calide *pinguedine suilla*, cui *muscerda* remixta.

Æxuri *uxor.* *Partus.* §. Tandem aliquando Lucina fores *uxoris* Æxuri (d. 20. *Oct.*) pulsavit. Effluxerunt aquæ. Fœtus est bene constitutus. Dolores autem non equidem rari, sed nimium breves. Muliercula tenella & juncea, *quæ vix tentavit plantam pedis sui statuere super terram præ delitiis & præ mollitie, Deut. XXVIII. 56.* Spiritus longos ad promovendos dolores ducere, quin & de nuper ordinatis quidquam assumere nolebat, donec viribus per aliquot horarum frustraneum defluxum propemodum exhausta etiam volens non posset. Inter sacrum igitur & saxum constituta, minis adstantium territa, precibus flexa, in assumtionem nuperæ *mixturæ* consensit, statim doloribus excitatis & fortioribus & durabilioribus. Viribus alia tali *mixtura*, cochleatim itidem præbenda prospectum.

Rec. *Sir. papav. err. rub. id. acetos. citr.*
aq. cinnam. bugl. an. ℥j. *M.*

Prorepsit denique vesperi hora tertia elegans puella, aber die Ochsen stunden am Berge. Enixo jam partu, quum noctem præteritam insomnem traduxisset, viriumque vim magnam inter diurnos labores prodegisset, fessa & lassa somnum capere gestiebat. Quæsitum, an puerperæ tam recenti, lochiis tam copiose, immo vel nimium, profluentibus, somnus sit concedendus? Negavi Somnus enim in tam immodico lochiorum fluxu primis a partu horis propterea minus tutus, quia nemine advertente sanguis tunc arteriosus fortasse profluxurus *hæmorrhagiam* ante periculosam excitare potesset, quam quisquam adstantium observet.

An minis & jurgiis, immo verberibus impetendæ sint parturientes, quoties officio suo deesse putantur? Magna hic est opus prudentia, nec Medicum, uti semper, ita & hic præcipitanter agere decet. Explorandus est pulsus, observanda respiratio, situs infantis, & forte plura, cum hæc scribo, non occurrentia. Non enim a misera muliere impossibilia exigenda. Sunt interdum moræ impatientes obstetrices, quæ ut eo citius absolvantur, parturientes quasi vectibus ad enitendum impellunt, viribusq; tunc equidẽ, quum necessitas ultima eos quam maxime integras exposcunt,

spo-

spoliant. Quarum importunis coactionibus, si præsens Medicus pollicem pressent, & parturiens succumbat, quantillum hoc distat a latrocinio? (d.23.*Oct.*) XXII.

§. Apud Occamum *febris* & hodie emansit. Emansuram perpetuo licet speremus, majoris tamen securitatis caussa *electuarii* ulterior assumtio inculcata. (d.26.*Oct.*) Occam⁹. *Febris.*

§. Quamvis apud *Ministrum* Thrasonis alvus sit clausissima, ructus denuo edantur stercorei, talesque vomitus haut immeritò rursum timeantur, attamen *hæmorrhagia narium* indomita, rursum orta, ut compesceretur, nunc urgens & primum erat. Detractæ sanguinis e mediana sinistri ℥iiij. *sperniola* CROLLII ad ℈j. præbita. *Cataplasma* ex *farina boli* & *rubrica fabrili cum* ✝ & *album ov.* factum, radici nasi frigide applicatum fuit. Substitit sanguis. Nisi substitisset, repetenda erat intra horam *sperniola* & *imperialis thalerus* aquæ frigidissimæ aliquamdiu impositus eidem cum *cataplasmate* loco affigendus. Interim repetatur clyster & pergatur cum reliquis. Hic adolescens vitæ periculum nondum effugit. (d 23 *Oct.*) Thrasonis *minister.* *Hæmorrhagia narium.*

§. Campyloxyli *uxor* per aliquot jam dies affligitur *dyspnœa* vix tolerabili. Nec tussis adest, nec rhonchi, nec exscreatio. Et, cum dyspnœa sit continua, nec *asthma* vocare poteram *convulsivum*. *Plethora* malum de ferens, *venam* pertundere *j*ussi. Liber hinc illico spiritus. Serum erat in sanguine, cætera laudabili, multum. Campyloxyli *uxor.* *Dyspnœa.*

§. Varioli *uxor* (d.26.*Jul*) *pressionem* circa *præcordia* sentit, emanentibus simul *menstruis*. Annos habet 46. Nec *phlogoses* adsunt, nec *palpitatio*, corpus magis friget, quam calet, pulsus est languidus. Non concessi, circumstantiasque rei ulterius ponderaturus, medelam aliquantisper distuli. *Menses*, nî fallor, ob ætatem ultimum vale dicturi sunt. Varioli *uxor.* *Pressio circa præcordia.*

§. Epibuli *uxor*, 40. circ. annorum, aliquot liberorum mater, macilenta, cholerica, *hystericis* insultibus obnoxia, iracunda, post *venæsectionem* nuper celebratam corripitur dolore *rheumatico* in nucha & humeris, cum punctione alterius lateris. Data *mixtura* cochleatim: Epibuli *uxor.* *Rheumatismus.*

Rec. *Aq. card.* MAR. ℥iiij. *hirund. c. castor.* ℥j.
℞. *castor.* ~⊖✱. *anis. an.* ℈j.
ess. anod. ℈ß.
♁. *nat. ppt. C. alc. philos. an.* ℈j.
sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Lateris inunctio calida fiat cum *unguento de hyosc.* Vitato vino detur potui *arthydrum*. Noctu ante somnum deglutiantur *pilulæ*:

XXII. Rec. *Extr. bez.* CAM. *papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. M. F. 8. pil. pro 1. dosi.

Cervicis & humeri inunctio *linimento*:

Rec. *Ol. lumbric.* ♀. *camph. an.* ʒvj.
ess. anod. succin. an. ʒß. *M.* (d. 28. *Oct.*)

Thirhakius. *Metus catarrhi suffocativi.* §. Thirhakius, quadragenarius, a juventute in cellis vinariis multum versatus, nec ibi sitim tolerare doctus, jamdiu variis defluxionibus vexatur, *asthmate, tussi, coryza, cephalalgia, aurium tinnitu capitis gravitate, inappetentia &c.* Quæ symptomata non æque collective, nec semper adsunt, sed pro anni temporum & cœli vicissitudinibus, nunc non, nunc levius, nunc acrius eum adoriuntur. Nonnunquam & *pleuritides* passus est, & *febres continuas catarrhales.* Caussæ multum adscribit functioni suæ, quum in cellis crebro diuque detentus autumnali tempore vinis medicatis apparandis, variisque acetis præparandis destinatur, ut nihil de potu inordinato dicam, quum occasio fures faciat. Pallet fere semper. Facies est subtumida. Jam diu est, quod fonticulum alteri brachio inuri fecerim, sine quo fortasse non amplius superesset. Post *capitis* aliquot dierum *dolorem* & gravitatem, *tussim* ac *dyspnœam* heri leve deliquium est passus, cum torpore virium & artuum, tremore manuum, tensione cervicis & *vertigine.* *Tussis* est propemodum *ferina.* Vesperi vocatus, cum nec pulsus esset magnus, nec sitis intensa, dedi *mixturam* cochleatim sumendam:

Rec. *Aq. lavend. ceras. n. an.* ℥iiß. *epil. L.* ℥j.
liq. CC. succin. ʒj. *specif. cephal.* ʒß.
sir. fl. pœon. ℥ß *M. D. cochl.*

Noctu ad *tussim* quadamtenus leniendam, quæ concussu capitis per se dolentis indesinenti *apoplexiam* excitatura videbatur, concessi quatuor *pilulas de cynoglossa* grani unius pondere. Cervicem cum spina dorsi calide inungere præcepi:

Rec. *Ungu. nervin.* ʒvj. *ol. castor.* ʒij. *M.*

Cum *venæsectioni* sit assuetus, eamque hoc auctumno nondum celebravit, in crastinum, licet directe non indicatam, distuli.

An hic morbus non etiam ad *morbos artificum,* de quibus RAMAZZINUS noster, pertineat, quæritur? (d. 23. *Oct.*)

XXIII.

XXIII.

MErcurius mane paullo supra primam lineam quarti gradus constitutus, vesperi dicti gradus medium non plane attigit. Liquor *thermometri* paullo subter tertium gradum mane inventus, vesperi ad illius gradus

dus medium reſedit. Nox fuit *hygropſychra* (naß-kalt.) Per totam diem pluvia cum frigore moleſto. Noctem auguror frididam. Viæ ob continuas pluvias erant lutulentiſſimæ; ſationi, arationi & viniculturæ tempus valde incommodum. XXIII.

§. Æxuri *uxor* hac nocte parum quievit, fortaſſe quod heri a partu dormiſſet. *Dolor* adhuc in regionibus *humeri* & *oſſis ſacri*, quod puerperis recentioribus non inſolitum. Magnus ad hos dolores apparatus non requiritur, eosque, dummodo tolerabiles, præſtat ſufferre, quam medicamentorum propinatione lochiorum fluxum morari. Externi litus huc pertinentes transſpirationem impediunt. Si mulieres ruſticæ pro nobilibus fœminis parere poſſent, in angaria fœtus eniti cogerentur; Sie müſſen in der Frohn Kinder haben. Quod ſi vero tam delectabilis eſſet infantuli egreſſus, quam mariti ingreſſus, ipſæ mulierum ruſticarum vicem, credo, frequenter præſtituræ fuerint. Bibit *raſ. CC. cum arthydro* decoctam. *Emplaſtrum de ſperm, cet.* mamillis applicetur. Ita, quod DEUS & natura largiebantur pro infantuli alimonia, non raro per *emplaſtra* & *epithemata* fugatur. Qua cum conſcientia? (d 14. *Oct.*) Æxuri uxor. Puerperalia.

§. Ad Vanelli *uxorem arthriticam* (d. 19. *Oct.*) ipſe profectus ſum. Reperi per *arthriticos* cruciatus plane immobilem. Neque hæc erat ſola calamitas. Mareriæ fœtidæ fuſcæ perpetuus per muliebria profluxus, cum dolore lumborum & corporis totius contabeſcentia. Nil antea de hoc ſymptomate mihi vel verbis vel ſcriptis nunciatum. Inde rurſum apparet, quantum interſit *Medicum* ægrotis eſſe præſentem. Commendatum *infuſum theiforme*, cujus mane & noctu ſcutellæ quatuor ſolito more hauriantur; Vanelli uxor. Arthritis.

Rec. *Rad. ſarſapar.* ℥iß. *chin.* ʒvj. *liquir.* ℥ß.
raſ. lign. ſanct. ℥iij. *ſaſſafr. lentiſc. an.* ℥ij.
cort. lign. ſanct. ℥ß.
herb. trifo'. fibr. chamadr. an. mß.
ſem. aniſ. ʒiß, *cinnam, ac.* ʒiij. *conc. cont. D.*

Cum prima qualibet ſcutella ſumantur de *pulvere arthetico* ʒ. cuſp. cultr.

Rec. *Pulv. lumbr. 🜃ſtr. ppt. C. alc. philoſ. an.* ʒiij.
♁. *nat. ppt.* ♁. *rectif. an.* ʒj.
extr. papav. comp. ℈j. *elaoſacch. lavend.* ℥iß. *M.*

Cum ſcutella juris carnium inſulſi ſumantur ante paſtum utrumque duo cochlearia *gelatinæ ex an. raſ. CC.* & *ebor.* cum aqua font. ſimpliciſſime paratæ & liquefactæ. Cum inunctione externa pergatur.

§. Bac-

XXIII. Baccalaurea. *Chlorosis.*

§. Baccalaureæ *Chlorotica*, *mensium suppressione* laboranti d. 25. *Martii* ordinaveram infusum, cujus adeo proficuum experta fuerat usum, ut ejus quamvis purgantium virtutibus audi, iterationem d. 5. *April.* flagitaret ac obtineret. Hoc semestre *mensibus* etiam rite fluentibus contentissima transegit. Cum vero hyemale semestre sibi hosticum non semel observasset, anne liceret illius *infusi* adminiculo minas explodere, quæsivit, cum malorum suorum jamjam prodromos persentisceret? Contraindicante nullo præsente, *pulvere purgante* prævio:

Rec. *Gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈j.
dacryd. gr. v. ol. mac. gtt. j. *M.*

Primum *infusum* d. 25. *Mart.* præscriptum repetere jussi.

Laurentii *uxor.* *Suspicio lues.*

§. De Laurentii *uxore* d. 2. Jan. 12. & 14. *Febr.* multa commemorata. Tunc equidem tempo.is a malo suo curata per totam æstatem commode vixit. Appropinquante auctumno in pristina symptomata successive relabitur, quæ, ab initio contemtim habita, diritate pedetentim aucta semet ulciscebantur. Malam sinistram occupavit *ulcus cacoëthes & serpens.* Vocatus hodie consulebar propter *tussim* siccam indefinenter vexantem, propter difficillimam *deglutitionem*, propter reditum liquidorum assumtorum per nares, &c. Quis interim inquam, isti ulceri prospicit? & quo utimini *Chirurgo*? Nullo, respondebant; sed assidentem ibi colo vides mulierem peregrinam, licet pauperculam, quæ jam multa millia vulnera cacoëthea curavit solo & uno quodam *emplastro*. Pharmaceutriam istam allocutus, unde tibi hæ artes, interrogo? Respondit. sibi forte fortuna obtigisse librum a gente vagabunda, quam vocant *Cingaros*, ein Zigeuner-Buch. Increpavi ægiotam, quod salutem suam mu'ieri tam ridiculæ crederet, ac *Chirurgum* accersiri jussi, ejus enim ministerio me indigere, in quod ægertime consensit. Huic igitur malæ cura relicta, primo ordinavi *decocti pectoralis* ternos quotidie haustus calidos. Antemeridie vero hora 10. & pomer. hora 5. tres cusp. cultr. de *pulvere sequenti* ex quolibet vehiculo sumat:

Rec. *Æthiop. miner. elæosacch sassafr. an.* ℥ß. *M.*

§. Paracelsus *lib. de occult. philos.* in fine hæc habet: MEDICUS *non omnia, quæ posse ac scire debet, in Academiis discere & cognoscere potest sed opus est, ut interdum vetulas*, ZIGEUNOS, *Nigromanticos, agyrtas, seniores rusticos ac similes adeat, & ab eis discat.* vid. SENERT. *Cons. & Dissert. cap. 4. p. m. 55.* Non negaverim ab his talibus nonnunquam aliqua disci posse, sed non, qua talibus. Discipulatum subeat apud ZIGEUNOS, quisquis volet, ego illud hominum genus præ Turcis & Judæis odi, immo hor-

XXIII.

horreo. Si quid ſciunt, ea vel ſunt præſtigiatoria, vel magica, chriſtianum *Medicum* quam minime decentia. (d.25.*Oct.*)

§. Thirhakius noctem habuit mediocrem. Pulſum inveni heſterno majorem & celeriorem. Medianam ſiniſtri pertundere juſſi. Pomeridie pacatiora omnia. Pergat cum *mixtura*. [d.26.*Oct.*] Thirhakius.

§. Thraſonis *miniſter* præterita nocte bis alvum depoſuit. Remittunt *tormina*. Redit qualitercunque appetitus. *Pulſus* adhuc magnus, ſed non amplius inæqualis vel *coturnizans*. Pergat cum ſuis medicamentis. (d. 14. *Oct.*) Thraſonis *miniſter*. *Iliaca paſſio.*

§. Forte fortuna quid aliud quærenti in manus incidit *Illuſtri* BORRICHII de *Conſpectu Chemicorum illuſtrium libellus poſthumus*. Quem pervolvens, §. 66. reperi hæc verba: ANONYMUM, *Mercurii caducei* (Zweyfacher Schlangen-Stab) *auctorem orgyis myſteriorum chemicorum initiatum fuiſſe, non difficulter adducor, ut credam: ſaltem ita opportune de materia, de toto opere ſermonem inſtituit, ut in theoria probe ſubactum eſſe oporteat; de praxi ejus nihil definiero.* Riſum, iſta legens, continere non potui. Novi enim bonum iſtum *Anonymum*, cui nomen erat BREZ, Patria NORDLINGA, profeſſio *ſcriba*. Olim NORDLINGÆ præfectus erat *œconomiæ Hoſpitalis opidani*; ſed rationem villicationis reddere non potens remotus eſt. Hinc per otium libellos quosdam Chimicos legere cœpit, BASILIUM puta, BERNHARDUM COMITEM, SENDIVOGIUM & ſimiles, indeque ſe ſummam hauſiſſe ſapientiam gloriabatur, nil non magnifici moliebatur & hactenus in cerebelli ſui intermundiis arces, monaſteria, templa, ſcholasque ædificaverat. Cum 1685. NORDLINGENSEM *Phyſicatum* aggreſſus eſſem, ipſeque me *chimiam* callere a neſcio quo intellexiſſet, in meam familiaritatem ſe ſtatim inſinuare cœpit, a me diſcere cupiens, quod ipſe quidem non, melius tamen BREZIO, ſciebam, quem, licet ALCHIMIAM non profitear, cum omni tamen ſua ſcientia alchimiſtica in peram meam recondere ſuſtinuiſſem, nam ne aquam quidem roſaceam deſtillare didicerat. Is ſcil. eſt Auctor deß *Mercurii* zweyfachen Schlangen-Stabs / quod ipſe mihi faſſus eſt. Prodiit libellus ULMÆ ap. *Georg Wilhelm* KÛHNIUM ſecunda vice impreſſus Ann. 1684. in 12. Pag 1. leguntur rhythmi:

Könnt ich meinem Namen geben
einen Athem oder Leben:
Wär er gleich dem Stein Saphir/
Dieſes woll man glauben mir.

XXIII. Hos ita ipſe interpretatus eſt: Per vitam vel halitum intelligo, litteram H. quam ſi addidero reliquis mei nominis litteris, prodiret vocabulum SAP(H)IR, quod, littera h. demta, per *anagramma* dat vocabulum SPIRA, germ. eine Bretze/ quod eſt agnomen meum.

Porro ſequuntur alii rhythmi:

Meine Wohnſtatt wohl bekandt/
Wird vom Höchſten Haupt genandt:
Thät ich ihren Durchfluß nennen/
Würde ſie ein jeder kennen.

Hæc ita intelligenda. NORDLINGAM aliqui vocant NEROLINGAM a ſummo ſc. olim Imperii Romani capite, NERONE. Perluit autem hanc urbem EGRA fluvius, die Eger.

BREZIUS ille multos libellos alchimicos a me mutuo accepit, legit, ſuoque more interpretatus eſt. Operi vero manum nunquam admovit, nec uni materiæ innixus fuit. Aliquando me adibat lætabundus & offerebat bullam vitream liquore quodam lymphatico ſubfœtido ac turbidulo impletam, quam verum eſſe *menſtruum univerſale* venditabat, & ſub ſilentii plusquam eleuſiniæ ſigillo aperiebat, eſſe *ſalivam* jejunam per halitum ad vitrum ſpeculare emiſſum in liquoris conſiſtentiam redeuntem. Legerat ex HELWIGII quodam tractatulo materiæ benedictæ occultationem ſub verbis: *Vis aliena* TESSÆ, e quibus per litterarum tranſpoſitionem reſultant verba: *Eſſentia ſaliva.* Relinquebam eum ſuis moribus. Victum tunc quærebat informando pueros in arithmetica; Renovatoris denique muneri admotus eſt in dicto Hoſpitali, ante hos aliquot annos in ſumma paupertate mortuus.

Cum ante 32. annos RIGÆ in LIVONIA (cujus miſeræ nunc urbis non ſine gemitu recordor) celeberrimum *Medicum D. D. de* WITT compellarem, variosque ſereremus diſcurſus; ipſe, *mi*, inquiebat, LENTILI, *Si aliquando cupis in orbe clarus evadere, ſaltem tres vel quatuor plagulas de confectione* LAPIDIS PHILOSOPHICI *in publicum emitte, & habebis, quod deſideras.* Simpliciſſimus hic BREZIUS cum tractatulo ſuo meruit a tanto viro (cujus manes, aliquaudo HAFNIÆ in ejus ædibus humaniſſime exceptus, adhuc veneror) quem omnes docti, etiam non *Medici* ſuſpiciunt, BORRICHIUM dico, ceu *chemicus* non ex ultimis prædicari. Sic aliquando magni quoque viri ſemet ſeduci patiuntur.

XXIV. XXIV.

MErcurius mane, qualis heri vesperi. liquor *thermometri* in medio tertii gradûs. Hac vespera vasorum utrorumque matutinæ stationes. Nox pluviosa fuit & frigida, quam dies per omnia æqualis sequebatur.

§. Dioptrici *uxor* (de qua passim in hoc *Eteodromo*,& ultimo quidem d. 31. *Maj.*) post medium præteritæ noctis me vocare jussit, quam accedens fere *aphonam* inveni. *Linguæ tumor* & *maxillæ* dextræ valde elatus, verbum profari nullum, nilque deglutire poterat, æstuabat. Rogata num horrore prius correpta fuisset? se scire negabat capitis nutu. *Venam* pertundere jussi. *Mixturæ* sequentis guttæ 30. ex quolibet vehiculo sumantur: Dioptrici *uxor.* *Tumor linguæ.*

Rec. *Liq. CC. succin.* ℨj.
⊖. *vol. oleos.* ℞. *castor. an* ℨß. *M.*

Inunctio maxillarum, cervicis & colli fiebat *unguento*;

Rec. *Ungu. nervin.* ℥ß. ℞. *castor.* ℨj.
ol. castor. coct. ℨij. *petr. alb.* ℨß.
succin Ωll. ℈j. *rut.* ℈ß. *M.*

Hora hac octava matutina longe mitius habebat, rursum articulate, quamvis non sine molestia, loqui poterat, nondum vero deglutire. Suasi, ut potum stramineo culmo attrahere tentaret. Fecit cum successu, & vesperi rursum melius habuit. Ad medicamenta capienda difficilis est, hinc præter hodierna matutina nil magis præscriptum. (d. 25. *Oct.*)

§. Æxuri *uxor* dolere desinit ac vires recuperat. Sed & filiola satis est vegeta. (d. 26. *Oct.*) Æxuri *uxor.*

§ Neritio & Usiæ hodierna dies ad *phlebotomiam* celebrandam destinati erant. Interrogabant, num fas essent die tam horrida & pluviosa tale quid agere? Responsum, quod sic, ob rationes d. 19. *Oct.* allatas. NERITIUS, obtemperavit, USIAS distulit. Suo quilibet sensu per me abundet. Neritius & Usias. *Venæsectio.*

§. Clinocosmi *ancilla*, *mensibus* aliquando *suppressis* laborans a me curata, nunc ab aliquo tempore queritur de *pressione stomachi*, *inappetentia*, *vomiturititione* matutina & collectione aquæ in ore. Quid mirum, stomachum debilitari, cui tot alii stomachi incumbunt? St! Vomat & purgetur simul: Clinocosmi *ancilla.* *Cardialgia.*

Rec. *Tart. em. gr. ij. Crem. tart.* ℈j.
dacryd. gr. v. M. pro 1. dosi.

XXIV. Postea ter in die sumat castaneæ quantitatem de *electuario diacoro.*

Thrasonis *minister.* §. Thrasonis *ministro* sic satis belle habenti, nisi quod stomachi esset gravitas, *inappetentia*, alvi constipatio sine *torminibus*, urina crassa ac turbida, re probe pensitata, purgans ordinare sum ausus:

Rec. *Pulv. gial. n. resin. Crem. tart. an.* ℈j.
dacryd. gr. iij. M. pro 1. dosi.

Cum per pharmaci hujus operationem *tormina* quædam excitatum iri divinarem, inter purgandum cochleatim tunc dari volebam *mixturam*, quæ tamen *catharsin* non impediret:

Rec. *Aq. chamom. anis. an.* ℥iij.
sir. chamom. ℥ß. *M.* (d. 26. *Oct.*)

Oogenis *uxor.* *Metus hydropis.* §. Oogenis *uxor*, 38. circ. annorum, cum marito militiam secuta, nec ibi, more gynæceis solito vivens in *febrim tertianam* epidemicam incidit, eamque diuturnam. Qua per remedia, nî fallor, non admodum congrua, uti solet, non tam fugata, quam suppressa, cum pallore faciei, *tussicula* primum, hinc *œdematoso* pedum, porro & abdominis *tumore* correpta, *hydropis* proxime secuturi signa non admodum obscura præbuit. Ordinatum *infusum*, cujus, more nostro parati, mane & pomeridie calidus haustus assumatur:

Rec. *rad. filic. ap. an* ℥ß. *squill. ppt.* ʒvij.
fol. senn. s. s. ℥iß. *agar. crud.* ʒij.
herb. soldanell. mj. absinth. mß.
rad. gentian. ℥ß. *mechoac. a.* ʒiij.
passul. min. ℥ij. *sem. anis. Zingib. an.* ʒj.
Conc. cont. D.

Erysipelas. Appensum gestabat hæc mulier *globulum plumbeum*, quo miles trajectus fuit, quem prædicabat certissimum *erysipelati* præcavendo *amuletum.* (d. 8. *Aug.*)

Bajulus. *Tumor in humero sinistro.* §. A Gnomilego communicatæ mihi sunt litteræ CYNEGI, quarum sequens erat sententia: *Bajulus* 30. ann. temperamenti phlegmatici, cætera sanus in horreo sustinuit delapsum mergitis super humerum sinistrum, sine notabili molestia per aliquot menses rusticos labores, triturationes etiam perferens; Intenso hiemis frigore, quoties labori semet accinxit, sub primis motibus sensit levem quasi punctionem, cum horrore (einem Griesel) in loco affecto, dum labori incaluit, statim ita evanescentē, ut, medios inter labores, per totam diem nil amplius sentiret. Nocta semper sua-

ſuaviſſima quies. Succeſſive tamen *dolor*, ſed ſine *tumore*, auctus. Ex conſilio Amici, *oleo terebinthinæ* ter illito, rubor, calor, dolor intenſi, cum aridura brachii metu. *Faber* quidam *ferrarius*, it. *Carnifex*, multis externis, potiſſimum *amuletis*, pugnarunt. Unde dolor adeo auctus, ut laboribus perferendis impar evaderet. Poſt præteritam PENTECOSTEN, alius *Ruſticus*, cum bractium ſurſum verſus attolli non poſſe videret, *humerum* eſſe *luxatum* putans, repoſitionem extenſione violenta moliebatur, usque ad perceptum ab ipſomet ægro, quendam crepitum. Ægro referente tunc *dolor* ſtatim ceſſavit; (*quod vix poſſibile* CYNEGO *putatur*) ſuccedente tamen ſubitaneo totius brachii *tumore*, qui ſenſim per externa varia ſublatus fuit usque ad humerum, ubi *tumor* paullatim enormiter augebatur. *Chirurgus* quidam accitus *ſuppurationem* cataplaſmatis per aliquot ſeptimanas, fruſtra tentavit, magis enim indies *tumor* ſurrexit, jam etiam cum *dolore*, cumprimis nocturno, antea non percepto. Rurſum in *Fabrum* priorem *ferrarium* fiducia collocata, qui per aliquot rurſum ſeptimanas, miſerum varie, ſed inaniter, vexavit, ut taceam alia ſexcenta undique diu conquiſita. Inter alios *Theologus* quidam, ob præſuppoſitum maleficium *balſamum magicum* propinavit. Vocatus ego, (CYNEGUS) ad hominem cætera ſanum, *tumoris* conditionem exploro. Erat enormis, rotundus, durus, æqualis, immobilis, ex albo rubeſcens *venæ tumidæ nigricantes*, quantitas capitis adulti maximi. Durities remiſſior interdiu, intenſior noctu, *dolor* ſummus, nec ardens, nec pulſatorius, nec inflammatorius, ſed tenſivus lancinans, pungens, per intervalla remittens, thoracem verſus protenſus, aëris quaſi irrumpentis ſenſum præbens, reſpiratione tamen libera, ſine tuſſi. Tactum tolerat. Preſſura a parte antica mollitiem quaſi in profundo latentem prodit. *Tumorem* judicavi *ſcirrhoſum*, cum ſpe ſuppurationis valde dubia, metu autem majore ſobolis *cancroſæ*. Propoſita *emplaſtra* e *gummi*, impoſitis deſuper *emplaſtris* e *reſolventibus* vegetabilibus in *lixivio* ad modum OVERKAMPI decoctis. Per 14. hos dies nil profectum, immo *dolores* aucti ægrum ad deſperationem usque cruciabant, qui inciſionem inſtantiſſime & cum lacrymis flagitat. Quæritur itaque:

1. Cujus naturæ vel ſobolis ſit *tumor* iſte?
2. An ſuppuratio ſit ſperanda, & quibus mediis?
3. Dolorum levamen quomodo procurandum?
4. Quæ cauſſa prima *tumoris*?
5. An *luxatio humeri* ſit credibilis?
6. Annon violenta demum extenſione facta?

XXIV.

XXIV. Rite pensitatis omnibus circumstantiis, respondi ad quæstionem

1. *Tumorem* fuisse primo *scirrhosum*, nunc esse *cancrosum*.
2. Suppurationem non esse sperandam, quin nec optandam.
3. Dolorum vix aliud, nisi a *Saturninis*, petendum levamen.
4. Caussam mihi videri stagnationem *lymphæ* a contusione & compressione glandularum ac lymphæductuum.
5. Non esse *luxationem*, sed *subluxationem*.
6. Affirmatur.

Totus in mea sententia fuit GNOMILEGUS, ONISIMUS autem *varicem* venæ axillaris pronunciavit. Non absurde, nisi tanta venæ, quamlibet majoris, ad quantitatem capitis virilis extensio videretur, immo esset, impossibilis.

Paulo post sequentia scripsit CYNEGUS: Ante octiduum hic patiens, ob summos dolores desperabundus, binos *Chirurgas* ordinarios ad *tumoris* aperturam coëgit, minando, nî gratificarentur, semetipsum incisionem, etiam cum vitæ dispendio, facturum. Cultello in locum *tumoris* maxime mollem impacto, profluxit sanguis purus, clarus & sincerus. Chirurgi venam per incisionem divisam autumabant. Nil sanguinis congrumati, lymphæ vel puris, ægro tamen levato. Relaxata ligatura stylus immissus allydebat in tensam quasi vesiculam, quæ, die post incisionem quarto, per stylum fortius impactum rupta, sanguinem denuo sincerum, sed minore copia, fudit. Quo effuso stylus in magnam & profundam cavitatem demersus ad fundum tumoris, sensum doloris excitabat. *Tumor* quarta sui parte decrevit, neque hactenus ullum signum terrificum, sic, ut patiens ob consopitos cruciatus in convalescentiæ spem erigeretur. Nimium fere appetit. *Febrile* nihil. Decumbit quidem, sed deligationem hilariter opperitur. Vulnus deligatur *emplastris gummaticis* & *cataplasmatis lixiviosis*, *vulneri* turundæ more solito immittuntur. ONISIMI consilium de *lamina plumbea* locum hic non invenit, tum ob figuram incommodam, tum deligationem incongruam. Hactenus CYNEGUS.

Onisimus hodie dixit, rem sibi videri periculi plenam; sanguinem spatio eruptionis semel invento, nisum illuc semper retenturum, & repagulis aliquando, vel in somno, vi ruptis, ægrum purpuream animam effusurum, quod est verisimile.

Mirus profecto, immo stupendus, *varix*, si modo talis est; nam quis venæ sanguiferæ tantam extensionem vel mente concipiat. Moriturum auguror, & tunc apertura corporis, quod ibi delitescit, in apricum collocabit.

§. De

§. De Toparii *nutrice* nova (d. 20. *Oct.*) novæ querelæ. Nam & hæc *lactis defectu* laborare incuſatur. Contradicit ipſa, puellumque plus *ſugere* cauſſatur quod *aphthis* laboret. Veriſimile dicit. *Aphtharum* dolor urens calidi lactis alluvione demulcetur. Ne tamen induſtriæ noſtræ quidquam feciſſe reliquum videremur, juſſa fuit *pulverem galactopœum* priori nutrici ordinatum, cum *radice ſigilli* SALOM. potui immerſa, uſurpare. Hilfft es nicht/ so schadet es nicht. Mulier eſt *menſtruata*. *Lactantes* autem ubi *menſibus* fluunt, *lactentes* hinc alterari, quis dubitet! Orgaſmus tunc eſt in ſanguine, cujus quidam characteres *lacti*, *ſanguinis fracti*, imprimuntur. Diſcant *Medici* juniores in hanc circumſtantiam toties inquirere, quoties lactentes, ſine cauſſa manifeſta, minus vegetos eſſe animadvertunt. Si vero nutrix penu non ſufficienti inſtructa comperiatur, *decoctum ex dactylo*, *viſco querno & ſemine aniſi* intercalandum. TRULLUS contra *aphthos* commendavit *euporiſton*, *folia ſalviæ in aqua ceraſ. nigr.* macerata ab una extremitate labiorum ad alteram per oris rictum traducta (durch das Maul gezogen) & de camino ſuſpenſa. De frictione linguæ & labiorum cum *foliis ſalviæ* taliter maceratis, nullum eſt dubium. An ſuſpenſio de camino ſit neceſſaria, jam quidem diſquirere non vacat? *Medicus* autem junior talia non facile proponat, eo minus, quod *aphthas* infantum tollere non ſit res artis profundæ.

XXIV. Toparii nutrix. *Lactatio.*

XXV.

XXV.

MAne hydrargyrus paulo ſupra quartum gradum repertus, veſperi ad ipſum quartum ſe demiſit. Liquor *thermometri* in medio tertii gradus per totam diem remanſit. Nox & dies perpetua pluvia maduerunt, frigore horridulo exiſtente. War nicht sehr kalt / sondern schaudericht.

§. De Epargyrio *paretico* ultima mentio facta d. 3. *Jun.* Hactenus, quod ipſe retulit, ab omni medicamentorum internorum uſu abſtinuit, artubus ſucceſſive denuo motui ſui quadamtenus reſtitutis, quod apud *pareticos* adeo novum non eſt. Suaſi, ut vere futuro adiret *thermas* noſtras *ferinas*, &, quum ſumptus requiſiti non ſuppeterent, a *Sereniſſimo* DUCE balneum gratuitum ſupplici libello exoraret. Me teſtimonium una lineis quibusdam adjectis, in fidem majorem, perhibiturum. Factum. Ut abeat orator, redeat exorator, animitus precor, & de *Ser.* DUCIS clementia non dubito.

Epargyrius. *Pareſis.*

§. Bucapelus Gnomilego & mihi narrabat, *filiolum* ſuum decennem URACI ex *febri continua maligna* decumbere & nunc a 4. Septimanis

Bucapeli *filiolus.* *Febr. cont. mal.*

XXV. timanis plane mutum esse. Neque id soli suo filio obtigisse, sed pluribus aliis tam adultis, quam tenellis, eadem *febri epidemica* tunc simul laborantibus in opido & præfectura URACENSI, plurimos autem loquelam denique recepisse. Idem & nos cum *filiolo* futurum prædicebamus, & GNOMILEGUS, ut *vesicatorium* vertici raso affigeretur, me quoque consentiente, hortatus est. *Anaudia* fuerit, an *aphonia* incertum. Differunt enim hi affectus. *Aphonia* proprie est, ubi vox & sonus deficit; *Anaudia* ubi vox quidem adest, sed *loquela* non succedit, cujus exemplum vide *Ann.III. Dec.I Eph. Cur. obs. 60.* Hæc ultima sine dubio est ex *linguæ paralysi*; aphonia vero nonnunquam ex sola raucedine, vel vitio, forsan *obstructione, nervorum recurrentium*. *Aphonia* laborasse *febricitantes* URACENSES magis est credibile, quam *anaudia*. VALESCUS *de Tarant. Philon. pharm. lib. II. cap. 58.* dicit: *Si in* FEBRIBUS *appareat decurtatio linguæ, cum ariditate & nigredine, ita, ut æger non possit verba formare, malum.*

Nezelii *uxor.* *Hysterica.*

§. Nezelii *uxor* (d. 9. *Oct.*) post excandescentiam *deliquiis hystericis* cum vix tolerabili capitis *clavo* denuo infestatur. Cum nihil sit novi, fere parum æstimatur. Hæc mulier ad iracundiam excitatissima, citius aliquando opinione *apoplectica* decedet. Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. fl. til. puleg. an.* ℥iß.
hirund. c. castor. hyster. offic. an. ℥ß.
elix. uter. Cr. ʒj. *ess. anod.* ℈ß.
diaphor. ♃ *al. gr. xv.* ♁ *nat. ppt.* ℈ß.
sir. papav. errat. ʒij. *M.*

Emplastrum vertici tale imponatur:

Rec. *Ther.* ANDR. ʒij.
castor. opt. as. fœtid. an. ℈iß. ℈j. *M.*

Horii *filiolus.* *Deglutitio aba.*

§. Horius mihi *filiolum* suum quinquennem adduxit, narrans, ipsum heri inter prandendum non deglutire potuisse, quinimmo, rhonchos, quasi suffocandum, duxisse: Cum autem *anhelitus* iste sonorus parum remitteret, se nil amplius mali suspicatum, donec vesperi rursum difficilius & cum rhoncho spirare cœpisset, perque totam noctem continuasset. Hodie demum sibi relatum puerum heri cum fraterculis lusitasse, & *inter ridendum deglutisse fabam.* Eheu! dixi, filius tuus absque dubio est filius mortis, qui heri, etiam atque dubio, salvari potuisset. *Faba* in *arteriam asperam* illapsa, donec ejus rimulam penetravit, *astma* & difficilem *deglutitionem* excitavit, post penetrationem spatium liberius nacta

intra

XXV.

intra trachææ fiſtulam ampliorem puero non admodum fuit moleſta, donec phlegmate tumefacta deſcendit altius, & nunc anguſtiori ſpatio concluſa & aêrem non intromittit reſpirationi ſufficientem, & pulmonum liberum motum impedit. Faciam, quod poſſum, ſed ſpei parum ſupereſt. Detur potio:

Reſp. *Aq. acac. ſir. emet. an.* ℥ij.
M. pro 1. doſi.

Pituitam vomuit, non fabam. Ad lubricandas vias cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. ſir. de ſymph.* Fern. *an.* ℥ß.
~⊖✱. *aniſ.* ℈j. *M.*

Nihil effectum. Pomeridie:

Rec. *Tart. emet. gr. j. ſacch. a.* ℈ß.
M. pro 1. doſi.

Vomuit aliquoties; non prodiit *faba*. Pluribus eum, ad minimum tam parvis intervallis, laceſſere vomitibus cum crudele mihi, tum nimis tutum videbatur. Igitur *mixtura* ſupernæ per noctem inſiſtere juſſi, certus tamen, puellum mortem evadere non poſſe. Nam, quo altius faba deſcendit, eo anguſtior fit bifurcatus trachææ ramus. Calamitas magna & vix ſine lacrymis aſpicienda. (d. 26. *Oct.*)

§. Dioptrici *uxor* meliuſcule habet, prompte loquitur ac deglutit, tumor linguæ & maxillæ penitus evanuit, ipſaque plene convaleſcit. Juſſi, ut aliquot matutis jejuna *granum maſtiches* purum tamdiu, donec *ptyeliſmus* hinc excitatus ceſſat, maſticare ne gravaretur; ſic enim *phlegma* nimium e capite & confinibus prolectum iri. (d, 24. *Nov.*) Dioptrici *uxor.*

§. Androdi *filiola* 4. annorum *tuſſi* ferina jam diu laborat, quæ, dum ingruit, cum intercepta reſpiratione diu durat, ut totus vultus, tanquum ſanguine ſuffuſus, liveſcat, cum revomitione omnium ſanctorum & inſpiratione *convulſiva* ſonora. *Tuſſim ſtomachico-convulſivam* agnovi. Valde pertinax eſſe, ac interdum expidemice inter puſillos graſſari ſolet, nec quidquam juvant *becchica* conſueta. Nos tum hanc puellam, tum alios plures modo ſequenti feliciter tractavimus: Androdi *filiola. Tuſſis ſtomachico-convulſiva.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *ſir. roſ. ſolut.* ℥vj.
aq. acac. ℥ij. ~⊖✱. *aniſ. gtt. iij.*
M. pro 1. doſi.

XXV. Postea ter in die præbeantur 2. cusp. cultr. de *pulvere* tali, cum adjecta *mixsura* etiam seorsim sumenda:

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ℨij. *diair. simpl.*
elæosacch. caryoph. an. ℨj. ♁. *nat. ppt.* ℨß. *M.*

Rec. *Aq. acac. veron. an.* ℥iß.
cinnam. cydon. ℥j.
✱. anis. ℈j. *sir. jujub.* ℥ß. *M.*

Dendronius. *Catarrhus suffocativus.* §. Dendronio contra pulmonum vomicas d. 25. *Sept.* quædam ordinata utcunque profuerunt. Nocte tamen præterita *catarrho* denuo quasi *suffocativo* obrutus, exscreavit *sanguinem fluidum* pituita mixtum. E mediana dextri proliciantur sanguinis ℥v. Ter in die ex quolibet, dummodo frigido, vehiculo deglutiantur *pilulæ* 12.

Rec. *Extr. liquir. helen. an.* ℨß.
♁. *nat. ppt.* ☿. *rectif. an. gr. xv.*
balf. peruv. q. s. F. pil. pond. gr. j.

Quantitas castaneæ sæpe & tempore bene longo assumatur de *eclegmate* parato ex *rad. symphyt. maj. herb. veron. heder.* ▽*str. an.* ℥. & cum melle despumato ad consistentiam *Rob* redactis. Parum læta præsagior. [d. 29. *Oct.*]

Cerdaleus. *Febris interm.* §. Cerdaleus (d. 17. *Sept.*) a febri se nullius pharmaci usu liberatum affirmans petiit & obtinuit a me *electuarium purgans consuetum.*

Laurentii *uxor.* *Suspicio luis.* §. Laurentii *uxor* (d. 23. *Oct.*) parum proficit in sanitate. *Chirurgo* licet diligenter syringa *gargarismum* injiciente, tamen indies difficilius deglutit, *liquoribus* per nareis redeuntibus. Vehementer absumitur & contabescit, vires itidem fatiscunt. Ulcus maxillæ latius serpit ac sordidum fit. Cochleatim accipiat:

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. fumar. extr.* ℥j.
diacod. MONT *sir. papav. err. an.* ℥ß.
✱. anis. ℈j. *M.*

Lana ovilla nigra concisa & cum oleo lini frixa cataplasmatis ad instar collo frequenter & calidissime applicetur; Cum *decocto pectorali* & *pulvere* nuper ordinato pergatur. Hæc mulier mihi periculose decumbere videtur. (d. 26. *Nov.*)

Thrasybuli *uxor.* *Colica hysterica.* §. Accessit me Thrasybulus, atque ut quantocyus ad miserrime decumbentem uxorem properarem, anxie desiderat. Accedens inveni mulierem, 40. circ. annorum, colica hysterica truculentissima tantum non exanimatam. Altum ejulabat, in lecto volutabatur, perterrefiebat, frigidum sudabat, alvus erat constipata borborygmi audiebantur.

Quam-

XXV.

Quamdiu, inquam est, quod talia patiatur? Circiter, ajunt, per novendium. Cur ergo non maturius me consultum accessistis? Pauperes, inquiebant, sumus & remediolis domesticis variis dolorem sopire tentavimus. Jam itaque, re fere conclamata, LENTILIUS juvet! Morituram credo:

Rec. *Ol. amygd d. rec. expr. sir. ros. solut. an.* ℥iß.
ess. anod. ℈ß. *M.*

Pars media statim detur; altera bihorio post, nisi dolor sopiatur, quod, si fit, in alteram vesperam reservanda. Cochleatim propinetur MIXTURA:

Rec. *Aq. chamom. anis. an.* ℥ij.
hyster. offic. hirund. c. castor. an. ʒvj.
ess. anod. ℈j. -~⊖ *. *anis.* ʒß.
sir. chamom. ℥ß. *M.*

Venter ungatur *unguento de hyoscyamo*, & simul *semen lini cum lacte coctum* intra lintea frequenter & calidissime imponatur. (d. 26. *Oct.*)

§. Heri commemorare oblitus eram Arctoæ *filium* natu minorem 13. ann. colica flatulenta vehementissima correptum fuisse. Dederam heri noctu haustum *aquæ menthæ* cum saccharo edulcoratæ haustum calidum & simul 2. *pilulas* WILDEGANSIANAS. Cessarunt dolores. Propterea hodie *aqua menthæ* denuo hausta. *Mentha* hic egregie se gerit. — Arctoæ *filius. Colica flatulenta.*

§. Æxuri *filiolæ* recens natæ nimium *sternutanti* euporiston *Würtenbergicum* suasum, sc. fumigatio gossypii cum *rasura lign. aloes*, quod gossypium vertici imponendum. — Æxuri *filiola. Sternutatio.*

XXVI.

XXVI.

MAne Mercurius paulo subter quartum gradum talis per totam diem perstitit. Liquor *thermometri* in hesterna statione etiam hodierna vespera repertus. Nox fuit pluviosa, dies nubila, tametsi sine pluvia.

§. Horii *filiolus*, præter expectationem hac nocte suaviter satis dormivit; hinc Parentes in eam fere opinionem transiverunt, puellum *fabam* non deglutisse, vel eam saltem in *trachea* non latere, sed forsan per æsophagum in ventriculum delapsam fuisse. Unde igitur, inquam, respiratio difficilis cum rhonchis adeo sonoris? Ex *catarrho* dicebant. Præcepi, ut assumendum præberent hoc mane cum jure calido vel *sir. papav. err. spermatis cetirecentis* ℈j. idemque pomeridie repeterent, cochleatim autem propinent *mixturam*; — Horii *filiolus. Faba deglutita.*

 Rec.

XXVI. Rec. *Aq. fumar. card. bened. an.* ℥ij.
mixt. simpl. conf. alk. c. an. ʒß.
☿. *diaph. CC. philos. an. gr. xv.*
sir. fl. tun. ℥ij. *M.*

Aderat, calor præternaturalis & metum simul *febrilis* insultus incutiebat. Vesperi *dyspnœa* rursum aucta; & quamvis pectoralibus me parum aut nihil omnino profuturum, certus essem, a Parentibus tamen rogatus, præter *sperma ceti* hodie bis absque levamine datum, ordinavi mixturam cochleatim:

Rec. *Sir. jujub. papav. err.*
de erysim. Lob. *an.* ℥j.
-⊖*. *anis. cochlear. an.* ℈j.
aq. hyssop. ℥j. *M.*

Cepas sub cineribus assatas & cum *oleo lini* frixas pectusculo imponi, itemque *semen lini in lacte coctum* ventri applicari jussi (d. 27. *Oct.*)

Laurentii *uxor.* §. *Uxor* Laurentii de *mixtura* heri ordinata ne micam assumsit, de sapore nauseabundo contendens. *Dolore capitis* non levi cruciatur. Jussi *tres pilulas theriacales* deglutire, brachiisque *vesicatoria* applicare. Minus, quam unquam deglutire potest. Sedulus sit *Chirurgus.* (d. 27. *Oct.*)

Acontistis *uxor.* *Mensium emansio.* §. Acontistis *uxor* 36. circ. annorum jam sibi menses ab integro anno emansisse querebatur, & auxilium petebat. Interrogabam, quid inde sentiret incommodi? Num esset languida viribus, num cor palpitaret? num altum spiraret? Nil horum, inquit; Bene ingero, digero, egero, dormio. E*mmenagogis* nil esse moliendum ratus, *venæsectionem* suasi primo in mediana brachii, & intra 14. dies in saphæna alterutrius pedis, his autem nil juvantibus, acquiescere.

Thirhakius. §. Thirhakio [d. 23. *Oct.*] per omnia melius habenti, datum *electuarium nostrum purgans consuetum.*

Thrasybuli *uxor.* *Colica hysterica.* §. Thrasybuli *uxor* dolorem *colicum* sibi multum esse sopitum prædicat, sed alvus nondum soluta. Commendavi *potiunculam* Oswaldi, alvoque rursum exonerata cum hesternis pergere jussi. (infra)

Thrasonis *minister.* *Iliaca passio.* §. *Purgans* Thrasonis *ministro* (d. 24. *Oct.*) ordinatum, non nisi quaternas sedes movit, cum euphoria. Urina tamen adhuc est fusca, turbida, cœnosa, wie Mist-Pfütze. Interdum adhuc aliqua sentit *tormina*, nec appetitus multum viget. Sumat mane, pomeridie & noctu cusp. 3. cultri de *pulvere* sequenti, per se:

Rec.

XXVI.

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ℥ß. *pulv.* HALY *rec.* ʒij.
diaphor. ♂. *ebor. philoſ. an.* ʒj.
elaoſacch. aniſ. ʒvj. *M.*

Pergat etiam cum *mixtura* nuper ordinata, ventriculique regioni, immo totius abdominis, applicet *ſacculum* noſtrum *ſtomachicum* conſuetum. (d. 29. *Oct.*)

§. Æxuri *uxor* (d. 24. *Oct.*) inde a partu nondum ſolvit alvum. E *pilulis* MASKOSKYANIS *ſolutivis* præbere ſuſtinuerunt unam. Diſſuaſi ob adhuc præſentem ani tumorem ac dolorem, quibus *aloëtica* prodeſſe non ſolent. Præpare dixi *laxans* in forma hauſtus, ſimul quippe humectans, cum ſcybala per hocce quatriduum aruiſſe ſuſpicarer. Data igitur OSWALDI toties allegata *potiuncula.* — Æxuri *uxor.* *Alvi conſtipatio.*

Alvum, uti fere ſemper, ita puerperis quoque conſtipatam juſto diutius eſſe, valetudini officit. (d. 27. *Oct.*)

§. Halon (d. 28. *Oct.*) ſicut, quoad *raucedinem*, ſucceſſum; ita quoad *aſthma* & *obauditionem*, parum vel nihil a medicatione noſtra ſentit. Juſſi tantiſper a medicamentis feriari, pedesque pectus ac caput ab externo frigore probe munire, cumprimis autem noctu, dum itur cubitum, collum pulvillo circumdare, futuroque vere, ſi DEUS *æquinoctiale* tempus largitus fuerit, curam ordinatam denuo ſuſcipere. — Halon. *Obauditio.*

Cum morbis, ſi pacem non concedant, induciæ nonnunquam pangendæ, ne pharmacis natura nimium aſſueſcat, quorum hinc vis obtunditur, ne dicam, ventriculum per continuas medicationes, pati. Locum autem ſibi vendicat iſta regula in his tantum morbis, qui patiuntur inducias. Interdum enim morbi vim habent incendii, nec HARVEJANA *expectatione* curari volunt. (d. 27. *Nov.*)

§. Progoniæ virgini 18. annorum *ſubſtiterunt menſes* cum ſymptomatis conſuetis, nondum efferis, quod nondum diu durarit ſuppreſſio. Teneræ eſt texturæ, nec violenter tractabilis. Purgetur: — Progonia. *Menſ. ſuppr.*

Rec. *Aq. laxat.* VIENN. ℥iij. *ſir. de cich. c. rh.* ℥j. *M. pro 1. doſi.*

Mane & noctu ſumat gtt. xxx. *mixturæ* ex aq. *meliſſæ*;

Rec. ℞. ♂. *aperit.* ʒij. *ſuccin.* ʒj. *croc.* ℈j.
ol. angel. Zedoar. an. gtt. iij. M.

Diæta congruat.

XXVI. Occamus. *Febr. int. term.* §. Occiduum nunc est, ex quo *febris* Occamum (d. 22. *Oct.*) plane deseruit. Appetitu viribusque integris existentibus. Peregre profecturus: ne per inevitabiles in pandocheis diætæ errores recidivam pateretur medicamen præservatorium, sibi proposcit. Tam cauti utinam plures essent. Mane ex pocillo *Theé*, noctu ex cochleari vini sumat gtt. xxx. *mixturæ*:

Rec. *Elix. balsam.* ʒij. *ess. absinth.* ʒiß.
ol. caryoph. ℈ß *M.* (d. 16 *Dec.*)

Remistus. *Vulnus arteriæ carpi.* §. Apud Lemistum (d. 10. *Oct.*) *vulnus* arteriæ nondum coaluit. Hodie passus est *horrorem*, sequebatur æstus. Vena secta, ut præcaveretur demum *vulneraria febris*. Vereor, ne vinum præbeatur. Interrogati negant. Negant sæpe, quod fecerunt. Medicamentum roborans petitur de *electuario* interdum castaneæ quantitas sumatur:

Rec. *Conf. acetosel.* ℥ß. *carn. citr. cond.* ʒiij.
conf. alk. inc. ʒj. *spec. cordial. temp.* ʒß.
sir. acetos. citr. ℥ß. *M.* (d. 29 *Oct.*)

Thrasibuli *uxor.* §. Thrasybuli *uxorem* vesperi rursum visitavi. *Potiunculam* Oswaldi revomuit, sequentibus aliquot *vomitibus*. Virium debilis est: Cochleatim hauriatur *mixtura*:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *cinnam. bugl.* ℥j. *M.*

Scrobiculo cordis *emplastrum antemeticum* consuetum. (d. 27. *Oct.*)

Cæochartis *uxor.* *Colica hysterica.* §. Cæochartes, opifex me noctu vocavit, ad uxorem suam, juvenculam, *hysterica colica* jam per aliquot dies laborantem. More meo dedi *oleum*, *amygd. dulc.* *cum sir. chamom.* & *ess. anod.* bipartitis vicibus abdomen inungi volui *unguento de hyosc.* Potum destinavi *emuls. amygd.* Quæsitus cur non citius, cur interdiu non venisset? dolorem fuisse tolerabilem, respondit, variaque prius tentata remedia domestica; nunc demum fieri atrociorem & noctem esse longam. Magna est impudentia Virum Medicum, qui compita & strata urbis, ab una extremitate ad alteram, per totam diem rursum prorsum emensus est, sine sontica caussa, noctu suscitare, tempore hyemali, nonnunquam sudore diffluentem, frigidis vestimentis amictum, in ædes longinquas circumducere. Neminem desero, vilissimæ quoque conditionis hominem: sed tamen persona mea quenquam abuti non nisi ægre fero. Eo quidem, sed, fateor invitus. Nonne hunc opificem interdiu venisse præstitisset? Re fere conclamata Medicus impertitur, Als wann er darum da wäre. (d. 30. *Oct.*)

XXVII.

XXVII. XXVII.

MErcurius mane in quarto gradu quiescens, vesperi ad lineam fere unam subsedit. Liquor *thermometri* medium quarti gradus per totam diem occupavit. Nox serena & frigida, die etiam tali sequente.

§. Cæochartis *uxor* noctis reliquum sine atroci cruciatu transegit. Pars altera *olei amygd.d.* ventrem hodie aliquoties, etiam cum virium detrimento, turbavit. *Emulsionem amygdalarum* ulterius bibendam dedi, *mixturamque* cochleatim sumendam; Cæochartis *uxor.* *Colica hysterica.*

Rec. *Aq. plantag. chamom. an.* ℥ij.
hirund. c. castor. hyster. offic. an. ʒvj.
bez. ♃ al. ♁ nat ppt. an. ʒß.
Ra castor. ʒß. *ess. anod.* ℈ß. *sir. myrtill.* ℥ß. *M.*

Noctu deglutiantur *pilulæ*:

Rec. Extr. *bezoard. papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. M. F. 8. pil. (d 28. *Nov.*)

§. Horii *Filiolum* aspicere miseria, stertentem audire cruciatus, juvari non posse, tortura. Spiritus indies, ægrius cum stertore tanto, qui ante fores hypocausti percipi possit, attrahitur. Nil pharmaci amplius admittit. Facies inflatur & intense rubet, cor immaniter palpitat. Una medela mors, utinam non diu dilata! (d. 29. *Oct.*) Horii *filiolus.* *Deglutitio faba.*

§. Heri datam fuisse Æxuri *uxori potiunculam* Oswaldi memoratum. Danda fuit, non data, nam recusavit. Muliercularum Consilio, *lac bubulum cum butyro insulso & sacchəro coctum* calide bibit; hinc alvus mota ipsa post suaviter dormiente. *Euporistum* est non temnendum. Alii vel aliæ suaserunt, ut *in jure gallinaceo solutum butyrum insulsum* largiter assumeret. Etiam non improbandum. (d. 28. *Oct.*) Æxuri *uxor.* *Alvi constipatio.*

Æxurus ipse perpetua fere *alvi stipticitate*, eaque tali laborat, ut cum dolorifico nisu simul *anus prolabatur.* Suasi, ut, ano prius reposito, ossi saro imponeret *emplastrum catagmaticum*, ante quemlibet pastum & alias quoque comederet *panem butyro perlitum*, & singulis diebus potiunculæ *laxativæ* haustum assumeret. Sic enim tam plures, tum inter alios quoque *venerandum* SENEM, qui post medium noctis alvum depositurus tanto cruciatu vexabatur, ut sincerum cum siccissimis scybalis sanguinem non modo excerneret, Sed & digito insuper in anum immisso dicta scybala extrahere cogeretur. Bibit autem 6. ante obitum annis quotidie haustum unum *potiunculæ* OSWALDI & feliciter ad finem usque vitæ dejecit; quamvis & hoc fateri necesse habeam: Naturam sic adsuevisse illi potioni, ut, si vel per unam diem omitteretur, alvus statim subsisteret. Ipse non curavit. Nam potio neq; est insuavis, neq; pretiosa. Æxurus. *Alvi constipatio.*

Thra-

XXVII. Thrasybuli *uxor*.

§. Thrasybuli *uxor*, alvo clausa, tumidum ostendit ac tensum abdomen, adhuc omnia revomit. *Clysterem*, suasu meo, applicaturis renititur. Valde debilis est. Præter hesternam *mixturam roborantem* nil admittit Refractaria, tametsi periculose decumbens, mulier. (d. 28. *Oct.*)

Laurentii uxor: *Suspicio luis.*

§. Apud Laurentii *uxorem Chirurgus* detexit *ulcera* subter uvulam, adhibiturus *aquam viridem* HARTMANNI. Ego *Decoctum venereum* MUSITANI pro usu interno scripsi: quod mense *Februario* jam semel boni cum effectu biberat. (d. 29. *Oct.*)

Malisti *filiolis. Abdomen tumidum scabies sicra.*

§. Vocor ad Malistum, cujus *filiolus* 26. septim. ostendebat abdomen prætumidum, totum corpusculum *scabie sicca*, quam Leib-Ehres hic loci vocant, ad differentiam faciem obsidentis *crusta lactea*, fœdum. Alvus erat constipata. Cum lactari non posset, potui dabant lac bubulum coctum. Dissuasi, quippe constipationem aucturum, nisi vel dimidio aquæ fontanæ temperatetur. De alvo subducenda sollicitus dedi haustulum:

Rec. *Magist. gial. gr. v.*
subact. cum vitell. ov. add. aq. acac. parum.
pro j. dosi.

Pulvis florum acatiarum cum pulticula coctus detur, quod est *euporiston* nostrarum mulierum in *constipatione* infantili. Semper ante pulticulum detur cochl. 1. *olei amygd.* d. ad intestinula lubricanda. (d. 28. *Oct.*)

Nezelii *uxor. Agrypnia.*

§. Nezelii *uxor* (d. 25. *Oct.*) a nuperis utcunque juvata, nunc *horrorem* sentit cum æstu sequente, & perpetua *agrypnia*. Medicamenta insolidum omnia recusat. Id saltem impetravi, ut *emulsioni*, quam bibit, *amygdalarum*, *semen papaveris albi* emulsum admisceri pateretur. (d. 28. *Oct.*)

Cusani *uxor. Apertura corporis.*

§. Tandem aliquando Cusani *uxor* (de qua passim, & ultimo forte d. 22. *Aug.*) miserrimam vitam cum morte, sine dubio beata, quia diu prævisa & optata, commutavit. Flagitavi a viduo corporis aperturam. Non impetravi. Vetasse dicebat uxorem adhuc vivam vice non simplici, immo dixisse, si tale quid secum fieret, se e sepulcro surrecturam & maritum inquieturam. Me sponsore non surrexisset. Interim repulsam ægerrime tuli, sine omni dubio detecturus *uteri carcinoma*, quod in sui consortium simul intestinum rectum rapuerat. De *cancro*, ejus natura & palliativa (nam vera est impossibilis) cura legi omnino meretur MAURICEAU *tr. de morbis gravid. & puerper. lib. III. cap. 13.* qui magnum nobis lumen

lumen in morbo *uxoris* CUSANI (quacum anno præcedente jam multum & molestum mihi negotium intercesserat, accendit. Caussam ulceris cancrosi in hac muliere quinquagenaria, & quæ fere plus quam 12. fœtus, ac hos inter plurimos mortuos enixa erat, agnovi *uteri hæmorrhagiam*, qua ab inde triennio, alius primum Medici auxilio victitans, persæpe ad internecionem afflicta fuerat. Nam per varios ipsi applicatos *pessus ischæmos* valide adstringentes, sanguinem erupturum, in via violenter repressum, extra sua vasa stagnantem, acorem denique contraxisse, & ulcus cancrosum procreasse, non tam suspicor, quam firmissime credo. sic, ut omnino hic audiendus sit & imitandus, quod etiam solemus, MAURICEAU loc. cit. quando ad præcavenda talia, & plura mala fœminas ætate provectas ante mensium emansionem aliquoties, intra breve tempus, venam secare jubet. Qui me imitabuntur, verum, quod scribo, ac salutare comperient. XXVII.

Apertura corporum demortuorum sæpe numero tam ægre obtinetur a viduis, liberis, propinquis, ut multi jam egregii viri de tam insulsa pertinacia conquesti sint. Quas inter præcipue videatur WEPFERUS in *tr. de apopl. præfatione* & p. 19. Ubi inter alia sic loquitur. *Ex superstitione quadam plus quam ethnica, plurimi nostratum opinantur, corpora humana injuria quadam affici, si, studio alios ægros juvandi, secentur, brevi vermium esca alias futura.* Sæpe numero mihi contigit, si quando, ex mandato SERENISSIMI, corpus mihi aperiendum esset, hominis vel violenta morte peremti, vel veneno aut alio suspecto modo sublati, necessarios nullo modo consentire voluisse, sic ut aliquando *chirurgum juratum* pugnis adoriri sustinerent, & ego manu armata illos omnes domo expellere coactus fuissem, adeo irroboravit quorundam maleferiatorum animis, injuriæ corporibus suorum inferendæ ridicula opinio.

Quæstio; num inspectio & apertura legalis ejusmodi corporum jure mandari possit a magistratu, jam diu a Jure-Consultis decisa. Vid. *Disp.* CORVINI *de Medicorum Anatome jure divino-humano licita habit. Lips.* 1690. Quæritur autem: *Annon extra hunc casum in morbis nempe raris & inscrutabilibus aperturam corporis recusantibus a Magistratu mandari queat, ut eam admittant?* Tyrannicum quid videtur, tale quid imperare velle. Sed circumstantiæ sine dubio, quid videri durum queat, emolliunt. Utilitas publica, quid nî præferenda sit perversæ voluntati insipientis vulgi. Novimus plures viros eximios, immo &

XXVII. mulieres, qui vel quæ morbis incurabilibus & imperſcrutabilibus diu torti, non ſemel ante obitum obteſtati ſunt Medicos, ut eorum corpora poſt mortem aperirentur. Et quam multis tam pretioſis obſervationibus carere deberemus, carituri iſta corporum aperiendorum licentia?

XXVIII.

XXVIII.

Mercurius præterita nocte per dimidium gradum reſedit, quippe in medio quarti gradus conſtitutus, veſperi ſe magis ad primam usque gradus dicti lineam humilians. Liquor *thermometri* mane idem, qui aliquot hactenus diebus veſperi parum adſcendit. Nox ſerena fuit & frigida, dies cum ſerenitate calida. Cras pluviam auguramur.

Æxuri *uxor & filiola.* §. Æxuri *uxor* cum *filiola* pancratice valent. (d. 29. *Oct.*)

Epibuli *uxor.* *Dolores artuum.* §. Epibuli *uxor* (d. 22. *Oct.*) hactenus quidem tolerabiliter vixit ſupereſt tamen adhuc *formicationis ſenſus* per omnes artus cum dolore. Appetitus mediocris, preſſio ſtomachi. Dedi *electuarium purgans* conſuetum. Mane & pomeridie gtt. xxv. *mixturæ* ex *aq. fl. til.*

Rec. ♒. *nervin.* ℥iij *eſſ. anod.* ℈j. *M.*

Noctu ſumat *pilulas* ex eodem vehiculo:

Rec. *Extr. bez. papav. comp. an. gr.* iij.

caſtor. gr. ij. *M. F.* 8. *pil. pro* 1. *doſi.* (d. 30. *Oct.*)

Maliſti *puellus.* §. Maliſti *puellus* ab alvo ſoluta levatus. *Aſthmati* contraitum *mixtura*, cujus bis in die gutt. vj ex quolibet vehiculo præbeantur.

Rec. ♒⊖✱ *aniſ.* ℥j.

eſſ. croc. ℈j. *anod.* ℈ß. *M.*

Abdomen ungatur *unguento cardiaco & alth. an.* mixtis. Interdum & hoc & artus pro demulcendo *pruritu* fricentur calide panno laneo *ol. amygd. d. vel oliv. recenti* imbuto. NB olea oportet eſſe recentia nam antiqua & rancida acorem contrahunt, pruritum magis promoturum, quam ſublaturum. (d. 30. *Oct.*)

Narrabant ſibi a ſcabiola ſicca, Leib-Ehres / mortuum fuiſſe infantulum jam ante annum, cum, aliquorum conſilio, ipſum unxiſſent *flor. lactis.* Inde enim ſcabiem eſſe exſiccatam quidem, ſed *catarrhum* ſuffocativum ſecutum.

Regenotti *nutricis filiola.* *Conſtipatio.* §. Regenotti *nutricis filiola* ſemeſtris poſt *ablactationem* cum alius mulieris credita, *ſicciſſima* eſt *alvo.* Multa jam ſine ſucceſſu uſurpata. Tumet abdomen, graviter ſpirat, *arthydrum* bibit. Propinetur *hauſtulus purgans*:

Rec.

Rec. *Sir. rof. folut.* ℥v. *pulv.* CORNACH. ℈ß.
aq. acac. ℥ij. *M. pro* 1. *dofi.*

Pulvis fl. acac. farinæ mixtus cum pulticula coquatur & detur. Cum *arthydro anifato* coquatur *pulvis mechoac. alb.* ad virtutem dejectoriam potui quotidiano conciliandam. Panis, qui *aqua* immergitur, non fit toftus. (d. 28. *Nov.*)

§. Cæochartis *uxor*, omnibus doloribus exantlatis, per DEI gratiam ad fe redit. Cæochartis *uxor.*

§. Nezelii *uxor cephalalgia* vix tolerabili cruciatur. Interna omnia conftanter deprecatur. Sic igitur folis externis dimicandum. *capitis dolor* eft *hyftericus*. Frequenter naribus attrahatur portio *pulvifculi*: Nezelii *uxor.* *Cephalalgia.*

Rec. *Elæofach. errhin.* ʒj. *elater.* ⊕*li alb. an.* ℈ß. *M.*

Temporibus applicentur *emplaftra* floreni quantitate:

Rec. *Op. theb. pulv.* ℈j. *axung. caftor. ver.* ʒß.
balf. peruv. ℈ß. *M.*

Fiant 2. *facculi* interpaffati ficci alternis calidiffime regioni capitis dolenti applicandi:

Rec. *fl. falv. lavend. anth. herb. majoran. an. p.* j.
herb. verben. mß. cort. mandrag. ʒß.
bacc. junip. ʒij. *fem. pæon.* ʒj.
conc. cont. confperg. ol. fuccin. gtt. aliq.

Hæc mulier etiam eft inter illas, quæ *Medicis* in torturam funt natæ. (d. 30. *Oct.*)

§. Thrafybuli *uxor* nunc vere *iliaca*. Malle fe mori dicit, quam ulterius medicari. Fiet, inquam, quod petitur. Omnino morieris. Id autem fciveris, te rationem reddituram coram tribunali divino, ejusque particulari judicio, nunc brevi, & quamprimum anima, quod ipfamet malitiofe peffundas, ergaftulum reliquerit, fiftenda. Ne vero dixeris, a *Medico* te derelictam fuiffe. αὐτοχειρίαν committis. Ne meo defuiffe viderer officio, 2. *pulveres* ordinavi intra quatuor horarum intervallum præbendos: Thrafybuli *uxor.* *Iliaca.*

Rec. *Pulv. anticol.* CAM. *rad. mechoac. a. an.* ℈j.
laud. op. gr. j. *F.* 2. ☿. (d. 30. *Oct.*)

§. Toparii *filiolus* (d. 12. *Oct.*) æftu magno heri corripi vifus, adhuc hodienum durante. Capitulum ad tactum fervet. Vociferatur. Manus capiti frequenter admovet. *Cephalæam* adeffe fufpicamur. Cochleatim propinetur, probe femper concuffa, *emulfio*: Toparii *filiolus.* *æftuofus.*

XXVIII. Rec. *Sem. melon. papav. alb.* ℥ij.
aq. ceras. n. fl. til. an. ℥ij.
F. *l. a. Emulf. add.*
pulv. MARCH. *cryftall. ppt. an.* ℈j.
facch. perlat. ʒij. *M.*

Cervix & tempora ungantur *linimento.*

Rec. *Ol. NM. expr.* ʒj. *nymph. coct.* ʒij. *M.*

Puellus digitulos dextræ manus osculo suo constanter immissos sugit, quibus vi retractis, clamat; hinc suis eum relinquunt moribus, ut sileat. Quocunque modo tentandum esse suasi, ut huic suctioni desuescat. Præstat non raro, si non semper, clamores parvulorum audire, cum, si satis clamaverint, ipsi denique cessent; quam ad omnes ejulatus oscula ipsorum nunc papillis, nunc turundis, nunc digitis obturare. A papillarum perpetuo suctu ventriculi lacte nimio inundati debilitantur, lac acescit, & revomitur. Turundæ acorem humorum quoque augent, & ab indesinenti suctione digitorum vel propriorum, vel aliorum inferior maxilla continuo exercetur, musculorum eam moventium fibræ aut flaccescunt, aut spasmodice tenduntur, dictæque maxillæ convulsiones immedicabiles oriuntur. Taceo, sic aquam ex pumice sugi. Digitulos hujus infantuli parcissime saltem *colocynthide* fricare jussi. Nolunt, ne scil. affligatur. (d. 9. *Nov.*)

§. Relegi hodie cap. 58. Lib. II. B. Arndii *de ver. Christian:* ubi *astrologia judiciaria* caussam agit. Aliqua me *III. Mart* hujus *Eteodromi* in contrarium disseruisse recordor. Aurem adhuc vellicant, qui tamen in veteri testamento hinc inde *asteriscorum* expressam fieri mentionem prædicant, indeque suæ caussæ favorem aucupantur. HIOBI *38. v. 31. 32.* LUTHERUS ita: Kanst du die Bande der sieben Sterne zusammen binden/ oder das Band des Orion auflösen? Kanst du den Morgenstern herfürbringen/ zu seiner Zeit? oder den Wagen am Himmel über seine Kinder führen? It. cap. 9. v. 9. Er macht den Wagen am Himmel / und Orion und die Glucken / und die Sterne gegen Mittag. It. Es. XIII. 10. Denn die Sterne am Himmel und sein Orion scheinen nicht helle. It. Amos V. 8 Er machet die Glucken und Orion. Notandum vero omnino, quod loca quidem Hiobi attinet, litem adhuc esse sub Judice, an verba, quæ in fonte leguntur, id præcise velint, & eadem sint nomine astra, prout ea vertit Lutherus. Sic secundum versionem Schmidii locus HIOB. 38. v. 31. ita sonat: *Num colligabis delicias* Kimah, *aut vincula trahentia* Kesil *solves?*

solves? *Num educes* MASSAROTH *in tempore suo, & Ajisch cum filiis suis* XXVIII.
duces? Quasi Beatus Interpres non ausus fuisset vocabula a seipso non intellecta sic interpretari, velut ea sunt interpretati alii translatores Latini. Quamvis Hiob 9. v 9. dicat de *Arcturo, orione & plejadibus.* Immo vocabulum *Massaroth* nil minus, quam *Phosphorum*, seu *venerem planetam* indigitare videtur, quum ille planeta constet ex una solum stella, Numerus autem voculæ *Massaroth*, pluralitatem innuat? Locum Es. XIII, 10. SCHMIDIUS ita transtulit: *Stellæ cœlorum & sidera eorum non lucent luce sua.* Quamvis *Amos* V. 8. iterum *plejades* ac *orionem* nominet. Quid? si *Prophetæ* locuti essent ad populum Judaicum jam ethnicorum sidereis figmentis adsuetorum? non, quod revera sint plejades, orion, Arcturus, sed quod ita ex traditione Chaldæorum nominata fuerint illa sidera? Quid si *Prophetæ* hic magis illudant Judæis, & ironice loquantur? Certe non fuisse unum in transferendis illis nominibus Interpretum sensum apprime patet ex eorum diversis interpretationibus. Sic, quod vulgata vocat *Arcturum* in hoc loco, id LUTHERUS appellat *orionem.* Sic vulgata loc. Hiob. IX, 9. ita transtulit: Qui facit *Arcturum, & oriona & Hyadas.* Locus Es. XIII, 10. in vulgata sic legitur: *Quoniam pellæ cœli & splendor earum non expandent lumen suum.* Locus AMOS. V, 8. in *vulgata* ita sonat: *Facientem* ARCTURUM & ORIONA. Sic aliter a SANCTE PAGNINO, Aliter a LEONÆ JUDÆ in versione TIGURINA hæc loca translata leguntur. Plures ad manus non sunt; Hi vero sufficere videntur ad id, ut demonstrem, quam ficulneo nitantur præsidio, qui ex obscuris Hebræi fontis æsteriscorum denominationibus *astrologiæ* suæ patrocinium quærunt. De Eclipsium præsagiis aut alibi jam dixi, aut occasione data sum dicturus. Relinquatur igitur *Astrologia* suis Amasiis, bonas horas pessime collocantibus, in cœli firmamento Lynceis, in cubiculis ædium suarum quovis Tiresia utplurimum cœcioribus.

XXIX. XXIX.

MAne Mercurius medium quarti gradus prope rursum attigit, liquor *thermometri* stationem antiquam repetiit, quam per aliquot nuper dies obtinuerat. Vesperi se rursum Mercurius ad tertiam lineam supra memorati gradus evexit. Nox fuit nubila cum pluviola, tota dies, maxime vero pomeridie, largiter pluviola.

XXIX. Cepia. *Quartana.*

§. Cæpia 44. annorum, jam diu *quartanaria*, paupercula, me consulebat, inter alia narrans, se indusium suum per novendium averso latere gestasse, habe das Hemd 9. Tage letz angehabt / nec tamen a febri liberatam fuisse, quod experimentum jam innumeros juverit. Recordor idem & ab aliis mihi relatum fuisse. Eadem dicebat, *pelliculam ovi* se digito minimo circumligasse, itidem sine ullo effectu, immo ne quidem vel levi bracchii dolore. De ultimo hoc experimento late disserui in *miscellan. mear. Part. I. p. 240. seqq.* Quod revera est elegans & nullatenus rejiciendum. Præscripsi *pulverem purgantem*:

Rec. *Gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈j.
dacryd. gr. vj. *M. D. pro 1. dosi.*

Postea singulis 6. horis sumatur unus e *pulvisculis*:

Rec. *Conch. ppt. oc.* ♋. *crud. cont.*
fl. ⊖✱. ⊖. *absinth. an.* ʒj.
ol. caryoph. gtt. iij. *M. F. 8.* ℞

Thrasonis *minister.* *Convulsiones.*

§. Hactenus ad sanitatis portum quam proxime navigasse videbamur cum Thrasonis *ministro* (d. 26. *Oct.*) sed procella nova ratim in maris altitudinem repulit; *epilepticas* dico *convulsiones* quæ nil tale cogitantem circa medium præteritæ noctis adortæ sunt. Adest simul alvi nova constipatio. *Liquoris CC. succin.* gtt. xxv. statim dentur ex vehiculo sequenti, seorsim quoque propinando:

Rec. *Aq. fl. til. rut. an.* ℥iij.
pulv. cephal. CAM. ʒj.
sir. fl. pæon. ℥ß. *M.*

Quæ guttæ repeti quoque, pro re nata, possunt. Clyster nuperus, quam id fieri maturo potest, rursum injiciatur. Nescio fere quid de hac iliaca passione judicare debeam, quam aliquæ circumstantiæ fere suspectam reddunt. (d. 30. *Oct.*)

Sigagronomus. *Hemiplecticus.*

§. Sigagronomus (d. 5. *Febr.*) per tot mensium decursum sic satis bene valuit, opificioque suo præesse potuit. Ante vero dies aliquot ipsius uxor furti incusata fuit, ira hinc & mœrore, pathematis fere contrariis in conceptuum devia raptus nocte præterita levi *hemiplegia* multatus fuit in latere sinistro. E mediana dextri proliciantur sanguinis ℥v. Aliorum lacertis fultus nonnunquam, pro virium ratione in conclavi deambulet. Cochleatim detur *mixtura*:

Rec.

Rec. *Aq.ceras.n. lavend. an. ℥iiß.*
epil.L.ʒvj. liq.CC. succin ʒj.
specif.cephal.succin.a. ppt. an. ʒß.
sir. fl. pæon. ʒiij. M.

§. Laurentii *uxor* (d.27. *Oct.*) a *Decocto* Musitani, & injectione in fauces per syringam, quadamtenus allevari videtur (d. 1. *Nov.*) Laurentii *uxor.*

§. Archeguli *uxor* (d.8.*Oct.*) partui vicina, venam sibi, me consentiente, findere passa est. Sanguis investitus fuit crusta alba densissima. De *tussi* adhuc molesta queritur, multo licet, quam præterito mense cætera melior. Ter in die sumat cusp. 3. cult. de *polline* per se, vel cum quovis grato vehiculo: Archeguli *uxor.* *Tussis Asthma.*

Rec. *Spec. diair. s. pulv.* HALY *rec.*
elæosacch. anis. an. ℥ß. M.

Utatur porro *electuario pectorali* euporisto toties memorato. (d.25 *Nov.*)

§. Apud Horii *filiolum* (d.29.*Oct.*) summa & deploranda calamitas. Adhuc enim vivit, & respirando stertit, ut pro foribus ædium audiri possit. Aversari cœpit omnia medicamenta. Rogatus a Parentibus, an cogendus esset vi ad sumenda pharmaca? Respondi, quod non. Cum enim servare puellum sit impossibile, cui fini torqueatur? Mirum est, ac fortasse vix unquam observatum, eum tot a deglutita faba diebus, inter hos tam enormes strangulatus, supervivere posse. Rogati Parentes, an post mortem aperiendi corpusculi copiam facere vellent? Recusarunt, ratione nulla flexibiles. (d.1.*Nov.*) Horii *filiolus.*

§. Æxuri *Filiola* medium alterius manus *digitulum*, sibi relicta, volam versus, semper *incurvare* observatur. Mater *imaginationis* effectum credit. Se nempe gravidam Landavii sæpe vidisse talem Hussarum, digitis incurvis præditum. Cum tamen, sine ullo puellæ dolore, digitulus extendi possit, quod si ab imaginationis vitio esset, fieri posse, minime est probabile, situm in utero materno digitali hanc incurvationem quasi consuetudinalem fecisse, nec malum esse permansurum, edixi. Monitos velim *juniores Practicos*, ne tale quid conspicantes, ad præsidia statim *chirurgica* confugiant, & pusillis vel dolores, vel alias frustra molestias creare sustineant, rem ad minimum dilatorie tractant. Nam si malum comperiatur futurum permanens, Chirurgiæ semper adhuc locus relinquitur, pusillis insuper, cum ætatulæ, Æxuri *filiola.* *Incurvatio digiti.*

virium

XXIX. virium quoque augmentum, ad operationes manuarias melius sustinendas, lucrifacturis. (d. 3. *Nov.*)

Melodidascalus. *Faciei spasmus.*

§. Cum Melodidascalus (d. 18. *Oct.*) adhuc undique variorum consiliola vel petat, vel oblata accipiat, contra molestissimum *faciei spasmum*, fuit inter alios, qui ipsi suaderet, ut *radicem iridis hortensis flore luteo* (gelbe Lilien-Wurtzel) de collo suspenderet. Rogatus usum rei in se innoxiæ prohibere nolui, quamvis, quid hic conducere valeat, acie mentis nulla perspiciam. Experiatur suctionem fumi *florum lavendulæ* per *fistulam tabaci*.

Architecti *filia*.

§. Architecti *filia* (d. 9. *Oct.*) per omnia vegetior.

Rhabdaulites. *Tormina. Ructus nidorosi.*

§. Rhabdauliti 40. annorum, olim militiæ dedito, variisque, militibus per omne vitæ spatium, vi pravæ consuetudinis, adhærentibus diætæ erroribus semet exponenti, *eructationibus nidorosis* creberrime vexato, nonnunquam *torminoso*, dedi *infusum*, nostro more parandum & potandum, e *stomachicis, carminativis & purgantibus* constans:

Rec. *Rad. cal. arom. galang. an.* ℥ij.
gentian. rhabarb. mechoac. a. ap. ℥iij.
agar. troch. ℥ß. *fol. senn. s. s.* ℥iß.
herb. absinth. menth. fl. cent. min. an. mß.
passul. min. ℥iß. ⊖. *tart.* ℥ß. *cass. lign.* ʒiij.
sem. anis. ʒiß. *conc. cont.* D.

Practicos juniores nosse oportet, *ructus* fere triplici differentia notari, quum aliqui sint *insipidi*, alii *acidi*, alii *nidorosi*, id est, ciborum assumtorum nidorem spirantes, qui utplurimum est, quasi *ovorum* vetustiorum: ne dicam de *alliatis*, *vinosis* & *spiritus* φλογιστ8 redolentibus.

Dendronius. *Arthritis.*

§. Dendronii (d. 25. *Oct.*) res in pejus labuntur, nunc denuo accedentibus *doloribus* ac *tumoribus*, præsertim in genubus, *arthriticis*, cum *subsultibus* nervosarum partium *spasmodicis*, continuante simul *asthmate*, & screatu colorato. Pergat sedulo cum *electuario* nupero, addendo illi *pulverem menthæ* ac *salviæ*. Mane, pomeridie & noctu sumat gtt. xxxx. *mixturæ* ex quolibet vehiculo:

Rec. ♒. *nervin.* ʒij.
elix. bals. vit. MATTH. *c. an.* ʒj. *M.*

Reficiendis viribus *conditum* pro lubitu avellanæ vel fabæ quantitas assumendum:

Rec.

XXIX.

Rec. *Conf. fl. tun.* ℥ß. *conf. alk. c.* ʒj.
carn. citr. cond. fir. cinnam. an. ʒiij. *M.*

Genubus imponatur *empl diaphor.* MYNS. (d. 18. *Nov.*)

§. Nerizio pro abigenda vel ſaltem mitiganda *tuſſi ferina autumnali*, ſuaſi *infuſum* ex an. *fol. thee & herb. veron.* loco *ſacchari* communis, *albo cantho* condiendum, *tuſſientibus* jam ſæpe proficuum compertum. Nerizius *Tuſſis.*

Ejus *Filia* (d. 28. *Sept.*) *febrilem* quaſi acceſſum, vix curata, denuo ſenſit. Præbui deglutiendas hac nocte *tres pilulas theriacales*, in craſtinum ex urina aliisque ſignis, quod facto ſit ulterius opus, decreturus. Diætæ peſſime ſtat. (d. 30. *Oct.*) *Filia. Febrilis inſultus.*

§. Remiſtus (d. 26. *Oct.*) ad ſe pedetentim & pulcre redit. Vulnus *arteriæ* in optato ſtatu. De noctibus adhuc inſomnibus querenti, *ſomniferumque* petenti, cur recuſarem, cauſam non habui. Datæ igitur *pilulæ*: Remiſtus.

Rec. *Extr. bez. Cam. papav. comp. an. gr. iij.*
laud. op. gr. j. F. 7. pil. pro 1. doſi. (d. 3. *Nov.*)

§. Grapteris *filiolæ* majori ad *ſugillationem & tumorem oculi dextri*, a contuſione ortam impoſitum *cataplaſma* egregium *e mica panis albi, pulpa pomi dulcis, cum vitello ovi, croco & lacte coctum*, & intra lintea duplicata calide frequentur applicatum. (d. 30. *Oct.*) Grapteris *filiola. Hypoſphagma.*

XXX.

XXX.

MAne Mercurius tertiam lineam quarti gradus, & liquor *thermometri* propemodum tertium gradum, attigerunt. Talia per totum diem vaſa manebant. Nox & dies nubilæ, ſine tamen pluvia.

§. Nezelii *uxor* (d. 28 *Oct.*) cum ſua *cephalæa* graviter adhuc conflictatur. Severe monita denique conſenſit in medicamentum internum, ſi ita poſſet ordinari, ut guttatim aſſumatur. Scripta *mixtura*, cujus ter in die gtt. xxx. ex quolibet vehiculo præbeantur: Nezelii *uxor. Cephalæa hyſterica.*

Rec. ~. *nervin.* ʒj. *Ræ. caſtor.* ʒß. *M.*

Totum caput radatur, una cum nucha poſt frequenter calide ungendum linimento:

Rec. *Ol. lumbric. caſtor. an.* ℥ß.
lavend. anth. rut. an. gtt. iij.
ſuccin. balſ. peruv. an. ℈j. *M.*

Impoſito tamen poſtea *ſacculo* nuper ordinato, nec omiſſo *errhino*. Neceſſitas impoſſibilia credita vel ſaltem proclamata, frequenter poſſibilia reddit, cumprimis in aſſumendis medicinis. Multi dicunt: ſe malle

XXX. mori, quam hoc vel illud pharmacon haurire. Ne protelari se sinat *Medicus.* Talia contestantes novi non unos, qui postea, dummodo mandassem, *succerdam* labentes, etiam e sua culina calentem, devorassent. Dantur etiam ægroti, qui cogi volunt, &, nisi cogantur, ægre ferunt, quales utplurimum reperiuntur in sexu sequiori, postea dicentes: Hätte man mir nur besser zugeredet. (d. 1. *Nov.*)

Nerizii *filia.* §. Nerizii *filia* noctem bene transegit. *Erysipelatosi* quid adfuisse circumstantiæ prodiderunt. Ordinatus *haustus purgans* consuetus (d. 1. *Nov.*)

Grapteris *filiola.* *Hyposphagma.* §. *Hyposphagma* apud Grapteris *filiolam* discutitur. Diligentes porro sint in applicatione *cataplasmatis.* (d. 1. *Nov.*)

Malisti *puellus.* *Diarrhœa.* §. Malisti *puellus* (d. 28. *Oct.*) *Diarrhœa* corripi cœpit. Signum non infaustum. Sic enim asthma sublatum iri, tumoremque abdominis minutum spero. Pergant cum guttulis, &, de sistendo *alvi fluxu* nondum solliciti sint. (d. 1. *Nov.*)

Bohemi *uxor.* §. Hodie *uxor* Bohemi sibi venam est tundi passa. *Sanguis fuit spissus, cum sero fere nullo. Meraci* nimium bibere consueta est. Ut aqua temperaretur imposterum, hortatus sum. *Pilulas* suas *purgantes* consuetas d. 15. *Maji.* ordinatas desideravit, sed sine præcedente *digestivo pulvere*, quod eas officium sine his præparamentis facturas esse speraret. Dissuasi, non persuasi. Fiat igitur periculum. (d. 4. *Nov.*)

Thrasonis *minister.* §. Quamvis apud Thrasonis *ministrum* repetitus hodie *clyster* ex voto sit operatus & *convulsionum* tumultus cessarit, attamen, quod in *Thrasonis* hypocausto decumbat, nec aliud in domo conclave, quod calefieri possit, suppetat, ipseque Thraso convulsiones supra modum horreat, ut a *Magistratu* veniam ægrotum in Nosodochium recipiendi orarent, suasi. Exorarnut. Illatus, quod medicaminum superesset, consumere jussus fuit. Qui horrent *epilepsiam*, ab *epilepticorum* conspectu arcendi sunt. In eos enim transferri posse malum horribile, per observationes docemur. Mendici dantur *epileptici*, qui plateas circumeunt, ex improviso paroxysmis correpti prosternuntur, interdum non sine malitioso mendi proposito, ut scil. in spectatorum animis misericordiam lucrativam accendant. *Physici* est, cum tales videt, vel experitur, locis debitis monere, ne ipsis in vicis oberrare concedatur. (d. 31. *Oct.*)

Epibuli *uxor.* *Dolores artuum.* §. Epibuli *uxor* (d. 28. *Oct.*) mitius quidem ex artubus dolet. Cum autem *formicationis cum dolore sensus* non plane cessaverit, *infusum*

sum theiforme laudavi, cujus tres semper scutellæ mane & pomeridie decenter hauriantur, primæ semper scutellæ instillando gtt. xxv. *mixturæ nuperæ*; XXX.

Rec. *Rad. bardan. bryon. an. ℥ß.*
liquir. ʒiij. sarsapar. ℥j.
ras. lign. sanct. ℥j. sassafr. ℥iiß.
herb. chamædr. trifol. fibr. fl. acac. an. mß.
cort. lign. sanct. ℥ß. cass. lign. ʒiij. sem. anis. ʒiij.
conc. cont. D.

Balneis cervinis aliquoties insideat.

§. Ne propositi minus tenax videretur *uxor* Thrasybuli, pulveres d. 28. *Oct.* ordinatos non assumsit, & ne sine viatico brevi moritura decederet, *potionem roborantem* poposcit, neutiquam vero dulcem: Man solle ihr noch ein Krafft-Wasser verschreiben / aber ja nicht süsse. Putaram stercus e faucibus projectum sibi dulcia postulare. Voti tamen ut compos fieret, ordinavi *mixturam confortantem*, qualem antea nunquam; Thrasybuli *uxor.* *Iliaca passio.*

Rec. *Aq. ceras. n. acac. an. ℥ij. cinnam. bugl. ℥j.*
matr. perl. ppt. ʒß. conf. alk. inc. ʒj. M.

Naribus frequenter admoveatur linteolum *aceto suaveolenti* delibatum;

Rec. *Acet. rut. rub. id. an. ℥iß.*
-θ. ℈j. M.*

Non semper æstimandus est *Medicus* a suis formulis, si quando concinniores potuisse, immo debuisse, scribi, *Medicus* alter judicet. Nam, quis huic mulieri mixturam roborantem valentiorem a me non ordinari potuisse credat? Interim ægrota nolebat. Coquum interdum jus longe sapidius parare posse nullum est dubium. Parat interim ad heri sui, non raro valde absurdum, palatum. (d. 3. *Nov.*)

XXXI. XXXI.

MAne Mercurius medietatem quarti gradus occupavit; Liquor *thermometri* tenax hesternæ sedis. Utraque vasa vespertina, quæ matutina. Nox & dies nubibus obscuratæ.

§. Enthadandri *filia* 20. annorum, facie florida, obesula, *menses* quidem ordinarios, parcos tamen patitur, & nunc a biduo facie totoque corpore inflatur, ut cutis tensa niteat. In lectum decum- Enthadandri *filia.* *Inflatio corporis.*

XXXI. cumpere, singulis horis *mixturæ* conquassatæ cohlear unum haurire, seque ad sudorem continuum componere, jussa fuit:

Rec. *Aq. fl. samb. card. bened. an.* ℥iiß.
mixt. simpl. ʒj. *croc. opt. gr. vj.*
♁ *. diaph. CC. philos. an.* ʒß.
diascord. FRAC. ʒij. *sir. card. ben.* ℥ß. *M.*

Serum in glandulis subcutaneis a sanguine separatum, abundans, maximaque sui parte per transspirationem eliminandum, vel propria substantiæ tenacitate, vel pororum strictura stagnans, non admodum raro *corporis* totius *inflationem* producit; Malum formidatum magis, quam formidabile, nisi conjunctum sit *asthma*. (d. 3. *Nov.*)

Erralpi⁹. §. Erralpius 45. annorum, obesus quidem, sed pallens & carnibus flaccidis præditus, facie subtumida, non admodum appetens, *borborygmis* & pressione stomachi vexatus, crebris *defluxionibus* obnoxius aliquando fortasse *cachecticus*, quin plane *asciticus*, futurus, hodie sanguinem misit. Non erat consistentia admodum vitiosa, nisi, quod sero nimium abundaret. Scriptum *infusum*, nostro more concinnandum & bibendum:

Rec. *Herb. absinth. menth. trifol. fibr. an. mß.*
rad. angel. Zedoar. cal. arom. an. ʒij.
gentian. ℥ß. *Zingib.* ʒj.
gial. turb. alb. & gummos. an. ℥ß.
fibr. helleb. n. ʒv. *fl. acac. p. ij.*
agar. troch. ⊖. *tart. an.* ℥ß.
fol. senn. s. s. ℥iß. *passul. min.* ℥ij.
cass. lign. ʒiij. *sem. anis.* ʒij.
Conc. cont. D.

Poterant aliqua omitti. Sed hic vir amabat formulas diffusas.

Raretedius. §. Sed & Raretedius (d. 5. *Aug.*) hactenus pancratice vivens, missum e vena *sanguinem* mihi *judicandum* transmisit. ERRALPI similis fuit. Atque talem fere in omnibus *venæsectionibus* hujus autumni, quotquot mihi examinandi oblati, reperi, nempe *sero* utplurimum nimium, quantum diffluentem. Caussam rogatus aliam dare non possem, quam æstatem nimium pluviosam, inspiratumque particulis aqueis fere semper ebrium aëra. Retinetur peccans copia humidum aquosum a fri-

frigore autumnali magis densatum, porisque propter eandem caussam oppessulatis. Hinc autumnalium quoque catarrhorum, tussium, gravedinum, raucedinum frequentia. Vid. HIPPOCR. *sect. III. Aph. 22.*

§. Thrasonis *minister*, hodie, DEO sit laus, alvum sponte deposuit, quod ab aliquo tempore non factum. Mitius quoque habet, desinentibus & *motibus convulsivis* & *ventris torminibus*. Si mature reseretur alvus, & intestinorum tono adhuc constante, bene omnia habent. Sin putrilagine adaucta non tam excernantur, quam dimittantur hactenus retenta, vel, si recrudescat malum, licet soluta semel alvo, spes decollat nihilominus. Ita bene WEDELIUS, *Disp. de Iliac. pass. hab.* Jenæ, 1689. cap. 6. §. 8. Ex *ileo, vomitio, aut singultus, aut* CONVULSIO, *aut delirium, malum.* HIPPOCR. *sect. VII. Aph. 10.* Benedictus sit DEUS, qui pessimum omen eventu saluberrimo mutavit. (d. 1. *Nov.* Thrasonis *minister.* *Iliaca passio.*

§. Tevius, vir annorum 40. procerus, robustus, agrestibus operis deditus, æstate præterita, sirio ardente, laboribus æstuans, frigidam affatim hausit, contracta inde permolesta *raucedine*, sine *tabe*, *tussi*, vel alioi pravo symptomate. Datum *electuarium purgans* in auctiore dosi. Purgatus bibat mane, pomeridie & noctu haustum calidum *decocti*: Tevius. *Raucedo.*

Rec. *Spec. pro Dec. pector.* ℥iiij.
herb. cochlear. mj. rad. armorac. ℥j.
sem. nasturt. sinap. an. ʒiß.
conc. cont. coq. in aq. font. meas. ij. ad consumt. mens. ß.

Cuilibet haustui guttæ xxx. *mixturæ* sequentis instillentur:

Rec. ⊖. *vol. eleos.* ʒiß. ℞. *croc.* ʒß. *M.*

Vitet acida, vinum austerum & omnes potus frigidos. Paret sibi pro lenienda siti, *ptisanam* crusta panis tosti imbuendam. (d. 7. *Nov.*)

§. Hypeneti *vidua* 62. annorum, *colica hysterica* valde atroci laborat. Cochleatim præbeatur *mixtura*: Hypeneti *vidua.* *Colica hysterica.*

Rec. *Aq.* CARD. MAR. *matricar. an.* ℥iiß.
hyster. offic. hirund. c. castor. an. ℥ß.
℞. *castor.* ʒß. *ess. anod.* ℈ß.
♁ *nat ppt. succin. a. ppt. an.* ℈j.
sir. chamom. ℥ß. *M.*

Cataplasma ex sem. lin. c. lacte cocto.

§. De Gypsopœo d. 27. *Sept.* pluribus actum. Hactenus eum per tunc ordinata, dummodo in usum tracta, multum profecisse, nondum comperimus, prout etiam *scorbutica paralysis* morbus est in se chronicus & ab actu pertinacissimus. Interim communicata nobis sunt remedia Gypsepœus. *Paralysis scorbutica.*

XXXI. dia a D. D. CODARMO eidem noviſſime præſcripta, quæ *Lectorem* celare noluimus:

Rec. *Scob. ebor. CC. an. ℥iij.*
rad. chin. ſarſapar. an. ℥iiij.
viſc. til colurn. an. ℥j.
coq. lento △ ad conſiſt. gummoſam, cavendo empyreuma.

Rec. *Hujus gummatis*
magneſ. alb. an. ℥ß.
oc. ♋. ppt. diaph. ♂. an. ʒij.
cryſt. mont. ppt. lumbr. ▽. ppt. ♁. nat. ppt.
ſuccin. ppt. an. ʒj. M. F. ♀.

Sumantur mane, cum ſcutella ſequentis *infuſi*, 3. cuſp. cultri, cujus *infuſi* theiformiter parandi tres ſemper ſcutellæ bibantur:

Rec. *Rad. ſarſapar. chin. an. ℥iß.*
fl. til. mij. viſc. quern. ʒvj.
rad. carlin. ℥ß. Caſſ. caryophyll. ʒij.
rad. polypod. ℥j. M. Conc. cont. D.

De ſubſcripto *electuario* noctu, quum itur cubitum, capiatur I. cuſp. cultr.

Rec. *Conf. alk. c. ℥j. pulv. 5. lapp. pret. ʒiß.*
extr. lign. aloe ℈j. balſ. de Tol. ʒj.
ol. ☊ ll. mac. gtt. iij. cinnam. gtt. ij. citr. gtt. v. M.

Medicamenta ſunt elegantia, quorum duo priora ſine dubio ſanguinis edulcorationi, ſaliumque obtuſioni dicata, illudque *gummi* eſt quaſi *gelatina CC. ſicca compoſita.* (d. 26. Dec.)

SOLI DEO GLORIA.





J. N. J.

ETEODROMI MEDICO-PRACTICI LENTILIANI.

MDCCIX.

NOVEMBER.

I.

I.

MErcurius, qui mane ad tertiam lineam quarti gradus surrexerat, vesperi dictum gradum æquavit. Liquor *thermometri* tertium proxime gradum per totam diem tenuit. Nox erat nubila, sed impluvia. Dies cumprimis pomeridie tenuiter pluviosa cum nubium obscuritate. *Novilunii* parum jucundus ingressus.

§. Nezelii *uxor* (d. 30. *Oct.*) quoad *capitis dolorem* longe mitius vivit, mitius adhuc victura, nisi *tussis* dolorem exasperaret. Huic mitigandæ (quum sit medicinarum nota contemtrix) nil aliud suasum, nisi *coagulum* illud *sacchari* liquefacti transparens & quasi *gummeum*, quod hic loci vocant Gersten-Zucker / quamvis fortasse cremoris hordeacei ne mica ingrediatur, *euporiston* in *tussi* non spernendum. Nuper autem ordinatis simul uti ne intermittat. (d. 3. *Nov.*) Nezelii *uxor.* *Cephalæa.*

§. Thrasonis *minister* hodie rursum sedem largam, eamque spontaneam, habuit, extra lectum manere potest, appetit, vires successi- Thrasonis *minister.*

I. *Iliaca passio.* ve recuperat. Sola da quadam *urinandi difficultate* querela. Malum tamen sibi familiare,& quasi hæreditarium affirmat. Hinc, ut attendatur, non mereri existimans, si forte caperet augmentum, ut mihi nunciaret monui.

NB. In propinandis pharmacis cum iliacis parce, quantum per morbum licet, procedendum, ne stomachi vix dum sopita rebellio suscitetur.

Horii *filiolus.* Nona dies vertitur, ex quo *Filiolus* Horii. (d. 29. *Oct.*) fabam intra rimam asperæ arteriæ illabi passus est, & adhuc vivit, quod sane mirandum. Ita tamen vivit, ut miserius non posset. O si DEO tragœdiæ denique finem imponere placeret! Placebit suo tempore. Optandum interim, ut Parentes eo spectaculo moti, *fanaticis* suis deliramentis renunciarent.

Neritii *Stomachi inflatio.* §. Neritii *filia* (d.30.*Oct.*) post exantlatam *purgationem* sibi convaluisse videtur, nisi, quod *stomachum inflatum* esse caussetur *Emplastrum de bacc.laur.* Mater imponere decrevit. Consensi, postquam illa prius regio delibuta fuisset *oleo carvi*. *Emplastrum sacculo*. tegatur ex *abs. chamom. menth. bacc. junip. laur. sem. carv. cort. aurant.* cum ∽. *bacc. junip. irror.* Intus cochleatim assumatur *aqua anisi* ✠*llata*, vitatis cibis flatulentis & dyspeptis quibuslibet. (d. 27. *Nov.*)

Grapteris *filiola. Hyposphagma.* §. Grapteris *filiola* (d.30.*Oct.*) *oculum* pro lubitu rursum aperire, palpebrasque, tumore omni evanido, diducere potest. In *albuginea* vel *cornea* lentis magnitudine adhuc quasi sanguinis grumulus, quem dissipatum iri dixi, lotione cum V̇. & superimpositione nuperi cataplasmatis. (d.4.*Nov.*)

Malisti *puella.* §. Malisti *puella* (d. 30. *Oct.*) ventre jam quoque detumescente, melius indies habet. Jugem tamen *guttularum* nuperarum usum inculcavi.

Diæta puerperalis. §. Puerperam sisto, scrofam magis quam mulierem, Lathyri malesanam *uxorem* liberorum multorum matrem. De hac sequentia mihi nunciata: Quamprimum infantem (quod cito nec multa cum molestia fieri solet) peperit, faciem, collum, mammas aqua frigida lavat. Eodem statim & sequentibus primis diebus, omnia domestica negotia suscipit, quovis anni tempore in culina, domus area, quin & hypogæo discurrit, linteamina lavat, lactucas a sordibus purgat, quin edit, cum raphanis, allio,&c. fructus horæos ac autumnali tempore uvas comest, vinum, mustum, loram (Leyer) bibit. Hæc omnia, vel legaliter punienda, facit & fecit

fecit multoties impune, nullo hinc adversæ valetudinis incommodo nato. Quid est? tentare DEUM, si hoc non est? Sed, nondum omnium dierum sol occidit. Natura se, nisi me omnia fallunt, aliquando graviter ulciscetur. Non frustra nationum omnium populi ab omni ævo puerperis quietem indulgent, immo imperant. Quid infantuli tenelli commeruerunt, ut lac maternum per tot immanes diætæ errores alteratum cum necessario sui detrimento sugere cogantur? Aliquos autem mortuos, superstites esse plerosque caussarios, urbi notum. Accedit, maritorum quorundam sævitiam, uxores puerperas ante tempus ad obeunda munia domestica compellentium, ejusmodi scandalosis exemplis provocari. Prudens *Medicus* has diætas puerperales nunquam probabit. I.

§. *Uxor* Laurentii (d. 29. *Oct.*) fauces indies magis angustas experitur, adeo, ut ullius liquidi ne guttam amplius deglutire queat. Nihilo tamen minus usui *decocti* insistendum, & *syringa chirurgica*, qua pote, via pandenda. Tenui filo pendet hujus mulieris vita. (d. 3. *Nov.*) Laurentii *uxor.*

II.

PErgit scandendo Mercurius, quippe mane primam quinti gradus lineam, & vesperi dicti gradus medium prope attingens. Liquor *thermometri* tertii exacte gradus per totum diei decursum tenax. Nox & dies, cum nubium densitate, tenuiter pluviosæ. II.

§. Egerticuli *uxori*, 40. annorum, aliquot liberorum matri, obesæ, cum rhoncho anhelanti, dedi *purgans electuarium*: Egerticuli *uxor.* *Asthma.*

Rec. *Pulv. Cornach.* ℨß. *elect. e psyll.* ℥ß.
∽⊖✱. anis. ℈ß. *M. pro 1. dosi.*

Adjeci hoc paradigma ob additamentum ∽⊖✱. quo alias hæc *electuaria* carent. Adjicio, sicubi pituitam observo viscidam, incidendi fine, non sine successu, præsertim, si *digestivorum* antambulones deprecentur *purgaturi.*

§. Mane vocor ad Dencalum *juvenem.* Ægerrime spirantem inveni, cum sudore frigido & respiratione valde sonora. Pulsus erat magnus. Catarrhum suffocativum metuens, *spermatis ceti* recentis cum jure calidissimo soluti drachmam statim unam propinavi, postea cochleatim præberi volui *mixturam*: Dencalus. *Catarrhus suffocativus.*

Rec. *Aq. hyssop. veron. an.* ℥iij.
asthmat. ℥ß.
⊖. vol. oleos. ∽. cochl. an. ℨß. *Ra. croc.* ℈j.
oxym. squillit. sir. de nicot. an. ℨiij. *M.*

II. Pectus calide fricetur *spiritu vini*.

Vesperi multo liberius spiravit. Interrogantibus, an dare liceret *gelatinam CC. & ebor.* quæ forte ad manus erat, concessi, *mixturamque* porro præberi volui. Dantur, qui talismodi *gelatinas* panacææ loco habent. Polychrestæ sunt, non panacææ, nusquam tamen, si non noceant; dissuadendæ.

Lignosi uxor. *Suspicio graviditatis.* §. *Uxor* Lignosi, *muliercula* pumila, gibbosa, plurium tamen liberorum matercula 40. circ. annorum, mihi recensuit, se in omnibus graviditatibus suis post pastum *deliquia stomachica*. (Magen-Schwächung) passam, nunc per aliquot rursum septimanas pati, menses quoque ab eo tempore repressos, nunc a triduo vel quatriduo, quamvis rivulo vix observabili, promanare, cum sensu formicationis in artubus. Ob signum supra memoratum gravidam se esse suspicatur, ob mensinm indicia rursum non suspicatur. Quid agendum, credendumve? quærit. Ultimo symptomate non obstante, immo sanguine pleniore rivo fluente, gravidam tamen esse posse, quamvis non oportere, dixi. Maneat igitur in lecto, quantum possibile immota cubet, *mixturaque* cochlear unum & alterum subinde capiat:

Rec. *Aq. plantag.* ℥ij. *meliss.* ℥j.
Ra. cr. ℈ij. *Coral.* ʒß.
sir. Coral. ʒiij. *M.*

Etiamsi gravida, dico, non sit, non tamen nocituram *mixturam*; si gravida sit, profuturam.

Si *menses* aliquamdiu substiterunt, & largiore quoque hinc fluxu prodeant, non statim de graviditate irrita pronunciandum: sic enim matres, abjecta sollicitudine debita, sibi fœtuique male prospiciunt. Multo minus temere *menses* tunc promovere decet. Unicus enim abortus *Medici* dirigentis famam proterit. Multæ gravidæ *mensibus* aliquoties fluunt, donec plane subsistant. Sie fliessen über die Kinde / ut nostræ loqui amant; illaque præ aliis, quæ paullo ante instantem *mensium fluxum* conceperunt.

Blepomactis *filiolus.* *Diarrhœa.* §. Blepomactis *Filiolus* (d. 17. *Sept.*) post exantlatas *variolas lymphaticas* aliquot *furunculos* accepit, & nunc per octiduum *diarrhœa* laborat. Eam, quamvis moderate, sistendi tempus jam esse ratus (nam alioqui *diarrhœa* post variolas, nisi modum excedat, proficua magis est, quam noxia) ter in die *trageam granorum actes* ad cusp. 2. cultri per se præbere mandavi, sitim autem lenire *decocto sassafrassato*.

Hie-

§. Hierocomus (d. 20. *Oct.*) *cachecticus* esse nondum desinit, quamvis *elixir balsamicum* cum *absinthite composito* diu usurpaverit. Mutanda aliquando, quod in chronicis affectibus necessarium est, medicamenta ratus, ordinavi *pulverem* cujus mane & pomeridie cusp. 3. cultri per se sumantur: II. Hierocomus. *Cachexia.*

Rec. *Spec diacret.* MYNS. ℥ß.
diaph. ♂al. ʒij. *♃al.* ʒj.
balsamosacch. pe uv. ʒvj. *ol. NM. expr. gr. vj. M.*

Noctu ante somnum, deglutiantur 20. *pilulæ* cum quovis vehiculo:

Rec. *Extr. gentian.* ʒiß. *trifol fibr.* ʒß.
myrrh. r. bals. peruv. an. ℈j.
diaph ♂al. ʒj. *cum ess. abs. F. pil. pond. gr.* j. (d. 15. *Nov.*)

§. Lümleri *Filiolus* biennis jam ab aliquo tempore laborat *alvi fluxu lienterico*, cibis assumtis absque mutatione rursum secedentibus. Remedia domestica varia nil juverunt. Bis in die dentur 2. cuspides cultri de *polline* sequente, cum quolibet vehiculo: Lümleri *filiolus.* *Lienteria.*

Rec. *Spec. diacr.* MYNS. ʒij. *ol. NM. expr. gr. iij.*
extr. papav. c. ℈ß. *balsamosacch. peruv.* ʒiij. *M.*

Noctu guttulæ xij. *elixiris*, eodem modo:

Rec. *Elix. bals. vit* MATTH. *compl. an.* ʒj. *M.*

Stomachi regio frequenter ungatur linimento:

Rec. *Unqu. comitiss.* ℥ß. *bals. peruv.* ℈j.
ol. absinth. menth. an. ℈ß.
caryoph mac an. gtt. iiij. M.

Quod hactenus bibit *lac amygdalinum*, bibere pergat.

§. Ob perpetuas, licet insipidas, *eructationes & dolorem* abdominis obtusum, jam ab aliquo tempore percepta symptomata, præviis tribus *pulveribus digestivis*, de quarta *purgans* assumere decrevi, cum primo pulvisculo digestivo hodie ante somnum, cum DEO, facturus initium: *Ructus.* *Dolor abdominis.*

Rec. *Tart.* ⊕*l. Crem. tart. an.* ʒj.
M. F. 3. ℥. ternis noctibus sumendi.

Rec. *Aq. laxat.* VIENN. ℥iij. *pulv.* CORNACH. ʒß.
syr. de cich. c. rh. ℥j. *M. pro 1. dos.*

NB. Difficulter moveri soleo.

§. Trichemboli *ancilla* 24. annorum, quoties mensibus fluit, Trichembuli.

 pri-

II. *Ancilla. vomitus tempore mensium.* prima fluxus die tota subinde *vomere* cogitur, quod symptoma & ipsi, & suis domesticis valde molestum est. Aliquid illo tempore nervos orificium sinistrum ambientes lacessere non dubito. Quid autem sit illud, æque non liquet. Cum tamen vomitus illi sint biliosi, bilem acrem in stomachi parietibus accumulari credo, quæ a sanguine, circa mensium tempus ebulliente in motum percita, nervos illos rodit, ad sui contractionem disponit & *vomitum* ciet. Periculum igitur faciendum esse duxi medicamento *emetocathartico*, *pulvere* sc. mihi consueto, triduo ante *plenilunium*, tempore sc. *mensium* apud hanc ancillam instantium, præbendo.

Psammi *uxor. Fluxus alvi.* §. Cum hodie in platea mihi obviaret *uxor* Psammi, de qua (d 25. *Sept.*) de valetudine sciscitanti, respondit: Medicamenta contra alvi fluxum tunc ordinata, optimum habuisse effectum. Interdum ægri, visitationes *medici* declinant, & se de pharmacorum effectu nunciaturos præmittunt, non semper servant. Unde fit, ut de successu dicto certior ante non fiat *Medicus*, quam interdum longo post tempore per ejusmodi occursus.

III.

MErcurius mane paulo supra medietatem quinti gradus constitutus vesperam dicti gradus ultimam lineam plene tetigit. Liquor *thermometri* mane tertio gradui proximus vesperi ad eum pervenit. Nox nubila, sed frigidiuscula, dies mediocris, frigida, ad serenitatem vergens.

Agejonci *Filia. Menses suppressi.* §. Agejonci Filia 22. annorum, postquam *suppressione mensium* diu laborasset, denique & *febri intermittente tertiana* correpta fuit, quam variis experimentis debellare conati postremo decocto cent. min. expugnarunt. Languor tamen universalis mansit, cum interpolatis *deliquiis hystericis*, *mensibus* hactenus nondum comparentibus. *Febrilis* fermenti reliquias agnoscens ordinavi *pulverem emetocatharticum*. Sanguinis lentori & deliquiis contra itum *mixtura*, cujus ter in die gtt. XXXX. ex quolibet vehiculo propinentur.

Rec. *elix. aperit.* CLAUD.

R*a*. ♂ LUD. *aa.* ℥iß. *castor.* ʒj. *M.*

Quamvis fateri nolint, amuleta tamen usurpata fuisse, fortassis non invanum, suspicor. (d. 8. *Nov.*)

Nezelij *uxor. Cephalæa.* §. Nezelij *uxor* (d. 1. *Nov.*) cum lata sanitate pacem initura videtur. *Cephalæa* valde remittit. *Guttarum* & *linimenti cephalici* usibus diutius insistat. (d. 10. *Nov.*)

Laurentij *uxor.* In pejus omnia cum *uxore* Laurentij ruunt, deglutitione fere, cum

cum viribus, omni abolita, re propterea soli *chirurgo* commissa, interni nihil ordinavi. Eam brevi morituram credo. (d. 4. *Nov.*)

III. Enthadandri *filia.* *Corporis inflatio.*

§. Enthadandri Filia (d. 31. *Oct.*) subsidente tumore omni, plene convaluit, ex meo consilio cras medicamentum *purgans* domesticum assumtura.

Sacremunij *uxor.* *febris erratica.*

§. Sacremunij consistentis ætatis *uxor* æstate præterita correpta fuit *anomala febri*, post quintam septimanam an vi, quod suspicor, suppressa, an arte fugata, certe tunc emanente. Loturis linteaminum victum quæritans, artus aquæ frigidæ maturius, nec dum plane deleto *febrili* fomite, immergens, paulo post recidivam, *quartanæ* typo passa est, quamvis & hæc anomaliis variis luserit. Multisciarum suasu *salem culinarem* calceis inspersit, hisque suis pedibus aptatis, incessit. Ante quinque dies affatim comedit de *brassica capitata* cruda minutim incisa, *pipere*, *oleo* & *aceto* condita, nostri vocant, Krautsalat. Valedixit *febris*, in ejus locum succedente *cardialgia* gravi, *dyspnœa* molesta, summaque virium debilitate. *Purgationem*, alioqui necessariam, summus languor impedivit. Hac itaque dilata scripti *pulveres*, quorum singulis 6. horis dosis una, cum vehiculo adjecto seorsim quoque hauriendo, sumatur:

Rec. ♁. *diaph. CC. philos.*
Oc. ♋. ppt. fl. ⊖✱ ij. an. ʒß.
ol. caryoph. gtt. iiij. M. F. 4. ℞es.

Rec. *aq menth. papav. rhœad. an. ℥ijß.*
mastichin. ℥ß.
conf. alk. inc. ʒj. sir. cydon. ʒiij. M.

Scrobiculo cordis *linimentum* frequens;

Rec. *ol. lumbric. absinth. an. ℥ß.*
nuc. mosch. expr. ʒß. M.

Medicus etiam ætate practica Nestor nunquam tamen experietur vel penetrabit in abyssum experimentorum *antifebrilium* profundissimum. Multi enim, quidquid agas, quod adhibuerunt, non fatentur; Hinc tam mira *febrium* curatarum phenomena. (d. 5. *Nov.*)

Thrasybuli *uxor.* *iliaca passio.*

§. Thrasybuli *uxorem* (d. 30. *Oct.*) ante biduum fatis cessisse comperi.

Exuri *filiola* *tormina.*

§. Exuri *filiola* (d. 29. *Oct.*) suis vociferationibus, pedum attractionibus, excretis viridibus acidumque spirantibus, flatibus sonoris, *torminum* cruciatus prodit. Cochleatim præbeatur *mixtura.*

Rec.

III.

Rec *Aq. anis.* ℥ij. *chamom.* ℥j.
pulv. March. ℈j. *ess. anod. gtt.* vj.
elæosacch. anis. ʒij. *M.*

Oleis tribus *carminativis*, *menthæ*, *carvi*, *anisi*, abdomen frequenter calide ungatur. (d. 4. *Nov.*)

Remistus. *Arteria vulnus.*

§. Remistus (d. 29. *Oct.*) a nuperis *pilulis* egregie, & cum levamine dormivit. Sanguis vulneratæ arteriæ carpi jam ultra octiduum substitit. Spes affulget perfectæ restitutionis.

IV.

IV.

MErcurius hac nocte parum subsedit, vesperi ad medium quinti gradus delapsus. Liquor *thermometri* mane hesternus, vesperi gradum tertium vix sensibiliter superavit. Nox fuit pluviosa, cum tota die, quamvis pluvia esset valde tenuis.

Tolmeri *ancilla.* *Tumor ad mentum.*

§. Tolmeri *ancilla* spectandum præbuit sub dextra maxilla, proxime ad mentum, *tumorem* rubrum, durum, dolorificum, *inæqualem*, jam diu durantem, nucis juglandis quantitate. Applicata *emollientia* imposita varia *emplastra*, *de ranis vig. c.* ☿ *io*, *malactica*, alia &c. successu frustraneo. *Regium* BURRHI suasi. Displicet mihi hic tumor. Modo non induat naturam carcinomatis.

Famulatur hæc ancilla in Diversorio publico, quibus in locis maleferiati hospites privilegio petulanter agendi se munitos esse credunt; Sed & ancillæ licentiam patiendi, quod alibi non paterentur, aut saltem pati magis verecundarentur, sibi datam existimant. Una fortis genæ glandulosæ compressio, tametsi per jocum facta, *tumores cancrosos*, etiam post aliquot annorum decursum, excitare valet. Novi mulierem, quæ sic in altera mamilla pressa *tumorem cancrosum* sensim succrescentem gestavit, post viginti demum annos, cum insequente morte, exulceratum.

Æxuri *filiola.* *Uxor.* *Alvus constipata.*

§. Æxuri *filiola* per totam noctem placide dormivit, consopitis in solidum *torminibus*. *Uxor* autem queritur de *inflatione* ac *tensione* dolorifica *hypochondriorum*. Cum alvum iterum a quatriduo constipatam esse rescirem. Suasi, ut alvum more nupero (d. 27. *Oct.*) reserare studerent. (d. 29. *Nov.*)

Bohemi *uxor.* *Purgatio.*

§. *Uxor* Bohemi *pilulas* d. 4. *Oct.* ordinatas heri assumsit, quæ sedem ne unam, immo ne *tormina* quidem, moverunt. Caussa sine dubio fuit *intermissus pulvis digestivus*. Vid. HIPPOCR. *sect. II. Aph. 9* & *sect. VII. aph. 70.* Nunciatum mihi vesperi, sed sero nimis. Cum enim virtus *purgantis* jam evanida reddita fuit; *stimulantia* non amplius juvant. Hinc imperare

soleo

soleo, si forte *purgans* vim suam non exserat, ut circa meridiem indicetur mihi, tunc enim *stimulus* adhuc usurpatur cum effectu. Mulier quædam suasit, ut *pruna damascena* cocta affatim comederet, & largiter postea biberet. Sic quidem alvus fluida reddi potest, sed & stomachus debilitari. Aliud est, alvum reserare, aliud *purgare*. Non omnes sedes liquidæ sunt *purgationes*. Prudens *Medicus purgantium* vim ita promovet, ut *ventriculo*, quantum possibile, parcat. Obiter hic de *jusculis* dicendum. Qui *purgantia* hauserunt, plerumque juscula aliquoties assumere jubentur, ut *purgantium* sc. operatio promoveatur. Quæritur, an sit præcise necessarium? HIPPOCR. *lib. de vict. rat. in morb. acut. conducibile ait, assumto pharmaco mox superforbere ptisanam, incipiente vero purgatione, nil amplius porrigi debere.* WALÆUS contra *Inst. Med. lib. III. cap. 2. p. m. 93. hausto medicamento, scribit, non licet ægro cito dormire, & post horam* $1\frac{1}{2}$. *debet aliquid liquidi habere, quod permoveat medicamentum* HOFFMANN. *Meth. med. lib. I. cap 7. p. 71. post binas*, scribit, *dejectiones jusculum aliquod abluens; ac detergens exsorbeatur, ne tormina exsurgant, & medicamentum vires suas tanto exoptatius exserere valeat.* Consentit VESTI *tr. de purgat. cap. III. §. 13.* Nobis ita videtur: si *purgantis* assumti forma sit sicca, v. gr. *pilularis, pulverulenta*, si *purgandus* sit macilentus, cholericus, Natura siccior, jusculis vel alia humectatione virtutem *purgantis* promovere convenit. *Potiones, infusa, decocta*, corpora obesa, phlegmatica, talibus aut nunquam, aut rarius certe indigent, formulæ mediæ, v. gr. *electuaria* medio modo se habent. Præterea, si segniter opus procedit, juscula diluentia & abstergentia largiore præbio danda, & contra. Porro, sit etiam hic modus in rebus. Dantur homines, qui purgantes ægros, jugi oblatione jusculorum tantum non exanimant. Etiam hic nimium naturæ hostile. Præcipue, si qui bibere cogantur juscula prorsus insulsa summa cum nausea, unde non raro, præter intentionem *Medici*, vomitus excitatur, *purgantis* operatione sic frustrata. Quamobrem juscula pauco ⊖*e* condire non veto, *Sal* enim exesse jubetur ob metum hypercatharseos, cum stimulet: unde consequitur in segniore operatione proficere magis juscula salsa, quam obesse. Juscula vero possunt esse varia. Commodissima sunt ptisana & pisorum juscula; sequuntur carnea. *Decoctum prunorum dulcium* ⊖*e* non eget & fere nauseosum est. Cum hodie mos *theam* sorbendi adeo invaluerit, aliquot ejus pocilla haurire volentibus concedo, quod cum *Caffé* minus commode fit.

Si *purgans* non operetur, plurimi sunt in ea persuasione, damnum inde summum oriri, immo ea veneni naturam induere. Putant enim,

IV.

IV. ea semper in corpore relinqui: Hinc sæpe longo post tempore, queri solent: Sie haben 3. 4. *purgationes* im Leibe ligen. His oggerere soleo: Si *purgantis* assumti ne tanta quidem est vis & efficacia, ut humores turbare valeat, quid corpori detrimenti alias inferre possit? Ne dicam, experientiam toto die reclamare. Melius est omnino, *purgans* nihil, quam nimium agere. An de *purgantibus* e censu mineralium desumtis idem valeat? Hæreo. (d. 5. *Nov.*)

Grapteris *filiola.* *Vomitus.*

§. Apud Grapteris *filiolam hyposphagmatis* nullum amplius vestigium. Interim hodie sexies *vomuit.* Caussam expiscari nondum potui: Deglutiat 2. *pilulas theriacales.*

Coronatus, *Ischiaticus dolor.*

§. Coronatus, vir annorum 40. laboribus rusticis a Juventute deditus, frigori sæpe expositus, *dolorem lacerantem circa os sacrum* jam diu sustinet, nec litibus, nec emplastris, nec balneis, nec sudoribus cedentem, immo stuporem femoribus & eundi ferme impotentiam inducentem. Est proceræ staturæ & macilentus. Nec tumor, nec rubor adest. Urina rite succedit. *Ischiaticum* malum agnovi. Cui tollendo datum primo *electuarium purgans*, hinc mane & noctu gtt. xxxx. *mixtura* ex quolibet vehiculo:

Rec. *Ess. lignor. fumar. an.* ℥iij.
anod. ℥ß. *M.*

Postea commendavi curam Fel. Würzii, descriptam in *miscellan. nostr. Part. I. p. 319.*

Laurentii *uxor.*

§. Laurentii *uxor* præterita nocte madefieri cœpit *frigidis sudoribus*, ominis pessimi symptomate. Quamvis adhuc ægerrime deglutiat, multumque tussiat, *mixturam* tamen *thoracico-roborantem* cochleatim

Rec. *Aq. fœnic. borrag. an.* ℥iij.
conf. alk. inc. essent. lign. an. ℥ß.
sir. jujub papav. errat. an. ℥ij. *M.*

Eam morti appropinquare credo.

Prati *filiolus.* *Verminosus.*

§. Prati *filiolus* septennis jam diu laborat immoderata siti, & appetitu ferme canino, tensum est abdomen, pavet in somno, dentibus stridet, interdum, præsertim impastus, torminibus affligitur. Orta de lumbricis suspicione, cochleatim hodie propinari volui *mixturam*;

Rec. *Aq. gramin. rub. id. an.* ℥ij.
sir. fl. persic. ℥ß. *M.*

In craſtinum vero *potionem catharticam*: IV.

Rec. *Pulv.* CORNACH. ☿ *ij. dulc. rit. par.*
ſem. ſanton. an. ℈ß.
magiſt. gial. gr. v. ſir. de cich. c. rh. ℨvj.
aq. gramin. q. ſ. F. hauſtus pro 1. doſi. (d. 5. *Nov.*)

V. V.

MErcurius mane paulo ſupra medium, veſperi vero in ultima linea quinti gradus. Liquor *thermometri* paulo ſupra tertium gradum per totam diem quieſcebat. Nox nubila cum pluvia tenui, tota dies, interdum largiter, pluvioſa.

§. Pſammi *uxor* (d. 25. *Sept.*) me rurſum convenit, ſollicita de partu propinquo, quum, ut d. 22. *Febr.* & d. 21. *Jun.* dictum multorum fœtuum infelix mater fuiſſet, qui matricis oſtia ſemper in ſitu male diſpoſiti pulſaverant. Quærebant ex me: Annon poſſet etcogitari modus, quo mediante fœtus in utero ſitum debitum ſervare valeat? Narrabat de FRIDERICA eam nempe aliquoties peperiſſe fœtus mortuos, ad exitum, ſitus ratione, male compoſitos, nunc feliciter parere. Quæ in medici nullius poteſtate ſint, a me fruſtra poſtulari, dixi; Quis enim ſitum infantis in utero quovis excogitabilis modo moderetur? Infans juſtum ſitum retinere poteſt, uſque ad partum; Si tunc in ſitu naturali maneat, jam ad partum eſt male compoſitus, quippe pedibus orificio matricis approximans. Igitur, ſi res rite procedere debeat, opus eſt, ut infans de ſolio ſuo quaſi deturbetur, facie verſus matricem prona, pedibus ad fundum uteri reflexis. Es muß ſich ſtürtzen/wenden/überwerfen. Opus hoc eſt ſolius naturæ, nunquam artis, præter id, quod in partu laborioſo minus recte ſito, peritæ obſtetrices, digitorum ope, efficere poſſunt. FRIDERICAM quod attinet, eam non ulla arte vel conſilio felicius parere didiciſſe, quod autem nunc feliciter pariat, id vel caſui, vel, quod pie magis creditur, DIVINÆ *gratiæ* deberi. Pſammi Uxor. *Parturitio.*

Quærebat inſuper: An ad partum infelicem aliquid conferre poſſint frequenter percepti *rugitus* in inteſtinis tenuibus, vel *nephritici* dolores? Neutrum reſpondi, cum feliciter pariant utroque morbo afflictæ, infeliciter horum nullo afflictæ. Poterunt fortaſſe preces ad DEUM, quod nequit *medicina*. Nec de felicitate, quæ FRIDERICÆ denique obrigit, etiam hic, ſi DEO placuerit, obtinenda plane deſperandum.

§. Bohemi *uxor* etiam præterita nocte ne semel quidem nota, tametſi pruna damaſcena manu non illiberali ori admoviſſet, Bohemi *Uxor.*

V. ac insuper hausticôs bibisset. Interim tamen *torminosi* quid hodie percipit, quod non tam relictæ in corpore *purgationi*, quam prunis & largiori potui, quin & *mœstitia*, ob adversi quid incidens, contractæ adscribo. Jussi subinde cochlear unum *aqua cinnam. cydonial.* bibere. (d 6. *Nov.*)

Æxuri *nutrix. Diarrhœa.*

§. Æxuri *nutrix diarrhœa* laborat cum *torminibus*. Caussam adscripsi, quod noctu lactandæ infantulæ gratia e lecto surgens nudis pedibus incedat. Jam non recordari possum, ubi legerim, pedibus nudis super lapideo pavimento incedentes *diarrhœa* spontanea corripi. Legi vero. Nutrici huic parare jussi *vinum candefactum saccharo & cinnamomo* conditum, geglühten Wein. Quo non juvante cochleatim sorbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. menth.* ℥iij. *cinnam. cydon.* ℥j.
extr. papav. comp. gr. iiij.
sir. balsam. ℥ß. *M.* (d.6. *Nov.*)

Cesili *uxor. Sexus dignotio in nuper edito partu.*

Forte fortuna comperi, jam ante aliquot septimanas uxorem Cesili peperisse infantem, cujus sexus dignosci non potuerit; accersitos *Chirurgos* in diversos abisse sententias: infantem operationi *Chirurgicæ* succubuisse, hermaphroditum fuisse, & alia ridicula plura a nescio quibus, uti circa insolita solet, prolata. Partium mearum esse duxi, ut in rei veritatem inquirerem. Accersita mater sequentia narrabat: se ante sex hebdomatas peperisse infantem, de cujus sexu ab Adstantibus dubitatum fuerit, puellus ne esset, an puella? ONISIMUM juniorem, *Chirurgum*, vocatum pronunciasse *filiolam*; Cui cum fides sit habita, nominatam in BAPTISMO fuisse ANNAM CHRISTINAM. Aviam prima vespere post *Sacrum* BAPTISMUM infantem fasciis involuturam, se nondum esse de sexu certam, asseverasse. Se, matrem anxiam, accersivisse *Chirurgum* seniorem, NIVERO, qui puellum salutarit, posteroque die, facta incisione parva, mentulam detexerit; Re Pastori nunciata, puello noviter agnito, nomen JOHANNIS CHRISTIANI datum; ipsum vero ab incisionis tempore valetudinarium factum, intra tres septimanas exspirasse. Hæc mater.

Varie hic erratum. Obstetricis erat casum hunc extraordinarium partus humani deferre ad PHYSICUM. Idem facere debebant utrique *Chirurgi*. Omnium autem pessime rem suam egit NIVERO. Quis enim ipsi copiam dedit aut facultatem, pro suo arbitratu, PHYSICO inconsulto ejusmodi incisuram audere? Res igitur a PHYSICIS ad MAGISTRATUM delata, modo sequenti:

Comperimus &c. Quandoquidem vero omnes ejusmodi casus extraordinarios, eos præcipue circa partus negotia, ad PHYSICATUM deferre

re, non tantum usu receptum, sed ob caussas non leves, etiam necessarium est: Quum in vagina muliebri naturaliter aliquid membro virili non absimile, sub nomine Clitoridis veniens, reperiatur, quum interdum extra matricis orificium aliquantillum prominuisse, & imperitos in dignotione sexus, in errores abripuisse, observationes variæ testentur, quod accurate vestigare ac determinare, non sit officium *Chirurgi*, sed PHYSICI, tanquam anatomiæ, structuræque viscerum gnari, proinde tam obstetrix, quam e *Chirurgis* maxime ultimus in prætermissa delatione peccarint, immo hic per incisionem fortasse minus necessariam, infanti tenello non leve detrimentum afferre potuerit, &c. Ideo rogamus, ut imposterum &c. V.

Clitoris, aliis *virga* vel *penis muliebris* dicitur: tum, quia peni similis est situ, substantia, compositione, spirituum repletione & erectione: Habet item glandi aliquid simile & præputio; tum quia in quibusdam excrescit in magnitudinem *penis*, adeo, ut penis virilis loco *clitoride* aliquando abutantur mulieres nonnullæ, & mutuo coëant, quas *confricatrices* vocant. BARTHOLIN. *anat. nov. lib.*1. *cap.*34. De hac clitoride curiosa multa leguntur apud DIEMERBROEK, *Anat. lib. I. cap. 25.* non tantum de ejus excrescentia & magnitudine ex aliorum & propriis observationibus; sed etiam, quod *Hermaphroditorum* mentulæ fere nil sint aliud, quam prominens illa *Clitoris*. *In* HERMAPHRODITIS, inquit, *hæc ipsa pars est, quæ increscens virgam virilem effingit, ut ex eo patet, quod nulla manifeste conspicua perforatio in ea observetur, quamvis testes ei foris, inferius a lateribus adstent.* Concludit denique; HERMAPHRODITOS *non vere utriusq; sexus participes esse, sed esse revera feminas, quibus genitalia sunt male conformata, scil. testes extra abdomen in labia descenderunt, & Clitoris in nimiam longitudinem excrevit.* Vana proinde, sine dubio fuit incisio NIVERIANA, qua *clitoridis* rimam perviam, & e puella puellum facere imprudenter sustinuit. Ad nostrum casum omnino facit, quod invenitur aqud REGN. de GRAAF. *de organ. mulier. cap.3 p.95. Clitoridis præternaturalis magnitudinis exemplum manifestum præterito anno nobis exhibuit* INFANS, *cujus clitoris tantam cum membro virili similitudinem referebat, ut cum obstetrice una vicinæ mulieres, ac peritiores alii* ILLUM MASCULUM JUDICAVERINT, & *masculino nomine in* BAPTISMO *insigniri jusserint: hanc tamen naturæ fraudem detexit post mortem accurata harum partium dissectio.* Idem in infante CESILI; si post mortem apertus fuisset, oculis nostris exponendum fuisset, non ambigo. Vid. m. TAUVRY *anat. nov. cap. 12. p.m. 206. 207.* & de Clitoride plane curiosa STEGMANNI Ann. IV. Dec. III. Eph. Cur. obs. 112.

 vide-

V. videat WIERUS de præstig. lib. IV. cap. 24. & omnes, quos ex antiquitate, recentioribusque temporibus allegat Auctores, annon per hanc clitoridem falsi fuerint in opinione fœminarum in viros mutatarum, quod valde metuo, præsertim, cum ipse WIERUS fateatur, *fœminas solum transire in masculos*, non contra; Cum enim ipse transmutationem illam excrescentiæ *clitoridis* adscribat, manebit certe fœmina, quæ ante fuit, non obstante *clitoridis* tanta productione, quæ penem virilem æquet, immo vicem hujus obire queat. Nam probe notandum, quod ex omnibus a WIERO productis historiis nec una reperiatur, quæ transformatum e fœmina marem liberos genuisse vel narret, vel affirmare audeat.

Sacremunii *uxor*. §. *Uxor* Sacremunii (d. 3. *Nov.*) per nuper ordinata profecit auspicato. *Dolori capitis*, de quo nunc primario queritur, obviatum pilulis ante somnum, quovis modo, deglutiendis:

Rec. Extr. *bezoard. papav. comp. an. gr. iij.*
castor. gr. ij. F. pil. n. viij. pro 1. dosi. [d. 6. *Nov.*]

Vertagi *uxor*. Cordis palmus. §. *Uxor* Vertagi, 44 circ. annorum, sanguinea, obesa, de *palpitatione cordis* & *spiratu difficili* querelas nectit. Non diu est, quod sanguinem misit. Levatur ab *eructationibus acidulis*. Post pastum cumprimis afficitur. *Absorbentibus* esse succurrendum putavi:

Rec. *Conch. ppt. matr. perl. ppt. an.* ℈j.
ol. caryoph. gtt. iij.
extr. papav. c. gr. iiij. M. F. 2. ℥.

Sumatur hodie noctu & cras mane unus ex vehiculo tali:

Rec. *Aq. meliss.* ℥iiij. *conf. alk. inc.* ℥j. *M.*

Scrobiculo cordis *emplastrum antipalmicum* consuetum. Vitentur cibi flatulenti. (d. 6. *Nov.*)

Lycaonis *privignus*. *Convulsiones*. §. Lycaonis *privignulus* (d. 28. *Maj.*) pavet, æstuat, sitit, somnolentus est. *Convulsiones* leves patitur:

Rec. *Aq. fl. til. fumar. ceras. n. an.* ℥iß.
epil. Lang. ℥ij.
pulv. March. mater. perl. an. ℈j.
sir. fl. pœon. ℥ij. *M. D. cochleatim.*

Balsamum cephalicum consuetum. (d. 6. *Nov.*)

Bucapeli *filiolus*. *Phlyctæna oculi*. §. Bucapeli *filiolus* quinquennis, in altero oculo *phlictænam* ostendit intra nycthemeron ortam, absq; ulla liquida caussa vel in - vel externa. Suspicio adest arrosæ jam *corneæ*. Caput non dolet. Ter in die sumat cusp. 1. cultr. *de pulvisculo*, cum adjecto vehiculo;

Rec.

Rec. *Mater. perl, CC. philos.* V.
matr. perl. ppt. an. ℈j. *M.*
Rec. *Aq. fœnic. fumar. rosar. an.* ℥iß.
sir. de beton. ℥iij. *M.*
Collyrium decenter adhibeatur:
Rec. *Tut. ppt. margar. ppt. an.* ℈j. *croc. gr. vj.*
aq. ros. alb. euphras. an. ℥iß. *M.*
Vesicatorium dextro bracchiolo. (d. 6. *Nov.*)

§. Prati *Filiolus* a *potione cathartica* non nisi semel *purgatus* est, nec in scybalis *lumbricorum* vestigium. Cum *mixtura* cochleatim sumenda tamen pergere jussi, lumbricos non adesse nondum convictus, sunt enim quandoque valde pertinaces. Potius, suo tempore, *helminthagoga* repetenda. (d. 6 *Nov.*) Prati *filiolus.*

VI. VI.

MAne vasa utraque, qualia heri vesperi. Hac autem vespera Mercurius fere usque ad medium quinti gradus subsedit, liquor autem *thermometri*, tertium gradum aliquousque transscendit. Nox nebulosa; mane nebula densa, circa meridiem parca serenitas; vesperi rursum nubes, nulla sequente vel comitante pluvia.

§. Lycaonis *privignulus* quodammodo melior, quamvis, quid monstri symptomata alant, nondum liqueat. Singulis tribus horis cusp. I. cultri propinetur de sequenti *polline*, quocunque practicabili modo: Lycaonis *filiolus.*
Rec. *Cryst all. ppt. smaragd. ppt.*
matr. perl. ppt. Cor. r. ppt. an. gr. xv.
lap. bez. occid. ℈ß. *orient. gr. iiij.*
♁. *nat. ppt.* ♉. *rectif. unic. ver. an.* ℈ß. *M. F.* ☿. *tenuiss.*
Mixtura & *balsamum hesternum* non omittantur. Vesica in altero brachio excitetur. Vesperi convulsiones ferocius miserum exercebant; Cochleatim insuper detur *mixtura*:
Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. rut. an.* ℥j. *epil. L.* ℥ß.
specif. cephal. pulv. March. *an.* ℈j.
conf. alk. c. ʒß. *sir. fl. pœon.* ʒij. *M.* (d. 7. *Nov*)

§. Melodidascalus denuo misere *convellitur* in facie, quinimmo spasticos in toto corpore motus sentit, adeo ut *convulsionum* universalium non vanus sit metus. Ex *aqua lavendulæ sir. fl. pœon.* edulcorata sumat ter in die gtt. 40. *mixturæ*: Rec. ♒. *nervin.* ʒj. ℞. *succin.* ʒß. *M.* Melodidascalus. *Spasmus.*

§. *Uxor* Vertagi ratione *palpitationis cordis* effectum hesternorum Vertagi *uxor.* *Palp. cord.*

VI. norum medicamentorum non ſenſit inefficacem. Ad meliorem mali, libenter recurrentis, eradicationem, ſuaſi *pulveris* pone ſequentis, ter in die diuturnam aſſumtionem, e quovis grato vehiculo, ſi per ſe, quod tamen ſpero, adſumi non poſſit:

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ℥ß.
diaph. ♂al. ʒj. *extr. papav. err.* ℈ß.
conch. ppt matr. perl. ppt. an. ʒj.
elæoſacch. cinnam. ʒvj. *M.*

Filiola *ſcabioſa.* *Filiolæ* 12. annorum *ſcabioſæ* medelam eadem quærit:

Rec. *Pulv.* CORNACH. ℈j. *ſir. de cich c. rh.* ʒvij.
aq. fumar. parum. *M. F. hauſtus.*

In nodulo potui ordinario immergatur *raſura ligni ſaſſafr.* maneque & noctu brachia, manusque calide laventur & fricentur *furfuribus* in *aq. font. decoctis*, non neglectu diæta.

Bohemi *uxor.* Exuri *nutrix.* Uti *aqua cinnamomi cydoniata* apud *Uxorem* Bohemi *tormina*; ita *mixtura* heri ſcripta *diarrhœam* apud ÆXURI *nutricem*, ſedarunt. Cui ultimæ ad diſſipandos & præpediendos *flatus*, ordinatus *pulvis*, cujus ter in die 3. cuſp. cult. per ſe ſumantur:

Rec. *Elæoſacch. e. 4. ol. carmin.* ℥iij.
pulv. cort. aur. ʒj. *M.* (d. 9. *Nov.*)

§. *Puerperæ* noſtrates, vilioris præcipue conditionis, in uſu habent, ut *Offis*, quas comedunt, (Suppen) ex quolibet etiam liquore paratis & in ſcutellam effuſis, *miſceant hauſtum vini* albi frigidi, idque valdopere ſalutare cenſeant. Idem GNOMILEGUS mecum obſervavit. De guſtibus, juxta proverbium, non eſt diſputandum. Quod me attinet, guſtum mihi alium imaginari non poſſum, quam vini jam ſemel poti, & vomitu poſtea redditi. Alioqui vero *mixturam* hanc adeo abſurdam non judico. ¡Offæ ſane roborantis inde virtutis aliquid accedere, quis dubitet? ſive ſit ex aqua fontana, ſive juſculo carnium parata. Frigida affuſio duplicem habet uſum. 1. Temperatur offæ fervor in momento, ut ſine moleſta inſufflatione ſumi poſſet. 2. Vis vini ſpirituoſa non æque diſſipatur, atque a coctione; ſi ſtatim ab affuſione offa comedatur. Præterea pauperioribus vinum revera eſt cordiale, quo rarius reficiuntur, quum ditioribus per conſuetudinem in alimentum vertatur. De *Vippa ſchol.* SALERNIT. cap. LIV. quæ GALLIS *ſouppe au vin*, vocatur, & nihil aliud eſt, quam *buccella panis* vino intincta, jentaculique vice comeſta. ROD. a CASTRO *de morb. mul. p. 2. l. 4. ſ. 1. c.* 1. puerperis ſtatim poſt partum ſuadet, ut modicum ſumant *puri Hippocratici*, aut *vitell. ov. cum vin. rhenan. ſacchar. & cinnam.*

nam, quod GALLI chaudeau vocant. Forsan offæ nostræ ad imitationem confictæ sunt. COMITISSA quædam GŒPPINGÆ tempore nuperarum *acidularum* ejusm. *Chaudeau* parare solita fuit, nobisquæ loco *theè* vel *caffè* propinare. Non erat insuave. De offis autem nostris nihil reperio, quod ipsis exacte conveniat, eæque fortasse sunt nostræ SUEVIÆ gentilitiæ. VI.

§. Sacremunij *uxor*, in plerisque melior, noctem transegit placidissimam *appetitui* dejecto: Sacremunij *uxor*.

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ℥ß.
diaph. ♃ *al.* ♂ *al. an.* ʒj.
elæosacch. mac. ʒvj. *M.*

Ægra sum. mane & pomer. cusp. 3. cultr per se, & noctu gutt. XXX. *elixir. balsam.* ex quocunque vehiculo. Quum *pedes* aliquantum *tumeant*; suasi, ut *corticem medianum sambuci*, vel *herbam chelid. maj.* intra tibilia gestet, vel *cataplasma ex ferment. pan. aceto* & ⊖e plantis pedum applicet. (d. 8. *Nov.*)

Phlyctena in *ocello filioli* BUCEPALI minor. Oculum denuo aperire, apertum servare, visuque uti potest, heri nil poterat. Igitur ordinatorum sit continuata diligensque applicatio. (d. 11. *Nov.*) Bucepali *Filiolus*. *Phlyctena in oculo*.

§. Prati *filiolus* hodie demum exclusit *lumbricos* prægrandes nr. tres, ac inde se multum levari sensit. Non desperandum, licet primo momento ab assumtis anthelminticis voti compos non fiat. Quod *purgantia* nonnunquam in *lumbricis* mortuis, intestina cumprimis tenuia insolentibus, non possunt, potest motus intestinorum peristalticus, Luna decrescente repetenda sunt *anthelmintica*. (d. 22. *Dec.*) Prati filiolus. *Lumbrici*.

§. E granario quodam publico aliquot *Zeæ* modij, pars mei salarij, asportati fuerunt. Vix in mearum ædium granario per quatriduum morati, prodiderunt *Curculiones*, pessimum insecti genus. Hiemali tempore semet recondunt in hypogæa, majo mense per chiliadas sursum repentes granaria denuo visitant, grana frumenti excavant, & damnum vix credibile inferunt. Pererrant præterea totas ædes, perreptant omnes rimas, ingerunt se conditoriis leguminum, hordei declumati, farinæ, nusquam non reperiuntur, in libris, lectis (ubi rostellis suis cubantes pejus quam cimices vel pulices fodicant,) ubique. Verissimum in meis ædibus comperi; quod LŒWENHŒK *arcan. natur. epist. contin. II. p. m. 57.* asserit: *Frumenti portatores inscios facillime aliquot frumenti grana, in quibus* CURCULIO *latet, vel* CURCULIONES *ipsos tam vestibus, quam calceis suis adhærentes, secum transferre posse in alias ædes, in quibus antea* CURCULIONES *nunquam fuerunt.*

VI. Nam hoc cum ædibus meis revera factum. Porro ibidem legi merentur obſervationes Auctoris curioſiſſimæ, de modo, quo grana adoriuntur, excavant, ſubintrant &c. hæc animalcula, quo pacto coëant quam incredibili & ſtupenda copia ſeſe multiplicent, *vid. m. ejuſd. contemplat. & experim. Tom. I. p. m. 275. ſeqq.* Multi multis modis extirpare conati ſunt hæc inſecta, ſed plerumque infido cum effectu. Summopere & ceu infallibile commendatum mihi fuit a quodam *Pharmacopœo* ſequens experimentum: Rec. *herb. ſabin. rad. alii*, *ſummit. abſinth. fol. rut.* an. q. pl coq. in *lixivio acri*, parato e cineribus & ♆. Cola & exprime, & cum frumenti acervus *tribus diebus veneris*, menſe *Martio*, diſcutitur (wann es gewendet wird/) pala frequenter in hoc *lixivium* intingatur, quin & area frumentarii ipſumque frumentum eo ſæpe conſpergatur; poſtea, quando frumentum rurſum coacervatum eſt, acervus tegatur *lupulo* & *fol. arb. juglandis.* Inſecta moriuntur. Dicitur & hoc *lixivium erucas in arboribus* & *oleribus* exſtirpare. Alio modo quatuor iſta vegetabilia conciduntur, & quilibet horum manipulus commiſcetur cum *terebinthina* & 🜄. Fricatur hoc magmate pala, qua diſſipatur & commovetur frumentum, ubi obſervandum, ut commotio frumenti fiat ex oppoſito venti, ut ſcil. frumentum graveolentiam remedii eo intimius attrahat. Hucusque experimenta. Non ſunt rejicula, dummodo abſit *trium veneris dierum* ſuperſtitio. De Curculionibus mihi fuit *ſchediaſma* CONR. TIBURT. RANGONIS, vernacula impresſum BEROLINI 1665. 12. quod amiculo cuidam petenti mutuo datum *a jamais redonner.*

§. Recordabitur *Lector*, me & Dn. Collegam meum d. 17. *Oct.* a *Præfecto* STUTTGARDIENSIS *provinciæ* petiſſe, ut inquirere ne gravaretur, *quæ ſit contagionis inter oves* ratio, qui modus? quæ in apertis viſcera, & quomodo læſa. &c.? Præfectus ipſe me hodie convenit, contagionem in duodecim præfecturæ STUTTGARDIENSIS pagis inter *oves* graſſari; in earum aperturis vitioſi nil reperiri, niſi quod *jecora* ſint *echinoſa*, reliqua viſcera utplurimum eſſe ſana; aliquas tamen repertas hydropicas, pulmonumque labe putrida infectas &c. Dicebam, quamvis ad tuendam hominum ſanitatem tutiſſimum ſit, harum ovium carnem prorſus aboleri, ſi tamen via hæc rigidior videretur, mandare tamen per totam præfecturam ne cunctaretur, ut ovium ſortis prioris viſcera cum ſanguine projiciantur, poſterioris autem totum corpus cum omnibus ſuis contentis corvis in eſcam cedatur.

Echinoſarum ovium carnes vulgo innoxias prædicant. Credat, qui volet. Ego certe ſciens comedere nolim. Id unum proplema mihi ſolvi

velim:

velim: si viscera depuratoria sint labe vitiosa affecta, quomodo sanguis rite depurari? si sanguis non rite depuratus, quomodo carnes illo sanguine nutritæ, auctæ &c. salubres esse queant? VI.

§. Hoc anni tempore rumor percrebuit de *avena lolio temulento* nimium quantum hinc inde permixta, & de viribus, quas cibi inde confecti, comedentibus inferunt, calamitosis. Ipse supra memoratus Dn. Præfectus, de vico quodam ipsius præfecturæ accerso, cui nomen FEUERBACH, mihi recensebat, multos illius incolas ex *lolii* hujus *temulenti panum forma* pisti, vel *pulmentorum* facie cocti, comestione per aliquot dies ægrotasse. Operæ pretium existimans, ut in hanc rem penitius inquireretur, rogavi, ut in mandatis daret illis, qui ex tali comestine ægrotarunt, ut non solum examini meo se sisterent, sed etiam *lolium temulentum* ipsummet mihi adferent; quod se facturum promisit.

VII.

VII.

MErcurius, qui mane paullo infra medium quinti gradûs subsederat, se vesperi ad primam ejus gradûs lineam demisit. Liquor *thermometri* paullo supra tertium gradum adscendisse visus talis per totam diem quievit. Nox fuit serena, cœlum scintillando stellatum. Mane nebula, dies postea serena. Frigus moderatum.

§. Varioli *uxor* salutaris moniti d. 26. *Julii* GÖPPINGÆ dati, ut nempe, ad amolienda mensium per ætatem emansurorum varia symptomata ter repetitis, intra breve intervallum, *venæsectionibus* uteretur, immemor, hactenus *mensibus* inordinatissime, solitoque frequentius, immo & copiosius, non sine virium languore, fluentibus lacessita, denuo petit consilium. *Venæsectio* intra mensem ter repetatur in brachiis, copia non novercali. Mane & pomeridie sumantur guttæ xxx. *mixturæ* ex quolibet, saltem non spirituoso, vehiculo: Varioli *uxor.* *Mensium vitium.*

Rec. ~⊖. *dulc.* R. *Coral.*
sir. coral. an. ℥j. *M.*

Noctu sumatur *magnesiæ albæ* ʒj. cum haustulo *lactis amygdalini*, aliquoties repetendo.

§. Tevii *raucedo*, per ordinata d. 31. *Oct.* nondum sublata. Nec tamen pejus habet, ingerit, digerit, egerit. De viscidiate pituitæ, non nisi summo molimine exscreandæ, querelæ. Tevius. *Raucedo.*

Rec. *Conf. ros. r.* ℥ij. *majoran.* ℥j.
bol. armen. æthiop. miner. an. ʒiij.
ther. Andr. ʒij. *sir. pap. err. q. s. pro electuario.*

Capiat mane, pomer. & noctu quant. castaneæ, vel per se, vel

VII. cum *hydromelle* calido solutam, vel mane & noctu cum scutella *infusi theiformis*, cujus adhuc binæ scutellæ superbibantur, cum vel sine *saccharo*: Rec. *Rad sarsapar.* ℥ij. *ari ppt. farf. an.* ℥ß.
rasf. lign. sanct. ℥iiij. *sassafr.* ℥iß.
passul. min. ℥j. *sem. anis.* ʒij.
herb. marrub. farf. an. mj. fl. acac. mß.
conc. cont. parentur modo cognito.

Nuper interdictis interdictum maneto.

Sioræster. *Venæsectio.* §. Sioræster, quadragenarius, heri assumsit *pulverem antocatotericum* consuetum, a quo largiter evacuatus fuit. Utrum hodie *venam* secare liceret? interrogat. *Venæsectiones* enim, juxta *Tabulam phlebotomicam*, postea per aliquot dies admodum infaustas describi. Me Tabulam istam ne titivilitio æstimare, respondi. Potius, si *Planetarum* influxibus aliquid largiendum, *sanguinis missionem* in crastinum salutarem prædici. Post *purgationem* validam hodie nimis citam administrari *venæsectionem*. Si quid omnino fiduciæ posuerit in *Tabulam phlebotomicam* expectandam potius esse mensis hujus diem undecimam. Quid electurus sit, nescio. Plerumque enim, *Medico* licet aliud suadente, propositi tenaces sunt, vel sola cœli serenitate allecti, ut scil. BERGAM, HÆSLACUM, MARTINIBURGUM, & alia sanctitatis inversæ collegia, visitare possint, ubi fortasse jam utricularii tibicines, encænialesque fidicines, pridie conducti fuerunt.

Horii *filiolus.* §. Hodie demum Horii *Filiolus* (d. ,) vitam cum morte commutavit. Exemplum parallelum mihi neque lectum, neque visum: Nempe, post *infarctum trachææ ab illapsa faba*, sub tantis & suffocativis cruciatibus, ætatis adhuc teneræ puellum, tamdiu supervivere potuisse; a 24. nempe *Octobris* ad 7. *Novembr.* per duas integras septimanas. Aperturam corpusculi omni modo & studio, sed frustra flagitavi, ab hominibus, *Hagiomaniæ* dementia captis.

Lycaonis *filiolus. Variolæ.* §. Lycaonis *Filiolus* hodie *variolis* ornari cœpit, sed paucis. Symptomata, more solito, statim quadamtenus remissiora. Præterita nocte semel *vomuit*, ter *alvum liquidam* deposuit. Ultimum raro bonum, revocata nempe natura a circumferentia ad centrum. *Vesicæ* fluunt uberrime. Pergant cum hesternis, donec *fluxus alvi* continuus aliud imperarit. (d. 8. *Nov.*)

Melodidascalus. §. Prodiit Ann. 1707. elegans Disputatio celeberrimi HOFFMANNI, *Prof.* HALERSIS, *de compendiosa & clinica praxi convulsionum.* Hanc avide legit,

legit, relegit MELODIDASCALUS, *faciei spasmo* solatium inde petiturus. VII.
Varia mecum ex Disputatione disserebat, varia contabatur. Respondebam, quod poteram. Potiora enim spasmodicis affectibus dicata composita recensentur quidem, sed compositionis modus reticetur. Si dicendum ex rei veritate, lectiones ejusmodi parum conducunt ægrotis, aliis studiorum generi innutritis. Capere se putant, quod non capiunt, invenisse putant, quod non inveniunt, suis *Medicis* objectiones formant, quas vel solvere non possunt (quis enim omnes solvat?) vel, si solvunt, quærenti tamen non satisfaciunt; misere plerumque confunduntur, ut nonnunquam, se nihil tale legisse præoptassint. Videat benevolus Lector, quæ super simuli argumento conquestus fuerim in *Miscellan. m. Part. II. p. 354.* O, quam longe melius actum esset cum ægroto, si *Medico* se totum daret, si pure passive se gererent; O, quam fortunata tunc esset *Medica praxis*? (d. 27. *Nov.*)

§. Hodie Namaplusius *filiaque vena secta*. Quam refractariam se gesserit puella, satis delineare non possum. Primo, non nisi jurgiis paternis coacta sellæ insidebat, hinc brachium extensum plus vicies retrahebat; iterum objurgata, ligaturam quidem patiebatur, sed identidem, appinquante cum lanceola chirurgo, retrahebat, surgebat, discursitabat, iterum sedebat, sic, ut per hasce affanias dimidia minimum hora consumeretur, & ego me optarem in *Insulis fortunatis*. Denique furtim qasi vena pertusa fuit, pacatis hinc tantis procellis. Deligato vulnusculo, ipsa sibi, quod, ἀπρεπῶς agendo, mentis impotentiam prodidisset, subirascebatur. Pomeridie de brachii tumore ac dolore conquerebatur. Quî potuit, inquam, aliter fieri, cum arctior ligatura plus quam per horam dimidiam brachio injecta mansisset? Namaplusius & *filia*. *Venæsectio.*

§. Ephippi *uxor* ab aliquot diebus de *vertigine* molesta conqueritur. In cella vinaria diu morabatur, cum musti a fecibus separatione ac depuratione (mit dem Ablaß) occupata. Quid exhalationes musteæ possint & valeant in corpus humanum, suo loco dictum, ubi virorum ab hisce effluviis suffocatorum historia tradita. *Purgata* fuit *electuario* consueto, postea mane & noctu de *mixtura* sequenti guttas xxx, ex quolibet vehiculo sumere jussa: Ephip *uxor.* *Vertigo.*

Rec. *Ess. lignor.* ℥ij. *succin.* ℥j. *M.* (d. 11. *Dec.*)

VIII. VIII.

MErcurius per sesqui lineam supra quartum gradum mane; vesperi ad medium quinti gradus adscendit. Liquor *thermometri* paullo subter tertia linea toto die visus. Nox serena & frigida; dies nubila & frigida, sparsis interdum pluviolis tenuissimis. Lyca-

VIII. Lycaonis *filiolus.* *Variola.*

§. Lycaonis *filiolus variolas* suas non infeliciter excludit. Mandatum, ut cum *pulvere* pergatur, potuique ordinario adhuc misceatur *fumaria stillatitia.* Nil amplius de hoc puello loquemur, nisi peculiaribus quibusdam circumstantiis invitati. [d. 11. *Nov.*]

Oogenis *uxor.* *Tumor abdominis.*

§. Oogenis *uxor* (d. 24. *Oct.*) ab *infuso* suo non tantum fortiter exercita fuit, *tumor* tamen *abdominis*, eo necdum penitus absoluto, plane subsedit. Absolvat *infusum.* Scribentur postea *visceralia tonica.* Hoc *infusum* in *hydropis ascitis* initio, visceribus adhuc in substantia salvis, revera nobile & efficax est. (d. 14. *Nov.*)

Agejonci *filia.* *Febr. interm.*

§. Agejonci *Filia* (d. 3. *Nov.*) *febris intermittentis* interea recidivam est passa, prout divinarum. Ordinatum *electuarium febrifugum* nobis consuetum.

Dendronius.

§. Dendronii (d. 29. *Oct.*) res in angusto. *Sceletificatur*, cruore tincta spuit, *asthma*, nocturno præsertim tempore, valde crucians. Obstructio narium, caussa siccitatis faucium, cum spiritum aperto rictu trahere cogatur. Mortem non aufugiet. Mane, pomerid. & noctu sumantur gtt. xxx. *mixturæ* ex *aq. veron.* & *cochleatim*, *quod eam sequitur*:

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ℥ij. *Ræ. croc.* ℥ß. *M.*

Rec. *Aq. veron. hyssop. an.* ℥iiij.
～⊖✱. *anis. Ra. croc. an.* ℈j.
extr. helen. papav. err. an. ℈ß.
sir. de erysim. Lob. ℥ß. *M.*

Naribus attrahatur *errhinon* consuetum, *solut.* videlicet *mannæ*, *elaterii* & ⊕*li albi cum* ▽. *major.* Non interim neglecto *electuario* nupero. (d. 9. *Nov.*)

Lolium temulentum.

§. Quod d. 6. *Nov.* me a Dn. *Præfecto* provinciali petisse dixi, ut nempe Feuerbaco accerseret tales, qui a lolio temulento male habuerint, id hodie effectui datum. Comparuit nempe apud me *Chirurgus* loci, Dn. Berger, secum ducens 2. cives pauperculos ejus loci. Unus, cum uxore & liberis, comederant pultes e farina avenacea, *lolii temulenti*, una moliti, plurimum inerat. *Uxor* statim facta, quasi temulenta, vesperi accepit horrorem cum æstu, *dyspnœa*, *dolore punctorio lateris*, *dextri*, tussi, sputo cruento. Altero mane *Chirurgus* venam secavit, sed vesperi mulier exspiravit. Pastorem loci immediate post comestionem aditura per plateam, ad instar ebriæ, gressibus incertis titubavit. Maritus interrogatus, quidnam a comestis pultibus incommodi sensisset, vel adhuc sentiret? respondit: se statim in ventriculo quid molesti, quod rite determinare non posset, sentire, quasi ventriculus valide attractus remitteretur: Als

wann

VIII.

wann einer den Magen ansich zöge/ und wieder fahren liesse. Postea caput gravari, & perinde sibi videri, quasi caput superne hiaret, Als wann ihm der Kopff oben offen stünde / abinde se omnia videre duplicia, triplicia, quadruplicia. Civium alter, quadragenarius, mihi ferme temulentus adhuc videbatur, indici tum sermonis, tum incessus. Hîc vir avenam suam post triturationem lectione sedula a *lolio temulento* separare, sed frustra, quin unum vel alterum granum adhuc remaneret, sustinuit, ac in farinam redigi curavit, cujus parti unæ miscebat part. 2. farinæ *fagopyri*; pultes inde & panes cocti, sed eodem, id est, temulento effectu præditi. Caput inde statim turbulentum, & titubatio quasi ebriorum, cum omnibus liberis suis. Qui tantum comedissent eines halben Wecken groß/ de tali pane, iisdem statim symptomatis afficiebantur, aliis, qui plus comedissent. per 24. interdum horas, ad nullas actiones aptis, veluti crapulam contraxissent, sic, ut insana quoque loquerentnr. Omnes artus languebant, manus ad levem operam vix extendebant. Hujus ultimi *Frater* ex hoc *lolio* mortuus credebatur. Prioris uxorem ex *pleuritide* magis, quam illa lolii comestione mortuam censeo, quamvis fatum per dicti *lolii* comestionem, acceleratum fuisse, nullum plane est dubium. Attulerant mihi quoque de avena *lolio* permixta aliquot grana. *Lolium* facile discernebatur ab *avena*, Illius enim grana minora, quasi corrugata, cum acumine longo. Jussi culmos simul afferre, quod promiserunt, ut sic examen a me curatius institui posset. ACANTHI *uxor*, quæ forte fortuna aderat, in patria sua (erat autem ex *Superiori* SUEVIA) narravit, multos *lolium* cum avena mixtum & molitum, in pultes coquere, sed, durante coctura, spumam albam a superficie pulmenti removere, hinc a reliquo nihil unquam detrimenti capere. Si *lolium* cum culmis nactus fuero, discursus iste continuabitur. (d.9.*Nov.*)

Uxor Sacremunii.

§. Sacremunii (d.6. *Nov.*) præterita nocte sincerum sanguinem evomuit absque *tussi*. *Mensium* tempus non procul abest. Vena brachii mediana tundatur. Nam, quia *vomitus* hic *cruentus* præterea nihil incommodi habeat, eum ex emansione *mensium* & *plethora* oriri, non ambigo. (d.9.*Nov.*)

§. Chemonius a Lanione quodam triginta *oves* morbosos in urbem adductas referebat. Res ad *Magistratum* delata.

Ichthyboli *filiola*.

§. Ichthyboli *Filiola* (d.18.*Oct.*) non amplius mejit urinam purulentam vel cum lacteo sedimento, &, per DEI gratiam, belle habet.

IX. Qui

IX.

IX.

QUi mane medium quinti pradus ſuperaverat, veſperi ad medietatem illam ſemet præciſe demiſit. Liquor *thermometri* hodie, qui jam aliquot diebus. Nox frigida & nubila, die ſequenti non alio exiſtente.

Dioptrici *filiolus.* *Purgatio.* §. Dioptrici *Filiolo* (d.13. *Aug.*) quinquenni heri ordinaveram *hauſtulum purgantem*, hodie mane hauſticos aſſumendum.

Rec. *Pulv.* Cornach. ℈j. *ſir. roſ. ſolut.* ℥j.
aq. fumar. ℥ij. *cinnam.* ʒß. *M. pro 1. doſi.*

Quum pomeridie venirem viſum, qualis hauſtuli fuiſſet effectus? nunciabant mihi, *Pharmacopœi miniſtrum* miratum eſſe de validitate medicaminis, atque ut cum propinatione caute procederent, monuiſſe: Hinc matrem, timidam factam, dimidium hauſtuli porrexiſſe, quod cum circa meridiem non niſi bis alvum moviſſet, animo recepto, propinaſſe reliquum, indeque adhuc 6. ſedes blandas cum euphoria ſecutas.

Quid Aſinus ille Antronius *Medici* formulam cenſere audet? ſcire debebant iſtæ pecudes, e *conſtitutionibus Medicis*, quod ſi *Medicum* in doſi erraſſe ſuſpicantur, ipſum audire, & ex ejus ore, quid faciendum, omittendum, mutandum, haurire conveniat; non autem formulas cenſendas eſſe coram auribus eorum, quos ægroti in officinam miſerant. Perjuri ſunt, detractores & calumniatores qui ſic agunt, alio fine nullo, quam ut Medici, quem oderunt, famam, dexteritatem, ſcientiam &c. apud ægrotos ſuſpectam reddant, fiduciasq; in ægrotorum animis deleant. Inter occupationum cumulos *Medicum* in doſi errare poſſe non dubitandum. Eſt autem erroris monendus, non proſtituendus. Peſſime igitur fecit ille ſcurra naſutus, etiamſi validius, quam pro puelli modulo, medicamentum fuiſſet. Non autem fuiſſe quilibet æquus æſtimator videt, effectusque ipſe comprobavit. *Pulveris* CORNACHINI ℈j. quantillum eſt, ſi *purgantium* in eo contentorum pondus metiaris? At vero quid *ſirubus roſarum ſolutivus*, quem *purgantis* virtutis ne atomus ingreditur? ſi hoc neſcivit ſcurrilis Cenſor, aſinus eſt, ſi ſcivit, calumniator & Diffamator.

Sed nec mater *puelli* fidem habere debebat maleferiato cenſori! cur non prius *Medicum* interrogavit, quam doſin partiretur? Ubi hic *fiducia* in *Medicum*? Tanta ſcil. quam etiam cenſuræ famulorum infringere queant? O vanitatem! (d. 10. *Nov.*)

§. De Hamaxæi *Filiolo* d. 11. *Sept.* dici cœptum, eum nempe *atrophia* laboraſſe, ex qua denique vitam cum morte commutata. Nunc

audio,

audio, litem inter *puelli* matrem & mulierem obstetriciam e nostratibus ortam. Puelli sc. matri ab aliis mulieribus sapientulis persuasum erat, infantulum suum *fascinatione vocali* læsum fuisse; Ihr Kind sey beschryen worden. Mederi se posse, si *incompellata*, vel vitato aliûs alloquio, *tres plateas compitales adeat*, ibique verba quædam proferat, Sie solle unbeschryen an 3. Kreutz-Wege gehen/ und etwas sprechen. Obstetriciam vero mulierem istam semper in occursum venisse, seque allocutam esse, sey ihr alle dreymahl begegnet/ und habe sie beschrihen. Hanc igitur caussam fuisse, cur puellus sit mortuus. Obstetricia mulier istud convitii pati nolens, conviatricem coram Magistratu accusavit. Magistratus, ut audivi mulctam HAMAXEI *uxori* dixit, quod superstitioni huic a *Magia* parum vel nil distanti aurem præbuisset; obstetriciæ vero mulieri, ut ne suam artem amplius exerceret, interdixit, quod occursu triplici & allocutione se nimium suspectam reddidisset, cum obstetricem deceat, quam studiosissime sibi cavere, ne suæ actiones superstitionem oleant. Quid de hac *fascinatione vocali* sit tenendum *vid. ap.* FROMMAN *de fascinat. Lib. I. Part. I. sect. II. cap. 1.* Vanum sc. commentum est, *Christiano* homine quolibet, nedum *Medico*, plane indignum. Hæc igitur & talia rationibus firmis e hominum simplicium animis exstirpare, *Medici* pii est, & conscientiam illibatam servare laborantis. IX.

§. Bergerus, *Chirurgus* Feuerbacensis, fidem datam solvit, transmittendo mihi *lolii temulenti* cum *culmis* notabilem quantitatem. Et erat revera *lolium temulentum* ipsissimum a *Botanicorum* Coryphæis, DIOSCORIDE, MATTHIOLO, DODONÆO &c. descriptum & depictum. Pictura DODONÆI *Hist. stirp. Pempt. IV. Lib. III. cap. 1.* tam accurate exprimit *lolium* FEUERBACENSE, ut vel, qui *lolio victitans luscas* factus fuit, agnoscere valeat. Sed & virium descriptio conformis est. Perhibetur ibi: quod *lolium* frugibus, ex quibus *cervisia* coquitur, permixtum, *ebrietatem* cito excitantem eam reddat: idem posse, pani copiosius additum. Nocere vero & *oculis*, caliginemque afferre. Sic MATTHIOLUS *Comment. in* DIOSCOR. *de mater. Med. lib. II. cap. 93.* eandem fere picturam exhibet, panemq; in quo *lolium* fuerit, stupiditatem quandam, & veluti temulentiam, esitantibus parere, cum inexpugnabili fere somno, incerniculis proinde a tritico & aliis cerealibus separandam. Eadem habentur in MATTHIOLO CAMERARII suo loco. It. in ZWINGERI *Theatr. Botan. Lib. II. cap. 2.* Germanis κατ' ἐξοχὴν vocatur Unkraut. It. Lülch/ Dort/ HELVETIS, Trümelkorn/ *Suevis* nostris, Schwindelhaber/ immo, Schwindel sine additamento, quæ

IX. ultima nomina ſunt ab effectu petita. Male vapulant a MATTHIOLO *germani*, quod hoc *lolium* alicubi vocitent Taubhabern/ quaſi dicas, *avenam fatuam*, cum magis inter *triticum* & *hordeum*, quam *avenam*, naſcatur. Aliter enim, in noſtra ſaltem SUEVIA res omnino habet, lolium nempe maxime inter *avenas* naſci, quod hoc anno adeo verum experti ſumus, ut inter alia frumenta ne quidem lolii hujus unicum culmum repertum fuiſſe vel fando audiverim. Nec etiam ſecundum SUEVORUM idiotiſmum ſcripſiſſe, vel eorum mentem recte intellexiſſe videtur MATTHIOLUS, quum ſcribat de Taubhaber: Potius ſcribendum erat: Tobhaber/ quod homines quaſi lymphatos & bacchantes efficiat, weil er die leute gleichſam tobend macht. Unde naſcatur *lolium*? non una eſt omnium ſententia. *Botanici* a nobis allegati, GALENUM ſequentes a corruptione tritici vel hordei derivant, quam contraxerint ſeminata eorum grana a cœlo nimis ac diu pluvioſo exiſtente, quaſi putrida tunc facta, & ejusmodi frumenti monſtra edentia. Noſter quidam *amicus* inde *generationi æquivocæ* præſidium arceſſere non dubitavit. Ego, qui generationem iſthanc in æternum admittere non poſſum, credo *plantam* eſſe ſui generis, e proprio ſemine prognatam, inſtar omnium plantarum perſuaſus ratione non una. 1. Ponamus hoc *lolium* inter alia quoque frumenti genera naſci, prout negari non poteſt, cur diverſa ſemina corrupta, non diverſam quoque plantam producant, ſic ut aliter formatum ſit lolium in agro triticeo, aliter in hordeaceo, aliter in avenaceo ſuccreſcens? Cur uniforme ſibi per omnia & ubique lolium? 2. ſi lolium oritur e granis frumenti corruptis, cur ejus grana ſeminata lolium denuo producunt? Id igitur omnino largimur certa cœli tempeſtate, ſolique non excluſa, quamvis nobis incognita, conditione hoc anno vel non, vel parcius, vel cumulatius, inter alia frumenta, ſed ex proprio ſemine, ſuccreſcere, eodem modo, quo alia vegetabilia, v. gr. *Rapiſtrum*, *papaver erraticum*, *pſeudomelanthium* &c. nunc prorſus emanent, nunc ſparſim prodeunt, nunc ſua copia frumentum exſuperant, ut ipſe non raro viderim agros *rapiſtro*, *papavere erratico* adeo obſitos, quaſi ſtudio illuc ſeminata & plantata fuiſſent, quamvis id per ſingulos annos non fiat.

Elegans eſt locus PLAUTI *in milit. glorios. Act.* II. *ſcen.* 3. *SC. Mirum eſt* LOLIO *victitare te, tam vili tritico.*
PA. *Quid jam? SC. quia* LUSCITIOSUS. *vid.* TAUBM. *Comment.*

Huc paullo ſupra alluſimus, cum diceremus de pictura *lolii*. Nam *lolio victitare* dicuntur *luſcioſi* & *cæcutientes*, quale quid, vel analogum certe, paſſi ſunt noſtri FEURBACENSES. *Vid.* ERASM. *adag. tit. cæcutientia.*

Vi-

Visuri sumus, quid passurum sit nostrum *lolium temulentum* torturæ ignis subjectum, suo tempore ac loco *depositionis protocollum* communicaturi. Unicum addo, mihi relatum nempe fuisse, quod in aliqua nostrarum molarum observatum sit *lolium temulentum* hordeo commixtum pro conficienda polenta, scilicet, ut inde cocta *cervisia* fieret magis inebriativa. Non reticui, sed inquisitione prudentiam desideravi. (d. 18. *Nov.*) IX.

Glebani *uxor.*

Postquam Glebani *uxor* usa fuisset medicamentis d. 6. *Iul.* ordinatis, & hactenus utcumque cum parvo symptomatum lenimento vixisset, ante hyemem adhuc poposcit *infusum* querelis suis conveniens & leniter purgans. Datum tale, nostro more parandum & bibendum:

Rec. *Com. absinth. herb. fragar. an. mj.*
fl. acac. mß. fol. senn. s. s. ℥iß.
rad. cal. arom. ʒij. fœnic. ap. an. ℥ß.
rhabarb. ver. mechoac. a. an. ℥ß.
gial. n. resin. ʒiij.
agar. trochisc ʒiij. passul min. ℥ij.
ocul. ♋. crud. cont. ⊖. Tart. an. ʒiij.
cass. lign. ʒij. sem anis ʒj.
Conc. cont. D. (d. 11. *Nov.*)

Dendronius. *Suffocationis metus.*

§. Dendronius tam altum, & tanto cum *stertore* anhelat, ut *suffocationem* instantaneam præterita nocte expectarent. *Sperm. cet. albissimi ʒj.* in jure calidissimo *soluta*, uno præbio detur. *Lambitivo* sequenti cum baculo liquiritiæ utatur:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. lchoch. san. & exp. an. ℥j.*
spec. diatrag fr. ʒij. ⌒⊖✱. anis. ʒß.
sir. papav. err. ℥ß. M.
Pergatur simul cum reliquis. (d. 10. *Nov.*)

Sacremonii *uxor.*

§. Sacremunii *Uxor sanguinem* quidem *spuere* cessat, interim tamen *dolor* lacerans in lumbis, versus inguina protensus, *menses* pro foribus esse, neque tamen penetrare posse, indicat. Ut Naturam juvarem, præter nuperum *pulverem* d. 6. *Nov.* præscriptum, noctu jussi deglutire xv. *pilulas* ante somnum ex cochl. vini:

Rec. *Extr. gentian. Zedoar. cal. arom. an. ℈j.*
gumm. guajac. gr. xv.
♁. nat. ppt. diaph. ♂al. an. gr. xij.
cum ess. absinth. F. *pil. pond. gr. j.*

 §. Æxu-

IX. Æxuri *nutrix.* §. Æxuri *nutrix* (d. 6. *Nov.*) conqueritur de *elæosacch. carminat.* supra modum nauseabundo sapore, cui proinde *saccharum* supetaddere pro lubitu jussi. Homines pingvioris conditionis, delicatæque educationis ad aliqua saporis medii pharmaca nauseare mirum non est: Cum autem pleræque nutrices fuerint ancillulæ meretrices, e cocte rustica protractæ, & vix nudius tertius quadræ delicatiori admotæ, eas tamen statim pro pharmacis bellaria sibi poscere, quis *Medicus* ægre non ferat? Dissimulandum tamen, quia nutrices irritare, pro crimine læsæ majestatis, aut paullo minus, habetur. Interim hujus commatis *upupæ*, post alumnorum ablactationem, ad pristinam *borborophagiam* redire coguntur, cum voluptate ligurientes, quod antea, ne procul quidem, odorari sunt ausæ (d. 23. *Nov.*)

Toparii *filiolus.* §. Toparii *Filiolum* (d. 28 *Oct.*) visitavi, mater de ejus macie querebatur (er sey so lähr in seinen Gliedlein) cum alias nulla sit querela eam bono animo esse jussi. Parentes enim sibi sæpenumero frustra gratulari de præpingui tenellorum sumine & sulcatis lacertis, cum in morbos delapsi nunquam tolerare possint, quod macri; qua de re alibi plura in meis *Miscelaneis*, cumprimis *Part. I. p. 31.* (d. 17. *Nov.*)

Tachini *filia.* *Chlorosis.* §. Tachini *filia* per medicamenta d. 14. *Oct.* ordinata, non quidem multa melior, sed certe nec pejor, immo, magis melior, quam pejor, facta. Mitior *dyspnœa* & *palpitationis* gradus, idem adhuc faciei *pallor*, appetitus, cumprimis ad carnes, melior. *Menses* justo pauciores. Mane, & pomeridie sumantur *pulveris* sequentis 3. cusp. cultri, ex *decocto armoraciæ & nasturt. aq.* cum *jure carnoso* facto:

Rec. *Spec. diacr.* Mynf. ℥ß. *chalyb. c.* ♀. ʒiij.
diaph. ♂*al.* ʒij. *flor.* ♂. Hassiac. ʒiß.
croc. opt. ⊖. *CC vol. an.* ℈j.
elæosacch. caryoph. ℥ß. *M.*

Assumtionem semper sequatur moderatus corporis motus. Noctu ante somnum accipiantur gutt. xxx. *mixturæ* ex cochleari vini:

Rec. Ræ. ♂. *aper.* ℥iij. *croc.* ʒß. *M.* (d. 15. *Nov*)

Oenologistis *filius.* *Febris continua.* §. Oenologistis *filius* 12. annorum, heri horrere cœpit, insequente æstu, per totam noctem durante adhuc præsente, cum *siti*, urina flammea, pulsu magno & celeri, *capitis* summo *dolore*. *Febrim* pronuncio *continuam*. Singulis 6. horis sumatur unus de *pulveribus* cum vehiculo adjecto, seorsim quoque per cochlearia subinde hauriendo:

Rec.

Rec. ☿ *diaph. CC. philos.* IX.

oc. ♋. ppt. ☽. ppt. an. ʒß. *F. 4.* ℥.

Rec. *Aq. card. bened. rub. id. an.* ℥iij.

mixt. simpl. ʒß. *sir. fumar.* ℥ß. *M.*

Epicarpiis & *frontali* serviat *emulsio externa.* Sitis leniatur *aqua panata.* (d. 10. *Nov.*)

X. X.

VAsa, quæ heri, nisi quod Mercurius mane aliquantillum, immo vix quidem, depressior visus, vesperi subsidendo primam quinti gradus lineam tetigit. Nox clara. Dies serena & frigidiuscula.

§. Dioptrici *Filiolus* ab *haustulo purgante* hesterno, tantum abest, ut animam cacarit, ut potius hortatum insulsi pharmacopœi in risum & lusum verterit. Dioptrici *filiolus.*

§. Lycaonis *filiolus* natu minimus *pustulis* efflorescit, quas *Essere* vocant, altero fraterculo, cum suis *variolis*, non male habente. Detur *mixtura* cochleatim & in calore detineatur: Lycaonis *filiolus minimus. Essere.*

Rec. *Aq. fumar. fl. til. an.* ℥ij.

bez. miner. CC. philos. an. gr. xv.

sir. card. bened. ℥ß. *M.* (d. 21. *Nov.*)

§. Viribus indies deficit magis miser Dendronius. Pituita viscidior, quam ut eam exscreare possit. Mens vacillare incipit. Supinus non amplius cubare potest. Sed continuo sedere cogitur. Stertor in propinquo conclavi auditur. Anxietas adest summa, ut nusquam manere possit. Tribus verbis: Est æternitatis Candidatus. Pomeridie hora secunda, & noctu tempori somni devorentur duo *boli*: Dendronius. Pattalius. *Venæsectio.*

Rec. ☿. *diaph. asell. ppt. an.* ʒß.

conf. fl. papav. q. s. F. 2. boli.

Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *veron. hyssop. an.* ℥iß.

—. cochlear. ʒj. ⊖✱. *anis.* ℈j. *cinnam.* ʒij.

conf. alk. c. ʒj. *sir. fl. tun.* ʒiij. *M.*

Pectus, eo loci, quo dolet, mulceatur *unguento* manu calente:

Rec. *Ungu. pectoral.* ʒvj. —⊕✱ ʒß. *M.*

Ne per momentum quidem solus relinquatur. *Animula* prospiciatur. (d. 11. *Nov.*)

§. Pattalius, vir annorum 24. fidicen, &, pro more horum *Hilaropœorum*, vinolentus, heri *venam*, præservationis fine, *secari* passus est; Pattalius.

X. *Venæsectio.* est; Ea meridie prandet apud CROTALOGREIUM; pransus adit Diversorum cygni, fidibus ad noctem usque canendo brachium fatigat, largiter bibit, parum comedit, noctem trahit inquietam. Mane jentaculum cum nausea & quasi coactus, comedit. *Tubicem* amicus, eum casu visitans, & querulantem audiens, porrigit xxv. nescio quas *pilulas* cum V. deglutiendas. Deglutit. *Vomitus* cietur incoërcibilis. Vires fatiscunt, sudore frigido madet. Vesperi moritur. Egregia vero, si DIS placet, in die *venæsectionis* diæta. Si vitæ suæ tendiculas ex composito struere voluisset hic homo, potuisset certius ac præsentius?

Oenologistis *filius*. *Febris continua.* §. Oenologistis *filius* idem, qui heri, sicut in *febribus continuis* fieri consuevit. Indicante alio non præsente, jussi cum heri ordinatis pergere. (d. 11. *Nov.*)

Nezelii *uxor.* §. Nezelii *uxori* certas ob caussas jam nuper ordinaveram *emulsionem amygdalarum dulcium* communi more paratam, quæ pota non male conducere videbatur. Nunc, cum ipsi puerperæ valde sitienti denuo suaderem, ut eadem *emulsione* sitim leniret; impossibile sibi dixit, ulterius hunc potum usurpare. Eccur? inquam! Respondebat nuper adfuisse *Obstetricem*, quæ, visa *emulsione amygdalarum*, quo modo eam pararet, quæsiverit? Modum dicenti reposuerit: quin paras longe meliorem & efficaciorem, methodo *carnificis uxoris* consueta, ex *amygdalis* cum *lacte bubulo cocto* (mit verwällter Milch) contusis? Paraſſe se, sed tanta cum nausea bibisse, ut ab eo tempore omne *lac amygdalinum*, vel ejus saltem injecta mentione, horreat. Tales sunt nostræ *obstetrices*, quæ carnificis *emulsiones* præ *medicis* laudantes & extollentes, *Medicorum* scientiam & experientiam tacite elevare, Carnificis contra supra modum & modium exaltare non verentur, dignæ, quæ artis carnificiæ *materia substrata* fiant.

XI.

XI.

MAtutina Mercurii statio paullo infra primam quinti gradus lineam, vesperi quartum gradum ulterius descendendo attigit. Liquor *thermometri* mane paullo depressior, vesperi statum vespertinum hesternum repetiit. Nox serena & frigida. Dies in claritate & temperatura mediocris.

Bupolitani *uxor.* *Nephritis.* §. Bupolitani *uxor* (d. 14. *Oct.*) domum meam adrepsit magis quam accessit. Conqueritur de *lumborum dolore* versus inguina protenso, vix tolerabili, adest simul micturitio, sed frequenter inanis. Interdum & *colici dolores* cum vomendi conatu. De *colica* nephritica certus, ordinavi *pilulas*, quarum ter in die nr. x. sumantur.

Rec.

Rec. *Pulv. liquir. asell. ppt. an gr. xv.* XI.
extr. papav. ℈ß. *terebinth. q. s.*
F. pil. nr. xxxx. consp. pulv. liquir.

Ventri & lumbis frequens & calida *unctio*:

Rec. *Ungu. alth.* ℨvj.
ol. scorpion. ℨij. *succin.* ℈j. *M.*

Cataplasma ex *sem. lin. cum lacte* cocto. Vitetur potus frigidus. (d. 13. *Nov.*)

§. Lycaonis *filiolus* major seu *privignulus* (d. 8. *Nov.*) *variolosus* materiam scribendi denuo suppeditat, quod *variolæ* fauces obsidentes *raucedini* ansam porrexerint. Cochleatim præbeatur *eclegma*: Lycaonis *privignulus.* *Variola.*

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. acac. extr.* ℥j.
sir. viol. mell. rosat. an. ℥ß. *M.*

Cæteroqui feliciter omnia cedunt.

Apud minorem *filiolum essera* jam disperuerunt, sine *dyspnœa*, *fluxu alvi*, vel alio pravo symptomate. Nihilo tamen minus Parentes cum usu *mixturæ diaphoreticæ* continuare jubebantur. Non statim & nimis fidendum. (d. 12. *Nov.*) *Filiolus minor.* *Essere.*

§. Oenologistes, vir sexagenarius, obesus, perpetuo fere *hemicranicus* & *asthmaticus*, nunc de *asthmate* rursum summe molesto, cum *rhonchis*, querens, *infusum purgans* petit, huic symptomati aptatum. Tale datum cum usu & methodo consueta: Oenologistes. *Asthma.*

Rec. *Rad. helen.* ℥ß. *liquir.* ℨij.
rhabarb. ver. ℥ß. *mechonc. a.* ℨiij.
herb. marrub. alb. veron. an. mj.
fl. acac. mß. fol. senn. s. s. ℥iß.
agar. trochisc. ℨiij. *passul. min.* ℥iß.
sem. anis. sinap. nasturt. an. ℨij.
Tart. crud. ℥ß. *croc. opt.* ℈j. *cinnam. ac.* ℨij.
conc. cont. D. (d. 19. *Nov.*)

Filius, quamvis non melior solito, tamen *pharmaca* plura assumere recusat. Cui, graviter objurgato, prædicto prius vitæ periculo, propter suspectos mihi artuum *tremores* observatos, *pulveres* modo sequenti mutatos, etiam invito, ingerere præcepi: *Filius.* *Febris continua.*

Rec. ♁ *diaphor. oc.* ♋. *ppt.*
♁. *nativ. ppt.* ⊕. *ppt. an.* ℨß.
M. F. 4. ℞.

Usus

XI. Uſus, qui priorum, cum *mixtura* nupera non negligenda. Pro alterando *arthydro mixtura ſiruborum* præſcripta, cujus uno vel duobus cochlearibus ſinguli hauſtus miſceantur:

Rec. *Sir. rub. id. rib. ceraſ. acid. an.* ℥iß.
🜄. ℈ß. *M.* (d. 21. *Nov.*)

Bucepali *filiolus.* §. Bucepali *Filiolus* 12. annorum, cum, poſt *febrim malignam*, URACI exantlatam, domum rediſſet, aliquot *furunculas*, ſine dubio a *febri* non perfecte judicata, in capite accepit, poſt ſui debitam exonerationem iterum ſanatos. Reſtat unus, ſupra frontem, circa ſuturæ coronalis cum ſagittali commiſſuram, profecto valde grandis, qualem antehac me conſpexiſſe non memini. *Emplaſtrum ex melle cum farina ſecalina ſubacto*, *ruptorium* domeſticum & *euporiſton* applicare juſſi. (d. 20 *Nov.*)

Filiolus alter. Phlyctæna. *Alteri filiolo* (d. 6. *Nov.*) ad præcavendam oculi *phlyctænam*, quæ per nupera diſparuit, ſuaſum, ut unus adhuc *fonticulus* brachio dextro inureretur.

Dendronius. §. Dendronius hominem ſuccesſive exuit. Vires propemodum plane nullæ, extrema frigida, ſpiritus ad labiorum portam. Repetita medicamenta heſterna: quid enim aliud ordinarem? (d. 12. *Nov.*)

Glycionis *filius. Febris continua.* §. Glycionis *Filius*, 18. annorum, die hujus menſis octava, cum horrore ac æſtu, decubuit. *Theriacam* propinarunt. Æſtu nihilominus aucto, exhibitus *pulvis* HALENSIS ſemel atque iterum. Neque hoc officium panacææ ſubeunte, cum hodie præterea ſanguine aliquoties nares ſtillarent, ad me, *Medicum*, provocatum. Pulſus erat magnus ac celer, hinc imperata *Venæſectio.* Singulis ſex horis detur e *pulveribus* unus, cum adjecto vehiculo, extra *pulverum* aſſumtionem, per ſe quoque cochleatim hauriendo:

Rec. ♁. *diaphor. CC. philoſ.*
ⴲ. *ppt. an.* ʒß. *M.* F. 3. ✠
Rec. *Aq. cichor. endiv. an.* ℥iij.
mixt. ſimpl. ʒj. *ſir. acetoſ. citr.* ℥ß. *M.*

Fauces quoque dolebant, deglutitio ægre fiebat, inflammationis futuræ prodromi aderant, ſiccitas, rubedo, alia. Circumdetur collum foris *empl. de melil.* Gargariſetur cum *lacte calido ſaccharato*, poſt gargariſationem ſumatur cochlear *eclegmatis e mucilag. ſem. coton. cum melle roſat. & ſir. viol.* (d. 12. *Nov.*)

Ædilis. *Arthritis tremor.* §. Ædilis 29. annorum juvenis, jam a ſexdecim annis *pedum uſu* caret.

caret. Omnes aquas salubres nostri DUCATUS accessit, sine fructu. Totus resolutus, per integrum diem nil, nisi legit, homo alias probus ac DEUM timens. Nunc ab aliquo tempore artubus *dolet* ac *tremit*, pavet, ac morbi sontici præludia sistit. Quid aliud misero melius optari possit, quam ἀπόλυσις beata? Juvandi tamen intentione accersebar. Mane, pomeridie & noctu 3. cusp. cultr. sumantur ex adjecto, seorsim quoque propinando, vehiculo: XI.

Rec. *Lumbr.* ♎ *str ppt.* ℈ij. ♎. ♁ ij. ℈ß.
conch. ppt. asell. ppt. C. alc. philos. ppt. an. ℈j.
♎. ♁ ij ℈ß. *elaosacch. succin.*

Rec. *Aq. lavend. fl. paralys. an.* ℥iij.
sir. fl. papav. alb. ℥ß. *M.*

Spina dorsi, a nucha ad os sacrum, mane & noctu, mulceatur linimento:

Rec. *Ungu. nervini* ℥j.
ol. è flor. Slot. ℥ß. *M.*

§. Pomeridie in *Pædotrophio* publico fui. Sani erant, usque ad puerum decennem *scabiosum*, cujus caussa scheda ad *Magistratum* missa, qua relatum. Nos inspexisse puerum NN. qui jam per bene longum tempus fera scabie laborarit, medicamentisque debitis tractatus fuerit. *Scabiem* interim non tantum non sanatam, sed etiam successu temporis in *scabiem siccam*, *contagiosam*, *cum furfuribus* degenerasse. Ne igitur & reliqui collusores utriusque sexus inficiantur, eum in *leprosorium* deportandum, inibique curandum esse. *Scabies.*

§. De *Lotrice Æthiopissa arsenicalem mixturam* pro necandis muribus venum exponente, inhibitioneque a *Magistratu* petita, d. 20. *Martii* dictum. Muliere interim venenum istud adhuc vendere non cessante, *Magistratum Physici* denuo monuimus, uti sequitur: Mulier Æthiopissa nondum desinit periculosam mercem venum exponere, sive inhibitio a Magistratu nondum sit facta, sive malesana mulier cervicem obfirmat. Denuo exhibemus exemplar, nuper per mulierem aliam, emissariam nostram ab Æthiopissa petitam, quæ mulier insuper testatur, dictam æthiopissam, se præsente & spectante, venenum purum putum miscuisse pulpa panis secalini prius masticata. Rebus sic stantibus denuo urgemus inhibitionem citam ac severam, & omnem a sinistris quibuscunque eventibus metuendam culpam a nobis amolimur ac declinamus. Cum quoque hanc mulierem *purgantia*, aliaque *medicinalia* venundare simus experti, non minus horum inquisitionem & inhibitionem decenter oramus.

 Quid

XI. §. Quid de *contagio pecorum*, cumprimis *ovium*, d. 16. *Oct.* memoratum, atque ad *Magistratum*, ut venditio prohiberetur delatum fuerit, ibidem, lector benevole, recordabere. Coacti *Magistratui* adhuc semel molesti fuimus relatione sequenti: subscripti *Physici carnes ovium contagiosarum semiputridas*, providentia *Magistratus*, non amplius in hac urbe venundatum iri sperarunt. Frustra sperasse argumento est, non tantum invectionem clancularìam istarum carnium toto die continuari, sed & augeri, & impudentius exerceri. Conquesti sunt nobis Lanionum antistites & pecudum jurati inspectores, cum lanionibus lege prohibitum sit, sine *schedis testatricibus* (ohne Urkund) coëmta pecora in hanc urbem intromittere, alii tamen varii extraneique homunciones talia impune perpetrare, immo mactatas oves, carnes morticinis haut raro æquiparandas advehere, civibusque vili pretio venum extrudere. Quod, quemadmodum nos *Physici* eo minus tolerare possumus, quo magis per nuperum SERENISSIMI DN. DUCIS Rescriptum ac mandatum obligamur, ut, quantum in nobis esset, omnes contagiosos morbos in variis regionibus grassantes, a nostris finibus arcere studeremus; ne dicamus, contagii tempore maximum periculum nostrismet cervicibus impendere, qui, vi functionis nostræ illuc abire tenemur, quo nemo quisquam alius per mille passus appropinquare audet. Ideo nobis vitio nemo vertet, quod Magistratum denuo instantissime moneamus, ut huic rei sufficiens ac citissima medela adhibeatur, in delinquentes prudenter ac sollicite inquiratur, sub portis urbis omnia illata vestigentur, deprehensi, sine personarum ullo respectu, severe puniantur, nec nobis ansa præbeatur, rem adeo momentosam ad altiora subsellia deferendi, sicque commodo & publico, & privato nostro, qua pote, prospiciendi. Nec speramus, aures porro præbitum iri calvis excusationibus quorundam civium, dicentium: semetipsos has carnes comedere, nec aliorum interesse, quid ipsi edant vel non edant; Nulli enim civium concedi debet, ut semetipsum, postea plures, immo successive reliquos concives omnes periculosi contagii labe inficiat.

Liribada. *Passio hysterica.* §. Ante quadriennium in cura habui Lyribadam virginem laborabat passionibus *hystericis*, crebris *convulsionibus*, adeo, ut noctu frequenter accersitus in ejus domum procul dissitam ire tenerer, donec, per DEI gratiam, meamque solertiam restituta fuisset. Ea post neque debitis aliis, neque sostro meo soluto, se clanculum subducebat, matrimonioque sibi jungeret, sub cappa theologica, perditissimum tenebrionem. Non desii ibi loci, ubi bonorum reliquiæ servabantur, mature ac identidem sostrum meum apud magistratum poscere, qui, modo adhuc per breve tem-

psu

pus quiescerem, petebat, ac ne teruncium quidem debiti tam justi perditum iri promittebat. Ita lactatus fui, donec concursu creditorum facto, bona sub hastam venirent, egoque cæteris creditoribus æquiparatus quid pro quo accipere cogerer. Hanc rem, & merito quidem, ægerrime tuli, sed contra stimulum frustra calcitrabam. An hoc meum debitum subhastationi subjiciendum fuerit, æqui rerum æstimatores judicent. Nos Medici vitam nostram venum exponimus, etsi quisquam alius, æquissimo nec unquam invidendo lostro meremus, nec ullum est dubium, ingratitudinem ægrotorum erga *Medicos*, coram oculis DEI esse, & corum oculis hominum esse debere, alia quavis ingratitudine magis abominabilem & exsecrabilem. XI.

§. Glebani *uxor* (d. 9. *Nov.*) *infusum* suum non sine optato effectu bibit. (d. 17. *Nov.*) Glebani *uxor*.

XII.

XII.

MErcurius iterum versus primam quinti gradus lineam surrexit. *Thermometrum*, quale heri. Utraque vasa vesperi eadem. Nox erat mediocris; Dies nubila, interspersis pluviolis.

§. Oenologistis *Filius*, hac nocte bene dormivit; heri caloris tanta exacerbatie, quanta nudius tertius non fuit. Adhuc instructus est medicamentis, quæ consumenda. *Tussi* vexari incipit, quæ forsan *febris continuæ catarrhalis* cum *apyrexia* cessaturum symptoma, proinde contra eam adhuc quidquam moliri velle, visum inconveniens. Nisi, febri fracta, cessaret, nondum urgens, symptoma, remediis contraire non obliviscemur. Oenologistis *filius*. *Febris continua*.

Symptomatibus, nisi urgeant, non semper auscultandum, saltem, ut simul negligatur morbus primarius.

Si tussis sequatur alios morbos, non curatur, nisi curatis ipsis morbis. est axioma Practicum; quamvis & AVICENNA verum loquatur, dicens: Eos, quibus in *febribus* accidit *tussis*, non perfecte liberari a *febre*, *tussi* perseverante. (d. 13. *Nov.*)

§. Amita, vidua 30. annorum, per discursum, in alia domo mihi conquesta fuit, se *nimio mensium fluxu* affligi. *Venæsectionem* medianæ brachii ab aliquo laudatam, seque nescire, utrum ea commodius instituatur ante - vel post *mensium fluxum*? Imminente magis profuturam dixi, *fluxum* enim sic refrenari. Amita. *Menses immodici*.

XII. Glycionis filius. *Febris continua.*

§. Glycionis *filium* in antemeridiana visitatione non inveni pejorem. Nox erat sic satis tolerabilis, ac æstus ad sensum decreverat. *Pulveres* cum *mixtura* repetere jussi. De *capitis dolore* & faucium ariditate queritur. Fronti applicetur identidem *emulsio externa*; *Suppedalia* fiant ex *fermento* pistorio cum *aceto*, *passulæ minores* tumefiant in dimidio aquæ & vini, quas tumæfactas masticando fauces humectet. Pomeridie denuo *narium hæmorrhagia* satis larga, quam, ob præcedentem *capitis dolorem*, præmature sistere, non consultum duxi. Si tamen fluxus ad virium debilitatem continuare vellet, quid tunc esset faciendum, abiens reliqui. Cochleatim nempe *mixtura* præbeatur:

Rec. *Aq. plantag. fol. querc. an.* ℥ij.
bol. arm. ppt. lap. hæmat. ppt. an. ℈j.
ess. anod. ℈ß. *sir. myrtill.* ℥ß. *M.*

Cataplasma fiat e *rubrica fabrili* & *bolo* in *pulverem* redactis, cum ✢ & ovi albumine in pastam frigidam subactis, & cum linteo radici nasi, frontique applicatis. (d. 13. *Nov.*)

§. Cum Glycione discursus de *saccharo* habitus, qui minus, ut ajunt refinatum, *calcis vivæ* multum; refinatissimum vero parum continere asserebat. Contrarium a multis creditur, cum *lixivium* ♆ sit illud medium, per quod *saccharo* coctura niveus ille candor conciliatur. "Hinc "Moebius *Instit. Med. p. m. 482.* saccharum, ait, quo magis ♆ vel *lixivio* "depuratur, induratur, ac in metas niveas, ac visui gratas redigitur, eo "fit deterius & magis ad usum medicum & culinarium inidoneum: im- "bibit enim non solum salia corrosiva, caustica & summe noxia; verum "etiam suas partes balsamicas ac sume proficuas amittit, naturamq; induit "plane alienam ac valetudini nostræ non congruam. Ipse super in omni "tali *saccharo* qui est dulcis & acris, adulterium prodit. Hactenus Mœbius. Plane consentit Ettmüll. Schrœd. *dilucid.* p. m. 130. Ubi ait: Saccharo per ▽♆ purificato simul communicari acredinem corrosivam, adeo, ut, quo magis refinetur, eo magis evadat corrosivum, & noceat pulmonibus, & partibus internis. Unde pateat error illorum, qui præscribunt saccharum bene refinatum, id est, bene imprægnatum ⊖bus acribus ♆. consentit quoque Bartholinus in *Act. Med.* Haffn. *vol. I. Obs. 54.* Saccharo tamen refinato pollicem premit Welschius Decad. IV. Cur. 10. p. m. 219. ubi ♆æ acrimoniam frequenti elotione rursum secedere autumat. vid. m. Barkhusen *Synops. pharmaceut. sect. III. Tit. de pane Martio.* Litem ali diri-

dirimant. Si finis *refinationis* non est alius, quam candor *sacchari*, isto certe tam operoso refinandi labore supersederi poterat. XII.

§. Lycaonis *filioli*, per DEI gratiam, convaluerunt. (d. 13. *Nov.*) Lycaonis *filioli*.

§. Epimeletis *uxor* (d. 16. *April.*) cephalæam denuo suam sudoresque frigidos sentire cœpit, cui denuo quoque medicamenta d. 25. *Martii* præscripta, propinari cœpta sunt, quippe tunc maxime proficua comperta. (d. 19 *Nov.*) Epimeletis *uxor*.

§. Apud Dendronium locus manet proverbio: *Dum spiro, spero.* Optandum ut æque spiraret, quam sperat. Bene sperat, male spirat. Auxilium tamen spiratui quærere non cessat. Uno haustu sumat, quod sequitur: Dendronius.

Rec. *Ol. Amygd. d. rec. expr.* ℥j.
sir. viol. de erysim. L. an. ℥ß.
⏜⊖✱. *anis.* ℈j. *M.*

Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. chærefol. cochlear. salv. an.* ℥ij.
⏜. *cochl.* ⊖. *vol. oleos. an.* ʒß.
ess. croc. ℈j. *oxym. squill.* ℥ß. *M.*

Theiformiter paretur & aliquoties bibatur *infusum*:

Rec. *Herb veron. hyssop. an. mj.*
rad. armorac. ℥ß. *helen. liquir. an.* ʒij.
sem. nastурt. sinap. fœnic. an. ʒj.
croc. austr. ℈j. *Conc. cont. D.* (d. 14. *Nov.*)

XIII. XIII.

MErcurius fere medium quinti gradus attigit, vesperi per dimidiam lineam subsedit. Liquor *Thermometri* paullo humilior, quam heri, adhuc magis vesperi descendit. Nox clara fuit & frigida. Dies fere eadem. Noctem auguror insigniter frigidam.

§. Bupolitani *uxor* (d. 11. *Nov.*) doloribus *nephriticis* adhuc graviter ac graviter cruciatur. Sumat ter in die *decocti* FORESTI haustum calidum; It. pro 2. dosibus aut brevibus aut longis intervallis, pro doloris exigentia, hauriendis, *mixturam* talem: Bupolitani *uxor*. *Nephritis.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.*
sir. de alth. FERN. *an.* ℥j. *ess. anod.* ℈j. M.

Unguentum & *cataplasma* non seponantur. (d. 15. *Nov.*)

§. Apud Glycionis *filium* heri nares fluere brevi desierunt, sic, ut coërcitione pharmaceutica tam in- quam externa, opus non fuerit. Sed nocte præterita e nare sinistra stillicidium leve. Cætera satis tolerabiliter vivit. Cochleatim detur *mixtura*: Glycionis *filius*. *Febris continua.*

 Rec.

XIII. Rec. *aq. plantag. acetos. an.* ℥ij.
conf. alk. c. ʒj. *sir. acetos. citr.* ℥iij. *M.*

Singulis 6. horis detur unus e *pulvisculis*, pro debellando *febrili* fermento:

Rec. ♁ . *diaph. CC. philos.*
cryst all. ppt. an. ℈ij. *M. F.* 4. *pulveres.* (d. 14. *Nov.*)

Psychroryactis *filiolus*. *Macula scorbutica*. §. Psychroriactis *filiolus* 4½ ann. jam a longo tempore scabie humida laboravit, quam, parum æstimantes pauperculi parentes, diutius neglexissent, nisi horridum symptoma, ut ad *Medicum* volarent, alas addidisset. *Sputum* nempe sinceri *sanguinis*, & corpusculum *maculis violaceis* obsitissimum. Accedens omnia curiose perlustro. *Gingivæ palatus, labia*, livida omnia, ad quemvis levissimum contactum sanguinem fundebant. *Dentes* erant putridi, Mephitim os exhalabat. Præterea quæcunque scabiei illius ulcuscula, neque pus, neque ichorem, sed merum sanguinem pressa plorabant. Interim appetebat puellus, hilaris erat, non præternaturaliter sitiebat, pulsus erat bonus. Sputum sanguinolentum a gingivis arcessens, puellum esse omnino scorbuticum pronunciavi, nec de puellæ salute desperandum esse dixi. Data *mixtura purgans*:

Rec. *pulv.* CORNACH. *gr.* XVI. *sir. de cich. c. rh.* ʒvj.
aq. fumar. ℥ij. *M. pro* 1. *dosi.*

Mane, pomeridie & noctu dentur guttulæ Xij. essentiæ, ex quolibet vehiculo.

Rec. *Ess. lignor. fumar. an.* ʒiß.
♒ *cochl.* ʒj. ⊖✱. ℈j. *M.*

Potui ordinario simul incoquatur scops *ligni sassafras*. Os colluatur *decocto cochleariæ* & *strobilorum pini*. (d. 17. *Nov.*)

Lycaonis *filiolus*. *Variolarum foveæ*. §. De Lycaonis *filiolo varioloso* id unum adhuc notare placet, me scil. rogatum, quid pro avertendis *variolarum* foveis utile censerem? Me parum externis tribuere respondi, quum istæ foveæ mihi, a conditione solius puris, nunc mitioris, nunc acrioris, dependere viderentur. Dixi tamen, ut aliquoties in die faciem oblinerent *cremore hordei calido*, per se exsiccando, sine detersione. Dissuaserunt alii, quod omnes ejusmodi unctiones cutim colore fusco deforment. Certissimum est, plures *variolosorum* utriusque sexus, deglubitorum ad instar perpetuo scalpere, nec tamen cicatrices manere, alios sibi studiose cavere, foveis tamen enascentibus. In genere, si litus illi emanere possent, naturæque res relinqui, melius omnino esset (d. 17. *Nov.*)

§. Oeno-

§. Oenologistis *filius*, præter *tussim*, satis tolerabiliter vivit. Quam, ut mitigarem, per cochlearia præbere jussi *mixturam*. XIII. Oenologistis *filius*. *Febr. contin.*

Rec. *aq. acac. scabios. an.* ℥iij.
sir. jujub. viol. an. ℥ij.
∽⊖✱ *anis.* ℈j. *cochl.* ʒß. *M.*

Ter in die sumat quantitatem castaneæ de *electuario*:
Rec. *elect. resumt.* ℥j. *cons. fl. papav.* ℥ß.
♉. *diaph. CC. philos. an.* ʒß.
extr. helen. ℈j. *sir. papav. err. q. s.*

Pectori *unguentum pectorale*. Sic *febri* non neglecta, quæ tamen est in declinatione, symptomati quoque, urgere judicato, occurritur. (d. *15. Nov.*)

§. Hodie *officinas pharmaceuticas visitandi* initium fecimus. Talis erat *visitationis* apparatus. Personæ visitantes bifariam dispescuntur. Potiorem partem constituunt a *Serenissimo* DUCE delegati, *Præses* e *Senatu Ecclesiastico Consiliarius* (Ab hoc enim *senatu* dependet tota *facultas medica*.) a *Magistratu opidano Præfectus, Consul, Archigrammateus & Senator*. *Visitatorum* munere funguntur *Archiatri* DUCALES & *Physici* STUTTGARDIANI. Simul invitantur *Nosodochij aulici medicus* & reliqui hujus urbi *practici*. Propositio primum fit a *Consiliario Ducali*, caussam conventus explicante, *Pharmapœumque* monente, ut a *medicis* postulata sincere promat. Ministrorum etiam ac discipulorum nomina, patria, servitia, ætas vestigantur & protocollo inseruntur. Hinc initium examinis fit in ipsa *officina*, ubi, juxta seriem officinalis taxæ *medicamenta* utplurimum *composita* (quum *simplicia* alibi in *botanotheca* & *hylotheca* (Material-Kummer.) reperiantur,) postulantur, examinantur, judicantur, v. gr. *sirubi, conservæ, rob, lohoch, pulveres, species aromaticæ, prodecoctis, cucuphis, massæ pilulares, trochisci, rotulæ, aquæ compositæ, spiritus, essentiæ, tincturæ, olea destillata, expressa, cocta, elixiria, salia, extracta, emplastra, unguenta*. Interim, dum hæc fiunt, quum plerumqua intra diei spatium *visitatio* unius *officinæ* sit absolvenda, par *medicorum* ablegatur in *Botanothecam*, examinantur ibi *herbæ, flores, radices, semina, baccæ*. Par aliud in *hydrophylacium*, ubi visuntur *aquæ simplices, succi expressi, vina medicata, aceta* &c. Denique & *hylotheca* aditur, ubi sunt *gummi, resinæ, succi concreti, bitumina, lapides, ligna, cortices, fructus, animalia, earumque partes, mineralia varia &c.* Quorsum denique referuntur *pretiosa, gemmæ, bezoar utramque, margaritæ, unicornu, varia balsama*. Reji-

XIII. Rejiciuntur, effunduntur, pessundantur, re probantur, vel certe debent, rejicula reperta. Peractis his omnibus celebratur *symposium.* Post visitationes omnes, visitatores congregantur in curia civitatis, judicium *medicorum* de visitatione requiritur, formulæ seu recepta *medicorum* ex officinis postulantur, utrum rite taxatæ fuerint, disquiritur, *pharmacopœi* citantur, si quid reprehensibile occurrit, reprehenditur, eorum querelæ audiuntur, medela aut statim suscipitur, aut SERENISSIMI decisioni relinquitur. Facta & acta a *Consiliario* Ducali recensentur, relatio fit ad *Consilium Sanctius regiminis*, gravamina per Rescriptum, quod vocant, DUCALE abolentur, aut certe aboleri conveniebat. Postremo cuilibet, pro statu sive conditione, præbetur *Capactrum.* (visitations-Gebühr.)

Initium factum in *officina* LYCANDRIANA.

Sicut omnes officinas, imo status omnes ac societates, commendat *ordo*, ita præsertim *officinas pharmaceuticas.* Ordinem hic non volo laborum, sed vasorum in suis forulis omnium vitreorum, ligneorum, lapideorum, stanneorum. Quorum tam concinna debet esse collocatio, ut non opus sit diu quærere, quo loco stet illud *unguentum*, *hic spiritus*, iste *sirubus*, *pulvis* & alia. It. ne sirubus violarum stet a latere sirubo acaciarum, vel *unguentum, viride potabile unguento albo camphorato* & hic porro. Hinc etiam primus est labor, ministri officinam novam adeuntis, ut in ea dispiciat & cognoscat ordinem ac seriem *pharmacorum*, quod in officina bene coordinata ultra biduum requirere non debet, Nam in casu necessitatis diu quærere noxium ac turpe.

Visitatorum quidam de *Tart. solubili* discurrebat, hunc nempe nusquam reperiri tam egregium, quam in *officinis* HEILBRONNENSIBUS, quum in vino solutus ne atomum relinquat, quæ non splvantur, Non propterea minus instructa censeri debet *officina*, quæ *T. solubili* caret. Omne, quod per hoc medicamentum lucramur, est illud, quod a *Cremore T.* separatæ sint particulæ 🜃, relictis solis salinis. Hinc per minimas sui portiones in vino solvi, mirum non est. Si non solvitur, adhuc parum restare dicendum, de portionibus *Tart.* 🜃 ♋. quid autem hoc obsit valetudini humanæ? Præterea in solis prædicatis officinis inveniri tantæ excellentiæ *T. solubilem* plane vanum est, cum hodie ferme in omnibus offieinis instructioribus reperiatur, neque modus parandi sit res artis secretæ. Vid. LEMERY *Part. II. cap. 11. p. m. 234. Cous de la Chimie. Barkhusen pyrosoph. Lib. IV. cap. I. Art. 6. p. 333.* ETTMUL. *Comment.* LUDOV. *p. m. 505.*

Elæosaccharum errhinum elegantissimum in hac officina vidimus, cujus descriptio alibi tradetur. Ade-

Aderant *Species diajovis* MYNS. Quærebatur, an his *officinæ* commode carere possint? Respondi, quod sic. Licet enim istæ *species* hyperbolice prædicaris, ab Auctore ita consueto, effectibus responderint, quilibet, cui *materia medica* penitius est cognita, facile deprehendit, effectum non tam *soli Jovis* ANGLICI, reliquisque ⊖bus, quam aliis ingredientibus acceptum esse ferendum, & fortasse sine illis *salibus* medicamentum, si non eundem, fortasse meliorem effectum esse præstiturum. Egregie BARCHUSEN *loc. cit. Lib. III. sect. 1 cap. VI. p.m. 156. Extollunt quidem nonnulli hoc ⊖ multis parasangis superiora, quod ad vires, prosequi, sed ego haut magna miracula inde facta vidi, ad minimum, si absque additione, (cui virtus, si qua subinde provenerit, assignanda) cuipiam porrectum fuit.* XIII.

Ortus de *pulvere bezoardico* SENNERTI discursus, quem aliqui nimis pretiosum, & propterea cujusvis usibus non aptum dicebant. Eo carere possunt *officinæ* nostræ, cum sit revera pretiosus. Si cui volupe sit, uti pretiosis, *pulveri* nostro *alexipharmaco* CAMERARIANO *addi* potest tantillum *specierum de gemmis*, & habebit, quod in *pulvere Sennerti Bezoardico* quærit. Non improbo *pulverem*, saltem sub ea descriptione peculiariter in *officinis* prostare debere, non esse necessarium arbitror. Rec. *Pulv. alexiph.* CAM. ℈j. *spec. de gemm. fr.* ℈ß. *M.* Hic *pulvis* tibi erit loco *bezoardici* SENNERTI. Sed fortasse non minus virtutis, quam si dicti ℥is *Camerar.* solius ʒß. daretur.

Vidimus *officula maxillaria* piscis *cyprini* vel *carpionis*, imagunculam *Virginis*, quam putant MARIÆ, referentia, vel potius mentientia. Nostri homines proficua celebrant, cum libro EVANGELICO calcitris infantulorum supposita, contra *motus convulsivos*.

Tinctura ♂ hellеborata WEDELII offerebatur. Hujus variæ circumferuntur descriptiones. Optima sine dubio est ipsius celeberrimi Auctoris, quam exhibet *Disput.* de hac ℞. habit. JENÆ *1695. cap. 2.* Nimirum, qui cum 🜄. extrahunt, nec vere extrahunt, nec usum *Medicum* assequuntur. Et *chalybs* & *helleborus* (quippe *gummosus*) 🜄 libenter in sinum suum recipiunt, nisi fortasse valde phlegmaticum, *spiritusque* nomine non amplius dignum. Usum quod attinet, nimis calefacit illa ♁ea ℞a. Ut tamen extracta per menstruum aqueum ℞ sit magis durabilis, 🜄. tantillum, vel, quod sane melius, ∽ *cochlear.* affunditur. Nobis familiare est elegans medicamentum, *aperiendi* simul, *invertendi* & *alvum subducendi* viribus dotatum.

XIII. Cæterum, multæ nobis in hac officina visa, in reliquis videnda, plane superflua, quibus non tam carere poteramus, quam debebamus. Reperiuntur *trochisci*, *species aromaticæ*, *massæ pilulares*, alia plura quæ per omnem vitam nemo *Medicorum* hujus urbis, quorum nunc sunt numero decem, vel præscripsit, vel unquam præscripturus est. Optandum, ut in pauciora redigi possent *officinæ*! An sperandum, Hæreo.

XIV.

XIV.

MErcurius in medio quinti, liquor *thermometri* in medio tertii gradus. Nec vesperi mutata hæc statio. Nox & dies cum serenitate frigidæ. Dies æque frigida post autumnale *æquinoctium* nondum fuit.

Dendronius. §. Dendronius (d. 12. *Nov.*) mundo valedicturus, altissimum cum sonoris stertoribus, anhelans, *Medicum* poscit *viaticum*, id est, Krafft=Wasser / ita, si possibile, concinnatum, ut vel aliquantillum levius spirare posset. Diutius, fateor, superest, quam putaram. Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. rosar. scabios. an. ℥iij.*
cinnam. bugl ℥ß. asthmat. ℥ij.
conf. alk. c. ʒj. sir. fl. tun. ℥iij. M.

Pectus ungatur *linimento*:

Rec. *Ungu. pector. ℥vj. 🜄. camphor. ℥iij.*
~⊖✱. ʒj. M.

Cum *infuso theiformi* & *guttis*, si pergere possunt, faciant, ægrum vero ad assumenda sibi ingrata pharmaca, neutiquam cogant. (d. 19. *Nov.*)

Glycionis filius. §. Apud Glycionis *filium* negotium non male procedit. Mutavi *pulveres antifebriles*, eodem usu manente:

Rec. *Spec. diacret.* MYNS. ♁. *diaph. an. ʒj.*
ol. caryoph. gtt. ij. M. F. 4. ℞es.

Mixturæ priori, per cochlearia haustæ, substitui sequentem:

Rec. *Aq. borrag. rosar. an. ℥iij.*
cinnam. bugl. ℥ß.
conf. alk. c. ʒj. sir. papav. err. ℥iij. M. (d. 15. *Nov.*)

Codonus. Catarrhi. §. Codonus, Vir 32. annorum, torosus, sed pallidus, ad *hypochondriaca* mala pronus, de dolore gravativo perpetuo in *vertice capitis* queritur. Nares perpetuo sunt siccæ. *Catarrhus* defluere opinatur

subter

subter cutim per universam corporis peripheriam, cum sensu *formicationis.* *Stagnationem* acrioris *lymphæ* cum in universis glandulis subcutaneis, tum ipsomet cerebro, supponens, ordinavi *pulverem masticatorium* consuetum, consueto quoque more usurpandum. Mane vero & noctu sumat gtt.xxx. *mixturæ catarrhalis* ex *aq. ceras.n.* XIV.

Rec. *Ess. lignor.* ℥iij. *succin.* ℥j. *M.*

Vertex & nucha delibuantur *balsamo*:

Rec. *Ol. nuc. mosch. expr.* ℨj. *succin.*
bals. peruv. an. ℈j. *M.*

Elæosaccharum nostrum *errhinum*, ☉lo *alb.* & *elaterio* acuatum, naribus frequentissime attrahat.

§. Calpurniæ, (d. 26. *Sept.*) nunc per DEI gratiam restitutæ, in supplementum curæ dedi *pulverem purgantem*: Calpurnia.

Rec. *Pulv. gial. n. resin. Crem. Tart. an.* ℈j.
dacryd. gr. iij. M.F. ℨ. *pro 1. dosi.*

Postea mane & noctu aliquandiu sumat *Pulveris stomachici* BIRKM. cusp. 3. cultr. per se. (d. 20. *Nov.*)

§. Oogenis *uxor* per ea, quæ d. 24. *Oct.* ordinata sunt, non tantum ventrem plane detumuit, sed ferme perfecte, quod mirum convaluit. Attamen adhuc de *anorexia* querenti, signaque restantis *viscerum dyscrasiæ*, edenti, præscriptus *pulvis*, cujus ter in die 3. cusp. cultr. per se sumantur:] Oogenis *uxor.* *Leucophlegmatica.*

Rec. *Pulv. stomach.* BIRKM. *Spec. diacret.* Myns. *an.* ℥ß.
diaph. ♂ *al.* ℨij. *elæosacch. mac.* ℥ß. *M.*

§. Symbolus, 20. annorum, in pueritia sua pedes valde frigefecit, debilitate inde contracta veluti *paralyticus* factus & a me curatus est. Nunc pedem alterum *atrophia particulari* affectum conqueritur, non sine dolore. Mane & noctu crus totum cum pede fricetur pannis HAUGII *suffitu* fumigatis, hinc fiat inunctio sequenti *linimento*: Symbolus. *Atrophia pedis.*

Rec. *Ung. resumt. alth. an.* ℨvj.
ol. terebinth. laur. an. ℨij.
pulv. piper. long. caryoph. arom. Zingib. an. ℈j.
alum. plumos. gr. xxxxv. croc. orient. ℈ß.
formic. lumbr. an. ℨj. *M.*

§. Hodie visitata fuit *officina* MESATIA.

Uti *siruborum* omnium erat elegantissima consistentia, ita præcipue placebat *sirubus balsamicus*, compositionis quippe non quotidianæ. Cum enim fere semper *balsamum peruvianum* in hoc *sirubo* seperari & in se coire soleat in grumos; ita hic per totam *sirubi* substantiam

XIV. dispersus manebat, nec separabatur. Elegans est hic *sirubus* & virtutis non infimæ, si rite paretur. Extat hujus *sirubi* descriptio in *Pharmacopœa* BATEANA, unde eam verbotenus desumsit *Eman.* KÖNIGIUS in *thes. remed.* p. m. 203, hac sola cum differentia, ut ubi *facch.* ℥xx. hic ℥xxx. addendæ dicantur; Quod ultimum pro sphalmate typographico habeo, cum inter ball. ℥ij. ▽. tussilag. ℥xij. & facch. ℥xxx. proportio videatur, imo sit, incongrua.

Aderat, qui *pulverem ptarmicum* e variis floribus ⊷⊕li irroratis ostendebat, prædicans de eo, quod cerebrum refrigeret. Vanitas. Quid enim refrigerent vitriolici stægmatis tantillæ guttulæ? Mundus et hic regitur opinionibus.

Mercurius dulcis tam elegans erat, ut lumini obversus traluceret, instar vasorum e porcellana CHINÆ conflatorum.

Magnesia producta laudabatur, ut medicamenrum non tantum absorbens, sed leniter simul alvum subducens. *Visitatorum* aliquis dicebat, ♁. *diaphor.* ʒj. pondere assumtum itidem alvum subducere solere, idque legi in SCRETÆ *tr. de morb. castr.* Locum evolvi in sect. III. cap. 5. p. m. 268. Verba sic sonant: *Immo* ♁. *diaphoret. ad* ʒj. *in aq. scabios.* ℥iiij. *& sir. viol. purp.* ℥ß. *una vice instar potus refrigerantis assumtum, securissimum detergens ac purgans.* Periculum nunquam fecimus. Virum tamen eximium intelligere ♁. *diaph.* non exquisite edulcoratum, multa suadent, quum facultas purgandi *salinas* potentias præsupponere videatur; Quod paullo post ipse innuit, quum mentionem injicit ⊖ *ab* ♁ *io. diaph. nondum eloti. Vid. m. sect. II. cap. 8. p. m. 221.* ubi expresse scribit: ♁. *diaph.* ʒj. NB. ⊖ *adhuc gaudentis*, aquæ ♌llatæ aut fontanæ unciis aliquot dilutum hac *sirubo violarum* ad placitum auctum, uno haustu ebibendam esse. Sin igitur ♁. *diaphor.* sit plene & perfecte edulcoratum, vis *laxativa* ab eo fortasse frustra expectatur, Quamvis suo quemlibet sensu abundare patiar.

Regulus ♁. *medicinalis* etiam in conspectum veniebat. Hunc aliquando, aliunde petitum, alvum subdole movisse comperi. Re examinata e quatuor *pharmacopoliis* quatuor distinctos hos *regulos* & colore & sapore nactus sum, quos proinde vario quoque procedendi modo paratos fuisse, nihil dubito. *Optandum, ut in eadem urbe eodem modo medicamenta composita in omnibus officinis, parentur.* Secus enim si fiat; quomodo *Medicus* dosin tuto determinabit? Ille profecto, qui mihi casus obtigit, effecit, ut hoc medicamento fere nunquam utar, Cum itaque varii sunt hu-

hujusce *reguli* processus, saltem, quoad proportionem etiam *ingredientium*, alium docente BARKHUSIO, MAETSIO, *aliis &c.* placet omnino, quem elegit Exc. HOFFM. *disp. de regul.* ♁. *medic. habit.* HALÆ *1698.* ubi ♁ *ij. part.* ♎.⊖ *comm. part. IV. &* ⊖ *T. part. I.* assumere jubet, in quam compromittere vellem hujus urbis *medicos*, ut idem in *officinis* omnibus prostaret. Notabile est, quod Excell. DEKKERUS *exercit. pract. p m. 483.* de hoc *regulo* monet, eum nempe in *aqua pluviali* semper conservandum esse, nisi *vomitum* ciere debeat, loco sudoris. Quod reperit p. 544. exemploque roborat juvenis, qui a *bolo* ex diascordio, regulo hoc & croco mixto & assumto, loco sudoris, maxime non tantum, & continuo vomuerit, sed postmodum multoties alvum quoque deposuerit; factumque hoc, quod aqua, *regulo* antea affusa, exsiccata fuisset; Ut vero certior experimenti fieret, alij cuidam eundem *regulum* cum *diascordio* dedit, sed & hic *vomuit* et *purgatus* est; Hinc *regulum* aqua pluviali tepida sæpius abluit, & novam aquam affudit, eumque *regulum* pluribus denuo ægris propinavit, sine sequente vel *vomitu* vel *catharsi*. Præparationis modum DEKKERUS alium, quam supra nobis probatum, non tradit. Cum autem nostri Reguli medicinales, eo modo non custoditi, vomitus et catharses ordinarie ciere non comperiantur, in eam denique sententiam propendeo; *Regulum* DEKKERIANUM in conclavi forsan humido asservatum fuisse, vase non accurate tecto.

XIV.

Vidimus *oleum vini* e fecibus ♌ llatis una collectum. Sed, neque gustu, neque odore gratum erat.

Nescio, qua occasione inciderit colloquium de *pulveribus cypriis*, Locus eorum primario fuerat olim inter *cucuphas*; Finis, ad roborationem capitis, exsiccationem catarrhorum, in affectibus, ubi *lotiones* adhibere per contraindicantia prohibitum esset. Nomen traxerunt a *radice cyperi*, ceu præcipuo ingrediente, veluti basi, horum pulverum. Nunc autem, vere dicente *Ill.* WEDELIO *tr. de Compos. med. extemp. sect. III. cap. V. p. 203.* Ad gratiam magis & voluptatem usus horum abiit, quam, ut a *medico* proscribantur. Exemplar posset esse sequens;

Rec. *musc. cedrin. vel acac.* ℥j.
rad. irid. flor. amyl. an. ℥vj.
cyper. rot. ℥vj.
ol. lign. rhod. ℈iij. *mosch. gr.* xij.

Terantur in mortario, ut F. *pulvis* subtilissimus, instar *alcohol.* D. CHEMONIUS dicebat; *Semen lycopodij* esse optimum & commodissimum

horum

XIV. horum *pulverum* ingrediens tam ob levitatem, quam exſiccandi vim peculiarem. Nomen hodie commodius derivatur ab inſula CYPRO, cui præfecta *Venus* propterea *Cypria* dicta, quaſi quis appellitet *pulverem vinerum.* Qualis Patria, talis Patriota; GERMANIS enim vocatur Puder / a GALLORUM *proudre.* Modernus nimirum abuſus, inde proficiſcitur, unde raro verus & moderatus omnium rerum uſus. Abuſus autem adeo eſt deteſtandus, ut rem rite ponderans merito obſtupeſcat. *Pulvis* hic cum morbo podagrico, plane mutavit animum. Nam ſicut hic olim in ſolis aulis divitumque palatiis hoſpitabatur, hodie ne viles operariorum caſas præterit; Sic ille comis Principum & Procerum adſcititiis inſperſus, olidarum hodie vaccimulgarum meretricias frontes non deſpicit. Incredibile eſt, quanta vis hujus pulveris quotannis diſpergatur? Vere diſpergi dico, quum aſperſi pondus & copiam adſcititiæ comæ non amplius ſuſtinere valeant, quin tunicarum dorſi adeo dealbentur, ut prodeuntes eminus cervices morionum collaribus chartaceis cincti videantur. Ne dicam ejusmodi ſtultos dari, qui data opera ſuas tunicas conſpergant amylo, ut ſcil. galants hommes reputentur. Fortaſſe nondum adeo conſenui, quin experiri adhuc valeam, veſtes candidas pulvere carbonum conſpergi. Non enim amplius eſt ulla peregrina ſtoliditas, cui *germania* ſe mancipare non promta ſit. Rurſum ad *pulveres cyprios.* Miniſtros eccleſiaſticos aliquando querentes audivi, dum in SACRA COMMUNIONE CALICEM BENEDICTUM porrigunt, aliquando factum, ut *pulvis cyprius* e comis nimium reſperſis illaberetur. Secundum alius Religionis principia, etiam cauſſæ, propter quas *Laicis* CALIX ſubtrahendus, multiplicari poſſet. Relatum eſt mihi, quendam in hac ſede DUCALI *aulicum* ſingulis annis opus habere tribus *cyprii pulveris* Centenariis. Jam, obſecro, quantum conſumetur in Aula tota? Quantum in urbe tota? Quantum in Ducatu toto? Quantum in Suevia tota? Quantum in Imperio toto? Quantum in Germania tota? Quantum in Europa tota? Calculum ineamus ſecundum *pulveris cyprii* deſcriptionem ſupra traditam, & reperientur *amyli* ℥vj. reliquorum ingredientium ℥vij. & paullo plus; Centenarius unus continebit præter propter amyli libras 42. Ne dicam, ab aliquibus multo plus *amyli* recipi, quam aliorum ingredentium, imo putidas quaſdam ancillulas fortaſſe ſolum farinæ florem ſuis ſetis aſpergere. Nunc autem *amylum* eſt *flos tritici.* Quam ſtupenda moles *tritici* per totam EUROPAM quotannis diſſipatur (vere & proprie dico, *diſſipatur,*) in comas? Quod, ni fieret, quam vili pretio *triticum* emi poſſet?

Nonne

Nonne hoc est, pauperibus, alituram furari? *Triticum* est donum DEI, quo carere genus humanum non potest, *pulvere cyprio* carere potest. Cur lugemus? cur plangimus? Cur DEO nostro beneficentissimo quasi dicam scribere audemus in annonæ caritate? si filius panem a Patre petat, acceptum sui maxima parte pedibus proculcet, post esuriat, num jure petere potest a genitore panem alium? quid autem agunt aliud, qui, admodum nuper ephebi, mento simiarum in modum glabro, per niveos a *cyprio pulvere* comas, eminus silicernia mentiuntur? nonne farinam de capite suo prolapsum pedibus conculcant? Præterea, quales hodie gestantur comæ? amplitudine nimirum æquantes ciconiarum nidos, longitudine tali præditæ, ut eadem opera tegatur & caput & clunes. Si *pulveris cyprii* pondus accedit, forsan adhuc dubium est, an Absolonis capilli, propter gravitatem quotannis rescindi soliti, gravius ponderarint? Vellicant autem, qui comas per isthunc *pulverem* conservari, & a teredine liberari objiciunt. Sit ita. Huc tamen non requiritur tam profusa quantitas. Qui vero proprios capillos hoc *pulvere* conspergunt, eos quidem a strigmentis præservant, hoc tamen cum incommodo, ut simul pori cutis in capite obstruantur & evaporatio halituum necessaria præpediatur, non sine valetudinis noxa, quod scribo expertus. Denique *pulveres Cyprios Medicum* olere non decet. Obstare quidem videtur locus HIPPOCR. *lib. de Medico*: *Cultus ejus* (MEDICI) *mundus esto, vestis sit decora, & unguentis utatur beneolentibus.* Sed sequentia verba mentem HIPPOCRATIS explicant, quum addit: *citra omnem odoris suspicionem.* Locum sic explicat PROSP. MARTIANUS in HIPPOCR. p. m. 6. MEDICO *odores probat mites ac suaves, qui omnibus jucundi esse consueverunt; damnat vero acutos & vehementes, a quibus plurimi offenduntur, & potissimum mulieres propter uterum.* Scilicet *Medicus* neq; lenonem oleat, neq; fullonem, neq; *Zibetham*, neq; *Garum*. XIV.

Balsamum de COPAIBA vidimus longe elegantissimum, summeolentissimum, crassum & quasi viridescens. IX

Cum *Opium* exhiberetur, loci recordabar ex notis Ill. HOFFMANNI ad POTER. *Pharm. spagir. lib. I. p. m. 441.* Ubi sequentia: Notari meretur, ex *papavere sativo* verum *opium* confici posse, quod longe subtilius & efficacius est exotico. Exstillat e maturis capitibus incisis, medio æstatis, lacteus liquor, qui, Solis operatione in resinam nigricantem indurescit, quæ in omnibus ab exotico non distinguitur, &, si verum facere judicium volumus, minus noxia. *Excell. Dn.* D. SLEVOGTIUS junior, tunc nobis præsens, se ipsum e *capitibus papaveris nostratis* prolicuisse affirmavit succum lacteum, sed non evasisse tam fuscum,

ut

XIV. ut *opium*, ſed potius cæruleſcentem. Audiſſe ſe, tutiorem ad ſedandos dolores eſſe hujus, quam exotici, uſum.

Plura longe elegantiſſima in hac *officina* viſa, quæ partim Augusto menſe jam prolata, partim proferre temporis & conſtituti ratio non patiuntur.

XV.

Mercurius mane, qui heri, veſperi per lineam fere unam ſubſedit; liquor *thermometri* verſus ſecundum gradum depreſſior per totam diem manebat, notamine frigoris increſcentis. Nox & dies cum ſerenitate valde frigidæ. Mutationem circa *plenilunium* auguror.

Oenologiſtis *filius*. §. Oenologiſtis *Filius*, (d. 13. *Nov.*) benedicente DEO, ſenſim convaleſcit. (d. 19. *Nov.*)

Bupolitani *uxor*. *Nephritis*. §. Bupolitani *uxor* (d. 13. *Nov.*) *dolorem nephriticum* fere omnem evanuiſſe, ſeque hinc bene habere, læta nunciat. FORESTIANI *decocti* reliquias ſenſim conſumere juſſi. (d. 21. *Nov.*)

Hierocomus. *Cachexia*. §. Hierocomus (d. 2. *Nov.*) non admodum profecit per nupera. Cumprimis queritur de *aſthmate auctiore cum ſtrepitu tracheæ*; It. de ſtomachi dolore, inflatione & magna anorexia. *Pedum tumor œdematoſus* usque ad genua; Ter in die *mixturæ* gtt xxx. ſumantur ex adjecto vehiculo etiam cochleatim hauriendo:

Rec. ⊖. *vol. oleoſ.* ʒj. *Ræ. croc.* ℈j. *M.*

Rec. *Aq. chærefol. hyſſop. an.* ℥iij.
aſthmat. ℥ij.
∽. cochlear. ʒß. ⊖✱. *aniſ.* ℈j.
ſir. papav. errat. ℥ß. *M.*

Fiat inunctio crebra ſtomachi, ſuperimpoſito poſtea *ſacculo*:

Rec. *Ungu. pomat.* ℥ß. *balſ. peruv.* ℈j.
ol. nuc. moſch. expr. ʒj.
menth. ℓll. ℈j. *abſinth.* ℓll. ℈ß. *M.*

Rec. *Fl. chamom.* Mij. *herb. menth. cr. abſinth. an.* Mj.
bacc. junip. ℥ij. *laur.* ʒvj.
ſem. carv. ℥ß. *cort. aurant.* ʒiij.
conc. cont. conſperg. ♂o *menth.* ℈ß. *F. ſacculus.* (d. 16. *Nov.*)

Glyzionis *filius*. §. Si *tuſſim* excipias, Glyzionis *filium* maximam partem convaluiſſe veris. Deditus eſt potui *liquorum ardentium*, & aliis pluribus *diætæ vinoſæ* erroribus, unde corruptelam viſcerum, in phthiſin terminandam, minatus ſum, & ordinavi *pulverem*, cujus ſingulis 5. horis 3. cultri cuſpides ſumantur per ſe:

Rec.

Rec. *Rad. irid. fl. helen. ar. ppt. an.* ℈ij.
♁. *diaph.* ʒj. *croc. opt.* ℈j.
extr. papav. gr. vj. elæosacch. anis. ʒiij. *M.*

Interdum, præcipue, quum tussis nimium urget, deglutiatur quantitas castaneæ de sequenti *electuario*:

Rec. *Elect. resumt.* ℥j.
cons. fl. bellid. papav. an. ℥ß.
spec. diatrag. fr. ʒij. *sir. violar. q. s.*
F. Electuar. mediæ consistentiæ.

Cane pejus & angue fugiat liquores ardentes, vinique abusum. (d. 17. *Nov.*)

§. Celibei *uxor* ob spontaneam per aliquot dies durantem *diarrhœam*, *infusum* quod ipsi nuper præscripseram potare prohibita fuit. Ob caussas certas illud nunc plane sustuli, ejusque loco *pulverem* ordinavi, cujus mane & pomeridie 3. cusp. cultri per se sumantur, insequente motione: Rec. *Limat.* ♂ *trit. instar alcohol.* ℥j.

Celibei *uxor.* *Splenetica.*

diaphor. ♂*al.* ʒij. *elæosacch. mac.* ʒvj.
flor. ♂. Hassiac. *cinnam. opt. ras. lign. sassafr. an.* ʒj. *M.*

Noctu, ante somnum, assumat gtt. xxxx. *mixturæ* ex cochleari vini *Neccarini* veteris & justi:

Rec. *Ra.* ♂. *helleborat.* ʒiij. *Tart.* ʒj.
ess. anod. ʒß. *M.*

Sedando capitis *hysterico dolori cucupham* graveolentem nobis consuetam.

§. Jubalis *uxor* post excandescentiam in *symptomata hysterica* quibus d. 3. *Iulii* lacessita fuit, denuo relabitur. Reiteratum *linimentum* tunc ordinatum, & datæ tres *pilulæ* WILDEGANSIANÆ. (d. 16. *Nov.*)

Jubalis *uxor.* *Hysterica.*

§. Tachini *Filia* (d. 9. *Nov.*) pharmaca sua non sine fructu usurpat; color vividior, spiritus liberior, appetitus melior. Diligenter pergat.

Tachini *filia.* *Chlorosis.*

§. Hodie visitata fuit *officina* AGNELÆANA. Per occupationes alias distractus non multum interfui, nec propterea multa notatu digna recensere possum.

In *Aquarium* deputatus, *aquam rubi idæi*, invenit plane acidam, adeoque nullius usus. Culpa non est *Pharmacopolæ*, sed temporis. Nam ex his fructibus destillatæ aquæ non ferunt ætatem & brevi acescunt; qualis inter alias quoque est aqua fragorum. Omnia quidem medicamenta sapore ac odore suavia faciunt, alterant, diureticæ sunt; oportet autem eas præscribi recentes, quod jamjam nos indignitasse in his mensibus, recordamur.

XV. *Vinum granatorum* nobis videbatur nimium dulce. Rogatus *Pharmacopœi minister* de caussa? *saccharatum* esse dicebat, quod alio modo diu servari non queat. Quid igitur huic vino differentiæ intercedit cum rob composito, vel ipsomet *sirubo*? Certe intentioni *Medici* hæc conservandi ratio plane contraria est: nec a quoquam celebri *Pharmacologo vinum granatorum* addito *saccharo* conservari debere, immo non aliter posse, me legisse memini. Vid. LANG. *opp. Part. I. p. m. 582.* Est sane & manet optimus a corruptione præservandi modus per affusionem *olei olivarum.* Vid. WEDEL. *Pharmac. in A. F. R p. m. 190.* qui hoc *oleum* numen tutelare *succorum* seu *vinorum* cum *granatorum*, tum similium omnium. Ut non opus sit *sulphuratione* HELMONTI*ana*, tantopere ab ETTMÜLLERO, nimio HELMONTII veneratore, laudata, Comment. in SCHRŒD. & MORELL cap. 42. p. m. 323. & LANGIO, modum *sulphurandi* operose tradente *loc. cit.* Peregrinum saporem, uti vina sulphurata, ita hos succos, recipere verissimum est, ab *oleo* nihil alterantur.

XVII.

XVI.

VAsa mane, quæ heri noctu. Vesperi tamen Mercurius fere rursum ultimam quinti gradus lineam attigit, liquor vero *thermometri* gradus tertii medietatem. Nox turbida fuit: Mane *pluviola* fere per totam diem durans: frigus horridulum.

§. Celebre nunc ab aliquot annis in nostris *officinis* prostat *Emplastrum regium* BURRHI. Usus ejus est insignis in *doloribus rheumaticis artuum*, *tumoribus* fere quibuslibet, modo non inflammatoriis, *discutiendis*, &c. Modo sequenti parari solet:

Rec. *Gum. ammoniac. galban. opopan.*
bdell. as fetid. tacamah.
elem. olib. sagap.
heder. sang. Drac. an. ℥j.
extr. croc. castor. an. ℥ß.
opii ʒij.
sal. vol ✻*ci. CC. Tart. an.* ℥ß.
cer. nov. ℔iß. *terebinth ven.* ℔j.
resin. ℔ß. *pulv. tragac.* ℔ß. ℥ij.
M. F. l. a. Empl.

Aliam nobis communicavit descriptionem Dn. MARTIUS ab hac toto cœlo differentem, quæ talis est:

Rec.

XVI.

Rec. *Gumm. tacamah. ladan. galban.*
opopan. oliban. ammoniac.
elem. sagap. bdell.
as. dulc. mastich. an. ℥ß.
Lap. Garganici *ppt. Zedoar.*
lign. al fin. nuc. mosch. cinnam.
caryoph. arom. an. ʒij.
bals. de per. ʒiß.
spec. diambr. c. diamosch. d. c. an. ʒß.
cer. virgin. ℔ß. ℥iiij. *tereb. ven.* ℔ß. ℥ij.
tragac. alb. ☿is. ℥viij.
ol. ♌ *ll. succin. menth.*
chamon. spic. nard. an gtt. v.
citr. aurant. angel. an. gtt. iij.
cinnam. caryoph. an. gtt. iij.
M. F. *l. a. Emplastrum.*

Lapidi illi *garganico* (de cujus præpar. *vid.* OTT. TACHENII *morbor. princ.*) non nisi ex SICILIA e *monte* GARGANO, habendo, substutui commode posset MAGNES rite pptus. Hæc MARTIUS.

Evolvi TACHENII tractatum, & de illo *lapide* in terminis nihil inveni: Sed cap. 9. p. 168. mentio fit *pulveris antipodagrici* insipidi, ab Auctore *del Fundacaro* appellati, quasi diceret, *pulvis Tabernarii*, Erat grysei coloris, micans, ex insipido lapide pptus, qui effoditur inter PALERMUM & Terminum ex monte CANE, cujus præparatio non erat alia, quam, quo *lapis* diu conteri debebat, cum fortissimo *alcalizato lixivio*, deinde ablui, & pro usu, ut *appropriatum podagræ remedium* asservari. Hucusque *Tachenius*. Dn. MARTIUM hunc *Tachenii* locum, nec alium, velle, quam minimum dubito.

Interim, utra descriptio emplastri utri præferenda sit? liberum *Lectori* judicium relictum velim. Forsan utraque præter necessitatem est diffusior. Et nostram quidem quod attinet. De *salibus volatilibus* finita *emplastri* coctione, non multum esse remansurum, credo. In altera descriptione forsan *aromata*, cum *speciebus diambr.* & *diamosch.* utrisque completæ, gratis prodiguntur.

§. Jubalis *uxor* noctem habuit inquietam, & *pilula* WIDEG. *dolores* non sustulerunt, quamvis aliquantillum mitigarint: Per *diaphoresin* ejus reliquias suffocari posse credens, ordinavi *mixturam* per horas cochleatim sumendam; Jubalis *uxor.* *Hysterica.*

XVI. Rec. *Aq. fl. samb. card. bened. an.* ℥iij.
mixt. simpl. ʒß. *croc. opt. gr.* vj.
☿. *diaph. CC. philos. an.* ℈j.
sir. card. bened. ʒij. *M.*

Pergatur cum *unguento*. (d. 20. *Nov.*)

Nisseti *pædodulis.* *Cephalæa hysteric.* §. Nisseti *pædodulis* a *Decocto Bromio* d. 13. *Jun.* ordinato, satis hactenus, quoad *hystericam cephalæam*, commode vixit: nunc denuo per eadem symptomata miserrime affligitur. *Jus medicatum* sequens ad 14. dies, mane & noctu hauriatur calidum:

Rec. *Rad. levist. angel. Zedoar. an.* ℥ij.
concis. cont. pug. 1. *coquatur in haustu brodii carnis macri, colat. exp. ess. detur.*

Noctu *allium* contusum cervici applicetur. (d. 28. *Nov.*)

Hierocomus. *Cachexia.* §. Hierocomus liberius, quam heri, spirat. Me suasore *fonticulum* brachio sinistro affigi passus est. Nihilominus pergendum cum heri ordinatis. (d. 19. *Nov.*)

Phacandrulus. *Capitis tinea.* §. Phacandrulus, puer 6. annorum, quod huic ætatulæ rarum non est, capitis *tinea* nuper affligi cœpit. *Purgetur*:

Rec. *Pulv.* Cornach. *gr.* xvj. *sir. de cich. c. rh.* ʒvj.
aq. fumar. ℥ij. *M. pro* 1. *dosi.*

Mane & noctu *gutt.* xx. de *mixtura* sumantur, ex quolibet vehiculo: Rec. *Ess. lignor. fumar an.* ℥iß. *M.*

Hactenus, præter *pectinationem*, externa non usurpentur. Absolutis vero his medicamentis ante me de effectu certiorem reddant, quam ad externa, a me determinanda, progrediantur. *Efflorescentiæ* istæ, uti molestæ, ita plerumque salutares existunt, proinde non temere vel sanandæ, vel per incongruos litus repellendæ, quod *Practicis junioribus* probe notandum. (d. 26. *Nov.*)

Saturnia. *Melancholia.* §. Saturnia mulier 32. circ. annorum, dives, otio dedita, improlis, mollis, iracunda, vinolenta, a biennio conflictatur cum melancholia, nunc tristi, nunc joculari. Menses rite succedunt. Appetitus est integer. Ratio varia. Nunc lacrymatur, nunc ridet. Parum pietatis, & precum. In urbe quadam imperiali ad *Rhenum* habitans, & Medicis loci & aliis vicinis usa est longe tempore. Postulavit eorum consilia, non vixit eorum consiliis. Medicamenta aversatur, est refractaria, dicto neque Medici neq; *Confessarii*, neque Mariti, nec aliorum dictis audiens. Optime conferre visæ ante annum *acidæ Deinacenses*, quamvis, an potui vel potoribus effectus sit adscribendus, non æque liquidum existat. Certe, cum domum venis

venisset, ab antiqua brevi delapsa. Præterita æstate dictum fontem rursum aditura, aliorum suasu domi manere coacta, calamitatis præsentis caussam acidarum neglectui unice adscribit. Maritus eam huc misit ad consanguineos, periclitaturus fortunam & dexteritatem *Medicorum* STUTTGARDIENSIUM. Sors eam invisendi mihi obtigit. Examinata nec apte, nec inepte respondit. Nobiscum risit, noctu sola inter suos lacrymavit & desperata consilia se inituram minata est, per totam noctem inquieta, dormiens autem antemeridie, in ipsam meridiem. Malitiæ non minus, quam morbi. Dixi, me circumstantias ponderaturum. (d. 18. *Nov.*) XVI.

§. De LIEBEVIO *cœliaco* dicere cepimus d. 7. *Ian.* Fluxus ille, non obstante solerti medicamentorum, cum meorum, tum aliorum, adhibitione, hactenus non intermisit. Successive viribus fractis & appetitu destructo, cum ingruente macie. Hodie literas, eum concernentes accepi, sequentia referentes: Suasu D. SCLEROGONOIDIS æstate præterita accessit novas *aquas* CYCLOPOLITANAS. Post lotiones aliquot novum emersit symptoma, antidhac nunquam observatum. Cum enim morbum suum hactenus pro *fluxu hæmorrhoidali* & *lienterico* habuisset, ac interdum excrementa cum flatibus, præter voluntatem, prolaberentur, forte fortuna nunc experitur, nil minus, quam *lienteriam* adesse, scybalis præcipue, non indigesto cibo, prodeuntibus, sed *ani sphincterem* quasi exesum esse, sic, ut rite contrahi non possit, ad retinendam alvum; *hæmorrhoidibus* quidem non plane absentibus (nam in extremitate ani conspectui se præbent *condylomata & verrucæ*) Ea res valde sollicitum habet virum optimum, hac ratione ne per momentum quidem a fecum egestione tutum. Valde contabescit & pallet. Inspexerunt locum D. SERPILLUS & aliquot *Chirurgi*. Ille sanationem valde dubiam reddit, de reliquo morbum molestum magis, quum periculosum judicans. Quidam *Chirurgus* morbum assimilat marsupio, cujus corrigiæ per aperturam dilatatæ, amplius contrahi non possint. Quid consilii? Me de *fistula ani* non equidem plane certum esse, parum tamen, immo nihil dubitare respondi. *Cœliacam* diuturnam tale quid efficere posse. Oriri tales in ano ex *biliosæ* & *acris* materiæ perpete affluxu B. SOCER meus docet *Disp. de fistul. habit.* TUBING. *1682. th. 9.* Nec obstare, quod nihil *callosi* deprehensum sit. *Fistulas* enim *intestini recti* raro fieri *callosas* propter effluentem humiditatem, intestini membranas continuo alluentem recte docente MARCHETTIS de *fist. an. & intest. rect. p. m. 168.* Ut vero certissimi fiant de præsentia *fistulæ ani*, denuo inspectionem sollicitam a peritis in

Liebevius. *Fistulani.*

XVI. in arte, quales non ſint omnes Chirurgi, inſtituendam eſſe. Re vere cognita, peculiare ſibi id habere fiſtulas inteſtini, ut *ſyringotomi* applicationem poſcant, alias arte nulla ſanabiles. Operationem eſſe raram, ſed facilem & minime periculoſam. Commendare me manum in his ſpecialiſſime operationibus expertisſimam THRYALLIDII. Non autem differendam eſſe, donec viribus ſit penitus exhauſtus LIEBEVIUS. (d. 27. *Nov.*)

XVII.

XVII.

MErcurius transſcendit quintum gradum & liq. *thermometri* fere ad ſecundum gradum reſedit, vaſis in eadem ſtatione per totam diem durantibus. Nox & dies cum valde intenſo frigore, claræ, *Plenilunii* algidisſimus ingreſſus.

Lycaonis *filiolus major.*

§. Lycaonis *Filiolum* a *variolis* liberatum (d. 14. *Nov.*) inviſens, interrogatus fui a Parentibus, an nondum dare vinum liceat? Calore præternaturali adhuc tantillo obſervato, negavi. *Vinum lac ſenum, puerorum venenum.* Olim non dabatur tenellis vinum, hodie quandoque ad crapulam datur. Recordor me puerum ad minimum ſeptennem primum ſumma cum nauſea *vinum* guſtaſſe. (d. 21. *Nov.*)

Pſychroryactis *filiolus. Stomacace. Maculæ ſcorbuticæ.*

§. Pſychroryactis *Filiolus* (d. 13. *Nov.*) a nuperis medicamentis mitisſime profecit. *Maculæ* multum diſparuerunt. Oris fetor & gingivarum cruentatio minuuntur. Loco *Mixturæ* nuperæ ordinata ſequens, eadem utendi ratione manente:

Rec. *Spir. cochlear.* ʒj. ⊖✳. ʒß. *M.*

Linteolo *Tinctura* madido palatus, lingua, gingivæ ter minimum in die, fricentur ac mundificentur:

Rec. *Tinct. gumm. lacc.* ℥ß. *mell. roſat.* ʒij.
∽. cochlear. ʒß. *M.*

Gargariſatur *Decocto fumariæ & naſturtii aquatici.* Pergatur cum nuper laudato potu ordinario. (d. 29. *Nov.*)

Toparii *filiolus. Vomitus.*

§. Toparii *Filiolus* (d. 9. *Nov.*) per aliquot jam noctes eſt valde inquietus & æſtuans. Heri & hodie *revomuit* aſſumta.

Rec. *Spec. diacret.* Mynſ. ʒj.
pulv. March. *cryſtall. ppt. an.* ℈j.
ther. cœl. gr. ij. M. F. ☿.

Dentur bis in die 2. cuſpides cultelli quovis modo; ut & cochleatim *mixtura*: Rec. *Aq. aniſ.* ℥ij. *maſtichin.*
ſir. papav. err. an. ℥ß. *M.*

Ventriculi regioni balſamicum *linimentum*, ter in die, vel pluries:

Rec.

XVII.

Rec. *Ungu. pomat.* ℥ß. *balſ. peruv.* ℈j.
ol. nuc. moſch. expr. ʒj.
Oll. abſint. menth. an. ℈j.
mac. caryoph. an. gtt. vj. *M.* (d. 19. *Nov.*)

§. Glebani *uxor* (d. 11. *Nov.*) abſolvit ſuum *infuſum*, reſtante nihilominus adhuc, quamvis tolerabiliore, *capitis dolore*, urinæque ardore, cum ſedimento pituitoſo. Cum cætera bene appetit, ſuisque muniis domeſticis præfit, aliquandiu a medicationibus feriari, *infuſique hyſterergiam* expectare juſſi. (d. 29. *Nov.*) Glebani *uxor.*

§. Glycionis *filius*, (d. 15. *Nov.*) per DEI benedictionem, plene convaluit, ſoſpes, uti ſpem feci, manſurus, ſi vitam amplectatur ſobriam & laborioſam, potusque inebriantes, ſpirituoſos fugiat; Cibos aromate nimio conditos, muriatica & valde ſalſa declinet. (d. 20 *Nov.*) Glycionis *Filius.*

§. Ad *matronam nobilem*, antea mihi non cognitam, ultra, quam quinquagenariam, ex *cholera humida* periculoſe decumbentem, & in civitate, ſeptem ab inde milliaribus diſſita, habitantem vocatus, proficiſci recuſavi. Quœritur, an recte & ſecundum conſcientiam? 1. Frigus erat valde intenſum, quale vix hieme; 2. Ego hoc anno *nephritica colica* aliquoties obnoxius. 3. Infra quinque dies iter abſolvi non poterat. 4. Erant, qui hic meo conſilio opus haberent. 5. Civitas illa *Medicis* non carebat, 6. Morbus ex circumſtantiis perſcriptis talis, ut profectio vel minus neceſſaria, vel nimis ſera fuiſſet, quum recenſeatur inter acutos. 7. Ego alii cuidam *Medico* ſolummodo ſubordinabar, cum hac expreſſione: Ut, ſi ille venire non poſſet, ad iter ſuſcipiendum me hortaretur, quamvis ægræ fiduciam decies majorem in ipſum, quam me, collocaſſet. Cur igitur abiſſem? Junior Practicus taliter vocatus, e circumſtantiis prudenter colligat, an & quatenus ſim imitandus?

§. Mane vocatus ſum ad Glyzionis *ancillam* 22. annos habentem. Nudius tertius horruerat, ſequebatur æſtus, dolor capitis, ſitis, virium ſummus languor, quæ adhuc durant. Sudaverat a ſumto *pulvere* HALLENSI. Rogata de menſibus, eos intra octiduum ſemet expectare dicebat. Sumatur ſingulis ſex horis unus e *pulviſculis*, cum adjecto, ſeorſim quoque hauriendo, vehiculo: Glycionis *ancilla.* *Febris continua.*

Rec. ♁. *diaph. CC. philoſ.*
☽. *ppt. an.* ʒß. *F.* ʒ. ℞*es.*
Rec. *aq. acetoſ. fragar. card. bened. an* ℥ij.
mixt. ſimpl. ʒß. *ſir. rub. id.* ℥vj. *M.*

Fronti

XVII. Fronti *unguentum* ex *an. popul.* & *alabastr.* Vitato *vini.* Cum vesperi eam visitatum venissem, *mensium fluxum* anticipasse dicebat, simul interrogans, utrum, hoc non obstante, medicamenta mane ordinata usurpare fas esset. *Pulveres* negavi, reliqua concessi. *Mensibus fluentibus sudorifera* non danda. Naturam enim a centro ad circumferentiam revocando *menses* subsistere faciunt. Licet enim *mixtura* cochleatim sumenda, etiam *diaphoretica* contineat, potior tamen est in illa *refrigerantium* virtus, ad æstum *febrilem* temperandum expetita. In febribus continuis *mensium fluxum* anticipare rarum non est, quod fit propter Sanguinis agitationem. (d. 18. *Nov.*)

XVIII.

XVIII.

Liquor *thermometri* in secundo gradu per totam diem. Mercurius mane in prima linea sexti gradus, quintum vesperi prope attigerat. Nox cum serenitate, dies cum nubilis, intense frigidæ. Glacies fenestrarum orbitas occupaverat.

Glycionis *ancilla*. *Febris continua.*

§. Glycionis *ancilla* noctem pernoctavit mediocrem. *Menses* parcissime fluunt, nec sine dolore. Lentorem nihilominus in sanguine nimium adhuc supponens, ut *pulveres* hesternos sumeret, imperavi. Sic enim urgere videbatur *continua febris.* Forsan agitatione majori sanguini conciliata vel menses promovebuntur, vel copia sanguinis sudore excitato diminuetur, qui est finis *menstrui fluxus.* [d. 19. *Nov.*]

Hierocomus. *Cachexia.*

§. Hierocomus (d. 16. *Nov.*) quoad spiratum notabiliter levatus, de *rheumatico* femoris alterius *dolore* quiritatur, acerbius extra lectum cruciante. Ungatur *oleo lumbricorum cum an.* ℣. *camphor.* Cum suis medicamentis sit diligens.

Steganii *liberi.* *Æralgia.*

§. E pago nostræ præfecturæ, CHEMNATO, consultus fui, ut mederer aliquot ægris, a torpore ex *lolio temulento* contracto misere decumbentes. *Æralgia* voco morbum, sumta mihi libertate onomatopoëtica *Lolium* nempe *temulentum* græcis αἶρα dicitur. Querelæ fuerunt sequentes. A sumtis aliquot pulmentis e mixto cum avena lolio, cum aqua coctis, *vertigo* primum, capitis gravitas, oculorum dolor & hebetudo, *delirium*; mox appetitus plane prostratus, defectus virium, *cardialgia* inflatio abdominis cum *torminibus* & *borborygmis*, frigus extremorum sine sudore, interdum & *animi deliquia.* Liberorum triga fuit. Pro ætatis ratione dentur pauperculis ter in die 1. 2. 3. cuspid. cultri de *pulvere*, ex vehiculo sequenti seorsim quoque præbendo:

Rec. ☿. *diaph.* ▽. *sigill. an.* ℨij. XVIII.
cort. ☉. *pulver.* ℨj. *ol. carv.* ℈ß. *M.*

Rec. *Aq. menth. carv. an.* ℥iiij.
sir. chamom. ℥j. *M.*

Abdomini *unguentum* & postea *sacculus* ex *herb. absinth. flor. chamom. bacc. junip. & sem. carvi.*

Rec. *Ungu. alth.* ℥j. *ol. carv.* ℈j. *M.*

In alia domo jam quadamtenus convalescens ab illo morbo adhuc decumbebat PTOCHIOLÆ *filius*, 20. annorum, qui, robustior STEGANII *liberis* ista symptomata levius pertulit. De stomachi tamen adhuc inflatione & appetitu prostrato querenti *pulvis* ordinatus, cujus mane, pomeridie & noctu 3. cuspides cultri præbeantur: Ptochiolæ *filius.* *Æralgia.*

Rec. *Pulv. stomach.* Birkm. ℥j. *anticol.* CAM. ℨij.
ol. carv. gtt. vj. *M.* (d. 10. *Dec.*)

Filiæ adhuc deterius laboranti *pulvis* sequens eodem modo sumendus:

Rec. ☿. *diaph. bol.* Würtemb. *an.* ℨij.
cort. aurant. pulv. sem. anis. an. ℨj.
CC. ust. ppt. ℨij *M. F.* ☿.

Inunctio abdominis calida & frequens:

Rec. *Ungu. alth.* ℨvj.
ol. philos. ℨiij. *carv.* ♌ *ll.* ℈j. *M.*

Utrisque *sacculi* STEGANII *liberis* ordinati.

Lolium porro hoc *temulentum* quod attinet, (d. 9. *Nov.*) Paupertas inter ruricolas tanta fuit, ut nec prece nec mandato ab eo esitando arceri potuerint. Quidam dicebant, se, dum pultes *avenacei* coquuntur, eos probe despumare, maximum enim virus in eam spumam attolli. Fateor, non esse plane vanam, sufficientem esse correctionem diffiteor. Aliqui lolium ab avena separare sategerunt lectione, (mit Außlesen) molesto sane, sed irrito plerumque labore, cum etiam e selecta hoc modo *avena* tamen temulenti sint facti. Sic enim legere, ut nil omnino lolii remaneat, impossibile fuit. Quidam jactu avenæ trituratæ per palam (durch worfelsen/) idem effectui dare sustinebant, lolium avena levius supponentes. Sed nec iste modus erat sufficiens. Sicut enim ipsiusmet *avenæ* ita *lolii* quoque grana & magnitudine & gravitate inter se multum discrepant; sic, ut dentur grana *lolii* granis *avenæ* levioribus & parvis graviora, quamvis in genere *avena* sit *lolio* gravior. Eadem difficultas cribrationi remanet. Excogitata nempe fuerunt peculiari cribra foraminibus angustis, sed longiuscu-

XVIII. giusculis prædita; cum itaq; grana *avenæ lolii* granis in genere longiora sint, intentio fuit, ut *avenæ* granis relictis, grana *lolii* cribrum perlaberentur. Sed *lolii* grana prædita sunt prælongis & tenacibus aculeis, itaque, quod ipsorum corpori longitudinis decedit, aculeis istis, ceu setis, pensetur. Plurima perlabuntur cribrum, multa tamen manent in cribro quod expertus testor, Facillimus *avenam* purgandi modus fuisset, si ante triturationem, aristis adhuc stramini connexis, separatio facta esset. Sed hoc erat post Festum, *Magistratus* nostræ urbis, duos Pistores juramento obstrictos elegerat, qui soli manuariis molis *avenam* puram in farinam redigerent, aliamque farinam *avenaceam* venum exponere, prohibitum erat. Num satis cautum fuerit, pro certo affirmare non ausim, id vero certum, in hac urbe me saltem scire neminem, qui *Æ-algia* affectus fuerit. Laudanda est cura *Senatus*. Prudens interea, si Dîs placet, consilium inierunt nostri ruricolæ, qui, ut minus a comestione lolii avena mixti, noxiæ caperent, non amplius id pransi, sed tantummodo cœnati sunt, id lucri facientes, ut, cum nox quieti dicata sit, perinde haberent, utrum temulenti, an sensibus integri dormirent, mane, discussa temulentia, ad labores redituri, sensorium autem primum per vapores *loliaceos* narcoticos valde debilitari, adeoque penitus abstinere longe tutius esse, quis eat inficias? Beneficium, quod a comestione nocturna sibi Ruricolæ pollicentur, ad ea pertinet, quæ *Jurisconsulti Beneficia flebilia* vocant. Nunc etiam exhibemus, quod nuper polliciti sumus, examen *lolii temulenti Chimicum*.

Ex ℔ß. *lolii temulenti* per retortam propulsi, prodiit *spiritus* vehementer *acidi*, linguam instar *aquæ chrysulicæ* fodicantis, corrosivi, coloris *tincturæ croci* aurei, empyrevma graveolentis, cum vase ponderati ℥v. ʒiij. Collo retortæ se affigebat ⊖ *volatile* acerrimum striis oblongis, in fundo manebat 🜃 nigra, a nobis nondum examinata, elixivianda tamen, ut, quis & qualis sit ⊖ fixus, ostendi queet. Totum vas redolebat odorem valde silvestrem & fere narcoticum, caput instar vaporis opii ferientem. Hic *Spiritus acidus*, nondum rectificatus, per *reagentia* tentatus, exhibuit phænomena sequentia:

Confusio cum *spir.* ⦶. & ⊕. primo nullius mutationis vestigia reliquit, colore tamen deinceps turbido facto. Idem fiebat cum *solut* ☿. ∼. cum *solut.* ☽. primo nihil, postea color obscure rubens, postremo atramenti ad instar nigerrimus, ad viriditatem tamen inclinans. Cum solut ⊕. ♂ in momento color ex obscure-fusco rubens, veluti color *elixiris proprietatis* aliquo modo inspissati. A *solut.* ♂. color rubineus in instanti. A *solut. Lacmi* color vivide rutilus. Cum *ol. Tart.* obscurius turbabatur, quam

cum

XVIII.

cum *solut.* ☿♎*ti.* Cum *solut* 🜍*c. Tart.* effervescebat cum bullulis multis subsilientibus & magnis, colore tamen claro manente. Cum *solut.* 🜍 *cum* ♆ crasse ex flavo lactescebat cum tetro fœtore. Cum 🜕⊖✱ *cum* ⊖ *Tart,* cum bullulis minimis subsilientibus fortiter effervescebat. Cum *solut, scor. Reg.* ♁. præcipitatum flavum cum magnis floccis fundum postea quærentibus. Cum *solut, resinæ* color turbidus. Cum *sirubo violarum* obscure rubens.

Hæc omnia phænomena testantur in genere de eminente spiritus hujus aciditate, &, quod de *alcali* nihil participet. In specie vero Phænomenon cum solut. ☽ exsurgens prodit præsentiam 🜍is copiosi: nam ubi 🜍is aliquid est, flavescit, ubi plus, rutilescit, ubi plurimum, nigrescit. Phænomenon ⊕ii ♂. & ♂. testatur de *vi spiritus* hujus *adstrictoria.* Sic porro rutilus color a *solut. lacmi*, effervescentia cum *solut.* 🜍. c. Tart. cum 🜕⊖✱. *c.* ⊖. *Tart.* præcipitatio cum *solut. scor. Reg.* ♁. fetor cum *solut.* 🜍. *c.* ♆. turbiditas *c. solut, resinæ*, rubedo cum *sicubo violarum*, hæc, inquam, omnia testimonium de *aciditate* perhibent. Quemadmodum *alcalici* nihil inesse docetur ex eo, quod *spiritus* mutationem nullam subeat cum *solut.* ⊙, *sacch.* ♄i, ⊖. *comm.* ⊕*li* ♀ & *ipsius* ♀; item quod cum 🜕bus acidis ⊕li, ⦶, nec effervescat, nec bullas vel minimas jaciat. Spiritus igitur lolii temulenti essentia consistit in stagmate acido, oleo 🜍eo narcotico, & hinc quoque orta vi, adstringente. Hinc, quod BARICELLUS in *Hortul. genial.* acetum temulentiæ ex *lolio* profectæ *antidoron* celebret, cur non miremur? 🜍e suo narcotico *spiritus animales* obnubilare & quasi figere, aciditate sua alcalicam eorum agilitatem infringere, vi adstrictoria vasa cerebri nervosque contrahere & influxum *spirituum* sufficientem inhibere, labefactari hinc omnes in corpore humano actiones ab his spiritibus aut principaliter aut ministerialiter dependentibus, est, sicut opinor in propatulo. *Vomitoria* statim ab initio data, quod *lolium* comestum calamitosi minitatur, averruncare posse, credibile. Sed de materia temulenta satis. (d 25. *Nov.*)

§. Rebus Saturniæ (d. 16. *Nov.*) ponderatis, ob mulieris pertinaciam illius curam solus in me recipere detrectavi, GNOMILEGUM in adjutorium acciturus. Interim vero, dum hoc fieret, mane, pomeridie ac noctu propinari volui *Tinct.* ♂. *helleborat.* gutt. xxx. ex vehiculo seorsim quoque sumendo:

Saturnia, *Melancholia.*

Rec. *Aq. fumar. hyper. an.* ℥iij.
sir. fl. pœon. ℥ß. M.

Adstantibus dictum, ne mulieris devio appetitui nimium ob-

 secun-

XVIII. secundarent, quin & prudenti cuidem, talique *Theologo*, quem ipsa omnium facillime perferret, accessum quandoque largirentur. (d. 19. *Nov.*)

Neritius. *Tussis ferina.* §. Neritio *tussi ferina* vexato suasi *decocti pectoralis* ternum quotidie ac calidum haustum, noctu vero, cum eo haustus deglutionem trium *pilularum* de *cynoglossa*, vitatis omni potu frigido, acriumque ac salsorum comestione. (d. 19. *Nov.*)

§. Dn. *Deputati* ac *Visitatores officinarum pharmaceuticarum* in *domo Senatoria* convenimus, de rebus ad *pharmacopolia* pertinentibus deliberaturi, monenda monituri, punienda punituri, corrigenda, correcturi, mutanda mutaturi, observanda observaturi.

Citabantur primo *Pharmacopœi*, qui sigillatim comparebant; unicuique testatum fiebat, nos officinam, qualem quæsiveramus, reperisse, bene instructam, bene coordinaram; hortabamur quemlibet, ut in sollicitudine, sedulitateque sua pergere ne oblivisceretur. Moniti quoque

1. Ut in præparatione *compositorum* rationem unam ac modum inirent, neve in hac officina aqua v. gr. *heleocathartica*, *Anhaltina*, STERNFELSIANA, *Tinctura Coraliorum*, ♂. ⊖. *vol. oleosum* & hujus commatis alia plura, aliter, quam in altera, parentur, ne *Medicus* in præscriptione formularum cum ægro fallatur, vel ipsi Pharmacopœi apud utrosque, *Medicum* nempe & ægros in suspicionem rei male gestæ veniant. Quotidie enim sic audias apud vulgus non modo sed etiam honoratiores: Man hat dieses Wasser/ diese Tinctur / diese Pilulen/ &c. nirgend besser/ als in dieser oder jener Apothecke/ oder/ es siehet/ schmeckt/ riechet viel anders auß dieser / als jener / Apotheck.

2. Ut non tantum ipsi Pharmacopolæ desisterent aliquando juramenti sui oblivisci, ægris medicamenta subministrando, falcemque in messem practicam immittendo; sed & ministros suos, interdum satis nasutos ac petulantes ab his talibus arcerent.

3. Ut *ministros* suos obligarent ad præstandum si non juramentum, saltem manuale votum, urbis *Præfecto*, quod alibi locorum est usuale, & *Rescriptis* DUCALIBUS expresse cautum. Cur enim soli nostrates in hac urbe vel DUCATU sint exleges.

4. Ut *Pharmacopolæ* medicamenta composita nobiliora prius non parent, quam eorum ingredientia ab aliquo physicorum, ratione quanti & qualis, examinata sint, quod aliqui raro, alii nunquam, *constitutionibus* DUCALI[illegible] diametro contraveniendo, præstant.

5. U[illegible] *Physicis* Catalogum tradant *medicamentorum compositorum* præsentium. Adsunt enim in omnibus officinis, quæ adesse *Physici* nesciunt

unt igitur præscribere non possunt. Licet enim in visitationibus solennibus videant, postea tamen iterum obliviscuntur. XVIII.

6. Ut *merces* e *nundinis* FRANCOFURTENSIBUS advectas non nisi præsentibus & arbitrantibus Physicis, evolvant & exponant.

Alias consuetum erat, ut receptæ a Medicis præscriptæ producerentur, tum ut viderent Visitatores, an pretium sit rite constitutum, tum alias ob caussas hic æque non adducendas; quod, ob quam, nescio, caussam hodie non factum est.

Sed & Pharmacopœis integrum erat, si quid haberent, de quo conquerantur, id libere indicarent.

1. Questum de sic dictis *Rhopopolis* seu *Materialistis*, qui citati quoque comparuerunt. Hi dicebantur venundare talia, quæ in solis *Pharmacopolis* venum exponere par est, v.gr. *pulverem pannonicum, Marchionis; antimonium diaphoreticum, Tart. emeticum, tincturam bezoardicam, elixir proprietatis*, aliaque plura. Negabant, sed revera contra conscientiam, quum satis convinci queant. Dicebantur venum exponere oleum amygdalarum dulcium, sirubum violarum. &c. Oleum amygdalar. ipsos venundare ℥ß. pro 4. cruciatis, quod sine damno fieri non possit? Necesse igitur esse, ut sit merx adulterina. Se venundare fatebantur dolum non fatebantur.[Dicebant se *Rhopolas* & *confectarios* multas parare crustulas e massis *amygdalinis*; amygdalas huic operæ non esse aptas, nisi prius oleum expressum sit, quo manente confecta brevi rancescant. Quid igitur facerent cum isto oleo expresso, si venum exponere non liceat? Hanc etiam esse rationem, cur viliori pretio elargiri possint, quia reliquiæ post expressionem olei ipsorum usui demum genuino destinatæ etiam vendantur, quod in officinis non fiat. *Sirubum violarum* parari ad tingendas violaceo colore *crustulas*, venditionem hujus esse ipsorum parergon. Quidquid sit. In detrimentum Pharmacopolarum a Rhopopolis & confectariis dolose multa fieri certissimum est, & sane necessarium foret incautos aliquando obruere, ipsorumq; *tabernas* visitare. Sic enim sine dubio stupendæ fraudes detegi possent. Quod forsan aliquando fiet. Interim interdicenda sub pœna interdicebantur.]

2. Questum de variis *Medicastris* & *medicastrabus, Chirurgis, balneatoribus*, obstetricibus, destillatricibus, carnificis uxore, &c. Qui suas quisquilias venundando, *Pharmacopolis* damnum inferant.

3. Questum de morosis debitoribus, & auxilium Magistratus ad eos ad solutionem adigendas imploratum.

4. Questum de peregrinis nundinatoribus, medicinalia, olea varia destillata, plerumque mangonizata circumferentibus.

 5. Que-

XVIII. §. Questum de circumforaneis, dentifrangibulis; de quibusdam mercatoribus medicamenta composita aliena, v.gr. *balsamum* SCHAURIANUM, *pulverem nephriticum* VOLKAMERIANUM &c. venuntantibus.

Medela vel instantanea, vel per *Rescriptum* PRINCIPIS, qua pote, promissa.

XIX.

XIX.

MErcurius mane non plane attigit primam lineam sexti gradus & talis per totam diem mansit. Liquor *thermometri* mane, qualis heri, sed vesperi surrexit ad primam lineam tertii gradus. Nox frigida & serena. Dies varia, frigore tamen valde intenso manente.

Glycionis (Salici) *ancilla*. *Febris continua*.

§. Quamvis Glycionis (Salici) *ancilla* noctem satis tolerabiliter transegisset, ob *dolorem* tamen *capitis* & calorem præternaturalem, *vesicatorium* applicare consultum dixi, & quum *pulverem* HALLENSEM in tota ista domo magni fieri vidissem, ut ancillæ huic, loco *pulveris* alius *alexipharmici*, dosi consueta, bis in die daretur, concessi, repetita tamen *mixtura* cochleatim sumenda. Nocte futura detur *emulsio*;

Rec. *Sem.4.fr.maj.an.* ℥ß. *papav. a.* ℥ij.
aq.fragor.borrag. an. ℥ij.
F. *Emulsio. Add.*
☿ *diaph.* ℈j. *CC.philos.* ℈ß.
syr. papav. a. ℥iij, *M. pro* 1. *dosi.*

Omnes illos, qui vel ipsa *Hagiomania* laborant, vel ejus aliquam tincturam possident, in hoc *Ducatu* videas, non tantum suis usibus comparare pharmaca *Orphanotrophii* HALLENSIS, sed etiam cum ipsis mercaturam exercere, & nemini non ita laudare, quasi DEUS omnibus aliis medicamentis, fortasse nimium profanis, vim & efficaciam omnem subtraxisset; qualis etiam est fanatica GLYCIONIS familia. Non id propterea scribo, quasi mihi spernantur ista medicamenta, quamvis ea nec possim æque laudare, quippe mihi ignota. Rideo tamen hominum vanitatem, risurosque confido ipsos istorum panacæarum factores. Cui enim non ridiculum videatur, dari homines, qui vel ipsam asam fœditam, ex illis pyxidibus allatam, sanctitatis opinione venerentur? (d. 20. *Nov.*)

Æxuri *filiola*. *Tormina*.

§. Æxuri *filiola* (d. 4. *Nov.*) suis clamoribus, pedumque attractionibus, denuo *tormina* prodit, a *flatibus* orta, quod his, cum bombo prorumpentibus, quiescat. *Clysmata* domestica laudavi ex *Dec. fl. chamom.* cum *ol. rut. cocto* parata, & *oleum amygdalarum dulcium* recenter expressum cum tantillo *oleo anis.* ℞ *ll.* acuatum per cochlearia præbitum. Nutricique dictum, ne frigus admitteret, pectusque probe muniret ab aeris externi accessu. (d. 1. *Dec.*)

§. Oeno-

XIX.

§. Oenologistes (d. 11. *Nov.*) *infusum* suum, non quidem sine *torminum* sensu, attamen multa cum efficacia bibit, quum *baricovia* sensibiliter minuatur. Oenologistes. *Barycovia.*

Filius (d. 15. *Nov.*) non amplius quidem febricitat, sed tamen adhuc *tussit*, & nondum appetit. Bis in die, de *pulvere stomachico-pectorali*, sumat 3. cultri cuspides, per se: *Filius.*

Rec. *Spec. diacret.* Mynf. ℥ij. *diatrag. fr.*
diaphor. ♃ *al. an.* ℥j *extr. papav. err.* ℈ß.
elæosacch. mac. ʒiij. *M.*

In quovis pastu cum primo juris cochleari sumat gtt. xxx. *elixiris balsamici* (d. 21. *Nov.*)

§. Neritium *pilulæ de cynoglossa* quieti reddiderunt. Conquerentem de earum magnitudine, e tribus sex facere, easque nocte futura, pro constantius compescenda *tussi*, denuo deglutire, jussi. (d. 21. *Nov.*) Neritius. *Tussis.*

§. Tandem aliquando Dendronius (d. 14. *Dec.*) æternitatis beatæ, quod christiana charitas ominatur, portum intravit. Dendronius.

§. *Uxori* Usiæ d. 7. *Jul.* contra vagas phlogoses suppeditatum consilium. Tunc etiam, licet in loco tertio, bibit GŒPPINGENSEM fontem. Hactenus utcumque tolerabiliter vixit. Nunc de *mensium fluxu* toties anticipante querela, sic, ut vix per decendium induciis gaudere possit. Ea est ætate, qua *mensium* iste *fluxus* ordinarie valedicere solet. Eo tempore virtute *adstringentium* fluxum reprimere ἀμέθοδον est. In crastinum *venæsectionem* imperavi. Ex effectu hinc expectando indicationes futuræ sumendæ. (d. 20. *Nov.*) Usiæ *uxor.* *Menses nimii.*

§. Epimeletis *uxor* (d. 12. *Nov.*) frigide sudare cessat, quoad alia quoque mitius vivens, modo *dolor capitis* æque mitigaretur. Pergat uti utrisque nuperis *mixturis* & vertici *cucupham* nostram graveolentem applicet. (d. 2. Dec.) Epimeletis *uxor.* *Cephalæa.*

§. Saturnia venæsectionem est hodie passa. Globuli muco innatabunt. Sanguinis non admodum firma compages. Ego ejusmodi sanguinem ad acorem inclinare judico, de quo alias plura. Pergat cum ℞a. ♂. *hellebor.* (d. 21. *Nov.*) Saturnia. *Melancholia.*

§. Toparii *Filiolus* [d. 17. *Nov.*] ab ultimo præscriptis optime habet. Quod est reliqui *pulveris*, consumatur. Quo facto, ne nimium ollulis officinalibus adsuescat, a medicando ferietur. (d. 3. *Dec.*) Topari *filiolus.*

XX.

XX.

MErcurius mane parumper subsedit, nondum tamen quintum *barometri* gradum attingens, subter quem tamen se vesperi pauxil-

XX. pauxillum demisit. Liquor *thermometri* paullo supra secundum gradum per totam diem stetit. Nox fuit clara, dies mediocriter serena, utræque frigidæ.

Glycionis *Filius.* §. Glycionis *Filio* (d. 17. *Nov.*) datum, in curæ supplementum, *electuarium purgans* consutum.

Ancilla. *Ancilla* decrementum *febris* notabile sentit. Nox ab *emulsione* valde quieta. Pergatur cum *Hiera* SAXONICA. *Vesicatorium emplastrum* ligatura laxiore negligentius cohibitum mane in lecto repertum, vesicas, ubicunque forte hæserat, excitavit in dorso, femore & alibi. Deligatio strictior requiritur, ne debita sede moveantur, quod in tenellis frequentissime, nec rarenter in illis fieri solet, qui per *febres* delirant, propter inquietudinem. Memini, me aliquando præcepisse, ut *vesicatoria* suris utrisque affigerentur *Pastori* pagano ex *febri petechiali* decumbenti. Mane nunciabant, vesicarum nihil omnino excitatum fuisse. Pessimum, ajo, signum. Re explorata, fatebantur, se emplastra sic alligasse, ut corium versus cutim spectaret, *emplastri* massa extraversa. Quid stolidius fieri potuit, & quis tantam in hominibus non infimæ sortis, simplicitatem quæsisset? Interim, malignitate sic vires adquirente, miser fato succubuit, fortasse, re rite gesta, evasurus. Hæc historia mihi quoque documento fuit, quod si DEUS ægrum e numero viventium eximere decrevit, in medicatione præpostere multa fieri, cum ab ægro, tum adstantibus, immo ipsomet interdum *Medico*. Es muß sich alles darzu schicken. (d. 4. *Dec.*)

Uxor Usiæ. §. *Uxor* Usiæ venam hodie tundi est passa. Sanguis fuit laudabilis. Confirmor in sententia, quod brevi *menses* per ætatem sint emansuri. Pharmaca præscribere prius consultum non duxi, quam iterum hic fluxus semet ostendat. Tunc enim facienda, pro re nata, tutius decernere licebit. (d. 21. *Nov.*)

Jubalis *uxor.* §. Jubalis *uxor*, (d. 16. *Nov.*) DEO sic disponente, convaluit.

Calpurnia. *Lumbricus latus. Ascarides.* §. Calpurnia (d. 14. *Nov.*) monstravit aliquot ligulas sat longas, *lumbrici lati cucurbitini*, seque a nupera *purgatione* milliones *ascaridum* exclusisse narrat. Plures adesse, per *ani pruritum* nondum desinentem, & alia signa, judicans, ordinavi *pulverem*, cujus cum melle subacti 3. cultri cuspides mane & noctu sumantur:

Rec. *Spec. diaturb. c. rhab.* ʒj *gial. n. resin.* ℈ij.
Corallin. sem. santon an. ʒß.
☿ij. *dulc.* ℈j. *t och. alband.* ℈ß.
Elæosacch. sabin. ʒij. *M.*

§. Bro-

XX.

§. Bromiostrabi *uxor*, 34. annorum, *plethorica*, liberorum aliquot mater, ob exercitium cauponariæ, diætæ confusaneæ obnoxia, de *torminibus colicis*, cum borborygmis & eructatione queritur. Quoties tormina cruciant, adsumat gtt. xxx. *mixturæ* ex vino: *Bromiostrabi uxor. Colica.*

Rec. *Ess. carminat.* ℥iß. *anod.* ℥ß. *M.*

Foris imposito *sacculo stomachico* consueto, addita speciebus *salvia & rore marino*, iisque 🜄. irrigatis. (d. 23. *Nov.*)

§. Theodorander (d. 2. *Sept.*) a salivatione sua liberatus, & e leprosorio dimissus est, cum omnium fere dentium, & inferioris totius maxillæ jactura. (d. 2. *Dec.*) *Theodorander.*

§. Siderolithus post exantlatam tussim & coryzam, de pomeridiana molesta *phlogosi* queritur. Cum post prandium accidat, viam *hecticæ febri* sterni suspicatus, a medicamentis abstemio, suasi bis in die gelatinam ex aa. *ras. CC. & ebor.* in jusculis liquefaciendam & hauriendam. *Siderolithus. Phlogosis.*

§. Bucepali *Filiolum* (d. 11. *Nov.*) hodie rursum inspexi, & *phlyctænam oculi* plane abolitam vidi, superstite tamen adhuc macula, ceu *albugine*, quam penitus eradicatum iri, vix credo. Tentanda tamen omnia, & cum nuper suasis diligenter pergendum. *Bucepali Filiolus. Phlyctæna.*

XXI.

XXI.

MErcurius mane, qualis heri vesperi, hodierna vespera ferme usque ad medium quinti gradus cecidit. Liquor *thermometri* secundum denuo gradum occupavit & per hanc diem retinuit. Nox clara, dies nubila, utræque valde frigidæ. Mane tenuis nebula.

§. Ageranomum iterum vidi. Nondum attollere potest pro lubitu brachium sinistrum, ob dolorem, quem tunc in humero percipit. Alias, de quo quidquam queratur, non habet. Consului *balneationem* brachii in *decocto lapidum calcariorum* Göppingensium, qui, *Tartari* ad instar, ahenis, in quibus acidulæ pro balneandi usu coquuntur, adhæret. *Ageranomus.*

§. Bupolitani *uxor* (d. 15. *Nov.*) nondum ab omni dolore *nephritico* liberata est. Ob lumborum cruciatus noctes adhuc insomnes. E *Mass. pil. de cynogl.* gr. viij. formentur viij. *pilulæ*, quarum n. iiij. alternis noctibus deglutiantur. Locus affectus mulceatur *linimento*: *Bupolitani uxor. Nephritis.*

Rec. 🜄. *juniperini.* ℥vj. *sapon.* Ven. *incis.* ℥ij.
croc. or. camph. aa. parum.
e solutis in calore F. linimentum balsamicum.

Ffffff *Pulvis*

XXI. *Pulvis nephriticus* noster præservativus simplicior e *rad. alth.* ℥ß. *gumm. ceras.* ʒj. & *sacch. q. pl.* quam diutissime usurpetur. (d. 17. *Nov.*)

Lycaonis *Filiolus major.* §. Lycaonis *Filiolo majori* (d. 17. *Nov.*) post variolas præscripsi *haustulum purgantem* pro 1. dosi:

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xv. sir. de cich. c. rh.* ʒvj.
aq. cinnam. ℥ß. *acac.* ʒij. *M.*

Minor. *Asthma.* *Minori* (d. 10. *Nov.*) post *Esseras* alioqui hactenus bene habenti, nunc *asthmatico* cum *rhonchis*, itidem *sirubum purgantem* ordinavi:

Rec. *Sir. de cich. c. rh.* ℥ß.
⁓⊖✳. *anis. gtt.* iiij.
pulv. gial. n. resin. gr. vj. M. pro 1. dosi.

Detur interdum *sperma ceti* recens ex *sir. viol. Dosi* ℈ß. (d. 25. *Nov.*)

Bigneti *Filiolus. Asthma convulsiv.* §. Bigneti trium septimanarum filiolus, exprimendo quasi spiritum reddit, cum sono pressionis. Nostri exprimunt: Es drukkt so auf dem Herzlein und drehnst. Interim appetit ac hilaris est. Non tamen sine caussa quid *convulsivi* metuitur, nec iste modus spirandi laudabilis est. Bis in die præbeantur sex guttulæ *mixturæ*, cum adjecto vehiculo, etiam alias per se propinando:

Rec. ⁓⊖✳. *anis.* ʒß. *ess. croc.* ℈ß. *M.*
Rec. *Aq. ceras. n. anis. aa.* ℥iß. *epil. L.* ʒiij.
pulv. March. ℈j. *sir. chamom.* ℥ß. *M.*

Pectusculo *unguentum cardiacum.* Farina pro pultibus in hypocausto servetur. (d. 22. *Nov.*)

Neritius. *Tussis.* §. Neritius (d. 19. *Nov.*) antecedente nocte magis, quam nudius tertius, *tussivit*, sine dubio propterea, quod *pilulas de cynoglossa*, uti præceperam, deglutire neglexisset. Præterita vero nocte, quod heri ante somnum dictas *pilulas* deglutisset, iterum placide, nil quidquam tussiendo, quievit, uxore tamen territa, quod nonnunquam inconcinna loqueretur. Circumstantiis omnibus exploratis, cum neq; ex pulsu, nec urina, vel aliis signis, ullum sanguinis incendium deprehenderem, sopori, si quid inconcinni semidormiens protulisset, acceptum tuli. Ulterius alternis noctibus capiat memoratas *pilulas.* (d. 29. *Nov.*)

Oenologistes. §. Oenologistes (d. 19. *Nov.*) suum adhuc infusum bibit, ab eo tamen hodie ferias agens, quod heri fere nimium *purgarit.* Recte fecisse dixi.

Filius. *Filius* ab ultimo ordinatis, *tussire* cessans, rursumque bene appetens, largiente DEO, convaluit. (d. 4. *Dec.*)

§. Pu-


XXI. Puriduri *Filiolus.* *Morsus canis rabidi.*

§. Puriduri *Filiolus* 6. annorum, nudius tertius a *cane rabido* in ſiniſtri brachii parte muſculoſa, ſubter humerum, verſus axillam, duo morſu non magna vulnera accepit. Dati ſtatim paſtilli ſpecifici, de quibus infra. Quin & *unguenta ſpecifica* ab aliis ſubminiſtrata. Juſſi hac veſpera locum ſcarificari, foris autem locum vulneratum delibui *oleo ſcorpionum* cum *theriaca* mixto, ſuperimpoſito *emplaſtro defenſivo.* *Pulverem* ſcripſi, cujus 2. cuſp. cultr. ex vehiculo ſequenti, per ſe quoque cochleatim dando, ſingulis quatuor horis præberentur:

Rec. *Pulv. rut. viperar.*
Oc. ♋. crud. cont. aa. ℨß. *M. F.* ♀*is.*
Rec. *Aq. ſcord.* ℥iij. *card. bened.* ℥iß.
Rℒ. bezoard. ℨß. *myrrh.* ℈j.
ther. opt. ℨij. *M.*

Omnes puelli actiones probe obſervent, cumprimis, an potum, qualiscumque ſit, appetat, expaveſcat, horreat?

Paſtilli ſupra memorati parantur a Matrona quadam, & magni æſtimantur, imo quaſi infallibiles averrunci pravorum ſymptomatum, a morſibus animalium rabioſorum alias excitari ſolitorum. Dantur numero novem. Prima nempe hora tres, altera rurſum tres, tertia reliqui tres. Comeduntur quovis modo, & e ſola *farina*, cum *aqua ſubacta*, conſtare dicuntur. Earum forma, magnitudo & ſignatura talis eſt, hac ſola cum differentia, quod omnes litteræ taliter impreſſæ videantur, qualiter funduntur *Typographorum* characteres, vel ſculpuntur in ſigillis, id eſt, inverſæ, ut paſtilli ſpeculo admoti litteras, prouti ſcribi debent, reflexas oſtendant.



XXI. Hic ego me Davum profiteor, non Oedipum. Quid de talibus curis sentiendum sit, prudentem Christianum latere non debet. Evolvi Henr. Corn. Agrippam *de Occult. Philos. It.* Jul. Reicheltum *de amuletis*, sed hos characteres non inveni. Num Wolffius *tr. de amuletis* habeat, ignoro, quum illo libro destituar. (d.22.*Nov.*)

Usiæ uxor. *Mens. immodici.* §. A *venæsectione fluxus uteri cruentus* apud Usiæ *uxorem* ne minimum quidem remisit, sed rivo potius largiore continuatur. Non propterea circumspecte agere destiti, sed *adstringens* valde moderatum ordinavi, nempe *mixturam* ter in die ad gutt. xxx. ex *aqua plantag. & sir. myrtillorum* sumendam:

Rec. Ra. ♂. Ludov. ℥iij. *ess. anod.* ℈ß.
extr. papav. errat. gr. iiij. M. (d. 26. *Nov.*)

Saturnia. *Melancholia.* §. Aut Saturnia (d. 19. *Nov.*) *melancholica* potest esse, vel non esse, quandocumque collibitum est, aut Ra. ♂. *hellebor.* effectum præstat laudabilem. Multo enim hilarior est, quam antea. Vereor autem ne disjunctivarum prima locum habeat. (d. 22. *Nov.*)

XXII.

XXII.

MErcurius mane tantummodo pauxillum supra quintum gradum repertus, vesperi infra dictum gradum descendit. Liquor *thermometri* secundo gradui paullo inferior mane fuit, ac per totum diem mansit. Nox & dies antemeridie valde frigida fuit, pomeridie frigus parum remisit; dies fuit nebulosa.

§. Verba facientem audivi de *differentia actionum humanarum & brutalium.* Refellebatur Pythagorica *Metempsychosis.* Refellebantur, qui aliqualem *intellectum & rationem brutis* animalibus concederent. Refellebantur, qui, remotis illis, *cognitionem* tamen aliquam ipsis largirentur. Statuebatur denique, *brutorum actiones omnes a* DEO *immediate dirigi.* Inter mille Auditores fuerunt, qui discursum aliquatenus caperent, reliquis fuerunt *numeri* Platonici. Transeat hoc. Sed, quid Majestate divina magis indignum, quam hæc ultima sententia? Siccine DEus dirigit actionem equi ferocis, sessorem, etiam calcaribus non petentem, excutientis, cum vitæ, si non jactura, saltem periculo? Siccine dirigit actionem vulpis astutæ, ornithotrophia circumeuntis & artibus interdum excogitatissimis gallinis insidiam struentis? Siccine actionem mordacis caniculæ, peregrinum hominem clanculum adorientis, & quæ possunt esse plura, imo innumera? Quæso, quid credibilius, quam DEUM ipsis quoq; *brutis* largitum esse speciem quandam rationis & cognitionis, quam, quod actionem

actionum *brutalium* ſit immediatus Director? Ajunt, *rationem* præſupponere principium immateriale, quale quid bruto competere nequeat? ſi quæritur, cur? reſpondetur, id eſſe Philoſophicis axiomatibus contrarium. Si quæritur, unde manarint iſta axiomata? nil poteſt aliud reſponderi, quam ex lacuna Stagiritæ gentilis. Ergo, quod cum Philoſophia ethnica combinari non poſſint ejusmodi principia, ideo DEUS actionum brutalium immediato Directorio præficitur. Ridicularium, ſi non blasphemum! Sed vero, ad ejusmodi extrema dilabendum erat, intuentibus actiones brutorum plane proæreticas & quaſi e certa ſollicitaque deliberatione profectas. Exemplorum myriades corradi poſſent. Videmus canem aliquandiu ſtantem ac diſpicientem, quorſum ſibi eundum ſit? Denique ire, imo, mutata quaſi ſententia, mox reverti, greſſumque aliorſum promovere? videmus feles miris technis inſidiari muribus? Videmus aves mira ſolertia ſtipulas conquirere, roſtellis ſuis prehenſas in locum portare, ubi nidos ſuos Dædalée conſtruere ſatagunt. Quanta aſtutia milvi pullos adoriuntur? ſed & quanta ſollicitudine gallina mater circumſpicit, ne rapacibus eorum ungulis improvidi pulli in prædam cedant? Quid de miris actionibus Elephantorum, ſimiarum, apum, formicarum, &c. diebus omnibus obſervare licet? Hæc talia penitius ponderantes, & cum regulis Philoſophiæ vulgaris conciliare non valentes, quum alia elabendi via non detur, a moderamine immediato DEI ea proficiſci, credere coguntur, quamvis, nec ita menti ſciendarum rerum cupidæ ſatisfieri, convincantur. Cur Scripturæ ſacræ phraſibus non inhæremus, quibus cognitio ac ſcientia brutis κατὰ ῥητὸν hinc inde vindicatur? Etiam ciconia in cœlo novit tempora ſtata ſua, & turtur & grus & hirundo obſervant tempus adventus ſui. Jerem. VIII. 7. Novit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. *Eſ.* I. 3. Largiamur brutis cognitionem & rationem ſui generis, licet contradicant axiomata Philoſophica: quis enim Chriſtianum *Philoſophum* ad iſta mancipavit? Quam miſere ſe torquent Philoſophi differentes de brutorum ſyllogiſmo, ratione, cognitione, ut talia cum philoſophia vulgari concilient? quam inania proferunt de *inſtinctu naturæ?* quem nullatenus, ut intelligi poſſint, aliter explicare valent, quam per aliqualem rationem & cognitionem? Nil autem ſtolidius & a ſana ratione, actionum brutalium explicativa alienum, quam moderna quorundam *Philoſophia avtomataria.* Neſciamus interim modum iſtius rationis & cognitionis? neſciamus, inquam! quid tum poſtea? Certe ab ignoratione modi rei ad negationem rei ipſius non valet conſequentia. Plura ſunt, & minoris momenti, quæ

XXII. ignorarunt majores nostri, ignoramus nos, & ignoraturi sunt posteri. Præstat sane ignorare modum ratiocinii equini & asinini, quam DEUM directioni actionum equinarum & asininarum præficere.

Puriduri *Filiolus.* *Morf. canis rabidi.* §. Puriduri *Filiolus* bene ac placide dormivit. Pergere jussi cum internis, & *linimentum* simul sequens ordinavi:

Rec. *Succ. cepar. sub ciner. assat. ther. Androm.*
ol. hyper. scorpion. aa. ℥ß. M.

Inungantur vulnuscula, quoties deligantur. Si quid in puello insoliti animadverterent, ut statim id mihi nunciarent, sollicite mandavi. (d. 23. *Nov.*)

Bigneti *Filiolus.* §. Bigneti *Filiolum* hodie talem inveni, qualem optare poteram, liberius sc. spirantem & hilarem. Nil aliud ordinatum. (d. 23. *Nov.*)

Neandri *uxor.* *Rheumatismus.* §. Neandri *uxor puerpera* conqueritur de *dolore* lacerante vix tolerabili in suris & femoribus, imo ipsis pedibus. *Lochia* rite fluunt. Quid? si sit *rheumatismus* ex cohibita per frigidum, forte nocturnum, regimen transspiratione? Sudet. Prævia *frictione* panno calido fiat inunctio *linimenti*:

Rec. 🜄. *camphor. ol. lumbric. aa. ℥vj.*
⊖✱. *ʒj. ess. anod. ℈ij. M.*

Tachini *Filia.* *Chlorosis.* §. Tachini *Filia* (d. 15. *Nov.*) indies per sua pharmaca, magis proficit. Color quotidie vividior & symptomatum omnium optata remissio, quare suasum, ut usum nuperorum adhuc aliquandiu continuaret.

Saturnia. *Melancholia.* §. Quoad Saturniam, communicato, quod nuper indigitavi, consilio, Gnomilegus & ego, præscripsimus cras assumendum emeto-catharticum:

Rec. *Tart. emet. gr. ij. Crem. Tart. ℈ij.*
ol. mac. gtt. j. M. pro 1. dosi.

Ter in die cuspid. 3. cultri de *pulvere* sequenti, per se:

Rec. *Rad. bugloss. ℥vj. helleb. n. ℥iij.*
diaph. ♃ al. ʒij. arcan. dupl. ʒj.
croc. opt. ℈j. camph. gr. iiij. sacch. ℥iß.
M. F. ♀.

Radix buglossæ in nodulo immergatur vino, pro potu ordinario. (d. 23. *Nov.*)

Egerticuli *Filia.* *Menses difficiles.* §. Egerticuli major natu *Filia* 18. annorum, *mensium difficultatem* patitur, cum *phlogosibus, palpitatione* ac lumborum dolore. Diætam observat cauponariam, id est, nullam. Quum adsint hoc tempore *menses*

menses cum solo substillo, promotum hos iri confido *mixtura* cochleatim haurienda: XXII.

Rec. *Aq. meliss. puleg. endiv. aa.* ℥j.
♁. *diaph. succin. a. ppt. aa.* ℈j.
mixt. simpl. ℈ij. *sir. artemis. r.* ℥ß. *M.* (d. 23. *Nov.*)

§. Tigurinus (d. 1. *Sept.*) *dolores nephriticos* patitur. Lumborum cruciatus, *micturitio*, ad vomitum inclinatio, omnia tamen in mitiori gradu. Urina cum sedimento mucilaginoso farinaceo. Sumat mane cusp. 3. cultri de *pulvere* sequenti quolibet modo, diu continuando: Tigurinus. *Nephritis*

Rec. *Elæosacch. anis.* ℥j. *rad. alth.* ♀*is.* ℥ß.
Gum. arab. succin. a. ppt.
asell. ppt. terebinth. coct. aa. ʒj.
M. F. ♀.

XXIII.

XXIII.

MErcurius, qui mane subsederat usque ad medium quarti gradus, in ea tam humili statione per totam diem remansit. Liquor *thermometri* mane in secundo gradu repertus, eum vesperi parum transscendit. Nox fuit serena, dies nebulosa, & calidior hesterna.

§. De Puriduri *Filiolo* mihi hodie relata non admodum arrident. Præterita nocte identidem expavit, ac altum vociferatus est. Caussam quæsitus, *se canem vidisse*, affirmavit. Adhuc admittit omnia potulenta, de quo lætor. Quum a cane primum petitus, magno horrore concuteretur, tale quid somnianti facile in mentem venire potuit. Cæterum in vulnusculis nihil suspecti. Pus, quale debent, fundunt, caroq; accrescens vitium non habet. Vegetus est, ridet, jocatur, bene appetit. Insistatur usui pharmacorum tam in quam externorum. (d. 24. *Nov.*) Puriduri *Filiolus.* *Mors. canis rabidi.*

§. Egerticuli *Filia* notabile sentit levamen. Nil igitur consultius, quum assumtioni *mixturæ* diutius invigilare. Egerticuli. *Filia.*

§. Egerticulus ipse *nauseat* ad omnes cibos, mane statim ad urceos paratus: Egerticulus. *Inappetentia.*

Rec. *Extr. cathol. gr. xv.*
magist. gialap. scammon. aa. gr. vj.
cum elix. propr. F. pil. n. xviij. de ☉. *pro* 1. *dosi.*

Mane & noctu sumat gtt. xxx. *elixir.* ♁ Mynſ. ex quolibet vehiculo.

§. Neritius (d. 21. *Nov.*) præterita tota nocte rursum immaniter *tussivit.* Exscreatio, secundum proportionem tussis, non adeo copiosa, pituitam referens albam & spumosam. Capiat mane, pomer. & noctu Neritius. *Tussis vehemens.*

XXIII. ctu cusp. 3. cultri de pulvere sequenti, ex adjecto vehiculo, seorsim quoque sumendo:

Rec. *Rad. helen. ar. ppt. irid. fl. liquir. aa.* ʒj.
♁ij. *diaphor.* ℈iiij. *croc. opt.* ℈j.
extr. papav. err. ℈ß. *elæosacch. anis.* ʒß. *M.*

Rec. *Aq. scabios. farfar. aa.* ℥iij.
🜈⊖✳. *anis.* R*æ. croc. aa.* ℈j.
diacod. Mont. ℥j. *M.*

Alternis noctibus adhuc deglutiantur *pilulæ* de *cynoglossa*, illa ipsa, qua deglutiuntur, vespera, a *pulvere* abstinendo. (d. 4. *Dec.*)

Bigneti *Filiolus.* §. Bigneti *Filiolus* in statu tolerabili. Nonnunquam adhuc edit *flatus* maxime sonoros, &, quod a retractione pedum abdominisque tensione colligitur, *tormina* prius excitantes. *Elæosacchari anisi* q. pl. cum pulticula bis in die exhibeatur, & abdomen *linimento* mulceatur:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ʒß.
ol. anis. carvi. aa. ℈ß. *M.* (d. 8. *Dec.*)

Uxor. *Melancholiæ metus.* *Uxori* ad *melancholiam* pronæ, suasi, ut mane & noctu gtt. xxx. *Tinct.* ♂. *helleboratæ*, ex quolibet vehiculo, sumeret.

Phagœnus. * *Asthma cachecticum.* §. Phagœnus (d. 15. *Oct.*) non tantum ab *asthmate* suo *cachectico* nondum est liberatus; sed idem adhuc augetur quotidie, sic, ut sæpe, imo per plusquam dimidium noctis, sellæ insidere cogatur, in lecto decumbere non valens. Appetitus valde labascit, pedes notabiliter ac *œdematose* tument. Sæpe metuitur ab Adstantibus suffocatio. Jussi, ut lectum, ipso etiam reluctante, e frigido cubiculo in hypocaustum calidum sternerent. Diætam commendavi exquisitam, quo in genere valde delinquit, cibos δυσπέπτους comedere satagens, eadem cum impunitate, qua ante hos 35. annos. Singulis trihoriis dentur 2. vel 3. cochlearia *mixturæ*:

Rec. *Oxym. helleborat. sir. de erysim. aa.* ℥ij.
🜈. *cochlear. gumm.* ✳. *aceto sol. aa.* ʒij.
aq. veron. ℥j. *M.*

Interdum accipiat quantitatem avellanæ de *saccharo ammoniacali*:

Rec. *Sacch. cant. a. pulv.* ℥ß.
instilla 🜈⊖✳. *tamdiu, donec acquirat consist. pulticulæ: cui add. ol. anis. gtt. vj. serv. in vase probe munito.*

Rec. *Empl. diaphor.* Myns. ℥ß. *ol. succin. gtt. iiij.*
balf. 🜍. *anis.* ʒß. *M. extens. super alutam, imponatur pectori.*

Asthma-

Asthmatici raro amant conclavia calida, & se libentius aëri frigidiusculo exponunt, tunc se magis refocillari existimantes; malo & audaci, propter hinc cohibitam *transspirationem*, consilio. Palliativam enim hanc refocillationem, στάσει, majore seri ac pituitæ, excernendæ per tussim vel sudorem, ansam præbere, certum. (d. 25. *Nov.*) XXIII.

§. Hercanus a medicamentis d. 7. *Sept.* ordinatis ac diligenter usurpatis a *febri* plane liber evasit, & hactenus mansit, relicta sola *tussi* violenta cum exscreatione pituitæ. Sumat mane, pomer. & noctu 3. cusp. cultri de[illegible]li *polline*, per se: Hercanus. *Tussis.*

Rec. *Rad. irid. flor. ar. ppt.*
liquir. helen. aa. ʒj.
♁. *diaphor. asell. ppt. aa.* ℈iiij.
elæosacch. anis. ℥ß. *M.*

§. Suburrana (d. 8. *Sept.*) novum de *uteri hæmorrhagia* imminente metum concepit. *Menses* nunc ultra mensem *substiterunt*, abdomen turget, *phlogoses* sentiuntur, dolor in ventre & lumbis percipitur; mammæ cum papillis inflatæ ac tensæ. Nescit, an ob graviditatem, an aliam caussam *suppressi* sint *menses*. Est annorum 45. De graviditate dubito, cum ventrem primo mense, mamillasq; surgere, in conceptione vera, sit plane insolitum; hinc ad amoliendum impetuosum *sanguinis fluxum*, ordinavi administrandam sine mora *venæ* cubiti *sectionem*. Mane autem, pomer. ac noctu sumat gtt. xxx. *Tincturæ*, ex quolibet vehiculo: Suburrana. *Metus hæmorrh. uteri.*

Rec. *Tinct.* ♂. Zwölf ʒij. *Tart.* ʒj. *M.*

§. Sedatis licet *torminibus* Bromiostrabi *uxor* (d. 20. *Nov.*) heri tamen perfusa est horrore cum insequente æstu; &, quamvis hodie languorem in artubus non levem sensisset, confessura tamen templum intravit: Bromiostrabi *uxor. Accessus febrilis.*

Rec. *Mater. perlat. crystall. ppt.*
bez. ♃*al. aa.* ℈j. *F.* 2. *pulv.*

Sumantur hodie ante somnum & cras mane cum apposito vehiculo, etiam per se ad libitum sumendo:

Rec. *Aq. plantag. borrag. aa.* ℥iiß.
balf. embr. ℥ß. *conf. de hyac. inc.* ʒj.
sir. card. bened. ℥iij. *M.*

Cras templum, finita demum concione, adeat. Gravida est, ac metuendus abortus: Hinc nefas erat, post *febrilem* accessum, in publicum, nedum in templum, meare. Nam ista ædificia plerumque lapidea, & laquearibus munita, hoc præsertim anni tempore, semper aërem humidis vaporibus implendo, certis subjectis nocent. (d. 24. *Nov.*)

XXIII. Saturnia.

§. Saturnia *purgans* ordinatum hodie non aſſumſit, quod *menſibus* fluere cœpiſſet. Recte fecit. Differendam exiſtimavi ad 26. *Nov.* Maritus ſcripſit, ut ſedulo obſervaretur, nam pharmaca per feneſtram clanculum projicere conſueviſſe. Teſtimonium domeſticum. (d. 26. *Nov.*)

Æxuri *nutrix.* *Flatus.*

§ Æxuri *nutrix* (d. 9. *Nov.*) poſtquam non ſolum ipſa *flatibus* eſt vehementer obnoxia, ſed & alumnula eosdem valde ſonoros frequenter emittat, *panis* autem *fermentati* domeſtici fruſta ingentia ultra modum devorare conſueverit; quærebatur, an flatus, quibus puella infeſtatur, inde derivari poſſent? Omnino reſpondi. Subtrahendum igitur eſſe panem, & miniſtranda alia ſubtiliora edulia. Quod, ſi fiet, ipſa de eſurie conqueretur. Tanta eſt incommoditas, alere nutrices.

Uncini *Filius.* *Diarrhœa cum colica.*

§. Uncini *Filius* 14. annorum, texturæ non adeo firmæ, ſemper pallidus, vultu ſubtumido, nec leviter ſpirans, quamvis laborioſus, ab aliquot jam diebus patitur *diarrhœam* cum *torminibus colicis*, excrementa ſunt flava, pituitoſa. Remediolis domeſticis opem non ferentibus, vocor, offendo jam valde languidum, pulſu concitato & debili, frigide ſudantem. Ordinatus pulvis, cujus ter in die j. cuſp. cultri per ſe porrigantur: Rec. *Spec. diacret.* Mynſ. *trag. gran. act. aa.* ʒ*j.*
♁*. diaph.* ʒß*. ther. cœl. gr. ij.*
elæoſacch. mac. ʒ*ij. M.*

Cochleatim præbeatur *mixtura*:
Rec. *Aq. menth. plantag. aa.* ℥*ij. cinnam. cydon.* ℥*vj.*
∽*. nervin.* ʒj*. eſſ. anod.* ℈ß*.*
ſir. cydon. ℥ß*. M.*

Abdomen ungatur *unguento de hyoſcyamo.* Potus ſit *emulſ. amygd.* (d. 24. *Nov.*)

XXIV.

XXIV.

MErcurius mane in quarto gradu repertus, veſperi ſupra medium quinti gradus ſurrexerat. Liquor *thermometri* paullo altior, quam heri, veſperi fere in medio tertii gradus ſubſiſtebat. Nox ventoſa fuit, & pluvioſa. Dies non admodum frigida, ventoſa, pluvia cum radiis ſolaribus nonnunquam alternante, quaſi *Aprilitica.*

Puriduri *Filiolus.* *Morſ. can. rabidi.*

§. Puriduri *Filiolus* media nocte rurſum exclamavit, quæſitus cauſſam, dixit, ſe ſomniaſſe, quod puellus elegantiſſimus commorſus fuerit ab hirco. Bene quidem, fateor, habet, ſed ex his tam inquietis noctibus, & inſolitis ſomniis, ſemper hæreo, annon anguis adhuc in herba deliteſcat. Interim in methodo tam in- quam externa, immutandum nihil eſſe, cenſui. (d. 26. *Nov.*)

§. Mache-

XXIV.

§. Machetes (d. 21. *Oct.*) ab aliquot retro diebus ſua rurſum *deliquia cardiaca* patitur, cum anxietate quaſi *melancholica*. Res domi eſt valde anguſta, totaque ſui ſuorumque alimonia dependet a labore manuum ſuarum, quem, cum exercere per virium imbecillitatem nequeat, vir optimus contriſtatur, eo magis, quo minus promiſſis ſtatur ab illis, qui plauſtris pollicitationum advecti, jam ſervationum (liceat ita loqui,) pabonibus arrepunt. Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Machetes. *Deliquia cardiaca.*

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *cinnam. bugl.* ℥j.
conf. alk. c. ʒj. *ſpec. cordial. temp.* ʒß.
ſir. fl. tun. ℥iij. *M.*

Cras mane ſumatur hauſtulus laxativus:

Rec. *Aq. laxat.* Vienn. ℥iij. *cinnam.* ʒß.
⁓⊖✳. *anis. gtt.* iiij. *ſir. de cich. c. rh.* ℥vij. *M.*

§. Bromioſtrabi *uxorem* heri ſub veſperam iterum levis horror inceſſit, inſequente itidem æſtu leviculo, quibus non obſtantibus, hodie templum intravit, ſeque Sacratiſſimæ Cœnæ participem fecit, nec adeo male nunc habet. Abſumatur *mixturæ* nunc reliquum, & hodierna dies probe obſervetur, ſi forte *febrili* alteratione ſui notam relinquat. (d. 26. *Nov.*)

Bromioſtrabi *uxor.*

§. Uncini *Filium* reviſi. Reperi abdomen turgens ac tenſum, æſtum & ſitim æquali vehementia. *Lumbricos* ex ore prorepſiſſe narrabatur, ſigno revera valde utplurimum funeſto. Minuitur quidem diarrhœa, tormina minuuntur, ſed viribus inde nil recreatis, imo notabiliter labantibus. Pergatur cum *pulvere & unguento*. Quantitas *nucis myriſticæ* nonnunquam de tali *electuario* ſumatur:

Uncini *Filius.* *Diarrhœa cum torminibus.*

Rec. *Conſ. fl. tun. roſar. aa.* ℥ß.
ſpec. cordial. temp. pulv. anal. fr. Mind. *inc. aa.* ʒß.
conf. alk. c. ʒj. *ſir. fl. perſic.* ℥ß. *M.*

Cochleatim porrigatur *mixtura*:

Rec. *Aq. card. bened. fl. ſamb. aa.* ℥ij.
mixt. ſimpl. ℈ij. *Tæ. myrrh.* ℈j. *eſſ. anod.* ℈ß.
conf. alk. inc. ʒj. *ſir. cinnam.* ʒij. *M.*

In *fluxibus alvi lumbrici* per os prodeuntes indicium præbent *gangrænæ* internæ. (d. 25. *Nov.*)

§. Dioptrici *uxor* (d. 25. *Oct.*) *Narium hæmorrhagiam* præterita nocte ſemel, hodie jam bis, eſt paſſa. Sanguis ebulliens e pulſu judicatus. Cum tamen impetuoſius non prorumperet, *pharmaca & venæſectionem* deprecaretur, interim bibere juſſi *Tincturam roſarum*; viſurus, quem exitum

Dioptrici *uxor.* *Hæmorrhagia narium.*

XXIV. tum res nacta sit? Si naribus interim fluere non destiterit, *VSio* ultra crastinum differri non poterit.

XXV.

XXV.

MAne, ob profectionem, vasa prius intueri sum oblitus. Vesperi domum redeunti, mercurius medium quinti gradus superasse visus. Liquor *thermometri* stationem hesternam retinuit. Nox fuit nubila, dies mediocris & calida.

Uncini *Filius.* §. Ex ore *Filii* Uncini præterita nocte rursum quatuor *lumbrici vivi* prodierunt. Vires vitales plane deficiunt. Vomit creberrime, alvo clausa. Miseret pueri. Noctu deglutiantur 4. *pilulæ* ex quol. vehiculo:

Rec. *Extr. bezoard. cal. arom. aa. gr. j.*
papav. comp. gr. ij.
F. pil. n. iiij. pro 1. dosi.

Cataplasma ex fermento panis, *cum theriac.* & *nuc. mosch.* scrobiculo cordis. Suppositorium applicetur. Mortem non evadet. (d. 26. *Nov.*)

Archeguli *uxor.* *Colica hysterica.* §. Archeguli *uxor* (d. 29. *Oct.*) *colica hysterica* cruciatur cum vomitibus. Cochleatim propinetur *mixtura*:

Rec. *Aq. menth. plantag. aa. ℥ iß.*
cinnam. cydon. ℥ j.
CC. ust. ppt. ▽. sigill. aa. ʒ ß.
Conf. de hyac. inc. ʒ j. sir. cydon. ℥ ß. M.

Datæ tres *pilulæ* Wildegansianæ. Scrobiculo cordis impositum *emplastrum antemeticum*. Ventri *semen lini* cum lacte coctum & intra lintea calidissime applicatum. (d. 27. *Nov.*)

Lycaonis *Filiolus minor.* *Variolæ.* §. Lycaonis minor *Filiolus* (d. 21. *Nov.*) nunc etiam est *variolarum* candidatulus. Regimen instituatur, quale fuit apud *natu majorem*, & *emulsio* propinetur cochleatim:

Rec. *Sem. pœon. melon. aa. ʒ ij.*
nap. aquileg. aa. ʒ ß.
Aq. fumar. fl. til. aa. ℥ iiß.
F. l. a. Emuls. add.
bez. miner. CC. philos. aa. ℈ j.
sir. fumar. ℥ ß. M.

Emplastra 2. *theriacalia* admoveantur fontanellæ capitis & scrobiculo cordis. Vertici, nuchæ, temporibus *balsamum cephalicum* consuetum. (d. 26. *Nov.*)

Phagœnus. *Hydrops ascites.* § Ad Phagœnum (d. 23. *Nov.*) ipse vocatus & profectus sum. Inveni *hydropicum* in proxima potentia. In pedibus œdematosus tumor valde

valde surrexerat; abdomen erat tumidum ac valde tensum, tussis ferina, sitis magna, *asthma* præfocativum, ut sedendo tempus consumere cogeretur, inappetentia totalis, ulcerosa lassitudo, *agrypnia* & tamen ad somnum propensio, micturitio. Non occultato coram necessariis vitæ periculo *decoctum hydragogum* sequens, mihi valde familiare, ordinavi, cujus mane semper haustum probe calentem bibat: XXV.

Rec. *Cort. inter. samb. ebul. aa.* ℥j.
rad. irid. nostr. helen. squill. ppt. aa. ℥vij.
herb. marrub. alb. soldanell. aa. mj.
fol. senn. s. s. ℥ß. *agar. crud.* ℥iij.
Zingib. ʒij. *conc. cont. D. & paretur nostro more.*

Pomeridie hora 3. & noctu ante somnum capiantur 40. guttæ mixturæ ex cochl. vini:

Rec. *Elix. propr. d.* ℥ij. ⊖. *vol. oleos.* ʒß.
ess. absinth. trifol. fibr. aa. ʒj. *M.*

In omni languore, quo, ceu lipothymia levi, frequenter infestatur, cochlear unum & alterum mixturæ:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij.
borrag. cinnam. bugl. aa. ℥j.
conf. alk. c. ʒj. *sir. fl. tun.* ℥iij. *M.*

Pedibus, qua tument, applicetur *empl. diaphor.* Mynf. mane & noctu removendo, & detergendo linteolo puro, sicco, hinc iterum imponendo, quolibetque triduo recens applicando. *In suffocationis* metu *saccharum ammoniacale* nudius tertius ordinatum, in usum cedat. Pedes ante impositionem *emplastri* fricentur pannis calidis fumo *baccarum juniperi* delibutis. (d. 29. *Nov.*)

§. Referebatur mihi in illo loco, ubi nempe *Phagœnus* habitat, *oves* non tantum *echinosas* ibi adhucdum reperiri, earumque carnes clanculum ad nos deportari, verum & plures ibidem a *lolio temulento* (d. 1. *Nov.*) periculose ægrotasse. *Chirurgus* loci, aliquorum relationibus fidens, *pulmentum* ex ista farina *avenacea, lolio* vitiata, coxit ac probe sollicitеque despumavit, omnes tamen de eo comedentes ægroti facti, ne uno excepto. Lolium temulentum.

XXVI. XXVI.

Mercurius mane in medio quinti gradus repertus, vesperi ad primam ejus lineam subsedit. Liquor *thermometri* mane tertium gradum proxime, vesperi perfecte attigit. Nox erat nubila nec admodum frigida. Dies itidem nubila & calida. Temperatura cœli bona ad recondendas sub terram vites. (Gut Wetter zum beziehen.)

Lycaonis *Filiolus.* *Variolæ.* §. Lycaonis *Filiolus* quamvis paucas accepturus videatur *variolas*, propterea nihilo deterius vivit. Pergatur cum heri ordinatis. Vesperi offendi conclave supra modum calefactum, quod vehementer taxavi, ob caussas jam alibi memoratas. Hypocausta requiruntur ad feliciter excludenda hæc exanthemata, non æstuaria. Mater puellum adhuc lactans rogavit, an *lactucas* comedere liceret? Imo, inquam, cur non *lactis coagulati*, & *muriæ brassicæ* nonnihil admixtum? (infra.)

Uncini *Filius.* §. Uncini *Filius* prognosticon fatale hesterna adhuc vespertina nocte explevit.

Bromiostrabi *uxor.* *Metus abortus.* §. Bromiostrabi *uxor* (d. 24. *Nov.*) equidem hactenus vel horroris vel caloris præternaturalis nihil sensit, attamen non tantum *dolor* adhuc circa *os sacrum*, sed & *diarrhœa* metum *abortus* futuri incutiunt. Maneat, si non in lecto, quod maxime consultum esset, saltem in hypocausto, & quantum possibile, loco parum moveatur. Mane & noctu sumat 2. cusp. cultr. de *polline* sequenti per se:

Rec. *Pulv. ad abort.* August. ℥iij.
gran. cherm. ℥ij.
spec. diacr. Mynſ. ℥ij. *ol. NM. expr. gr. vj. M.*

Puriduri *Filiolus.* §. Puriduri *Filiolus* (d. 24. *Nov.*) idem semper, id est, aperta malignitatis nota nulla suspectus, quo in statu, ut porro maneat, omnibus modis optandum. Interim, ut a consueta methodo desisteretur, caussa non fuit. (d. 28. *Nov.*)

Lutetiani *uxor.* *Nephritico-hysterica.* §. Lutetiani *uxorem* d. 6. *Aug. nephriticam* non infeliciter tractavimus, ubi quidem *nephritis* prædominabatur. Nunc ordine inverso, apud mulierem puerperam dominium gerit *colica hysterica*, *nephritide* propterea non exclusa. Pro 2. dosibus, consueto more, sumatur elæosirubus:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. de alth. Fern. aa.* ℥iß. *M.*

Cochleatim propinetur *mixtura*:

Rec. *Aq. chamom.* ℥iij. *zedoar. ceraſ. n. aa.* ℥j.
specif. cephal. pulv. anal. fr. Mind. *inc. aa.* ʒß.
aq. hirund. c. castor. sir. chamom. aa. ℥ß. *M.*

Abdomen mulceatur *ungu. de hyosc.* & naribus in omni languore *hysterico* admoveatur linteolum tali *mixtura* imbutum:

Rec. *Liq. CC. succin.* ʒi. ∾ *lavend.* ℥ß. *M.* (d. 27. *Nov.*)

Usiæ *uxor.* *Menſ. immodici.* §. Usiæ *uxor* (d. 2?. *Nov.*) *ex utero fluere* nondum desinit, quamvis modo adhuc tolerabili. Medicamentorum penus exhausta, quum tempus *mensium* legitimum instet, consultum esse duxi, ab ulteriori

riori *adſtringentium* uſu tantiſper feriari, naturamque tempore ſuo debito, nullatenus fruſtrari, donec ipſe futurus *menſium fluxus*, pro re natu, quid porro ſit faciendum, indicaverit. XXVI.

Inſtante vel expectato *menſium fluxu, adſtringentia* nullatenus uſurpanda.

§. Ab *Excell. D. D.* Rhodio litteras accepi hunc *Eteodromum* concernentes. Opus, ſcribit, tuum, promiſſo modo editum, non tantum *Practicis* novellis, ſed ſenioribus & omnibus *Medicis*, utile futurum judico, quum in delineatis in *programmate intimatorio* tredecim punctis, tam elegantia & utilia contineri debeant, qualia in ſcriptis *Medicis* aliis collective fruſtra quæruntur. Si quid monere licet, 1. Ad quamlibet hiſtoriam *practicam* optarem ſignum addi, monſtrans illius hiſtoriæ continuationem, ut nimirum *Practicus* totum curationis curſum, ſine magno labore, complecti, ſuisque uſibus aptare queat, quum, diu paginas volvendo & revolvendo, tædium oriri poſſet. 2. Ætas ægrorum, cumprimis puerilis & juvenilis, ſi adderetur ſemper, ob doſes medicamentorum ſic melius determinandas, qua in re novelli Practici frequenter hallucinantur, valde commodum eſſet. 3. Utile foret, ſchema *opiatorum & purgantium*, ratione præbii ſecundum ætatem puſillorum, *novellis Practicis* exhibere. Noſtri valde ſunt mobiles, & ſæpe *Medicis* in præſcriptione *purgantium* negotium faceſſunt. Si quid excogitari poſſet, unde tenelli ſine nauſea, imo fere inadvertenter, purgari poſſent, juniores *Practici* de quo ſibi gratularentur, haberent. 4. Interdum de morbi cauſſa nonnulla diſſerere ſi placeret, utique bonum eſſet. Imo ubi medicamenta ſibi apparenter contraria ſunt, Practicos juniores pauciſſimis de præſcriptionis cauſſa erudiri neceſſe judico, v. gr. in programmatis p. 6. in *cardialgia* præſcribuntur *ſpecies diacretæ* Mynſ. ſine dubio *abſorbendi & præcipitandi* fine, *vinum* autem *granatorum* ad bilem temperandam; cum vero *ſpecies diacretæ* ſpicula acida vini granatorum abſorbeant, objici poſſet, cauſſam mali tunc non aggreſſum iri, quum hæc duo in ſe ipſa agendo hebetentur. 5. Ni prolixitas obſtaret, optabile foret, ſi in quibusdam morbis conſuetam tuam medendi methodum tradere, & nonnunquam illos *Practicos*, qui in unius vel alterius morbi curatione potiſſimum & præ aliis imitandi, nominare placeret. 6. Quoad nomina *Medicorum* allegandorum, ea quidem fingenda judicem, qui, vulgares *Practici*, ſolius informationis cauſſa tecum correſpondent, famigeratorum vero *Practicorum* vera nomina retinenda, quippe operi auctoritatem conciliatura. &c.

Mire

XXVI. Mire placuerunt integerrimi viri egregia monita, quibus ut, quantum possibile, velificarer, laboravi. 1. Monitum primum apud me statim locum invenit, quamvis per alias occupationes adeo accurato mihi esse non licuerit, quin aliquando hodegus fuerit omissus, cui tamen omissioni, *Ægrotorum* Indice particulari, mederi conatus fuerim. 2. Ætatem ægrorum me ferme ubique notasse puto. 3. Adjecta cujuslibet ægroti ætate, tertio monito simul satisfactum esse puto, cum ex dosi, in formula determinata, ab imitante facile ratio iniri queat, quæ cui ætatulæ dosis competat. Formulas autem liquidas, v. gr. *sirubi*, tenellis, *purgandi* fine, maxime commodas esse comperi, sicut in *Eteodromo* passim videre licebit. (4. De caussa morbi non raro disserui; de *enantiophania* vero remediorum, sicut ea, ni fallor, parcissime occurret, ita exemplum *cardialgiæ* allatum quod attinet, notandum, *species diacretæ* non tantum *absorbendi* & *præcipitandi*, verum etiam spicula acria biliosa mucilaginositate sua obtundendi ac hebetandi, fine præscriptas, *cardialgia* enim Egerticuli est vere *biliosa*. Vinum vero *granatorum*, licet *spiculis acidis* esse præditum nullatenus negandum sit, contemperatum tamen est *sirubo granatorum* & *speciebus diacretæ* pro vehiculo non inservit, sed extra tempus, quo hæ præbentur, illud assumi præcipitur, nec etiam, si hæc duo invicem miscerentur, se mutuo destructura essent, cumprimis *demulcendi* finem quod concernit. 5. Huic monito passim satisfactum fuisse opinor, plura vastitas operis non concessit. Si vero DEUS vitam & otium necessarium concesserit, ut hunc laborem continuare possimus, in pluribus breviores futuri, multosque in hoc *Eteodromo* allegatos morbos omissuri, monitum hoc diligentius observare poterimus. 6. Et hoc utplurimum ut fieret allaboravimus.

Saturnia. §. Saturnia hodie fortiter *vomuit* & hac vespera, prout ab hisce evacuationibus solet, parum languidior est. Monui, ut *pulverem* nunc diligenter assumeret, quod se facturam recepit. (d. 2. *Dec.*)

§. In opido quodam Würtenbergico, abhinc longe distante, lis orta inter *Pharmacopœum* & *Chirurgum*, ob praxin Medicam, quam utrique exercere sustinent, neuter alterum vult exercere. *Physicum* enim non alit illud opidum. An & quomodo hæc lis, in Consilio regiminis Ducalis, decisa fuerit? ignoro. Litigantes interim personas risi. Materia enim litis mihi non alia videbatur, quam, si molitor, sartor, textor inter se dimicarent, cui competat furandi potior facultas? *Medicastri* enim sunt & *Pharmacopola* & *Chirurgus praxin Medicam*, stricte sic dictam, exercentes, cum eorum nulli competat, nec valeat consequentia:

Physicus

XXVI.

Physicus non adest, ergo nobis integrum est morbos internos curare. Quid enim responsuri sunt litigatores ad objectionem? Pastor non est in pago, ergo ludimoderator concionabitur, baptizabit, Communionem administrabit. Præfectus non est, ergo jus Apparitori dicendum? Sed hisce missis, exercitii gratia disquirere licebit, si cui Praxin exercere concedatur, an potius sibi jus vendicare possit, *Pharmacopœus vel Chirurgus?* Si prioritas dignitatis hic quidquam valet, a partibus *Pharmacopœorum* est utique standum. In omnibus, quas unquam me legisse memini, *Constitutionibus Medicis, Pharmacopœi,* statim post *Medicos,* adeoque *Chirurgis* priores, collocantur. Postea, cum interni morbi medicamentis e *pharmacopolio* petendis curari debeant; illico patet, *Praxin Medicam* potius illi concredi, qui *pharmaceuticam* artem ex professo didicit. *Chirurgus* enim medicamenta componens, ea non componit ut *Chirurgus*, sed ut *Pharmacopœus.* Pro *Chirurgis* autem militare posset, quod morborum theoriam præ Pharmacopolis ex anatomica notitia, sibi adquisiverint, & ipsorum functio sit pars *Medicinæ Practicæ*, ipsique proinde jam sint *Practici.* Toto autem cœlo differt *Praxis Medica a Praxi Chirurgica. Chirurgus* oculorum acie in ea penetrat, in quæ Medicus acie mentis penetrare cogitur. Ipsorum peritia anatomica plerumq; est valde exigua. Ne dicam *anatomicum*, qua talem, propterea non callere usum partium humani corporis, quamvis calleat situm, connexionem. &c. Si dicant, se *libros practicos* legisse, idem & Pharmacopolæ dicere possunt, quibus æque facultas est, legere Sfortiæ sichern und geschwinden Arzt / den Barmherzigen Samariter. &c. Plura possent adduci, sed pluribus supersedemus. Lector sententiam dicat. Ego quidem utrumque & *Pharmacopolam & Chirurgum Praxin Medicam* decere credo, sicut bovem clitellas. (d. 15. *Nov.*)

§. Phacandrulus per ordinata d. 16. *Nov. a tinea capitis* ferme in totum liberatus est. Phacandrulus. *Tinea capitis.*

§. Supra monere neglexi Lycaonis *uxorem* mihi narrasse de observatione jam diuturna nunquam fallente; nempe, quoties in domo sua *urtur* moreretur, unum e liberis periculose decubiturum, quorum aliqui sint mortui, aliqui ægre evaserint. (d. 1 . *Nov.*) Lycaonis *Filiolus.*

§. Legi *tertium caput, part. I. Lib. IV.* B. Arndii *de vero Christianismo*, eumque rursum hinc inde paracelsizare deprehendi. Optandum, ut hic *Theologus Practicus* incomparabilis, Hexaëmeron suum e pretiosissimo libro misisset? Demonstravit nempe, illuminatissimum quemque propterea in rebus Physicis non esse lynceum. Faciam rhapsodiam per

 totum

XXVI. totum caput, quoniam prolixioribus esse non licet. Editio, quam legere consuevi, est Guelferbytana 1646. *excusa in* 12. Quod p. 20. & 21. dicitur de *elementorum* quaternione, & *vacuo*, missa facimus, quippe illius ævi plebiscita. p. 22. de *astris terræ*, in ejus ventre latentibus differentem jam audimus, ad mentem Paracelsi. P. 24. De signaturis herbarum fit sermo, quas hodie nemo sanus amplius admittit, ob plurimas inde fluentes absurditates & contradictiones, de quibus alibi. Si *signaturis* fides habenda, nil æque conduxerit ad omnes cerebri morbos, quam *nucleus juglandis*, quod apud *Practicos* est inauditum. Quis *buphthalmum* ad oculorum morbos laudat? quis *nucem vomicam* ad cordis affectus? quis *asarum* ad vitia renum? & sic porro. Virtutum in *herbis* latentium millesimam partem nondum esse detectam, est valde *hyperbolica* locutio. Neque adhuc certum, annon per *artem destillatoriam* quorundam vegetabilium virtutibus aliquid detrahatur, an adjiciatur? *Decocta* sane aliquarum herbarum, præ *aquis* illarum *destillatis*, majorum esse virium deprehenduntur. P. 25. *panis* frustra prædicatur, ceu solus *cibus universalis*, quum dentur morbi, in quibus panem, præcipue secalinum, comedere non licet. p. 28. *Herbas* propterea magis salubres in montibus excelsis crescere, quod *influxibus cœlestibus* recipiendis viciniores existant, nemini credibile videbitur, qui consideraverit proportionem distantiæ astrorum a terra, & quantilla sit ea vicinitas, quæ montibus etiam excelsissimis intercedit, cum *planetis*, reliquisque *stellis*? veluti, si quis diceret; Calorem *incendii* Hafniensis melius percipi Travemundæ, quam Lubecæ. Pleræque *stellæ* ipso globo terraqueo majores perhibentur ab *Astronomis*; quo posito, quomodo illorum influxus vicinior esse capiatur montibus, quam convallibus, cum distantia præterea sit tanta, ut totus globus terrestris puncti unius vicem in comparatione ad *astra*, habeat; Plurimos montes ab universali cataclysmo demum sublatos certissimum est: quomodo igitur a Creatore προαιρετικῶς dispositi censeantur, secundum vel versus certos astrorum influxus? p. 30. *Stellæ aquaticæ sunt næniæ* Bombasticæ. P. 33. *Ros* ex *utero auroræ* gigni dicitur, quum de nocte potius cadat, antequam *aurora horizonti* approximavit. P. 39. in *buccella panis* conclusam esse totam naturam, itidem *Paracelsum* olet. Ratio, quia *panis* integrum hominem nutrire potest, etiam ad alia alimenta se applicari patitur. Tantum!

XXVII.

XXVII.

MAne Mercurius iterum in medio quinti gradus, qui vesperi vix notabiliter subsedit. Liquor *thermometri* paullo supra tertium gradum

gradum per totam diem substitit. Nox nubila, pluvia tenuis. Dies eadem, & temperata. XXVII.

§. Halon (d. 26. *Octobr.*) ab inordinato incongruo victu *diarrhœam* patitur. Halon. *Diarrhœa*

Rec. *Conf. ros. r. antiq.* ℥j. *miv. cydon.* ℥ß.
conf. de hyac. c. ʒj.
bol. arm. ppt. CC. ust. ppt. NM. pulv. aa. ʒß.
extr. papav. c. ℈ß. *sir. cydon. q. s. M. F. elect.*

Capiatur quantitas castaneæ ter, quater, vel, pro ratione indigentiæ, pluries in die. Bibat *emulsionem amygdalarum.*

§. Non admodum periculose decumbit Lycaonis *Filiolus.* Sic, ut spem convalescentiæ certam habeam, licet *alvo* hodie aliquoties *fluxerit*, quod alias signum in *variolis* non bonum. Hic autem propterea non attendendum, quia *variolæ* neque retrocedunt, neque spiratus difficilis observatur, & puellus appetit. Cum tamen aliqua *dentitionis* signa simul adsint, & in pusillis *Medico* semper respectus ad *convulsiones* sit habendus, *mixturam* cochleatim propinandam ordinavi: Lycaonis *minor Filiolus. Variolæ.*

Rec. *Aq. fumar. fl. til. aa.* ℥ij.
epil. L. ℥ß.
specif. cephal. ℈j. *sir. papav. err.* ʒvj. *M.* (d. 3. *Dec.*)

§. Neritii *Filia* (d. 1. *Nov.*) vires ab ultimo morbo nondum plene colligere potest, *tussi* vexatur, cum exscreatione pituitæ spumosæ, carnium esum omnino abhorret, urinam monstrat valde pallidam, lassitudo est in artubus, & scalas adscendenti non admodum liber anhelitus. Mane & noctu de *pulvere* sumantur cusp. 3. cultri per se: Neritii *Filia. Cachexiæ metus.*

Rec. *Spec. diacret.* Myns. ℥ß. *diatrag. fr.*
pulv. cach. Qu. *inc. aa.* ʒij.
extr. papav. errat. ℈ß. *M. F.* ♀.

In quolibet pastu, cum primo vini haustu, sumantur gtt. xxx. *mixturæ*:

Rec. *Ess. absinth. elix. balsam. aa.* ʒiij. *M.*

Circumspecti Practici notant, eos, qui *febri continua* laborantes, nimium potus ingurgitant, stomacho suo multum nocere, nec vires, post morbum, cito recuperare.

§. Tithassi *Filiolus* 3. annorum, habet faciem subtumidam ac pallentem, ventrem durum ac prominentem, urinam fere lacteam, somnum interruptum, quo durante dentibus frendit, pavores itidem in somno: miro appetitu fertur ad panem secalinum, pruritus est in Tithassi *Filiolus. Lumbrici.*

XXVII. naribus; *vermium* pleraque signa. Ter in die porrigantur 2. cusp. cultr. de tali *pulvere*, ex adjecto vehiculo, per se quoq; sorbendo:

Rec. *Æthiop. miner.* ℈i. *elæosacch. mac.* ʒij.
sem. santon. Corallin. aa. ʒß. *M. F.* ♀.
Rec. *Aq. gramin. fl. til. aa.* ℥iij.
epil. L. ℥ß.
sir. fl. pœon. persic. aa. ʒij. *M.*

Scrobiculus cordis ungatur *balsamo stomachico* noto. *Vesicatorium* affigatur uni brachio & alteri suræ. Pomeridie prodisse narrabant *ascarides* innumeros. Puellus æstuat, ac valde inquietus est. Nihil mutare in methodo decretum. (d. 28. *Nov.*)

Archeguli *uxor*. *Colica hysterico-flatulenta.* §. Archeguli *uxor* (d. 25. *Nov.*) *colico* dolore torqueri nondum desinit, quamvis eructationes, *borborygmi*, abdominis expansio, & levamentum a flatuum eruptione, *flatulentam* simul esse caussam designent. Igitur medicamenta sequentem in modum esse mutanda duxi: Mane, pomeridie & noctu sumantur 3. cusp. cultr. de *pulvere* pone scripto, cum subjuncto, per se quoque hauriendo, vehiculo:

Rec. *Pulv. anticol.* Cam. ʒij.
cort. aurant. ♂. *diaphor. aa.* ʒj.
elæosacch. anis. ʒiij. *M.*
Rec. *Aq. anis.* ℥iij. *menth. carv. aa.* ℥j.
∽. anis. ess. carminat. aa. ʒj. *anod.* ℈ß.
sir. chamom. ℥ß. *M.*

Loco dolenti imponatur *empl. de bacc. laur.*

Manica. *Febr. tertiana.* §. Manica (d. 25. *Sept.*) nudius tertius sustinuit accessum *febrilem*, hodie redeuntem, ac *tertianarium* semet esse prodentem, urget sitis, cruciat dolor capitis, vexat *anorexia*. Vomiturit, amarum eructat. *Emetocatharticum* consuetum ordinavi, postea *pulverem stomachico-febrilem* cujus ter in die 3. cusp. cultri ex apto quolibet vehiculo sumantur, fronti applicato *ungu. alabastrino*, chartæ duplici inuncto:

Rec. *Pulv. stomach.* Birkm. ℥ß.
conch. ppt. ʒiß. ♂. *diaph.* ʒj.
ol. caryoph. gtt. iiij. *M.*

Uxor Lutetiani *Colica hysterica.* §. *Uxor* Lutetiani noctem trivit valde tolerabilem, hinc *medicamentorum* hesternum usum continuandum, nocteque hodierna *elæosirubi* dosin alteram hauriendam esse, volui. (d. 28. *Nov.*)

Melodidascalus. §. Pro usu Melodidascali (d. 7. *Nov.*) hodie accepi ⊖. *viper. volat. Italic.* quantitatem. Bis diebus singulis ℈ß. sumatur, mane ex cochleari

leari *aquæ cinnam. cydon.* pomer. ex cochl. vini. Det DEUS, ut in *spasmorum ac dolorum* aufugium. (d. 8. *Dec.*) XXVII.

§. Æxuri *uxor* (d. 28. *Oct.*) sub planta dextri pedis se vehementer dolere, ibidemque venam sanguineam cruore valde turgidam se conspectui dare asserebat. D. 21. *Oct.* partus fuit valde laboriosus, ubi diu pedibus innitendum fuerat; hinc enim esse dolorem, & sanguinis stagnantis expansione dilatatam venam arbitror, cum caussam aliam comminisci non possim. Hæc autem muliercula ex earum est numero, de quibus *Deuter. 28. vers. 56.* dicitur, *quæ non tentarint, plantam pedis sui statuere super terram, præ delitiis & præ mollitie.* Non igitur multum sustinere valent istæ tam delicatæ plantæ. *Decoctum hyssopi cum vino factum* noctu imponere jussi.

Æxuri *uxor.*

§. De Liebevio (d. 16. *Nov.*) mihi porro relatum, quod pessima sit ejus conditio, cum vel a quovis levissimo motu excrementa prodeant, ipseque propterea ne per momentum tutus sit, externisque medicamentis ideo nullus omnino sit locus. Memoratis nuper symptomatis accedit *tussis sicca*, urina, non sine dolore missa, est rutila, a levi motu, vel cum unico flatu simul excrementa prodeunt, non plane quidem indigesta, fluidiora tamen. Alvum autem a pueritia semper se laxiorem expertum, & sellam *Patrocli* bis vel ter singulis diebus petendam fuisse fatetur. Injectiones, ob dolorem nimis exquisitum, tolerare non potest. Nostros *Chirurgos* non admodum *anatomes* esse peritos, nec affectum sufficienter introspicere, verum est; hinc nullus dubito, quin *Chirurgo* a te laudato se adhuc submissurus sit.

Liebevius. *Ani fistula.*

§. Bupolitani *uxor* (d. 21. *Nov.*) *pulverem nephriticum* per se siccum assumsit, inde sibi fauces dolere questa, quod creditu non est difficile, si attendas ad *pulveris* viscositatem. Cum *hordei cremore* ut ipsum assumeret suasi, &, *doloribus nephriticis* nondum plane cessantibus, *balneas* nostras *cervinas*, vel *aquæ dulcis*, in qua *flor. chamom. & sem. lini coctum.*

Bupolitani *uxor.* *Nephritis.*

§. In alia domo forte fortuna obveniebat *uxor* Uvrioli, tota pallens, anhelans & languida. Interrogata caussam, se jam a longo tempore *uteri* fere perpetua, nonnunquam enormissima, *hæmorrhagia*, afflictam fuisse narravit. Syncopen frequenter inde se passam, extremis friguisse, & ab Adstantibus pro moribunda reputatam fuisse, sexcenta sine fructu usurpasse. Suasum denique ab amica, ut singulis diebus *ova cum eliquato butyro frixa* quinque comederet, unumque *ovum frixum* vertici capitis imponeret, hoc enim multas juvisse. Fecisse, sanguinem substitisse, heri tamen fluxum enormiter denuo redisse. Nuda fuit relatio,

Uvrioli *uxor.* *Hæmorrhagia uteri.*

XXVII. nulla consultatio, neque proinde a me ordinatum quidquam. Saltem *euporiston* non esse reticendum duxi, si quando id imitari, juniori *Practico* collibitum esset.

§. In lectione B. Arndii *de vero Christianismo* hodie tetigit ordo *Cap. IV. Lib. IV. part.* 1. Multa jam alibi in hoc *Eteodromo* de vanitate *Astrologiæ* memorata. Ideo fortasse nobis jam brevioribus esse licebit. P. 45. Sanctissimus Auctor ita: *Stellarum multæ chiliadum chiliades* in cœlo sunt, quas oculorum acies nulla videre potest. Sit ita, quo igitur fundamento nititur *stellarum influxus*? Aut enim *stellæ*, quæ a nobis non videntur, in hæc inferiora influunt, aut non influunt. Si influunt, aut sunt *planetæ*, aut *astra* ex aliquot stellis, instar v. gr. signorum *Zodiaci*, constantia. Si *planetæ*, quæro, quot eorum sint numero? qualis sit influxus? quæ cum aliis planetis oppositiones, quæ conjunctiones? &c. Si astra, quæ ex quot stellis, quantæ magnitudinis, componantur, quod ipsorum nomen? qui determinati effectus? Nam hæc omnia propterea sciri non possunt, quod oculis nostris ob loci distantiam subtrahantur. Si non influunt, ergo non propter hominem creatæ, contra Auctoris beati hypothesin. Cui igitur fini? cum non esse possint in signa, nec in stata tempora, nec in dies, nec annos? Gen. I. 14. Imo, unde non influere probabitur? licet a nobis non videantur? Siccine igitur operatio vel influxus stellarum visu humano, sensu tam crasso, terminabitur? Aut invisibiles stellæ multis parasangis a visibilibus distabunt? Dantur *stellæ*, quas oculus nudus non assequitur, armatus assequitur. Si stellæ influunt in hæc inferiora, cur hæ ultimæ non influant? Et, si dentur telescopia perfectiora, plures invisibiles stellas per ea detectum iri necesse est; cur istæ non influunt? 2. Quæ ex Paracelso dicuntur p. 50. de influxu stellarum ad inventiones rerum & artificiorum, a nobis refutata sunt in *Jatromnematis* nostris, hic non repetenda. 3. P. 58. s. Nubes, nebulas, nives, frigora, glaciem, grandines, tonitrua, fulgura, pluvias, irides, rorem, ventos. &c. virtute *stellarum* produci, dicitur quidem, sed nullo, ne probabili argumento, confirmatur; nam omnia argumenta adducta, DEUM, non stellas, operari talia, κατὰ ῥητὸν demonstrant. 4. Quæ P. 66. de motu solis diurno proferuntur, *sectæ* Copernicanæ, si non veriori, saltem verisimiliori, addictus nemo concedet. 5. P. 70. *Ecclipses* portendere *famem, bella, pestim*, a sanioribus Philosophis hodie merito ac insolidum exploditur.

XXVIII. Mer-

XXVIII. XXVIII.

MErcurius paullo ſupra primam lineam quarti gradus, & liquor *thermometri* in heſterna ſtatione, mane ambo reperti, ambo per totam diem tales remanſerunt. Nox clara, dies ſerena & calida.

§. Niſſeti *Pædodulis* (d. 16. *Nov.*) a nuper ordinatis ſe quidem non pejus, nec tamen multo melius, habere affirmat. Ut ex officina denuo petat, & per alios adhuc 14. dies uſurpet, ſuaſi. *Chronici affectus, chronicus medicamentorum uſus.* (d. 14. *Dec.*) Niſſeti *Pædodulis Hyſterica.*

§. Lutetiani *uxor* in gratiam cum ſanitate redit. *Pharmacorum* reliquiæ conſumantur. A *terrore & ira* ſibi caveat. Lutetiani *uxor.*

§. Puriduri *Filiolus* (d. 26. *Nov.*) quietius, quam unquam, dormit, nec ulla propagatæ *rabiei* ſigna. *Pulverem* tamen ſuum, ut quam diligentiſſime diu aſſumeret, omnino ſuaſi. Nam virus rabioſum diu quandoque latuiſſe, *obſervationum medicarum* fide docemur. Vulnuſcula, præter meam intentionem, maturius glutinantur. (d. 4. *Dec.*) Puriduri *Filiolus. Morſ. can. rabidi.*

§. Ephippi major natu *Filiola* 4. annorum, ob ſigna jam ſæpius memorata, *variolas* excluſura videtur. Cochleatim porrigatur *mixtura*: Ephippi major, *Filiola Variolæ.*

Rec. *Sem. melon.* ʒij.
aquileg. nap. citr. aa. ℈ij.
aq. fumar. fl. til. aa. ℥ij.
F. l. a. Emulſ. add.
aq. cinnam. ʒi. *ſir. fl. tun.* ʒiij.
pulv. marchion. mater. perlat. aa. ℈j. *M.*

Regimen, etiam toties adductum, ſit calidum. (d. 29. *Nov.*)

§. Truſſeti *Filiolus* 5. annorum, nulla notabili cauſſa parentibus cognita, toto corpore inflatur, cum *dyſpnœa. Leucophlegmatici* quid deprehendo. Nec urina, nec ſudor rite procedunt. Cochleatim detur *mixtura*: Truſſeti *Filiolus. Leucophlegmatia*

Rec. *Aq. chæref ol. petroſel. aa.* ℥ij.
teſt. ov. calcin. Oc. ♋. *crud. cont. aa.* ℈j.
⊖✳. anis. ℈ß. *ſirub. fragor.* ʒiij. *M.*
Rec. ⊖. *vol. oleoſ.* ʒß. *Ꝗ. croc.* ℈ß.
M. & dentur ter in die gtt. viij.

Pectus inungatur *unguento*:

Rec. *Ungu. pectoral.* ℥ß. *ol. aniſ.* ℈ß.
⊖✳. ʒj. *M.* (d. 29. *Nov.*)

§. Linelda

XXVIII. Linelda. *Catarrhi.* §. Linelda (d. 30. *Maij.*) *tussim* vehementem, cum exscreatione salsa, & pressione circa præcordia, fere per singulos annos quater sentit. Qua periodo exantlata bene rursum degit. Characterem acidum, quem semel Natura adscivit, perfecte deletum iri, me non credere, dixi. Primas vias habere vim dolioli, in quo acetum aliquandiu reconditum. Eluas quomodolibet sollicite, quæcunque infuderis, acescent. Me consultore, singulis mensibus evacuandum esse, nec naturæ, aliquando succubituræ, soli totum semper opus relinquendum.

Rec. *Extr. cathol.* ℥ß. ☿ *ii. dulc. rit. par.* ℈j.
magist. gial. scammon. aa. ℈ß.
cum ess. lign. sassafr. F. pil. pond. gr. j.

Tempore plenilunii singulis mensibus viginti deglutiantur.

Filia. *Menses inordinat.* *Filia plethorica* 16. annorum, *mensibus* laborat inordinatis, eosque jam per 9. septimanas rursum non vidit. Nuper sanguinem sincerum exspuit. *Dyspnoica* est. &c. Venam esse necessario secandam, quo non observato, *menses* sibi per os viam, summa cum molestia, paraturos.

Tragelæi *Filiola. Febr. lenta tabifica.* §. Tragelæi *Filiola* 13. annorum, ab aliquo jam tempore interpolatis frigusculis & æstibus impetitur. Habet siticulam. Multum sudat. Contabescit. *Febrim* judico *lentam tabificam.* Mane, pomeridie & noctu sumat 2. cusp. cultr. ex *aq. hepat. nob. de pulvere* sequenti:

Rec. *Matr. perl. ppt. crystall. ppt.*
antihect. Pot. aa. ℈iiij. *M.*

Mixtura cochleatim detur:

Rec. *Aq. Capon.* Mynſ. ℥ij.
borrag. cinnam. buglossat. aa. ℥i.
conf. alk. c. ʒß. *sir. rub. id.* ʒij. *M.*

Lateri dextro imponatur *Ceratum santalinum.*

Notabile est, quod mater recensuit de hac Filiola, eam nempe ante triennium in dextro latere fere *paralyticam* factam, a D.D. Scherpfio per *rotulas anthelminticas* curatam fuisse. Sic vermes etiam *paralysin* excitare possunt! (d. 4. *Dec.*)

Architecti Filia. *Tussis. Coryza.* §. Architecti *Filia* (d. 30. *Sept.*) *Tussi & coryza* laborat cum *inappetentia*:

Rec. *Ras. lign. sassafr. rad. helen. aa.* ʒij.
*herb. veron. salv. aa. m*ß.
sem. anis. ʒij.

E conc. cont. F. infusum theiforme cum rotul.
tragacanth. edulcorandum.

Singulis

Singulis noctibus sumat ς. *pilulas de cynoglossa.* Naribus frequenter attrahatur *aq. majoran.* XXVIII.

§. Leontii *Filia* (d. 3. *Octobr.*) *symptomatis* suis *hystericis* denuo valde affligitur. *Menses* subsistunt. Res angusta domi. *Theiforme infusum* ordinatum cum macro carnium jure parandum & mane ad tria pocilla bibendum: Leontii *Filia.* *Hysterica.*

Rec. *Rad. rub. tinct. angel. Zedoar. aa.* ℥j.
herb. levist. mj. Conc. cont. D.

Pomeridie sumat gtt. xxxx. *mixturæ* ex cochl. vini.

Rec. ℞*æ. succin.* ʒij. ⊖. *vol. oleos.* ʒj. *M.*

Salvatellam scindi desiderat. Concessi.

§. Regenotti *nutricis infans* (d. 28. *Octobr.*) non æque constipatur, ac nuper; Alia tamen symptomata angunt, *dentitionis* τεκμήρια, v. gr. æstus magnus, sitis intensa, pavores. Cochleatim præbeatur mixtura: Regenotti *nutricis infans.* *Dentitio.*

Rec. *Aq. fl. samb. til. lactuc. aa.* ℥ß.
pulv. March. ℈j. *sir. rub. id.* ℥ß. *M.*

Fontanellæ capitis & scrobiculo cordis *emplastra theriacalia.* (d. 1. *Dec.*)

§. Trochopœi *Filiolus* 3. annorum, *doloribus nephriticis*, cum vomitu, micturitione, excretione sabuli grandiusculi, afflictus, nunc iterum decumbit. *Tumorem* pugni magnitudine in inguine sinistro ostendit, *expansionem* scil. *peritonæi herniosam.* Cujus tollendi gratia, ut Onisimum accerserent, suasi. Ego vero *nephriticis* cruciatibus obviavi *polline*, cujus ter in die 2. cuspides cultri porrigantur, & subinde cochlear *mixturæ* subjunctæ: Trochopœi *Filiolus.* *Nephritis cum hernia*

Rec. *Rad. alth.* ♀*is.* ʒj. *elæosacch. anis.* ʒij.
Oc. ♋. *crud. cont. test. ov. calcin. aa.* ʒß. *M.*

Rec. *Aq. petrosel. fragor. veron. aa.* ℥iß.
⊖✱. ℈j. *sir. fragor.* ℥ß. *M.* (d. 29. *Nov.*)

§. Hyphantei *Filiola* $\frac{1}{4}$ annor. *tussi ferina* cum *coryza* molestissima torquetur. Pharmaca non libenter admittit. Cochleatim detur *mixtura:* Hyphantei *Filiola.* *Tussis ferina. Coryza.*

Rec. *Aq. fl. acac. til. aa.* ℥iiß.
⊖. *vol. oleos. pulv. March. aa.* ℈j.
sir. viol. papav. err. ℥ß. *M.*

In Nodulo potui ordinario immergatur *pulvisculus:*

Rec. ♁ *ij. diaphor. CC. Philos. aa.* ʒj. *M.*

Pectusculum mulceatur *ungu. pectorali.* (d. 29. *Nov.*)

XXVIII.

Eneldo *uxor.* *Clavus hystericus.*

§. Eneldo *uxor*, obesa, annorum 45. *clavo hysterico* frequenter, nunc enormiter, laborat. Sudavit. Interna non libens admittit. Mitigationem prius per externa sola flagitat, donec immanitas doloris ad alia cogat; crebro attrahatur *errhinum*:

Rec. *Elæosacch. majoran. rut. succin. aa.* ℥ij.
elater. ⊖ *li. alb. aa.* ℈j. *M.*

Rec. *As. fetid. castor. opt. aa.* ℥ß.
succin. fl. ʒj. *conc. D. pro cucupha.*

Filia. *Scabies.*

Filiæ 12. annorum *scabiosæ* datus haustulus purgans:

Rec. *Pulv.* Cornach ℈j. ☿ ij. *dulc.* ℈ß.
sir. de cich. c. rh. ℥j. *aq. fumar.* ℥ij. *M.*

Tithassi *Filiolus.*

§. Quamvis Tithassi *Filiolus* non admodum bene habeat, attamen, ut *medicinæ* mutarentur, nondum *indicatio*. Hinc pergere jussi. (d. 29. *Nov.*)

Georgandri *Filiolus.*

§ Georgandri *filiolo* (d. 14. *Jun.*) cum stertore spiranti datum *purgans*:

Rec. *Pulv. gial. n. resin.* ℈ß. *sir. de cich. c. rh.* ℥ß.
⊖ ✳. *anis. gtt. iiij. aq. acac. parum. M.*
pro 1. *dosi.* (d. 24. *Dec.*)

§. Caput V. B. Arndii *Lib. IV. part.* 1. *de ver. Christ.* agit de *Mari & aquis*, & p. 74. definiendo aquam, caussæ finali addit: quod in se contineat *semina avium, piscium, lapidum, gemmarum, mineralium, metallorum & salium*, de quibus deinceps pauca, pro instituti ratione. 1. P. 75. ait: Concavitatem veri elementi aquæ, ubi sit ejus centrum, non habere fundum, cui innitatur. Si verba, prout jacent, intelligenda, contrariantur omni rationi, nec unquam mare concipi potest adeo profundum, quod fundo plane careat. Si vero hoc vult B. Auctor, aquas in terminis suis ita contineri, ut etiam apud Antipodas ex alveo suo versus cœlum non labantur, verum est; nec alia ratione explicari potest, quam *Terrestris globi* eadem immobilitas. Abyssum maris fortasse nondum satis exploratum esse fateor, cum, propter defectum filorum, quibus bolides annectuntur, alicubi sit interminabilis. Inde vero non infinita, sed saltem non indefinita profunditas. Maris profunditas qua ratione sit exploranda docetur in *Transact. Philosoph.* Anglic. 1663. *Apr.* §. 1. & 1666. *Febr.* §. 1. 3. *Mineralia, metalla, lapides, gemmæ, salia,* in aqua radicari, in terra crescere & perfici statuuntur. Nam quemadmodum arbores, fructus &c. nascuntur e terra, crescunt & perficiuntur in aëre, ita *metalla, gemmæ, salia*, nascuntur in aqua,

aqua, crescunt & perficiuntur in terra, sicut philosophatur B. Arndius, ita pergit p. 77. Veri *Philosophi* (id est, Paracelsistæ,) sciunt *metalla & mineralia esse aquam, primamque suam materiam in aqua habere.* Modo recte sciant. Unde vero probabunt ? In sacro Codice, cui fere innititur B. Auctor, hujus ne γρῦ quidem. In Natura, ne probabilis quidem ratio. Imo, *metalla* in sacro Codice expresse *terra* vocantur. Sic enim Naaman Syrus ad Elisam: *Non vero dabitur, quæso, servo tuo onus paris mulorum de* terra? Id est, *auro & argento.* II. *Reg.* V. 17. *Corpora,* dicit axioma *Physicum, in ea resolvuntur, ex quibus constant?* Quis autem metalla, gemmas, adhuc resolvit in aquam? *In Alchimistarum cerebro,* fateor, est illa resolutio facta, sed neque ab arte, vel natura. Salia ex aquis nasci, falsissimum est. Quo purior & magis elementalis est aqua, eo minus in se *salium* continet & contra; solvitur quidem *sal* in *aqua,* non autem reducitur in *aquam*; quin est potius & manet sal, id est, terrestre quid, quod ab aqua semper iterum separari potest. Propulsa *aqua* remanet *sal.* Igitur hæc omnia gratis dicuntur. 4. P. 81. Aves ex aqua oriri dicuntur. De prima creatione verum est. Sed quis abinde unquam vidit unicam avem ex aqua pronasci? Si hodienum essent aves ex aqua, cur non nutriuntur ex aqua, cur non versantur in aqua? (quarum certe sunt paucissimæ, &, cum eduntur, fere pisculentæ.) Cur moriuntur in aqua? 5. Quæ P. 82. de *maris æstu, fluxu & refluxu* memorantur, adeo non animum sciendi cupidum satiant, ut potius aliqua, nempe ex Anoponymo, Rosario, &c. adducta plane frivola sint. *Astra maris invisibilia* næniæ sunt, & invisibilia nunc & in æternum manebunt, quæ P. 86. de *Astronomia aëris, terræ & maris* dicuntur. 6. P. 88. *Mare* vocatur *omnium aquarum mors,* aquas, dum mari influunt, mori & putrescere, sicut corpora hominum in terra, nam esse insignem putrefactionem in mari. &c. Quomodo hæc concordant cum antecedentibus, ubi vita mari aperte adscribitur, tum propter motum, tum fructus & effectus?

XXVIII.

XXIX.

XXIX.

MErcurius fere quintum gradum attigit, *thermometrum* quale heri, ambo vasa per totam diem eadem. Nox fuit alia & mediocriter serena, tota fere dies pluviosa.

Psychroryactis *filiolus.*

§. Psychroryactis *filiolus* (d. 17. *Nov.*) a *maculis* suis & *Psora scorbutica* ferme omnino liberatus. Consultum duxi, ut adhuc semel *laxa-*

Maculæ scorbuticæ.

XXIX. *laxaretur*, cum *laxans* primum d. 13. *Nov.* ordinatum, (quod suo loco notare oblitus sum) nil nisi merum cruorem eduxerit. Laxativum idem, quale nuperum, nisi quod *pulveris* Cornachini jam *gr.* xviij. adsumta fuerint. Ut fomes *scorbuticus* in sanguine penitus extingueretur, cum *guttulis & nasturtio aquatico* adhuc aliquandiu continuare jussi.

Hyphantei *Filiol.* §. Hyphantei *filiola*, per DEI gratiam, levamenti multum percipit. Pergant cum ordinatis. (d. 30. *Nov.*)

Trusseti *Filiolus.* *Leucophlegmatia.* §. Trusseti *filiolus* adhuc in hesterno, quamvis, me Judice, non periculoso statu. Nil mutatum. (d. 2. *Dec.*)

Ephippi *filiola.* *Suspicio variolarum.* §. Quamvis apud Ephippi *filiolam variolarum* adhuc nihil compareat, cum tamen signa nondum cessent, cum hesternis symptomatis, medicamentis insistere consultum duxi, profuturis etiam, si *variolæ* non excludantur. Filiolam porro ab aëre frigido, qua licet, arceant, vinumque potui non præbeant. (infra.)

Phagœnus. § De Phagœno (d. 2?. *Nov.*) sequentia referebantur: Morbi facies interea sic apud nostrum mutata, ut *medicamenta* nuper transmissa usurpare, persuaderi sibi passus non sit. Cum morbus indies augeatur, vires minuantur, nos ipsi metuebamus, ut vim *infusi*, cumprimis *laxantis*, natura sustinere valeret. Quin & dosis ipsi nimia reputabatur. Mihi scutellam *decocti juniperini*, a te laudati, porrecturo, quin potius mecum precaris? respondit. Cogendus itaque mihi non videbatur. *Emplastrum* pedibus impositum eos multum detumere fecit, interim vires indies magis collabascunt. Visus, auditus adhuc integri, loquela vero difficilis, memoria debilis, judicium infirmum, anhelitus gravis. Abinde heri subsultus artuum perpetuus observatur. Sæpissime fortiter expavescit; labia continuo tremunt. Beatam ipse sibi ἀπόλυσιν precatur, & spes vitæ longioris nos omnes reliquit. Præter *mixturam cordialem* nihil assumit, ne quidem jusculi quidquam. &c.

Hydropicus non morietur Phagœnus, quum nimium cito festinet ad emigrandum. Suffocationem metuo. Convalescentiæ spes nulla. Cochleatim præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iiij.
fl. til. ceras. n. cinnam. bugl. aa. ℥j.
conf. alk. c. sir. fl. tun. ʒiij. *M.*

De *specifico physicrato* cultellus nonnunquam linguæ admoveatur, temporibus autem, vertici ac cervici *bals. cephal.* consuetum. Ne per momen-

momentum solus relinquatur. Dimicetur quoque spiritualibus armis. (d. 5. *Dec.*) XXIX.

§. Epistomius, vir 26. annorum, nunc ab aliquot mensibus, sine dubio a potu nimium frigido, in æstu magno hausto, languere sensim cœpit. Lassitudo est artuum, *dyspnœa, sudor, tussis, contabescentia*, horripilatio, phlogoses, *febris*, inquam, *lenta tabifica*. Venam secari passus est, sanguis fuit valde spumosus. Laudavi curam *lactis caprilli*, cum *fol. salv. decocti, & saccharo* edulcorati ad 3. septimanas, præbendo simul *elect. nostr. pectorale* euporistum. (d. 15. *Dec.*) Epistomius. *Febr. lenta tabifica.*

§ Trochopoei *Filiolus* hodie nihilo melior. Sed nec *intestina* adhuc reposita, vel *inguinalis hernia* emollita & diminuta. Quod, antequam fiat, salutis spes non est. Quælibet assumta revomit; Suasit Onisimus, ut crebro calidissime imponerent fasciculum filorum, (Einen Garnriff / oder Strang Garn) in vino & aceto, æqualiter mixtis, coctum. Euporiston est non spernendum, quamvis id, ex accidenti, minus bene cessisse recorder *Senatori* cuidam Nordlingensi, septuagenario, *hernia umbilicali* affecto, ante hos 25. annos. Cum enim nimis fervidum applicuissent, orta in & circa umbilicum *gangræna*, sequensque sphacelus, vitæ pausam subito fecerunt. Cauto igitur est opus. (d. 3. *Dec.*) Trochopoei *filiolus.*

§ Tithassi *Filiolus* aliquantillum melior, tamen adhuc tormina se pati caussatur. *Lumbricorum* nihil comparet. Cochleatim detur *mixtura*: Tithassi *Filiolus.*

Rec. *Mucilag. sem. cydon. c. aq. ros. extr.* ℥j.
sir. de alth. Fern. ℥vj. *papav. a.* ℥ij. D.

Abdomini *emplastrum* ex æqua parte *empl. de melil. & ungu. de hyoscyam.* Mixtum, cum *pulvere* pergendo. (d. 2. *Dec.*)

§. Apud Ephippi *filiolam* vesperi sic mutata medicamenta, quum *brachii rheumatismus* accesserit, & forte *fermentum variolosum* illinc via breviori exitum meditetur. Ter in die porrigantur 2. cusp. cultr. de *polline*: Ephippi *Filiola Rheumatismus.*

Rec. *Mater. perlat. crystall. ppt.*
🜄. *sigill. aa.* ʒß. *M.*

Pro vehiculo & usu solitario inserviat *mixtura*:

Rec. *Aq. fumar. ceras. n. aa.* ℥iiß.
conf. alk. c. ʒj. *sir. acetos. citr.* ℥iij. *M.*

Brachioli frictio crebra linimento:

Rec. *V. camph.* ʒj. *ol. lumbr.* ℥ß.
ess. anod. ʒß. *M.* (d. 30. *Nov.*)

XXIX. §. Saturnia (d. 26. *Nov.*) medicamenta plane respuit, imo, assumere coacta, in aliorum faciem malitiose inspuit. Gratior est mane semidodecas artocreatum minutulorum adhuc e furno calentium, superhausto vini veteris generosi non parco præbio. **Dann / auff einen guten Bissen gehört ein guter Trunk.**

Saturnia. *Melancholia.*

Glebani *uxor.* *Tumor faciei.* §. Pharmacistitium apud Glebani *uxorem* (d. 1-. *Nov.*) non admodum diuturnum. Faciem heri accepit, ac *gingivas*, cum summo dolore, tumentes. Cochleatim adhibeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. majoran. salv. fl. samb. aa.* ℥ij.
mixt. simpl. ʒß. ♁. *diaph. CC. phil. aa.* ℈j.
ess. anod. ℈j. *sir. card. bened.* ʒß. *M.*

Eo loci, ubi dentium est summus dolor, frequenter cochlear *mixturæ* calidissimæ in ore aliquandiu, posthac iterum exspuendæ, teneatur:

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr.*
sir. papav. alb. aa. ℥j.
ess. anod. ℈ij. *M.*

Cataplasma e spec. emoll. in lacte coctis maxillæ; Vertici vero *linimentum balsamicum*:

Rec. *Axung. castor. ver.* ʒj.
bals. peruv. op. in 🜄. *sol. aa.* ℈j. *M.* (d. 22. *Dec.*)

XXX.

XXX.

UTi Mercurius mane usque ad tertiam lineam quinti gradus subsedit, ita vesperi versus illam medietatem denuo parum ascendit. Liquor *thermometri* fere medium quarti gradus attigit, & in ea statione per diem totam remansit. Nox & dies calebant & perpetua pluvia madebant.

Hyphantei *filiola.* §. Hyphantei *filiola*, præter stertorem seu *rhonchum* in respiratione, nil amplius insoliti monstrat. Necessarium judicavi, quæ *purgaretur*:

Rec. *Pulv.* Cornach. *gr. xv. sir. de cich. c. rh.* ʒß.
🜹⊖✳. *anis. gtt. iij. aq. acac.* ʒij.
M. pro 1. dosi.

Ephippi *Filiola.* *Variolæ.* §. Apud Ephippi *filiolam* tamen variolæ prodeunt. Igitur insistatur hesternis, cum regimine debito. (d. 1. *Dec.*)

Glebani *uxor.* *Odontalgia* §. Glebani *uxor*, heri vomitu spontaneo prehensa, dolorum levamen statim sensit, subsidente quoque *tumore.* Pergat tamen cum

mixtura.

mixtura. Quis hic *vomitum*, ni ſponte veniſſet, excitare auſus fuiſſet? Sæpe fit in morbis, ut ægri *nauſea* irritoque *vomendi* conatu corripiantur. Plerumque dicere ſoleo, me non ægre laturum, ſi natura vomitum excitet, ut ipſe per pharmaca cieam, conſultum non eſſe. XXX.

§ Toparius jam ab aliquot diebus laborat *Ophthalmia*, quam, aliorum ſuaſu, abigere ſuſtinuit lotione cum *aqua Regin. Hungar.* Auctam inde ſenſit, non diminutam. Imo *Cephalæa* torquere inſuper cœpit. Removere juſſi *collyrium*, nimis calidum, & in ejus locum ſubſtitui *linimentum* e *mucilag. ſem. cydon. cum aq. roſ. pallid.* prolecta, cum *albuminis ovi conquaſſati aa.* mixta, & cum petiis noctu oculis impoſita. Niſi hoc juvet, excitari *veſicam* in nucha. De *Filiolo* dicit, ipſum *decoctum* bibere præ nutricis lacte, ſi conſentirem, ſe intra paucos dies nutrici propempticum deſtinaſſe. Per me fieri poſſe reſpondebam. Utinam nutrices non eſſent! Toparius *Ophthalmia.*

(d. 3. *Dec.*)

SOLI DEO GLORIA!





J. N. J.

ETEODROMI MEDICO-PRACTICI LENTILIANI.

M. DCC. IX.

DECEMBER.

I. I.



Ercurius paullo ſupra primam lineam quinti gradus, liquor *thermometri* verſus medium quarti gradus, quæ utrorumque ſtatio, ſicut jam fuit heſterna, ita talis per hanc totam diem perſeveravit. Nox præterita cum hac die nubilæ, cum tenuiſſimis continuis pluviis. Ingreſſus *novilunii* lacrymabilis.

§. Thraſonis *famulus* (7. *Octob.*) hodie mane ad me accurrens dixit: Herum ſuum heri noctu *magno* omnium artuum & præcipue cervicis *dolore* correptum, ſiniſtrum latus fere non poſſe movere, fuiſſe aliquando hac nocte *ſuffocationis* periculum. Tremores adeſſe & pavores, ipſumque valde debilem; rogare, ut ſtatim adeſſem. E recenſitis metuebam vel *hemiplegiam*, vel *convulſiones*; &, cum Sacram Synaxin adire fuiſſet animus, jamque tempus eſſet inchoandi cultum publicum, comparitionem deprecatus ſum, cum hac tamen reſervatione, ut, ſi neceſſitas inevitabilis id poſtularet, e media concione me vocare nil dubitarent. Officia enim *Medica* in caſu ſummæ neceſſitatis cultui

Thraſo. *Colica forſan vinoſa.*

I. publico æquipollent. Interim ordinata *mixtura*, cujus ſtatim 2. cochlearia, hinc ſingulis horæ quadrantibus, quamdiu neceſſarium eſſe videbitur, cochlear unum infundatur.

Rec. *Aq. lavend. rut. an. ℥iij. epil. L. ℥j.*
Tr. caſtor. ſuccin. an. ʒß.
Specif. cephal. ℈ij. ſir. fl. pœon. ℥iij. M.

Nuchæ, cervici, temporibus linimentum *balſamicum*:
Rec. *Ol. nuc. moſch. expr. ʒj. ſuccin. ℈j. rut. ℈ß.*
Axung. caſtor. ʒß. M.

Pomeridie, cum ipſummet ægrum viſitaſſem, longe alia reperi. Dolor in *cervice* ceſſaverat, ſed compreſſivus erat in præcordiis, *torminoſus* circa umbilicum, & ardens circa pubem ſupra veſicam: In artubus *oſteocopos*: Urina ſuccedebat, quæ erat pallida & turbidiuſcula. Nauſea fuit, ſed vomitus non ſequebatur, niſi quod os aqua limpida ſubinde impleretur, ſapore exiſtente amaro; pallor in facie. Quod hic vir jam aliquoties *Colica* tentatus fuerit, ſcripſi *mixturam* ſequentem bipartitis vicibus & intervallis pro doloris exigentia brevioribus aut longioribus deglutiendam:

Rec. *Ol. amyg. d. rec. expr. ſir. de alth. Fern. an. ℥iß.*
Eſſ. anod. ℈j. M. pro 2. doſib.

Regio lumborum & pubis calido ungantur *unguento*:
Rec. *Ungu. de hyoſc. ℥ij. ol. ſcorp. ℥iij. M.*

Et, cum hodie mane ordinata convulſivis motibus reſiſtant, eadem ſimul uſurpare non incongruum exiſtimavi.

Hæc ſymptomata ſane quam multum conveniunt cum illis, quæ ante circiter quadriennium a *vinis lithargyriatis* eveniſſe viſa; & cum aliquoties jam *torminibus* exercitus fuerit hic vir, non quidem vinolentus, ſed vino tamen pro ordinario potu utens, quod aliunde petere cogitur, quum ipſe in cella non habeat; non equidem aſſevero, ſuſpicor tamen, eum tunc temporis, quum ejusmodi vina venderentur, talia hauſiſſe; immò non dejerare auſim, alicubi adhuc delitеſcere, quæ examen fortaſſe ſuſtentura non fuerint. Quantum etiam interſit, ut *Medicus* ipſe patientem videat, hujus morbi hiſtoria palam facit; alium enim ex relatione famuli mihi omnino morbi conceptum formaveram.

Regenotti *nutricis Filiola.* *Dentitio.*

§. *Infantula nutricis* apud *Regenotti* uxorem, unius anni, a *mixtura* d. 28. *Nov.* ordinata nondum melius habet: vehementer expaveſcit, ejulat, alvum crebro deponit; æſtus adhuc magnus. De *dentitione* nil dubito. *Convulſionibus* tamen occurendum eſſe ratus, ter in die 2. cuſp. cultr. De *pulviſculo ex an. pulv.* March. & *ſpecif. cephal.* parato præberi volui;

volui; cochleatim vero, non ad sistendum, sed moderandum *alvi fluxum*, *mixturam*: I.

Rec. *Aq. plantag. fl. til. an. ℥ij. epil. L. ℥ß.*
conf. de hyac. ʒß. sir. fl. pœon. ℥ß. M.

Cervici, nuchæ, temporibus *bals. cephalicum* contractius. Alteri brachiolo *vesicatorium*.

§. Usiæ *uxor*, neque a nupera *venæsectione*, neque a *tinctura* d. 21. *Octobr.* ordinata, voti damnata fuit. *Fluxus* enim *muliebris* adhuc durat, quamvis non sit admodum violentus. Lassitudo tamen oboritur, *inappetentia, phlogoses*: dolores non adsunt. *Venæsectionem* adhuc semel administrandam esse censeo: Interim tamen præscripsi *electuarium* in 2. doses dividendum, quarum una sumatur hac nocte, altera cras mane, ex harum effectu prius rationem faciendorum initurus: Usiæ *uxor. Mensium fluxus immodicus.*

Rec. *Conf. de hyac. ʒj.*
Coral. r. ppt. lap. hæmatit. ppt. an. ℈j.
M. F. Elect. pro 2. dosib.

§. Glebani *uxor* noctem dormivit placidam, omnis *dentium capitisque dolor* plene evanuit. Maxilla, cumprimis dextra, adhuc tumet, cum tensione molesta quidem, sed indolente. Jussi *cataplasma* removere, maxillamque solis linteis Haugij suffitu imbutis calide fovere & ab externo frigore sibi cavere. Glebani *uxor. Tumor faciei rheumaticus.*

§. Ephippi major natu *Filiola* (29. *Nov.*) stadium *variolarum* non infeliciter decurrit. Flagitat vinum. Cum calor præternaturalis non amplius adsit, concessi modicum aqua temperatum. Pergant cum nuper ordinatorum reliquiis. Ephippi *Filiola. Variolæ.*

§. Accepi litteras ab Excell. D. D. Felsio, *Physico* Geislingensi, ditionis Ulmensis, in quibus de hoc *Eteodromo* peramice sentit, atque, ut petito meo satisfaceret, optat *illegitimos Practicos* aliquando durius in ipso opere haberi, cumprimis temerarios *Chirurgos*, qui propria auctoritate *salivationes*, haut raro infelicissimas, instituunt, cui monito jamjam aliquatenus satisfactum in historia morbi *uxoris* Enthadandri, d. 14. *May*. Optat quoque genuinum *salivationis* modum, cum remediis, quibus symptomatibus forte supervenientibus occurrendum, quod suo loco facere non obliviscemur. Optat *Ideam examinationis* Pharmacopolarum, Chirurgorum, Obstetricum &c. Daturi esse mus, si Stuttgardiæ Physicis illa examina, quæ sibi vendicant Archiatri Ducales *ordinarii*, committerentur. Optat *examen leprosorum* &

I. *lue venerea* infectorum: Sed, uti de his ultimis passim aliqua occurrunt; ita, si nullus exquisitè leprosus per hunc *Eteodromum* obtingat, voti compotem facere non possumus. Optat denique, cum Excell. Praunio, Physico Gampidunensi, ut historiam morbi non interrupto, sed continuo filo, una cum curatione, pertexere vellemus, quod idem jam optavit Excell. D. D. Möglingius *noster*. Agnosco desiderium non vanum, mihi vero propterea non explebile, quod cursus *praxeos* per singulos dies tradendus, adeoque singulis etiam diebus pensum mihi absolvendum sit, quod fieri non posset, si morborum historias & curas continua serie describere vellem, uti cuilibet facile patet. Nam & sic *menses* ipsi discindendi essent: v. gr. si obtingeret laborans *ictero* curandus d. 27. *Novembr.* & morbus duraret ad 12. *Decembr.* series tamen tunc esset turbanda. Conatus autem sum *Lectoribus* minuere laborem per remissiones ad dies antecedentes factas. Interim obstricti sumus *Excell.* Viro ob promtam voluntatem.

§. Bonus quidam Amicus scribit, se *spiritum* ⦶ *volatilem* in copia sine multo apparatu *parare* posse ⊖e, qui *ex lixivio nitrariorum* in præparatione *magnesiæ albæ*, mediante evaporatione, colligitur. Probabile est valde, id fieri posse, & orandus est amicus, ut dicti *spiritus* ⦶ tantillum transmittere ne gravetur.

Æxuri *Filiola.* Darmgichtlein. § Æxuri *filiola* (28. *Novemb.*) heri immane quantum vociferari cœpit, idque continuo facit, nec diutius silet, quam nutricis mammæ adhæret, remota statim iterum vociferatur. *Colica spasmodica* affligi nullum est dubium. Cum nox jam sit, interim ordinavi *mixturam* cochleatim dandam, imposito abdomini *emplastro ex empl. melil.* & *ungu. de hyosc.* an. parato, donec crastinus dies ulterius facienda doceat:

Rec *Aq. rut. chamom*
Sir. papav. err. an. ℥ß.
alb. ℨij. *M.*

II.

II.

QUi mane usque ad quartum gradum resederat Mercurius, vesperi rursum ad primam quinti gradus lineam surrexit. Liquor *thermometri* humilior solito, quamvis adhuc supra tertium gradum; talis etiam permansit. Nox & dies tenuiter stillabant.

Mugitudia. *Mensium suppressio.* §. Ante triennium nos accessit Mugitudia *puella* 18. annorum, fidei probatæ, cujus indoles nobis à multis annis perspecta erat: Nam alio-

alioqui difficulter fidimus.) Exponebat, *menses* substitisse circiter à se- II.
mestri. Lassa erat, usque ad faucium isthmum *pallens*, *anhela*, *palpitatione cordis* afflicta. Dedimus ipsi *pulverem* nobis valde probatum, cujus 2. cuspides cultri majores mane, pomeridie & noctu deglutire jussa fuit, cum quolibet vehiculo, insequente corporis motu:

Rec. *Troch. de myrrh. rad. rub. tinct.*
chalyb. c. 🜍e. aa ʒij.
borac. ven. diaph. ♃ al. aa. ʒj.
croc. ℈j. *elæosacch. succin.* ʒß. *M.*

Factum id 6. *Aug.* 1706. Rediit *mensium fluxus* ad votum; perseveravit aliquandiu; sed cum laboribus domesticis fatigaretur, & observans esse diætæ non posset, in idem malum recidit, accedente insuper *anorexia*. Suasi, ut ad parentes profecta sequentibus in otio uteretur:

Rec. *Herb. puleg. meliss. aa. mij.*
rad. rub. tinct. ℥j *asar.* ʒj.
sem. dauc. apii. aa. ʒiß.
fl. calend. cheir. aa. p. ij.
limat. ♂. fin. ℥j. *cass. lign.* ʒij. *croc.* ℈j.

Conc. cont. superfundebatur *mens. 1, vini & dimidia aquæ;* & postquam per 24. horas stetissent, mane & pomeridie haustus sumebatur. Noctu autem sumantur 3. cusp. cultri de *pulvere:*

Rec. *Spec. diacret. Myns.* ʒß. *chalyb. c. 🜍e* ʒiij.
elæosacch. caryoph. ʒvj. *M.*

Id factum d. 13. *Octob.* sed domum non abiit: Cum igitur 19. ejusd. mensis rediret, neque *infusum* officium fecisse quiritaretur, eam, nisi patrios lares peteret, salvam fore negavi: promisit, se abituram. Redierant quidem *menses* ab *infuso*, sed appetitus magis prosternebatur, & insuper *cardialgia*, cum *inflatione stomachi* torquebat. Opus igitur esse dixi, ut cibos eupeptos domi quiete sumendo vires colligantur: cui fini adipiscendo data medicamenta sequentia: *Pulvis* e stomachicis & anodynis demulcentibus, *anticardialgicis*, cujus mane & pomer. cusp. 3. cultri ex jurecalido sumantur:

Rec. *Spec. diacr.* Myns ʒß. *diatrag. frig.* ʒij.
♁. ♁ij. ʒß. *extr. bez. Camer.* ℈ß.
ol. caryoph. gtt. iiij. M. F. ☿.

Noctu ante somnum gtt. XX. *mixturæ* sumantur ex cochl. vini:

Rec. *Elix. propr. d.* ʒiij. *ess. anod.* ʒj. *M.*

Scrobiculus cordis bis in die mulceatur *oleorum mixtura*:

Rec. *Ol. absinth. lumbric. aa.* ʒß. *nuc. mosch. expr.* ʒß. *M.*

 Ven-

II. Ventri *sacculus stomachicus* consuetus. Abiit languida, vegeta rediit. *Mensium* cursus ordinarius, auxiliante DEO, revocatus sine *purgatione*, sine *venæsectione*, hactenusque per triennium stata periodo decurrere perseveravit. Nunc à bimestri per varios, quos fatetur, *diætæ* errores, non plane quidem emansit *fluxus*, sufficiens tamen non fuit, & antiqua symptomata sensim iterum irrepere conantur. Petit igitur probati effectus primum *pulverem* d. 6. *August.* 1706. ordinatum, quem concessi.

Lactistis *Filius. Tussis.* §. Lactistis *Filius* petit medicamenta d. 1. *Octob.* contra *tussim* ordinata, quorum effectus fuit laudabil s. Utraque sc. *electuarium* & *pulverem* iterum præscripsi; & cum in eo loco, ubi nunc moratur, *febres malignæ* epidemice grassentur, simul sollicitus est, de præservante quodam medicamento. Suasi, ut in prandio & cœna sumeret gtt. xx. *Ræ. bezoardicæ* cum cochl. juris, & secum gestaret *capsulam præservatoriam* naribus, quoties opus videbitur, admovendam.

Ejusmodi *capsulæ* sunt ovales, cavæ, multis foraminulis perviæ, magnitudine juglandis majoris, e *ligno juniperino* tornatæ, quarum cavitati includitur *nodulus* e syndone paratus & seqq. *speciebus* impletus:

Rec. *Rad. angel. myrrh. r. sel.*
Camphor. caryophill. arom. an. ℨj.
bacc. junip. n. LX. *rut. p. ij.*
nuc. mosch. n. j. M. inc. cont. D.

Æxuri *Filiola.* §. Æxuri *filiola* ab imposito solo *emplastro* indormiit, & per aliquot horas placide quievit, hinc evigilata mammam suxit, iterumque indormiit; per totam diem hodiernam quietissima. Cum antemeridiano tempore expergisceretur, removeri curabam *emplastrum*, nec ante rursum imponi, quam aliquandiu vociferata esset. *Mixturæ anodynæ* ne cochlear unum exhibitum. Nam opus non erat. Tamdiu dormire Adstantibus suspectum fuit, quibus dixi, id solere infantes, quoties unam vel duas noctes clamitando pervigilarint: inducias post a doloribus nactos continuo somno vigilias ante continuas pensare.

Usiæ *uxor Mens. flux. immod.* §. Usiæ *uxor electuarium* heri ordinatum bipertitis vicibus absorpsit; sed *fluxus sanguineus* durat, interdum sanguine fluido, interdum grumoso prodeunte, sine dolore, fetore, acrimonia. Flumen non esse penitus sistendum, moderandum tamen ratus, ordinavi *pilulas*, quarum mane & noctu xv. cum adjecto vehiculo sumantur:

Rec. *Extr. torment.* ℨj. *papav. err. liquir. an.* ℈j.
Cor. r. ppt. lap. hæmat. ppt. sang. Drac. aa. gr. xv.
c. Sir. e. ros. sicc. F. pil. pond. gr. j. M.

Rec.

Rec. *aq. plantag.* ℥iiij. *fol. querc.* ℥iij.
sir. Coral. ℥i. *M.*

II.

§. Quamvis medicamenta d. 12. *Novemb.* ordinata pristinum, quem jamjam præterita hieme præstiterant, effectum apud Epimeletis *uxorem* denuo præstitura primis diebus viderentur, & sola *Cephalæa*, cui cucupha d. 19. *Nov.* præscripta opponebatur, tragœdiam luderet, attamen etiam inter usum pharmacorum *sudor* denuo more antiquo ægram fatigavit & adhuc fatigat, *cephalæa* magis incrementum sumente. Suasimus usum ℞. ⊕ *li.* ♂. zvvölff. mane & noctu ad gtt. xxx. & pomeridie quarta cusp. 3. cultri de *pulvere ex aa. CC. ust. ppt. & magnes. alb.* utraque cum *aq. plantag. sir. Coraliorum* edulcata. (d. 9. *Dec.* — Epimelelis *uxor. sudor frig. Cephalæa hysterica.*

§. Hyphantei *Filiola a potione laxativa* d. 30. *Nov.* ordinata bis vomuit pituitam tenacissimam & aliquoties per alvum dejecit mucaginem *ascaridibus* refertam; A *purgatione* plurimum levata nunc hilaris existit, & stertor fere omnis sublatus. Superest adhuc *tussicula* & appetitus prostratus. Cochleatim præbeatur *mixtura:* — Hyphantei *Filiola Tussis. Anorexia.*

Rec. *Aq. menth. acac. aa.* ℥ij.
cinnam. cydon. ℥j.
spec. diacret. M. ʒj. *ol. mac. gutt. ii.*
Sir. papav. err. ℥ß. *M.*

Scrobiculo cordis *linimentum balsamicum:*

Rec. *Ol. nuc. mosch. expr.* ʒj. *menth. dll.* ℈j.
Bals. peruv. ℈j. *M.*

§. In Ephippi *Filiola* nihil desidero. *Variolæ* sunt, quales esse debent. Calor præternaturalis nullus. Ad cibos appetitus. — Ephippi *Filiola. Variolæ.*

§. Apud Thrasonem non omnis quidem dolor circa *umbilicum & pubem* evanuit, longe tamen hesterno ab *oleo amygdalarum* assumto tolerabilior factus. Præterita nocte semel amara vomuit, mallem id sæpius accidisse. De summa artuum lassitudine & dolore *osteocopo* querelas adhuc agit. (Es sey ihm / als wann er geprügelt wäre.) Confirmor in sententia de *vino lithargyriato.* Mane & noctu sumat XV. *pilulas* e quolibet vehiculo, cum reliquiis *mixturæ* cochleatim sumendæ & *unguento* pergendo. — Thraso. *Colica vinosa.*

Rec. *Extr. gentian. cal. arom. zedoar. aa.* ʒß.
♁. *nat. ppt.* & ♁. *rectif. succin. a. ppt.*
extr. papav. comp. aa. ℈j.
myrrh. r. gr. XV. bals. peruv. gr. XXV.
F. pil. pond. gr. I. consp. cum ♀e *liquir.*

§. Trusseti

II. Trusseti *Filiolus.* *Anasarca.* §. Trusseti *Filiolus* ab exhibitis d. 28. *Nov.* & continuatis totus fere detumuit, usque ad pedes, a suris ad extremitates usque. Respiratio est levior, puellus est hilaris, appetitus redit. Jussi adhuc semel parari medicamenta.

Saturnia. *Melancholia tristis.* §. Saturnia incipit fieri valde refractaria: pulverem d. 22. *Nov.* ordinatum sumere detrectat, idem factura cum omnibus aliis medicamentis. Nisi violenter coërceatur, ad valetudinem recuperandam spes pauca superest Frater & sorores adhuc bona verba dare decreverunt, donec circumstantiæ aliud extorqueant. (d. 11. *Dec.*

Bonaciola. *Mens. subsistent.* § Bonaciola *potionem laxativam* d. 26. *Octobr.* ordinatam, ante triduum demum assumsit, ac decies cum euphoria evacuata fuit. Nunc utitur *elixiri.* Det DEUS, ut cum effectu.

Isatis. *Scab. humida.* §. Isatis *a potione* d. 27. *August* præscripta ne semel quidem dejecit, &, quod non dejecisset, *acidulas* quoque bibere non sustinuit, quasi aliquot parasangis a me remota fuerit, ut, quid sibi porro faciundum restaret, exquirere non posset. Interim totam cutim *scabie humida* fœdatur, cum immani *pruritu.* Bibat mane dimidium quartarium de *infuso* nostro more parando ac potando:

Rec. *Rad. bardan. lapath. acut. aa.* ℥ß.
polyp. qu. ʒv. *rhabarb. ver. mechoac. a. an* ℥iij.
agar. troch. turbith. alb. & gumm. aa. ʒiiiß.
fol. senn. s. s. ℥j. *passul. min.* ℥ii.
herb. fumar. trifol. fibrin. aa. mi.
ras. lign. sassafr. ℥i. *cass. lign.* ʒiii.
sem. anis. ʒii. *mac.* ℥i. *conc. cont. D.*

Mane & noctu lavet manus usque ad ulnas *aqua* ♆. quam sponte siccescere patiatur. (d 13. *Dec.*

Filiolus. *Scab. imminens.* *Filiolo* nunc octenni d. 21. *Febr.* 1708. etiam adeo maligne *scabioso*, ut toto corpore intumuerit, quasi *leucophlegmaticus*, ordinaveram *pulvisculum diureticum*, unde brevi sanatus fuit. Hunc repetit mater, quia denuo *scabiem* fores pulsare affirmat. Fuit autem talis:

Rec. *Conch. ppt. Oc.* ♋. *crud. cont.*
test. ov. calcin. aa. ʒj.
asell. ppt. ʒß. *M. F.* ♀.

Propinetur, ad medicamenta difficili, ter in die circiter ℈j. quocunque practicabili modo.

Gramatophorus §. Grammatophoro (d. 20. *Nov.*) heri rursum, referente Onisimo frustum insigne e superiori maxilla una cum dentibus exemtum

tum, & in inferiori mandibula dextri lateris vacillat adhuc frustum, e qua præterita nocte sibi ipsimet 2. molares extraxit. Frustum illud propediem eruetur. Deploranda miseri hominis conditio, quem præpostera *salivatio* in hocce discrimen præcipitavit insontem.

II. *Salivationis intempestivæ consectar.*

§. Hipparii *Filio* 13. annorum d. 14. *August.* ad *tussim* humidam sedandam ordinaveram *pulverem*, quo exoptatissimo cum effectu usus est: nunc ab aliquo tempore queritur de *dolore* quodam *epigastrii sinistri* circa regionem *splenis*, cumprimis, ubi versus terram inclinatur magis, torquentis. Foris nil videtur, nec tangitur, suspicor intestinum *colon* quisquiliis oppletum & ordinavi *electuarium purgans*, e cujus effectu, quo pacto cum illo sit agendum, judicaturus sum.

Hipparii *Filius.* *Dolor in epigastrio sinistro.*

§ Tithassi *Filiolus* de die in diem pejus habet (29. *Novemb.*) *Alvum* deponit *cineritiam*, *pulverem* assumere detrectat, vehementer sitit, vires evanescunt, morosus est, interdum altum vociferans. Vix evasurum credo. *Cœliacum* quid adesse puto. Detur identidem cochlear unum *de mixtura stomachico-refectiva*:

Tithassi *Filiolus.* *Cœliaca.*

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *cinnam. cydon.* ℥j.
conf. alk. c. ʒß. *ol. caryoph. gtt.* iij.
sir. cinnam. ʒij. *M.*

Paretur *emplastrum stomachicum* domesticum e *pane mellito* Noriberg. Cum *aromatis* & ana *vini rubri* & ∇. coquendum & ventriculi regioni imponendum.

§. Grapteris *Filiolo* natu majori (19. *August.*) ob pectoris infarctum, & ortum inde quasi *suffocativum stertorem asthmaticum*, ordinavi *purgans*:

Grapteris *Filiolus.* *Asthma.*

Rec. *Pulv. gial. n. resin. gr.* Xij. ☿ij. *d.* ℈ß.
⊷⊕✳. *anis. gtt.* iij. *sir. de cich. c. rb.* ʒv.
aq. acac. ʒij. *M. pro* 1. *dosi.*

III.

III.

MErcurius, qui mane paullo infra primam lineam quinti gradus substiterat, vesperi dictum gradum proxime rursum assecutus est. Liquor *thermometri* mane usque ad tertium gradum, vesperi infra hunc subsederat Nox fuit nubila, sed præcedentibus quodammodo frigidior, sine tamen pluvia Sed tota dies flabris *septentrionalibus* humidiuscula cum pluvia. Noctem auguror frigidam.

§. Nescio, quo fato d. 2. *Septembris* casum sequentem recensere oblitus sum? Theodorander pauperculus, balbus, nostri *Xeno-*

Theodorander.

III. *Ab unguento mercuriali salivation. incurrit.*

dochii inquilinus, 36. circ. annorum alicunde petiit medicamentum ad *scabiem.* Datur ipsi *unguentum*, quo juncturas artuum ungere jussus fuit. Utitur. Paucis post diebus dolent fauces, gingivæ, palatus, tument labia cum gingivis, exspuitur toto die vis ingens pituitæ, deglutitio fit difficilis. Simplex, &, quid secum ageretur, plane ignarus homo, versabatur in cubiculo frigido, dolorem oris & faucium assumta aqua frigida solari satagebat, sed frustra, nam *dolor* cum *tumore* augeri, sputi singulis diebus fetidioris copia major effluere, faucesque sic angustari, ut, præter liquidissima, sorbere nil posset; vires quoque valde diminui, pectusque gravari, denique cum sputo, sanguis & integræ membranæ e faucibus excerni. Cum itaque cubiculo eodem, eodemque cum ipso vaporario utentes teterrimum fetorem amplius perferre vel nollent, vel non possent, ipseque saliva sua pavimentum undiquaque fœdissime conspurcaret, accitus Frater ejus, Barbitonsor, originis æque ignarus, dedit *gargarismum* e proletariis vegetabilibus, addito melle, concinnatum. Frustra. Vocatur *Chirurgus Xenodochialis*, & bonum hunc Theodorandrum *salivatione* perfecta teneri observat. Exploratis circumstantiis *ollulam unguentariam*, ab ipso acceptam, ad me defert, cui *globuli mercuriales* innumeri, aliqui *semen papaveris* magnitudine æquantes, immersi conspiciebantur. Mora nulla. Cum Dn. Collega meo, hominem adimus, *salivantem* invenimus, Fauces exulceratissimas dentesque omnes vacillantes undiquaque conspicamur; Pulsus erat concitatus, anxietas præcordialis, languor summus, & homo præ impatientia fere in rabiem actus. Rem ad Magistratum *Opidanum* deferre non distulimus; Et, cum *Xenodochium* neque esset locus competens, nec satis commodus pro *salivantibus*, taliterque affectos in calefacta camera decumbere necesse fit, *salivatio* autem nunc ἐν ἀκμῇ constituta, sine summo vitæ periculo, sisti non posset, petivimus, ut Magistratus, quid faciendum existimet, significaret. Statim igitur nempe d. 3. *Sept.* delatus fuit in *Leprosorium*, ibique cœpta *salivatio* non nisi summo cum labore, imò non minore cum vitæ periculo, ad umbilicum perducta fuit, sic, ut per aliquot dies de salute miseri dubitare cogeremur. Nam *salivare* in loco frigido, haurire & in ore detinere aquam frigidam, varia huc nihil conducentia comedere &c. *quæ, qualia, quanta?* Durante cura integra carnium & membranarum frusta e buccis & gingivis separata & ejecta, & dentes fere omnes elapsi sunt. Peracta homo virium adeo debilis, ut, qui per integrum annum clinicus fuisset. Hinc aliquandiu

diu adhuc, redeunte appetitu, in *Leprosorio* relictus fuit, donec per decentem nutricatum vires recepisset. Die 20. *Nov.* ipsum e dicta domo dimitti posse judicavimus. *Magistratus* autem illa fuit gratia, ut ex affectu misericordiæ hac ipsa adhuc hora ibi morandi licentiam largitus fuerit. Interea temporis, & quidem nudius tertius binos sibimet ipsi dentes exemit, & heri *Chirurgus* juratus e superiori sinistra maxilla frustum sat ingens vacillans protraxit, propediem ab inferiore illius lateris maxilla jamjam vacillans æque magnum protracturus. Ut summatim rem complectar, qui satis ante miser fuerat homo, per præposteram hanc salivationem miserrimus, ac talis factus est, qui forte nunquam vires sit integras recepturus. Quem nunc mali Auctorem incusabimus? Quem alium, quam temerarium & maleferiatum *unguenti Mercurialis* largitorem? Ipse miser homo innocentissimus est, quippe qui non intellexit, quid esset *salivatio*, nedum, ut ea præsente scivisset, quomodo vivendum sit *salivantibus*? Er hat die Salivir-Conduite nicht verstanden. Quo autem ipse innocentior, eo nocentior & culpabilior *unguentarius*, sive culpæ reus. Sed ita solet evenire, ubi falx in alienam mittitur messem. *Xenodochio* nostro peculiares præfecti sunt *Medici*, peculiares *Chirurgi*; Cur igitur alii negotia sanitatis in hac domo tractare sustinent? III.

§. Trochopœi *Filiolus* (28. *Nov.*) melius habet per omnia. Onisimus nuper accitus applicavit *emplastra & cataplasmata tumori inguinis* quem pro extensione peritonæi recte habuit; sed hodie *tumor* omnis evanuit, puellus cibum capit iterum, & retinet, quem ante revomuerat omnem; lusitat, hilaris est, urina sine difficultate succedens. Laus DEO. Trochopœi *Filiolus.*

Me suasore aliquandiu regioni pubis & inguinum imponendum fuerit *emplastrum catagmaticum*, & occasio præcidenda puello, ad clamores, saltus, omnesque violentas motitationes.

§ Tibiscus, 32. annorum, venationum injuriis hoc pluvioso tempore aliquandiu expositus, gravitatem capitis (Einer Dummigkeit) primo, hinc susurrum quasi aque bullientis sensit. Præterita 29. *Nov.* in opido 3. abhinc milliaribus distante medicamentum *catharticum* a nescio quo hausit, sed altera statim die itinere equestri duo milliaria emensus, huc se recipere coactus fuit, & varia per biduum usurpavit, *obauditione* tali aures utrasque occupante, ut vix semetipsum, nedum alios loquentes audiat. Vult ita curari, ut aulam sine mora sequi possit. Vellent multi, si per *Medicum* staret. Cum jamjam Tibiscus. *Obauditio.*

III. jam *purgatus* fuerit, ulteriori *purgatione* ſuperſedendum ratus, apophlegmatiſmum præſcripſi mihi familiarem:

Rec. *Sem. ſtaphid. agr.* ℥iij. *maſtich. ſel.* ℥v.
rad. imperat. pyrethr. an. ℥ß.
Cubeb. ℥ij. *Caryoph. arom.* ℥j.

E *concis. cont.* mane fiat *nodulus* avellanæ majoris magnitudine cum linteo, qui tamdiu maſticetur, donec ſputum in os cieri deſinat. Noctu autem cubitum iturus turundam e bombace formatam imbuat decocto ſequenti calido, *aurique* intrudat, relinquendo per totam noctem, mane protracta abjiciatur & nova alia, ſed tantum per dimidium horæ, immittatur.

Rec. *Caryoph. arom. leviter. contuſ.* ℥ß.
ebulliant in vini rubelli & aq. card. bened. an. ℥ij.
Colaturæ addatur
⊖. fraxin. ℥j. *∽ ceraſ. nigr.* ℥iij. *⊖✳. gtt. xxx. M.*

Eodem fere *decocto* curavinus ante annum Corbiniani *Filiolum* $5\frac{1}{2}$ ann. qui propemodum plane nihil audiebat. *Caryophyllos* autem in ſolo vino rubello ebullire curabam, loco ∽ *ceraſ.* admiſcendo ▽ *camph.* & ∽ ⊖✳ omittendo.

Satellitis *Filia.* *Verruca exulcerata in mala.*

§. Satelles Filiam ſuam 18. annorum jam per pluſquam annum *verrucam* in mala ſiniſtra aluiſſe recenſebat, eamque non penſilem. Periclitati ſunt artes ſuas varii & *chirurgaſtri* & *medicaſtri*, ſed eo eventu, ut *ulcus* in mala excitaretur *verruca* ipſa moleſtius. Hoc *ulcus* ſolidari non poſſe, quidquid etiam adhibeant *Medici & chirurgi.* Non vidi puellam, ſed monui Satellitem, ut hanc rem ne contemtim haberet. Hæc *ulcera* non tantum ægerrime ſolidari, ſed & illis ſolidatis remanere fœdas cicatrices, immo cancroſi quid timendum eſſe.

Thraſo. *Colica vinoſa.*

§. Thraſo noctem tranſegit inquietam. Dolorem ſentit in tota lumbari regione protenſum ad femora & genua, ſic ut diu in eodem decubitu durare non poſſit. *Dolor circa umbilicum & pubem* tam atrox non amplius eſt, attamen adeſt, nec urina adhucdum, uti debebat, procedit. Heri aſſumta revomuit, hodie retinuit Alvus a quatriduo eſt conſtipata, quam ut reſerarem, præſcripſi *Potiunculam* Oſwaldi: Potum ordinarium eſſe volui *paſſulatam* Horſtii, fore ſperans, ut, recluſa ſemel alvus, ejus beneficio aperta ſervetur. Uſui *pilularum* ut inſiſteret, mandavi.

§. Topa-

§ Toparius hanc secundam *puelli* sui d. *17. Nov. nutricem lactis defectu* laborare suspicatur ex eo, quod puellus *decoctum* avide hauriat, eoque hausto quiescat, non item, ubi mammam suxit, a qua vix remotus *decoctum* denuo appetat. *Nutricem* igitur an abolere consultum sit, rogat? *Lac* insuper *nutricis* esse tenue & aquosum perhibent, quod tamen me præsente emulctum nulla labeculæ vel minimæ nota se suspectum reddidit. Ejus guttula, ungui instillata, non statim diffluxit, sicut nec ejus portio *infusa* speculo, quod hic loci solent. Oportet igitur, ut variis temporibus varium existat, si fidei, id aquosum ac tenue referentium, stare fas est. Puellus certe macilentus est, & flaccidis carnibus. Cum *decoctum* fere libentius, quam *lac* ipsummet bibat, *ablactatio* proinde difficilis futura non sit, nutricem sine alumnuli dispendio dimitti posse pronunciavi. Nunc autem sexdecim hebdomatas vivendo complevit. (d. 12. *Dec.*) III. Toparii *Filiolus*. *Ablactatio*.

§. Lycaonis *Filiolus* (20. *Nov.*) natu minimus variolas suas feliciſſime, sine ullo vel molesto, nedum gravi, symptomate exclusit, cui, ubi pustulæ marcuerint, in curæ supplementum scripsi *potiunculam laxativam*. Lycaonis *Filiolus minimus*.

Rec. *Pulv. gial. n. resin.* ℈ß.
sir. d. cich. c. rb. ℥v. *aq. acac. parum.*
M. pro 1. dosi.

§. Æxuri *puellula* noctem quiete transegit. Interdum, etiam dormiens, aliquid sive cibi, sive potus, usque ad fauces ascendere, & violenter a puella rursum deprimi putatur. *Eructationes* arbitror inchoatas, non absolutas. Opus esse censeo *medicina laxante*, quæ tamen adhuc dilata. Æxuri *Filiola*.

§ Acteolus hodie super plateam mihi obviam factus referebat *de tussi ferina* duplicis suæ prolis. *Filioli* nempe & *Filiolæ*. Se (quippe *Medicinam* ipse exercet,) jam innumera sine ullo effectu, *becchica vulgaria*, usurpasse: puellam nil omnino assumere, metum quandoque *suffocationis* ambos incutere, tremere & convelli quasi artubus &c. *Tusses* pronunciavi *convulsivas*, non tam *becchicis* quam *spasmodicis* debellandas. Externa parum juvare. Intus mihi familiarem esse *pulvisculum ex speciebus diatrag. frig. cum specif. cephalico; it.* ℞*am. succini sassafrassatam. Gelatinas CC. & eboris* officium facere & *viscum quernum*, *decoctis* pro ordinario potu admixtum, juvare. *Magnesiam* denique *albam* cum *emulsione amygdalina* propinatam, acidum *spasmodicum* corrigendo & simul evacuando opitulari. Acteoli *proles*. *Tussis convulsiva*.

III. *Diesandræ ancilla. Vermes ex ore prodeuntes.*

§. Diesandræ *ancilla* nunc a longissimo tempore *lumbricos* ore rejicit vivos, cætera valens, appetens adque obeunda munia domestica impigra. Qui morbo laborant, cum *lumbrici* ex ore prodire incipiunt, brevi moriuntur & rarissime fatum elidunt. Sed hic alia res: attamen succurrendum. Gnomilegus *lumbricis* in stomacho quietam possessionem minime concedendam existimavit, sed eos identidem variis, cumprimis amaris, vexandos, ut sedem suam ingratiis relinquere cogantur. Laudabat inter alia *pulverem gentianæ* ab Agyrtis in usum *Hippiatrices* venundari solitum, cui admixtus est *pulvis sabinæ*, *pulverem* itidem *cardui sancti*, ac deniq; ternam vel binam deglutitionem *integri frustuli armoraciæ* recentis. Hæcque tria simul & frequenter voluit usurpari.

Craspedii *Filiola. Vesicator.*

§. Craspedii *Filiolam* triennem ex *dentitione febrientem* non adduxissem, nisi *Neopracticis* morem meum *vesicas*, quamdiu mihi commodum vel necessarium videtur, apertas servandi declarare proficuum existimassem, soleo nempe vesicas per *cantharides* excitatas deligare *emplastro de spermate ranarum*, cui pars quarta *emplastri vesicatorii* admixta; sic non coalescunt, vel sanantur vesicæ. Dum sanari volo, remoto hoc *emplastro*, deligari curo cerato de minio. Mater puellæ dixit, sibi adhuc esse *emplastrum vesicatorium* ante tres annos dono datum, nec opus esse, ut ex officina petatur. Dixi hæc *emplastra* ætatem non ferre: *Cantharidum* virtutem successu temporis evanidam reddi; quod probe notandum, & semper interrogandi *Pharmacopœi*, an dudum parata sint illa *emplastra*, nec ne?

Cellarii *Filiola. Febr. quot. interm.*

§. Cellarii *Filiola* a medicamentis d. 29. *Sept.* ordinatis brevi restituta, nunc a quinque diebus laborat *febricula quotidiana intermittente*; primo *horripilatio* levissima, hinc tussicula sicca, porro æstus etiam cum *delirio* conjunctus, denique *sudatiuncula*, hinc totalis *apyrexia*. Ante paroxysmum aliquoties oscitare comperitur. Durante æstu frequenter expavescit. *Dentitio* subest, nam & interrogata, ubi doleat, *maxillam* monstrat.

Rec. *Aq. fl. til. ceras. n. an.* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
pulv. marcb. ~⊖✳. *anis. an.* ℈j.
fir. jujub. ℥ß. *M. D. cochleatim.*

Ordinario potui immergatur in nodulo *pulvisculus* ex aa. *Mater. perlat.* & *CC. ust. ppt.* Tempore æstus *oxyrrhodinum* & *epicarpia* ex *emulsione externa.*

Hac

Hac decima nocturna ad me accurritur nomine Thrasonis, quem *potiuncula* Oswaldi ne semel quidem dejicere fecit; hinc angitur valde, & in intestinis rugitus dolorifici, in ventreque dolor tensivus magnus percipiuntur. Meliora promisi, dummodo reserata sit *alvus*. Ordinavi sequens: III. Thraso. *Colica vinosa.*

Rec. *Sir. de cichor. c. rh.*
ol. amygd d. rec. expr. an. ℥iß. *carv. gtt. vj.*
M. pro 2. dosib. nostro more sumendis.

Paretur etiam *suppositorium.* (d. 4. *Dec.*)

IV.

IV.

MErcurii matutina in ipso quarto gradu statio vesperi aliquanto inferior facta: Liquor *thermometri*, præ hesterno, humilior mane, vesperi versus medium tertii gradus profundius humiliatus. Nox nubila & frigida; Dies itidem frigidior, mane pluvia seminivosa: de die tenues subinde pluviolæ.

§. Non fefellit spes heri noctu Thrasoni facta; dimidio enim oleosæ *mixturæ* hausto soluta statim alvus erumpentibus simul flatuum manipulis. Pacatiora hinc omnia. Non omnis quiescit dolor, cumprimis autem *ardor in vesicali regione* adhuc percipitur. Jussi parare *emulsionem ex p. iij. amygd. d. excort. & p. j. sem. cucurb.* Hancque alternative cum *passulato* Horstii bibere; Nocte futura vero reliquum *oleosæ mixturæ* haurire; meque sperare dixi, quod *passulatum* alvum apertam sit servaturum. Thraso. *Colica vinosa.*

§. *Uxor* Fœnicidæ me convenit, & effectum medicamentorum d. 7. *Julii* ordinatorum valde prædicavit; Cum vero, instante nunc hieme, priscis symptomatis *uterino spasmodicis* denuo se tentari sentiat, prævenire velle eorum augmentum, ideo rogare, ut eadem pharmaca denuo præscriberem. Se venam jam jam secasse. Cum easdem querelas, quas 7 *Julii* protulit, eadem quoque remedia poscere judicarem, *pulverem* nempe & *tincturam* repetere nullus dubitavi, prævia sola *purgatione*, quam in *pilulis* consuetis dedi. Cum etiam de *obauditione* in *aure sinistra*, *susurrisq;* perpetuis quereretur, jussi mane aliquoties *granum mastiches* purum tamdiu masticare, donec sputum attrahi cessaverit, noctu vero *bombacem decocto herbæ card. bened. c. vino rubello facto imbutam* auri immittere, ibique retinere per totam noctem. Fœnicidæ *uxor.* *Melancholia hysterica.*

Oenologistis *Filius* (d. 19 *Nov.*) adhuc semel sustinuit paroxysmum *febrilem* satis atrocem, cum frigore, quale nunquam ante habuerat. Oenologistis *Filius.*

IV. buerat. Sed erat ultimus morbi conatus. Abinde, per DEI gratiam, ſucceſſive convaluit.

Pater. *Aſthma.* Patri *vinum medicatum* d. 11. *Nov.* præſcriptum, quoad *obauditionem* commodi multum attulit; nihilo tamen minus *aſthmate* ſe adhuc affligi queritur. Juſſi nonnunquam haurire cochlear 1. vel 2. *Oxymellis ſquillitici.*

Neritius. *Tuſſis.* §. Neritius per ea, quæ d. 23. *Nov.* ordinavimus, quoad tuſſim, multum profecit. *Pilulæ* præcipue de *cynogloſſa*, quas alternis noctibus aliquoties ſumſerat, omnem ea nocte *tuſſim* abegerant. Nunc equidem tuſſire non omnino deſinit, tuſſit tamen, ut quies concedatur, quæ corpori reficiendo ſufficiat.

Tithaſſi *Filiolus natu ſecundus.* Tithaſſi *Filiolus* a *mixtura* d. 2. *Dec.* ordinata notabiliter refectus fuit, ſic ut morti tunc proximus judicatus, ab eo tempore vires receperit, & convaliturus eſſe videatur. Quærebant, an non *mixtura* eſſet nimis calida? reſpondi, quod non, utque illam tuto propinare ne timerent.

Filiolus biennis. *Syncope cardiaca.* Filiolus natu tertius biennis hodie mane adhuc luſitans, vomitu ſubito corripitur, quo mediante ejiciebat pituitam bile mixtam cum *aſcaridibus* multis, quales etiam per ſedes albas pituitoſas prodierant. Sudor per totum Corpus (obeſum) fundebatur glaciei contra frigidus, vires adeo ſuppreſſæ, ut conclamatum eſſe rati adſtantes in omnibus angulis me quæritarent. Quum adveniſſem, *vomitiones* ceſſaverant, & puelli genæ vividiore denuo rubore pingebantur, ſed artus adhuc ſudore frigido madentes. Ego, fateor, vermibus rem potiorem detuli; &, cum ad medicamenta refractarius eſſet puellus, *materiam perlatam* in nodulo potui ordinario immergi volebam, & cochleatim exhiberi *mixturam*, vertice, nucha, temporibus, balſamo cephalico perunctis:

Rec. *Aq. gramin. fl. til. aa.* ℥ij. *epil. L.* ℥iij.
Bezoard. min. ℈ij. *ſir. fl. perſic.* ℥ß. *M.*

Æxuri *uxor. Ophthalmia ſicca.* §. Æxuri *uxor* nunc a diebus aliquot *ophthalmia ſicca* affligitur, cui *collyrium* ſuaſi ex *aq. roſ. pallid.* ℥ij. *tut. ppt.* ℈j. *aloës ſocot. gr. j.* Cum ſolutis laventur oculi, noctu ſuperimpoſita *gelatina ſem. cydon. c. aq. roſ. extr.* & *cum ovi albumine conquaſſato remixta*, *ſplenioque* affricta. (d 11. *Dec.*)

Salici *ancilla. Menſes dolorifici.* §. Salici *ancilla* per ea, quæ d. 19. *Nov.* ordinavimus, *a febri continua*, per DEI gratiam, ſenſim liberata convaluit. Nunc a me petit, ut contra *menſes dolorificos* aliquid præſcriberem. ſuaſi; ut appropin-

quante *menſium* circuitu *Dominarum aqua* cochleatim uteretur, ter in die ad 2. cochlearia, tamdiu, donec *menſes* ſat motos exiſtimaret: VI.

Rec. *Aq. meliſſ. Zedoar. aa. ℥iij.*
T℞. ſuccin. ʒj. eſſ. anod. ʒß.
ſir. artemiſ. r. ℥ß. M.

Si deſiit fluxus, reliquum aquæ ad futuros uſus loco frigido ſervetur. Hæc vel ſimilis in *menſibus dolorificis* mihi valde familiaris eſt.

§. Cum paroxyſmus *febrilis* apud Cellarii *Filiolam* præciſe prima pomeridie hora ingruiſſet, hodie tertia pomeridiana nondum ejus veſtigium apparuit. An plane ſit emanſura *febris*, adſeverare non auſim. Satis autem habeo, ſi paroxyſmus tardius advenerit, quod ſignum eſt, ſi non ſtatim, brevi tamen emanſuræ *febris*, raro fallens: Secus, ſi paroxyſmus anticipet, eſt indicium pabuli *febrilis* ad futuras incenſiones aucti. Juſſi cum *mixtura* pergere. Cellarii *Filiola. Febr. quot. interm.*

§. Legi litteras Helvetorum Scaphuſio huc miſſas. Laudabatur ibi Bernatium aliorumque prudentia, qui Reſpublicas Burgundiæ viciniores monebant, ut civibus & patriæ proſpicerent, ne *lues peſtifera* Burgundiones jamjam infeſtans, in ſuas ditiones ſerpat. Simile quid ſcribitur e Polonia, *peſtim* nempe jam etiam occupaſſe Frauſtadium & Liſſam, loca Luſatiæ vicina. Nobis occentum vo illud Poëtæ: *Luis peſtiferæ Serpigo.*

Tunc tua res agitur, paries quum proximus ardet:
DEUS clementer à nobis *avertat omne malum!*

§. Uſiæ *uxor* nondum ſentit, quem ſperat, a *pilulis* d. 2. *Decemb.* præſcriptis effectum. *Uterus* nimirum adhuc ſanguine fluit, quo non obſtante, ut in *pilularum* uſu conſtanter perſeveraret, monui. Uſiæ *uxor. Menſ. immod.*

§. Ephippi *Filiola* bene habet, (2. *Decemb.*) *variolæ* matureſcere incipiunt, ſine ullo pravo ſymptomate. Ephippi *Filiola. Variolæ.*

§. Puriduri *Filiolus* ſemper idem. (d. 21. *Novemb.*) Edit, &, quod eſt palmarium, *bibit, dormit*, hilaris eſt, triſtitiæ nusquam vola! Unum e *vulnuſculis* jam clauſum, alterum propediem claudetur. An tuto? nondum ſum certus; Interim tamen ſpero, *morſum canis* fato ſiniſtro cariturum, & jugem uſum *pulveris* d. 21. *Novemb.* ordinati ſuadeo, (d. 11. *Decemb.*) Puriduri *Filiolus. Morſus canis rabioſi.*

§. Tragelæi *Filia* (28. *Novemb.*) ſuſtinuit heri *febrilem* inſultum longe vehementiorem, quam usquam antea, cum frigore ſummo & ſequente non levi æſtu, ſic ut alium, quam hucusque credideram, Tragelæi *Filia. Feb. lent. tabiſ.*

Ooooooo typum

IV. typum *febris* assumtura, vel forsan emansura sit, cujus eventum in crastinum anxii præstolamur. Pergat in usu *medicamentorum* nuper ordinatorum, donec successu temporis alia indicentur.

Ephippi Filiola minor natu. Asthmatic.

§. Ephippi *Filiola* natu minor ab aliquot diebus *asthmatica* est, cum *alvo* tamen *laxa*. Suasi nuper, ut bis vel ter darent *sperma ceti*. Dederunt. Levamen nullum. Non obstante *alvo laxiore*, *purgans* tamen in crastinum ordinavi:

Rec. *Gial. n resin.* ℈ß. *sir. de cich. c. rh.* ℥ß.
∗. anis. gtt. iij aq. acac. ℥ij. *M.*
pro 1. *dosi.*

Puella est $\frac{5}{4}$ annorum, obesula. (d. 15. *Decemb.*

Euscopia. Dolor circa dextrum inguen.

§. Euscopia, virguncula 12. annorum, vultu roseo prædita, queritur de dolore circa *dextrum inguen* punctorio, cujus tamen foris nullum percipitur vestigium. Adest inappetentia, siticula. Non præcesserat *frigus*, neque externum, neque *febrile*. Flatulenti quid subesse ratus, ordinavi *mixturam*:

Rec. *Aq. chamom. menth. aa.* ℥ij.
mixt. simpl. ℨß. *bez. ♃al.* ℈j.
sir. chamom. ℥ß. *M.*

Præbeantur statim tria cochlearia, & noctu hora nona cum uno cochleari deglutiantur 2. *pilulæ theriacales* superhausto adhuc uno cochleari. Cras adservetur urina. (d. 5. *Decemb.*)

V.

V.

MAne Mercurius in tertia linea quarti gradus pedem fixam habens vesperi parum adscendit; liquor contra *thermometri* in medietate tertii gradus constitutus, vesperi parum descendit. Ante medium præteritæ noctis nix. (quæ prima hujus hiemis fuit.) Postea serenitas & frigus, per totam diem durans. Ante meridiem nix densa cecidit.

Campanella. *Asthma, pedum oedema.*

§. Campanella 74. annorum opifex, macilentus & olim vinosus, *asthmate cum tussi humida* jam diu laborat, &, quod maxime notandum est, post exscreationem plurimæ tenacisque pituitæ semper difficilius spirare incipit, quam ante illam, non obstante, quod sit *asthma sonorum* cum rhonchis, ut hoc asthma non ex congestione oriri videatur, sed potius vel ex *contractione* pulmonum *spasmodica*, vel spirituum paucitate, in corpore senili, quod ultimum mihi verosimillimum videtur. Per totam noctem inquietus est, multoties e lecto surgit, aërem hausturus fenestris accurrit, & varia delira loquitur.

tur. In exscreatione nil purulenti (nam ejecta materia in pelvim aqua repletam fundum non petit, quod alioquin est indicium puris, nempe, si fundum petat, pituitæ solius, si supernatet. Nec striæ visuntur sanguineæ. Pes alter usque ad genu *tumore œdematoso* sublatus. Principium *hydropis* adesse judico, quamvis perfectum *hydropem* quin vivus experiatur, valde dubitem. Spem convalescentiæ aut nullam aut valde dubiam esse, filiæ dixi, nec patrem violenter tractari posse, cum ætas & vires non ferant. *Decocti* haustus ter in die calide præbeatur: V.

Rec. *Spec. pro Dec. pector.* ℥iij.
rad. armorac. ℥ß. *herb. cochlear. mj.*
sem. nasturt. ʒj. *M.*

Conc. cont. coq. in mens. iß. aq. fontan. ad consumt ½ Colatura detur.

In quovis *asthmate* metuendo sumat *mixturæ* gtt. xxx. ex cochl. vini:

Rec. ⊖. *vol. oleos.* ʒiß. ℞æ. *croc.* ℈j. *M.*

Pectoris regioni *unguentum*:

Rec. *Ungu. pectoral.* ℥ß. 🜍. *camphor.* ʒij. *M.*

Potus sit *vinum & aqua panata* æquis portionibus mista. Frigidus potus caveatur. (d. 6. *Dec.*)

§. Phagœnus (d. 29. *Nov.*) vivendi finem fecit d. 1. *Dec.* Phagœnus.

§. Ornithorus sartor 26. annorum, jam quatuor *febris quartanæ* exquisitæ paroxysmos sustinuit. Frigus per bihorium durans, præviis *oscitationibus & pandiculationibus.* Hinc venit æstus adhuc tolerabilis, denique parva *ephidrosis.* Insultus vesperi hor. 3. ingruit. Admodum nuper redux e Sabaudia est factus. Dedi *emeto-catharticum* mihi consuetum; Hinc *pulverem*, cujus 3. cusp. cultri singulis quinque horis e quolibet vehiculo sumantur: Ornithorus. *Febris 4tan. interm.*

Rec. *Rad. gentian. cort. fraxin. an.* ℥ß.
⊖. *absinth.* ʒj. *elæosacch. caryoph.* ℥j. *M.*

Pulsibus, & quidem singulis 24. horis, applicetur *emplastrum ex an. pulv. fuligin. Zingib. & ⊖. comm. cum terebinthina subactis.*

Quærebat: *annon venam secare liceret?* Dissuasi, nec a *febribus intermittentibus*, primarum viarum potioribus incolis, indicari, quin, me multoties observante, paroxysmos *venæsectionem* immediate sequentes, atrociores esse solere, dixi.

§. Acropolitani *uxor* (16. *Junii.*) *dyspnœa* molesta laborat, qua levatum se iri sperat *pertusione venæ*: quærit, an hæc licita a tempore nondum longo gravidæ? Respondi. Si graviditas tertium mensem supe- Acropolitani *uxor. Dyspnœa.*

V. superarit, secari posse, sin minus, aliis medicamentis *dyspnœæ* occurrendum esse.

Notabile eam, humida *scabie* laborantem, illitu ex *unguento de cerussa* sibi consuluisse. Ego *dyspnœam* hinc arcesso.

Ab eo tempore, quo *vina lithargyriata* tragœdiam in *Ducatu* nostro luserunt, medicamentis fere *saturninis* omnibus, etiam externis, ubi continui solutio adest, non recte fido

Euscopia §. Euscopia noctem præteritam placide transegit, hodie tamen adhuc de *punctorio* dextri epigastrii *dolore* querens. Urina est, qualem esse convenit. Nondum dimoveor ab ætiologia flatulenta. Pergatur cum *mixtura* heri ordinata. *Unguentum* præterea scriptum, quo regio dolens, minimum ter in die, calide mulceatur:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥ß. *ol. lauri.* ℨij.
Ol. carv. ℈j. *M.* (d. 6. *Dec.*

Thraso. *Colica vinosa.* §. Thraso per totam noctem passus est vehementissimum *capitis dolorem* primo in sinistra temporis parte, hinc in dextram quoque se protendente. *Tormina circa umbilicum* plane sublata, dolor ardens in *pube* valde mitigatus. Urina succedit adhuc pauca, sed turbida & arenis albis refertissima. Virus *plumbeum*, quod suppono, totum genus nervosum perreptat. Nunc revocetur usus *pilularum* d. 2. *Dec.* ordinatarum & *capitis dolori* opponatur *emulsio nostra externa.*

Tithassi *Filiolus biennis. Syncope cardiaca.* §. Cum heri vix e domo Tithassi abissem, *Filiolus* biennis subito & ante extinctus est, quam *pharmaca* præscripta e *pharmacopolio* venissent. Post mortem statim corpus totum lividum. *Apoplexiam fortem* judicavi. *In morbis lumbricos per os prorepere, sudoresque frigidos esse, semper periculosissimum, utplurimum lethale.*

Alter Filiolus, præter opinionem, ex DEI gratia, convalescit.

§. Hac die, fortuna sic jubente, a tribus *Medicis* advolarunt litteræ, hunc *Eteodromum* maximam partem concernentes. Unas ediderat Excell. D. D. Mœllerus, Cameræ Imperialis *Archiater & Prof. Academ.* Giessensis. Præter abundantiam affectus amici, nil continebant; Alius autem, qui eas transmiserat, vir illustris, illius nomine monebat, ut cujuscunque ægri vitæ conditionem semper adjicere ne gravarer. Non enim eadem, morbo licet eidem opposita, medicamenta cujusvis conditionis homini congruere, adeoque *Lectorem* in errorem duci posse, v. gr. in *febri ordinando* monogrammo cuidam sartorculo, quod quadrato cuidam lanioni ordinaveram. Monitum hoc non esse floccifaciendum plane fateor. Unum autem est, quod

quod impedit, quo minus id ſemper fieri queat. Nempe, ſi vitæ conditio, v. gr. *Conſiliarii*, *Parochi*, *Senatoris* &c. ſemper adjiciatur, nomina eorum ſtudio ficta facilius intelligi, ſicque, quos in occulto manere præſtiterat, manifeſtari poſſunt. Fiet autem, quoties ab hoc metu ſecuri ſumus. Alteras dedit Excell. D. D. Keck, *Phyſicus* Heidenheimenſis; Tertias Excell. D. D. Zachmann, *Phyſicus* Durlacenſis, qui utrique nimium ſibi, *Practicisque Medicinæ* aliis de hoc noſtro labore promittunt. Intentionem certe bonam fovemus, reliqua DEI ſunt. Hic ultimus autem non immerito veretur, praxin meam laborioſam & alia negotia vix admiſſura, ut dictum laborem diu continuare valeam. Sed nec diu continuari neceſſe eſt, cum, ſi modo per triennium illi incumbere queam, non evitabo, quin multa, quæ jam in primo Anno occurrerunt, repetenda ſint. Sed, DOMINUS *providebit*. Alios potius me eruditiores & meliores *Practicos* provocabo, ut eadem eodem modo mecum tentare, ſicque *junioribus Practicis* meliorem normam agendi, quam quidem eſt mea futura, præſcribant. V.

§. Recordabitur *Lector* eorum, quæ, referente *Excell. D. D.* Keckio d. 17. *Julij* narravi de duobus fontibus in diſtrictu Heidenheimenſi, quorum unus prope Königsbronnam vocatur **Löhres Brunn** / alter in *valle eſurina* **der Hungers-Brunn**; &, quod de utrisque dicatur, illos non, niſi imminente annonæ caritate, ſcaturire &c. Hodie in ſupra allegatis litteris *D. D.* Keck ad me ſequentia: "Locutus ſum cum viris, qui terna experientia veritatem aſſertorum de" his fontibus ſe confirmare poſſe aſſeverabant. Id vero & ipſe teſta-" ri poſſum, me intra hoc, quo hic moror, quinquennium, de" Königsbronnenſi *fonte* nihil vel fando percepiſſe, cum tamen" illuc frequenter excurrere ſoleam, donec præterpropter ante quin-" que menſes eo profectus, mirarer, unde ſcaturiret incognitus mihi" rivus? (qui adhucdum fluit.) Quærenti reſpondebatur: *annonæ ca-*" *ritatem portendi*. De *fonte* autem *eſurino* ſcribere poſſum, eum ante" 3. ſeptimanas nondum ſcaturiiſſe: Et cum ruſticum ætate gravem," incolam pagi Heldenfingen, qui non procul a dicto fonte ſitus eſt," interrogaſſem: Cur præſenti ſatis caro tempore fons ille non ſcatu-" riat, cum alioqui in annonæ caritate ſcaturire perhibeatur? Ille re-" ſpondit: non ſemper *annonæ caritatem*, ſed & *bellum* in vicinia por-" tendi. Veritatem aſſerti corroborabat: Anno 1703. *Sideropolam*"

V. "Ulmensem, per *vallem esurinam* proficiscentem, conspexisse fontem "illum rivulo concitato manare, subridentemque dixisse, fabulam "sibi videri, quod de fonte dicatur; siquidem, eo jam scaturiente, pre-"tio vili frumentum ematur: Se vero, Rusticum, dixisse; bellum si-"gnificari. Cui alter: unde nobis bellum? sed exitum acta probas-"se, cum vix octiduo præterlapso exercitus Bavaricus Ulmam "occupando belli in illo districtu initium fecerit. Si quid de illo fon-"te ulterius audire gestis, proxime tibi nunciabo. Hactenus Excell. "Kekkius.

§. Excell. D. D. Zachmann promittit *Observationem* de singulari quodam *piscium*, præsertim *percarum fluviatilium*, morbo, quem forsan non sine ratione non nemo *Phthiriasin* dixerit. Promissis ubi steterit, eam communicare non prætermittam. (d. 25. *Dec.*)

Basileenses ob *luem pestiferam* omne commercium cum Burgundionibus sustulisse, idem scribit.

Fœnicidæ *uxor*. *Deliquia hysterica.* §. Fœnicidæ *uxor* a *pilulis* hesternis decies evacuata & hodie non admodum male habens, *pulverem* bis assumsit, hac nocte autem circa horam octavam *deliquia hysterica* satis atrocia patitur. Culpam in *pulverem* frustra conjicit, quo mense *Julii* tanto cum emolumento usa est. Suspicor potius vel *refrigerationem* hesternæ *purgationi* minus congruam, vel aliud quid mihi incognitum & subdole occultatum in culpa esse. *Liquor CC. succinatus* naribus admoveatur, cochleatim vero præbeatur *mixtura*:

Rec. *Aq. meliss. rut. aa.* ℥iß.
hirund. c. castor. hyster. offic. aa. ℥ß.
elix. uter. Cr. ʒij. *ess. anod.* ℈ß.
sir. artemis. r. ʒiij. *M.* (d. 6. *Dec.*)

VI.

VI.

MAne Mercurius, qualis heri noctu, hac vespera super tres lineas usque ad medium fere quarti gradus adscendit, liquor autem *thermometri*, qui mane fere ad secundum gradum descenderat, talis per diem mansit. Noctis pars prior fuit serena & frigida, posterior nivosa. Mane nix densissima cecidit, reliquum diei serenum, sed valde frigidum.

Fœnicidæ *uxor*. *Hysterica.* §. Hodie mane Fœnicidæ *uxorem* ipse visitavi. Narrabat, se heri mane statim ab assumto *pulvere* pejus habuisse, anxietatem sensisse

sensisse circa præcordia, *oscitationes* & *pandiculationes* multas passam, torminibus fuisse vexatam, alvum dejecisse; & cum hæ molestiæ parum conquievissent, a vespertina *pulveris* assumtione statim atrociora facta; insecutum *horrorem febrilem* valde intensum, dejectiones multas, quasi ab hausta denuo *purgatione*, atque hinc *deliquia hysterica*, quæ tamen ab usu *hesternæ mixturæ* mitigata quidem fuerint, noctem tamen ob dejectiones plures insecutas fuisse valde inquietam: Eundem esse *medicamentorum*, qui mense *Julio* fuerat, Colorem, Odorem, Saporem: se nescire cur effectus, olim tam optatissimus, nunc sinister esset. Respondi, *fallaciam caussæ committi*; non esse hunc *medicamentorum* effectum, sed in visceribus diu latuisse *miasma febrile*, quod nunc demum occasionem nactum sit, in nervum erumpendi. Alio modo rem esse tractandam, & pharmaca d. 4. *Dec.* ordinata paulisper seponenda. Non esse, quod metuat periculum. Videri mihi, quod *febris intermittens* tyrannidem meditetur. Pulsum esse bonum, calorem hodie præternaturalem nullum &c. Ordinavi 2. *pulveres* ante- & pomeridie ex quol. vehiculo sumendos: VI.

Rec. *Bez.* ♃*al.* ♁. *nat. ppt. aa.* ℈*j.*
ther. cœl. gr. ij. M. F. 2. pulv.

Et cum *de dolore* quodam *punctorio* hypogastrii sinistri etiam querelas agitaret, flatuum incarceratorum agmini eum adscribens, simul imperavi inunctionem calidam cum *unguento de hyosc.* cui tantillum *olei carvi* admixtum. Dies hæc fuit omnino tolerabilis. Jussi pergere cum reliquo *mixturæ hystericæ*, & in crastinum urinam adservare.

§. Campanella noctem habuit valde inquietam; *asthma* auctum, & *deliria* multa. Mane eum visitans comperi circa suras utriusque pedis a longis jam temporibus *ulcera manantia*, ante 3. septimanas sua sponte sanata fuisse, secuto statim *asthmate & tumore pedum* usque ad genua. Vestigia ulcerum super tibiis adhuc visebantur. Dixi, *fonticulos* quasi naturales fuisse, sanguinis impuritates illuc deponi solita, oppessulata janua residuos, stagnare, fluido vitali reaffundi, cum ipso confundi, tumorem pedum, *asthma, tussim* excitare: optandum esse, ut pedes rursum *exulcerarentur*. Cum hesternis medicamentis, ut pergerent, volui; simulque scripsi *mixturam* cochleatim præbendam: Campanella. *Asthma. Pedum œdema.*

Rec. *Aq. farfar. hyssop. aa.* ℥*iij.*
Cinnam. buglos. ℥ß. *asthmat.* ʒ*ij.*
[symbol]. anis. ℈*j. conf. alk.* ʒ*j.*
Sir. fl. tun. ʒ*ij. M.*

Vesti-

Veſtigiis *ulcerum* prurientibus imponere juſſi *emplaſtrum regium* Burrhi. Quod pulſus celer eſſet ac ſimul intermittens, denunciavi periculum Adſtantibus. Brevi morietur.

VI.

Æxuri *Filiola.* *Narium obſtructio.*

§. Æxuri *Filiolæ*, quantum ad *Colicam ſpasmodico-flatulentam* iterum melius habenti, ad *narium obſtructionem* expediendam ordinatum *elæobutyrum majoranæ.* (d. 10. *Dec.*)

Euſcopia *Appetitus diminutus.*

§ Euſcopia noctem placide transegit, *dolor hypogaſtrii ſiniſtri* non equidem plane abolitus, remiſſior tamen. Et cum ſolito minus appeteret, ſine tamen ulla *febrili* nota, ſtomachum, neſcio unde, debilitatum eſſe judicans, ordinavi *elixirium*, cujus gutt. xxv. mane ex jusculo, totidemque pomeridie ac noctu ante ſomnum ex cochl. vini ſorbeantur, non neglecta ſimul loci affecti unctione.

Rec. *Tinct. propriet.* ℥ij. *eſſ. anod.* ℈j. *M.* (d. 7. *Dec.*)

Niſſetus. *Cephalalgia.*

§. Niſſetus *Cephalalgiam* per cucupham d. 28. *Nov.* præſcriptam nihil omnino mitigari ſenſit, donec meo ſuasu capillos omnes novacula abradi paſſus eſſet, nunc longe remiſſior *dolor*, ſive quod per abraſos capillos per ſe remiſſurus fuerit, quod non incredibile, ſive quod cucuphæ virtus nunc magis penetret. Potiorem autem doloris cauſſam officina removere nequit, *curas* nempe & *meditationes* in ardua, ſed multis confuſionibus implicata, functione.

§. Diſcurſus inter Niſſetum & me natus de *oviam* in his diſtrictibus quadam lue. Dicebat ipſe, in *Comitatu* Hohenlohico ante compluſculos annos totum gregem e ſexcentis ovibus conſtantem infectum fuiſſe, ſic ut eſſent echinoſæ, & pulmones tabidi. Rationem initam, quid cum grege faciendum? Oves mactatas, carnes fumo pro conditura expoſitas, nundinatoribus poſtea caſtrenſibus venundatas, & ab aliis impune comeſtas fuiſſe. Non diffiteor, conditūram illam characterem morboſum, in *humoribus* magis, quam carnium parenchymate hærentem, ſi non funditus delere, ſic tamen alterare poſſe, ut ſine ſanitatis diſpendio (in quantum tale quid de carnibus fumo induratis prædicari poteſt) comedi queant. Humidum enim, quod in elixatione & aſſatione carnium ſui maxima parte remanet, per toſtionem illam & infumationem ita propellitur, ut, præter *parenchymaticarum* carnium fibras atque tomenta, reliquum fere nihil maneat. Utut vero ſit, malim tamen ego carnes fumo conditas, quæ fuerant ſani animalis, quam quæ morboſi, comedere.

Inter

Inter *scabiosas oves* Laniones differentiam ponunt, illas nempe vescas esse, quæ tantum in dorso *scabie* florescunt, non item, quæ intra coxas, & in cauda. Nescio, quo fundamento stet illa differentia. Id tamen facile concesserim, non omnes oves *scabiosas* æque esui ineptas esse. Cum enim *scabies* interdum e sola sanguinis *salsugine* oriatur, nec ultra cutim penetret, ablata cuti, carnibusque aqua probe lotis, oves illæ in haut admodum insalubre nutrimentum cedere possunt. Secus autem res habet in *scabie maligna*, *lepræ* simili, quam, cum determinare Lanio non possit, *Medicum* non deceat, longe tutius fuerit a *scabiosis ovibus* penitus abstinere. VI.

§. Rogatus sum, quid mihi videretur de Sylvii Bocconis sententia de *manna* Calabrina, quam habet in *Observationum curiosarum secunda p. m. 32. seq.* Ubi, secundum mentem Blasii de Rossi, *Medici & Philosophi* Calabri putat *mannam* in se continere graves & noxias particulas, *diagrydio* similes, & præcipue *manna* senescente, gravi spissaque reddita, se manifestantes. Et porro ratiocinatur, particulas aëreas volatiles, vehiculum particularum resinosarum *purgantium* in *manna*, successu temporis evolare, *resinosis* solis relictis, quæ ultimæ stomacho & intestinis sint infestæ. Allegat quoque ex *Ephem. Nat. Curios.* sine notatione *Anni & Decadis*, quendam a duabus unciis *mannæ* assumtis plusquam quinquagies dejecisse, eademque die mortuum esse: Indeque concludit, *mannam* ultra biennium ætatis habentem, subtilibusque particulis *nitri aërei* privatam, *officinis* exigendam. Non vacat in *Ephemeridibus* historiam quærere. Lethalem quidem hypercatharsin a *manna* in puerpera fuisse excitatam Velschius quoque *Cent. I. consf. 89. p. 121.* recenset, sed addit *mannam scammonio* adulteratam fuisse. Respondi ego, mihi vix verisimile videri, quod ejusmodi noxæ a *manna* Calabrina pura, etiam annosiori, sit expectanda. Cum enim ista Bocconis de *particulis nitro-aëreis volatilibus mannæ* hypothesis tantum præsupponatur, & fortasse nondum adeo sit liquida, multas in *superiore* Germania, immo plurimas esse *officinas*, in quibus *manna* duobus annis vetustior adservetur, omnium paucissimas, in quibus recentior. Quis enim *Pharmacopœorum* certus esse potest, quamdiu *manna* Francofurto petita hæserit in *Aromatarij taberna*; & ille ipse *aromatarius*, quamdiu in *Mercatoris* Amstelodamensis Conditorio? Vidi enim *mannam* Calabrinam selectissimam tres ferme annos adservatam colore, sapore, odore, eandem,

qualis erat pronuper ex Hollandia *advecta*. Jam vero, si hæc mala a
VI. *manna* per biennium adservata, juxta mentem Bocconis, oriri solerent, certe plura longe exempla *hypercatharsium e potionibus mannatis* audiri deberent, atque communiter audiuntur, sic, ut mihi, *Practico* veterano, ne unicum quidem sit notum. Immo, si adsunt ejusmodi particulæ (D) *aëreæ volatiles*, cur non citius biennio e *manna* se proripiant? nulla, ne quidem probabilis, est caussa.

Thraso. *Colica vinosa.* §. Thraso bene dormivit. Cephalæa remisit. *Dolor in ventre* & circa *pubem*, item in artubus fere nullus; urina tantum parcius adhuc, quam par est, succedit. Appetitus redit. Convaliturum credo, quamvis *vinum lithargyriatum*, si quod, uti suspicor, hausit, sui semper vestigia relinquat. Immo famulum ipsius, de quo supra, vinum ejusmodi, eodem in loco, quo Magister, bibisse, indeque extitisse ipsius *colicam & iliacam passionem*, sum persuasissimus. Pergat cum *pilulis*, donec consumtæ fuerint. (d. 8. *Dec.*)

VII.

VII.

Mercurius præterita nocte parum, hodie vesperi usque ad quartum gradum subsedit; Liquor *Thermometri* descendit infra secundum gradum & in ea statione per totam diem mansit. Nox fuit serena & intense frigida, dies æque talis, & præ gelu fumosa quasi. Frigus magis intensum hac hieme non fuit.

Ephippi *Filiola, natu major & minor.* §. Ephippi major natu *Filiola*, per DEI gratiam, plene convaluit, nec superest, quam ut more nostro, *laxetur*.

Minor natu a *purgante* d. 4. *Dec.* ordinato sexies alvum deposuit, & ab eo tempore multo liberius spirat, ac vegeta est.

Fœnicidæ *uxor. Hysterica.* §. Fœnicidæ *uxor* sensim vires colligit, noctem habuit sati quietam; Ante solis ortum *oscitavit* rursum & *pandiculata* est crebrius sed nullo cum frigore, aut alio *febrilis* paroxysmi indicio, sic auten & *hystericæ* solent. Urina frigore turbata sedimentum *febrile lateritium* non ostendit, sed *album* aliud ac *pituitosum* crassum copia sat larga Interrogata, *num ex lumbis doleret*? Respondebat, quod sic. Re *nes* igitur non satis valere conclusi. Cum de *febre* tutus essem, *mixtu ram hystericam* nudius tertius ordinatam repetere jussi, deinde cur usu *pulveris* & *tincturæ* d. 4. *Dec.* ordinatorum continuare, non enim esse metum, ut ex illis denuo male habitura sit. *Renibus*, quum v res integras recuperaverit, prospectum iri. (d. 22. *Dec.*)

§. Arcto

§ Arctoæ *Filia* 14. annorum, jam a triennio *mensium fluxum* ordine suo experta, nunc a triduo de *dyspnœa* insigni, *capitis & oculorum dolore*, *inappetentia & lassitudine* queritur. *Menses* rite *fluunt*, non adsunt *phlogoses*, nullæ horripilationes, nulla sitis, nulla *cordis palpitatio*. Igitur hæc omnia stomachi, forsan a cibis nimium gravati, vitio contigisse judicans, propinari jussi scutellam *aqua menthæ* calida, *saccharata*, plenam, interim scribens formulam talem: VII. Arctoæ Filia. Inappetentia.

Rec. *Aq. menth.* ℥iiij. *Zedoar.* ℥ij.
hirund. c. castor. mastichin. aa. ℥ß.
⊖. *vol. oleos.* ʒj. *Rx. croc.* ℈j.
sir. menth. ℥ß. *M.*

Detur cochleatim; ac ter in die præbeantur guttæ xxx. *Elix. balsam.* ex quolibet vehiculo. Sed ab *aqua menthæ saccharata* statim levamen sentiens, formulam *officinæ* inferri noluit. Assensus sum hac vice, & noctu dictam aquam denuo haurire jussi.

§. *Pilulæ* sunt consumtæ, *uterus adhuc sanguine manat* apud Usiæ *uxorem*, imò heri hodieque fere auctus fuit ille *fluxus*. (d. 4. *Dec.*) quo non obstante, ab *opiatis*, & *validis adstringentibus* abstinendum esse decrevi, quamdiu adhuc frusta coagulata, grumique sanguinis prodeunt; Ne his temere in utero vel cervice ejus retentis pejora mala, sicut apud Cusani *uxorem*, orirentur. Præscriptus igitur fuit *pulvis*, cujus ter in die quatuor cuspides cultri per se sumantur: Usiæ uxor. *Hæmorrhagia uteri.*

Rec. *Sang. Drac. ver.* ·🜄·. *catechu.*
bol. arm. ppt. Coral. r. ppt. aa. ʒj.
ol. nuc. mosch. expr. gr. v. spec. diatrag. fr. ʒij.
sacch. rosat. tabulat. ℥j. *M. F.* ♀. (d. 8. *Dec.*)

§. Euscopia meliuscule vivit, quamvis ab omni *dolore* nondum immunis. Pergat cum *elixiri*. (d. 8. *Dec.*) Euscopia.

§. Regenotti *uxor* (d. 21. *Octob.*) de molesta *vertigine* querelas agit, conjuncta cum capitis gravitate, præcipue matutino tempore, & antequam aliquid cibi assumsit, quo assumto pacata omnia. Gravitas illa capitis conjuncta est cum susurro, *coryza* ac oculorum dolore. Cerebro simul & ventriculo opitulandum esse ratus, ordinavi *apophlegmatismum* in forma *pulveris* nodulo masticando inclusum, quales a me jam aliquoties descripti. Masticatio fiat mane jejuno corpore, post quam assumantur 3. cuspides cultri de tali *pulvere*, cujus quoque assumtio pomeridie tertia hora & noctu ante somnum repetatur per se: Regenotti *uxor*. *Vertigo.*

VII. Rec. *Spec. diacret. Mynſ.* ℥ß.
♁ *nat. ppt.* & ♁ *rectif. aa.* ʒß.
C. alc. philoſ. ʒj. *elæoſacch. mac.* ʒvj. *M.*

Craſpedii *Filiola. Tuſſis.* §. Craſpedii *Filiola* (4. *Dec.*) ſenſim vires recuperat, quamvis ultimi *pulveris* vix mica propinari potuerit. Nunc maxima querela eſt de *tuſſi, aſthmate*, & ſuperſtite inappetentia. Puella eſt obeſa. *Purgatione* opus eſſe judicans, ordinavi *mixturam pro* 1. *doſi*:

Rec. *Pulv. gial. n. reſin* ℈ß.
ſir. de cich. c. rh. ℥v. *M.*

Pectuſculum calide unguento pectorali ter in die delibuatur, & inſuper *cepæ albæ in oleo lini frixæ*, linteiſque incluſæ, pectori ſæpe calidiſſime imponantur.

Nictatrix *Tuſſis.* §. Nictatrix 18. annorum puella, jam d. 25. *Sept.* conqueſta fuit de *aſthmatico* quodam affectu, ſed *purgante* tunc ordinato non eſt uſa. Interrogata, dixit, ſe averſari medicamenta. Interim *aſthma* erupit in *tuſſim ſiccam* valde moleſtam. Ter in die 40. gutt. *mixturæ* ſumantur ex juſculo calido:

Rec. ⊖. *vol. oleoſ.* ∽ *cochlear. aa.* ʒiß. *M.*

Cochleatim præbeatur, quod ſequitur:

Rec. *Aq. veron. hyſſop. an.* ℥iij.
∽⊖✳. *aniſ.* ℈ij. *Ræ. croc.* ℈j.
ſir. de eryſim. ℥ß. *M. D. cochl.*

Bibat ordinarie *paſſulatum* Horſtii. (d. 9. *Dec.*)

Architecti *uxor. Tinea capitis a fonticulo conſolidato.* §. Architecti *uxor* 50. annorum *eryſipelatoſis* affectibus ac defluxionibus valde obnoxia, *fonticulum* ſibi fieri curavit in altero brachio, ſed cum ligaturam ſtrictiorem vel pati nollet, vel non poſſet, *fonticulus* loco ſemper ceſſit, & alibi, quam poſitus erat, conſolidatus denique fuit, cum eum per aliquot annos geſtaſſet. Ab eo tempore caput exeditur quaſi puerili *tinea*, ſumma cum moleſtia. Dixi vicarias hanc *tineam* operas præſtare *fonticulo*. Per coalitionem enim *fonticuli* humores illinc effluere ſolitos, janua clausa, in corpus remeaſſe ſibique tamen exitum, & quidem in capite, quæſiſſe & inveniſſe, proinde *tineam* nunc fonticuli vicem præſtare, nec temere ſanari poſſe vel debere. Tentandum, quid poſſit *veſicatorium* alteri brachio applicatum, quod deligatione cum part. 3. *empl. ſperm. ran.* & part. j. *emplaſtri veſicatorii* per 14. dies apertum ſervandum. *Topicis* non eſſe locum, & niſi *veſica*, de quo tamen ipſe dubitem, officium fecerit, novum omnino *fonticulum* excitandum eſſe.

VIII. Mer-

VIII.

MErcurius mane usque ad medium quarti gradus descenderat, talisque per totam diem remanserat, liquor *thermometri* mane idem, qui heri, vesperi tamen aliquantillum adscendit. Nox fuit turbida, non æque, quam prior, frigida, nix in plateis aliqua sui parte liquata in glaciem abiit, unde per hanc totam diem strata non sine labendi periculo calcabantur. (Es war glatt Eis) Tota dies hesterna temperatior erat, nivesque in domorum tectis liquescebant. VIII.

§. Induciæ apud Thrasonem, non pax. (6. *Dec.*) Alvus a biduo constipata, *tormina* heri redierant cum *borborygmis*, fluxus urinæ tardus & cum ardore. Noctu, ne mihi molestiam parerent, *mixturam* oleosam d. 1. *Decembris* ordinatam ex *officina* repetierant, sperantes fore, ut idem, qui nuper, effectus sequeretur. Sed frustra. Hodie mane *mixturam* præscripsi, cujus singulis bihoriis cochlearia tria exhibeantur: Thraso, *Colica vinosa.*

Rec. *aq. carv. anis. an.* ℥iiß.
carminat.
sir. de cich. c. rh. an. ℥i. *M.*

Clysterem injici curavi ex aa. *Crem. hordei & ol. lin. c. fuligine,* ⊖*e.* & *butyro*, quod pomeridie hora prima factum. Cum ipsum hora 4. visitarem, *clyster* nondum operatus erat. *Vomuerat*, sed meram pituitam. Ructat, sed solum nidorem. Pulsus est plenus, nec justo celerior, spiratus liber. Jussi duo *suppositoria*, *glandes* puta *melleos* ex officina petere, unum butyro oblitum statim applicare, alterum hora post una, si prior officium non fecerit. Vinum petituri de eo, quod nobis suspectum videbatur, nil sumus nacti, jam enim omne consumtum erat. (d. 9. *Decemb.*)

Asportabatur mihi Ponargi *Filiola* ¾ annor. quæ respirando sic stertit jam ab aliquo tempore, ut præterita nocte *suffocationem* proximam esse judicarint. Obesus est infans & appetit. Quæsivi, num lactaretur? Respondit mater, quod sic. An dentes haberet? Rec. jam sex. An alios quoque cibos comederet? R. omnis generis. An excrementa alvi (quæ liquida reddit.) acidum spirent? Aff. An lac interdum revomeret? Aff. An istud lac coagulatum sit? Aff. Pituita acida puellam abundare & purgandam esse dixi. Nil Medicinæ admittere regestum. Aliam non dari viam reponens, ordinavi *laxativum*: Ponargi *Filiola. Asthmatica.*

Rec *Pulv. gial.* ℈ß. ⊖✳. *anis. gtt. iij.*
sir. de cich. c. rh. ℥ß. *M.*

Propinetur una vice quovis practicabili modo.

VIII. Pectusculum *unguento pectorali* ☊⊖✳. acuato frequenter mulceatur. Commodissimum tempus infantes *ablactandi* est *dentium eruptio*, quæ in aliquibus nunc maturior, nunc tardior. Tunc enim natura alios, eosque varios, cibos appetit, quorum aliqui sunt ita comparati, ut ipsis cum lacte quam minime conveniat, quod inde coagulatum varias parit molestias.

Adiocomus. §. Adiocomus, vir pauperculus, aurigando victum quæritans, 46. circ. annorum a bimestri *febri quartana intermittente* laboravit, *Medici* legitimi nullius ope usus. Cum per octiduum plane decubuisset, etiam diebus *apyretis* d. 6. *Decemb.* subito totam faciem e nigro-cœruleo colore (nostri vocant **Pfannenblau.**) fœdatus fuit: Sed & hic color occupavit totum brachium dextrum fere usque ad carpum; difficilis respiratio. Interrogatus de *venæsectione*, τάσιν aliquam sanguinis e relatis (nam, ut ipsum ægrum adirem, tunc nemo petebat.) judicans, e mediana sinistri ad ℥vj. concessi, & quomodo inde habiturus sit, ut mihi nunciarent, petii. Nemo venit, usque in diem hodiernum. Adeo ægrum. Aspectus fere horridus. Facies, excepta sola, sed & hac intensius picta, fronte, quasi cruore oblita. Brachii dextri ab humero usque ad carpum non æque continua nigredo, sed maculæ innumeræ ex nigro fuscæ & horridæ. Pulsus erat magnus & æqualis. Loqui poterat, ratione pollebat. Artus movebat, tametsi dextrum brachium minus prompte. Spirabat equidem non admodum leviter, sed nec ita, ut vel *dyspnoicus* vel *asthmaticus* dici mereretur. Appetebat, non valde sitiebat, urinam & alvum reddebat, adeo tamen languens, ut solus promovere gradum non posset. Sanguinis nulla usquam profusio, neque per nares, neq; screatum, neq; alvum, neq; urinam. Nusquam venæ visebantur *varicosæ*. Interrogatus, an alicubi in pectore vel alio loco, post nisum in labore fortiorem, audiverit rupturam, an pulsatorium quid? negavit, imo, ne cor quidem nimium pulsare dicebat. Igitur nec *polyposi*, nec *aneurismatici* quid præsto est. Quamvis ex hac tanta *ecchymosi*, quæ pedem *erysipelate* fœdatum, & exulcerandum referebat, stagnationem quandam sanguinis supponerem, attamen, qualis nam hic esset affectus, determinare non poteram Interim resolventibus hostem aggredi decrevi. Cochleatim capiatur *mixtura:*

Rec. *Aq. chærefol.* ℥iiij. *plantag.* ℥ij.
elix. mum. Claud. ʒj. *sir. card. ben.* ℥ß. *M.*

Ter in die 3. cusp. cultri de *pulvere* ex jusculo sumantur:

Rec. *Oc.* ♋. *crud. cont.* ʒij.
asell. ppt. lumbr. 🜄 *str. ppt.*
♂. *diaph. lap. hæmat. ppt. aa.* ʒj. *M.* (d. 9. *Dec.*)

Eu-

§ Euſcopia nondum appetit. Mitigatus tamen dolor notabiliter. Pergat cum *elixiri* (d. 9. *Decembr.*) VIII. Euſcopia

§ Uſiæ *uxor uterum* heri & hodie magis quam unquam *fluere* queritur, caput inde ac artus debilitari, appetitum dejici. Petit, ut ſiſtentia validiora propinarem. Non lubens aſſentior. Pro hac tamen nocte ordinavi *pilulas*: Uſiæ *uxor. Menſ. immodic.*

Rec. *Extr. torment. gr.* iij.
Papav. c. ther. cœl. aa. gr. ij.
M. F. 7. *pil. pro* 1. *doſi.*

Cum *pulvere* tamen pergendo. (d. 9. *Dec.*)

§. Melodidaſcalus (d. 28. *Nov.*) hactenus non ſine emolumento Θ. *viperarum Italicarum volatile* uſurpaſſe viſus eſt. Ante biduum vero rurſum immani *dentium dolore* correptus, tumefactis gingivis & labiis miſere degit, & cibi ſolidi nihil, imo jurulenta, ipſumq; potum ægre deglutire poteſt. Hodie mane dens iterum *cauterio* tactus, ſed ſine dolorum remiſſione. Quod aliquoties jam dixeram, nunc repetii, nempe firmam quietem non eſſe ſperandam, niſi *dens* evelleretur. Promiſit evulſionem, quamprimum dolor ceſſaverit, tumorq; reſederit: promiſerat ſæpius. Sed ita comparatum eſt, cum iſtis, qui ſunt *odontalgiæ* obnoxii, ut, cum acerbe dolent, evulſionem ejusmodi ſancte promittant, evanido rurſum dolore, promiſſorum obliviſcantur. Suaſi pro nocte futura *olei amygdalar. d. calidi*, cui nonnihil *eſſent. anod.* remixtum, cochlear unum & alterum in ore tenendum & rurſum exſpuendum. Foris autem applicari volui toti maxillæ *emplaſtrum de meliloto.* (d. 9. *Dec.*) Melodidaſcalus. *Odontalgia.*

§ Bigneti *Filiolus* (23. *Nov.*) hactenus pancratice valuit, usq; ad hodiernum diem, ubi *convulſionibus epilepticis*, quamvis non diu durantibus, exercitus fuit. Mater ad iram aliquoties percita ſine dubio eſt in culpa. Bigneti *Filiolus. Convulſiones.*

Rec. *Magnes. alb.* ℈j. *margar. ppt.* ℈ß.
M. F. 2. ♀*es.*

Unus detur ſtatim, alter cras mane, utrique cum ſequenti vehiculo, etiam ſeorſim ſumendo:

Rec. *Aq. fl. til. rut. aa* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
conf. alk. c. ʒj. *ſir. fl. pæon.* ʒij. *M.*

Vertici, nuchæ, temporibus *balſamum cephalicum*, & *emplaſtrum theriacale* fontanellæ capitis ac ſcrobiculo cordis. (d. 9. *Decemb.*)

IX. Qui

IX.

IX.

QUi mane quartum gradum una rurſum linea ſuperaverat Mercurius, veſperi dicti gradus medium aſſecutus eſt, adeoque nocte præterita per tres, & intra *nycthemeron* per quatuor lineas adſcendit, ſignum ſecuturæ ſerenitatis. Liquor *thermometri* mane ſecundum gradum occupavit & retinuit. Nox & dies ſerenæ ac temperatæ; tecta domorum nivibus liquefactis manabant.

Thraſo. *Colica vinoſa.*

§. Thraſo mihi ſane quam multum negotii faceſſit. Maledictum ſit illud *lithargyrii artificium, a myriotechnite Diabolo* ſine dubio inventum. Duo *ſuppoſitoria* heri ſucceſſive applicata nil effecerunt; Applicatum fuit tertium, quod denique nil, niſi ſolum clyſma, allexit. Tota nox inquieta, nec ſedere, nec cubare vel per parvum temporis ſpatium poterat; *Anxietas* erat circa præcordia. Mane *clyſterem* fieri curavi ex *Dec. hordei cum oleo lini*, ⊖*e & fuligine*, addita *unguenti Clyſmatici & ol. colocynth. aa.* ℥j. Singulis 2. horis accipiantur tria *mixturæ* cochlearia:

Rec. *Mann. calabr. pur. ol. amygd. d. rec. expr.*
ſir. roſ. ſolut. aa. ℥ß.
Sperm. cet. rec. ʒj. *diaph.* ♃*al.* ℈ij.
Conf. alk. c. ʒj. ⊖. *C. C. vol.* ♁. *nat. ppt. aa.* ℈j. *M.*

Regio pectoris & ſtomachi *linimento* calide ungatur:

Rec. *Ungu. anod.* ℥j. *balſ. peruv.* ʒß.
ol. ſcorp. ʒij. *carv.* ℈j. *M.*

Pomeridie hora 2. *Clyſter* nondum redditus erat, nedum alvus, vel unicus flatus. Imo ne conatus quidem erat ad deſidendum. Juſſi denuo infundi *clyſterem* ex *crem. hord. ol. lini, fuligine,* ⊖*e & thereb. in ov. vitell. ſol.* ℥ß. Qui bis alvum movit, ſed ſine flatu vel excrementis, redeuntibus ſolis *clyſteribus*. Anxietas ſub noctem augetur cum dolore ventris, & ipſe ſtomachi regionem tumere arbitratur. Vires minuuntur. In evacuatione proram ac puppim ſalutis eſſe ſitam ratus, non tamen auſus fui *purgantibus* internis Naturam magis laceſſere, ob metum *contractionum ſpasmodicarum* in inteſtinis, & forte *convulſionum* oriturarum; Hinc *lubricantibus anodynis* inſiſtens ordinavi *mixturam oleoſam* binis vicibus, ſed ſaltem dimidiæ horæ intervallo, hauriendam, ne ſimul præbendo *vomitum* excitarem:

Rec. *ol. amygd. d. rec. expr. ſir. papav. a. aa.* ℥ij. *M.*

Viribus hac nocte reficiendis, cochleatim ſumenda deſtinata *mixtura*:

Rec

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *ceras. n.* ℥ii. IX.
conf. alk. c. ʒi. *sir. cinnam.* ℥ii. *M.* (d. 10. *Dec.*)

§ Bigneti *Puellus* dimidium noctis sine *convulsionibus* transegit; quæ postea vicibus aliquot redierunt, nunquam tamen diu durantes. Jussi ter in die exhiberi 4. guttulas *liq. C.C. succin.* ex *mixtura* heri ordinata, spinamque dorsi aliquoties inungi *linimento*: Bigneti *Puellus*.

Rec. *Ungu. nervin.* ℥ß. *ol. rut. castor. aa. coct.* ʒij.
ol. succin. ℈j. *balf. peruv.* ʒß. *M.*

Vesperi tenellum visitatum rediens comperio paroxysmis quaternis hac die *convulsum* fuisse. Jussi pergere cum omnibus, *liquore CC. succin. Mixtura, balsamo, unguento & emplastris theriacalibus.* Bonum est, infantem adhuc mamillam exercere pulticulasque comedere.

Dictum inter alia, puellum hunc esse nimis obesum, & infantes obesos plerumque, si ægrotant, periculosius decumbere: Mulier quædam adstans se observasse narrabat, infantes circa *plenilunium* natos præ aliis habitiores fieri. Dubito, remque hypothesi non admodum firmæ inniti censeo. (d. 10. *Dec.*)

§. Adiocomus hodie mane huic mundo A DIO dixit. Quid monstri alat ista tam horrenda *ecchymosis*, die crastino culter anatomicus deteget. (d. 10. *Decemb.*) Adiocomus.

§. Nictatrix (7. *Dec.*) a nuper ordinatis nihil omnino se levatam ensit: *Tussis* sicca valde vehemens, cum *asthmate* sonoro. Pomeridie uarta semper calor præternaturalis cum siti & inquietudine; appetius plane dejectus: Nictatrix *Tussis sicca.*

Rec. *Spec. pro Dec. pectoral.* ℥iij.
fol cochlear. mj. rad. armorac. ℥ß.
sem nasturt. sinap. aa. ʒj.

Conc. cont. coq. in mens. iß. aq. font. ad reman. mens. j. Ter in die batur haustus calide, & simul guttæ nuper ordinatæ sumantur. Peus aliquoties calide ungatur *unguento pectorali* cum tantillo ⌒⊖✳. uato. *Mixtura* cochleatim sumenda, postquam consumta fuit, iteretur. Cum passulato Horstii pergatur. (d. 10. *Dec.*)

§. Melodidascalo nox molestissima, *dentium* non tantum dolor, sed & *capitis* vehemens, & *contractiones faciei spasmodicæ* vehementiores. Hodie *dens cariosus* rursum *cauterio* actuali tactus, sed dolores non remiserunt. *Cataplasma* ex *speciebus emollientibus cum lacte coctis* frequenter maxillæ imponi volui. Quæsivit Melodidascalus, Melodidascalus. *Odontalgia*.

IX. scalus, quid mihi de *Moxa* videretur? Ut illam ustionem sustineret, ipsi a nonnemine suasum fuisse, statim subodoratus sum. Dixi vero, me non videre, quid aliud *Moxa* præstare valeat, quam quodvis aliud *vesicatorium*, quamvis Screta *Moxam*, ceu actuale cauterium, *vesicantibus* præferat. *Vid. miscell. m. part. III. p. 28.* Sed vero, nil aliud est, quam superficialis ustio. Mecum facit Bartholinus & Borrichius. *Act. Med.* Hafn. *Vol. V. obs. 3. & 80.* Ubi plura egregia de *Moxa. vid. m.* Hoffm. *Schol. ad Obs. 36. Cent II.* Pot. Pechlin. *Lib. II. Obs. 24. Ann. IX. Dec. II. Eph. cur. Obs. 156.* Ubi aliis quoq;, præter *podagricos*, doloribus utilem fuisse *moxam* experimentis probatur. Ego per *moxam* sublatos quidem dolores *podagricos* novi, sed cum noxa applicatam corporibus macris & exsuccis, adeo ut, qui aliquoties eam applicuissent, *contracturas*, vel movendi impotentiam sibi accersiverint. Melius ferunt Phlegmatici & obesi.

Remedia nova, quæ maximis encomiis in orbem ebuccinantur, ætatem non ferunt, sed prius plerumq;, quam ipsi buccinatores, intercidunt, & raro se magnificis effectibus commendant; qualia sunt ipsa *moxa & Chirurgia in- ac transfusoria &c.* (d. 12. *Dec.*)

Usiæ *uxor. Hæmorrhousa.* §. Usiæ *uxor* a *pilulis* heri ordinatis ne quievit quidem hac nocte, nedum *fluxum* parumper sisti vidit. Fiat *infusum theiforme* ex *Herb. millefol. anserin. plantag. rad. torment. & cort. granat.* Mane & pomeridie tres scutellæ more solito sorbeantur. Cum *decocto rad. torment. & CC. ust.* paretur *emulsio* ex P. iij. *amygd. d. & p. j. sem. papav. a. &* serviat pro potu ordinario. *Pulvis* d. 7. *Dec.* ordinatus non negligatur, & tentamen fiat cum experimento *Ann. IX. & X. Dec. III. Eph. Cur. obs. 235.* quo nimis *menstruatæ* mane & vesperi ℈j. *Serici carmesini* forficula, qua pote, tenuissime concisi, assumere jubentur, quamvis hæc dosis mihi valde molesta videatur, cum sericum sit leve. (d. 12. *Dec.*)

Euscopia §. Licet apud Euscopiam *dolor* ferme omnis remiserit, attamen indies appetitus magis prosternitur, ipsa nihilominus vivida facie prædita. Pulsus, fateor, est justo celerior. Utrum *febris tabifica* apud eam gliscat, tempus docebit. Interim ordinavi *pulverem* mane & pomer. ad 3. cusp. cultr. sumendum per se:

Rec. *Spec. diacr.* Mynf. ℥ß. *pulv. cach. Qu. inc.* ʒiij.
magnes. alb. ʒj. *ol. nuc. moscb. expr. gr. vj. M.* (d. 12. *Dec.*)

§. Trulli

§. Trulli *Filius* a medicamentis d. 13. *Sept.* ordinatis a *febre quartana* brevi liberatus, iterum in publicum prodiit, suaque munia exsequutus est alacriter. Sive id fecerit intempestive, sive alio diætæ errore se taminarit, *febris* certe ante octiduum eodem typo reversa est. IX. Trulli *Filius*. *Febris quartana*.

Rec. *herb. absinth. trifol. fibr.*
fl. cent. min. aa mj.
rad. gentian. caryophyllat. aa. ℥i.
fol. senn. s. s. ℥iß. passul. min. ℥ij.
rhabarb. ver. ℥ß. rad. mechoac. a. agar. troch. aa. ʒiij.
cass. lign. ʒiij. sem. anis. ʒii. mac. ʒi.

E *conc.* & *cont.* paretur *infusum* & bibatur nostro more. Pomeridie vero & noctu sumantur guttæ xxx. *mixturæ*, ex potu ordin.

Rec. *ess. chin. chin. trifol. fibr.*
elix. balsam. aa. ʒij. M.

§. Epimeletis *uxor* a medicamentis d. 2. *Dec.* ordinatis multum levaminis percipit: *sudores* enim cum *cephalæa* remittunt. Suasi, ut illis adhuc, & quidem per integrum mensem, insisteret. Epimeletis *uxor*. *Sudor nimius*. *Cephalæa*.

X.

X.

MAne Mercurius fere per integram lineam ceciderat, vesperi per dimidiam iterum adscendens. Liquor *thermometri* mane in hesterno statu, vesperi parum surrexit. Nox fuit serena, mediocriter frigida. Nivium per totam diem liquefactio.

§. Thraso meus hodie fere nil minus, quam *Thraso*, adeo incipit fieri animo abjecto. Nec id sine caussa. Ne per quadrantem horæ præterita nocte dormivit. *Clysma* reddidit, sed sine fecibus. Hodie rursum *vomuit*, sed nil, nisi pituitam. Nec alvus, nec urina succedunt. Dolor, quem heri in regione stomachi senserat, nunc iterum pubis regionem occupavit. Dedi *emulsionem* bibartitim, sed intervallis non longis, ebibendam: Thraso. *Colica vinosa*.

Rec. *sem. 4. frig. maj. aa. ʒi. papav. alb. ʒiij.*
aq. fragor. petrosel. chamom. aa. ℥ij.
f. l. a. Emuls. add.
Oc. ♋. crud. cont. asell. ppt. aa. ℈j.
sir. de alth. Fern. ℥iß. M.

Species emollientes in lacte coctæ cataplasmati supra regionem pubis inserviant. Cum *mixtura cordiali* pergatur. Cum ipsum pomeridie invi-

X. viserem, dixit, flatus aliquos erupisse, præterea nil secum; Urinam quoque parcissime fluere. *Clysma* ex *solo lini oleo ad* ℔ ʒ. applicare jussi, & sequentis *pulveris* 3. cultri cuspides cum haustu *lactis bubuli calentis* adsumere curavi:

Rec. *Spec. diatrag. fr.* ʒij.
cryſtall. ppt. lact. ♆. *aa.* ʒj.
elæosacch. anis. ʒß. *M. F.* ♀.

Cum *mixtura cordiali & passulato* Horstiano pergatur. Ejusmodi *pulvere* curavi ante quadriennium Nobilem quendam, a *colica vinosa pareticum* factum, non neglectis *clysmatibus*, e *puro lini oleo*, & *gelatina CC.* & *eboris*, sicut in *Jatromnematis meis* memoravi. Vellem hunc Thrasonem convaluisse. **Es ist mir nimmer recht wol bey der Sache.** (d. 11. *Decembr.*)

Adiocomus. §. Adiocomi corpus hodie apertum. Laboraverat *hydrope thoracis*. *Pulmonum dexter* quidam *lobus* pleuræ adnatus erat: Cæterum integra pulmonum compages *inflammata*. *Hepar* quoque sui notabili parte adeo *inflammatum*, ut nigresceret. Circa majora cordis vasa multum cruoris nigri, non tamen vere congrumati. Vir erat *cachecticus*, & a *quartana febri* contraxerat hanc pulmonum *inflammationem*, ex qua sine dubio mortuus. Ita tunc quidem judicabatur.

Melodidascalus. *Cephalæa. Odontalgia* §. Melodidascalus noctem hanc (quamvis aliquando per trihorium dormiverit) cum summis *capitis & maxillæ doloribus* transegit. Suasum, ut *decoctum chamomillæ cum lacte* factum & calidum in ore, ibi loci, ubi maximus dolor est, quamdiu posset, retineret; capillos omnes abradi pateretur, superimposito *calvitiei emplastro regio* Burrhi. *Denti cavo* frequentius infigatur actuale *cauterium*. Hodie mane dosin ultimam ⊖*is viper. volat.* assumsit, sed, quantum adhuc percipi potest, eodem, quo præcedentia quæque, cum effectu, id est, vel nullo, vel certe vix notabili. Nunc *destillati nuperi* residuum successive consumere decrevit. Vesperi adhuc idem, qui mane, dolor. (d. 11. *Decembr.*).

Æxuri *Filiola. Aphthæ.* §. Monstratæ mihi *gingivulæ* Æxuri *Filiolæ*, (d. 6. *Decemb.*) quæ *pustulas* ostendebant miliares albas. *Aphthulas* parvas pronunciavi, augmentum, ni resistatur, capturas. Jamjam os eluerant *aqua stillatitia fragorum & cerasorum nigrorum*. Jussi in his aquis bullire facerent *folia salviæ*, & in colatura solverent *mellis rosati tantillum* pro elotione oris. Alioqui vulgi experimentum non spernendum ad *aphthas* est, *linimentum e polline rubricæ fabrilis cum melle rosato subacto*. Ni velis hoc

malum

malum in *stomacacem* abire, pusillis, etiamsi plorent, mundificatione oris minime parcendum, quod nonnunquam matres immisericorditer misericordes facere solent. Sed nec audiendæ mulierculæ, quæ nimium asperis frictionibus ad sanguinis usque prolectionem tenellos vexare non verecundantur. Medio tutissimus ibis. X.

§. Bigneti *Filiolus* usq; ad mediam noctem tolerabiliter vixit, suxit matris ubera, pulticulam comedit. Pomeridie noctis denuo *convulsiones*, quæ durarunt aliquoties usq; at diei crepusculum, quamvis levibus *paroxysmis*. Pergere cum medicamentis & *pulverem rad. pœoniæ* capiti toti inspergere jussi. Inciderant ibi orbiculos s taleolas e *radice pœoniæ maris* recenti, e quibus filo trajectis armillas circum carpos formaturi erant. Non rejeci. Hac die rursum affatim bibit ac comedit puellus, & *convulsiones epilepticæ* nullæ adfuerant, quum vesperi hora quarta infantulum visitatum adissem, sic ut spem convalescentiæ adesse censeam. Bigneti *Filiolus. Epileptic.*

Aderant mulierculæ quæ nolebant infantem imponi mensæ cibariæ, id enim *epilepticis* esse calamitosum, (**Man solle die Kinder / so Gichter haben / auf keinen Tisch legen / auf welchem man zu speisen pfleget.**) Risi superstitionem.

Clamitanti huic infantulo digitum in os ingerere solebant, quem sugens a clamore desinebat. Erant, quæ dicerent, hoc magno cum tenellorum detrimento fieri, aërem enim sic attrahi, unde *flatus* in ventre dolorifici oriantur. Contra, aliæ digiti immissionem *turundis* præferebant, eo quod hæ sint pabulum acoris in corpore. Quærebar sententiam. Neutrum mihi placet, ut verum fatear. De *Turundis* alibi dictum. Sed suspicio de digiti suctione non est absurda, quid enim sugat infantulus? Exercentur teneræ gingivæ & maxilla sine quiete & intermissione, unde eadem, quæ ex perpetua turundarum suctione, timenda sunt mala. (d. 11. *Dec.*)

§ Ptochiolæ *Filius*. (d. 18. *Nov.*) a *pulvere stomachico* bellissime ad se rediit, cum vero labores consuetos rusticanos aggredi sustineret, sub victu pauperrimo, denuo in *anorexiam* incidit, & *cardialgiam* cum virium summa & quasi temulenta debilitate. Mane os aqua limpida plenum, qui *ptyelismus* fere per totum tempus antemeridianum durat. Dedi *purgans*. Ptochiolæ *Filius*. *Æragia.*

Rec. *gial. n. resin. crem. Tart. aa.* ℈j.
dacryd. gr. v. M. pro. 1. dosi.

Postea ter in die sumat ʒ. cusp. cultri de *pulvere stomachico* Birckmanni Per se.

X. Filia a nuperis medicamentis iterum convaluit. Steganii quoq; tres liberi tunc misere decumbentes, per DEI gratiam, a tunc ordinatis vires receperunt. Dicebat Ptochiola, nondum apud se cessare morbos a *lolio temulento* ortos.

Filia. Steganii *liberi.*

Nictatrix *Tussis sicca.*

§. Nictatrix parum adhuc levata fuit a heri ordinatis. *Tussis* adhuc vehemens, quæ, si aliquandiu duravit, postea venit *asthma*, quod soli prægressæ *tussi* & hinc expansis pulmonibus adscribo. Quærebant de *venæsectione?* Nullam indicari dixi. Pergant potius cum medicamentis. (d. 12. *Decemb.*)

Lignosi *uxor.*

§. Lignosi *uxor* narrabat, se *Filiolo* suo 10. annorum loco jentaculi semper deglutiendos dare 2. cultri cuspides de *rob juniperi*: quærebat, an recte faceret? Dixi, cui fini præberet? Respondit, loco jusculi contra aëris impuritates, nam se audisse, quod *rob* illud sit valde salubre. Non, inquam, inficior, id esse salubre; Sed esse medicamentum: sanis autem medicamenta non convenire. Medicamenta corpus alterare, non nutrire. Corpus autem sanum alterare nefas est, cum necessarium sit e sano morbosum reddi, alias non alteraretur. *Rob juniperi* est *diapnoicum*, jugi usu poros corporis nimium patulos reddit, sanguinem attenuat, exagitat, corpus ad tabem disponit. Hoc sibi dictum putent omnes ii, qui variis medicinalibus sanum corpus a morbis præservare perperam sustinent: *Tabacitheecaffebibuli*, *spirituum apoplecticorum, vini absinthitis, aquæ sc. mirabilis potores &c.* Plane verum est, quod alicubi me legisse memini: *Corpore sano medicinam sumere, principium est morborum.*

XI.

XI.

MErcurius mane, qualis heri: vesperi lineam primam quinti gradus, attigit. Liquor *thermometri* mane ferme in medio tertii gradus, hanc medietatem vesperi superavit. Nox nubila, Dies serena & calida.

Thraso. *Colica vinosa.*

§. Thraso præterita nocte bis denique alvum deposuit cum notabili euphoria, quod itidem pomeridie factum semel. Hac etiam vespera, ut infunderetur *clyster* e *solo lini oleo*, suasi. Tolerabilis nunc est dolor, & ipse quietius, quam antea, degit. Pergat cum *pulvere* hesterno ex *lacte bubulo* calido sumendo. (d. 12. *Decemb.*)

Bigneti *Filiolus. Convulsiones.*

§. Bigneti *Filiolus* post medium noctis iterum aliquoties mediocriter *convulsus* fuit; cibum nihilominus & potum e matris cella petens. *Borborygmos* in ejus ventre audiri, nauseamque & *vomendi* inter-

interdum conatum adesse *Adstantes* dicebant. Hinc ordinavi *pulvisculum* sequentem: XI.

Rec. ☉ *fulmin. gran. iß.*
arcan. duplic. gr. iiß. M.
F. ♀. pro 1. dosi.

Pergant cum *mixtura* cochleatim danda, *unguento* & *balsamo* (d. 12. *Dec.*)

§. Melodidascalus iterum pessime pernoctavit. Heri ante somnum sensit *palpitationem cordis* cum *anxietate*. Assumsit *specificum physicraton* ad gr. xv. *spasmus faciei* hodie tam fortis, quam unquam antea, gingivæ fere connivent, & tensio sentitur in mandibula, ut os rite distrahi non possit. Dolor capitis mediocris. Rogat, ut, si possem, saltem isti *spasmo* occurrerem. Ordinavi *mixturam* cochleatim assumendam: Melodidascalus.

Rec. *Aq. lavend. lil. conv. aa. ℥iiß.*
℞æ. succin. castor. aa. ʒß.
conf. alk. c. ʒj. sir. beton ℥ß. M.

Maxilla in die frequentius perfricetur calide *linimento*:

Rec. *ol. e. flor.* Slot. *ʒvj. lign. rhod. ʒß.*
℞æ. castor. ⁓ *lumbric. aa. ʒij. M.*

Hac vespera mediocriter habet. (d. 12. *Dec.*)

§. Æxuri *uxor* (4. *Dec.*) adhuc dolet ex oculis, & simul stomacho, parum appetens. Sumat xv. *pilulas* pond. gr. j. de *pil. e succin. Crat.* & regionem stomachi bis in die mulceat *linimento*: Æxuri *uxor. Ophthalmica.*

Rec. *Ungu. pomat. ʒij. ol. e nuc. mosch. expr. ʒß.*
ol. menth. absinth. a. ℈ß.
bals. peruv. ess. anod. aa. ℈j. M. (d. 12. *Dec.*)

§. Puriduri *Filiolus* (d. 4. *Dec.*) ante pauculos dies correptus fuit *coryza* cum *tussi*, utrisq; vehementibus, sed usu remediolorum domesticorum tamen repressis. Spem concipio, nihil *contagionis rabiosæ* accepisse vel hausisse puellum, quippe quam *coryza* cum tussi, tanquam anguem sub herba latentem, sine dubio perdidissent. Vulnera bina plane persanata sunt. Nuper *lumbricus* magnus prodiit, quorum plures adesse suspicor, atq; adeo decrescente *luna laxans helminthagogum* propinaturus sum. Puriduri *Filiolus. Morsus can. rabiosi.*

§. *Electuarium purgans* d. 7. *Nov.* Ephippi *uxorem* vix binis vicibus movit, unde non admodum levata, sed adhuc anxia & anhelans. *Cephalæa* permolesta. *Vesicatorium* alteri *brachio* infigat, & pur- Ephippi *uxor.*

purgatura ternis prius vesperis ante somnum assumat *pulverem digestivum* ex jure calido:

XI. Rec. *Tart.* ⊕ *lat. Crem. Tart.*
rad. ar. ppt. aa. ℥ß. *M. F.* 3. ♀*es.*

Tertiam vesperam sequente mane deglutiantur *pilulæ*:
Rec. *Extr. cathol. gr. xiv.*
magist. gial. gr. vij. scammon. gr. vj.
cum elix. propr. F. pil. n. xviij. de ☉. *pro 1. dosi.*

Filiola natu major. *Filiolæ* (d. 29. *Nov.*) in complementum curæ *variolosæ*, datum *laxativum*:
Rec. *Magist. gial. gr. ij. sir. de cich. c. rh.* ℥vj.
aq. cinnam. ℥j. *M. pro 1. dosi.*

Crotalomactis *minima Filiola. Asthmatica* § Crotalomactis minima 2½ annorum *filiola rhachitica* nunc ab octiduo *asthmate* ferme *suffocativo* constanter affligitur, sed ad medicamenta summe difficilis est, sicut ne guttam *sirubi*, quantumvis suavissimi, admittat. Per octiduum talia passi sunt parentes, *Medicum* non adeuntes, ex hac ipsa caussa, quod puella esset a pharmacis abstemia. Cum, auditu teste, pituita congesta sit in *bronchiis* pulmonum, *pulvisculum* hunc etiam violenter propinari volui: Rec. *Tart. emet. gr.* ß. *sacch. perl.* ℈ß. *M.* In potu ordinario suspendatur *nodulus lineus* cum *materia perlata*. Ventriculus, pectus, spina ungantur calidissime:
Rec. *Ungu. cardiac.* ℥vj. ⟿⊖✳. ʒß. *M.* (d. 12. *Dec.*)

Saturnia. *Melancholica.* §. Cum Saturnia nil efficitur. (2. *Dec.*) Medicamentorum usus negligentissimus, nec nisi coacta quidquam assumit. Mane statim vinum appetit, artocreata e foco calentia, crustulas & alia. Denuo monui, ut alia via nos incedere paterentur, alioqui laterem nos lavaturos. Decretum denique, ut, quid mihi videretur, ad maritum rescriberem, quod me facturum promisi. (d. 12. *Decemb.*)

Toparius *Nyctalopia* §. Toparius a plusquam 14. diebus de dolore quodam oculorum conquestus est. Usurpavit varia a mulierculis ordinata, cumprimis loturam cum *aqua Reginæ Hungariæ* Sed parum profecit. Nunc successive incipit visus decrescere noctu, quamprimum candelæ hypocausto inferuntur. Sic, ut primo quidem legere aliquantillum possit, mox autem ob deficientem visum cessare cogatur. Principium arbitror *Nyctalopiæ*, quamvis enim præcipuo significatu dicatur de iis, qui noctu melius vident, quam interdiu, quod ex Hippocr. Gal. & aliis probat B. Bruno *in Lex. Med.* Secundum usum tamen receptum magis audiendus est Blancardus *in Lexico*, qui

qui de visione meliore nocturna, & eadem noctu abolita æque dici recte asserit. Castellus autem in *Lexico* dici vult, quæsi ὁ τῆς νυκτὸς ἀλαὸς, hoc est, *noctu cœcus*; eo quod λάειν *videre* significet. Sic ut memoratus Bruno frustra miretur, nonnullos interpretes hanc vocem, contra *etymologiam* vocabuli & usitatam acceptionem, explicare de *nocturna cœcitate.* Non enim dicitur *nyctopia*, sed *nyctalopia*, quæ, teste etiam Mœbio, fit, *quum quis interdiu recte videt, occidente autem sole obscurius, noctu nihil. Instit. Med. p. m. 213. vid. m. Scapul. de hac voce in Lexic.* Eod. modo accipit Cummenus, qui in *Ann. III. Dec. 1. Eph. Cur. obs. 133.* sub titulo: *Nyctaloporum hepate bovino curatorum, in Observatione Pastorem Ecclesiæ* adducit, qui post solis occasum quotidie cœcus reddebatur. *vid. m. obs. 243. ejusd. anni:* imo plerosque *Practicos.* Plempius *ophthalmogr. Lib. V. cap. 6. Nyctalopiam vocat nocturnam cœcitudinem*, pro more, quo cum *onomatopœia* ludere solet. Quod autem Castellus dicit, *lusciosum* vocari, qui eo affectu, qui *nyctalops* dicitur, vexatur, cui consentit Bruno, frustra dicitur. *Lusciosi* enim sunt *Myopes*, non *nyctalopes*. *Myopes* autem sunt, qui vel naturæ, vel morbi vitio, non vident, nisi oculorum palpebris fere contractis quam proxime admota. Dixi ad Toparium, me super hoc affectu meditaturum & mentem meam crastina luce aperturum. XI.

Memorabile est, quod Saarius recenset *Itinerar.* Ind. *Orient. p. m. 32.* de incolis nonnullis *Insulæ* Bandam, qui tribus mensibus *Junio, Julio, Augusto*, noctu, accensis quantumvis lucidissimis facibus, nihil omnino vident, sibique peracto hoc tempore medentur *jecore piscis comesto*, quem Seu vocant. Simile quid reperitur in *Dec. II. Ann. VI. Eph. Cur. obs. 79.* Ubi de virgine Monspeliensi 18. annorum idem singulis annis versus mensem *Majum* prædicatur, eam scil. nullo post solis occasum tunc semper visu privari. Ipsius amita, amitæque liberi duo eodem affectu correptæ fuerunt, & *D. La* Serre in Patria sua vidit Rusticum pari modo laborantem. (d. 12. *Dec.*)

XII.

XII.

MErcurius mane in quarto exacte, vesperi in medio dicti gradus: Liquorque *thermometri* mane propemodum in tertio gradu existens, ita per totam diem immotus mansit. Nox fuit serena, mediocriter frigida. Dies calida, maximam partem serena. Auguror pluviam.

XII. Topari-us. *Nyctalopia.* §. Topario contra *nyctalopiam* suasi sequentia: E massa *pilularum de succino* Cr. gr. xxxxv. cum *ol. anis. form.* totidem *pilulæ*, sumantur 3. noctibus hor. 1. ante cœnam n. xv. cum vino.

Sumtis his *pilulis* quarta vespera binis scapulis affigi patiatur *cucurbitulas scarificatas*, & unam *siccam* cervici, postea mane, pomeridie & noctu accipiat quatuor cultri cuspides de *pulvere* seq. per se:

Rec. *Herb. majoran. euphras. rut.*
rad. valerian. sem. anis. fœnic. aa. ʒß.
cubeb. cardamom. caryoph. arom. aa. ℈j.
cinnam. el. ℈ij. *mac.* ʒß. *sacch. a. ad p. o. M. F.* ♀. *subtiliss.*

Externa parum juvant. (d. 31. *Dec.*)

Filiolus. *Prominentia costæ spuriæ.* *Filiolum* (d. 3. *Dec.*) mihi monstrabat, in cujus corpusculo circa regionem lienis paullo altius prominebat costa spuria ultima, quæ prominentia solummodo observabatur, si puellus resupinatus jaceret; minime cum super ulnis gestaretur. Parentes de *gibbere* solliciti erant. Dixi, nil tale metuendum esse, cum *gibbus* dependeat a *tortuositate vertebrarum spinæ dorsi*, quæ hic nulla sit, nec ex illa prominentia facile quid metuendum esse.

Cæterum hic *Filiolus* a *Decocto* suo, quod vicissim cum lacte nutricis bibit, multo videtur habitior fieri, quam a solo nutricis lacte.

Thraso. *Colica vinosa.* §. Thraso noctem tolerabilem habuit. *Clystere* solo heri vesperi præmisso nocte præterita bis alvum deposuit, cum multis flatibus & euphoria. Cum *dolorem* in regione *pubis* hactenus semper, quamvis nunc mitiorem, sentiat, judico feces liquidiores in intestinis tenuibus moras trahere, istumque dolorem excitare: hinc est forte, quod *clysmata* nunc aliquot excrementorum alvi nil secum vexerint, sed hæc demum longo post tempore sponte evacuata fuerint: Insistat usui *pulveris cum lacte* sumendi. Quietus jaceat & a frigido sibi potu caveat. (d. 13. *Dec.*)

Bigneti *Filiolus. Convuls. epilept.* §. Bigneti *Filiolus* præterita nocte *insultibus epilepticis* non semel tentatus, hodie mane quievit. Præscriptus fuit *pulvisculus*, cujus ter in die cusp. 1. cultri detur cum *mixtura* cochleatim sumenda; alternando singulis trihoriis cum hoc *pulvere & liq. CC. succinato:*

Rec. *C. alc. philos. unic. ver. margar. ppt.*
Cor. r. ppt. lap. bez. occid. aa. ℈ß. *orient. gr. v.*
♁. *nat. ppt.* ♁*ij rectif. aa. gr. xv.*
succin. a. ppt. gr. xij. sacch. perlat. ʒß. *M. F.* ♀.

Externa

Externa non negligantur. Pomeridie hora ſecunda redierunt motus *epileptici* longe ferociores, igitur noctu alteri brachiolo & alteri ſuræ adhuc affixa 2. *veſicatoria.* (d. 13. *Dec.*) XII.

§. Pieſterii *Filiola* 11. annorum, ſtatura pro ætatis modulo parva, quæ tamen in infantia *convulſionibus* nunquam fuit obnoxia, ante octiduum tremorem primo, hinc ſuccuſſionem pedis dextri paſſa eſt, qui motus die poſt uno in verum paroxyſmum *epilepticum* ſatis longum erupit. Ab eo quidem tempore non amplius *convulſa* fuit, ſed oculis tamen eſt torvis & ſolliciti *parentes* merito *ſputandi mali* averruncum flagitant. Quæſivi varia, unde in *cauſſam* mali *procatarcticam* penetrare poſſem. Sed *terrore* nullo perculſa fuit, nulla præceſſerunt *jurgia*, verbera, lites, minæ: nil inſoliti cibi aſſumſit, ira percita non fuit &c. Attamen, cum ab eo tempore puella ſit meticuloſa, panem ſecalinum fermentatum avide comedat, abdomen tenſum habeat &c. Suſpicatus ſum de *lumbricis*:

Pieſterii *Filiola.* *Convulſio a lumbricis.*

Rec. *Tart. em. gr. j. crem. Tart.* ℈j.
dacryd. gr. v. M. D. pro 1. *doſi.*

Poſtea ter in die 2. cuſp. cultri ſumantur de tali *polline*:

Rec. *Æthiop. miner.* ʒj. *elæoſacch. ſuccin.* ʒij.
ſem. ſanton. Corallin. aa. ℈ij. *M.*

Pro vehiculo inſerviat *mixtura*:

Rec. *Aq. gramin.* ℥x. *ſir. fl. perſic.* ℥j. *M.*

§. Melodidaſcalus quoad *capitis & maxillæ dolorem* paullo tolerabilius habet, ſed maxillæ *ſpaſmodica contractio* ſemper eadem, immo fere auctior. Renovetur in capite *regium empl.* Burrhi, cum *mixtura* & *illitu*, heri præſcriptis. Gephyrius proponebat *ſalivationem* novi generis, ope cujus immenſa pituitæ quantitas e naribus elici poteſt. Suſpicor eſſe *corticem rheumaticum vel eleutherii.* Dixi ſcriptis adumbratam hanc curam, ut Medicus novus extraderet, rogandum eſſe; Tunc enim me melius, utrum ſibi locum inveniat, nec ne, judicare poſſe, quamvis mihi vix probanda ſit iſta, valde abuſive ſic dicta, *narium ſalivatio.* Rem igitur non, niſi caute, tractandam. (d. 13. *Dec.*)

Melodidaſcalus.

§. Uſiæ *uxor* a *decocto theiformi* d. 9. *Dec.* ordinato paullo melius habet, nec *fluxus uterinus* eſt æque vehemens, quam antea. Accepit quoque *ſericum carmeſinum.* Pergat cum *decocto theiformi.* (d. 14. *Decemb.*)

Uſiæ *uxor.* *Menſes immodici.*

§. Euſcopia (d. 9. *Dec.*) eadem chorda oberrat, nec pejor, nec melior. Nil novi ordinatum. (d. 14. *Decemb.*)

Euſcopia

XII. Crotalomactis *Filiola. Asthma.*

§. Crotalomactis *Filiola* spiritum æque difficulter trahit, atque heri. A *pulvisculo emetico* ne semel quidem vomuit, sed alvum bis deposuit. Ob puellæ renitentiam ferme, quid agam, nescio. Jussi tamen, ut quovis, etiam violento, modo ter in die guttulas viij. *mixturæ* propinarent:

Rec. ∽⊖✳. ʒj. *Tℛæ. croc.* ℈j. *M.*

Et cum reficiendis, noctu cumprimis, ubi semper debilior, viribus, aliquid petant, cochleatim sequens infundi volui:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥ij. *cinnam. bugl.* ʒvj. *M.*

Cum reliquis pergant. Hæc puella vix evasura videtur. (d. 14. *Decemb.*)

Nictatrix *Tussis.*

§. Nictatrix (14. *Decemb.*) eadem fere *tussis* violentia torquetur, quamvis magis decrescat, quam augeatur. Nil igitur immutandum, sed medicamentis tunc præscriptis insistendum esse duxi.

Æxuri *uxor.*

§. Æxuri *uxor* a nuperis xv. *pilulis de succino* ne semel quidem *purgata* fuit. Sed & plures assumere noluit. Hæ *pilulæ* sunt valde mites. Jussi hac nocte adhuc 11. Francofurtenses deglutire. Vix obtemperabit.

Glebani *uxor. Odontalgia*

§. Glebani *uxor*, (29. *Nov.*) hactenus adhuc dolorem, licet mitiorem, in dentibus percepit, & mala dextra adhuc quodammodo tumidior sinistra. Jussi accersere *Chirurgum* peritum, exploratum, qui sint *dentes*, ac utrum aliquis tuto evelli posset? Vexat eam non minus dolor, quasi *arthriticus*, utramque cubitorum articulationem occupans. Volui, ut imponeret *emplast.* oxycroceum, & cras mane *sudorem* cieat, assumto jusculo calido. Perendie incipiat uti *Magnesia alba* mane ad ʒj. cum *emulsione amygdalarum dulcium.*

§. Cum Nundinæ proxima hebdomate rursum sint celebrandæ, & Lelindius *Circulator* hic visus fuerit, cum Dn. *Collega* meo per *memoriale*, quod vocant, Serenissimum Ducem rogavi, ut non solum hunc, sed omnes hujus farinæ *Impostores*, toto Ducatu exigere, ne gravaretur, nedum ut *seplasias* suas in foro exstruere sustineant, patiatur. His enim medicamenta sua, quæ publice venum exponunt, saltem glaucomatis loco inservire, ad palliandam nempe clandestinam, quam in suis diversoriis exercent, *medicam praxin*; eos plerumq; diutius hic hærere, quam nundinæ durant, oberrare in domibus omnium, quos ægrotare comperiuntur, vel eos ad se invitare, urinas explorare, ex his, per naturam cognitu impossibilia, divinare, miseros pecunia emungere, zonaq; repleta hinc discedere,

parum

parum curantes, quomodo, per suos poppysmos male seducti, post discessum valeant. Interim valetudini & vitæ simplicium insidias parari, cum fraude damnoq; non tam *Medicorum* quam *Pharmacopolarum*, quorum libri rationum debitis abundent, cum isti crumenimulgæ pecunias paratas secum abvehant. Ostendere quidem *Medicis* pharmaca interdum non rejicula, sed publice in foro alia viliora, *corchorum* sc. pro *oleribus*, vendere. Non quadrare in hos privilegia *nundinarum*, quibus alii mercatores exteri gaudent. Horum enim merces in sanitatis aut vitæ dispendium nemini cedere. Denique periculosis hisce temporibus nos ne quidem certos esse, quid aliud, sub pallio *circulatorio, tenebriones* isti foveant, & quorumnam fortasse sint *Emissarii* &c. XII.

§. Saturniæ *marito*, quod heri promiseram, scripsi: Gnomilegum & me *uxori melancholicæ* ordinasse medicamenta, quæ aliis longe profundius tristi huic barathro immersis proficua comperti fuerimus. Nos de ipsius quoq; convalescentia firma ac stabili adeo non desperare, ut potius, auxilante DEO, eam promittere audeamus, dummodo præstanda præstare vellet uxor. At vero non tantum in ea, qua fruitur, libertate, varios diætæ errores errari, sed & medicamenta negligentissime, nec debita dosi, nec debito tempore, assumi, quo modo si perrexerit, spem salutis omnino nullam superesse. Ante igitur, quam plures sumtus impendantur, nos *Medicos* æquum judicasse, ut rem, quo pacto se habeat, ipsi notam faceremus. Nos enim, ipso dissentiente, mulieri refractariæ vim illaturos non esse, nec tamen, quamdiu ista libertate gaudet, quid boni sperare posse. Quid igitur fieri velit, nos expectare. Saturnia. *Melancholica.*

§. Technastis *Filiolus* (16. *Oct.*) prehenditur æstu subitaneo, cum tremore, *pavore*, & *tussi* propemodum *ferina*: alvus est libera, non vomuit. Difficilis est ad medicamenta. Cochleatim præbeatur *mixtura*: Technastis *Filiolus.* *Febrilis insultus.*

Rec. *Aq. fl. til. acac. aa. ℥ij. epil. L. ℥ß.*
cor. r. ppt. matr. perl. ppt. Crystall. ppt. aa. gr. xv.
⊷⊖✳. *anis.* ℈j. ℞. *croc.* ℈ß.
conf. alk. c. ʒi. sir. fl. pœn. ʒiij. M.

Pectusculum ungatur *unguento pectorali* ⊷⊖✳. acuato (d. 13. *Dec.*)

XIII. XIII.

MAne utraq; vasa in hesterna statione, vesperi utraq; per lineam unam adscenderant. De nocte pluviola, dies varia, calida & pluviis mixta.

XIII. Acanthi *Filiola. Variolæ.*

§. Acanthi *Filiola* biennis nudius tertius languere cœpit, cum ſiti, ſummo æſtu & pavoribus. Heri mane *convulſiones* eruperunt *epilepticæ* non diu durantes. Ordinata fuit *mixtura* cochleatim ſumenda;

Rec. *Aq. fumar. fl. til. aa.* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
Ræ. caſtor. ℈j. *pulv.* March. *gr. xxv.*
Sir. fl. pœon. ℥ß. *M.*

Cervix, vertex, tempora ungantur *balſamo:*

Rec. *Ol. NM. expr.* ʒß. *rut. ſuccin. aa.* gtt. ℈ß. *M.*

Emplaſtrum theriacale fontanellæ & ſcrobiculo cordis. *Dentitioni* malum adſcripſi, ſed veſperi comparuerunt *exanthemata*, quæ hodie mane prodiderunt *variolas* confertiſſimas. Non adduxiſſem hunc caſum, cum *variolarum* alioqui in his menſibus plena ſint omnia, niſi *profluvium* alvi, ſignum haut admodum favorabile, ſimul adeſſet; quod eſt aquoſum & præterita nocte portas inferas ter pulſavit. Ordinavi *pulviſculum*, cujus ter in die cuſp. 1. cultri, quovis modo, detur:

Rec. *Pulv. pannon. r.* Marchion. *aa.* ʒß. *M.*

Potui admiſceatur *aqua fumariæ*, cum heſternis pergendo: Veſperi confertim eruperunt *variolæ* & per hanc diem non amplius dejecit. In his caſibus, non tam præciſe *adſtringentia*, quam *bolaria*, cum ſimul virtute *diaphoretica* polleant, ſunt utilia, qualis eſt *pulvis pannonicus* (14. *Dec.*)

Technaſtis *Filiolus.*

§. Technaſtis *Filiolus* reliquum noctis ſatis commode tranſegit, & hodie tam hilaris eſt, quaſi heri ne per momentum ægrotaſſet. Cum tamen *pulſus* de calore præternaturali adhuc teſtaretur, cum *mixtura* heſterna pergere juſſi. Veſperi recidivam heſterni paroxyſmi paſſus eſt atrocem, cum *reſpiratione* tam *anhela*, ut adſtantibus ſuffocandus putaretur. Erat præterea ſomnolentus, contactu æſtuans & pavoribus quatiebatur. Metuens, ne *convulſiones* erumperent, mutavi *mixturam* tali modo, adhibito ſimul *balſamo cephalico* conſueto:

Rec. *Aq. fumar. fl. ſamb. til. aa.* ℥j. *epil. L.* ʒiij.
Specif. cephal. pulv. March. *aa. gr. xv.*
Sir. fl. pœon. ʒiij. *M.* (d. 14. *Dec.*)

Bigneti *Filiolus. Epilepſia.*

§. Bigneti *Filiolus* indeſinenter convellitur, etiam hodie cum ſpuma circa oſculum. *Veſiculæ* rite fluunt. Pomeridie collapſa facie tam erat debilis, ut mammam ſugere detrectaret, ac pultis ne micam aſſumeret. Credo hac nocte moriturum. Pergant, qua pote,

cum

cum medicamentis jam præsentibus, & simul cochleatim præbeant *mixturam*: XIII.

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥ij.
Cinnam. bugl. epil. L. aa. ℥ß.
Conf. alk. c. ʒß. *Sir. fl. tun.* ℥ij. *M.*

Parentur *epicarpia ex aq. 4. fl. cordial. cum conf. alk. c.* Paroxysmi hodie quoq; solito diutius durant, & *Luna plena* intra triduum exspectatur. *(d. 14. Dec.)*

§. Thraso in omnibus melior. Evanuerunt *tormina*, succedit alvus sponte, redit appetitus: Sola urina nondum rite profluit. *Diuretica* fortiora, ne moveatur *Camarina*, dare non audeo. Continuetur usus *pulveris d.* 10. *Dec.* ordinati cum lacte, donec, quid ultra sit faciendum, tempus dederit. Convaliturum spero. (d. 16. *Dec.*) Thraso.

§ Isatis ab *infuso* d. 2. *Dec.* ordinato fere plane nihil mota fuit, non obstante, quod juscula comederit, quod *pruna damascena*, quod corpus moverit. &c. Mane sedem habuit ordinariam: Pomeridie semel tantum alvum liquidam. Ingredientia non fuisse obsoleta, certus sum. Vitium igitur aut est *idiosyncrasiæ*, aut lymphæ vel seri præmodum stagnantis & viscicli, quod tamen ingredientia reliqua *infusi* fluxile reddere debuissent. Nuper jam memoravi, eam neq; a potione d. 27. *Aug.* ordinata semel motam fuisse. *Scabies* interim est valde *pruriginosa*, pedesq; *œdematose tumere* incipiunt. Jussi, ut ferias a medicamentis ageret, usq; ad *plenilunium*, quo præterito me daturum esse *electuarium hæmocatharticum.* Isatis. *Scabies.*

§. Melodidascalus aliquantillum melius habet, quoad *dentium dolorem & cephalæam; contractiones* interim faciei *spasmodicæ* magis adhuc augentur, quam minuuntur. Terdeni suasit illitum *Spiritus matricalis.* Non dissensi, siquidem constat e *balsamicis nervinis, olibano, thure, myrrha, mastiche cum* 🜄. *digestis & ☊llatis.* Sed & Gephyrius promissis hesternis stetit, methodumq; suam scriptis comprehensam communicavit. Initium fiebat a *pilulis purgantibus* ex aa. *Pil. Tart. Schröd. & pil.* (uti quidem aliter legere non poteram, cum docti male pingant.) *Anethinis*, mihi plane incognitis. Has excipiebat *Decoctum* quoddam *hæmocatharticum e lignis & radicibus cum* ♁. *crudo*, quod calide e scutellis, more *thée*, sorbillandum erat. Porro *pulvis baccarum lauri*, super quo aliquoties, (quantum memini, duodecies.) 🜄. deflagraverat, naribus attrahi debuit, ac denique ☿🜕☉is eodem modo intra nares suscipiendus, de quo prædicabatur, quod blandissime Melodidascalus.

blennam

XIII. blennam copiosam e naribus educendo, *cephalæam* frequentissimo experimento sustulerit. Rogatus mecum Gnomilegus, quid nobis de cura videretur? Respondimus: *Pilulas purgantes & decocta lignorum* jam sæpe usurpasse Melodidascalum. *Pulverem laurinum apophlegmatismi* vicem non inepte sustinere. Quod autem ad *præcipitatum solare* attineat, nos propterea talismodi medicamenti usum dissuadere, quia *Mercurii* hujus quamplurimi *Processus* circumferantur, nec tamen, uter utri sit præferendus, satis liqueat, ac denique tempora præterita, quam caute sit mercandum cum *mercurialibus*, non penitius cognitis, abunde docuerint. Tutius itaque esse a talibus abstinere, quam valetudinem jam satis afflictam dubiæ fortunæ aleæ exponere (d. 16. *Dec.*)

Erythroclathri *Filia major. Plethora.*

§. Erythroclathri *Filia* natu major 18. annorum ab aliquo tempore a quovis, etiam non admodum violento, motu, *difficulter anhelat*, cum *palpitatione cordis* & arteriarum carotidum externarum. Obesula est, roseo vultu prædita, *phlogosibus* vagis molestata, ciborum appetens, *menses* nunquam experta. Proficisci credidi hæc symptomata a sola *plethora*, nec tamen tutum existimavi *menses* violenter *pellere*. Sed *venæsectione* sanguinis molem minuendam esse, quam imperavi ad ℥vj. e mediana sinistri.

Filiola minor. Hecticæ initium.

Minor natu Filiola 8. annorum, quæ præterito vere ex *variolis* decubuit, hilaris quidem est ac vegeta, sed valde macilenta, *tussim* habens siccam permolestam. Anhelitus non est admodum difficilis, sed parum comedit, frigida libentius, quam calida. Sitis adest. Post pastum semper calet, post calorem *sudatiuncula*. *Hecticam febrim* in herba latitare suspicor. In quolibet pastu cochl. ij. *gelatinæ ex aa. ras. CC. & ebor.* sine additamento simplicissime paratæ, liquescant in jusculo calente carneo, & ita calide sorbeantur. Utatur familiariter *electuario euporisto ex rad. helen. liquir. herb. veron. & heder. 🜄str. cum melle despumato subactis.* (d. 14. *Dec.*)

XIV.

XIV.

MAne utrique liquores parum descenderant. Vesperi Mercurius iterum in medio quarti gradus & liquor *thermometri* fere in tertio gradu. Nox serena. Ante crepusculum diei pluviola. Dies fuit clara & calida.

Nisseti *Pædodulis. Hysterica.*

§. Nisseti *Pædodulidi* d. 26. *Nov.* præscripseram species pro *Decocto*, quas supra omnes medicinas hactenus usurpatas sibi optime cessisse prædicabat, rogans, annon possent illæ *species* in forma *pulveris*

ris eodem cum effectu sumi, quum sibi non integrum sit, ancillæ in aliena domo, pro lubitu suo *decocta* parare. Re pensitata, scripsi *pulverem* diu continuandum ad cusp. ℨ. bis in die: XIV.

Rec. *Rad. levist. Zedoar.*
Angel. valerian. aa. ʒij.
Elæosacch. anis. ℥ß. *M.*

Laudatum sibi alicunde fuisse dixit *spiritum anisi* ad stomachum & uterum roborandos & *flatus dissipandos* cochleatim usurpandum. Mulier est macilenta & temperaturæ calidæ siccioris. Ejusmodi spirituosa jugi usu non profutura dixi: quin opus esse, ut *pulveri* supra scripto aut statim ab assumtione, superbibatur jusculum, vel *thée*, aut alio modo humectantia temperata interponantur.

§. Exul quidam Palatinus in pago haut procul ab urbe nostra distante miserrime & fere mendicato victitans, consilium propter DEUM petit, pro uxore sua jam ultra semestre decumbente cum *tumore leucophlegmatico* totius corporis, *tussi, siti, anhelitu difficili*; pedes aliquandiu retinere foveas digitis impressi. Dixi *cachexiam* adesse in hoc vitæ misero genere vix curabilem: Necesse enim esse, ut socias sibi operas locent *Pharmacopola, Coquus* & *Cellarius*. Duobus ultimis apud ipsum deficientibus, unum primum ejusmodi curæ quam minime sufficere. Mane & vesperi sumat ℨ cusp. cultri de tali *polline*, corpus movendo:

Exulis Palatini uxor. *Anasarca.*

Rec. *Tart.* ⊖ *lat. asell. ppt.*
Oc. ♋. *crud. cont. aa.* ʒij. *M.* F. ♀.

Noctu tempore somni assumat quantitatem castaneæ de *rob ebuli & juniperi* æquali portione commixtis. Potus ordinarius sit *lixivium juniperi* cum aqua fontana (nil aliud adest.) parati.

§. Vocabar ad Synippi *Filiolum* 12. annorum, qui lectum heri salvus & incolumis petierat, hodie totam *faciem intumuit*, inflatis quoque superciliis, auriculis, labiis. *Dolor* nullus, tensio sola. Stagnationi ferirem deferens, puerum in lectum abire jussi, singulisque horis adsumere cochlear unum mixturæ, expectando sudatiunculam:

Synippi *Filiolus. Facies inflata.*

Rec. *Aq. fl. samb. card. ben. aa.* ℥iiß.
mixt. simpl. ʒj. ♁. *diaph. CC. Philos. aa.* ʒß.
sir. card. bened. ℥ß. *M.*

Pransus est mediocriter, & vesperi mihi facies quadantenus detumuisse visa. Pergant & ægrum in moderato calore detineant; (d. 15. Decemb.)

XIV. Apiarii *uxor.*

§. Apiarii *uxor* (d. 6. *Sept.*) *dolore pedum* utrorumq;, qua digiti porriguntur, afficitur cum *tumore.* Rubor non adeſt, quæ nam ſit cauſſa, nondum ſatis explorare potui. Juſſi ſudare, & pedes mane noctuque, qua tument, *oleo ſperm. ran.* inungere. De re alioqui nulla queritur, appetitu cumprimis integro.

Bigneti *Filiolus. Epilepſia.*

§. Quem præterita nocte moriturum credebam, Bigneti *Filiolus* præter ſpem omnem, placide dormivit, nec *epilepſiam* habuit, niſi appetente jam matuta, ſed paroxyſmis levibus. Nihil in methodo mutatum, nec nova præſcripta, quum abunde ſuppetant, medicamenta. (d. 15. *Decemb.*)

Technaſtis *Filiolus.*

§. Technaſtis *Filiolus* hodie æque, quam heri mane melior, vegetus ac luſitans. Calore tamen præternaturali adhucdum præſente, non tantum cum heſterna *mixtura* continuare, ſed &, præcautionis loco, alteri brachiolo *veſicam* inurere juſſi. Craſtina lux docebit, an *variolas*, vel quid aliud expectare debeamus. (d. 15. *Decemb.*)

Acanthi *Filiola. Variolæ.*

§. Apud Acanthi *Filiolam variolæ confluentes* futuræ videntur; nam arctiſſime ſibi cohærent in facie, nec, uti alias ſolent, diſperſæ ſunt. *Alvi fluxus* adhuc durat, ſed puella non admodum debilis eſt. Nihil in methodo mutatum. Rogavit mater, an liceret filiolæ ſuæ præbere cochleatim *mixturam* Ephippi *Filiolæ* d. 29. *Nov.* præſcriptam, & minima ſui parte conſumtam? Conſenſi. Nam & iſta *Filiola* fuit *varioloſa.* (d. 16. *Decemb.*)

Uſiæ *uxor. Αἱμοῤῥοῦσα.*

§. Uſiæ *uxor* (12. *Decemb.*) hodie fere magis, quam antecedentibus diebus eſt αἱμοῤῥοῦσα, quærit, an non liceret *conſervam roſarum antiquam* aſſumere? Conſenſi, ſed non neglecto uſu *pulveris* ordinarii. An liceret *carnem aprugnam aſſatam* comedere? cum moderamine conceſſi. (d. 15. *Decemb.*)

Euſcopia

§. Euſcopia (d. 12. *Dec.*) ſemper moroſa adhuc & inappetens. Pergat cum ſuis medicamentis. Hæc virguncula mihi videtur *Noſtalgia* (Heimwehe.) laborare. (d. 19. *Dec.*)

Crotalomactis *Filiola. Aſthmatica*

§. Crotalomactis *Filia* indies deterior. (12. *Decemb.*) *Spiratus* fit *difficilior*, vires autem deficiunt: extrema frigeſcunt. Medicamenta nulla, ucunque ſapida, admittit. Quærunt, an liceret *clyſma domeſticum* applicare ob ventrem maxime tenſum? *Conſtipatio* non eſt. Dixi, ſine damno tentari poſſe, quamvis nec videam, quid emolumenti præſtare queat, ac ſuaſi, ut præter *Cremorem hordei & oleum olivarum* æqualibus portionibus mixta, nihil addi paterentur. Vix mortem evadet. (d. 18. *Dec.*)

XV. Mane

XV. XV.

MAne Mercurius ſub medio quarti gradus, veſperi ad primam ejus lineam ſubſedit. Liquor *thermometri*, qualis nunc per aliquot dies. Nox præterita ob incrementum quidem lunæ non tenebroſa, tamen nubila, dies partim nubila, partim ſerena.

Epiſtomius. *Hectica.*

§. Epiſtomius 26. annorum à tempore jam bene longo *tuſſicula* non præmodum humida laborat, cum *dyſpnœa, tabe, ſiticula*, appetitu debili, artuum magna laſſitudine. Quæſitus, num in æſtu ſummo frigidam affatim hauſerit? non diſſimulavit. Suaſi jam ante 3. ſeptimanas *lac caprillum* curative bibendum, cum *electuario antiphthiſico* euporiſto. Quum *lac* habere non poſſet, ſolo *electuario* contentus fuit, ſed absque effectu ſperato. Licet enim *tuſſis* ac *dyſpnœa* non ceperint augmentum, attamen laſſitudo fit indies major, ut vix brachium elevare poſſit, magis itidem contabeſcens, cum interpolato friguſculo & *phlogoſibus*. *Autumnus tabidis malus, ait* Hippocr. *Aph.* 10. *Sect. III.* Autumno autem includitur omne tempus, quod eſt ab *æquinoctio* autumnali ad *ſolſtitium* hibernum. Pergat cum *electuario* quolibet tempore ſumendo, mane vero, pomeridie & noctu ſumat 3. cuſp. cultri de *pulvere*, cum *aqua veronicæ ſirubo papaveris erratici* edulcata:

Rec. *Rad. ar. ppt. helen. irid. flor. aa.* ℥j.
diaph. ♃ *al.* ℈iiij. *fl.* 🜍 ℈ij.
elæoſacch. anis. ℥ß. *M.*

Vitetur vinum, item acida, acria & *dyſpepta* quælibet. (d. 19. *Dec.*)

Ephippi *Filiola minima. Variolæ.*

§. Ephippi *Filiola* (d. 4. *Dec.*) minima 2½. annorum, ſororculæ exemplum imitata *variolas* excludit. Nil dicam amplius, niſi circumſtantiis inſolitis ad recenſionem compulſus.

Bigneti *Filiolus. Epilepſia.*

§. Bigneti *Filiolus* adhuc frequenter *convellitur*, paroxyſmis neq; adeo enormibus, neq; diu durantibus, poſt quos exantlatos comedit rurſum & mammam ſugit. Interim collabitur facies, evaneſcit color roſeus, & ſpumula in quolibet paroxyſmo circa os colligitur. *Pulviſculo* d. 12. *Dec.* ordinato commiſceri juſſi *pulv. lumbric.* 🜄*ſtr. ppt.* ℈j. & loco *liquoris CC. ſuccinati*, ter in die propinari volui *Spiritus nervini gtt. vij.* cum reliquis omnibus pergendo. (d 16. *Dec.*)

§. Hisce diebus adoleſcenti cuidam a ſui ſimili duabus abhinc horis culter in abdomen haud procul umbilico impactus, qui die ſequenti mane mortuus eſt. Aperto abdomine inteſtinum jejunum transfoſſum fuit, *ileon* alicubi ſciſſum, Geſchlizzt, & *meſenterium* duobus

XV. bus locis vulneratum, fiſſis vaſis ſanguivehis *meſaraicis*. In abdomine ſanguinis congrumati copia.

Technaſtis *Filiolus.*

§ Technaſtis *Filiolus* heri per totam diem alacris & hilaris, veſperi tamen denuo magis languit, æſtu & ſiticula auctis, cum *tuſſicula* & *dyſpnœa*; omnia tamen, quam nudius tertius, longe leviora. Nondum in vado ſumus, quamvis hodie ſit æque hilaris, quam heri mane. Pulſus enim adhuc de præternaturali calore teſtatur. Pergant igitur cum ultimo ordinatis, & puellum in conclavi calefacto detineant. *Veſica* fluit ad votum. (d. 15. *Dec.*)

Synippi *Filiolus.* *Facies inflata.*

§. Synippi *Filiolus* præterita nocte ſuaviter dormivit, heri quoque cibum cum appetitu capiens. Facies non æque tumida, quam heri, nec tamen plane ſubſedit. Tanta tenſio in ea non amplius percipitur. Interim queritur de moleſtiſſimo *pruritu* totius corporis, cui ſcalpendo ſatisfacere fruſtra conatur. Calor adhuc eſt præternaturalis. *Mixturam* igitur *diaphoreticam* repetendam eſſe duxi. Rogatus de cauſſa morbi, dixi, naturam intendiſſe depurationem ſanguinis per ephidroſin vel ἄδηλον certe διαπνοήν. Lympham autem vel ſerum acre ſegregatum a ſanguine, ob viſciditatem intra cutim faciei minus perſpirabilem, ob aërem frigidum externum ambientem, ſubſtitiſſe, nunc regimine calido ac *diaphoretico* ſucceſſive attenuandam & per poros evocandam, unde non minus liquet cauſſa, ſerum ſalſum ſupponentis, pruritus. Annuebant *adſtantes* & recenſebant, hunc puerum convictui ſuo creditum fuiſſe ante biennium, capite per tineam adeo fœdato, ut vel quater in die mundandus fuerit, cui fini uſurpaverint illitum *unguenti* ex *pulvere*, quem Göſſelins-Pulver appellare conſueverint, cum *butyro inſulſo* ſubacto; Sic enim intra bimeſtre puerum fuiſſe perfecte ſanatum. Et, cum hactenus in capite ne quidem *ſcabiola* comparuerit, fortaſſe & interclufis exhalationibus lymphæ acribus inflationem iſthanc exiſtere potuiſſe; quod vero non eſt abſimile. Göſſelins-Pulver autem nihil aliud eſt, quam *pulvis Cocculorum orientalium,* ſeu *di* Levante, quæ, teſte Hoffmanno in *Clav.* Schröd p. m. 515. commendantur ad necandos pediculos contuſi, & cum *oleo* aut *pinguedine* miſti. (d. 16. *Dec.*)

Uſiæ *uxor.* *Molæ cutaneæ.*

§. Uſiæ *uxor* hac nocte auctiorem ſentit ſanguinis e *muliebribus* effluxum & præviis *torminibus* excluſit *molam cutaneam* parvam, inſequentibus hodie adhuc binis. In hujus ætatis muliere de *molis* nemo quid unquam tale cogitavit, alias *adſtringentibus*, quantumvis moderatis, a me vexata non fuiſſet. Et nunc quoque cauſſam didici, cur medicamenta

camenta hactenus omnia, fluxum ne quidem refrænarint, multo minus compescuerint? Exclusioni enim *pseudocyematum* intenta, & præpostera medicatione hactenus impedita Natura, non tamen commodo mulieris invigilare studuit, donec voti compos facta fuit. Juvanda igigur potius fuit leviter *pellentibus*, non præpedienda *adstringentibus*, sepositis igitur *infuso theiformi* d. 9. *Dec.* & *pulvere* d. 7. *Dec.* ordinatis, hodie substitui *mixturam* cochleatim sumendam, promovendo moderate *fluxui* dicatam: XV.

Rec. *Aq. meliss. puleg. menth. aa. ℥iß.*
ess. myrrh. ʒß. conf. de hyac. inc. ʒi.
sir. cinnam. ℥ij. M.

Confectio de hyacintho studio addita fuit, ut fræni vice inserviret, ne minimum fortasse *lochia* ista (analogice sic dicta) fluerent. Nunc mulierem brevi convalituram, plane spero.

Dolendum, primis ab irrito conceptu temporibus, indubitata *molæ* signa non dari. (d. 16. *Dec.*)

§ Usias ipse (d. 8. *Aug.*) de molesta *faucium & oris siccitate*, quum noctu lectum petiturus & mane relicturus est, queritur. Jussi, noctu ante somnum haurire vel *emulsionem amygdalinam*, vel *aquam fontanam* cum *sir. rub. idæi* in *Julebi* formam redactam. (d. 16. *Dec.*) Usias. *Oris siccitas.*

§. Horridula denuo *syncope hysterica* cum multis *vomitionibus*, nescio, qua occasionali caussa, correpta est. Ordinavi ei *mixturam* d. 18. *Augusti* efficaciter usurpatam, & dedi simul tres *pilulas* Wildegansianas. Horridula. *Syncope hysterica.*

§. Gripeutum *podagricum* visitavi. Narrabat, cum ante complusculos annos *acidulas* Jebenhusanas ad fontem bibisset, Helvetum quendam alutarium eadem potandi intentione Göppingæ moratum fuisse, qui *podagram* se ex fundamento *curare* posse gloriatus sit. Cum igitur eodem ipso tempore Gripeutus dictus *podagræ* dolorem in dextra manu sensisset, hujus alutarii consilio semet usurum decrevisse, præsertim, cum solis externis curam perfici posse diceret. Allatas fuisse prunas candentes, his injectum *pulverem fumalem*, ejus fetoris, qui cornu incensum referret, fumum exceptum fuisse linteo ita supra modum calfacto, ut pannum lineum tantum æstum sine combustione sufferre posse nunquam credidisset; huic fervidissimo & igneo fere linteo manum involutam cum tanto insupportabilis ustionis excessu, ut manum sibi combustam putaverit, & a clamore sibi Gripeutus. *Podagra.*

XV. temperare non potuerit. Factum hoc quater vel quinquies, ac dolorem remisisse. Dejerasse Helvetum, se, cum plurimis aliis, hujus beneficio, a *podagra* liberatum fuisse. Cum itaque Gripeutus eosdem *podagræ* dolores jam rursum sustineret, quærebat, quid mihi de cura videretur? Respondi in sequentem sententiam: Cum *podagræ paroxysmus* consistat in eo, ut ab orta feculenti sanguinis fermentatione segregatæ feces in artuum extremitates propellantur, ibidem acrimonia sua dolores excitent, & per transpirationem successive, cum dolorum remissione ac denique abolitione, excludantur, conceptu non esse difficile, quo pacto calor externus, ampliatis poris, transspirationem istam promovendo, a dolore liberet. Quemadmodum autem *podagricus* dolor quidem sic abigatur, ita *podagram* hac ratione curare velle, aprosdyonison esse; hanc enim externis curari non posse, dolorisque *podagrici* mitigationem, non esse *podagræ* curationem. Porro, sicuti negare nolim, a pannis supra modum excalfactis, transspiratione sic promota, *dolorem* hunc citius abigi posse; ita me quoque persuasum esse, quod a nimio tali fervore artus ad contracturas disponantur, ligamentis nimium exsiccatis & in se successive retractis, quale quid Borrichius *Vol. II. Act. Med. Hafn. Obs.* 54. notat, de *sacculis* oppido calentibus & siccis in *dolore calculi* in uretere hærentis locum dolentem adurentibus. Eo enim ipso, inquit, tunicam interiorem *ureteris* effici angustiorem & transmittendo calculo ineptiorem. Hanc vero nimiam adustionem facilius fieri posse in subjectis gracilibus & macilentis, quale sit Gripeutus. Mihi proinde tutius videri, ut dolores diutius sustineat, linteisque non adeo fervidis artus involvat, sic enim, licet non æque cito, tuto tamen *dolores* abigi posse. Nam & hic locum habere illud Hippocratis: *Omne nimium Naturæ inimicum.* (d. 17. *Dec.*)

XVI.

XVI.

HAc nocte Mercurius per quatuor lineas descendit, nempe, usque ad primam tertii gradus lineam, quod rarum; vesperi pauxillulum surrexerat: Liquor *thermometri*, qui semper. Post medium noctis pluvia, tota vero dies partim pluviosa, partim ventosa.

Occamus. *Tussis.*

§ Occamus (d. 26. *Octobr.*) 27. annorum, nuper demum a *febri intermittente* anomala liber, de *tussi* non admodum humida valde molesta querelas agit, satis interim appetens ac vegetus, nisi, quod a *febri* adhuc pallidus. Cum diu hic morandi locus non sit, exactam ejus curam habere

bere non possum, sed eam differendam esse judicavi, donec ab itinere rediens aliquando suus esse potest. Interim mane & noctu fiat *infusum theiforme ex veronica, mentha, ras. lign. sassafras & siliquis dulcibus*, quod edulcandum *rotulis tragacanthæ* contusis. Bibat semper tres scutellas, quarum primæ instillentur guttæ xxxx. *mixturæ* ex aa. ♁⊖✳. *anis. & ess. lignor.* De sequenti *electuario* sæpe sumat quantitatem castaneæ: XVI.

Rec. *Elect. resumt.* ℥j.
Cons. fl. papav. rh. bellid. aa. ℥ß.
bol. arm. ppt. spec. diatrag. fr. aa. ʒiß.
ther. Androm. ʒij. *sir. viol. q. s.*
M. F. Elect. med. consist.

Hæc *tussis* est ex *destillatione acri*.

§. Usiæ *uxor* vehementer adhuc ex *utero fluit*, & simul excludit thrombos satis grandes. Lassitudo artuum est major, sed appetitus tamen integer & calor præternaturalis nullus. Metuit sibi de *profluxu sanguinis arteriosi*, das Herzgeblühte gehe ihr an; ideoque flagitat *adstringentia*. Ut ipsi aliquo modo satisfacerem, scripsi *pilulas*: Usiæ uxor.

Rec. *Extr. torment. papav. comp.*
🜄. *catech. aa. gr. vj. M.*
c. ess. anod. F. pil. n. xviij.

Sumantur novem statim, postquam ex *officina* venerunt, reliquæ novem pomeridie hora quarta. Sed interim non negligatur *mixtura* heri ordinata; qua usurpata non est, quod *fluxum* sisti metuatur.

Quamdiu adhuc sanguinis congrumati massulæ prodeunt, inutilis est *adstrictio*. Nam ille sanguis jam est extravasatus, alias in coagulum abire non posset. Talis autem sanguis in corpore non retinendus, quum acescat, & in pus abeat. (d. 17. *Dec.*)

§. Recordabitur *Lector*, nos 13. *Dec.* locutos de cura, quam Gephyrius Melodidascalo proposuit. Quum igitur tunc ad Usiam provocasset, egoque occasionem cum Usia loquendi nactus essem, an & cui fini, & quocum effectu talem curam usurpasset, sum expiscatus. Dicebat, se per totum triennium ex ignota sibi caussa laborasse *hemicrania periodica*, quæ semper cœperit cum ternis præterpropter *sternutationibus* hora prima pomeridiana, duraverit usq; ad septimam vespertinam, cum septenis circiter *sternutationibus* cessaverit, dolore adeo vehementi ac acerbo existente, ut sui fere semper oblitus & fere lymphatus fuerit, exantlato vero *dolore* sibi nil passus vide- Usias. *Cephalæa periodica.*

XVI. videbatur. Sexcentis intra hoc triennium frustra usurpatis venisse Gephyrium & quidem nunc ante octennium; Omnia supra memorata (sc. 13. *Dec.*) se adsumsisse sine ullo vel tædio vel damno, sed ultimo dixisse Gephyrium, naribus esse attrahendum *pulverem gummi guttæ*, quod cum mane hora octava fecisset, profluxisse non guttatim, sed pleno radio, *blennam ex oculis*, *naribus*, *ore*, incredibili fere quantitate, sed infernali, & vix ullo calamo describendo, dolore ac ardore, se desperatissima locutum, animo sæpe defecisse, oculos ex orbitis fere prolapsos esse, cruciatum hunc durasse usq; ad quartam pomeridianam per integras octo horas. Diffiteri se non posse, quod dolor iste quadamtenus fuerit consopitus, nec suam amplius periodum observarit. Interim tamen, si centum ducati darentur, se mori electurum prius, quam adhuc semel istam sustinere curam, quam nemini suasurus esset, etiam internecino hosti. Hactenus bis se bibisse fontem Egranum & semper inde melius habuisse, sic, ut ab illa *Cephalæa* nunc frequenter per tres septimanas & ultra vivat immunis, nisi cum Baccho meracius litavisset. Cum itaq; Usias sit vir robustus, pinguis ac torosus, Melodidascalus macilentus & enervatus, huic multo minus, quam isti, violentum hunc *rheumatismum artificialem*, convenientem futurum, luscus quoque e longinquo viderit; eoque magis, quod Usias momentis singulis, ne *convulsiones* erumperent, metuere necesse habuerit, hic autem, nempe apud Melodidascalum *convulsivi* genæ dextræ *motus* jam adsint. Quomodo vero conciliandum, quod Gephyrius ad Usiam dixerit, *pulverem* suum *errhinum* constare ex *gutta* Cambodia, in scripto autem ad Melodidascalum, eundem dicat esse ☿*ium præcipitatum solarem*? Certum est, *purgantia* plerumq; simul esse *sternutatoria*, nusquam tamen *guttam* Cambodiam operæ tam violentæ, qualis supra describitur, adhibitam fuisse novi. Credibile est Gephyrium Usiæ, rerum mineralium non plane ignaro, glaucoma facere ipsumq; memoratione *mercurii præcipitati* non terrere voluisse, quippe qui æqualem fere cum *pulvere guttæ* Cambodiæ colorem exhibet.

Acanthi *Filiola.* *Variolæ.* §. Acanthi *Filiola* (24. *Dec.*) *profluvium alvi* non amplius patitur. In cursu *variolarum* bene procedit, sic, ut, nisi improvisum aliquod symptoma advenerit, de ea nihil amplius sim memoraturus. (d. 19. *Dec.*)

§. Tech-

§. Technastis *Filius* in hesterno statu deprehensus. *Vesica* in brachio excitata largiter fluit. Pergendum cum hactenus ordinatis, donec prælerlapso *plenilunio* locus concedatur *purganti* medicamento. XVI. Technastis *Filiolus*.

Vesperi nunciatum, quod *Filiolus* frequenter pavescat cum æstu rursum aucto, *tussi & laborioso spiratu*. Quid? si adhuc *variolas* excluderet?

Rec. *Aq. fumar. rut. aa.* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
specif. cephal. ʒß. *bez. miner.* ℈j. *sir. fumar.* ℥ß. *M.*

Detur cochleatim, & cum hoc, vel alio gratiore vehiculo ter in die præbeantur guttulæ x. *mixturæ* sequentis:

Rec. ⁓⊖✳. *anis.* ʒj. ℞*æ. croc.* ℈j. *M.* (d. 17. *Dec.*)

§ Bigneti *Filiolus* indies debilior & frequentiores, imo quoque violentiores *motus convulsivos* sustinens, instantis *plenilunii* vim ægre tolerabit. Ob intervalla inter quemlibet paroxysmum nimis brevia, pulticula dari non potest. Nec mammam sugere vult, quod hactenus semper adhuc fecit. Pergant cum consuetis in- & externis. (d. 17. *Decemb.*) Bigneti *Filiolus*. *Epilepsia*.

§. Agoranomo nuper (d. 7. *Sept.*) suaseram lotionem brachii adhuc *ex arthritide* parum dolentis & ad movendum parum agilis, cum *decoctione calcis in coctura acidularum* Göppingensium *ahenis adnatæ*, quod nunc aliquoties multo cum levamine fecit, adhuc, si diutius lavare pergat, majus absque dubio percepturus. Agoranomus.

Lapides isti, licet fere nihil, quam *lapis calcarius* videantur, tamen cocti pro lotione *membris paralyticis* non parum inserviunt, argumento, non omni *salina* virtute eos esse spoliatos, quamvis in sensum gustus æque non cadat, quod de omnibus ejusmodi *calcibus* prædicari debere censeo.

§. Synippi *Filius melior. Pruritus* desinit. *Facies* detumescit: Maneat tamen in lecto & *mixtura diaphoretica* uti nondum negligat. (d. 17. *Decemb.*) Synippi *Filius*.

§. Melodidascalus (13. *Dec.*) magis quam unquam *dolore dentium*, capitis, & aucto hinc *genæ spasmo* cruciatur. *Dens cariosus* cauterio quidem denuo tactus, sed inde, uti prius, ita nunc levamen omnino nullum. Dedi 30. guttas ℞*æ. bezoard.* cum scutella *Thée* ad provocandum *sudorem*, qui licet non præmodum largiter fluxit, levamen nihilominus symptomatum procuravit. (d. 17. *Dec.*) Melodidascalus. *Odontalgia*

§. Nisseti *Oecodulis purgans* d. 28. *Nov.* ordinatum demum ante octiduum usurpavit, quod eam vehementer exercuit, sic ut de secuto Nisseti *Oecodulis*

XVI. *ſtomachi dolore* quereretur. Fateor, ſatis *draſticum* fuiſſe, nec facile hac doſi imitandum; ſed, cum *pulvis* d. 29. *Martii* ordinatus fere nihil operatus fuiſſet, ad augendam, autumnali cumprimis tempore, doſin ferme compulſus fui. Dixi, ut ſtomachum ſolaretur *electuario diacoro* ter, quater in die *nucis myriſticæ* magnitudine ſumto. Sed hactenus ſemper languet. Appetitus eſt proſtratus, *torminibus* cruciatur. &c. Mane ſumat 4. cuſp. cultr. de *pulvere* per ſe:

Rec. *Pulv. ſtomach.* Birckm. ℥ß.
cor. r. ppt. CC. uſt. ppt. aa. ʒj.
elæoſacch. caryoph. ʒvj. *M.*

Pomeridie vero & noctu guttæ xxxx. *mixturæ* cum potu ordinario accipiantur:

Rec. *elix. balſam.* ʒiij. *eſſ. anod.* ℈j. *M.* (d. 19. *Dec.*)

Thraſo. §. Thraſo (d. 13. *Decemb.*) per DEI gratiam ab affectu ſuo periculoſo plene convaluit, quem tamen adhuc per aliquot dies *pulverem* ultimum uſurpare juſſi. (d. 2?. *Dec.*)

Iſatis. *Scabies.* §. Quod d. 13. *Dec.* Iſatidi promiſeram *electuarium hæmocatharticum* contra *ſcabiem*, (quæ tamen interea temporis aliquantillum ſiccеſcere ac ſanari cœpit) hodie præſcripſi, cras volente DEO ſic inchoandum, ut ejus pars tertia ſumatur cum regimine, reliquis portionibus perendie, ac d. 19. *Dec.* acceptis:

Rec. *Fol. ſenn. ſ. ſ.* ʒiij.
hermodact. ver. turpeth. alb. & gummoſ. aa. ʒiß.
pulv. lign. ſaſſafr. guajac. ſarſapar. aa. ℈ij.
ſir. fumar. q. ſ. F. elect. pro 3. doſibus matutinis.

Quo conſumto alternis noctibus articulationum fiat inunctio calida:

Rec. *Ungu. nutrit.* ℥ß. *æthiop. miner.* ʒiß.
ol. laur. ʒij. *Tart. per del.* ʒj. *M.*

Filiolus. *Scabies.* Quem eundem illitum etiam ſuaſi *Filiolo*, poſt uſum *pulveris diuretici* d. 2. *Dec.* præſcripti. (d. 22. *Dec.*)

XVII.

XVII.

Mercurius mane in medio tertii gradus ſubſtitiſſe viſus, veſperi paullo altius aſſurrexit. Liquor *thermometri* veſperi tertium gradum aſſecutus eſt. Nox fuit nubila & ferme cum tota die pluvioſa.

Uſiæ *uxor.* *Molæ membranoſæ.* §. Uſiæ *uxor* noctem egregie tranſegit, *fluxu* multum diminuto, ſic ut mane quoq; ſatis commode vixerit. Sed pomeridie, prævio *dolore*

re lumborum lacerante, rursum exclusit *molam membranaceam* prioribus XVII.
per omnia similem, cum *fluxu sanguinis* satis *largo*, viriumque decremento. Perterrita mulier extrema sibi imaginabatur. *Fluxum* hunc vi retineri non debere exemplis *uxorum* Cusani & Schoarchi demonstravi, animumq; addidi meticulosæ. Quid enim in utero faceret cum istis *molis cutaneis?* ordinavi *electuarium* ex modice *adstringentibus & roborantibus*, cujus interdum *nucis moschatæ* quantitas deglutiatur:

Rec. *Conf. rof. r. antiq.* ℥j. *symphyt. fl. tun. aa.* ʒiij.
pulv. analept. fr. inc. spec. de gemm. frig. aa. ʒß.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. cinnam. q. s. F. Elect.* (d. 19. *Dec.*)

§. Technastis *Filiolo* post *plenilunium* nunc elapsum (cujus ingressus fuit cum larga pluvia.) *purgans* ordinavi tale: Technastis *Filiolus*.

Rec. *Pulv. gial. n. resin. gr. vj.*
magist. gial. scamm. aa. gr. iij.
ol. cinnam. gutt. j. M. pro 1. dosi cras sumenda.

Et cum identidem sabulum rubrum linteamina tingens cum *urina* fere *suppressa* prodiens observassent, puellum *nephritide* laborare conjiciens, laudavi jugem, sed inordinatum tamen, usum *pulvisculi*:

Rec. *Rad. alth. pulveris. Oc.* ♋. *crud. cont. aa.* ʒj. *M.* (d. 19. *Dec.*)

§. Synippi *Filiolo*, post omnimodam ferme evanescentiam faciei tumidæ in complementum curationis præscripsi *haustulum pro 1. dosi*: Synippi *Filius*.

Rec. *Pulv. Cornach.* ℈j. *sir. de cich. c. rh.* ℥vj.
magist. gial. gr. iij. aq. cinnam. ʒß.
aq. fumar. ℥ij. *M. pro 1. dosi.*

§. Huc vocatus a Melodidascalo celebris quidam *Odontiater*, ut Melodidascalus. *Odontalgia*.
ipsi *dentem cariosum*, e dextra superiori maxilla, evelleret, heri vesperi comparuit. Cum hodie mane operationi accingeremur, Operator frustra rem tentavit, eo quod *contractionees spasmodicæ* continuæ eum prohiberent. Suasit idem homo, ut naribus attraheret *elixir vitæ* Matthioli *completum*. Fecit; sed illa die tamen impediti operationem in crastinum differre cogebamur. Interim Melodidascalus transmissam sibi aliunde formulam *electuarii* monstrabat, judiciumque de ea meum requirebat; *Electuarium* tale fuit:

Rec. *Elect. aureæ* Alex ℥ij.
conf. fl. tun. majoran. anth. aa. ʒiij.

XVII. *nuc. moſch. cond. rad. ſatyr. cond.*
ſummit. cort. aurant. cond. aa. ℥ß.
ſem. ſinap. alb. ℥j.
ol. citr. ℈j. *rut. cinnam. aa. gutt. iiij.*
⊖. *epilept.* Mynſ. *gr. xiij.*

Cum *brodio nuc. moſchat.* & *ſir. cinnam.* q. ſ. F. *Electuarium.* D. *ad ollam.* Sumantur mane & noctu 2. cuſp. cultri.

Si quis inconcinnam hanc *confectionem* ex encomiis & uſibus, qui ipſi attribuuntur, æſtimet, nil unquam ad Melodidaſcali affectum accommodatius excogitatum eſt. Dicitur enim efficax eſſe contra *capitis defluxiones frigore conceptas, cum ejus dolorem confeſtim mitiget, oculorum lacrymas ſiſtat, dentium dolores ſanet, omnem noxam capitis a frigido & humido non modo epota, ſed & impoſita, & fronti illita compeſcat, comitialibus, vertiginoſis, paralyticis, apoplecticis bene faciat*; &c. At vero ſi unquam aliqua *compoſitio* virgulam Zwölferi cenſoriam meruit, hæc ſane tam inepta meruit, & væ illis *apoplecticis, vertiginoſis* &c. Quibus aliunde remedium non ſuppetit! Recte omnino dictus Zwölferus *confectionem* Archigenis huic *aureæ* Alexandrinæ præfert. Nec operæ pretium eſt, eam in examen vocare. Quid autem *radix ſatyrionis condita* hic faciat? quales ſunt *ſummitates corticum aurantiarum?* Forſan *umbilici* (die Buzzen.) vel potius, quod de petiolo reliquum eſt, condientur. Quid *grana tredecim ſalis epileptici* Mynſichtii, itidem ex 25. ingredientibus conſtantis, in tanta compoſitione? & cur præciſe grana ſint tredecim? Alia profecto longe concinniora & efficaciora Melodidaſcalo jam ordinata fuerunt, ſine notabili ſucceſſu: Quid ſperandum ſit de illa tam incompoſita farragine? (d. 18. *Dec.*)

Bigneti Filiolus. Epilepſia. §. Suſtinuit per DEI clementiam *plenilunii*, poſt medium præteritæ noctis ingruentis, impetum Bigneti *Filiolus. Convulſionibus epilepticis* per totam veſperam heſternam indeſinentibus & atrociſſimis quaſſatus fuit miſellus, ut *adſtantes* nil, niſi mortem, expectarent, ſed poſt horam noctis undecimam, a ſuis ærumnis liberatus, indormiit, ſomno per totam noctem protracto, hodie mammam avide arripuit, pulticulam comedit, & rurſum in ſomnum ſuavem lapſus eſt, ſic ut nova convaleſcendi ſpes affulgeat. Ut medicamentis, cumprimis *mixturæ* & *pulviſculo*, diligenter inſiſterent, monui. (d. 18. *Dec.*)

Æthiopis Filiolus. §. Æthiopis *Filiolo* 4. annorum, jam ab aliquot diebus *tuſſienti*, æſtuanti, ſitienti, languido, cum pulſu celeri &c. nudius tertius ordina-

dinaveram duos *pulvisculos* ex *cryſtall. ppt. & bez. miner. aa. gr. xv.* cum *aquis veronicæ & fragorum, ſirubo papaveris erratici* edulcatorum, præbendos. Hodie, poſtquam notabiliter remiſit æſtus, *tuſſis* autem adhuc vexaret, *ordinavi pulviſculum*, cujus ter in die 2. cuſp. cultr. quovis modo exhibeantur: XVII.

Rec. *Spec. diatrag. fr.* ℥ij. *antibect.* Pot. ℥i.
extr. papav. errat. gr. vj. elæoſacch. anis. ℥iß. *M.*

§. Gripeutus (d. 15. *Dec.*) *ſe ſomniis* noctu vexari, ſic ut ne per horam quidem illis expers dormiat, ſibiq; de *apoplexia* metuere dicit, ac petit remedium. Quis autem huic *phantaſiæ* ludibrio medeatur? Certe in *Practicorum* libris de remediis contra *inſomnia* nihil reperitur. Solus *Wedelius Diſp. de inſomniis* Cap. 4. hanc arenam ingreſſus eſt, & inter alia commendat *Refrigerantia, lympham contemperantia, reſtituentia, diluentia, refrænantia, concentrantia, quin & roborantia & anodyna.* Ad cujus ductum ſeni huic ſupra quam ſexagenario, macilento, exſucco, *podagrico, nephritico*, præſcripſimus *electuarium*, cujus, ſingulis noctibus ante ſomnum, juglandis quantitatem aſſumat: Gripeutus. *Inſomnia.*

Rec. *Sir. beton. papav. err. aa.* ℥iß.
conf. alk. c. ʒij. *extr. papav. comp.* ℈i.
ſpecif. cephal. pulv. analept. fr. Mind. inc. aa. ℈ij.
ſir. papav. a. q. ſ. F. Elect. conſiſt. mollioris.

Bibi quoq; apud Gripeutum *Acidulas* mihi hactenus incognitas Berſtlingenſes, aliquot horarum diſtantia ultra Tubingam ſcaturientes, verſus *Hercyniam ſilvam*; Mirabar earum acredinem, cum ipſæ Göppingenſes noſtræ huc deportatæ tantum acorem non ſervent, &, ſi huc delatæ tam profunde ſuos aculeos linguæ infigunt, quid facient ad fontem bibitæ? Proxima occaſione earum contenta per *reagentia* ſic dicta explorare decrevi.

XVIII.

MErcurius nocte præterita rurſum fere per tres lineas adſcendit, & in prima linea quarti gradus quievit; veſperi vero usque ad tertiam lineam quarti gradus, adeoque intra nycthemeron per quinque lineas adſcendit. Nox tota fuit vehementer pluvioſa, cum inſequentis hodiernæ diei potiore parte. Auguror frigus & cœli *ſerenitatem.* XVIII.

§. Hac octava matutina parati eramus ad operationem cum Melodidaſcalo in *evulſione dentis* ſuſcipiendum, ſed tam continuæ erant Melodidaſcalus. *Odontalgia.*

XVIII. erant genæ dextræ *contractiones spasmodicæ*, ut manum operi applicare impossibile fuerit. Suadebam interea, ut, juxta consilium D. Bernensis, (vid. *Mart.* 2.) *balsamum* 🜍, cujus ibi mentio facta, per fistulam tabaci bombace exceptum sugeret, fore sperans, ut vel parvum intervallum concederetur *spasmi* tam intempestivi; Sed frustra; nam nec pomeridie, ut voluimus, potuimus. Volui, ut *liquoris CC. succinati* gtt. xxx. ex *aqua cerasorum nigrorum* hora 4ta. pomeridiana, noctu ante ingressum lecti & cras mane sumeret, verticem autem, nucham & tempora inungeret aliquoties *balsamo* mox secuturo, & *vesicatorium* grande scapulæ dextræ affigi curaret; num forte DEO placeret medicationi huic ita benedicere, ut per octavam saltem horæ partem cras a *contractione faciei* liber esse posset patiens, pro concedendo extractioni dentis accommodo tempore:

Rec. *Axung. castor. ver. ol. nuc. mosch. expr. aa.* ℥j.
ol. succin. rut. aa. ℈j.
lavend. anth. salv. aa. gtt. v.
bals. peruv. ʒß. *M.* (d. 19. *Dec.*)

Greniltæ Filia scabiosa. §. Greniltæ *Filia* 12. annorum *scabie humida* laborat. Jam nuper suasi lotionem cum ▽♆æ. Pater noluit, sibi metuens a ♆, quam nonnulli *venenum* esse sibi persuadent, etiam foris usurpatam, hujus loco manus usque ad cubitum ungere passus est *unguento nutrito*, quasi usus *lithargyrii* usu ♆ tutior sit? Cum igitur manus ab illo litu sanatæ propemodum fuerint, rogat mater, an liceat pedes quoque illo *linimento* ungere? dixi, quod sic. *Unguentum* enim *nutritum* nihil est aliud, quam *unguentum de lithargyrio*, quod confit modo simplici (quo idem parat mater hujus *scabiosæ*) e *lithargyrio* cum *aceto* & *oleo rosarum*, cui Augustani addunt *cerussam. vid. Dispens.* Brandenb. Pater interrogabat, an *Balneas* Cantstadienses salutares huic malo judicarem? Affirmative respondi, quamvis idem effectus etiam a *cervinis* expectari posset. Regessit mater, balneasse *Filiam in aquis cervinis* ante annum, sed postea multos accepisse *furunculos*. Reposui, aut esse fallaciam caussæ, aut *Filiam* desiisse lavari, quum primum conspicerentur isti *furunculi*, cum potius pergendum fuisset.

Bigneti Filiolus. Epilepsia. §. Bigneti *Filiolus* a tempore *plenilunii* hucusque convulsiones non amplius habet, usque ad horam decimam antemeridianam, post quam redierunt aliquoties fortiter per *biborium*; inde denuo cesserunt, & puellus agilis comedit ac bibit. Cum triduo *constipata* esset *alvus*, suasi

suasi *clysma domesticum* e *lacte cum oleo olivarum & pauco saccharo.* Cum *pulvisculo*, *mixtura cordiali & balsamo pergant.* (d. 19. *Dec.*) XVIII.

§. Crotalomactis *Filiola* (d. 14. *Dec.*) nudius tertius est mortua, sicuti prædixeram; & quomodo convalesceret in summo *suffocationis* gradu nil medicamentosi admittens. Parentes petunt a *Medicis*, ut juvent, pusillos autem refractarios ad Medicamenta assumenda cogere nolunt: **Es mögte sonst Gichter kriechen.** Hodie multi similes sunt Naamanis *Regis* Syriæ *Archistrategi*, 2. *Reg.* 5. *v.* 11. *Putabam, quod* Elisæus *egrederetur ad me, & stans invocaret nomen* Domini DEI *sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me &c.* At vero, si tale quid possemus *Medici*, res *Pharmacopolarum* ad laqueum reditura fuerit. Distinguendum est inter tunc & nunc.

Crotalomactis *Filiola.*

§ Corbiniani major natu *Filiolus* 10. annorum, ab infantia texturæ tenerioris ac macilentus, ab aliquot jam diebus vicissim horridulus est, & præternaturaliter calens, parum cibi appetit, potus nimius, somnus inquietus, *tussicula* nulla, nullum *asthma*, *sudor* nullus: Urina justo coloratior. Primordia *febris lentæ & hecticæ.* Caussam arbitror sanguinem tenuem & acrem, olim *biliosum* dictum, particulis roscidis & balsamicis fere pauperem. Sumat mane, pomer. et noctu cusp. 3. cultri de *polline* sequenti per se:

Corbiniani *primogenitus* *Febris lenta.*

Rec. *Spec. diacret* Mynf. ℥ij.
pulv. hepat. r. antihect. Pot. *aa.* ℥iß.
elæosacch. mac. ℥iij. *M.*

Gelatina ex aa. ras. CC. & ebor. cum aqua fontana simplicissimo modo parata bis in die, nempe in principio prandii ac cœnæ, ad cochl. j. liquescat in scutella jure calido carnium repleta, & calide assumatur. Vitetur potus meraci, fugiantur nimis *aromatisata.* (d. 21. *Dec.*)

§. Ligerantus 28. annorum, jam præterita æstate cœpit affligi molesto *aurium tinnitu & susurru*, quo sponte bis recedente nil amplius sensit, nisi autumno declinante versus hiemem, malo, non obstante medela a Rapsaceo præscripta, sic aucto, ut fere nil amplius audiat. Caput neque dolet, neque sensus est obtusus, *vertigo* non adest, vegetus est ad actiones, edit, bibit, dormit: nec *tussis* adest, neque *coryza*, imo nihil morbosi. Caussæ externæ nullius recordatio. Nuper jam *pilulis cephalicis purgatus* est. Ab *intemperie* cerebri *humida* hæc omnia provenire existimans, ordinavi *nodulos masticatorios* mane usurpandos, quales jam, cum utendi modo, plures in istis paginis

Ligerantus. *Barycoia.*

XVIII. ginis exſtant. Poſt quemlibet *apophlegmatiſmum* mane finitum, uti & noctu ante ſomnum, ſumantur guttæ 40. *mixturæ* ſequentis e quolibet vehiculo:

Rec. *Tæ. Succin. eſſ. lignor. aa. ℥iij. M.*

Oleo Sequenti bombax contortus imbuatur & calide noctu ante ſomnum utrisque *aurium conchis* indatur, per totam noctem relinquendo, mane extrahendo, & alium, ſed tantum per dimidiam horam, immittendo:

Rec. *Ol. amygd. am. ℥ij. ſuccin. ℈ß. M.*

XIX.

XIX.

MErcurius mane in prima linea quinti gradus repertus, veſperi medium ejusce gradus occupavit. Liquor *thermometri* heſterna ſtatione paullo depreſſior, per totam diem idem permanſit. Nox fuit ſerena & frigidior, dies partim clara, partim nubila.

Melodidaſcalus. *Odontalgia* §. Cum Melodidaſcalus metuiſſet, ne *veſicatorium* ſcapulæ impoſitum in vertendo ad dextrum latus corpore nimias noctu moleſtias crearet, idem intra ſcapulas, me inſcio, affixum eſt. Quidquid tamen ſit, *veſica* ſane magna excitata fuit, & nos tantum lucratos eſſe credimus, ut majus intervallum conceſſerint *genæ contractiones ſpaſmodicæ*. Igitur hodie denuo manus admota ſecundo denti molari ſuperioris maxillæ dextræ, qui plane ad radicem usque exeſus erat. Sæpius tamen operator deſiſtere coactus fuit per dictas *contractiones ſpaſmodicas*. Primam operationem fecit cum *Pelicano*, ſed tantum fecit unam dentis partem aliquatenus vacillare; eam nempe, quæ propior erat. Poſtea vectem admovit, quem a figura *pedem caprillum* (Geisfuß.) vocant, & ſic dictam partem vacillantem dexterrime evulſit, altera ſimul vacillare facta, quæ, verſus angulum *maxillæ* reſpiciens, cum aliter eximi non poſſet, *roſtro* deniq; *corvino* emotus eſt. Figuræ horum inſtrumentorum videantur ap. Scultetum, *Armament. chir. part. I. tab. X.* & Solingum *Tab. III. Hæmorrhagia* fere nulla ſecuta & per integrum bihorium occupati fuimus, donec operatio, per DEI gratiam, feliciter peracta fuit. Neq; unquam vidi *dentis* unius *evulſionem* tantum negotii faceſſere. In culpa erant tunc *contractio genæ ſpaſmodica*, qua durante operari non licebat, tum doloris ipſius perpetuus impetus: (Das Einſchieſſen des Schmerzens) Det modo DEUS, ut effectus inde ſperatus ſequatur, quod juxta mecum omnes boni votis omnibus expetunt.

Nota-

Notabile eſt, quod hic Operator narravit de quodam *Errone* Auguſtano, qui ante circiter biennium etiam hic Stuttgardiæ fuit, jusq; civitatis quæſivit, cujus quoq; *inſtrumenta odontagoga* ipſe vidi. De illo ſcil. dicebat, eum habuiſſe *pedes caprillos* aliquatenus excavato ſcapo præditos, (außgehölete Geisfüſſe.) in horum cavitate condidiſſe radicem effractoriam, (Springwurzel.) quo inſtrumento ſi *dentes* ſolummodo attigiſſet, eos ſponte e cavernis ſuis exſiliiſſe; hujusque operationis ſe non ſemel teſtem oculatum adſtitiſſe prædicabat; *Radicem* quoque ſe vidiſſe ajebat, quæ *capitellum* inſtar *lacertulæ*, binis quoque ocellis præditum monſtraverit. Vidi & ego ejusmodi *radicem effractoriam*, ſed nil ejusmodi *capitelli*, remq; hanc prodigioſam fuſe excuſſi in *Ann.* VII. & VIII. *Dec.* III. *Ephem. Cur.* Obſ. 80. *Radicula* iſta digitum medium præterpropter longitudine æquabat, calami ſcriptorii crasſitie, arida fuit, fibroſa, cavernoſa & quaſi *arundinacea*, imo caulem magis, quam radicem referens. *Radix* hæc ſequenti modo acquiritur: *Quæratur arbor, cui picus innidulatur, obſervetur matris aviculæ egreſſus, nidique oſtium clavo trabali oppeſſuletur, repoſita ſubter arborem ruffi coloris veſte, vel alia re colorata, expectetur in loco quodam vicino aviculæ reditus, quæ januam clauſam reperiens dicto citius iterum avolabit, mox reditura, roſtilloque ſuo radiculam dictam allatura, oſtiolo nidi admovebit, qua vix admota clavus reſiliens una cum radicula ſuper veſtem ſuppoſitam decidet.* Hac *radice* feræ omnes contactæ ſponte aperiuntur, ut clave nulla ſit opus. Plinius *lib. X. cap. 18. jam* hujus *radicis* mentionem injicit, vid. Matthiol. *Herbar. lib. III. cap. 103. p. 308. a.* Quod loco dicto de ferarum effractione judicavimus, idem de ſpontanea dentium per hujus *radicis* admotionem exſilitione judicamus, ſi *verum* eſt, quod Operator narravit, *virtute* nempe *magica* id fieri. (d. 20. *Dec.*) XIX.

§. De Acanthi *Filiola* (16. *Dec.*) tamen adhuc habeo, quod moneam. Nempe *variolas* neque tam grandes, uti alias ſolent, factas, neque tam diu ad maturationem & exſiccationem earum opus fuiſſe; nam hodie, die ſcil. octavo ubique fere jam aruerunt, quod alioqui in facie die circiter undecima communiter incipere ſolet. Idem mihi quoque obſervatur in Ephippi *Filiola* natu minima bienni. Cauſſam arbitror eſſe; quod ab initio & ante plenariam eruptionem hæ puellæ laboraverint *diarrhœa*, unde, materia *variolis* jam in eruptione conſtitutis ſurrepta, eæ quidem numeroſæ, ſed ſolito minores evaſerunt. Acanthi *Filiola. Variolæ.*

§. Niſſeti *Oecodulis* per totum tempus a ſumta *purgatione* (16. *Dec.*) adhuc *alvi profluvio* laborans, languet, redeunte tamen appetitu. Niſſeti *Oecodulis Alvi profluvium.*

 Suaſi,

XIX. Suasi, ut mane & noctu sumeret quartam partem *nucis moschatæ* comminutam cum *vino rubello*, & cum nuperis *stomachicis* pergeret. Vesperi semper languidior est, quasi quid *febrilis* sub illo schemate delitesceret.

Usiæ *uxor*. §. Apud Usiæ *uxorem* (d. 17. *Dec.*) *fluxus sanguineus* fere insolidum cessavit, ipsa quidem adhuc lassa existente, sed appetente tamen. Interdum & vagæ sunt *phlogoses*. Jussi adhuc in lecto manere, eupeptis uti, & reliquias *electuarii* nuperi consumere. (d. 21. *Dec.*)

Euscopia §. Sed & Euscopia (d. 14. *Dec.*) per DEI gratiam, omnino convaluit. (d. 31. *Dec.*)

Epistomius. §. Epistomius ab ordinatis d. 15. *Dec.* levius habet, adeo, ut nunc per biduum, quin opificio suo incumberet, non impeditus fuerit. Jussi, ut diligenter usui dicti *pulveris* insisteret, eumque assumeret cum decantata *aqua tanaceti composita*, cujus simul haustum bonum superbiberet.

Nipsus. *Cephalæa hypochondriaca.* §. Nipsus (6. *Aug.*) a mense *Aug.* quo *balneis* Gantstadiensibus usus est, usque ad præsentem horam, nunquam bene habuit, in oculo sinistro plane cœcus factus, continuantibus quoque *capitis doloribus*. Heri per totam diem de frigusculo & lassitudine conquestus fuit, noctu vero incidit in horrorem vere *febrilem* diu durantem cum summo *capitis dolore & deliquiis animi*. Unde perterriti Adstantes circa mediam noctem *Parochum*, quasi ad agonizantem, vocarunt. Hodie & ipse accersitus hominem inveni satis debilem & de *dolore capitis* totius, temporum præsertim & nuchæ, querelas acerbas agentem; & licet tunc quidem calor præternaturalis frigus illud non fuerit secutus, de *febre* tamen *catarrhali*, fortasse continua, nihil dubito. Bis hodie amarissima vomuit; In scutella juris calidi liquefiant ℥vj. ⊖*is polychresti* pro una dosi. *Pulvis masticatorius* consuetus paretur, & ex eo noduli linei mane jejuno stomacho, donec prolectio sputi desierit, *masticandi*. Mane post *masticationem*, item pomeridie tertia & noctu ante somnum ex jure calido sumantur guttæ xxxx. *mixturæ:*

Rec. *Tinct. ♂. hellebor.* ʒij. *succin.* ʒj. *ess. anod.* ℈j. *M.*

Emplastrum regium Burrhi corio inductum toti capiti raso imponatur, relinquendum per quatriduum. Diæta sit congrua. (d. 20. *Decemb.*)

Bigneti *Filiolus.* §. Bigneti *Filiolus* ab hesterna meridie ad hodiernam vesperam *convulsiones* passus non est, si cum *pulvisculo & balsamo* diligenter perrexerint, per DEI gratiam quoque, convaliturum esse nullum est dubium. (d. 20. *Dec.*)

§. Obla-

XIX.

§. Oblatus mihi fuit puellus *Spurius* 4. annorum, qui, cum expedite loqui potuisset, nunc ab aliquot diebus incipit hæsitare, **stazzken** hic vocant, alibi **gazzen** vel **gakken**. Tentavi puellum, ut loqueretur, qui ita loquebatur, v. gr. **das walt Go- Go- Gott der Va- Va- Vatter** &c. Hoc vitium, quomodo Latinis vocetur, ignoro; aliqui *blæsitatem* vocant, alii *Hæsitantiam*. Gieswein *in Hodego p. m. 672. Battarismum* (græcis ἰσχνοφωνία.) *cum quis primam vel aliam syllabam cum labore ac difficultate repetere cogitur.* Quid proprie sint *blæsi*, quid *balbi* exstat in *Miscellan. m. Phys. Pr. Part. II. pag. antepenult.* Mulier puelli curatrix flagitabat consilium: Arduum hic consulere, cum *libri Practici* de hujus vitii sermonis medela nihil omnino tradant. Attamen, quod experientia doceat, taliter hæsitantes *lumbricis* haut raro affectos esse, tumeat puellæ abdomen, ipsaq; panem secalinum lubentissime comedat, aliquando etiam pavescat &c. volui, ut propinarent 2. *trochiscos* Hermeticos, & excrementa probe lustrarent, *confectionem* quoque *seminis cinæ* nonnunquam darent. (d. 22. *Decemb.*) Spurius. *Blæsitas.*

§. Vocatus sum ad Ustricem 67. annorum mulierem jam diutissime *tussi ac asthmate* interdum cum *suffocationis metu* laborantem: Lassitudo adest, inappetentia, pituitæ excretio, sitis, *dolor capitis*, Nares interdum sanguine stillant: olim *venæsectionibus & scarificationibus periodicis* assueta, nunc a pluribus annis intermisit, territa pestifero proverbio: **Mann sey alt und solle das Blut in den Leib kaufen.** Ustrix. *Tussis cum asthmate.*

Rec. *Aq. anis. veron. aa.* ℥iiß. *hirund. c. castor.* ℥ß.
⊖. *vol. oleos.* ʒj. ℞*æ. croc.* ⁓. *cochlear. aa.* ℈j.
Oxym. squillit. ℥ß. *M. D. cochleatim.*

Noctu sumantur tres *pilulæ de cynoglossa* pondere gr. 1. Cras e mediana dextri vel sinistri brachii mittat sanguinis ℥iij. De *venæsectionis* consuetudine non temere abroganda alibi differimus. (d. 20. *Dec.*)

§. Technastis *Filiolus* a *pulvisculo* d. 17. *Dec.* ordinato & heri sumto octies dejecit cum aliquali euphoria. Nondum tamen recte habet, sed vesperi cumprimis adhuc languidulus est. Jussi per biduum circiter ferias agere a medicando, ut rescicam, quid *Natura* sibi relicta nunc efficere valeat. (d. 26. *Dec.*) Technastis *Filiolus.*

XX.

XX.

MErcurius hesternam stationem præterita nocte retinuit, vesperi autem parum infra quartum gradum subsedit; liquor *thermom.* in medietate tertii gradûs. Nox fuit serena & frigida: Tota dies clara,

XX. antemeridie, quam pomeridie frigidior. Dies in craſtinum nubila, & fortaſſe pluvioſa præſagienda.

Æthiops. *Tuſſis cum gravedine.* §. Æthiops *gravedinem ac tuſſim* jam a 14. diebus eſt paſſus, quæ *tuſſis* noctu vehementer affligit: a concuſſione pectoris *dolor ulceroſus*; parum exſpuitur, caput dolet, membra ſunt laſſa, *reſpiratio* non admodum difficilis, ſitis nulla. Jam varia remedia domeſtica ſine fructu uſurpavit. Forſan apud ipſum locum habet Viennenſe *dicterium*, nempe *catarrhum durare per 30. dies, ſi medicamenta adhibeantur; ſin minus, per 31. dies.* Scripturus eram *decoctum pectorale*, quod, me Judice, conveniantiſſimum videbatur homini macilento & exſucco; ſed talia ſe nunquam ferre potuiſſe ajebat. Hinc ordinatus *pulvis*, cujus mane & pomeridie 3. cuſp. cultri quovis modo aſſumat:

Rec. *Rad. ar. ppt. helen. irid. flor.*
pulv. lign. ſaſſafr. aa. ʒß.
antihect. Pot. ℈ij. croc. opt. ℈ß.
extr. papav. err. ℈ß. elæoſacch. anis. ʒiij. M.

Alternis noctibus, deglutiat hodie tres *pilulas de cynogloſſa*, cras *emulſionem* hauriat pro 1. doſi:

Rec. *Sem. cucurb. cucum. aa. ʒj.*
papav. alb. ʒij.
aq. acac. farfar. aa. ℥ij.
F. l. a. emulſ. add. vel
ſir. papav. err. vel ſacch. cant. a. q. ſ. ad. grat.
M. pro 1. doſi.

Vitet potum frigidum. Bibat *ptiſanam*.

Melodidaſcalus. §. Melodidaſcalus a *dente* feliciter *evulſo* nihilo tamen melius habet. Adhuc *dolor punctorius* repentinus in *maxillam* (das Einſchieſſen.) & *capitis* valde intenſus cum genæ *ſpasmo*. Alvus a biduo *conſtipata*. Dixi, nervos ab *operatione Chirurgica* tam ſæpe repetita magis irritatos non ſtatim conquieſcere: ſuaſi, ut *veſica* intra ſcapulas aperta ſervetur minimum per octiduum, quod, ut fiat, eam deligare docui *emplaſtro ex empl. de min. part. iiij. & empl. veſicator. p. j.* Veſperi *clyſter domeſticus* applicetur. *Veſicam* quod attinet, legi meretur, *Obſ. 94.* Bierlingii. *Adverſar. curioſ.* ubi mentio fit ſartoris cujusdam quadragenarii faciei *contractionibus ſpasmodicis* æque vexati, quo in caſu potiſſimam, reſtitutionis intra novendium ſecutæ, partem *veſicatorium* intra ſcapulas abſolvebat.

Tri-

Triennium est, & quod excurrit, ex quo Melodidascalo rogatus Consilium scripsi; nondum autem aderat hujus *contractionis genæ spasmodicæ* symptoma. Consilii summa hæc erat: Morbus est *affectio hypochondriaca*, ejus vero symptoma *Cephalæa* tam atrox. Est autem hæc affectio concursus variorum symptomatum infimam cumprimis corporis regionem, sub tensionis, pressionis, *torminum*, *flatulentiarum* &c. conceptibus, occupantium, hinc, per virulentos influxus mediam corporis, & postea supremam arcem varie infestantium. Caussa est *plethora spuria*, *sanguis* nempe cum *sero* non tantum copia, sed & nimia *spissitudine cum acrimonia juncta* peccans. Natura hunc humorem copia sibi molestum in adolescentia prima per *hæmorrhagias narium*, in ætate juvenili cum *sputo sanguinis* exonerare consuevit, nunc in virili & consistente per *hæmorrhoides* evacuare quidem tentavit, sed propter vias non satis patulas ipse stagnans & regurgitans, molestiarum, quas patitur Melodidascalus, promus condus exstitit. Nam cerebri vasis ita tumefactis & *fibris meningum spasmodice contractis*, *cephalalgia*; in thorace, *rheumatismi scapularum*, pectoris & brachiorum, in infimo ventre tensiones, *inflationes hypochondriorum*, *colicæ*, *nephritides*, &c. excitata. Multum etiam hic paternæ hereditati acceptum ferendum. Finis erit *phthisis* vel *hydrops*, nisi convulsiones utrumque præverterint. Sumatur *Julebus laxans* biduo vel triduo ante quodlibet *plenilunium* semper repetendus: XX.

Rec. ⊖. *polychrest.* ℥vj. *sir. acetos. citr.* ℥iß.
aq. acac. fragor. aa. ℥iij. *M. pro* 1. *dosi.*

Mane, pomeridie & noctu ℥ß. ♀*is* ex scutella *Thée* vel *aq. ceras. nigr.* sumatur, insequente corporis motu:

Rec. *Alcohol. chalyb.* ℥j. *magnes. alb.* ℥ß.
test. ov. calcin. conch. ppt. aa. ʒj.
Ⓓ. *perlat.* ℈iij. *elæosacch. cinnam. sassafr. aa.* ℈iij. *M.*

Bis in septimana, quum itur cubitum, prius *laventur pedes* per horæ dimidium:

Rec. *Fol. vit. salic. aa. Miiij.*
summit. aneth. fl. chamom. aa. Mij.
rad. rhod. ℥j.
capit. papav. fung. cynosb. aa. N. ij.
Conc. cont. D. pro pediluvio.

Per singula *æquinoctia* venam sibi tundi patiatur in alterutro pede, semper ad ℥vj. Vitentur *opiata*. Subsistens alvus *clysteribus domesticis* sollicitetur. Quoad diætam, in genere valeant omnia potentia nimis ca-

XX. lida, pleraque assata, nimium aromatibus, nimium sale condita. *Salis comm. 9. partibus* addatur *part. 1.* ⊕. *puri.* Vitentur exotica *vina*, *spiritus vini, ros solis*, imo excessus cujuslibet vini, quod insuper dimidia sui parte permiscendum *decocto* sequenti:

Rec. *Ras. lign. sassafr. lentisc.*
rad. chin. aa. ℥ß. *passul. min.* ℥iß.
cinnam. ac. ℥ij. *sem. anis.* ℥j.
CC. ust. ppt. Oc. ♋. *ppt. aa.* ℥iß.
Conc. cont. D.

Cochlear unum cumulate plenum infundatur in mens. j. *aquæ fontanæ* ferventis, statim tegendo, donec refrixerit. (d. 21. *Dec.*)

§. In concione de peccato *invidiæ* ex Auctore quodam allegabatur exemplum infantuli lactentis, qui, cum vidisset fraterculos palpis ac poppysmis a matre nimium amari, tanta fuit incensus *invidia*, ut ab eo tempore mammam sugere recusarit, ac brevi post siti perierit. Quid si *fallacia caussæ* ab observatore sit commissa? *Lactentes* etiam invidia tangi posse, non negamus, fructu nempe *labis originalis* facile primicerio. Sic autem in hisce subjectulis radicari posse *invidiam*, ut mammam recusando siti pereant, ego quidem, ut credam, adduci non possum. Injuriarum nemo facilius obliviscitur, quam *infans*, sed & nemo conservationi sui magis intentus. Esto, quod *infans* per diem abstineat, quod tamen & ipsum creditu difficile, siti tamen pressus a mamma non abstinebit. Rarissima sunt adultorum exempla, qui fame spontanea perierint, multo minus id infans fecerit? Si ex odio in matrem, cur non accersita fuit nutrix? cur non aliquid aliud potui porrectum? Quid si vitium fuerit in *lacte* matris, quod saporem peregrinum & nauseosum adsciscere posse, historiarum fide docemur? Quid si morbus in ipso lactente, quo sensim gliscente, postremo confectus fuerit? Certe hæc & talia plura magis persuaserint, non nimis credulo, quam abstinentia emortualis & spontanea a potu, ex capite solius *invidiæ*.

Esmorus *Dolor articularis.*

§ Esmorus 40. annorum *colicæ & nephritidi* obnoxius, mœroreq; ob mortem trium filiarum, tantum non confectus, ante triduum cœpit *ex femore* sinistro *dolere*, quod flocci faciens, egressus tamen est domo, ut functionem obiret suam. *Dolor* protenditur ad *genu* & *suræ* dimidium. Pes evadit ad eundum invalidus. Domum veniens post horrorem vere *febrilem*, brachio quoque sinistro dolorem adrepere sentit. Sudavit. Mane rursum exire domo tentat. Reverti coactus fuit, in platea fere humi prolapsus. Occupantur quoq; *femur*, hinc *pes dexter*, deniq; & illius lateris *brachium*. *Bili* in artus effusæ rem deferens

pilulas

pilulas purgantes assumsit. Omnia hinc pejora, sic ut hodie vix pedem, ægre brachium movere queat. Nusquam *tumor*, nusquam *rubor*. Nusquam præternaturalis *calor*. Pulsus bonus, appetitus integer, sitis nulla. In examine dicebat *uxor*, eum fere singulis noctibus sudare, sed inter sudandum e lecto surgere, & interdum diu e fenestra prospicere, nec facile, nisi consueto tempore, indusium, tametsi uvidum, mutare. Igitur *transspirationi prohibitæ* malum deferens, ordinavi *mixturam diaphoreticam* cochleatim sumendam, & singulis quidem horis cochlear unum, ab initio duo: XX.

Rec. *Aq. fl. paralys. samb. aa. ℥ij.*
♁. diaphor. CC. Philos. aa. ℈j.
ther. cœl. gr. ij. sir. card. bened. ℥ß. M.

Ter in die sumantur gtt. xxxx. de spiritu cum quol. vehiculo:
Rec. *〰. cochlear. CC. aa. ʒj.*
ess. anod. ℈j. M.

Regimen sit calidum, vitato tamen vino. Præpostere fecit assumendo *purgans* eo tempore, quo Natura vergebat a centro ad circumferentiam: Nam, ea hic ab intento revocata, *metastasin* non admodum faustam insequi solere, docemur experientia. (d. 21. *Dec.*)

§. Ustrix nocte quidem præterita per *tussis* violentiam aliquando excitata fuit, mox tamen in somnum relapsa, virtute *pilularum* de *cynoglossa*. *Mixtura* screatum promovit, ut tam anhela non sit, quam antea. Rogata, quid exspuat? Respondit: meram *purulentam materiam*. Unde scis? inquam. Ex colore viridi & flavo. &c. Non sequitur. Jussi exspuere in pelvim aqua plenam, quamvis pus esse aliæ circumstantiæ non admittant. Hodie *venam secavit*. Sanguis erat pro modulo subjecti laudabilis, posterior cumprimis scutella, cum in priore feces nigræ scutellæ fundo adhæserint. Jussi pergere cum *mixtura* heri ordinata, & insuper præscripsi *Decoctum e speciebus pectoralibus* cum additamento *radicum armoraciæ*, *seminumque sinapi & nasturtii*. Ter in die assumatur haustus calidus. (d. 22. *Dec.*) Ustrix. *Tussis, asthma.*

§. Bigneti *Filiolus* præterita nocte rursum aliquoties, quamvis leviuscule, *convulsus* fuit, cætera cibi mammæque appetens. Pergatur cum *pulvisculo & mixtura*. (d. 22. *Dec.*) Bigneti *Filiolus.*

§. Accepi libros a compactore. Uni ex his Rubrica: *Curienser Calender*, non auctore quidem, sed editore Hellwigio. Annus 1709. sub solis directorio positus perhibetur siccus. Nil minus fuit. Arbores plura pyra promittunt, quam poma: contrarium visum; pyra omnino nul-

la.

XX. la, poma paucissima. Cerasa, pruna nulla. Vindemia prædicitur opulenta, sed nulla fuit, ut suo loco diximus. Morborum ibi recensitorum ne unus quidem *epidemice* grassatus est, nam de *dysentcria* nulla mentio. Porro contra *Auctoris* prædictionem *Martius* fuit calidus & humidus. Principium *Aprilis* propemodum usque ad finem fuit calidum & humidum, circa finem frigusculum. Mense *Majo* plurima tonitrua, pluviæ multæ, radii solares rari, & vix unica dies tota serena. *Junius* aliquo modo congruit. *Julii* principium calidum, siccum, serenum; postea pluviæ ac tonitrua cum frigore. Finis cum Auctore consentit. Totus *Augustus*, contra Auctoris prædictionem, omnium in hoc anno mensium jucundissimus, calidus, siccus, serenus. *September* mixtus, maximam tamen partem serenus, siccus, calidus. Totus *October* pluviosus, sed nix nulla. *November* priori similis. *December* hucusque ut plurimum pluviosus. Jam si recurramus ad *Januarium & Februarium*, ibi nil prædicitur de frigore, quo, hominum memoria, magis intensum & calamitosum perpessi non sumus. *Martius* tantum abest, ut frigidus fuerit, ut potius caliditate cum *Julio* certarit a principio ad finem. Sed, quid firmi superstrui possit fundamento *planetarum* tam ficulneo?

Gypsopœus. *Paresis.* §. Gypsopœus (d. 3 . *Octobr.*) ad Gnomilegum sua rursus manu scripsit, seq; ministerio pedum utcumque rursum uti posse nunciavit, postquam curative lotus fuisset *balneis* Offenaviensibus; tensionem adhuc sentire circa diaphragma, nec alvum, nisi *clysmatibus* monitum, officio fungi. Recte Gnomilegus fidem haut adeo tutam esse judicavit, ac omnem *purgantium* internum usum, omnesq; *clysteres acriores* dissuasit. *Tensio* enim, quam percipit, non tam *diaphragmatis*, quam *fibrarum mesenterii spasmodica* esse videtur. Uno verbo, œconomia abdominis depravata.

§. Quamvis ille, quem opinabamur, *Ardelio seplasiam* suam in foro non exstruxerit, (d. 12. *Dec.*) alius tamen *Erro*, qui non nisi *odontiatrum* se professus est, licentiam blaterandi nactus fuit. Quod autem tunc alterum istum facturum prædixeramus, idem hic facere non erubescit. Scil. non intra cancellos *odontiatrices* suæ manens, interna quoque medicamenta crepat, *quintam* nempe *essentiam*, contra *ventriculi hepatisque intemperiem frigidam*, inappetentiam, *cardialgiam*, *flatulentias*, *icterum &c.* Præterea in scheda impressa & hinc inde dispersa

- Immensa cavi spirant mendacia folles.

Gloriatur enim, se encheiresi subtilissima eximere posse fragmenta *dentium*, quæ intra gingivas neque videri, neque tangi possunt. Si non tangi,

tangi, quomodo eximantur? Fortasse ejiciuntur per *Exorcismum*. Utinam hic Thraso cum suis artibus, worinnen er (sicuti textus habet) vor vielen andern exiliret, cum sui similibus e nostro *Ducatu* potius *exularet?* Nemini autem libentius creditur, quam istis *circulatoribus*, & in neminem *Medicum*, animo tam alacri, pecunia, non tam erogatur, quam effunditur. XX.

XXI.

XXI.

QUalia heri noctu fuerunt utraque vasa, talia hodie per totam diem perstiterunt. Nox partim nubila, partim pluviosa, mane, cum ingressu *solstitii hyemalis* pluvia larga, reliquum diei mediocre & temperatum.

§. Melodidascalus heri noctu ante somnum *pediluvio* a me nuper præscripto primum usus, *clysterem* quoque domesticum ob *constipationem* biduanam sibi applicari passus est, qui alvum largiter movit; nihilominus noctem habuit non adeo quietam. Hodie *vertigo stomachica* vexavit. Cœpit usurpare *pulverem chalybeatum*, cum *decocto* pro potu ordinario. *Spasmus* per hanc diem tolerabilis. Dolor punctorius maxillæ ferme nullus. DEUS curæ benedicat! (d. 22. *Dec.*) Melodidascalus.

§ Nipsus (19. *Dec.*) quoad animi deliquia melius quidem habet, sed *capitis dolor* adhuc intensissimus & vix tolerabilis, nonnunquam parum remissior. Jussi pergere cum ordinatis, & *sacculos e speciebus* pone scriptis binos fieri interpassatos, qui vino fervido intincti & expressi alternis capiti applicentur, in summo doloris furore: Nipsus. *Cephalæa.*

Rec. *Fol. beton. salv.*
rorism. hyoscyam. aa. mj.
fl. lavend. lil. convall. aa. p. ij.
cap. papav. n. ij. Conc. cont. D. (d. 23. *Dec.*)

§. Apud Usiæ *uxorem* (10. *Dec.*) *fluxus mensium* omnino cessavit, ipsaque satis vegeta est, nisi, quod hodie ex capite doleat, & *phlogoses* sentiat. Modo ne maturius, quam par est, suppressus fuerit ille *fluxus*. Ordinavi *emulsionem externam* ratione *cephalææ*, visurus, quid porro futurum sit. (d. 23. *Dec.*) Usiæ *uxor.*

§ Corbiniani *Filius* (18. *Dec.*) a nuper ordinatis non parum se levari prædicat, quamvis adhuc *dolor* adsit *capitis*. Nil tamen immutandum, sed cum nuper ordinato *pulvere & gelatina* (quam invitus assumit) pergendum esse duxi. Corbiniani *Filiolus.*

XXI. Esmorus *Metus Paresis.* §. De Esmoro metuo, ne *pareticus* fiat, nam *dolor in artubus*, fere nullus eſt, neq; tumor, neq; rubor, qui tamen hodie minus, quam heri, mobiles. Digiti manuum vix ullo modo moveri poſſunt. In femoribus pruritus, qui mihi non diſplicet. Suaſi, ut diligenter fricarent artus pannis lineis *fumigatis*, usque ad rubedinem, & uſui medicamentorum inſiſterent. (d. 22. *Dec.*)

Deurander. *Malum hypochondriacum.* § Deurander, vir 60. circ. annorum, a multis jam annis cauſſarius, in Juventute ſua multis diætæ erroribus, forſan & *venereis exceſſibus* obnoxius, *hypochondriacus* in gradu non infimo, jam omnes *Medicorum claſſes* peragravit, opem utplurimum expertus inopem. *Acidularum cura*, aliquoties in variis locis inſtituta, inter alios *curſus medicinales* pro aliquali ſemper voto ſatisfecit. Per litteras affectum ſuum ita explicat: Jam per tres ſeptimanas ob moleſtum ſtomachi, pectorisq; morbum in publicum prodire non poſſum. Non tantum *ructibus & flatibus* mirum in modum affligor, ſed etiam elapſa una vel duabus poſt paſtum (quo utor valde temperato) horis, *preſſio* circa *ſtomachum* & pectoris dextram regionem moleſtiſſima torquet, etiam ſupremam corporis arcem occupante acerbo *dolore*. *Abſorbendi* quidem & *laxandi* fine *magneſiam albam* uſurpavi, ſucceſſus autem expectationi non reſpondit, quid ſentis?

Reſpondi, me agnoſcere *mirachialem inimicum*, qui ſucceſſu temporis ventriculum in mali conſortium ita rapuerit, ut ejus tonus vehementer ſit debilitatus, fibræque adeo laxæ, ut ventriculus amplius corrugari, cibum fovere, digeſtionemque ſufficientem inſtituere non poſſit. Fieri ab eſculentis paſtam viſcidam, ſucceſſuque temporis acrem, materiam ſanguini ſimili præbentem, qui propterea nutritioni motuique tam inteſtino, quam progreſſivo, ineptior, nusquam non ſtagnet, inertiæque ſuæ in toto corpore veſtigia relinquat. Eſſe comparatum cum *Magneſia*, veluti cum omnibus *novis medicamentis*, ab aliquibus, quaſi quid inutile, deprimi, ab aliis, quaſi *panacæa*, extolli, &, cum quilibet a novo medicamento curari velint, non omnes poſſint, quod ante nimis laudatum fuerat, poſtea nimis vituperari. Valde accommodam eſſe *magneſiam* ad *acidum* abſorbendum, *alcali* quippe, quo nullum aliud potentius; Attamen ab *alcalicam terreſtreitatem fixam* ſtomachi ſulcis adhærere, morasq; inibi detrimentoſas nectere, quod *pulverum fixorum* plurimi facere conſueverint. Porro cum *alcalibus* diluentia quidem in *hypochondriacis* multum valere, ſed hoc incommodi habere, ut *fibras ventriculi* per ſe nimium *laxas*, adhuc magis relaxent, *ſtomachoque* proinde tantum

tum noceant, quam *mesenterio* prosint. Me suasore, cum ob ætatem ingravescentem viresque fractas, plenaria restitutio sperari non possit, abstinendum esse ab omnibus *salinis* tam *fixis* quam *volatilibus*, ab omnibus *spirituosis* ♀eis, ab omnibus, quæ ἀκρολίτη manifesta polleant: Præter exactam diætam, me commendare B. Apini *Decoctum Chaquerillæ*, & *Thée cancrinum* a Dno. Patiente jam olim usurpatum, naturæq; conveniens compertum, electa pro potu *ptisana*. XXI.

§. B. Apinus magni fecit *corticem chaquerillæ* non tantum ob vim, quam possidet, *antifebrilem*, sed etiam, quod virtute sanguinem depurandi sit præditus. Hinc in *febrili* quolibet insultu, vel *intermittentem vel continuam* referente, *febribus* item *catarrhalibus*, *coryza*, *rheumatismis*, *diarrhæis*, aliisque, cum frigore & æstu incipientibus, morbis infundere jussit *corticis chaquerillæ* ℥ß. cum *vini albi mens.* ß. hujusque haustum unum bis vel ter in die bibere, sic enim morbum præverti putavit. Morbo vero præsente, mane hora tertia, & eadem pomeridiana haustulum biduo vel triduo singulis continuandum ordinare solitus est:

Rec. *Aq. fl. samb. cort. chaquer. aa.* ℥iß.
cort. chaquer. ♀*is.* ℈ij. *Rad. bez.* ℈j.
Juleb. samb. ℥ß. *M.*

Sin æger hunc haustum nauseare cœperit, mane & vesperi dictis horis præscripsit n. x. *pilularum:*

Rec. *Extr. cort. chaquer.* ʒj. *c. s. q.* *R. bez.*
F. pil. n. LX. *D. ad pyxid. CC. phil. respers. D.*

In *morbis infantum* fere omnibus, *Dentitione* difficili, *epilepsia*, *torminibus*, *vigiliis*, *calore febrili*, *diarrhæa*, *tussi*, *variolis*, *morbillis*, *dysenteria* singulis 6. horis propinari voluit pil. ij. *de extr. chaquer.* cum tantillo *sir. violar.* continuando per biduum vel triduum.

Thée cancrinum fit e *succo cancrorum fluviatilium* recenter contusorum cum *herba numulariæ* in jure calido cocto, & bis in die epoto, quod in *morbis tabificis* egregium, mihi haut raro probatum, est *analepticum*.

XXII.

XXII.

MErcurius mane usque ad primam quarti gradus lineam subsedit, & in ea statione per diem mansit. Liquor *thermometri* nil mutatus vesperi paullum adscendit. Post medium noctis pluviola tenuis. Dies erat mediocris, interdum pluvia tenuissima, interdum radii solares.

XXII.

Prati Filiolus. Verminosus.

§. Prati *Filiolo* 7. annorum (5. *Nov.*) promiseram *luna decrescente* medicamentum *purgans vermibus* simul dicatum:

Rec. ☿ ij. *dulc. rit. par. gr. viij.*
pulv. gialap. sem. santon. corallin. aa. ℈ß.
sir. de cich. c. rb. ℥j. *aq. gramin.* ʒß. *M. pro* 1. *dosi.*

Excrementa studiose inspiciantur.

Esmorus. *Metus pareseos.*

§. Esmorus nocte præterita dolorem sensit lacerantem in utrisq; calcaneis, quod bonum. Quamdiu enim adest sensus, isque exquisitus, tam diu nondum est NB. perfecta *paresis*. Vesperi putabat, sibi plus esse roboris in brachiis, quam heri, hodieque mane. *Pulvisculi* ordinati, quorum unus pomeridie tertia, alter noctu hora 9. ex jusculo sumatur:

Rec. *bez. miner. C. alc. philos.*
succin. ppt. aa. ℈j. *M. F.* 2. ♀er.

Prævia *frictione* fiat inunctio per totam *spinam* & *articulationes* manuum atque pedum:

Rec. *ol. succin.* ʒß.
lumbric. ▽. *camphor. aa.* ʒj.
⌒⊖✳. ʒj. *M.*

Quod nuper memoravi, eum scil. *pilulas purgantes* assumsisse, eæ quidem aliæ non fuerunt, quam *Angelicæ* Francofurtenses, quarum pomeridie novem, noctu ante somnum totidem deglutiverat, mane idem facturus, nisi secuta fuisset terna, eaque copiosa, dejectio. Præstiterat tamen eas non assumsisse, natura ad sudorem prona, quæ perperam revocatur ad interiora, talemque vexationem ulcisci solet. (d. 23. *Decembr.*)

Melodidascalus.

§. Melodidascalus nocte præterita multum dormivit; sed hodie denuo ingruit *dolor maxillæ* punctorius. (das Einschiessen) Onisimum quoque ad se vocavit, qui præter regimen exacte calidum, & nullatenus interruptas *cataplasmatum* applicationes, nihil suadebat. Pergat cum *pulvere chalybeato*. (d. 2 . *Dec.*)

Isatis. *Scabies.*

§. Isatis electuarium d. 16. *Dec.* ordinatum, propter nundinaria negotia, usurpare distulit. Nunc autem *menses fluere* cœperunt. Quærebat igitur, an nihil obstante hoc *fluxu*, tamen *electuario* sit usus. Respondi, satius esse, ut *mensium rheumate* durante ab *electuario* abstineat, quod etiam se facturam recepit.

Agalei *Filiolus. Ascarides.*

Agalei *Filiolus* $\frac{5}{4}$ annorum a biduo innumeros excernere observatur *ascarides*, *vermiculos* sc. albos & minimos. Utrum antea tales jam

jam excreverit, non liquet, quamvis id factum esse nihil dubitem. Puellus est cætera vegetus, appetens, hilaris. Ordinatus est *haustulus purgans*: XXII.

Rec. *Pulv. Cornach. gr. xij. ☿ij dulc. ℈ß.*
ſir. de cich. c. rh. ℥vj. aq. gramin. parum. M.

Postea bis in die de *pulvere* sequenti 2. cusp. cultr. quolibet cum vehiculo sumat:

Rec. *Æthiop. miner. ʒiß.*
ſem. ſanton. Corallin. aa. ℈j.
ſacch. alb. ʒij. M.

§. Ustrix (20. *Dec.*) me accersivit, de *horrore* pridiano, insequente summo æstu, *capitis dolore*, cumprimis occipitis, *tussi*, *asthmate*, *siti* querens, pulsu itidem, & aliis circumstantiis exploratis, agnovi *febrim catarrhalem continuam*, quæ, ob vires senio fractas, periculum vitæ denunciat. Ustrix. *Febris cont. catarrh.*

Rec. *Mater. perlat. ♁. nat. ppt.*
☽. ppt. aa. ℈i. M. F. 2. ♀es.

Sumatur unus pomeridie, alter noctu ante somnum cum quolibet vehiculo. Bibat *passulatum* Horstii. Pergat cum *decocto pectorali & mixtura* cochleatim sumenda. *Emulsio* externa fronti & carpis applicetur. Vertex ungatur *linimento*:

Rec. *Ungu. nervin. ʒß. ol. succin. ℈i.*
ol. nuc. moſch. expr. ʒi. balſ. peruv. ℈i. M. (d. 23. *Dec.*)

§. Bigneti *Filiolus* (d. 20. *Dec.*) per DEI gratiam plene convaluit. (d. 28. *Dec.*) Bigneti *Filiolus.*

§. Fœnicidæ *uxor* (6. *Dec.*) vires hactenus recuperare non potuit. Hora una post pastum semper adhuc experitur *cardialgiam*; crebro *oscitat*, post cœnam illico sopor obrepit: Fœnicidæ *uxor. Cardialgia.*

Rec. *Ʀ. Æ. caſtor. ⏜. cochlear.*
eſſ. carminat. aa. ʒij. anod. ℈i. M.

Mane, pomeridie & noctu sumat guttas triginta cum jusculo. Post quemlibet autem pastum cusp. 1. cultri per se de *polline*:

Rec. *Spec. diacret. Myns. ℥i.*
ol. nuc. moſch. expr. extr. papav. c. aa. gr. vj. M.

Reiteretur *unguentum* nuper ordinatum.

§. Spurius, de quo 19. *Dec.* deglutivit *trochiscos* Hermeticos, sed *vermium*, vel vivorum vel mortuorum, nihil excrevit. Attamen expeditius loquitur, nec tam graviter *hæsitat*. Dixi me adhuc credere, Spurius. *Blæsitas.*

 quod

XXII. quod apud ipſum *lumbrici* hoſpitentur, ideo ſuadere, ut *luna* jam *decreſcente* per aliquot continuos dies illos *trochiſcos* deglutiendos præbeant.

Thraſo. *Nephritis.* §. Thraſoni, (d. 16. *Dec.*) qui, per DEI gratiam, a *colica* ſua *vinoſa* plene convaluit, ad *nephriticos*, quibus non raro vivit obnoxius, *dolores* ordinavi *pulverem nephriticum* euporiſtum jam aliquoties allegatum.

XXIII.

XXIII.

QUi mane, usque ad medietatem quarti gradus, ſe humiliarat hydrargyrus, veſperi ultra tertiam lineam illius gradus adſcendit. Liquor *thermometri* fere tertium gradum mane attigit, eamque ſtationem retinuit. Nox fuit nubila. Dies varia, nunc ſerena, nunc tenuiſſime pluvioſa.

Melodidaſcalus. §. Licet iſta ſubitanea *punctio maxillæ* aliquantillum remittat apud Melodidaſcalum, de reliquo tamen nondum eſt melior. Pergat cum ordinatis.

Uſtrix. *Feb. cont. catarrh.* §. Uſtrix noctem præteritam haut bene tranſegit. Æſtus fuit inſignis, cum tuſſi & *aſthmate* tanto, ut fere continuo erecta in lecto ſedere cogeretur. *Delira* non ſemel eſt locuta. Morbus per totam diem in eodem ferme vigore manſit, & ſudationes aderant continuæ. Denunciato periculo ſuaſor fui, *ut animæ proſpiceretur*, corporis me curam, quantum poſſibile, habiturum. Ordinavi *mixturam* ſingulis trihoriis ad 2. cochlearia ſumendam:

Rec. *Aq. borrag. ſcabioſ. aa.* ℥ij.
cinnam. bugl. hirund. c. caſtor. aa. ℥ß.
mater. perlat. CC. philos. mixt. ſimpl. aa. ʒß.
conf. alk. inc. ʒj. *ſir. fl. tun* ℥iij. *M.*

Cum ex perpetua *tuſſis* concuſſione caput vehementer doleat, ipſaque *emulſionem externam*, eo quod facile refrigeſcat, (quod verum & ſæpe moleſtum eſt) admittere ulterius recuſet, juſſi, ut cucupham meam contra *clavum hyſtericum* adhiberent; alteriq; brachio & alteri ſuræ decuſſatim *veſicam* affigerent. Cum *paſſulato* Horſtii & *decocto pectorali* pergendum. (d. 24. *Dec.*)

Eſmorus *Metus pareſeos.* §. Eſmorus non admodum bene dormivit hac nocte. Pedes propemodum omnino nihil, brachia minus, quam heri, movet. Semper adhuc metuo *pareſin*. Appetitus eſt bonus, pulſus robuſtus, ſitis non magna. Repetantur heſterni *pulveres*, pergatur cum *linimento*. Veſperi dicebat, extendere ſe poſſe pedes, non retrahere, melioremq; ſibi

XXIII.

ibi videri motum artuum. Vellem mihi curæ Socium jungat. (d. 25. *Dec.*)

§ Nipsius (21. *Dec.*) enormissimo *capitis dolore*, cumprimis circa regionem verticis & nuchæ laborat, nunc per horæ dimidium remittente, nunc violentius per quadrantem horæ redeunte. *Oculi* indies magis *caligant*, ut metuam *guttam serenam & insultus apoplecticos*. *Sacculos cephalicos* a me nudius tertius ordinatos tolerare non potest, dolores enim ait intendi. Dixi de *vesicatorio vertici raso imponendo*. Deprecatus est. Ante biennium id ex alius *Medici* consilio factum esse asserens, sed adeo non optato cum successu, ut potius dolor ad insaniam usque cruciarit. Igitur *emplastrum de ranis Vigon. cum ☿io duplicato* imponi curavi, & *pilulas* præscripsi, quarum 9. hac nocte, 9. cras mane, iterumq; 9. cras noctu deglutiantur ex quolibet, modo calido, vehiculo: Nipsus. *Cephalæa.*

Rec. *Extr. castor. rut. aa gr. vi.*
♁. ♁ij. *gr. xv. c.* ℞. *castor. F. pil.*
n. xxvij. pro. 3. dosibus.

Respectu ad *debilitatem* quoq; *visus* habito laudavi frequentem attractionem *elæosacchari* intra nares:

Rec. *elæosacch. errhin. fœnic. aa. ʒij. M.* (d. 24. *Dec.*)

§. Usiæ *uxor* (d. 21. *Dec.*) per DEI gratiam, plene convaluit. Usiæ *uxor.*

Ancilla, puella 18. annorum, *suppressione mensium* jam diu laborat, *asthmatica, lassa, pallida* primum, mox ab *infuso non purgante* floridior quidem reddita, sed *mensibus* tamen emanentibus, ventreq; tumere incipiente, ut in suspicionem furtivæ graviditatis inciderit: quamvis nihil fateri velit. Suasi, ut sedulo ad omnes ipsius actiones animum adverterent, pharmacorumq; nihil adhiberent, tempus enim illius vel innocentiam vel culpam, detecturum. Cujus occasione dicti Usiæ *uxor* mihi narravit de alia quapiam sua ancilla, quæ, itidem gravida, factum pejeravit, sed in stabulo equino ter inclinato corpore subter equi collum transivit, (Ist dem Roß 3. mal unter dem Hals durchgekrochen.) fore sperans, ut partus inde retardetur, sed, o stultam! differatur sane per superstitionem tuam, non tamen auferetur. Ea quidem Suevica & Franconica superstitio mihi non est incognita, quod gravidas prohibeant transitu subter equi collum, & partum inde diutius protrahi credant; hinc, si quid tale factum, jubent, ut equum, subter quem transierunt, e præcinctorio suo (Schurz) Ancilla. *Graviditatis suspecta.*

avenam

XXIII. avenam comedere permittant, ſic enim partum accelerari. Ανεμιαῖα ſunt!

Ptoſimus *Gonorrhœa virulenta.* §. Ptoſimus me vocavit (14. *Junii*) & ſe jam per multos annos *gonorrhœa* laborare dixit, iſti tamen malo ſe jam aſſuetum eſſe, neq; penſi quidquam habiturum: nunc autem ab aliquo tempore *ſcrotum*, alterumque *teſticulum*, cum dolore valde moleſto, *tumere*, ſeq; majus aliquod malum formidare. Non libenter commercium habeo cum infectis *lue venerea*: Dixi, me de hac lue ſuſpicari, nec meum eſſe, hujus farinæ ægrotis mederi; Opus eſſe ut, ſub directione mea, ſe cuidam *Chirurgo* committat; Aſſenſit & cum hic loci (eſt enim peregrinus) neminem *chirurgum* ſciat, illi ſe crediturum, quem huic curæ magis idoneum judicarem, promiſit. Pelidnum elegi, ſperans fore, ut negotio non admodum difficili ſanitatem ſit recuperaturus, nam neque fauces infectæ ſunt, neque dolor in artubus, multo minus tubercula & *gummata* conſpectui ſe præbent. Re penitius per *Chirurgum* examinata, quid cum homine faciendum ſit, decernetur. (d. 27. *Decemb.*)

§. Occaſionem nactus confabulandi cum *Legato* quodam Regio, ſummo viro, interrogabar de *poſſibilitate transmutationis metallorum*. Reſpondebam, de ea me convictum eſſe. Quæſitus ulterius: quomodo *metalla* inter ſe differre crederem, an ſpecie, an maturitate? Quodlibet *metallum* in ſuo genere maturum eſſe reſpondi, nec *aurum* maturius eſſe cenſendum, quam *ferrum, plumbum*, &c. Ergo, Legatus ajebat, ſi *ſpecie* differunt, transmutari non poſſunt? Quid ni! inquam. *Regula philoſophica* Peripateticorum me nil movet, cum tot inſtantiis arietari & ſubrui poſſit. Transmutationem enim ſpeciei in aliam toto die in noſtriſmet corporibus experimur, cum neceſſe ſit ſubſtantiam olerum & leguminum transmutari in ſubſtantiam carnis, oſſis, ſanguinis, lactis, &c. non modo ſpecie, ſed toto genere ab oleribus & leguminibus differentium. An igitur *aurum* non maturius *ferro?* non, inquam, maturius, ſed nobilius & perfectius. Fiebat deinde mentio gummi copal, *ſuccini, balſami de* copaiba, &c. quibusnam *menſtruis* hæc ſubjecta radicaliter ſolvi poſſint? gummi *Copal* non meretur nomen *gummi*, ſed potius *reſinæ*, cum non niſi in *oleo*, vel 🜅. *rectificatiſſimo* ſolvatur. Dixerat *Legatus, ſuccinum* a 🜅. non ſolvi, etiam *rectificatiſſimo* & *Tartariſato*: verum dixit. Solvitur enim in *oleo* ☉*llato* ♀*eo*. Imo ℞*a ſuccini* parum æſtimatur c. 🜅. etiam *rectificatiſſimo* & *alcaliſato* facta: *vid.* Lang. *in Opp. Tom. I. p.* 645. *ſ.*

XXIV. Mane

XXIV.

XXIV.

MAne ☿ius erat in medio quinti gradus, cujus tertiam lineam vesperi attigit. Liquor *thermometri* mane in tertio gradu quiescens, vesperi aliquantillum subsedit. Nox fuit nubila, dies partim serena, partim tenuiter pluviosa & calida. Cœlum frigidius instante nocte auguror.

§. *Coryzæ, tusses, asthmata infantes* juxta cum *adultis* hoc tempore vexare incipiunt, quod aëri crasso & pluvioso adscribendum. Egregie congruit *Aph. 13. sect. III.* Hippocr. *Si æstas plus æquo sicca & aquilonia, autumnus vero NB. admodum pluvius & austrinus fuerit, capitis dolores ad hiemem oriuntur, & tusses & raucitates, & gravedines &c.* Puello anniculo taliter affecto, & jam ante mensem evacuato, (28. *Nov.*) Georgandri *Filiolo* præscripsi talia: Georgandri *Filiolus. Tussis, asthma.*

Rec. ⊖✳. *anis.* ʒß. *Ræ. croc.* ℈ß. *M.*

Sumat ter in die gtt. v. ex *mixtura* sequenti etiam seorsim haurienda:

Rec. *Aq. veron. hyssop. aa.* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
cochl. pulv. marcb. aa. ℈j.
Sir. jujub. ℥ß. *M.*

Pectusculum crebro calide ungatur *unguento pectorali*. Aliis infantibus pro ratione ætatulæ *laxativum* ordinare soleo.

§. Ustrix noctem pernoctavit laboriosissimam. *Tussis* enim continua fuit, cum exscreatione materiæ viridiusculæ, tenacis, copiosissimæ. (Sie hat gemeinet/ sie müsse sich zu todt husten.) Mane alvum deposuit valde liquidam excrementis multis & aqueis existentibus, unde liberius spiravit. Vesperi levius per omnia habuit, & liquida, quamvis non eadem copia, adhuc semel dejecit, vesicæ largiter fluunt. Temporibus dolentibus affricare jussi *pinguedinem castorei veram*. Pergatur cum reliquis omnibus, in- & externis. (d. 25. *Dec.*) Ustrix. *Febr. cont. catarrh.*

§. Accessit me *uxor* Facitidi 36. annorum, nunquam puerpera. Monstravit abdomen adeo tumefactum, ut partui proximam judicasses. Jam ultra sexennium hic tumor est, intra quod tempus maritum non semel in castra secuta est, cursus agilitate puellam junceam, si non vincens, tamen æquans, domestica sua munia sine difficultate exsequitur, non anhela, non tussiens, naturaliter appetens. Nec eam ob caussam me adivit, sed ob *excrescentiam* quandam *narium* mihi *fungosam* visam, indolentem, durius tractatam, *sanguinem*, cætera *ichorem* quendam non fetidum plorantem, quæ ante sex circiter hebdomatas, sine caussæ ullius Facitidi *uxor. Excrescentia in naribus. Abdominis tumor.*

XXIV. *procatarcticæ* conſcientiam, cœpit, ac indies ita augetur, ut dextram narem fere claudat; metuens itaq;, ne utræque nares expleantur, a *Chirurgo* quæſivit auxilium, qui, officio ſuo ſe non defuturum pollicitus, eam ad me ire juſſit, ut corpori quoque per interna quædam proſpiceretur. Nihil hic *polypoſi*, nam tumor tantum eſt ibi loci, ubi nares finiuntur, verſus labrum ſuperius, nec ad radicem naſi pertingit. Ego vero curioſius in *tumorem abdominis* inquirens, id inæqualiter *tumens* inveni; nam prominebat aliquibus locis & tactui ſemet offerebant aliqua corpuſcula ſub integumentis tamen latentia, inæqualis quoque figuræ & quantitatis, rotunda, teretia, dura. In lecto de latere in latus voluta nil ponderis ſimul labi ſentit, nec abdominis quoque pondere gravatur. *Borborygmos* quidem ſentit, ſed non valde moleſtos. Macilenta non eſt. Menſes patitur definito tempore, ſed pallidos. Ante quinquennium in campeſtribus prope Treviras dolores quaſi partus ſentiens, excrevit *molam cutaneam & glanduloſam* capitis infantilis magnitudine, qua projecta ſtatim ſe rurſum Itineri campeſtri, ſine ulla eundi moleſtia, accinxit, & Crucenaci binas adhuc ejusdem ſubſtantiæ & quantitatis *molas* peperit. *Tympanites* non eſt, nam in hac ventris tumor æqualis, nec alia hunc affectum comitari ſolita ſymptomata ſuos patientes laboribus domeſticis præeſſe patiuntur. Ego meros *glandularum meſenterii ſcirrhos* adeſſe judico; quales olim vidi in puello quodam nobili, qui manibus quoq; tangi poterant, poſt cujus mortem totum meſenterium nil niſi una moles ſcirrhoſa, aliquibus locis ægre cultro diviſibilis, reperta fuit. Ut hic *tumor abdominis* curetur, metuo. *Purgationum* hic nullus eſt uſus. Requiruntur valida *reſolventia* cumprimis e cenſu *mercurialium*. Et cum ob naſi quoque excreſcentiam ſanguinem luſtratione quadam indigere judicarem, dedi tres *pulviſculos digeſtivos* ſingulis noctibus ex juſculo ſumendos:

Rec. *Rad. ar. ppt. Tart.* ⊖ *lat. aa.* ℨj. *F.* 3. ♀*er.*

Poſtea ter in die accipiat 3. cuſp. cultri de alio *pulvere*, corporis motu ſequente:

Rad. *Æthiop. miner. elæoſacch. ſaſſafr. aa.* ℥j. *M.*

Videbimus, quid poſſit hic *æthiops.* Cura narium chirurgo commiſſa, & diæta congrua imperata.

Tubingæ olim vidi mulierem, aurifabri uxorem, quæ per plurimos annos circumgeſtavit ventrem præmodum tumentem, ſuis quoq; functionibus domeſticis ad mortem usque incumbentem. A multis curis nullus effectus.

§. Melo-

§. Melodidascalus *nigra* dejicit, argumento quod *chalybs* hostem suum, nempe *acidum scorbuticum*, in corpore invenerit. *Dolor punctorius maxillæ* (das Einschiessen) remittit, *cephalææ* vero in *occipite* oppositus *sacculus, in acetum* calidum immergendus, exprimendus & calide identidem imponendus, cujus *species* sunt tales: XXIV. Melodidascalus. *Cephalæa.*

Rec. *Fl. ros. r. herb. serpill. c. t. aneth. aa. Mj.*
nucl. persic. n. viij. sem. papav. a. ℥ij.
conc. cont. D. (d. 25. *Dec.*)

§. Tagmatis *uxor* 36. annorum, unius masculæ prolis ante decennium mater, onus grave sustulit ante annum, & sensit aliquid rumpi in *hypogastrio*, & simul sensim e pudendi labiis exire quid carnosum, quod ostendit obstetrici, quæ, non *vaginæ*, sed ipsiusmet *uteri procidentiam* pronunciavit. Successive *proptosis* major est facta, sic ut non sine molestia incedere misera cœperit. Sexcenta jam usurpavit, sine fructu, a variis ordinata, *Medici* consilio nondum usa. Nil profectum. In lectum resupinata, uterum regredi quidem sentit, sed annulo nullo, pila nulla firmandum. Præterita æstate *fontem* S. Blasii prope Tubingam adiit, ibi methodice lota adeo nihil sensit levaminis, ut, tono *uteri* ejusque ligamentorum magis relaxato, nunc major quoque sit *prolapsus*. *Menses* per initia tertiæ septimanæ redeunt, sed plane decolores & viridiusculi. Liquor instar albuminis ovi crudi clarus extra *mensium* tempus identidem exstillat, quem ipsa *muliebre semen* existimat, qui tamen revera proles glandularum vaginalium. Si retrocessit uterus, virum sine dolore admittere potest, sed hactenus non concepit. Cum hic *prolapsus* non ex intemperie, sed unitate soluta existat, nec facile concipi possit, quo pacto ligamentum unum vel plura ex *uterinis* rupta consolidari queant, curatio videtur, imo est, impossibilis. Attamen, ut manum operi admoverem, lacrymabunda rogavit misella. Præscripsi *decoctum*, quod tantis elogiis prædicat Musitanus *tr. de morb. mulier.* loco infra citando: Tagmatis *uxor.* *Procidentia uteri.*

Rec. *Herb. herniar. pilosell. alchim.*
burs. past. polygon. aa. mj.
rad. symphyt. dictamn. a. torment. bistort. aa. ℥ß.
ros. r. p. ij. nuc. cupress. n. iiij.

Conc. cont. coq. in mens. iß. vini rubelli ad consumt. ½ sumatur mane & noctu haustus calidus. Idem fere, quamvis concisius, habet Poterius *Cent. III. obs.* 91. Antemer. hor. 10. & pomer. hor. 5. de *pulvere* sequenti sumantur 2. cusp. cultr. majores cum *aq. fol. querc.*

XXIV. Rec. *Rad. symphyt. maj.* ℥ij.
fl. balaust. sem. burs. past. aa. ℥j.
ras. CC. nuc. mosch. aa. ℥ß.
🜄. *catech.* ʒj. *cor. r. ppt.* ℈ij. *M. F.* ♀.

Pectini, utero prius in locum decentem reposito, imponatur *emplastrum* sæpe renovandum:

Rec. *Empl. catagm.* ℥j. *croc.* ♂. *adstr.* ℥iij.
malax. c. ungu. Comitiss. M.

Deniq; experimentum Pechlini commendavi, quod exhibet *lib. I. obs. 20.* Nempe *fumum ex aa. ras. corn. vervec. annui & laciniarum panni Carmesini serici*, qui genitalibus excipiatur. Fiat quoque *pessarium* ex eodem *serico* cum *petroleo* mixto. Per totam hanc curam uno mense, nec citius, absolvendam, maximam partem in lecto decumbat ægra, pedibus nonnihil elatis, & alvus, nisi sponte, fere nullo cum nisu, deponatur, *clysteribus* sollicitetur, vitato labore omni, qui retentione spiritus opus habet, vitatis itidem cibis *acribus*, *salsis & aromatisatis*: vitata, quantum possibile, *sternutatione & tussi. &c.*

De vero *uteri prolapsu* multi adhuc vane dubitant, quorum plurimi *theoretici* magis sunt, quam *practici*, ex uteri con- & annexione impossibilitatem probare sustinentes, cum potius in rem præsentem ducti illas con- & annexiones intimius vestigare deberent. Contradicentium cohortem auget quoq; recentior Scriptor, Musitanus *in tr. de morb. mulier. Lib. I. cap. 8. p. m. 62.* Ubi *prolapsum hunc asserentes oculos glaucomate offuscatos habuisse credit, ut non sit mirum, si quid pro quo, vel pro cete cancrum aspexerint.* Et paullo post exclamat: *Resipiscant, quæso, imperiti Medentes, & his rationibus palinodiam canant*; Hinc adfert rationes suas *anatomicas* huc non transscribendas, quum operæ pretium non sit, ac deniq; concludit, *uteri ligamenta rumpi non posse, quia a natura non conflata sint ex charta emporetica; nec uterum inverti, quemadmodum tibiale invertitur, cum ejus fundus amplior sit & collum angustius, &c.* & quæ sunt alia scommata, veluti, quum paullo post *Medicos* hunc prolapsum statuentes *bardos* vocare non erubescit. Optandum sane, ut illi *Academico Peregrino, Pigro, Spensierato*, qui alias non plane inconcinna ex Ettmüllero, Wedelio, Dolæo & aliis elegantioribus *Practicis* compilavit, honorificentius scribere liberet, de *Medicis* se longe eruditioribus, quos passim injuriose *Vulgares* appellare nil verecundatur. Si omnia secundum naturam procedant, nemo tam stultus est, ut *uterum* æque facile inverti posse statuat, atque tibiale vertitur. Numquid *perito-*

peritonæum etiam eſt ex charta emporetica conflatum, ut ex ejus ruptura tam facile inteſtina in ſcrotum delabi poſſint? An *coſtæ* ſunt ex ejusmodi charta conflatæ, quas *fractas* eſſe a nimia *cordis palpitatione* Auctores notant, nosq; ipſi fractas vidimus in ſubjecto *aneuriſmate aortæ* laborante, absq; prægreſſa ulla externa violentia? Non dicimus, omne, quod e matrice prolabitur, eſſe *uterum inverſum*, non negamus vaginam ſolam fuiſſe, quam imperiti nonnunquam pro utero habuerunt. Nunquam *uterum prolabi* poſſe, negamus. Non exploravimus quidem mulierem, de qua ſermo eſt, idq; ob peculiarem quendam pudorem, qui nobis connatus eſt quaſi, licet e ſocietate *Sacerdotum* Neapolitanorum non ſimus; Attamen, cur ex circumſtantiis ſupra recenſitis ipſum *uterum* eſſe *prolapſum* dubitemus, cauſſam non invenimus, eo minus, quod *ligamenta uteri*, tametſi non chartacea, tamen per externam vel internam violentiam rumpi poſſe perſuaſiſſimi ſimus. Conſpeximus ante annos fere triginta propendentem ex matrice mulieris ex partu mortuæ ipſiſſimum *uterum*, quem obſtetrix cum adnata alicubi ſecundina inverſum protraxerat, quod Muſitano propterea impoſſibile videtur, quia uteri figura cucurbitina reclamet; Sic enim potius rumpenda fuerat *ſecundina*, quam extrahendus *uterus*. Contra tot virorum experientiam loqui plane ſtolidum eſt. Egregia ſunt, quæ in hanc rem affert Pechlinus *loc. cit. Compellavi,* inquit ille, *bonæ fidei obſtetrices, quæ mihi, poſt propoſitas difficultates, ſancte affirmarunt, manibus ſe ſuis uteri prolapſum palpaſſe, tum corporis, tum orificii interni; hac vero nota ſe diſtinguere uteri ac vaginæ caſum, quod, ubi hæc excidit, inſertis digitis ab una parte connexio explorari poſſit, ubi ille, non poſſit, & obvium uteri orificium diſcrimen ſtatim manifeſtet: Fundum enim ſemper inverti experientiæ non reſpondet, ſæpe enim prono oſculo in vaginam inde & extra eam deſcendit, neque faciem adeo, quam ſitum mutat; nonnunquam tamen etiam importuna obſtetricis manus funiculorum umbilicalium violenta demolitione NB. dum orificium uteri internum adhuc hiat multaque mucilagine laxatur, fundum ipſum attraxit, difficilique ac laborioſæ procidentiæ anſam præbuit.* (Atque hoc eſt, quod ego ante 30. annos obſervavi.) Lector porro legat, quo pacto dictus Pechlinus Muſitani argumenta a ligamentorum *uteri* firmitate deſumta, & ſolide quidem, elumbia reddat, *loco citato*. Certe, qui acutiſſimum Pechlinum *Bardum* appellare audet, ipſe *Bardorum* omnium longe *bardiſſimus* appellari meretur, & plus eruditionis eſt in una Pechlini pagina, quam in integro Muſitani volumine. Vid. Gockel. *Cent I. conſ. 45. Ephemerides Curioſorum* hinc

XXIV.

 inde

XXIV. inde, præsertim *Dec. II. Ann. I. Obs.* 84. *Ann. VI. Obs.* 9. *Ann. IX. obs.* 149. & *Dec. III. Ann. I. obs.* 114. Instar omnium autem *Illustr.* Hofman. *Schol. ad obs.* 91. *Cent. III.* Poter. & quos allegat fide dignissimos Auctores, quos omnes vel oculos glaucomate offuscatos habuisse, vel imperitos *Medentes*, bardosque fuisse, ac etiamnum esse, tunc demum *Thrasoni* Neapolitano credemus, quum Sacerdotes illius cortis solos esse oculatos demonstraverit.

Nipsus. *Cephalæa.* §. Nipsi res in præcipiti. Dolor enim iste capitis, nisi propediem remiserit, *apoplexia* vel *epilepsia* certo certius expectanda sunt. Miserum est, ipsum nec *elæosaccharum errhinum* heri ordinatum sufferre posse. Dolorem enim ab eo attracto augeri quiritatur. Pergat cum *pilulis* & *emplastro de ranis* (d. 25. *Dec.*)

XXV.

XXV.

MErcurius fere quintum gradum assecutus, in illa statione per totam diem mansit. Liquor *thermometri* jam mane depressior, vesperi usque ad medium tertii gradus descendit. Nox equidem serena non fuit, frigida tamen, dies clara & frigida.

Esmorus. *Paresis.* Esmorus (d. 23. *Decembr.*) iterum pejor, quam heri. Per totam noctem parum dormivit, magis, quod in lecto se volutare non posset, quam ex alia caussa. Hodie vix ac ne vix quidem adhuc digitum movere potest. Queritur de æstu quodam valde molesto & hinc, uti vult, orto *Capitis dolore.* Hodie adhuc *pulverem* e consuetis assumsit. Pomeridie tertia & noctu nona deglutiat sex *pilulas:*

Rec. *extr. Castor. rut. bezoard. aa. gr. iiij.*
F. pil. n. xij. pro 2. dosibus.
Singulis 2. horis sumat 3. cochlearia *Emulsionis:*

Rec. *Sem. melon. papav. alb. aa.* ℥iij.
aq. fl. paralys. beton. aa. ℥iij.
F. Emuls. add.
bez. miner. crystall ppt. aa. ℈j.
sir. papav. errat. ℥ß. *M.*

Cum *unguento* pergatur. (d. 26. *Dec.*)

Ustrix. *Febris cont. catarrh.* §. Ustrix usque ad mediam noctem tolerabiliter vixit. Postea rediit *ferina* ad diem fere durans *tussis*, cum *dolore dorsi* totius atrocissimo. *Deliria* & æstus fere cessant, & respective melius habet antemeridie, quam unquam per morbi decursum. Sed pomeridie, secunda hora vix audita, prævia horripilatione, denuo *tussis.* Rogavit

vit aliquid *succulenti & roborantis*. *Suasi conservam rosarum* Genuensem & *saccharum coctum pellucidum*, quod hic locorum vocant Gersten-Zucker / quum *hordei* ne granum illi accedat. *Mixturam* hactenus per cochlearia datam & 23. *Dec.* præscriptam aversari incipit, sine dubio ob nauseosum simplicis *mixturæ* saporem. Hinc ita mutavi: XXV.

Rec. *Aq. sarf. veron. aa.* ℥iiß. *hir. cum. castor.* ℥j.
mater. perlat. crystall. ppt. ♁. *nat. ppt. aa.* ℈i.
conf. alk. inc. ʒi. *sir. de liquir.* ʒiij. *M.*

Spina dorsi, qua dolet, calide ungatur:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ʒvi.
ol. lumbric. ʒiij. *succin.* ℈j. *M.*

Cum *decocto pectorali* & pro potu ordin. pergant. Interdum subsultus artuum adest, hinc semper ad *convulsiones* digitus simul intendendus. (d. 26. *Dec.*)

Melodidascalus quoad *dolorem maxillæ punctorium & contractiones genæ spasmodicas* hanc diem tolerabiliter transigit. (d. 27. *Dec.*) Melodidascalus.

§. Nipsus quoad *cephalæam* longe mitius habet, ac hodie bono cum appetitu comedit, quod intra pluscculos dies non factum. Oculos dolere dicit, & *pulverem errhinum*, quamvis summa cum nausea, aliquoties hodie attraxit. Repetantur *pilulæ* nudius tertius ordinatæ. Pergatur cum *emplastro de ranis*. Oculi frequentius laventur *Collyrio*: Nipsus. *Cephalæa.*

Rec. *Aq. fœnic. euphrag. fl. cyan. aa* ℥ij.
tut. ppt. ℈j. *sacch.* ♄i. ℈ß.
camph. gr. iij. M. (d. 26. *Dec.*)

§. Recordabitur Lector, me jam d. 15. & 18. *Martii* mentionem injecisse contagionis a *piscium* Rhenanorum *morbosorum* esu, Argentinæ excitatæ dictæ. Recordabitur porro Exc. D.D. Zachmannum d. 5. *Dec.* a me allegatum, de *phthiriasi piscium Rhenanorum* pollicitum esse relationem scripto comprehensam, meque illam esse communicaturum. Postquam ille fidem solvit, sum & ego soluturus. Sic autem vir elegantissimus:

Vir Nobilissime, Amplissime, Excellentissime atque Experientissime, Domine Fautor Honoratissime.

NUllus dubito, rumorem illum de *piscibus* nostris Rhenanis, qua nescio labe contaminatis, ante haud ita multum temporis, ad vestras quoque oras advolasse, qui revera tantus apud nos fuit, ut Sere-

XXV. Sereniſſimus noſter PRINCEPS *Gl. M.* Pro connata huic Illuſtriſſimæ Familiæ erga ſubditos cura & clementia, fuerit coactus, *omnino piſcium ad certum tempus prohibere eſum.* Hujus autem ipſius hæc potiſſima erat cauſſa: Literæ Baſilea & Argentina huc miſſæ unanimiter dabant, ob *eſum piſcium* quorumdam certis maculis, &, ni fallor, veſiculis nigris notatorum, diverſos ægrotaſſe ſatis periculoſe, alios vero & quidem non paucos, obiiſſe, quod ultimum in *Urbe Anonyma* Trans-Rhenana contigiſſe, nonnullos, inter quos *Illuſtr. Comitem* Zolleranum nomino, PRINCIPI *noſtro* in convivio narraſſe, memini. Nec plane de nihilo fuit Rumor, quemadmodum amicus quidam doctiſſimus Argentorato huc veniens fuſius retulit, ſcilicet: E Lotharingiæ aquis & lacubus ſtagnantibus ſolito more in dictas celebres urbes non exigua horum piſcium quantitas vendenda advehebatur, quæ, (procul dubio ob defectum purioris aquæ, & ob aquas per atrociſſimam hyemem nimium congelatas) ſibi revera notam quandam certæ cujusdam ægritudinis attraxere, ut hinc a dictarum Urbium *Phyſicis*, tanquam ad eſum minus apti, imo nocivi, declarati fuerint. Rumori autem, ut fieri ſolet, vulgus aliquid addidit, ita ut, quod de Lotharingiæ *piſcibus* proprie dictum fuit, de noſtris Rhenanis aſſerer etur; Hinc maxima ab eorum eſu etiam noſtris in oris, averſio cum Sereniſſimi & Piſcatorum in reditibus non exiguo damno, illo præcipue tempore, quod vulgo die Faſten nominant. Ut veritas tamen eluceſcat, mihi, *Phyſico*, Sereniſſimus PRINCEPS commiſit inſpectionis opus, ita, ut Comitantibus Dominis *Præfectis* in Mülberg & Graben, varias & quas habere potuerimus *piſcium* ſpecies, inſpicerem, & de viſitationis fructu, coram *Conſilii interioris Collegio* ſub Juramento præſtito, renuntiarem. In diverſis locis autem & e diverſis aquis allati *Lucii, Carpiones, Cyprini lati, Characes, Naſi,* & qui fuere alii *piſces*, nil prorſus mali, etiam cuncta probe inſpicientibus, oſtenderunt, ſic ut regreſſum jam meditantibus demum annunciarent Piſcatores, ſupereſſe adhuc Hochſtättienſem *Lacum*, quem vulgò das Herzenwaſſer vocant, aſſerentes inſuper per hyemem propter nimium congelatas aquas maximum *piſcium* examen fuiſſe ſuffocatum. Hinc etiam ex his aquis diverſas *piſcium* ſpecies inſpicere volenti, non niſi magnum *carpionem*, duos *cyprinos latos*, duos *lucios*, *3. percas fluviatiles*, *4. l. 5. characes* cum nonnullis aliis exilioris generis *piſcibus*, propter aquas adhuc congelatas

gelatas adferre potuerunt, vivos, salvos & incolumes omnes, si solas *percas* excipias, quæ in auribus, hinc & sectione facta, sub squammis, & in ipsa carnis substantia, multa alba corpuscula ostendere, grandini, porcorum carni inhærenti, simillima (excepta magnitudine) Horum nonnulla ab auribus & carne separata, cum adstantibus in manu calida ostendere satago, en! video se movere, sese explicare, repere & mira metamorphosi, se in *albos vermiculos* capite rubello & cauda flava mutare, in quorum dorso candido & pellucido eleganti spectaculo se ostendebat *motus peristalticus intestinorum* flavorum, sub figura pyramidali etiam nudo oculo visendorum. Cæterum, comparatione facta, nulli *insectorum* generi magis similes fuerunt hi vermiculi, quam illis vestimentorum pediculis, quos vulgo **Heeklåuse** vocant, nisi pedibus caruissent, & in dorso alio colore fuissent tincti, eandem enim fere magnitudinem, easdemque incisuras, non tamen tantam crassitiem habebant. Hæc corpuscula eo tempore in nullo alio *pisce* observare potui, sed solæ *percæ* ea ostenderunt, licet ex aliis aquis allatæ, præprimis ex pleno Rheno, pauciora habuerint, nonnullæ verò prorsus nulla. Nullam tamen inspexi *percam* in supra dicta aqua, etiam post plurium dierum decursum, captam, quæ iisdem non laboravisset. Hæc observata sunt præprimis die 21. *Martii* Ann. 1709. Circa finem mensis *Aprilis* unus vel alter *piscis* vel potius *perca* talia adhuc ostendebat. Sed vix unum vidi Mense *Majo*, nullum vero *Junio*, & *Julio*, quo mense etiam secundum nonnullorum opinionem optimæ sunt *Percæ*. Notandum porrò, multos qui, priusquam hæc observaveram, *percis* vescendo palatum delectare consueverant, acrem quendam, antea inconsuetum piperatum saporem in lingua percepisse, ceu ipsimet *Domino Archiatro nostro* Closio, bis terve contigit. Neminem autem inde apud Nos ægrotasse, multo minus obiisse recordor; Quamvis non negandum per Serenissimi *Decretum* venditionem ejusmodi piscium ad aliquod tempus fuisse prohibitam. An vero ejusmodi male sanus *piscis* tutò pro hominum cibo & alimento possit concedi, hominibus præprimis, quibus de præternaturali illorum statu constat, *Nobiliss. Tua Excell.* judicabit? quemadmodum etiam Instructissima Tua Bibliotheca decernet, num hæc *percarum*, (quæ alias fere sanissima *piscium* species, & Ausonio *deliciæ mensarum* audit, quarum durior caro nec *febricitantibus*, nec puerperis facile solet prohiberi:) phthiriasis, aliis quoque piscibus, & quo præcipue tempore sit familiaris? In *Lucio minore* præterito hni die ab ancilla mea e foro piscario allato, copiosa equidem XXV.

Zzzzzzz ejus-

XXV. ejusmodi corpuſcula in auribus & pinnis obſervavi, non autem in ipſa carnis ſubſtantia, quæ etiam ab auribus & pinnis ſeparata in nulla ſeſe mutarunt animalcula, ſed pro *ovulis* adhuc immaturis ejusmodi *vermiculorum*, vel potius alius cujusdam inſecti, cum tempore, lege generationis, in ejusmodi *vermiculos* mutandi, a me ſunt habita. *Generoſus* equidem *Baro ab* Hochberg, im Adelichen Land-Leben. *Tom. 2. pag.* 585. *Hepar Percarum* utplurimum eſſe *grandinoſum* perhibet, ſed de carne ipſa tacet. Præter hunc exigua mea *Bibliotheca* nullum novit authorem, qui me hoc in puncto erudire potuiſſet. Et hæc quoque ſunt, quæ in inſpectione *piſcium* eo tempore & huc usque obſervare potui, quæ & Excell. tuæ communicare fas duxi: Hæc ſi tanta eſſent, ut inde vel minimum incrementum ad almam noſtram *Medicinam* redundare poſſet, eſſet cur mihi valdopere gratularer.

De *piſcium morbis* non multi Auctores ſcripſere. Morbis autem laborare docetur ex obſerv. 171. Dec. III. Ann. V. & VI. Ephem. Curioſ. ubi, præter alia lectu digniſſima, *piſcium epidemica lues* futuræ *peſtis* prognoſticum dare perhibetur & hiſtoria narratur, *piſcium in lacu dulci* Mansfeldico, *& piſcinis* Langenbogianis, *lue quadam epidemica, magna in copia, pereuntium, qui maculas habuerunt variorum colorum, ex nigro rubentes, flavas & virides, per univerſum hinc inde corpus ſparſim expanſas, qui gravem ſpirarunt odorem & nauſeabundam ſapuerunt putredinem, a quorum eſu ſortis pauperioris homines inſignem præcordiorum anxietatem, ſubitaneam virium proſtrationem, nauſeam, vomitum, putridas malignasque febres ſunt paſſi. Cauſſa malignis aquas tunc inquinantibus nebulis adſcripta; uti pluribus ibi deducit Excell. noſter Collega D. D.* Stegmannus. Zachmannianæ *obſervationi propius accedit obſervatio 203. dicti Anni & Decadis Ephem. noſtr.* Hannemanniana: *paſſerem nimirum, ait, vivum ſibi allatum, multis NB. grandinibus albis tum in cute, tum in ipſa carne, tum ipſis etiam oſſium interſtitiis obſitum, ab ore ad extremitatem caudæ usque; quæ ulcuſcula preſſa, vel acu aperta, pus album & craſſum, & NB. vermiculari figura præditum, ſine ullo tamen fetore, emittebant; comeſtumque nulla faſtidia, nedum morbum, commoviſſe.* In genere Exc. Paullini noſter *tr. de mort. verminoſ.* §. 11. p. m. 23. aſſerit: Omnia animalia, terreſtria, volatilia, *aquatica* & reptilia *verminoſa* eſſe, in ſpecie vero *balænas* laborare *pediculis* probat ex Martens Spizzbergiſche Reiſe-Beſchreibung P. IV. c. V. §. 4. p. 86. Idem Paullini memorabilia quoque habet de *piſcium morbis* in *Cynograph.* p. 170. it. in tr. de

de *anguilla.* p. 106. Plane autem huc faciunt, quæ *obſſ. Medico-Phyſ. Cent. III. obſ. 77.* ex Relationibus hebdomatariis Ann. 1688. *18. Octobr.* Berolino transſcripta affert: Mann hatt allhier in den Berſchen (*percis*) lebendige Maden gefunden/ die der Fiſche Rukken dermaſſen inwendig durchfreſſen/ daß es nicht zu ſagen/ von auſen aber iſts nicht zukennen. Der alten Bericht nach / ſoll man kurz vor dem Polniſchen Kriege dergleichen hier im Lande auch geſehen haben. Ego me certo, mihi jam non amplius propter oblivionem determinando, anni tempore, in *gammaris fluviatilibus*, ad eorum pinnas, multoties obſervaſſe quaſi *vermiculos* albos plurimos, recordor; dico, quaſi vermiculos, quia in vivis non vidi, ſed in ſolis elixis. Pervolutavi Sachſii *gammarologiam*, ſed nihil inveni. *Noſologiam piſcium* inter deſiderata Medicinæ merito refert Velſchii *Somnium Vindiciani.* XXV.

XXVI.

XXVI.

MErcurius, mane in quinto gradu viſus, veſperi eum transcendit. Liquor *thermometri* rurſum depreſſior, veſperi adhuc magis verſus ſecundum gradum deſcendit. Nox ſerena & valde frigida, lacunis in platea mane glaciatis. Dies clara & præcedentibus frigidior ac rigidior.

§. Eſmorus mane in pridiano ſtatu repertus. Hactenus in cubiculo hypocauſto contiguo decubuerat, eo quod, janua per totam diem aperta relicta, ſatis caloris e fornace in cubiculum derivaretur. Sed aëre nunc rigidiori exiſtente, cubile in hypocauſtum transferre juſſi. His enim morbis frigus eſt inimicum. Dedi ſudorificam potionem: Eſmorus *Pareſis.*

Rec. *Mixt. ſimpl.* ℈iiij. *ſir. card. bened.* ℥ß.
aq. fl. paralyſ. ℥iij. *M. pro 1. doſi.*

Sperabam ipſum copioſius inde ſudaturum. Sudavit tamen, & pomeridie majus robur ſiniſtro brachio, ſic ut ei quadantenus inniti poſſet, accepiſſe prædicabat. *Pilulas* iterare, *emulſionemque* porro haurire juſſi. Dicebat militem quendam *pareticum* Kirchhemii diu decumbentem medicamentis parum juvantibus ex conſilio D. Rauſchendorfii *frictiones* fere perpetuas cum pannis intenſe calidis admiſiſſe, ſic, ut alicubi *epidermis* abraderetur, & ſic denique valetudinem recuperaſſe. Non improbavi, ſed potius ad imitationem hortatus ſum. (d. 27. *Dec.*)

§. Uſtrix per totam noctem vehementiſſime *tuſſivit*, a tam violenta concuſſione per hanc diem magis quieſcens. Ob calorem præternaturalem adhuc intenſum hodie rurſum affixum *veſicatorium*, (infra.) Uſtrix.

XXVI. §. Mellesii *Filiolus* 9. annorum, diu *scabiosus* fuit, *scabie*, quod affirmant, sponte sanata, corpore toto, quasi *anasarcicus*, inflatur. A centro ad circumferentiam Naturam ducendam existimans, ordinavi *mixturam sudorificam*, cujus bihorio singulo tria cochlearia hauriantur:

Mellesii *Filiolus*. *Repressa scabies*.

Rec. *Aq. fl. samb. fumar. aa.* ℥iij.

♁. *diaph.* ▽. *sigill. aa.* ʒß. *mixt. simpl.* ʒj.

ther. Androm. *rob. samb. aa.* ℥ij. *M.*

Ter in die sumantur gtt. xxv. pharmaci pone scripti ex quolibet vehiculo:

Rec. ⊖. *vol. oleos. ess. lignor. aa.* ℥iß. *M.*

Scabies sive per *repellentia*, sive sponte, & subito quidem, retrocedat, variorum symptomatum, cumprimis etiam *leucophlegmaticorum tumorum* Auctor existit. De qua re passim in *Miscellaneis* meis, ubi, in specie *Part. I. p.* 55. mentio fit alicujus a me per *cathartica hydragoga*, & alius p. 180. per *sudorifera*, curatorum. (d. 28. *Dec.*)

Uxor. *Hysterica*. De *uxore* illius d. 8. *April.* quædam dicta. Post *jus medicatum* quamvis aliquandiu melius habuisset, successive tamen ad planctus *hystericos* rediit, ac inter alia *formicationis* quodam *sensu molesto* per omnes articulos, mit einem wuseln in allen Gliedern / semet affligi dicit. Respondi, tempus anni medicationibus esse plane incommodum, expectandum igitur, si possibile, ver, ac malum, per se non urgens, tolerandum.

Nipsus. §. Nipsus fere totus cœcus. *Vesicatorium* intra scapulas magnum applicare, ac minimum per octiduum apertum servare jussi. *Pilulæ* repetantur. Cum isthanc cœcitatem a *contractione spasmodica nervi optici*, atque hinc impedito spirituum animalium in oculos influxu, oriri credam, nil aliud, quam imminentes *convulsiones*, præsagire possum. (d. 27. *Decemb.*)

Lyrorthi *uxor*. *Erysipelas faciei*. §. Lyrorthi *uxor* sæpissime corripitur *erysipelate faciei*, olim linteolum *sanguine leporino* tinctum de collo cum *euphoria* suspendit. Qualem cum nunc ad manus non habeat, & interna remedia fastidiat, suasi *euporiston Sim.* Paulli *Quadrip. Botan. p.* 138. Linteum nempe *aqua sambuci* madefactum, in umbra siccatum ac collo circumligatum. Nonnunquam suadeo *flor. samb.* coquere cum *lacte*, strophiolum linteum purum ter in hoc lac intingere, siccare, & collo circumligare. Recordor obstetricem a nostratibus, frustum indusii menstruo primo conspurcati, de collo suspendere contra *erysipelas*.

Lyrorthi *uxor* mihi recensebat, venam in brachio utroque sibi ægerrime secari posse, quod venas possideat nimium teneras: Eas vero

magis

magis tumefieri, si brachium aliquandiu immergat aquæ probe calenti. Verisimile, quod idem in venæsectionibus manuum & pedum evenire soleat. XXVI.

§. Erythroclathri *Filiola* minor (d. 13. *Dec.*) in eodem ferme adhuc statu, metu nempe atrophiæ, quibus *lumbricorum* quædam indicia se hactenus junxerunt, cum *tussicula*. Erythroclathri *Filiola. Verminosa.*

Rec. *Æthiop. miner.* ℈j. *sacch. perlat.* ℈ij.
antihect. Pot. *sem. santon. Corallin. aa.* ʒß. *M.*

Exhibeantur ter in die 2. cusp. cultr. cum vehic. seq. etiam seorsim dando:

Rec. *Aq. gramin. scabios. aa.* ℥iiß.
🜄⊖✳. *anis.* ℈j. *elæosacch. anis.* ʒß. *M.*

§. Ustrici ob *tussim* supra modum ferocientem, *raucedinemque* conjunctam, cum *asthmate*, ordinatus hac vespera haustus pro 1. dosi: Ustrix. *Ferina tussis.*

Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. capill.* ♀. *aa.* ℥j.
sperm. cet. rec. ℈ij. *M.*

Noctu deglutiantur 3. grana *pil. de cynogl.* (d. 27. *Dec.*)

§. Technastis *Filiolo* (d. 19. *Decembr.*) quies equidem in assumtione pharmacorum concessa, sed Natura nondum facit officium sibi relicta, quin adhuc sentitur calor præternaturalis cum *tussicula* sicca, inappetentia, languore universali & *dyspnœa*: Technastis *Filiolus.*

Rec. *Spec. diacret.* Mynf. ℈ij. *antihect.* Pot. ʒj.
elæosacch. cinnam. ℥iij. *M. F.* ♀.

Dentur ter in die 2. cusp. cultr. Cochleatim vero *mixtura*:

Rec. *Aq. capon.* Mynf. ℥iij.
scabios. cinnam. bugl. aa. ℥j.
conf. alk. c. ʒj. *sir. fl. tun.* ʒij. *M.*

Thorax *unguento pectorali* ter in die calide inungatur. Insistatur medicamentis diu, cum diætæ debito regimine. (d. 28. *Dec.*)

XXVII.

XXVII.

Mercurius hac nocte paulisper, & vesperi iterum vix notanter subsedit, sic tamen, ut ultra quintum gradum adhuc emineat. Liquor *thermometri* vesperi lambit secundum gradum, versus quem mane proxime se demiserat. Nox & dies serenæ & frigidæ.

§ Ustrix *a mixtura olei & sirubi* præterita nocte vehementer vomuit & aliquoties dejecit, per totam hodiernam diem levius qui- Ustrix.

 dem

[XXVII. dem circa pectus habens ac parcius *tussiens*, cæterum viribus vehementer languida.

Rec. *Spec. diacr. Myns.* ℈ij.
mater. perlat. ℈j. *M. F.* 2. ♀er.

Sumatur unus ante- & alter pomeridie; cochleatim vero sequens mixtura:

Rec. *Aq. confort. offic.* ℥iij. *cinnam. bugl.*
fl. til. aa. ℥j.
Spec. cord. temp. pulv. anal. fr. Mind. *aa.* ʒß.
conf. alk. inc. ʒj. *sir. fl. tun.* ʒiij. *M.* (d. 28. *Dec.*)

Ptosimus *Gonorrhœa virulenta.* §. Ptosimus a *Chirurgo* (d. 23. *Dec.*) examinatus, talis repertus fuit, ut qui a *malo venereo* non prorsus immunis, nondum tamen adeo obsessus, ut sine *mercuriali salivatione* curari non posset. Nam neque in faucibus quid insoliti, nec raucedo aderat, nec in inguine *bubones*, nec in corporis ulla parte *psora*; circum solam glandem & præputium levis excoriatio cum fluxu seminali. In conclave calidum delato, ibique sic diu noctuq; manere jusso, ut ne per fenestram prospectus concederetur, datæ *purgantes pilulæ*:

Rec. *Extr. cathol.* ☿*ii. dulc. rit. par. aa.* ℈j.
dacryd. gr. vj. F. pil. n. xviij. den. pro. 1. *dosi.*

Postea ter in die calidus haustus *aquæ antivenereæ* Musitani, sine sudore. Residuis a *decoctione speciebus*, additæ *passulæ* & *sem. anisi*, indeq; paratus cum aq. font. potus ordinarius. Membri virilis externa cura *Chirurgo* commissa. (d. 31. *Dec.*)

Uxor. *Dispnœa.* §. Uxor *mea dyspnœa* hodie ferme ad *suffocationem* correpta venis artuum prætumidis ac funiculorum ad instar prominulis & *corde palpitante*, sanguinem e mediana brachij subito ad ℥vij. emittere coacta fuit, levamine statim inde percepto. Idque ultra triginta jam annos crebrius facere cogitur, macilenta quidem, sed tota, quanta, plethorica. Non simplici risu, sed cachinno excipi merentur malesani Speculatores, qui & negare plethoram, & venæsectionem insolidum rejicere, nugatorie sustinent; quales inter nuperius fuit *Chirurgus* quidam campestris, qui, me vix domum, ubi venæsectionem suaseram, egresso, eam omni molimine dissuadere est ausus, tanquam rem humanæ sanitati detrimentosissimam, quod *Chirurgum* fecisse miror. Nam id genus hominum alias omnibus sine discrimine hominibus, ad omnes sine discrimine morbos, *venæsectionem* omni sine discrimine tempore suadere consuevit, eo quod lucrum inde

inde decerpat. Legunt interdum ſeductorias Blancardi, Bontekoëi, Overkampi, Gehemæ (fere dixeram, Gehennæ) chartas, & quæ contra *venæſectionem* frivole ſatis ibi diſceptata repeMoriunt, climati noſtro imprudentiſſime applicant, *Medicisque* ſecum non facientibus inſultare non erubeſcunt. XXVII.

§. Melodidaſcalus (d. 25. *Dec.*) ab irruptorio maxillæ dolore denuo vehementer affligitur. Laudatur ab aliquo *buxi oleum*, ob tetrum fetorem ſufferre non potuit. (d. 29. *Dec.*) Melodidaſcalus.

§. Eſmorus (d. 25. *Dec.*) In eodem ſtatu, quamvis *dolor* in ſuris & brachiis lacerans major ſentiatur, omine non infauſto. Monitus fuit, ut medicamentis conſuetis gnaviter inſiſtere ne obliviſceretur. (d. 28. *Dec.*) Eſmorus *Pareſis.*

§. Ploranda Nipſi conditio. Ne luculam videt. **Ein blinder Mann / ein armer Mann.** *Capitis dolor* atrox, pavores frequentes, tendinum ſubſultus continui, metum *convulſionum* non minuunt, ſed augent. Aliquid adhuc in excitatam veſicam præſidii collocatur. Ter in die propinentur guttæ xxx. *mixturæ* cum *aq. ceras. n.* Nipſus. *Gutta ſer. Cephalæa.*

Rec. ℞*æ caſtor.* ℥iß.
  ♈ *CC. Tart. aa.* ℥ß. *M.*

Caput, qua dolet, *linimento* frequentius mulceatur:

Rec. *ol. e. flor. Slot. caſtor. aa.* ℥ß.
  ſuccin. ℥ß. *eſſ. anod.* ℥i.
  ♈ *lil. convall.* ℥ij. ⊖✳*ci.* ℥ß. *M.* (d. 29. *Dec.*)

XXVIII. XXVIII.

MErcurius mane parum ſubter quintum gradum repertus veſperi tertiam quinti gradus lineam attigit. Liquor *thermometri* parum ſubter ſecundum gradum per totam diem ſtetit. Nox & dies, cum ſerenitate, frigidæ.

§. Rhopalus quadragenarius, cui multum circa focum negotii, multum etiam circa vinum, quod mane, ſtomacho jejuno, e cella frigidiſſimum haurire ſolet, præterita nocte obrutus fuit *ſtranguria* vehementiſſima, cum dolore vix tolerabili. Promanant, idque propemodum continuo, lotii aurei paucæ guttæ, cum ardore exquiſito. Cauſſæ procatarcticæ nullius vult reminiſci, quamvis heri veſperi cereviſiam frigidam bibiſſe uxor, fidei licet non admodum exploratæ, affirmet. *Borborygmi* ſentiuntur, *ructus* itidem & enormia circum umbilicum *tormina*: Rhopalus. *Stranguria.*

Rec.

XXVIII. Rec. *Ol. amygd. d. rec. expr. sir. de altb.* Fern. *aa.* ℥iß.
⊖. *dulc.* R*æ. succin. aa.* ℈j. *M.*

Dosis una statim absumatur, altera servetur in noctem, nisi citiorem propinationem dolorum ferocia urgeat. Cochleatim vero adhibeatur *emulsio*:

Rec. *Sem. melon. viol. lithosperm. aa.* ℨij.
aq. veron. petrosel. aa. ℥iij.
F. l. a. Emuls. add.
Oc. ♋. *crud. cont. asell. ppt. aa.* ℨß.
Sir. de altb. Fern ℥ß. *M.*

Pubes, perinæum &c. inungatur *linimento calido:*

Rec. *Ungu. altb.* ℨvj.
ol. scorp. ℨiij. *succin.* ℈j. *M.*

Circa meridiem urina profluxit, immisso cathetere, dolore tamen post ejus emissionem nil quidquam remittente. Applicatus pomeridie *clyster* ex *emollientibus*, *paregoricis* & modice *diureticis*, qui redditus cum aliquali, quamvis non magno, levamine. Medietas quoq; altera *olei amygdalarum* hausta. Vesperi semicupio insidere jussus est.

Rec. *ol. amygd. d.* ℥iij. *succin.* ℈j. *M.*

Singulis trihoriis e pocillo juris calidi sumantur cochlearia tria, noctu vero *bolus*:

Rec. *Asell. ppt. test. ov. calcin. aa.* ℈ß.
extr. sabin. gr. iiij.
c. rob. samb. F. bolus pro 1. dosi.

Umbilicus ungatur *linimento:*

Rec. *Ol. terebinth. succin. aa.* ℈ß.
ceræ ℈j. *M.*

Caveat sibi, cum ab omni aëre, tum præcipue potu frigido. Noctu repetitus clyster. *Cataplasma* quoque ex *sem. lin. c. lacte cocto* adhibitum. (d. 29. *Dec.*)

Ustrix. §. Ustrici nox pessima. Parum abfuit, quin suffocaretur. Spem abjeci convalescentiæ. *Rhonchi* adsunt, pavores, artuum tremores. Metuo *convulsiones* Ter in die dentur guttæ xxv. *mixturæ, ex aqua confort.*

Rec. *Liq. CC. succin.* ℨj. R*æ castor.* ℨß. *M.*

Salis urinæ volatilis, more nostro parati, ℈ß. in aqua dicta liquefactus propinetur, quod potentissimum *diapnoicum* comperi, quo non potentius aliud. Fiat *cataplasma* pectori imponendum ex *cepis cum oleo lini frixis.* (d. 29. *Dec.*)

Non

XXVIII.

§. Non putabam, me hoc anno plura de Bigneti *Filiolo* (d. 22. *Dec.*) ſcribendi occaſionem nacturum. Poſtquam vero non tantum mater adhuc lactans, aëre tam rigido, foras exiſſet, ſed & ipſummet puellum tenerum, & poſt exantlatos tot paroxysmos *epilepticos*, virium receptu, contra cœli injurias, nondum obfirmatum, extra domum portari conceſſiſſet, miſellus denuo *torminibus* acerrimis afflictus fuit. Succeſſive præbeatur *magma catharticum*: Bigneti *Filiolus.* *Tormina.*

Rec. *Mag.ſt. gial. gr. iiij. ſubige cum vitell. ov. ß.*
ſenſim quoque affundendo aq. chamom. ℥ß. M.

Si puellus in *motus convulſivos*, eosque deleterios, relabitur, an *Medicus* tunc eſt in culpa? Pœnitet unquam manum admoviſſe.

§. Esmorus brevi convaliturus videtur, motu quadamtenus artubus redeunte. Paratum *infuſum theiforme* bis in die per 3. vel 4. pocilla ſorbillandum: Eſmorus *Pareſis.*

Rec. *Rad. ſarſapar. ʒvj. chin. ʒiij.*
liquirit. ʒij.
raſ. lign. ſaſſaf. ʒj. lentiſc. ℥ß.
herb. trifol. fibr. chamædr. aa. mß.
cinnam. ac. ʒij. ſem. aniſ. ſtellat. ʒijß.

Conc. cont. parentur & infundantur more conſueto. (d. 29. *Dec.*)

§. Balantius, quinquagenarius, miles, olim globo plumbeo in regione thoracis trajectus, obeſus valde, hypochondriacus, moroſus, a multis jam annis aſthmate ſæpe recurrente, fere ſuffocativo, etiam ad ipſum ſanguinis, cum tenaci pituita, ſputum affligitur, in ſiniſtro latere cubare non poteſt. De reliquo appetit, nec admodum ſitit. Pectus etiam dolebat dolore lacerante, & *alvus* fere ſemper erat *conſtipata.* Symptomata pleraque *affectioni hypochondriacæ* deferens, conſultus d. 19. *Jan.* 1707. ad *alvum* reſerandam & apertam ſervandam ordinavi familiarem uſum *potiunculæ* Oswaldi. Mane & pomeridie 10. *pilulæ* deglutiantur, inſequente motu: Balantius *Aſthma.*

Rec. *Gumm. galb. ammoniac. aa. depur. ʒij.*
limat. ♂. finiſſ. inſtar. alcohol. ʒiij.
diaph. ♂al. ʒj. ☿ ij. dulc. rit. par. ℈j.
magiſt. gial. gr. xv. M. & c. elix. propr.
F. pil. pond. gr. iß.

Hoc pacto & viſcerum infarctibus, lymphæque ſtagnationi, & alvi conſtipationi ſuccurrere nitebar. Noctu autem, ante ſomnum, præberi volui *mixturæ* gtt. xxx.

XXVIII. Rec. *Tinct. aurant.* ℥ij. ♁✱. *anis.* ʒj.
ess. anod. ʒß. *M.*

Pectoris fiat inunctio calida bis in die:

Rec. *Ungu. de hyosc.* ℥ij.
ol. lumbric. nuc. mosch. expr. aa. ʒj. *M.*

Diæta respondeat. Æstate futura Göppingenses ad fontem bibat. A medicamentis non parum profecit. *Acidas* ad fontem suo tempore non sine fructu bibit. Nunc a semestri denuo relabitur in antiqua symptomata. Consuluntur varii *Medici*, Medicastri, quin & carnifices. Denique rursum ad me itum. Litteræ morbum exponunt fere talem: 1. Perpetuus est *aurium susurrus & tinnitus*, qui noctu, recrudescente *capitis dolore*, augetur & strepitum aquæ proxime profluentis refert. 2. *Tussis* tam vehemens, cumprimis noctu, tribus plerumque periodis, ut cor in frusta disrumpi videatur. Comitantur simul dolores capitis & pectoris. 3. *Sputum* est album, sed glutinis ad instar tenax & viscidum. 4. *Asthma* tam molestum, ut respiratio nonnunquam plane cessatura videatur, si quando scalæ sunt ascendendæ, quamlibet etiam tarde gradiar; Totum pectus mihi pituita ab imo ad summum repletum videtur. 5. Ad *alvum* reserandam quotidie mane assumo *pulveris rhabarbari* cuspidem cultri majorem. Medicamentis pluribus, at sine fructu, utor. Peto consilium.

Morbum primarium iterum pronunciavi *malum hypochondriacum*; caussam symptomatum urgentiorum, stagnationem seri cum ubique, tum in pulmonibus potissimum, horumque bronchiis. Metuendum esse *hydropem*. Pituitam viscidam esse incidendam, & leviori expectorationi aptandam: idque fieri posse modo sequenti:

Rec. *Spec. pro dec. pector.* ℥iiij. *rad. armorac.* ℥j.
sem. nasturt. sinap. aa. ʒiß. *herb. cochlear.* Mj.
conc. cont. coq. in mens. iß. aq. font. ad consumt. $\frac{1}{6}$.

Bibat mane, pomeridie & noctu haustum calidum, mane semper simul sumendo *magnesiæ albæ* ʒiß. Pomeridie vero & noctu gtt. xxxx. *mixturæ*: Rec. ⊖. *vol. oleos.* ♁. *cochlear. aa.* ʒij. *M.*
quæ *mixtura* itidem aliis quibuslibet temporibus, quoties suffocationis quasi metus adest, ex cochleari vini accipiatur. Potus ordinarius, qui sit *vinum album* Neccarinum *vetus*, misceatur æquis portionibus cum *potiuncula* Oswaldi; vel bibat *passulatum* Horstii ad leniendam sitim, & alio tempore pro alvo reseranda, dictam *potiunculam*. *Rhabarbarum* enim quotidie assumtum nimium exsiccat, & pituitam magis

gis densat, consumto humore, qui eam fluidiorem reddebat. Edat interdum *nasturtium aquaticum cum vino & olivo.* Suo tempore ad fontem acidum iterum proficiscatur. XXVIII.

§. Technastis *Filiolum* juvant d. 26. *Dec.* ordinata, melius profutura, quo diutius usurpantur. Technastis *Filiolus.*

§. Leroli *Filiolus* (d. 13. *Sept.*) *febris intermittentis* recidivam patitur, jam exantlatis aliquot paroxysmis. Leroli *Filiolus. Febris interm.*

Rec. *Gial. n. resin. crem. Tart. aa. gr. xv.*
dacryd. gr. ij. ol. caryophyll. gtt. j. *M. pro* 1. *dosi.*

Postea bis in die 2. cusp. cultr. de *pulvere*, quovis modo, sumantur:

Rec. *Cort. peruv. subtiliss. pulver.* ʒij.
conch. ppt. ʒj. *elæosacch. caryoph.* ℥ß. *M.*

Noctu vero propinentur gutt. xx. *essent. cort. peruv.* cum cochleari vini.

§. Mellesii *Filiolus* (d. 26. *Dec.*) ad *sudorem* non facile componitur, cute quamvis uvida. *Diureticis* rem non esse tentandam existimans, ordinavi *pulvisculum* bipartiendum, cujus una portio hac nocte, altera cras mane detur, cum quolibet vehiculo, non interim seposito nuper ordinatorum usu: Mellesii *Filiolus. Scabies repulsa.*

Rec. *Asell. ppt. Tart.* ⊕ *lat.*
⊖. *genist. vol. CC. aa.* ℈ß. *M.* (d. 29. *Dec.*)

XXIX.

XXIX.

MErcurii eadem, quæ vespertina hesterna statio, liquor *thermometri* magis, quam heri, subsedit. Nox clara, frigida, dies eadem cum utrisque vasis.

§. Apud Ustricem nox comparative tolerabilis. Medicamentorum penus nondum exhausta. Pergat igitur cum ultimo ordinatis (d. [illegible]. *Dec.*) Ustrix.

§. Relatum fuerat Melodidascalo Fœminam nobilem eadem *contractione faciei spasmodica*, qua ipse laborat, misere ac diu affectam, a Cœtonite, celebri *Medico*, curatam fuisse. Scripsi ad dictum *Medicum*, affectum *Melodidascali* exposui, an & quantum huic cum morbo *domicellæ* conveniret, qnomodoq; curatus fuerit, ut rescribere ne gravaretur, oravi, ipseque, pro sua humanitate, in sequentem sententiam respondit: Melodidascalus.

Fœmina nobilis, humilis staturæ, provectæ ætatis, anno hujus seculi tertio & quarto *tertianam epidemiam*, septimo *quartanam* passa,

 cum

XXIX. cum ab *æquinoctio verno* anni octavi, molestum, quo interdiu vexabatu r, *subtumentium pedum pruritum*, sine nota caussa, observasset disparuisse, sensim in gravem atque longam incidit *hemicraniam odontalgicam*, eo magis suspectam, quia soror minor natu, jam ante annos (*numerus est omissus*) post *cephalæam* obiit *apoplectica*. Circumstantiæ potiores erant sequentes: Latus affectum constanter fuit dextrum. Uti nunquam transcendit ad sinistrum dolor, ita nunquam descendit infra caput. Reliquum corpus erat in salvo, nisi, quod tandem consumtum sublangueret, extra lectum tamen se sustinuit. Olim sub affectibus animi & corporis toties solebat comparere turgens, per sinistrum latus temporum, vasculum sanguineum, jam per dextrum nihil tale. Doloris quidem præcipua vis infestabat duos maxillæ superioris dentes superstites, non cavos, non fœdos aspectu, sed quasi sanos, extendebat se tamen per totam maxillam, & latus illud. Modus *doloris* describebatur *per irruptiones improvisas acutissimas, tum, sic prehensa ægra, contremiscente, obticescente, oculus & gena illius lateris videbantur trahi, & suffundi facies transitorio rubore: Idque toties, incerto prorsus tempore, sub cibo, motu, sermone*. Et tamdiu, sc. ad usque æstatis finem, absque ullo superveniente tumore, quin, extra insultus, dentes posset contingere, & elicere salivam & cruoris parum, sine tamen levamine. Nec appetitus ipsam omnis destituerat, sed metus doloris sæpius inhibebat. Urinam nunquam emisit aliam, quam, vel naturali similem, vel tenuiorem, clariorem. Prius addi debuisset hoc etiam: *Majo*, post ruborem per quosdam dies oculorum, eruperat aliquando sanguis e nare dextra, certe largiter, ipsi plane calidus, siccus, pulcher, sed non amplius porro. Curationem ordinatam hujus mali referre non licet, quia ægra in assumendis medicamentis difficillima, pleraque non admisit, reliqua brevi omisit, externis modo tractari volens. Et videbantur quidem externa interdum juvisse, sed videbantur saltem; nam audiebantur brevi querelæ pristinæ. Non opus est recensere omnes omnium familiarum *spiritus apoplecticos, anticatarrhales &c. emplastra, vesicatoria, spiritu vini* bene toties adustum os &c. Tandem d. 20. *Julii* satis dextre ac feliciter extractus fuit dentium posterior, integer, non corruptus. Superis extra nil juvantibus descensum fuit ad *enemata*, suppedanea, pediluvia. Interna vix, nisi sub mutationibus phasium Lunæ admissa fuerunt, vel *pulvis cephalicus*, vel *spec. contra apoplex.* aut *pulv. pannon. Marchion. & epilept. M.* Mane hausit modo *infusum Thée*, modo, & frequentius tandem, sequentium florum & herbarum: *Nymph. cichor. borrag. buglost. meliss. beton. verben.* Ad noctes dabatur jam *pulv. Cinnabaminus, nitrosus,* *absor-*

absorbens, jam dosis *extr. bezoard.* interdum quoque *diascordii.* Die, quo extractus dens, sumsit *bezoar, smaragd. Cinnab. CC. aurat. margarit.* ☽. *unicorn. aa.* gr. v. Noctu *3. pilul. ther. cœl.* Tandem sub finem *Augusti*, missus fuit sanguis ex pede, iterum mundus, pulcer & siccus. Die 10. *Sept. a pulv.* Cornach. *& specieb. diagalap. aa.* ℈j. *cum aq. acac. & sir. de cich. c. rhab.* datis, vomuit ac dejecit largiter, bona cum tolerantia. Prius aliquandiu bis per diem sumserat *gtt. xv. in aq. destill.* ⌒ ☽. *dulc. &* ⊖. *vol. oleos. aa.* Postmodum raro gtt. xi. *elix. vit. compl. part. iij. juleb. ros. part. j.* & tantillum de *sacch. perlat. cum ambr. grys. & ol. cinnam.* Sic ad *æquinoctium autumnale* dolor multo minor & rarior. Indicia sui dedit *pruritus pedum*, sed non erupit, transacta hieme sic satis bene. Anno 1709. ipsa vespera Pentecostes periculosus lapsus, allisus lateris sinistri. Diu hinc jacendum tremulæ. Resurgit tamen. Utitur *aqua Blasiana pro pediluvio. Augusto* dentem superstitem extrahi curat. Principio *Septembr.* ob *anorexiam* & languorem repetit *purgans*, subjungit usum *elix. aperit. & Ræ.* ♂. *cydon.* ante pastum. *Spec. diacret.* post pastum. Sic, per DEI gratiam, valet, pro ratione corpusculi & senectutis, utcunque bene. XXIX.

Addebat *Cœtonites* in litteris: Annon & apud nostrum Patientem locum habere posset *derivatio a capite ad inferiores corporis partes?* It. Annon disponi posset ad plenariam a vino abstinentiam, substituendo curam *lactis?* Cibo, potu, reliquisque paucis medicamentis simul ita coordinatis, ut lacti non contrarientur, habita cura, alvi apertæ servandæ?

In multis hi affectus sibi non sunt dissimiles. Id solum semper suspicor, apud nostrum non cruciare solam intemperiem, sed *vitium esse in ossibus* ipsis, sive *caries* ea sit, seu *fissura*, vel quid aliud. *Derivationis* non sumus obliti, *venæsectionum* puta, *in pedibus*, *clysterum* &c. Ad *abstinentiam a vino diætamque lacteam* disponi non potest. (d. 30. *Decembr.*)

Rhopalus. *Stranguria.*

§. Apud Rhopalum *stranguria* nondum sublata, mitius longe tamen crucians. Ordinatum *Decoctum Foresti*, cujus ter vel quater in die calidus haustus assumatur. Antemeridie adhuc repetatur *clyster* cum additamento *sem. cydon, & rad. alth.* Factum cum effectu plane salutari. Noctu repetatur idem *clyster. Stranguria* remittit. (d. 30. *Dec.*)

Esmorus *Paresis.*

§. Esmorus, per DEI gratiam, sensim articulorum omnium motum recuperat, neque de consequenda valetudine ullum est dubium, dummodo in *theiformis infusi* usu sit diligens. (d. 21. *Dec.*)

XXIX. §. Miram Historiam narravit Usias de *Parochi* cujusdam in celeberrimo Germaniæ emporio *Filio*, *puero decenni*, vitæ probatæ, modesto, ingenio non admodum vafro. Hic ab aliquo jam tempore, statis per septimanam diebus, feria sc. prima & quarta, noctu hora decima in lectulo decumbens & in *ecstasin* abreptus, voce non consueta puerili, sed mascula, ad quæsita quævis concinne & plane ingeniose respondet, idque facit, usque ad horam quartam, qua audita respondere cessat, postmodum evigilans, secum actorum omnium est plane ignarus, neque tunc de majoris momenti rebus quidquam respondere potest, pro ætatis modulo puerilia proferens, &, ad nocturnas responsiones comparata, ne levissimi quidem ponderis. Usias ipse, vir non illitteratus, cum Serenissimo quodam PRINCIPE negotio præsens fuit, omnia in conclavi curiosis oculis arbitratus est, lectulum infra, supra, circum, circa, sollicite exploravit, faciem pueri in profundum somnum delapsi contuitus est. Fuci vel doli nihil. Interrogavit puerum de variis rebus seriis & intricatis Scripturæ Sacræ locis, de *Urim & Thumim*, quid fuerit &c. responsum semper tulit, quale, ipso judice, solidius quisquam *theologiæ Doctor*, dare non valuisset. Sacro se inter id temporis horrore perfusum fuisse fatebatur. Pater pueri, venerandus senex & a multis annis cœcus e longinquo colloquio assidebat, cætera nihil interpellans. Mira historia. Ut *Physicus*, quod dicam nihil habeo, naturæ enim viribus tale quid adscribere velle, ridiculum censeo: Ut *Christianus*, judicium suspendo, quum omnes circumstantiæ mihi cognitæ non sint. Sequor consilium Gamalielis Act. VI. 38. 39. Exitus acta docebit. Scripsi super hoc argumento ad *Medicum* ejus loci non incelebrem, sed responsionem ab ejus humanitate frustra expectavi.

Mellesii *Filiolus*. §. Cum neque per *hidrotica* nec *diuretica* scopum apud Mellesii Filiolum obtinere queam, *asthmate & corporis inflatione* adhucdum, licet remissiore gradu, præsentibus, me per cathartica, quod volo, consecuturum esse confido. Scripsi igitur infusum:

Rec. *Rad. squill. ppt. irid. nostr. aa.* ℨiij.
cort. inter. samb. ebul. aa. ℥ß.
herb. soldanell. mß. fol. senn. s. s. ℥i.
rad. mechoac. a. agar. troch. aa. ℨiij.
passul. min. ℥j. *zingib.* ℨß. *sem. anis.* ℨj.
Conc. cont. infundantur & bibantur more solito.

§. Nip-

XXIX. Nipſus.

§. Nipſus (d. 27. *Dec.*) nudius tertius, circa veſperam, ob vehementiam & immanitatem *cephalææ contractiones ſpasmodicas* paſſus eſt, cum veris *animi deliquiis*. Guttæ xxx. *liquoris CC. ſuccin.* ter in die, quovis modo, propinentur, in caſu quoque neceſſitatis naribus admovendus, cum reliquis pergendo. (d. 30. *Dec.*)

Miſſionarii *Filiolus. Convulſiones.*

§. Miſſionarii trium annorum *Filiolus* accepit *variolas.* Mater ſolito more, nullius momenti rem exiſtimans, de conſiliis *Medicis* non fuit ſollicita. Res etiam rite feliciterque ſuccedere videbatur. At vero, jamjam puſtulis maximam partem arefactis, puellus *convulſionibus epilepticis* cum *aſthmate* prehenditur. Mihi vocato puſtulis ob frigoris externi, quamvis pernegatam, admiſſionem, nimis mature aruiſſe credebantur. Puello ſtatim *veſicatoria* duo affigenda curavi, unum brachio dextro, ſiniſtræ ſuræ alterum, indicato prius vitæ ſummo periculo *mixtura* ſimul cochleatim præbenda:

Rec. *Aq. fl. til. ſamb. aa.* ℥ij. *epil. L.* ℥ß.
♁. *nat. ppt. ſuccin. a. ppt. aa.* ℈j.
ſir. fl. pœon. ℥ß. *M.*

Balſamum cephalicum conſuetum nuchæ, vertici & temporibus. (d. 30. *Dec.*)

XXX.

XXX.

Mercurius mane in quinto gradu repertus, eum veſperi parum transſcendit. Liquor *thermometri* nunc per aliquot dies immobilis. Nox & dies, cum ſerenitate frigidæ.

Melodidaſcalus.

§. Apud Melodidaſcalum quotidianum & *irruptionis* dolorificæ, & *contractionum ſpasmodicarum* augmentum. Præſente paroxyſmo, qui nunc fere per ſingula momenta redit, oculus dexter ferme totus clauditur, lingua hæret, ut verbum amplius profari non poſſit. Paroxyſmus terminatur exſpuitione arga viſcidioris pellucidæ *ſalivæ*, ſine dubio e compreſſis per maxillarium muſculorum *ſpasmum* glandulis ſalivalibus, tanquam e ſpongia, prolectæ. Major indies oritur ſuſpicio *cariei maxillæ* ſuperioris, quamvis, qui contradicant non deſinit. *Gargariſmus* ordinatus & *ſacculi ex herbis ac radicibus nervinis.* Veſperi nullum adhuc effectum ediderant. Miſera res ægrotum tempore paroxyſmi *gargariſmum* in ore non retinere, neque, quin ſponte effluat, impedire poſſe, imo nonnunquam cochlear jure plenum ante decies labiis admovere, quam deglutire valeat. (d. 31. *Dec.*)

Uſtrix. *Convulſiones.*

§. Neque de Uſtrice, quod lætum ſcribam, quidquam habeo. *Convulſiones* quin præterita nocte irrumperent, impediri non potuit.

Locuta

XXX. Locuta quoque tunc est multa *delira*. Noctibus semper alternis, quum pejus vivere observetur, respectum simul ad *febrim* habere, non otiosum existimans, ordinavi *mixturam*, cujus ter in die gtt. xxx. ex quolibet vehiculo hauriantur:

Rec. ♁. *nervin. ess. cort. peruv. aa.* ℥j. *M.*

Quum cutis semper sit arida, datus haustulus *sudorificus*:

Rec. *Mixt. simpl.* ℥ß. *aq. fumar.* ℥ß.
sir. card. ben. ʒij. *M. pro* 1. *dosi.*

Cum reliquis pergatur. Vesperi parum melior reperta. (d. 31. *Dec.*)

Rhopalus. §. Rhopalus noctem sine dolore transegit. Urina succedit, ac hodie tolerabiliter vivit. Pergat cum *Dec.* Foresti & aliis. (d. 31. *Dec.*)

Strangur. Nipsus. §. Nipsus contra noctem expertus est valde calamitosam, diemque exorsus est cum horrore febrili, sequente æstu, *cephalææ* exacerbatione, *deliquiis* &c. Quid? si *febrim intermittentem* pullulare videam? Urinam cras mane emissam in loco frigido asservare jussi, e sedimento, si lateritium, *febris* præsentiam judicaturus. (d. 31. *Dec.*)

Missionarii *Filiolus*. *Convulsiones*. §. Missionarii *Filiolus* adhuc parum profecit cum heri ordinatis. *Convulsiones* subinde redeunt, ac *asthma* continuum est. Cum adhuc adsint *medicamenta*, nec melius quid præscribere valeam, illis insistere jussi. Certe moriturum credo. *Convulsiones* in fine *variolarum* ingruentes fere lethales. *In tertio stadio variolarum, crisi nimirum jam peracta, levissima convulsionum vestigia gradum veneni spiritus hactenus superantem vel lacessentem superstitem monstrando, pravam morbi indolem & eventum funestum, vel saltem dubium, ubique significant.* Morton. *Pyretol. part. II. cap. 9. p. m. 253.*

XXXI.

XXXI.

MErcurius mane in medio sexti gradus & liquor *thermometri* ferme in medio secundi gradus, talisque amborum per totam diem statio. Frigus intensum valde cum aëre quasi obscure nebuloso, qui transitum visui longinquum non concessit. Atque sic annus cum penetrabili gelu, sub ipso novilunii ingressu, clausus.

Melodidascalus. §. Melodidascalo nox obtigit horrenda. Ut ipsum juvaremus, per DEUM deprecatur. Qui possimus autem, cum *cariem* supponamus, & chirurgicæ manui locus non concedatur? Sine denudatione maxillæ caries, sine carie sublata dolores non tolluntur. Suasimus interim affrictum *extracti lignorum* cum *spiritu matricali* soluti. Perferre non posse pomeridie dixit. Temperari voluimus admixtione

mellis

mellis rosati. Mulieres quædam laudibus miris extollebant internum & externum *essentiæ* Halensium *dulcis* admotionem. Non contradiximus, quamvis neque nocituram, neque profuturam prævideremus. Cum & nostri *Chirurgi,* ob *tumoris* absentiam in *gingiva,* cariem adesse posse dubitarent, cogitare jam nuper cœpimus de quodam celebri *Medico-Chirurgo*, qualem invenimus celeberrimum Dn. Sitopœum, *Medicum* Probatopolitanum. Ad eum datæ nuper litteræ, tulerunt hodie responsionem sequentem: XXXI.

Cum me non lateat, quantam diligentiam in tollendo hoc affectu impenderint tot *Medici*, symbolam meam fere superfluam conferre hæsitavi. Quum vero tristem eventum, non sine caussa, judices, & interea mitigationem dolorum solam unice, cum Dn. Patiente, desideres, jam ante aliquot septimanas lubens tale communicassem, nisi rem, ob experimenta nondum sufficientia, differendam esse, duxissem. Amicus quidam meus, cujus Parentes Holmiæ multis me beneficiis mactaverant, studio Medico Lipsiæ aliquamdiu incubuit, nervo autem studiorum deficiente meum imploravit subsidium, quod, ob rationes ante memoratas, negare non potui. Hic in Angliam post profectus ac familiaritate cujusdam insignis *Practici* usus, *pilulas* quasdam, certo stratagemate, adquisivit, quarum effectus in *morbis spasmodicis* & ipsamet *epilepsia* mirabilis prædicabatur. Descriptionem illam mecum communicavit. *Pilulas* mitto. Deglutiuntur singulis diebus 4. ad 5. vel stomacho jejuno, vel circa decubitus horam. Periculum in aliquibus feci optato cum successu. Basis est *sapo Tart.* & *ingredientia* potissima sunt *oleum lign. sassafr. Oll. opium, nux moscb. bezoard. miner. rad. serpentar.* Virg. *croc. or.* Periculum facite cum his. Effectu aliquo se ostendente in communicanda genuina descriptione me nullatenus difficilem experiemini. Nisi vel hoc, vel alio simili probato *specifico* malum tollatur, illud vix iri superatum credo. &c.

Videbimus, quid possint hæ *pilulæ.* Carie nempe præsente nihil. *Sapo Tart.* describitur in *Pharmacopœa* Bateana. p. m. 98.

§. Ptosimus (d.2 . *Decembr.*) non male decurrit stadium suæ curæ & de solo languore virium queritur. Cur autem non langueat ejusmodi *Decoctum* ter in die bibens, & in conclavi calido noctu diuque conclusus? Homo præterea pro genere vitæ potiorem vivendi partem in aëre libero consumens. Ne tamen quocumque modo de- Ptosimus *Gonorrhœa virul.*

XXXI. essem, ordinavi *mixturam* roborantem cochleatim sumendam, & cum *decocto* gnaviter pergere jussi:

Rec. *Aq. Borrag. ros. aa.* ℥iij. *cinnam. bugl.* ʒvj.
Spec. cord. temp. pulv. anal. fr. Mind. *inc. aa.* ʒß.
conf. alk. c. sir. fl. tun. aa. ʒij.

Pelidni *uxor.* §. *Uxor* Pelidni jam a longo tempore decubuit *arthritica*: nescio quibus usa, nunc iterum extra lectum manere potest, artubus quamvis adhuc valde languentibus. Petit a me *infusum arthriticum* simul purgans, quod ordinavi tale, nostro more parandum & potandum:

Rec. *Rad. bardan. valerian. aa.* ℥ß.
herb. chamædr. fumar. aa. mj.
fl. acac. mß. fol. senn. s. s. ℥j.
rhabarb. ver. ℥ß. *rad. mechoac. a.* ʒiij.
agar. troch. ʒij. *passul. min.* ℥iß.
sem. anis. ʒij. *Zingib.* ʒj.
Conc. cont. D.

Ustrix. §. Ustrix mediocriter pernoctavit, hodie quoque utcunque habens. Futuram noctem iterum auguror pejorem, atque, ob summum languorem, nihilominus, ne adhuc moriatur, vereor. Non sepositis *antispasmodico - Febrilibus* heri ordinatis, æstui & *palpitationi* futuræ noctis, prospicere tentavi *emulsione* ad 3. cochlearia præbendæ;

Rec. *Sem. 4. frig. maj. aa.* ʒj. *papav. a.* ʒij.
aq. ceras. n. fl. til. aa. ℥iij.
F. l. a. Emuls. add.
bezoard. miner. nitr. perl. aa. ℈j.
sacch. perlat. ℈ij. *M.*

Contra *palpitationem epicardium* nobis consuetum e *cerat. santal. ung. pomat.* & *succ. gran. Kerm.*

Nipsus. §. Nipso rursum nox magis benefica, quamvis urina hodie explorata non multum *febrilis* lateritii sedimenti exhibuerit. Attamen, quum hodie noctem molestam denuo metuamus, ordinatum *electuarium febrifugum* tripartiendum, cujus una dosis hodie pomeridie, altera noctu, tertia cras mane sumatur:

Rec. *Cort. peruv. subtiliss.* ♀*is.* ʒj. *extr. papav. comp. gr. vj.*
diascord. Fracast. ʒiij. *M.*

Vesicam

Vesicam nuperam intra scapulas hactenus apertam servavimus, deligando *emplastro de minio* quarta parte *empl. vesicatorii* acuato, nunc autem ultimum omitti volui, cum de molesto nimium decubitu queratur. Cum *linimento* pergatur. XXXI.

§. Rhopalus, DEO benedicente, ab omni dolore immunis est. Elapso abinde quatriduo assumat *electuarium purgans* consuetum, postea, præservandi fine, quoties collibitum erit, longo temporis tractu, sumat cusp. 3. pulveris *nephrocathartici*, per se, vel cum quovis, modo non acido vel acri, vehiculo, cavendo ab omnibus acribus, acidis, aëris externi injuriis, potibus frigidis & nimiis; comedendo potius cibos viscidos, gelatinosos, *lacticinia*, cremorem hordei. &c. Rhopalus. *Strangu-ria.*

Rec. *Rad. alth.* ℥ß. *helen. liquir. aa.* ʒij.
terebinth. coct. ocul. ♋. *crud. cont. aa.* ʒj.
balsamosacch. de Copaib. ℥j. *M.*

§. Esmorus (d. 29. *Dec.*) etiam nunc pedes quaquaversum movere, imo illis insistere, quamvis nondum progredi, potest. Robur indies augetur. *Infusi* continuatus sit usus. Esmorus *Paresis.*

§. De Euscopia (d. 19. *Dec.*) nunc demum, quasi postliminio, percipio, eam avidius ingurgitare solitam *panes* pro canibus venaticis, e farina non subtiliter satis molita, pistos, unde *cardialgicam* factam mirum non est. Sic sæpe Medicis, longo post convalescentiam vel mortem ægrotorum tempore, *caussa* morbi *procatarctica* innotescit, ægrotis perperam, vel metu, si adhuc sub disciplina vivunt, vel pudore, si quid suæ ætati vel conditioni indecens patrarunt, suos errores supprimentibus, quum, caussis probe, per confessionem sinceram, agnitis, felicius ipsa medicatio, vel infelicius contra, procedat. Euscopia *Cardialgia.*

§. Alturbani *ancilla* de *suppressione mensium* & hinc oriri solitis, in hoc Eteodromo passim recensitis symptomatibus, conqueritur, & Herbolariam dicit, sibi jam diu varios haustus medicatos, cum auxilii certissima & infallibili promissione, sine tamen effectu, nisi, quod inde languidior facta sit, propinasse. Quum Herus & Hera de integritate puellæ testimonium perhibeant, *pulverem* sequentem ordinare sum ausus, cujus mane & pomeridie 3. cusp. cultri, cum *aqua pulegii*, sumat, insequente corporis motu: Alturbani *ancilla.* *Mensium suppressio.*

Rec. *Troch. de myrrh. chalyb. c.* ♁. *aa.* ʒiij.
succin. a. ppt. borac. Ven. *aa.* ʒj.

XXXI.

⊖.succin. vol.croc.opt.aa. ℈j.
elæosacch. sabin. ℥ß. M.F. ♀.

Noctu, ante cubitum, sumat gtt. 30. *mixturæ* ex cochleari vini:
Rec. *Elix. aperit.* Cl. *ʒiij.* ⁓. *CC. ʒj. M.*

De Herbolaria monendum, quam frivolæ sint ejusmodi mulieres, quæ ancillis ad se venientibus, lucelli turpis caussa, medicamenta *emmenagoga* præbere non erubescunt, non obstante, quod severa lege prohibeantur. Nam, unde sciant hæ mulieres, an puellæ furtivis congressibus imprægnatæ sint, nec ne? *Medico* perito non raro negotium facessunt isthæc examina, (*vid. Miscellan. m. Part. II. p. 332. s.*) quidni mulieri insciæ? Quodsi *poculum abortionis* hoc modo offeratur, quis liberabit a culpa latrocinii? versantem cumprimis in re illicita? Ego sane plures hoc modo per totum annum *abortus* procurari, ne minimum quidem dubito. Non toleranda sunt talia, sed a *Magistratu* animadversio petenda, quamvis id fere frustra fiat. Dic tamen, & animam salvasti!

Missionarii *Filiolus.* §. Missionarii *Filiolo*, quamvis non evasuro, semper adhuc *convulso* & summe *anhelo*, ⁓. *nervini* ter in die gutt. v. vel vj. cum potu ordinario dari, pectusculumque aliquoties in die *unguento pectorali* cum ⁓⊖✳. *acuato* inungi volui.

Toparius *Nyctalopia.* §. Toparius (d. 12. *Dec.*) per tunc ordinata, a *Nyctalopia* liberatus est.

EPILOGUS.

UT de candore nostro & inserviendi promtitudine *Practicis* junioribus eo liquidius constet, quæ sit notaminum nostrorum *Practicorum* ordo ac methodus, brevi recensione declarare, sicque hunc *Eteodromum* obsignare, decrevimus, cuilibet liberum, velit, nolit nos imitari, arbitrium relinquentes.

Paravimus nobis involucrum coriaceum octava, quod ajunt, forma, tantæque capacitatis, ut sex chartæ scriptoriæ, eadem forma complicatæ, plagulas capiat. Unum quodq; latus involucri adhuc præditum est peculiari conditorio (Tăsch-lein.) coriaceo, in quod recondi queant aliæ quædam schedulæ

dulæ, epiſtolæ, chartulæ ſcribendis formulis aptatæ, quum Medicus haut raro domos ingrediatur omni charta ſcriptoria vacuas, veluti conſpiciuntur interdum tabellariorum perulæ, in quas litteras ſibi creditas condunt, ne nimium ſordeſcant (Brief Futteral.) Eo loci, ubi complicatur involucrum, ab imo ad ſummum affixa ſunt lora duo, ſupra & infra firmata, in medio laxa. Jam tres chartæ ſcriptoriæ plagulas in octava forma complicatas per unum lorum transmitto, ut, ſi folia iſta ſcripturis completa ſunt, ea ſine lacerationis periculo rurſum extrahere, aliasque recentes plagulas transmittere valeam. In has plagulas omnes remediorum formulas, ægroti nomine ac ætate, ſcriptionis menſe ac die, præfixis, conjicio, conjectas in aliam chartulam, Pharmacopolio aſportandam, transfero. Anno præterlapſo, indicem nominum propriorum conficio, plagulasque in volumen unum conſuo, tegmini Annum, v. gr. 1709. præfigens, ſingulisque annis ejusmodi librum mihi comparo. In alterum lorum, alias tres plagulas eodem modo complicatas, transmitto, quibus alia ad rem medicam quocunque modo pertinentia, e diſcurſibus hauſta vel ſponte excogitata, memoriæ cauſſa, inſcribo. XXXI.

Ita, quid his illisve ægris ante pluſculos annos in variis affectibus præſcripſerim, ex indicibus, facile reperio, quæ res habet uſum multiplicem. 1. Ipſius Medici intereſt, ſi poſt aliquod tempus ab ægroto olim ſuo denuo conſultus, ad ea recurrere poſſit, quæ olim conqueſtus eſt, &, quibus mediis quo cum effectu tractatus fuerit. 2. Sunt ægri, qui medicamenti aliquando felicem effectum experti repetitionem flagitant; quod, ſi *Medicus* non annotavit, ægrotum voti compotem facere non poteſt. Licet enim in genere reminiſcatur, attamen ſi non eadem ſit colore, odore, ſapore, formula, fiduciam ægroti non habent. 3. Si *Medicus Receptarum* ſuarum *apographa* ſibi non ſervat, quid eidem ægroto ante paucos dies ordinaverit, obliviſcitur, & tunc, præter ſuam intentionem, eadem ſemper chorda, quum variare potius fuiſ-

XXXI. ſet, oberrare poteſt, quod valde indecens eſt, & ægrotos ſuſpicaces reddit, quaſi Medici pharetra adeo ſit evacuata, ut non niſi unum telum poſſideat. 4. Ex incuria *Pharmacopœorum*, vel miniſtrorum, formula nonnunquam in angulum oblivionis reconditur, vel prorſus amittitur! tunc autem e Medici promtuario ſarciri poteſt. Imo, ipſimet interdum ægri, vel adſtantes ante formulam amittunt, quam in officinam illata ſit. Et quæ ſunt alia fortaſſe jam non incidentia commoda.

Quidam formulas in eam ſtatim ſchedulam conjiciunt, quæ officinæ inferenda eſt, ſumtam inde apographam ſibi ſervant. Ego contrarium facere conſuevi. Interdum enim, dum in delineanda formula ſum occupatus, aliquid inter ſcribendum in materia & pondere vel addendum, vel minuendum vel mutandum incidit. Lituras autem illas & interpunctiones adverſaria commodius ferunt, quam receptæ officinales, quas terſas eſſe & immaculatas, intereſt. Quemlibet autem ſuo hic ſenſu abundare, lubens patior.

Gnomilegus pro unoquoque ægroto peculiarem ſibi chartam vel ſchedam eligit; in hanc ſucceſſive, per omnes temporum decurſus, quid eidem ægroto v. gr. 1701. 1702. 1703. &c. in quibuslibet affectibus ordinatum ſit, ſcribit. Habet hæc methodus id emolumenti, ut ſecundum ætatis, temporum. &c mutationes, naturarum quoque & morborum mutationes in ægris, uno quaſi intuitu conſpicere, ſuasque indicationes tutius ac promtius elicere liceat. Nam

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

Nulli autem, etiam veterano *Medico*, nedum juniori, Auctor fuerim, ut receptas ſuas, non, niſi ſemel, ſcribat, ob emolumenta, quibus ita carere cogitur, ſupra memorata & plures rationes, præcipue, ſi conſilia Medica alior-

aliorsum transmittenda sunt. Si enim v. gr. post præterlapsos aliquot dies ab ægroto rescribatur, hoc electuarium, istas pilulas, illum pulverem hunc vel illum effectum præstitisse, vel non præstitisse. &c. Quid facturus est Medicus illarum præscriptionum, ut in diffusa praxi aliter fieri non potest, oblitus? Divinat quidem, sed oppido & fallitur, & suos ægros fallit. XXXI.

Ut denique Lectorem benevolum non lateat, quo fructu, quave fortuna praxin meam per totum hujus anni decursum, manuducente JEHOVAH, *languorum nostrorum uno, vero, bono Medico*, exercuerim, computationem ecce sequentem intueatur, *magnificet mecum* JEHOVAM, *& exaltemus nomen ejus una. Psalm. XXXIV. 4.*

Hoc anno M. DCC. IX. me Medico sunt usi homines 884.

Quos inter fatum obierunt	*Ætate grandes.* -	*1.*
	Infantuli. -	*17.*
	Peregrini. - -	*6.*
	Incurabiles. -	*15.*
	Curabiles visi. -	*14.*
		53.

Si qui plures sunt mortui, certe me latet. Aliquos esse mortuos longo post tempore rescivi, sunt autem paucissimi. Aliqui, si mature venissent, si dicto audientes fuissent, utique salvari potuissent. Qui me propterea, quod, e ferme nongentis, hos quinquaginta tres, vel omnes Proceres, non sanaverim, infelicem ebuccinat Practicum, in DEUM & homines peccat. Ut nemo vestrum, O *Medici* juniores! me sit infelicior Practicus, ex intimis cordis mei penetralibus precor. Homo sum. Nihil sum. *DEUS est, qui hæc omnia operatur, juxta virtutem operantem in me. Illi sit gloria in Ecclesia in CHRISTO JESU in omnes generationes seculi seculorum. AMEN! Eph. III. 20. 21.*

Psalm.

XXXI. Pſalm. CVII. 17. ſeqq.

Stulti, qui ob viam prævaricationis ſuæ, & ob iniquitates ſuas affligebantur: Ut omnem cibum abominaretur anima eorum, pertigerintque, usque ad portas mortis: Sed clamarunt ad JEHOVAM, cum anguſtia illis; & ex anguſtiis eorum eripuit eos. Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, eripuitque ex foveis eorum: Confiteantur JEHOVÆ miſericordiam ejus, & mirabilia ejus filiis hominis: Sacrificentque ſacrificia confeſſionis, & annuncient opera ejus cum jubilo!

SOLA DEO SOLI GLORIA,
LAUS ET HONOR!



INDEX,




INDEX.
Rerum & Verborum.

A.

Ar-

C.

ad

F.

Ma-

L.

illud

D 587.

N.

O.

P.

rum

T.

U.

nisi

Vene-



F IN-



INDEX.

Nominum Propriorum.

A.

Ar-

Daph-

D.

E.

F.

G.

H.

Ligon.

M.

Micræ-

Xe

FINIS.



